ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM. AUCTORE CAROLO LE COINTE...

Charles Le_Cointe, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

60.1.14.

60
F 7.2.8.24
16

Digitized by Google

H
154

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
ECCLESIASTICI
FRANCORUM,

Auctore CAROLO LE COINTE Trecensi, Congreg.
Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbytero.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMUS SEPTIMUS.



BIBL. SEC. COLL. ROM.

PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



CHRISTIANISSIMO

LUDOVICO XIV

FRANCORUM NAVARRÆQUE REGI.

BIBLIOTHECA REGIA

QUI *denuò*, REX CHRISTIANISSIME, *prodit in Tuæ Majestatis conſpectum Carolus Magnus*, Rex omnium[a], qui ſuâ ætate gentibus dominabantur, & prudentiâ maximus, &

[a] Eginhardus in vita Caroli, c. 3. n. 13. editionis Bollandianæ.

animi magnitudine præſtantiſſimus, nihil in iis, quæ vel ſuſcipienda erant, vel exequenda, aut propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit. *In Monarcha Præcellentiſſimo, qui præcipuum ſui ſeculi decus & ornamentum fuit, ab annis octingentis & ampliùs hæ laudantur eximiæ dotes. At quota pars Tuarum Virtutum exiſtunt, quantâque diſparilitate in illo Rege atque in Te,* LUDOVICE MAGNE, *ſuſpiciuntur? Opus ſuſciperem ſuâ materiâ nimis prolixum, ſi res omnes, cùm à Te, tum à Carolo geſtas ſimul conferre vellem. A die, quo Tibi ſextam lucubrationum mearum partem ob-*

tuli, ne quid altiùs è ſuperioribus Tomis Tuæ jam dictum Majeſtati repetam, bello ſic contendiſti cum Tuis hoſtibus, ut Tuæ Prudentiæ Tuæque Magnanimitati nihil Carolina ceteræque retrò ætates æquiparare poſſint.

Ex pacis legibus, quas ad Vedaſum amnem & Aquiſgrani pactus es cum Rege Catholico, præter alias Urbes ac Provincias de quibus hîc mihi non eſt ſermo, nobiliſſimam Arteſiæ partem, Gallo-Flandriam & Tornaceſium, Franciæ rurſum coadunaſti; factæque recuperationis ſecuritati cenſuiſti rectè conſultum, REX PRUDENTISSIME, *ſi pulſis Hiſpanis, utramque Schaldis ri-*

pam ſupra Tornacum occupares. Ut inſignem in deliberando Prudentiam, ſic & in exequendo conſummatiſſimam oſtendiſti. Primus armorum ſonitus ad Hainæ confluentes detonuit; Condatum ſitu, propugnaculis, præſidio munitiſſimum, Tibi deditionem in Hiſpanorum Hollandorúmque proſpectu ſic fecit, ut utrique non milites ad pugnam, ſed ad ornatum Tui Triumphi teſtes idoneos conſcripſiſſe crederentur. Eodem tempore juſſiſti Buccinium Oſtrovandiæ caput obſideri; copiis ad id conficiendum deſtinatis præfeciſti Ducem, qui captâ mox Urbe Fratrem Majeſtatis Tuæ digniſſimum ſe præbuit. Hiſpani, ut imminenti periculo Va-

Digitized by Google

lentianas cum vicina ſubducerent Hannonia, procul à Schaldi molem belli transferre ſtatuerunt, decretâ Trajecti ſuperioris obſidione. Sapientioribus prægrandis, imò ſupra vires, hic viſus eſt conatus, audaciori-bus novam ſpem addiderunt loci ſitus à reliqua Francia longo terrarum tractu ſummotus & abſentia Gubernatoris Noviomagum inſtaurandæ pacis ergò nuperrimè directi. Tuam Prudentiam, REX INVICTISSIME, *nihil fugit. Probè noveras, qui Cives eſſent, qui Præſidiarii, quis Progubernator; Civitatem, quam intra ſpatium tredecim dierum expugnaras, ſciebas adverſùs oppugnatores quoſcumque plu-*

ribus menſibus propugnatum iri. Securus de rebus ad Moſam, lectiſſimas ad Legiæ fontem copias miſiſti, quæ Tuis obſecutæ Juſſionibus Ariam Urbem in Arteſia percelebrem Arcéſque circùm poſitas in Tuam poteſtatem redegerunt, deinde recto itinere Trajectum versùs proceſſerunt hoſtem ad internecionem deleturæ, niſi præcipitem fugam arripuiſſet, illarum adventu vix audito, nedum expectato.

Accedente hyeme ambo quievérunt exercitus; eâ verò nondum elapsâ, REX AUGUSTISSIME, *rurſus ad Schaldim advolaſti, quà Pagum Fanomartenſem ab Oſtrovandia dividit, & quas obſediſti Valentia-*

Valentianas interſecat. Poſt aliquot oppugnationis dies, memorabili facinore, quod apud poſteros fidem vix inveniet, aliquot milites, quos elegeras ut munitionis ab Urbe per foſſam ſejunctæ citeriorem partem adorirentur, in Tuo conſpectu non tantùm quod imperatum fuerat ſtrenuè confecerunt, ſed commilitonibus, qui ponè ſequebantur auxilio futuri ſi res poſtularet, in conſortium victoriæ vocatis, integram munitionem aliáſque pervaſerunt, & hoſtibus inde fugientibus permixti portam civitatis occuparunt, móxque alii per muros, alii per plateas ſervatis ordinibus effuſi, Civibus ac Præſidiariis æquè ſtupefactis, uno

penè momento ac ſine tumultu Valentianas Tuis Regalibus ſubjectas veſtigiis *proſtraverunt. Tanti Prodigii famam ſtatim confirmarunt, Cameracum oppugnatum, Audomaropolis obſeſſa; pro diverſarum partium affectibus univerſam Europam vel admiratione vel ſtupore grandia hæc repleverunt nomina. Fœderati, quia longum inter utramque Civitatem iter eſt, alterutram ſe liberaturos ſperarunt. Habitâ deliberatione conclamaverunt Cameracum, cujus obſidionem præſens urgebas. Totis tum viribus ad ſervandam converſi ſunt Audomaropolim. Ne voti compotes fierent Tuâ prohibuiſti Pru-*

* Paulus PP. in epp. ad Pippinum Reg. Cod. Carol. epp. 14. 25.

dentiâ. Victorioſo Fratri, qui Civitatem jam obſidebat, auxilia miſiſti, quibus auctus inſtruxit aciem, conſertóque cum hoſtibus prope Caſletum prælio nobiliſſimam conſecutus eſt victoriam, quâ Flandros illic à Francis vinci conſuetos edocuit ſuum Franciæ Philippum non deeſſe. Sexto pòſt die Majeſtati Tuæ ſe ſubjecit Arx Cameracenſis, quam totus Orbis inexpugnabilem fruſtrà prædicabat. Subſecuta poſtmodum deditio Civitatis Audomarenſis, quæ Fratrem Tuum, ut ad Rhenum, ad Iſalam, ad Schaldim, ſic & ad Agnionem Tuis Auſpiciis Poliorceten proclamavit.

Tam proſperos rerum ſucceſſus vere vixdum aperto, REX CHRISTIANISSIME, *Tuæ acceptos Prudentiæ quis non referat? Hiſpano-Belgæ tot per Hannoniam, per Pagum Fanomartenſem, per Oſtrovandiam, per Cameraceſium, per Arteſiam, per Flandriam cladibus attriti, ſpem omnem collocarunt in Germanis & Batavis, ſuppetias ex pacto ſe laturos, atque in penitiorem Franciam vel conjunctim vel ſeparatim, ut opportunius viſum fuerit, irruptionem poſt mediam æſtatem ſe facturos pollicitis. Eò ſimul cum Cæſare & Hollandis multi conſpirarunt Principes Germaniæ, ſeu Cæſari, ſeu Regi Catholico, ſeu*

Fœderatis Belgis privatim amici. Primus ſuis è ſtationibus exiit exercitus Cæſaris, & Sarram, Sellam, Moſellámque tranſgreſſus, ad Moſam pervenit parte militum imminutus haud modicâ, cùm propter damna quæ levioribus ex pugnis frequenter accepit, tum propter ciba-riorum penuriam quâ non ſemel laboravit; ſalutatis igitur Franciæ limitibus iter ad Rhenum properè relegit non triumphanti ſimilis ſed triumphato. Meliorem ad Sabim ſortem non experti ſunt Hiſpani Fœderatíque Belgæ. Magno quidem tripudio poſt inſtauratas copias, evocatáque multarum gentium auxilia Caroloregium obſidione clauſe-

runt; at eodem penè die deſtiterunt à cœpto, ne fame necarentur intercluſis, ut Tua Majeſtas præceperat, undequaque commeatibus. Ad Moſam Cæſariani venerunt, ut res à Sociis ad Sabim geſtas propiùs intuerentur; hi verò rurſum acceſſerunt ad Sabim, ut prioris fugæ memoriam alterâ poſt quinquennium nec minùs præcipiti renovarent. Utrique procul à Moſa & à Sabi ſuas in ſtationes reverſi ſunt inglorii. Ne tamen magnum aliquid ac præclarum ab illis peractum, quòd ad Sabis ac Moſæ ripas penetraſſent, remotiores fortè populi ſuſpicarentur; néve copiarum Tuarum Duces, quos iſtâ vice non tam præ-

Digitized by Google

liando quàm cunctando, nec tam manu quàm conſilio victores eſſe voluerás, novo Te Triumphi genere, Francis rariùs uſitato, præcipuè delectatum crederent, apertâ vi per eoſdem ſæviente jam hyeme Cæſarianis in Briſigavia Friburgum, Hiſpanis in Hannonia Giſlenopolim ademiſti, rerum anno poſtero gerendarum inſigni præludio.

Ineunte Januario, REX PRÆCELLENTISSIME, *fama divulgavit Kalendas Martii à Te rei permagnæ geſtioni deſtinatas. Ad illum uſque diem ſuſpenſa hæſit Europa. Menſe Februario lentis itineribus Metas cum Sereniſſima Regina profectus es, numeroſúmque*

exercitum, quamvis ad Moſellam ſubſiſteres, in Briſigaviam ire præcepiſti. Tunc Cæſar, cujus animum dolor ex amiſſione Friburgi nuper conceptus acerbiſſimè cruciabat, reliquæ Briſigaviæ, Ortnaviæ, & aliis adjacentibus Patrimonii ſui Dynaſtiis timere cœpit. Principes, quorum Ditiones Metis vicinæ ſunt, major ob Tuam præſentiam inceſſit trepidatio. Nec in Belgio immunes à metu ſe ſenſerunt Hiſpani; Giſlenopolis expugnata, militúmque numerus in hybernis ad Moſellam, ad Moſam & ad Schaldim ſolito copioſior, terrorem per Ducatum Luxemburgenſem & Comitatum Hannonienſem latè circumtulerunt; harum

Provin-

Provinciarum Civitates primariæ præ ceteris pavefactæ. Cùm res in illo versarentur statu, diuturnásque moras ad Mosellam facturus videreris, Duces, quibus id in mandatis dederas, die condicto Gandavum obsederunt; nec expectato inchoatæ obsidionis nuncio ex præmissa Jussione certus rei jam imperatæ velocissimis equis illuc ocyssimè properasti, quatriduo Civitatem, Arcem triduo Tuam sub potestatem redacturus, priusquàm Viennæ vel Madriti resciri posset militiæ Tuæ Præfectos Te procul absente quid ausos esse. Quantus his auditis Germaniam, quantus Hispaniam stupor invaserit, Germanis atque Hispanis Auctoribus

ſcribendum relinquo. Gandavum, MAGNANIME LUDOVICE, *Tuis adjeciſti ditionibus. Hæc ad Regnum Tuum acceſſio ſupra omnem eſt exiſtimationem. Tibi non Arteſiæ tantùm partem cum Gallo-Flandria & Tornaceſio, ſed univerſim quicquid Schaldi Legiâque cingitur, à quorumlibet hoſtium incurſione tutum, tranquilliſſiméque deinceps poſſidendum ſubjicit. Regni Tui limites finibus Fœderatarum Provinciarum conterminos facit, viámque Tuis Legionibus aperit in Vvaſiam atque in Franconatum. Denique Flandriam Occidentalem, quæ Legiam ac Oceanum interjacet, à reliquo ſeparat Belgio Hiſpanienſi.*

Digitized by Google

Quàm gravis ea res quámque moleſta ſit Hiſpanis, docent Ipræ, quas omni prorſus auxilii ſpe deſtitutas eâdem ſtatim celeritate, quâ Gandavum, ad faciendam deditionem compuliſti.

Egregia ſunt hæc Monumenta, REX VICTORIOSISSIME, *Tuámque non modò Prudentiam cum animi Magnitudine prædicant, ſed & palàm oſtendunt in rebus, quæ vel ſuſcipiendæ vel exequendæ fuerunt, nullum quem detrectaveris laborem, nullum quem exhorrueris occurriſſe periculum. Mira ſanè res eſt omnes penè Civitates & Arces, quas ſuprà memoravi, vel à Te & à Fratre Juſſionem Tuam diligen-*

ter ac feliciter exequente captas eſſe menſibus Martio & Aprili quos in hybernis apud Belgas tranſigere ſolent exercitus utrarumque partium, vel à Ducibus procul à Tuo conſpectu menſibus Novembri ac Decembri quibus hyems apud Briſigavos & Hannonios aſpera jam eſſe conſuevit. Mira quoque res eſt tot hoſtes in Te unum conjuraſſe, adeóque inferiores rebus omnibus fuiſſe, ut nec unum è Tuis ſubegerint Vicis, nec unam ſuis ex Urbibus obſidio liberarint. Quod igitur olim de Carolo Magno dictum fuit, id, LUDOVICE MAGNE, *potiori jure mihi de Te liceat pronunciare.* Rex omnium, qui gentibus

dominantur, & Prudentiâ Maximus, & animi Magnitudine Præſtantiſſimus, nihil in iis, quæ vel ſuſcipienda, vel exequenda ſunt, aut propter laborem detrectas, aut propter periculum exhorres.

Commendatur etiam Carolus inſigni præconio, quòd cùm *bellum Saxonicum, quo nullum neque prolixius, neque atrocius aut laboriosius ab eo ſuſceptum eſt*, ſine intermiſſione [a] gereretur, nihil tamen ex his, quæ alicubi erant gerenda, dimiſſum aut ulla in parte ab æquè operoſo certamine ceſſatum eſt. *Quid aptius ac convenientius de Te*, REX

[a] Eginhardus in vita Caroli, c. 2. n. 12. editionis Bollandianæ.

INVICTISSIME, *proferri poteſt ad illud biennium, cujus ſpatio materiam Tuæ Panegyris, ne quid ex annis ſuperioribus jam laudatis reſumam, hodie circumſcribo? Provocatus ab Hiſpaniæ Rege, Belgium adortus es impigrè. Cameracum, Buccinium, Valentianas, & Condatum ad Schaldim; Giſlenopolim ad Hainam; Ariam ad Legiam; Gandavum ad Legiæ Schaldíſque confluentes; Audomaropolim ad Agnionem; Ipras ad fluvium cognominem expugnaſti. Hiſpanos & Batavos in præcipitem actos fugam à Moſa & à Sabi repuliſti, Trajecto & Caroloregio liberatis obſidione. Hæc in Belgio, cetera re-*

motiſſimis ac disjunctiſſimis confecta ſunt in locis, proſperrimo ubique terrâ marique ſucceſſu. Prælio ſuperati ſunt Hiſpani in agro Emporitano, Germanis adempta Metropolis Briſigaviæ, debellati ad Tibiſci fontes Hungari. Batavis, ſive ad Gaditanum fretum contendentibus, ſive in Hiſpanorum auxilium mare Mediterraneum ingreſſis ac versùs Ortum metas navigationis Carolinæ tranſvectis, ſecuritas omnis ablata, frequentérque illatæ clades. Quin & procul ab Europa ſors eadem illis incubuit profligatis ac pulſis è variis Inſulis Oceani, quarum nonnullæ partem novi conſtituunt Orbis Carolo Magno ejúſque ſucceſ-

BIBLIOTECA NAZ. R. M. VITTORIO EMANUELE

ſoribus per multas ætates incogniti, probántque Te potiſſimùm Rege Francicæ Genti convenire, quod, annis abhinc ampliùs trecentis ſupra mille, clariſſimi Cæſarum Panegyriſtæ * *palàm affirmarunt* nihil eſſe clauſum Francis, quò navigiis pateret acceſſus.

* Eumenius in Panegyrico Conſtantii Cæſaris.

Longè brevioribus ſpatiis circumſcribuntur, quæ poſtremo biennio, cùm tantam Tibi gloriam POTENTISSIME REGUM, *per univerſum Orbem comparabas, in ſeptimum hunc operis à me ſuſcepti Tomum congeſſi. Spero tamen hoc Annalium Volumen Tuæ Majeſtati non injucundum fore, quia partem illam Belgii, quam per idem biennium ſingu-*

Digitized by Google

EPISTOLA.

ſingulari Prudentiâ & Magnanimitate perdomuiſti, Carolo Magno ejúſque filio Ludovico Pio in deliciis quondam fuiſſe demonſtrat. Imò publicos inter applauſus, quibus Francia tot incrementis adaucta perſonat, confido nihil hac eſſe convenientius lucubratione, quâ meam privatim lætitiam teſtari poſsim

CHRISTIANISS. MAJESTATI TUÆ

Devotiſſimus ac fideliſſimus Cliens & Subditus,
CAROLUS LE COINTE, Congregationis Oratorii D. N. JESU CHRISTI Preſbyter.

Lutetiæ Pariſiorum,
menſe Aprili,
anno 1678.

Digitized by Google

REGES FRANCORUM

ab anno reparatæ Salutis 382
ad annum 828.

TABULA PRIMA
MEROVEADARUM.

PRIAMUS Rex Francorum, anno 382. — I.

MARCOMIRES Rex Francorum, anno 389. — II.

FARAMUNDUS, Filius Marcomiris, Nepos Priami, regnare cœpit anno 417. obiit anno 426. — III.

CLODIO poſt patrem regnavit anno 426. obiit anno 446. — IV.

MEROVEUS patri ſucceſſit anno 446. obiit anno 456. — V.

CHILDERICUS regnum ſuſcepit anno 456. obiit anno 481. — VI.

CLODOVEUS regnum iniit anno 481. factus eſt Chriſtianus anno 496. obiit anno 511. — VII.

THEODORICUS R. a. 511. obiit a. 534.	CLODOMERES R. a. 511. obiit a. 524.	CHILDEBERTUS R. a. 511. obiit a. 558.	CLOTARIUS R. a. 511. totius Franciæ Monarchiam obtinuit an. 558. obiit a. 561.	VIII.

THEODOBERTUS R. a. 534. obiit a. 548.	THEODOBALDUS R. a. 524. obiit a. 526.	GUNTHARIUS R. a. 524. obiit a. 526.	CLODOALDUS R. a. 524. regnū amiſit a. 526.	CHARIBERTUS R. a. 561. obiit a. 567.	GUNTCHRAMNUS R. a. 561. obiit a. 593.	CHILPERICUS R. a. 561. obiit a. 584.	SIGIBERTUS R. a. 561. obiit a. 575.	IX.
A						B	C	

TABULA SECUNDA
MEROVEADARUM.



TABULA TERTIA
MEROVEADARUM.

D

DAGOBERTUS II. in Hiberniam ablegatus eſt a. 654. regnum Auſtraſiæ recuperavit a. 673. obiit a. 680.

E

CLOTARIUS III. Monarcha an. 655. Childerico fratri ceſſit Auſtraſiam a. 660. obiit a. 669.

CHILDERICUS II. R. Auſtraſiæ a. 660. Monarchiam Francorum obtinuit anno 669. obiit an. 673.

THEODORICUS III. R. a. 673. extincto Dagoberto II Monarchiam Francorum obtinuit an. 680. obiit a. 692.

XIII.

CHILPERICUS III. poſt Dagobertum III. regnare cœpit an. 715. obiit a. 721.

CLODOVEUS III. R. a. 692. obiit a. 694.

CHILDEBERTUS III. R. anno 694. obiit an. 711.

CLOTARIUS III in Auſtraſia contra Chilpericum III. regnare cœpit anno 718. obiit a. 719.

XIV.

DAGOBERTUS III. Childeberto III patri ſucceſſit a. 711. obiit a. 715. XV.

THEODORICUS IV. poſt Chilpericum III patruelem avi ſui Childeberti III regnare cœpit a. 721. obit a. 737. XVI.

CHILDERICUS III. Theodorici IV filius, poſt anarchiam ſeptem annorum incompletorum regnare cœpit a. 743. Rex eſſe deſiit a. 752. cœlebs tum adoleſcentulus natus annos circiter 18. XVII.

Huc uſque Meroveada.

GENUS
PIPPINI REGIS.

FERREOLUS, Præfectus Prætorio Galliarum ſub Honorio Auguſto, ætate Faramundi Regis Francorum.

TONANTIUS FERREOLUS, Aviti Imperatoris gener, Præfectus Prætorio Galliarum an. 451. cùm Attila Hunnorum Rex in Galliam irrupit.

TONANTIUS FERREOLUS II. natus eſt an. circiter 455.

ANSBERTUS.

S. ARNOALDUS.

S. ARNULFUS, Dodâ uxore in Monaſterium ſecedente, factus eſt Epiſcopus Metenſis an. 611. obiit an. 641.

ANSIGISILUS Dux, S. Arnulphi & Dodæ legitimus filius, Pippini Landenſis gener, obiit an. circiter 673.

PIPPINUS, cognomento Herſtallius, Major-domûs, obiit an. 714.

CAROLUS, cognomento Martellus, Major-domûs, obiit an. 741.

PIPPINUS natus an. 714. Rex Francorum cœpit eſſe an. 752.

TABULA PRIMA
CAROLIDARUM
ab anno 752. ad annum 828.

PIPPINUS regnare cœpit a. 752. obiit a. 768. — I.

- CAROLUS patri ſucceſſit in partem regni a. 768. poſt fratris obitum Monarchiam Francorum obtinuit a. 771. coronatus eſt Imperator a. 800. obiit a. 814.
- CAROLOMANNUS poſt patrem cum fratre regnare cœpit a. 768. obiit a. 771. — II.

- CAROLUS II. à patre dictus eſt R. Neuſtraſiæ a. 789. obiit a. 811.
- PIPPINUS II. à patre dictus eſt R. Italiæ a. 781. obiit a. 810.
- LUDOVICUS à patre dictus eſt R. Aquitaniæ a. 781. Imperator a. 813. patri ſucceſſit a. 814. Monarchiam Francorum obtinuit a. 818. vivebat adhuc a. 828. — III.

- BERNARDUS ab avo Carolo dictus eſt R. Italiæ a. 813. obiit a. 818.
- LOTHARIUS à patre dictus eſt Rex Bojoariæ a. 714. relictâ Bojoariâ dictus eſt Imperator a. 817. & Rex Italiæ a. 822. vivebat a. 828.
- PIPPINUS III. à patre dictus eſt R. Aquitaniæ a. 814. vivebat a. 828.
- LUDOVICUS II. à patre dictus eſt R. Bojoariæ a. 817. vivebat a. 828. — IV.

Recognitio Tomi ſeptimi.

PAGINA 66. *lin.* 29. *Abbatiſſam*, *leg.* *Abbatiam*. *p.* 106. *l.* 40. decimum; *leg.* undecimum. *p.* 135. *l.* 6. *poſt &c. adde* Lege infrà quæ diſtinctiùs ad annum 824. proferentur de Caſa-Nova & Bella-Cella. *p.* 158. *l.* 33. duodetriceſimum, *leg.* viceſimum-ſeptimum. *lin.* 37. undetriceſimum, *leg.* viceſimum-ſeptimum. *p.* 169. *lin.* 31. Patratus *leg.* Reginaldus. *p.* 177. *l.* 55. Patratum, *leg.* Reginaldum. *p.* 178. *l.* 1. Reginaldum, *leg.* Ingelnonum. *p.* 317. *lin.* 12. in Georgium, *leg.* in Senegillum, deinde in Georgium. *l.* 16. Caſam-Novam, *leg.* Bellam-Ceſſam, malè quibuſdam Caſam-Novam. *p.* 370. *lin.* 29. Theobaldus, *leg.* Andreas. *p.* 379. *lin.* 26. *poſt* frater *adde*, Sed Folquino præponendus eſt Achardus, qui ſuperſtes erat anno 835. ut dicemus Tomo ſequenti. *p.* 392. *lin.* 15. ad civitates DCCLXXXVII Tuſciæ, quas anno Chriſti Carolus. *leg.* ad civitates Tuſciæ, quas anno Chriſti DCCLXXXVII Carolus. *p.* 453. *lin.* 30. Indenſic Abbatis proximo ſucceſſore, *leg.* Indenſis Abbatis ſucceſſore. *p.* 590. *lin.* 31. ſeu, *leg.* ſed.

ANNALES

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM.



IN vetuſtiſſimis & accuratiſſimis Annalibus, duæ potiſſimùm res, quæ pertineant ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam Francicæ Gentis, anno Redemptoris octingenteſimo quarto celebrantur; finis à Carolo Magno poſt annos tres ac triginta Saxonico bello feliciter impoſitus, & Leonis Papæ Tertii, ob Chriſti Sanguinem apud Mantuam repertum, altera cis Alpes profectio. Ut initium, ſic & finem priori Tomo bellum fecit Saxonicum, huic autem exordium dabit Leonis Pontificis adventus in Gallias, cui multa per ordinem ſubjiciemus ad poſteriorem ejuſdem anni partem ſpectantia. Prolixiori præfatione non eſt opus, ut intelligas, cur in proximo titulo annum Redemptoris octingenteſimum quartum, quem in fine ſuperioris Tomi jam uſurpavimus, denuò repetituri ſimus. Characterem ab Incarnatione Dominica petitum, ut noſtra Chronologia tutiùs procedat, alii non pauci comitabuntur; tres Caroli Regis, unus ab obitu Pippini patris, alter à morte Carolomanni fratris, tertius à ſubacta Longobardia; quartus etiam ejuſdem Caroli Imperatoris, præter Indictionis notam Cæſaribus & Auguſtis propriam; nec Caroli filiis, ut Regibus, ſuus quoque deerit à die, quo ſinguli fuerunt à patre Reges inſtituti.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

ANNUS

CHRISTI		804.
CAROLI	IMP.	4.
	REG.	36. 33. 31.
PIPPINI II.	REG.	24.
LUDOVICI	REG.	24.
CAROLI	REG.	16.
INDICTIO		12.

I. MANTUÆ REPERITUR SPONGIA SANGUINE CHRISTI IMBUTA. LEO PP. REI VERITATEM EXPLORATURUS MANTUAM ADIT.

ANNO Redemptoris octingentesimo quarto, æstivo tempore *perlatum est ad Imperatorem, Christi sanguinem in Mantua civitate repertum fuisse. Propter hoc misit ad Papam, petens ut hujus famæ veritatem inquireret. Qui acceptâ occasione exeundi, primò in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. Indéque arrepto itinere subitò ad Imperatorem usque pervenit.* Carolus Leonem Remis excepit. *Medio Novembrio adlatum est ei*, nempe Carolo Imperatori, *Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, ubicumque hoc contingere potuisset. Quem statim misso ad Sanctum Mauritium Carlo filio suo, honorificè suscipere jussit. Ipse obviam illi Remorum civitatem profectus est.* Hæc Annalista Loiselianus, cui Laureshamensis aliique consentiunt.

II. *Quod ad sanguinem Christi pertinet*, ait Baronius, *re multùm examinatâ, inventus est & comprobatus ille fuisse, qui ex Christi corpore fluxit, tempore Passionis ejus, non autem ille, qui Beryti ex sacra Crucifixi imagine fluxerat. De qua virtute extare dicuntur sacra Diplomata Romanorum Pontificum, ut de his non sit amplius disputandum.* In eandem imus sententiam. Sed adstipulari non possumus Antonio Possevino, qui, libro primo Gonsagæ, nonnulla scribit à vero prorsus aliena, Conventum Procerum tunc congregatum Mantuæ, Carolum Augustum per idem tempus moratum Spoleti, Romanum Pontificem & prædictum Imperatorem Mantuam postmodum profectos esse. Mantuani Conventûs apud antiquos Auctores nulla mentio, Carolus post annum Redemptoris octingentesimum primum in Italia degisse non legitur. Solus igitur Pontifex, ut rogatus ab eo fuerat, Româ Mantuam perrexit.

III. Etsi veteres Annalistæ, Loiselianus, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis, necnon Regino, Monachus Egolismensis, & incertus Auctor in vitâ Caroli scribant *Christi sanguinem in Mantua civitate repertum fuisse*, certum est illis temporibus Mantuam titulo civitatis & Episcopali Sede caruisse. Ferdinandus Ughellus [a] Ecclesiæ Mantuanæ primordia & incrementa sic exponit. *Ex Magni Constantini pietate, à tyrannorum persecutione Christiani respirarunt. Quamobrem Mantuani Ecclesiam suam paulò ante dissipatam in ordinem redegerunt, excitatis Templis, quæ furor gentilium fuerat demolitus; jussáque est ad arbitrium Mediolanensis Antistitis respicere, qui, eidem spiritualibus attributis administriis, per plures annos Mantuanam Ecclesiam suæ jurisdictionis agnovit. Paruit deinde Archiepiscopo Ravennati, Pelagio Primo Pontifice ita censente, adnitentéque Smaragdo Ravennate Exarcho Mantuaque Gubernatore, qui per id tempus Constantinopolitano Cæsari vicariam operam præstabat anno 583. Anno verò 729 Gregorius Secundus Pontifex à Luitprando Longobardorum Rege*

[a] Tom. 1. Ital. Sacr. in Episc. Mantuan.

exoratus, divulſam à Ravennate juriſdictione, Patriarchatui Aquileïenſi, majoris honoris ergò illius Sedis, illam adjecit. Sed cùm poſteà Leo Tertius ex fama reperta ſpongiæ anno 804 ſanguine Chriſti imbutæ, à Longino olim diffoſſæ, Mantuam veniſſet, hauſiſſetque oculis admirabilis Reliquiæ veritatem, tum primùm Mantuæ Epiſcopalem dignitatem attribuit, ejúſque Præſulem Aquileïenſi Patriarchatui voluit ſuffragari. Et paulò pòſt, ubi ſermonem de primo Epiſcopo Mantuano facit, ejus ordinationem in annum Redemptoris octingenteſimum octavum rejicit, quamvis Leo Mantuam Epiſcopali dignitate adaugendam ab eo conſtituerit anno, quo Chriſti ſanguis illic repertus eſt. Initium igitur Epiſcopatûs Mantuani poſt quadriennium differemus. AN. CH. 804. LOCUM ILLUM EPISCOPATU ADORNARE STATUIT.

IV. VENIT IN FRANCIAM, ET REMIS EXCIPITUR A CAROLO.

Annaliſta Loiſelianus, quomodo Pontifex ab Imperatore ſuſceptus ſit, breviter ſic exponit. *Ipſe*, nempe Carolus Imperator, *obviam illi* (Leoni) *Remorum civitatem profectus eſt, ibíque ſuſceptum primò Cariſiacum villam, ubi Natalem Domini celebravit, inde Aquaſgrani perduxit, & donatum magnis muneribus per Bojoariam ire volentem deduci fecit uſque Ravennam.* Et inferiùs de Leone ſic diſſerit. *Ad Imperatorem uſque pervenit. Mansítque apud illum dies* VIII. *&, ſicut dictum eſt, Romam repedavit.* Eadem ſcribunt Annaliſtæ, Laureshamenſis, Tilianus, Fuldenſis, & Bertinianus, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli. Fuſiùs autem Metenſis Annaliſta ſic exſpatiatur. *Ipſe verò obviam illi apud Remorum civitatem in Baſilica Beati Remigii Epiſcopi & Confeſſoris profectus eſt, ibíque ſuſceptum ad Cariſiacum uſque perductum, cum eo ibi Natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiſcentes, pervenerunt ad Sueſſionis civitatem, in qua dimiſſo Papâ, ad colloquium germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monaſterium pervenit. Fruitúſque ejus colloquio ad Cariſiacum villam Leonem Papam, quem apud Sanctum Medardum dereliquerat, ſibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, & honoratum magnis muneribus per Bojoariam ire volentem à ſuis duci fecit uſque Ravennam.* Et inferiùs hæc de Leone ſubjungit. *Ad Imperatorem uſque pervenit. Mansítque apud illum dies octo, &, ſicut dictum eſt, Romam repedavit.* Remis igitur Sueſſionem ſimul profecti ſunt Pontifex & Imperator, ſed accepto nuncio de morbo, quo Giſla Caroli ſoror Abbatiſſa Kalenſis in agro Pariſienſi laborabat, relicto apud Sueſſionem Papâ in Cœnobio Sancti Medardi, ſtatim Imperator iter Kalam verſùs arripuit, indéque rectà Cariſiacum perrexit, quò ſe quoque Pontifex Sueſſione mox contulit. Illic ambo Natalem Domini celebrarunt, ſimúlque manſerunt dies octo, deinde Aquiſgranum contenderunt. Quæ ſecuta ſunt, quia poſt Kalendas Januarii contigerunt, anno proximo narrabuntur. SIMUL EUNT SUESSIONEM. DIEM NATALEM DOMINI CELEBRANT APUD CARISIACUM. GISLA ABBATISSA KALENSIS ÆGROTAT.

V. Tunc Agaunenſis Abbas erat Adalongus. Remenſem Archiepiſcopatum & Remigianum Monaſterium gubernabat Archiepiſcopus & Abbas Vulfarius. Eccleſiæ Sueſſionenſi præerat Deodatus Epiſcopus. At per ætatem Caroli Magni mancus eſt Medardinorum Abbatum apud Sueſſionem Catalogus.

VI. Ut Sancti Medardi, ſic & Beatæ Mariæ perantiquum eſt Sueſſione Monaſterium, illud virorum, hoc fœminarum. De utriuſque originibus actum Tomis primo [a] & tertio [b]. Hiſtoriam poſterioris nuper edidit Domnus Michaël *Germain* Monachus Benedictinus è Congregatione Sancti Mauri. Totum opus quatuor diſtinxit in libros, quorum altero Catalogum Abbatiſſarum ab ipſo Cœnobii conditu ad noſtra uſque tempora perduxit. Abbatiſſas, quæ ſeculis ſeptimo & octavo floruerunt, hoc recenſuit ordine; primum locum Ætheriæ, ſecundum Aldegardi, tertium Eremburgæ, quartum Armentrudi, quintum Aſcelinæ, ſextum tribuit Giſlæ Caroli Magni ſorori, cujus obitus anno Redemptoris octingenteſimo decimo conſignatur. In hac Nomenclatura duæ res ſunt, de quibus non convenimus, quia nec Aldegardis proximè ſucceſſit Etheriæ, nec Giſla Caroli Magni ſoror Sueſſionenſe Monaſterium rexit.

[a] Ad an. 545. n. 10.
[b] Ad an. 661. n. 15.

AN ABBATISSA SUESSIONENSIS?

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

VII. Plerique Catalogi Cunegundem seu Cunegaudiam Etheriæ sufficiunt, præponuntque Aldegardi. Prælaudatus Auctor id verum fatetur. Cunegundem tamen longè recentiorem facit, eámque constituit synchronam Lothario Regi, qui trinepos Caroli Magni fuit. Ut opinionem suam probet, recitat Diploma Hugonis ac Roberti simul regnantium, in quo Clotarius seu Lotharius Rex & Conegundis Abbatissa hic memorantur. *Temporibus prædecessoris nostri bonæ memoriæ Clotarii Regis, quædam Abbatissa Cœnobii Sanctæ Mariæ, Conegundis nomine, de thesauro jam dictæ Sanctæ Mariæ cuidam Alberto Comiti Veromandensi dedit quantum inter se convenit pro redimendis scilicet Ecclesiis ad prædictum locum pertinentibus, quæ sitæ sunt in pago Veromandensi.* Non inficiamur Clotarium & Lotharium in antiquis Chartis promiscuè legi, Regiúmque Diploma, cujus fragmentum proximè descriptum est, intelligendum esse de Lothario Rege, qui Carolum Magnum tritavum habuit, tunc enim familia Comitum Viromandensium præpotens erat. Negamus autem eos, qui Cunegundem Etheriæ subrogarunt, prædictâ deceptos fuisse Chartâ, quasi Lotharium Caroli Magni trinepotem deflexerint in Clotarium Tertium, quo regnante conditum fuit Suessione Monasterium, de quo nobis hîc sermo. Clotarius Tertius ex hac vita discessit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono, communi omnium suffragio superstes ei vixit Etheria. Frustrà igitur dicas Clotarium Tertium & Lotharium Caroli Magni trinepotem simul à Nomenclatoribus confusos fuisse. Leodegarius Augustodunensis Episcopus Etheriæ adhuc viventis meminit in literis, quas post mortem Gairini fratris sui, sive anno Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, scripsit Sigradæ matri suæ, quæ tunc in Suessionensi Monasterio sub ejusdem Etheriæ disciplina degebat. *O bona,* inquit, *Domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendere potest; qualiter in præsentem vitam te Dominus remuneravit, audi & ausculta. Pro obsequio famulorum dedit tibi omnes fratres sanctos, qui quotidie pro te orant. Pro servitio ancillarum dedit tibi sorores sanctas, quarum consortio frueris. Pro labore præsentis vitæ, quietem in Congregatione Monasterii. Pro amissione rerum, scripturam divinam, & meditationes sanctas, & orationem assiduam. Pro amissione parentum habes venerabilem & sanctam Dominam Etheriam Abbatissam. Est tibi mater, est tibi soror, est tibi filia. Tu itaque ei vicissitudinem redde, quia, ut certus sum, in Christo Jesu est vobis cor unum & anima una.* Cùm hæc scribebatur epistola, Suessio parebat Theodorico Tertio Regi, qui frater Clotarii Tertii fuit natu minimus, & Regnum ad annum usque Christi sexcentesimum nonagesimum-secundum tenuit. Utrùm Etheria Theodorico supervixerit, haud liquet. Author suprà nominatus eam sub finem septimi seculi mortuam arbitratur. Post Theodoricum Tertium successivè regnarunt ejus filii, Clodoveus Tertius & Childebertus Tertius ad annum usque Christi septingentesimum undecimum. Nihil autem obstat, quominùs Cunegundis seu Cunegundia Suessionense Monasterium regnantibus Theodorici Tertii filiis administrarit, eíque successerit Aldegardis Sancto Vodalo * seu Vodoalo synchrona. Sancti Vodali vitam, in qua mentio fit Adalgardis sive Aldegardis Abbatissæ, publicavit Joannes Bollandus ad Nonas Februarii. De Conegunde, quam à prædicta Cunegunde distinguimus, agemus suo loco sub Lothario Caroli Magni trinepote.

Voüé, seu *Voay*.

VIII. Apud Sammarthanos Aldegardi subjiciuntur, Erembúrga, Armentrudis, Gisla seu Gizella Caroli Magni soror. Michael Germanus meminit Ascelinæ, quæ Gislam antecesserit. Deinde observat non deesse, qui Theodradam Caroli Martelli filiam, & Gisaldam seu Gisalanam Childerici Tertii Regis uxorem Armentrudi proximè subjiciant. Rectè negat filiam Martello fuisse, quæ vocaretur Theodrada. Rectè quoque negat uxorem Childerici Tertii Regis Abbatissam fuisse Suessionensem. Theodradam agnos-

Digitized by Google

cit quidem Abbatiſſam Ludovico Pio regnante, ſed eam oſtendit Martelli neptem extitiſſe, additque errorem inde manaſſe, quòd nonnulli re minùs accuratè diſcuſsâ neptis loco filiam repoſuerint. Quod ad uxorem Childerici Tertii Regis attinet, illam ait in Sueſſionenſi Monaſterio poſt exauctorationem mariti degiſſe cum Monialibus ad obitum uſque, ſed ignorari cùm diem tum annum quo vitam clauſit, nec unquam ſuiſſe aſſumptam in Abbatiſſam, licèt ob affinitatem nominis cum Giſlana Caroli Magni ſorore atque Abbatiſſa perperam à quibuſdam confundatur. Quid ipſi de Theodrada Caroli Martelli filia, déque Giſilana Childerici Tertii Regis uxore ſentiamus, paucis accipe. Utramque ſuppoſititiam arbitramur. Carolo Martello nulla fuit filia, nomine Theodrada. In Stemmate Genealogico, quod operi de vera Origine Francicæ Domûs inſcripto præfixum fuit à Duboucheto, Theodora vidua & Abbatiſſa Sueſſionenſis occurrit, aſſeritúrque Martelli filia ex priori toro, ſed altum eſt de eadem Theodora in ipſius operis contextu ſilentium, nec dubium nobis videtur, quin illa Theodora ſit eadem cum Theodrada vidua & Abbatiſſa Sueſſionenſi, quæ Caroli Martelli neptis fuit ex Bernardo filio, laudatúrque à Paſchaſio Radberto in vita Sancti Adelhardi. Tomo quinto actum de Childerico Tertio, qui Meroveadarum Regum poſtremus fuit. Illum cœlibem obiiſſe prævalidis argumentis non ſemel probavimus. Ergo fictitia ſunt, quæcumque de illius uxore circumferuntur, ſeu Giſalda ſeu Giſalana vel alio quocumque nomine nuncupetur.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

IX. Chronologia Sueſſionenſium Abbatiſſarum à Michaele Germano ſic inſtituitur. Etheria moritur exeunte ſeculo ſeptimo, Aldegardis quinto Idus Octobris anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo viceſimo, Eremburga tertio Idus Februarias anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo, Armentrudis quinto Kalendas Martias anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo ſexageſimo. Aſcelina tertio Idus Februarias anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo octogeſimo, Giſla anno Redemptoris octingenteſimo decimo. In hac computatione præter annum quo Giſla vitam terminavit, nullus determinatè notatur, nihílque vetat, quominùs Etheriæ Cunegundem, Cunegundi Aldegardem, Aldegardi Eremburgam, Eremburgæ Armentrudem, Armentrudi Aſcelinam, Aſcelinæ Theodradam ſubſtituamus, omiſsâ Giſlâ ſeu Giſlanâ Caroli Magni ſorore, quæ non Sueſſione Monaſterio Sanctæ Mariæ, ſed Kalenſi cum Abbatiſſæ titulo præfuit in agro Pariſienſi.

X. Nullum apud antiquos Auctores extat monumentum, unde innoteſcat Giſlam Monaſterii Sueſſionenſis Abbatiſſam fuiſſe. De illa ſcribit in hunc modum Eginhardus. *Erat ei*, nempe Carolo, *unica ſoror, nomine Giſla, à puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter ut matrem magnâ coluit pietate; quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo converſata eſt Monaſterio deceſſit.* Eandem Giſlam Kalenſem Abbatiſſam extitiſſe non obſcurè teſtatur Annaliſta Metenſis loco ſuprà citato, cùm ait Carolum, relicto in civitate Sueſſionenſi apud Sanctum Medardum Leone Papâ, profectum eſſe ad Cœnobium Kalenſe, ubi tunc Giſla ſoror ægrotabat. Id non diffitetur Michael Germanus. At Giſlam utriuſque Monaſterii, Sueſſionenſis videlicet & Kalenſis, Abbatiſſam conſtituit. Ut opinionem ſuam probet, in exemplum adducit Rotildem Caroli Calvi filiam, quam ſimul & Sueſſionenſem & Kalenſem Abbatiſſam facit; deinde, ut Abbatiam Sueſſionenſem Giſlæ ſpeciatim adſerat, Paſchaſium Radbertum, qui puer in Monaſterio Sueſſionenſi nutritus fuit, illic degiſſe contendit, cùm adminiſtratio Cœnobii penes eandem Giſlam Abbatiſſam eſſet. Utrumque argumentum facilè diluemus.

XI. Primò pravus hic uſus ætate Caroli Magni nondum invaluerat, ut duo Monaſteria uni ſubeſſent Abbatiſſæ, imò in Capitulari, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono Carolus apud Hariſtallium edidit, ſanc-

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

tione tertiâ ſtatutum reperitur [a], ut *unaquaque Abbatiſſa ſine intermiſſione in ſuo Monaſterio reſideat, & duo Monaſteria non habeat.* Fruſtrà igitur, ut temporibus Caroli Magni quid actum confirmetur, exemplum profertur petitum ab ejus pronepte multò recentiore. Addequòd Rotildem Caroli Calvi filiam Kalenſi Monaſterio præfuiſſe non conſtat. Ea de re diſputabimus ſuo loco.

Secundò, nec in operibus Paſchaſii Radberti, quæ ſimul collecta publicataque ſunt à Jacobo Sirmondo, nec in libro de partu Virginis, cujus Auctor idem Paſchaſius hodie creditur, ullum occurrit verbum, quod Giſlam Caroli Magni ſororem Abbatiſſam Sueſſionenſem fuiſſe ſuadeat. Librum *de partu Virginis*, ſeu librum *contra eos qui diſputant de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ, & de ejus parturitione*, Ildefonſo Toletano jam abjudicavimus [b] ex auctoritate Joannis Pozæ in Elucidario [c] Beatæ Virginis. Joannes Mabillonus in Obſervationibus [d] *de quibuſdam Hildefonſi ſcriptis*, prædictum librum non tantùm abjudicavit Ildefonſo, ſed adjudicavit Paſchaſio Radberto, cujus tempore inter Catholicos emerſit controverſia *de modo quo Beata Maria Chriſtum peperit.* Prætereà Lucas Dacherius duos Codices, qui nomen Paſchaſii Ratberti præferebant, in Bibliotheca Corbeïenſi reperit, iiſque perlectis, eundem librum Tomo duodecimo ſui Spicilegii publicare non dubitavit cum hoc titulo. *S. Paſchaſii Ratberti Abbatis Corbeïæ veteris Opuſculum de partu Virginis.* Initium libri tale eſt. *Venerabili Matronæ Chriſti, unà cum ſacris virginibus Veſonâ monaſticè degentibus, Paſchaſius Rathertus Monachorum omnium peripſema. Quæſtionem, chariſſimæ, de partu Beatæ Virginis mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi, quoniam vos eam plurimùm amare non ambigo, ut ex hoc ſciatis quantùm vos diligam, longè dìu à puero veſter alumnus, multo jam ſenio confectus.* Qui Ptolemæo [e] dicuntur Οὐίσσονες, Straboni [f] ſunt Σουησσῶνες, Cæſari *Sueſſiones.* Ideóque Veſonam Paſchaſii Radberti Claudius Dormayus [g] & Lucas Dacherius [h] rectè Sueſſionem interpretantur. Porrò, quam Paſchaſius Radbertus venerabilem Matronam Chriſti vocat, & ſacris Virginibus Sueſſione monaſticam vitam agentibus præfuiſſe teſtatur, eam Michael Germanus vult eſſe Theodradam Abbatiſſam, & quia Paſchaſius Radbertus multo jam ſenio ſe confectum dicit, illum ſcribit à puero Monaſterii Sueſſionenſis alumnum fuiſſe, cùm penes Abbatiſſam, quæ Theodradam, præceſſit, Cœnobii regimen eſſet, eámque non aliam opinatur à Giſla, cui locum Aſcelinam inter ac Theodradram attribuit. At Paſchaſius Radbertus ſenex jam factus Immæ, quæ poſt matrem Theodradam Sueſſionenſe Monaſterium rexit, ut expoſitionem in Pſalmum quadrageſimumquartum, ſic & opuſculum de partu Virginis inſcribere potuit, inſcripſitque, ſi benè ſuper illius ætate ratiocinaturi ſumus. Sed eſto, Paſchaſius Radbertus opuſculum de partu Virginis dicarit Theodradæ, vixeritque puer in Monaſterio Sueſſionenſi, priuſquàm Theodrada fieret Abbatiſſa, certè nec idem Paſchaſius, nec quis alius illorum temporum ſcriptor Abbatiſſam, cui Theodrada proximè ſucceſſit, aut Giſlam vocavit, aut Caroli Magni ſororem exhibuit.

XII.

XIII. Paſchaſius Radbertus Monaſterii Sueſſionenſis alumnus fuit à puero, Monachum induit in Corbeïa vetere ſub Adelhardo Abbate, librum de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini ſcripſit anno Chriſti circiter octingenteſimo duodeviceſimo, factus eſt Abbas Corbeïenſis anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-quarto, Immæ Sueſſionenſi Abbatiſſæ inſcripſit expoſitionem in Pſalmum quadrageſimum-quartum, multo jam ſenio confectus exaravit opuſculum de partu Virginis, multo quoque longóque confectus vitæ tædio libros quinque compoſuit in Lamentationes Jeremiæ, vitam tandem terminavit anno Redemptoris octingenteſimo-quinquageſimo-primo, ætatis ſuæ anno circiter ſexageſimo quinto. Adversùs hanc Chronologiam nihil objici poteſt. Paſchaſius Radbertus opuſculum edit de

[a] Vid. Tom. 6. a. 776. n. 4.
[b] Tom. 6. a. 798. n. 72.
[c] Lib. 4. Tract. 4. c. 6.
[d] Sec. 2. Benedict.
[e] Lib. 2. c. 9.
[f] Lib. 4.
[g] Lib. 1. c. 5.
[h] Tom. 12. Spicileg.

Digitized by Google

partu Virginis *multo jam ſenio confectus*, ut ipſemet loquitur, ſeu ſexagenarius ut Michael Germanus exponit. Libros etiam in Lamentatione Jeremiæ, quod operum poſtremum cenſetur, edit *multo longóque confectus vitæ tædio*, ut ipſemet in Præfatione teſtatur. Eſt & tricenario major, cùm edit librum de Corpore & Sanguine Domini. Naſcitur autem anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto, puérque poſt aliquot annos Monachis intra ſepta puellaris Monaſterii Sueſſione degentibus traditur erudiendus. Illorum Monachorum meminit Sanctus Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus in literis ad Sigradam matrem ſuam, quæ tunc in Cœnobio Sueſſionenſi ſub Etheriæ Abbatiſſæ diſciplina vitam agebat. *Pro obſequio*, inquit, *famulorum dedit tibi* pius Dominus *omnes fratres ſanctos, qui quotidie pro te orant. Pro ſervitio ancillarum dedit tibi ſorores ſanctas, quarum conſortio frueris.* En duplex congregatio in eodem Monaſterio, una Monachorum, altera Monialium. Ædificia, quæ Monachorum uſui ſerviebant, ſejuncta erant ab iis, in quibus Moniales habitabant, quamvis utraque intra ſepta ejuſdem eſſent Cœnobii. Ut ædificia, ſic & Baſilicæ Monachorum ac Monialium erant diſtinctæ. Eáque ſeparatio cùm ædificiorum tum Eccleſiarum talis erat, ut idem Monaſterium in plura diviſum videretur. Ab initio *intra Cœnobii ſepta* tres erectæ ſunt Baſilicæ, *in honore Sanctæ Mariæ genitricis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sancti Petri, & Sanctæ Genovefæ vel caterorum Sanctorum*, ut teſtatur Sanctus Drauſcius Sueſſionenſis Epiſcopus in ſuo Privilegio, cujus mentionem Tomo tertio fecimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſexageſimum. Baſilica Sanctæ Mariæ pro Monialibus fuit, Baſilica Sancti Petri pro Monachis, Baſilica Sanctæ Genovefæ & ceterorum Sanctorum pro Monialibus infirmis & pro hoſpitis. Juxta Baſilicam Sancti Petri conditum quoque fuit poſteà Monaſterium pro prædictis Monachis, quod Monaſterium Sancti Petri nuncupatum invenitur. Moniales erant copioſo numero ſub Abbatiſſa, pauci verò Monachi ſub Præpoſito. Quibus hi deputarentur officiis, accipe ex Michaele Germano [a]. Imprimis, ut Moniales ſecundùm Regulam viverent, diligenter invigilabant; rerúmque temporalium gerebant curam, cui Moniales vacare non poterant; deinde hoſpites excipiebant ac peregrinos; Chriſtianam quoque inſtitutionem ac prima ſcientiarum rudimenta pueros docebant, atque in illorum puerorum numero fuit Paſchaſius Radbertus, ut ex ejus libro de partu Virginis probatum ſuprà.

[a] Lib. 1. c. 5.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

XIV. Abbatiſſa, quæ Sueſſionenſi Monaſterio præerat, cùm Paſchaſius Radbertus illud adiit adhuc puer à Monachis erudiendus, hodie controvertitur, Theodrada eſt Jacobo Sirmondo, qui vitam Paſchaſii Radberti collegit ex ejus ſcriptis Auctoribúſque ſynchronis, atque illius operibus præfixit cum hoc exordio. *Paſchaſio Radberto prima Chriſtianæ inſtitutionis tyrocinia fuerunt apud ſacras virgines Sueſſionenſes, quarum cura & ſtudio puerulus educatus eſt, cùm earum Cœnobio præeſſet Theodrada Regia ſtirpis Antiſtita, conſanguinea Caroli Magni.* Michael Germanus recurrit ad Giſlam ejuſdem Caroli Magni ſororem, hanc enim Sueſſionenſem agnoſcit Abbatiſſam ab anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo octogeſimo ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum, eique proximè ſufficit Theodradam anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-quinto ſuperſtitem futuram. Giſla Caroli Magni ſoror Kalenſi Monaſterio præfuit, Sueſſionenſi nequaquam. In Abbatiſſarum igitur Sueſſionenſium Catalogo Theodrada proximum poſt Aſcelinam locum obtinere debet. Utra verò Monaſterium regeret, cùm illud Paſchaſius Radbertus adhuc puerulus adiit, manet inveſtigandum.

XV. Ignoratur annus quo Theodrada regimen Monaſterii ſuſcepit, ignoratur & annus quo vitam cum morte commutavit. Abbatiali munere fungebatur anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, vivebátque adhuc anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo. Hæc ſuis locis probabimus, primùm ex ſcriptis Paſchaſii Radberti, alterum ex Charta Caroli Calvi. Bern-

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

hardo Pippini Regis fratri quinque liberi fuerunt; tres mares, fœminæ duæ; Adelhardus, Wala, Gundrada, Bernarius, & Theodrada. Viginti erat annorum Adelhardus anno Christi septingentesimo septuagesimo-tertio, cùm in Monasterio Corbeiensi Monachum induit Bernhardo patre adhuc superstite, ut ad illum annum diximus. Liberorum, quos Bernhardus suscepit, natu fuit maximus. Multò junior erat Theodrada, proles omnium minima. Hæc viro nupsit, &, ut Paschasius Radbertus [a] testatur, *reddito fructu nuptiarum secundum castimoniæ gradum arripuit*, mortuo enim conjuge secessit in Suessionense Monasterium, ibique ad obitum usque permansit, Monacha primùm, deinde Abbatissa. Quot liberos pepererit, quot annos in Cœnobio, priusquàm Abbatissa fieret, sub Ascelinæ tunc Abbatissæ disciplina vixerit, haud liquet. Tricenariâ major potuit esse, cùm Paschasius Radbertus eruditi cœpit, id enim post annum Christi septingentesimum nonagesimum contigit. Cæterùm habitâ ratione istius computationis nihil officit, quominus sua Sirmondo stet auctoritas, & Theodrada multarum prolium atque inter has Immæ mater fuerit, viduáque in Monasterium se receperit Suessionense, in quo Monialis per aliquot annos degerit, donec in Abbatissam assumeretur, Abbatissa verò facta Paschasium Radbertum adhuc puerum à Sancti Petri Monachis erudiendum curarit, obieritque octogenaria, Carolo Calvo jam regnante, Immâque filiâ ætatis adeò provectæ, ut in Monasterii Suessionensis administrationem marri proximè successerit.

[a] In vit. S. Adelhard.

XVI. Hæc autem fusiùs atque accuratiùs examinata sunto, ut hoc anno post Christum natum octingentesimo quarto, quo Leo Romanus Pontifex in Galliam venit, intelligas Monasteria Suessionense & Kalense non uni sed duabus Abbatissis paruisse, Suessionense Theodradæ, Kalense Gislæ Caroli Magni sorori, quam in Kalensi Monasterio ægrotantem idem Carolus hoc eodem anno visitavit, ipso Leone Papâ relicto interim Suessione in Cœnobio Sancti Medardi. Tunc Monachus adolescebat in Monasterio Corbeiensi sub Adelhardo sive Adalardo Abbate Paschasius Radbertus, cujus vitam Jacobus Sirmondus sic orditur. *Paschasio Radberto prima Christianæ Institutionis tyrocinia fuerunt apud sacras Virgines Suessionenses, quarum curâ & studio puerulus educatus est, cùm earum Cœnobio præesset Theodrada Regiæ stirpis Antistita, consanguinea Caroli Magni. Monasticam inde vitam aggressus in Monasterio Corbeiensi, sanctioris disciplinæ magistrum & ducem habuit Sanctum Adalardum Abbatem, Theodradæ ejusdem fratrem, & Walæ Comitis, qui & ipse post Monachus & Abbas Adalardo successit. Ibi ergo florentem & idoneam studiis suis palæstram nactus, cùm ingenio atque indole esset eximiâ, mirificos in literis & in omni virtutum genere progressus fecit.* Adelhardus Abbas ut apud Carolum Magnum, sic & apud Pippinum ejus filium in Italia regnantem, necnon apud Leonem Romanum Pontificem auctoritate plurimùm valuit. Romam missus est ad eundem Leonem Papam, quæstionis de processione Spiritûs Sancti definiendæ causâ, ut ad annum Redemptoris octingentesimum nonum antiqui scribunt Annalistæ. Ex hac Adelhardi Legatione profluxit error in vetera Corbeiæ Gallicæ monumenta, quibus innixus Hugo Menardus vitam Paschasii Radberti sic exorsus est [b]. *Sanctus Ratbertus Paschasius fuit natione Romanus, dignitate Levita, septimus in ordine Diaconorum, tantaque humilitatis, ut nunquam ad Sacerdotii fastigium ascendere voluerit. Cùm autem Sanctus Adalardus Abbas Corbeiensis à Leone Papa Romæ honorificè fuisset acceptus, Sanctus Ratbertus ejus sanctimoniam admiratus ei deinceps adhæsit, & in Galliam redeuntem secutus se ejus magisterio regularibus disciplinis tradidit erudiendum. Sumpto in Monasterio Corbeiensi habitu Magistri sui virtutes imitari conatus est.* Longè alia fuerunt Paschasii Ratberti primordia, de quibus copiosè suprà.

[b] Lib. 2. observat. d. 26. Apr.

XVII. Ex prædictis igitur liquet hoc anno, cùm Leo Pontifex & Carolus Imperator Suessione morabantur, Abbatissas extitisse, Suessionensem Theodradam,

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

dam, Kalenſem Giſlam Caroli Auguſti ſororem, Abbatem Corbeïenſem Adelhardum prælaudatæ Theodradæ fratrem, Monachum ejuſdem loci Paſchaſium Radbertum. Tunc ab Impératore Carolo datum dicitur hoc Diploma, quod Dubletus Antiquitatibus San-Dionyſianis [a] inſeruit, & ex ipſa lectione ſuppoſititium facilè deprehendes. *Carolus Sereniſſimus Auguſtus, Deíque gratiâ Rex Francorum & Longobardorum, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, ceteríſque Optimatibus ſuis perpetuæ ſalutis augmentum. Cùm Regiam ſublimitatem petitionibus æquis aſſenſum deceat præſtare, congruum eſſe videtur, rationabiliter poſtulata concedere, quatenus per præſentium bonorum exhibitionem adipiſci mereamur cæleſtium præmiorum largitionem. Quapropter cognoſcat Magnitudo ſive Nobilitas veſtra, quòd accedentes ad noſtræ ſublimitatis præſentiam Willelmus ſcilicet venerandus Comes atque Rotbertus æquè Comes & Marchiſus ſupplici petierunt devotione, ut Sanctis Martyribus Dionyſio Ruſtico & Eleutherio, & Monachis in eorum obſequio militantibus, reſtaurari juberemus priùs habita, & diu quietè poſſeſſa, poſteà verò à nequam hominibus injuſtè ſublata, & confirmaremus noſtræ auctoritatis Præcepto. Igitur conſilio & voluntate filii mei Ludovici Pii, jam in Regem deſtinati, Optimatúmque meorum, cupiens augmentare & amplificare poſſeſſiones beatiſſimi Dionyſii, memor etiam illius veraciſſimi verbi Dagoberti Excellentiſſimi Regis dicentis, ſicut in Geſtis Francorum habetur, ſe tantùm de reditibus ſuis daturum & conceſſurum ſpeciali Patrono ſuo Dionyſio, & Monachis ibidem Deo ſervientibus, quòd quamvis ſucceſſores ſui multa auferrent, Monachi tamen ſemper ibi neceſſaria ſufficienter haberent. Ego ne quaſi hujus verbi tranſgreſſor iram Dei incurram, reddo & reſtauro Monachis Sancti Dionyſii ea quæ priùs habuerunt, & quietè poſſederunt; videlicet Cellulam, quæ eſt in pago Pictavenſi non longè à Vienna flumine inter duorum montium ſita vallem, qui locus anteà dicebatur Plumbata, poſteà verò propter multos infirmos, precibus & meritis Sancti Dionyſii ſanatos, ipſe locus cognominatus eſt Sancti Dionyſii * de Valleta. Reddo etiam & reſtauro in Bituricenſi pago Eccleſias & villas, ſcilicet de Caſimanſi, de Moſaico, de Aldo, de Perolio, de Napſiniaco, de Malliaco, de Quierlaico, de duabus Caſis, de Vernido, de Stivaliculis, de Givretis, de Argenteria, de Vallo, de Lanatico, de Umreziaco, de Vicopleno, de Noto, de Archiniaco, & terras, & villas, & Eccleſias adjacentes, cum ſervis & ancillis, ſylvis, pratis, aquis, farinariis, furnis, aquarúmve diſcurſibus. Patriciacum etiam Caſtrum noſtrum, & Eccleſias ejuſdem Caſtri, & Burgum cognomine Adpatriacum, & Eccleſias ejuſdem Burgi, & Parciacum quod eſt ſitum ſuper fluvium Vigia, & Cellam de Larundo in pago Lemozino, eorúmque appendicia atque ſubſequentia, quæ quorumdam prævitate hominum à Cœnobio beatorum Martyrum, Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, injuſtè cognoſcuntur eſſe ſublata, eidem Cœnobio in perpetuum reddidimus. Villas verò Sadrageſilli Ducis Aquitanorum à quibuſdam nequam hominibus interfecti, cujus mortem ejus filii in Palatio educati noluerunt vindicare, cùm facillimè poſſent vindictam perficere, quapropter Dagobertus Invictiſſimus Rex propter ignaviam eorum, ſecundùm Legem Romanam, filiis paternas poſſeſſiones abſtulit, & Sanctis Martyribus devotè diſtribuit, id eſt, Novientum in pago Lemovicenſi, Parſiacum, ſeu Nullyacum, & Pondentiniacum, ac Paſcellarias, & Anglarias in pago Pictavenſi, aliáſque quamplures, cum ſalinis ſupra mare, quarum nomina hîc recenſere longum duximus, libentiſſimè tradidit, eaſdem autem villas infra unius Præcepti concluſionem nominatim inſerens, proprii nominis ſubſcriptione & ſigilli ſui impreſſione firmavit, quarum nomina ſi aliquis diligentiùs perquirere voluerit, ipſam Præceptionis Chartam in Archivis ipſius Eccleſiæ perquirat, &, ut reor, quadraginta & ſex villarum nomina ibi ſcripta inveniet. Quorum ſupradictorum Comitum petitioni libentiſſimè præbens aſſenſum, Domno Leone Papâ reſidente Sueſſionis in generali Synodo, præcepi adeſſe Reverentiſſimum Abbatem Sancti Dionyſii, nomine Fulradum, unà cum Monachis ſibi commiſſis, & Privilegiis Domni Romani Pontificis & Regum prædeceſſorum meorum, vel*

[a] Lib. 3. c. 6. PSEUDO-DIPLOMA PRO MON. S. DIONYSII REFELLITUR.

* S. Denys en Vaux, hodie Prioratus Abbatiæ S. Dionyſii.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

reliquis inſtrumentis Chartarum, convocánſque in Palatio ante ipſius Domni Leonis Papæ præſentiam & noſtram, & ante filium meum Ludovicum, Archiepiſcopos, Epiſc. Abbates, Duces, Comites, & Proceres noſtros, de ſupradictis rebus rationem habuimus cum iniquis hominibus, qui ipſas res malo ordine videbantur poſſidere. Præcepimus itaque præfatum Fulradum legere Chartas Monaſterii ſui, & ubicumque jus Sancti Dionyſii invenimus, ſicut ipſe Domnus Papa, & Comites, ſeu Proceres noſtri Palatii, vel reliqui Legis Doctores judicáverunt, in ſtipendiis fratrum ejuſdem loci, ſuſceptione pauperum & peregrinorum, ipſas omnes res, quas ſuprà memoravimus, ex integro reſtauravimus. Ut autem reſtauratio noſtra certior & firmior eſſet, rogavimus Domnum Papam, ut quod nos reddideramus ipſe concederet & ſuâ auctoritate auctorizaret, quod & fecit. Quòd verò juſſeramus Chartam fieri, & noſtro ſigillo ſigillari, rogatu, juſſu, & conceſſu ipſius Domni Leonis Papæ, fecimus. Si quis autem hoc Decretum Domni Leonis Romani Pontificis, & Præceptionem Regum prædeceſſorum noſtrorum, atque noſtram infringere præſumpſerit, cum omni domo ſua; ſi antea liber erat, de cetero ſervus perpetualiter habeatur, & lege mancipiorum Eccleſiaſticorum conſtringatur, Eccleſiâ in perpetuum poſſidente. Hoc ſanxerunt omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Sancti Sacerdotes, unáque Abbates, & docti Monachi, quibus prærogativa in utroque ſcientiæ facundiæque erat. Quorum nomina hæc ſunt. Signum Domni Leonis Papæ, ſignum Caroli Sereniſſimi Auguſti ac Inclyti Francorum Regis, ſignum Turpini Rhemenſis Archiepiſcopi, ſignum Gosberti Bituricenſis Archipræſulis, ſignum Severini Pictavenſis Epiſcopi, ſignum Stephani Lemovicenſis Epiſcopi, ſignum Joannis Lugdunenſis Archiepiſcopi, ſignum Ainberti Senonenſis Archiepiſcopi, ſignum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi, ſignum Urſi Ravennæ Archipræſulis, ſignum Achillæ Alexandriæ Antiſtitis, ſignum Theophili Antiocheni Pontificis, ſignum Petri Mediolanenſis Antiſtitis, ſignum Nicolai Viennenſis Archipræſulis, ſignum Neſcii Toloſani Archipræſulis, ſignum Philippi Coloniæ Archiepiſcopi, ſignum Pontiani Arelatenſis Archipræſulis, ſignum Sergii Maguntini Archiepiſcopi, ſignum Raimbaldi Maxilienſis Archipræſulis, ſignum Geroini Papiæ Epiſcopi, ſignum Antonini Placentini Epiſcopi, ſignum Macharii Podienſis Epiſcopi, ſignum Fulradi Abbatis ter beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ, ſignum Floriani Abbatis Montis Caſſini. Hoc actum eſt apud urbem Sueſſion. II. Kalend. Sept. Indictione quintâ, anno Pontificatûs Domni Leonis Papæ III. 16. Imperii verò Domni Caroli Sereniſſimi Auguſti 11. Regníque Francorum 44.

XVIII. In dubium minimè vocamus, quin hoc Diploma commentitium ex ipſa lectione ſatis innoteſcat. Tomo tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quartum[a] inter commenta rejecimus narrationem, quæ de nece boniſque Sadregiſeli ſeu Sadrageſilli Ducis circumferi ſolet. Examinavimus & Diplomatis ſuprà recitati Characteres Chronologicos, qui non benè conveniunt inter ſe, pars enim anno Redemptoris octingenteſimo undecimo, altera pars anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo illigatur. Obſervavimus etiam Leonem Papam illis annis à civitate Sueſſionenſi procul abfuiſſe. Rejecimus autem in alium locum examen ſubſcriptionum, quod maximè neceſſarium ſemper arbitrati ſumus, quia cavendum magnoperè, ne ſuppoſititii Pontifices, quorum nomina in prædicta Charta, necnon in Aquiſgranenſi[b] memorantur, tranſeant in Catalogos ſingularum Eccleſiarum, quibus dicuntur præfuiſſe. Noſtrarum igitur partium eſt illud jam præſtare, res enim narramus eo geſtas anno, quo Leo Papa cum Carolo Imperatore Sueſſionem adiit.

[a] Num. 5.

[b] Vid. an. 800. n. 30.

XIX. Primo loco ponitur *ſignum Domni Leonis Papæ.* Leo Sueſſionem hoc anno venit paulò ante Natalem Domini. Ergo nec *11 Kalend. Sept.* nec *Indictione quintâ.* Adde, nec *anno Pontificatûs 16*, per menſem enim Auguſtum cum anno Redemptoris octingenteſimo undecimo coincidit, & anni Romanorum Pontificum in publicis inſtrumentis apponi nondum conſueverant.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

Secundo loco ponitur *ſignum Caroli Sereniſſimi Auguſti ac Inclyti Francorum Regis*. Carolus Remis Sueſſionem hoc anno cum Leone Papa profectus eſt, ſed nec *11 Kalendas Sept.* nec *Indictione quintâ*; item, nec *anno Imperii 11* quocum annus Redemptoris octingenteſimus undecimus componitur, nec *anno Regni Francorum 44* quocum annus Redemptoris octingenteſimus duodecimus comparatur. Probare quoque non poſſumus, quòd filium ſuum Ludovicum in illo Diplomate Pium cognominet, *conſilio*, inquit, *& voluntate filii mei Ludovici Pii, jam in Regem deſtinati.*

XX. Tertio loco ponitur *ſignum Turpini Rhemenſis Archiepiſcopi*. Sed hic Turpinus ſeu Tilpinus Remenſis Archiepiſcopus obiit anno Redemptoris octingenteſimo, id eſt, quadriennio priuſquàm Leo Papa Sueſſionem ſe conferret.

XXI.

XXII. Quarto loco ponitur *ſignum Gosberti Bituricenſis Archipræſulis*. At toto tempore, quo Leo Pontificatum geſſit, in Bituricenſi Cathedra non ſedit Archiepiſcopus, cui nomen eſſet Goſbertus.

XXIII. Quinto loco ponitur *ſignum Severini Pictavenſis Epiſcopi*. Nullus quoque per illam ætatem Severinus in Catalogo Pictavienſium Epiſcoporum reperitur, ut apertè conſtat ex iis, quæ alia occaſione probata ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [a]. [a] Num. 220.

XXIV. Sexto loco ponitur *ſignum Stephani Lemovicenſis Epiſcopi*. Lemovicenſis autem Epiſcopus tunc erat Remigibertus, de quo ſermonem jam fecimus, rurſumque ſub Ludovico Pio Auguſto facturi ſumus.

XXV. Septimo loco ponitur *ſignum Joannis Lugdunenſis Archiepiſcopi*. Lugdunenſem autem Eccleſiam regebat Leidradus Archiepiſcopus, de quo ſæpè jam locuti ſumus loquemúrque.

XXVI. Octavo loco ponitur *ſignum Ainberti Senonenſis Archiepiſcopi*. Sed Magno ſeu Magnus Archiepiſcoparum Senonenſem obtinebat ab anno Redemptoris octingenteſimo primo, ſucceſſerátque Raimberto, quem Chartæ San-Dionyſianæ concinnator in Ainbertum fortè deflectere voluit.

XXVII. Nono loco ponitur *ſignum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi*. Joſephus autem Turonenſis Archiepiſcopus Alcuinum Abbatem die Pentecoſtes decimo-quarto Kalendas Junias hoc anno mortuum ſepelivit, nec toto tempore quo Carolus vixit, extitit Archiepiſcopus Turonenſis, qui vocaretur Arnulphus.

XXVIII. Decimo loco ponitur *ſignum Urſi Ravennæ Archipræſulis*. Hoc ſignum Ravennatibus examinandum relinquimus, extra ditiones enim Francicas erat Ravenna.

XXIX. Undecimo loco ponitur *ſignum Achillæ Alexandriæ Antiſtitis*. Nec hoc examinamus ſignum, procul enim à Francia diſtabat Alexandria civitas Patriarchali Sede nobilis.

XXX. Duodecimo loco ponitur *ſignum Theophili Antiocheni Pontificis*. Examen etiam omittimus hujus ſigni, quia procul à Franciæ finibus aberat Antiochia Patriarchali quoque Titulo conſpicua.

XXXI. Decimo-tertio loco ponitur *ſignum Petri Mediolanenſis Antiſtitis*. Petrus Mediolanenſis Archiepiſcopus, ut ſub finem Tomi ſuperioris obſervavimus, obiit hoc anno, ſeptimo Idus Maii. Seriùs autem Leo Papa Sueſſionem hoc eodem anno cum Imperatore venit, & ipſa Charta, quam refutamus, data dicitur *11 Kalend. Sept.*

XXXII. Decimo-quarto loco ponitur *ſignum Nicolai Viennenſis Archipræſulis*. At Volferius Archiepiſcoparum Viennenſem ab anno Redemptoris octingenteſimo primo ad octingenteſimum duodecimum geſſit annis undecim.

XXXIII. Decimo-quinto loco ponitur *ſignum Neſcii Toloſani Archipræſulis*. Catellus in Hiſtoria Occitaniæ [b] poſt Arruſonem ſive Arrichonem Toloſanum Epiſcopum, qui ſuâ ſubſcriptione Narbonenſe Concilium anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo communivit, recenſet Firminum, Neſcium [b] Lib. 5.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

seu Nascium, & Mantionem, qui sub Ludovico Pio Augusto floruit. Episcopatum Firmini colligit ex Anianensi Diplomate, Nescii verò seu Nascii Pontificatum eruit ex Charta Dionysiana quam examinamus, & ex duabus aliis ejusdem Tabularii nec melioris notæ. Multùm se torquet in exploranda ratione, cur Nescius *Archipræsul*, id est, Archiepiscopus, eo vocatus sit tempore, quo Tolosana civitas Archiepiscopali Dignitate nondum decorabatur. Dubius hæret, utrùm amanuensem totius erroris reum constituat, an admittat Nescium alicujus Metropoleos Archiepiscopum priùs extitisse. Prædicta Diplomata, San-Dionysianum & Anianense, nec ullam habent auctoritatem, nec in Episcoporum Tolosanorum Catalogo Firminum Nescio præponendum suadent. Qui Dedicationem Anianensis Altaris per Leonem Papam coram Carolo Augusto factam contendunt, necesse est ipsum Leonem fateantur priùs in Suessionensem civitatem quàm in Cœnobium Anianum venisse. Duæ res inde colliguntur absque controversia. Diploma San-Dionysianum Anianensi vetustius est. Nescius, qui Diplomati San-Dionysiano Suessione subscribit, in Episcopatu præcedit Firminum, qui Dedicationi pòst interest Anianensi. Refragantur huic observationi Characteres Chronologici, qui Chartæ San-Dionysianæ subjiciuntur, tempus enim Anianensi Dedicatione recentius notant. At illigari non possunt anno, quo Suessionem, ubi datum asseritur Diploma, profectus est Leo Papa. Nullâ igitur prædictarum Chartarum habitâ ratione, expunctisque Firmino ac Nescio Mantionem proximum Arrusonis sive Arrichonis successorem agnoscimus. Arricho, qui Narbonense Concilium cum aliis Præsulibus anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebravit, multis annis superstes esse potuit, nihilque vetat, quominùs Mantio Pontificatum partim sub Carolo partim sub Ludovico gesserit.

XXXIV. Decimo-sexto loco ponitur *signum Philippi Coloniæ Archiepiscopi.* Colonensis autem Archiepiscopus tunc erat Hildebaldus, qui Pontificatum iniit anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, vixitque Carolo Magno superstes.

XXXV. Decimo-septimo loco ponitur *signum Pontiani Arelatensis Archiepiscopi.* Nec Pontiano locus inter Arelatenses Archiepiscopos tribuendus. Post Elefantum enim, qui Narbonensi Concilio cum aliis Præsulibus anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo interfuit, in Arelatensi Cathedra sedit Lupus, tum Joannes qui Testamento Caroli subscripsit anno Redemptoris octingentesimo undecimo.

XXXVI. Decimo-octavo loco ponitur *signum Sergii Maguntini Archiepiscopi.* Tunc autem Maguntinus seu Moguntiacensis Archiepiscopus erat, qui Pontificatum ab anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo ad octingentesimum decimum-quartum gessit Riculfus.

XXXVII. Decimo-nono loco ponitur *signum Raimbaldi Maxilienſis Archipræſulis.* Antistites Maxilienses seu Massilienses seculis quarto & quinto, cùm Massilia Francis nondum parebat, jus sibi Metropoliticum aut arrogarunt aut arrogare conati sunt, ut de Proculo & Græco liquet. At anno Redemptoris octingentesimo quarto, cùm Leo Papa Suessionem venit, Massiliensis Episcopus Arelatensi suberat Metropolitæ, cui nunc etiam subjicitur. Deinde Raimbaldus Episcoporum Massilienſium Catalogo perperam intruditur, eodem enim anno, quo Leonis adventus in Belgium consignatur, duodecimo Kalendas Novembris in cælum migravit Sanctus Maurontus Massiliensis Episcopus, eique successit in Episcopatum Honoratus, ut ad hunc eundem annum mox probaturi sumus.

XXXVIII. Vicesimo loco ponitur *signum Geroini Papiæ Episcopi.* Papiensis autem Episcopus tunc erat Joannes, qui Præsulatum Ticinensem seu Papiensem ab anno Redemptoris octingentesimo primo ad octingentesimum decimum-tertium tenuit.

Digitized by Google

Viceſimo-primo loco ponitur *ſignum Antonini Placentini Epiſcopi.* Sed Julianus Epiſcopus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo ad octingenteſimum nonum Placentinam Diœceſim rexit. AN. CH. 804.

Viceſimo-ſecundo loco ponitur *ſignum Macharii Podienſis Epiſcopi.* Macarius in Epiſcoporum Anicienſium ſeu Podienſium Catalogo reperitur, at longè antequàm Anicium in Francorum poteſtatem deveniret; ætate verò Caroli Baſilius & Roricius ſoli recenſentur. XXXIX. XL.

Viceſimo-tertio loco ponitur *ſignum Fulradi Abbatis ter beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ.* Fulradus autem San-Dionyſianus Abbas ex hac vita diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto. Succeſſit in adminiſtrationem Maginarius, tum Fardulfus, qui Præfecturam ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio ad octingenteſimum ſextum geſſit. XLI.

Ultimo loco ponitur *ſignum Floriani Abbatis Montis Caſſini:* Tunc autem Caſinenſis Abbas erat Giſulfus, qui munus Abbatiale ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto, vitámque ad tempora uſque Ludovici Pii Auguſti produxit. XLII.

Commentitiarum ſubſcriptionum numerus adeò copioſus non præcitatæ tantùm Chartæ fidem prorſus adimit, ſed etiam oſtendit ceteras cautè legendas eſſe, quas Dubletus in Antiquitatibus San-Dionyſianis publicavit, nec erudito Lectori mirum videri, quòd pleraſque jam repudiaverimus. XLIII.

A Charta San-Dionyſiana tranſeamus ad Gellonenſem, quæ nævum etiam in Characteribus Chronologicis habet. Guillelmus Catellus in Toloſanorum Comitum [a] Hiſtoria viſam à ſe teſtatur Chartam, quâ Willelmus Comes hoc anno Gellonenſe Monaſterium in Diœceſi Lutevenſi fundavit. Illam tribus aſſerit munitam Characteribus, die videlicet 14 Decembris, anno 24 Regni Caroli, & anno Imperii 4. Sed hi Characteres ſimul non conveniunt, annus enim quartus Imperii Carolini cum anno Regni viceſimo-quarto comparari nullomodo poteſt. Agnorunt difficultatem Sammarthani, prætermiſsóque anno Caroli Regis viceſimo-quarto, annum quartum ejuſdem Auguſti cum anno Redemptoris octingenteſimo quarto rectè compoſuerunt; at tertiam adjecerunt Indictionem, quæ minimè congruit. Ut apud Catellum anni 24 loco annum 34, ſic apud Sammarthanos Indictionis 3 loco Indictionem 13 repone. Gellonenſis igitur Monaſterii fundatio Chartâ nititur datâ die 14 Decembris, anno Regni Carolini 34, Imperii 4, Indictione 13, id eſt, die decimo-quarto Decembris, anno Redemptoris octingenteſimo quarto. Super anno quarto Caroli Auguſti & Indictione decima-tertia jam inchoata nulla prorſus difficultas. Annus quoque Caroli Regis triceſimus-quartus iſque inchoatus optimè ſtatuitur, quia Carolus in Gothia ſeu Septimania, ubi Cœnobium Gellonenſe, poſt Carolomannum fratrem pridie Nonas Decembris anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo regnare cœpit. XLIV.

[a] Lib. 1. c. 6.

PRIMORDIA MONASTERII GELLONENSIS.

In eadem Charta Willelmus Comes parentes ſuos nominat, Theodoricum, & Aldanam; fratres, Theodoinum, & Adaleſmum; ſorores, Aldanam, & Bertrandam; liberos, Bernardum, Guitcarium, Gotſelinum, & Herimbruam; uxores, Gunegundem, & Guitburgem ſeu Vintburgem. Et ut Monaſterium, quod erigit, neceſſariis ditet reditibus, ſuas ei poſſeſſiones ad Araurarim * ſive Araurarium amnem & in Diœceſibus Lutevenſi atque Albigenſi concedit. XLV.

* *L'Erant.*

Joannes Plantavitius Lodovenſis Epiſcopus Nebridium per illa tempora Lutevenſem Epiſcopum agnoſcit, & illius encomium in Chronologia Præſulum Lodovenſium ſic auſpicatur. *Nebridius ſequitur in Nomenclatura Guidonis, & memoratur in pervetuſta Scheda Fundationis Monaſterii Sancti Salvatoris in Valle Gelonis Ordinis Benedictini, vulgò Sancti Guillelmi de Deſertis nuncupati.* Potioris auctoritatis hæc eſt Scheda quàm Anianenſis Charta, quæ Raimundum tunc Lutevenſem Epiſcopum obtrudit. XLVI.

SUB NEBRIDIO EP. LUTEVENSI.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16. XLVII.

Ardo Sancti Benedicti Anianensis Abbatis discipulus in ejusdem Benedicti vita Guillelmum Comitem multùm laudat, & Monasterii Gellonensis ab eo conditi situm sic describit. *Vallis à Beati viri Benedicti Monasterio* Anianensi *fermè quatuor distat millibus, cui nomen est Gellonis, in qua construere præfatus Comes* Guillelmus *in dignitate adhuc seculi positus Cellam jusserat. Qui locus ita secretus est, ut solitudinem non desideret habitator; cingitur denique nubiferis undique montibus, neque cuiquam illic accessus est, nisi quem ultroneus orandi causâ deduxerit animus. Tantâ verò amœnitate est perfusus, ut, si Deo servire decreverit, alia non desideret loca, siquidem adsunt vineæ, quas præfatus vir plantare præcepit, hortorum quoque copia variis stipata diversarum generibus arborum, possessiones acquisivit plurimas. Petenti siquidem eo Serenissimus Rex Ludovicus spatioso hoc dilatavit termino, de fiscis suis ad laborandum concedens loca.* Idem Auctor Monachos, qui Gellonense Monasterium inhabitarent, ex Anianensi Cœnobio vocatos observat. *In Cellam*, inquit, *præfatam*, nempe Gellonensem, *venerabilis Pater Benedictus suos jam posuerat Monachos.* Ordericus Ardonem legit, & libro sexto [a] Historiæ Ecclesiasticæ vitam Guillelmi Comitis inseruit, déque primordiis Monasterii Gellonensis ita scripsit. *Guillelmus in territorio Lutevensi, in Valle Gellonis inter innumeros scopulos in honorem Salvatoris & XII Apostolorum Monasterium construxit, Monachósque Religiosos cum Abbate ibidem constituit, & omnia eis necessaria largiter præparavit, & ipsorum Chartas suo & Regalibus testamentis confirmavit. Duæ verò sorores ejus Albana & Bertana* seu Bertranda *factæ sunt ibi Sanctimoniales, & in Dei cultu benè perseverarunt.* Quæ de Willelmi sororibus hîc ab Orderico scribuntur, non videntur certa. Quod ad Abbatem attinet, Benedictus Anianensis Abbas, qui rogatus à Willelmo Monachos ex Anianensi Cœnobio in Gellonense direxit, illuc quoque direxit Rectorem sive Abbatem qui Monachis præesset. Id in suis literis docent ejus discipuli, Indenses Monachi. *Hic est*, inquiunt, *Benedictus, per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam Sancti Benedicti restauravit: hic habuit sub regimine suo Monasteria duodecim; id est, Anianam, Gellonem*, &c. *In his omnibus ex doctrina sua Monachos & Rectores misit.* Rectores enim interpretamur Abbates, quos singulis Monasteriis præposuit. Ea de re fusiùs agemus post triennium, cùm Leidradi Metropolitæ Lugdunensis Epistolam ad Carolum Imperatorem directam exponemus.

[a] Ad an. 1066.

XLVIII. JOANNES EP. PISANUS.

In Pisanorum Episcoporum Catalogo apud Ughellum [b] Joannes ejus nominis Secundus floret *ab anno 804 usque ad annum 820.*

[b] Tom. 3. Ital. Sacr.

XLIX. PRÆCEPTUM PRO MON. S. MARIÆ DE ORGANO.

Hoc eodem anno, *imperante Domino Carolo, Magno, Imperatore, an. 4. mense Novembris, Indictione 3.* idem Augustus Guadelberto, Abbati Sanctæ Mariæ de Organo in suburbio Veronensi, jus liberè navigandi absque ulla teloniorum solutione sic concessit [c]. *Si erga venerabilium commoditatem locorum, justâ provisione, curam impendimus, de cælestibus superni suffragii ventura subsidia procul dubio speramus. Idcircò universorum Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorúmque, præsentium scilicet ac futurorum, animadvertat solertia, qualiter obsecrationis Guadelberti venerabilis Cœnobii beatæ illuminationis mundi semper Virginis Mariæ, quod situm est in suburbio Veronensi, loco qui dicitur Organo, præclara serenitate faventes, concedimus eidem reverendo Cœnobio, ut per omnia loca sub nostri regimine Imperii constituta naves & plaustra ejusdem Monasterii liberè & absolutè absque ullius refragatione vel contradictione incedant. Ita ut neque navalia telonia, quæ ripaticos vocant, atque terrestria, neque in transitibus portarum, vel pontis urbis Veronæ, vel cujuslibet alterius civitatis aut oppidi, aliquid dare seu persolvere cogantur. Alius autem nullus omnino Episcopus, Comes, vel Gualdaldius, aut Actionarius, sed nec qualibet Ecclesiastici Ordinis seu publicæ administrationis persona ab hominibus ejusdem sacrosancti Cœnobii exigere præsumat. Addimus etiam & pro stabilimento Imperii, atque remedio animæ nostræ sancimus, ut ubicumque ad præfatum aliquid pertinet Monasterium, sive*

[c] Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Veron. 44.

Digitized by Google

in montibus, ſeu in planicièbus, ſecundùm legum promulgationes Romanarum, ſi qualibet inde particula diminuta fuerit, requiratur, ita ut per circummanentes boni teſtimonii bonæque famæ homines inquiſitio de rebus ejuſdem fiat Cœnobii, ſícque ad jus & Dominium atque poſſeſſionem perpetuam ipſius Monaſterii devolvatur. Permutationes verò immobilium rerum ejuſdem Monaſterii, quæ factæ ſunt tam cum prædiis poteſtatis noſtræ, quàm cum aliis hominibus, ita firmas & ſtabiles perenniter fore decernimus, ac ſi ab initio conſtitutionis ejus, ipſæ res eidem collatæ fuiſſent Cœnobio. Si quis igitur temerarius aliquid contra hujus noſtræ ſanctionis pragmaticum machinari vel peragere præſumpſerit, ſciat ſe XXX *librarum communitatis noſtræ pœnam perſoluturum, mediętatem parti Palatii noſtri, & mediętatem ſæpedicto ſancto Cœnobio, &, ut certius credatur, ſeu ab omnibus inviolabiliter obſervetur, annulo noſtro ſubter ſigillavimus.* AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

In Annalibus Fuldenſibus hoc eodem anno *Rihboto Archiepiſcopus Trevirenſis moritur.* Hic Rihboto, qui Rigboto quoque necnon Rigbodo Richpoto Ricbodus Richboldus & Richbodus appellatur, Weomado in Archiepiſcopatum Trevirenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto ſucceſſerat. Ei ſubrogatus eſt Wazzo ſeu Wizo vel Waſo ſive Watzo. De utroque ſic Joannes Scheckmannus [a]. *Defuncto illo*, nempe Weomado, *Richboldus ordinatur Epiſcopus, deinde Wazzo, qui ambo Abbates extiterunt Mediolacenſes.* Plura non habet Wilhelmus Kyriander [b]. *Succeſſores ejus*, id eſt, Weomadi, *Richboldus, ſeu Richbodus, Wazzo, uterque priùs Abbas Mediolacenſis.* Id jam obſervavimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſextum [c], quo Richboldus ex Abbate Mediolacenſi factus eſt Trevirenſis Archiepiſcopus, & Wazzo munus Abbatis à Richboldo dimiſſum ſuſcepit. Ad illum quoque annum varios Auctores, qui Richboldi mortem anno Chriſti vel ſeptingenteſimo octogeſimo-ſecundo, vel ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto, vel ſeptingenteſimo nonageſimo-primo conſignant, ex eo refutavimus, quòd Alcuinus in Franciam poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum venit, literáſque Richboldo Trevirenſi Metropolitæ ſerius inſcripſit. Apud Browerum [d] hæc occurrit Alcuinianarum literarum epigraphe, *ad Pontificem Richodum Trevirenſis civitatis.* Apud Alcuinum Carolus Rex & Optimates non pauci tralatitiis nominibus deſignantur. David Carolum ſignificat, Hometus Angilbertum, Damœtus Riculfum Moguntiacenſem Archiepiſcopum, Macharius Richboldum Trevirenſem Metropolitam, & ſic de ceteris. In editione Ducheſniana duæ leguntur ejuſdem Alcuini ad Macharium, id eſt, ad Richboldum Trevirenſem Archiepiſcopum epiſtolæ, triceſima-quarta videlicet & quadrageſima, quæ diverſis temporibus ſcriptæ videntur; una, cùm Richboldus annos in Pontificatu paucos egiſſet, & Alcuinus adhuc in Anglia moraretur; altera poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-tertium, quo prædictus Alcuinus ex Anglia in Franciam ad Carolum Regem navigavit. Hæc obſervatio fuſiùs exponenda, multùm enim conducit, ut Richboldi mortem poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum rejicias, & Auctoribus, qui ſecus ſcripſerunt, Annaliſtam Fuldenſem anteponas.

L. RICHBOLDUS ARCHIEP. TREVIRENSIS OBIT.

[a] Lib. 3. c. 8.

[b] Part. 9.

[c] Num. 34.

[d] Lib. 7. n. 126.

Alcuini epiſtola triceſima-quarta hanc habet inſcriptionem. *Pio Patri & amico cariſſimo Macharío Monacho & Pontifici, Flaccus Albinus in caritate Chriſti ſalutem.* In hiſce literis Alcuinus de Richboldo ſuo quondam diſcipulo graviſſimè queritur, quòd hic integro totius anni ſpatio Magiſtrum ſuum nec literarum conſolatione nec ſalutationis officio recrearit. Iſtius contemptionis tres affert cauſas; exaltationem ſeculi, quâ Richboldus delectatur; peregrinationem ſuam, ob quam deſpicitur à Richboldo; & amorem Maronis quo nimiùm afficitur Richboldus. *Penè mihi*, inquit, *melius eſſet, te pauperem habere præſentem, quàm divitem abſentem. Quid mihi divitiæ, ſi non habeo quem amo, ſi non conſidero quem deſidero? Tua potentia mihi eſt miſeria. Ubi eſt dulciſſimum inter nos colloquium? Ubi ſacrarum literarum ſtudium deſi-*

LI. ALCUINI AD EUM LITERÆ.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

derabile? Ubi læta facies, quam conſpicere ſolebam? Ubi communio caritatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Ubi ſaltim memoria nominis noſtri? Ecce totus præterit annus, quo nec literarum conſolatio oculis advenit, nec ſalutationis officium auribus inſonuit. Quid peccavit Pater, ut à filio oblivisceretur? quid Magiſter, ut diſcipulus neglexerit? Fortè exaltatio ſeculi dedignata eſt nomen Magiſtri in illo, aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O ſi mihi nomen eſſet Virgilius! Tunc ſemper ante oculos luderem tuos, & mea dicta totâ pertractares intentione, & juxta proverbium illius eſſem apud te.

Tunc felix nimiùm' quo non felicior ullus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, quia non ſum quem diligis? an tuam laudo ſapientiam, quia diligis illum qui non eſt? Flaccus receſſit, Virgilius acceſſit, & in locum Magiſtri nidificat Maro. Hoc dolens dictavi, vel propter oblivionem mei, vel propter abſentiam tui: paululum ferociori pumice chartam terens, ut vel iratus aliquid reſcriberes, quia bos læſus fortiùs figit ungulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere, ut intelligam ſtudium, in quo otium iſtius anni exercuiſti. Et quo theſauro cor implèris tuum, pande nobis, ut tecum gaudeamus in bono tuo. Utinam Evangelia quatuor, non Æneides duodecim pectus compleant tuum, & te avehat quadriga ad cæleſtis Regni Palatium, ubi eſt honor indeficiens & Regnum ſempiternum, ubi pro me intercedere, credo, memor eris; quia, ut illuc venires, exhortari gaudebam. Ut Liudgerus aliique nonnulli, de quibus ſuprà, ſic & Richboldus Alcuini diſcipulus in Anglia fuit. Alcuinus Magiſterium ſuum apertè prædicat, ubi ſe Patrem, Richboldum filium; Magiſtrum ſe, Richboldum diſcipulum dicit. *Quid peccavit Pater, ut à filio oblivisceretur? quid Magiſter, ut diſcipulus neglexerit cum?* Richboldus ex Abbate Mediolacenſi factus eſt Archiepiſcopus Trevirenſis anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Quot annis munus Abbatiale geſſerit, manet incompertum. Suſpicamur annos admodum paucos hoc functum officio, nec diu potitum putamus Archiepiſcopatu, priuſquàm ab Alcuino literas ſuprà laudatas acceperit. Hæc inſinuat Alcuinus, ubi de ſacrarum literarum ſtudiis, quibus erudiit Richboldum, tanquam de nupero exercitio loquitur, dolétque ſe deſpectum à diſcipulo propter exaltationem ſeculi quæ *dedignata eſt nomen Magiſtri in illo*, quaſi dicat ſe veniſſe in contemptum apud Richboldum, qui promotus ad Archiepiſcopatum in Magiſtro ſuo dedignari cœpit nomen Magiſtri, quod anteà Monachus & Abbas in illo tantoperè prædicarat, ideóque rectè Alcuinus ad ipſum Richboldum loco jam citato, *tua*, inquit, *potentia mihi eſt miſeria*, ſuáſque non tantùm *pio Patri & amico cariſſimo*, ſed etiam *Monacho & Pontifici* literas inſcribit. Deinde idem Alcuinus hac phraſi, *peregrinatio mea viluit in oculis tuis*, exaratas à ſe literas teſtatur, cùm Angliam nondum deſeruiſſet, & peregrinus haberetur à Richboldo.

LII. Longè aliter cenſendum de epiſtola quadrageſima, cujus hæc eſt inſcriptio. *Dilecto Patri Macharío humilis Levita Albinus ſalutem.* Scripſit has literas Alcuinus, cùm relictâ patriâ in Francia jam morabatur. *Fateor*, inquit, *meæ mentis dilectio tui tædet abſentiam.* Et inferiùs. *Multa tecum habuiſſem conferre, ſi tuæ conloquutionis familiaritate uti valuiſſem. Veniet tempus, dum vult ille, qui diſponit omnia tempora.* Auctor harum literarum non degebat in Anglia, quænam enim tunc ei ratio fuiſſet, ut vel colloquium ſperaret cum Archiepiſcopo Trevirenſi, vel doleret ſe familiaritate talis conloquutionis uti non potuiſſe? Richboldus Archiepiſcopatum annis jam ſeptemdecim tenuerat, cùm Alcuinus in Francia commorari cœpit. Ablinc uterque vixit annos duntaxat undecim; uterque enim obiit hoc anno, Alcuinus decimoquarto Kalendas Junii, Richboldus Kalendis Octobris. Hic, etſi ſub initium ſui Pontificatûs ab Alcuino reprehenſus inveniatur, quòd Virgilii lectione nimiùm delectaretur, officio ſuo non defuit, à Cratepolio *vir religioſus*

gioſus cùm in ſe tum in alios prædicatur. Aquiſgranum, ubi Carolus hyemare non procul ab Archiepiſcopatu Trevirenſi conſueverat, nonnumquam ſe contulit. Idem præſtitit & Alcuinus, poſtquàm relicto Palatio Turonos ad Monaſterium Sancti Martini ſeceſſit. Factum igitur putamus, ut Alcuinus aliquando Regium Comitatum adierit, ibique ſperarit ſe collocuturum cum Richboldo, nec voti compos factus ſit propter ipſius Archiepiſcopi Trevirenſis abſentiam, unde nata mox occaſio ſcribendi literas, quarum fragmenta proximè ſic allegavimus. *Mea mentis dilectio tui tædet abſentiam.* Item. *Multa tecum habuiſſem conferre, ſi tuæ conloquutionis familiaritate uti valuiſſem.* Atque ex hac ratiocinatione colligimus haſce literas Richboldo poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-tertium ſuperſtiti directas eſſe, Scriptoribúſque ſuprà nominatis, qui mortem iſtius Archiepiſcopi variis annis conſignarunt, anteponendum Annaliſtam Fuldenſem, qui Richbotonem ſeu Richboldum anno Redemptoris octingenteſimo quarto mortuum teſtatur.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. R. R. 24. CAROLI R. 16.

LIII.

In eadem quoque ſententia præter Annaliſtam Fuldenſem alii ſunt Auctores. Apud Annaliſtam Loiſelianum ex Codice Petaviano in editione Ducheſniana non annus tantùm, ſed etiam dies quo Rigbodo ſeu Richboldus vitam clauſit, ad hunc annum ſic annotatur. *Rigbodo Treverum Epiſcopus obiit Kal. Octobris.* De anno quoque convenit Hermannus Caniſianus, ſic. *804. Richpoto Treverenſis Archiepiſcopus obiit.* Ex recentioribus adde Sammarthanos [a], qui citant Annaliſtam Fuldenſem, ſecuti tamen potiùs videntur Loiſelianum editionis Ducheſnianæ, nam præter annum 804 notant Kalendas Octobris. Sedente Treviris Richbodone Tabuleïum Monaſterium in Diœceſi Trevirenſi rexerunt Fidenardus & Anno, quos Bruſchius inter Abbates illius loci commendat.

[a] Tom. 1. Gall. Chriſt. in Archiep. Trevir. 60.

ABBATES TABULEÏENS.

LIV.

Richboldo ſucceſſit in Archiepiſcopatum Trevirenſem Wazzo Mediolacenſis Abbas. Huic Hettius in munus Abbatiale ſucceſſit. Bucelinus [b] Aſceterium Mediolacenſe meritò vocat *promptuarium magnorum luminarium, virorum cùm ſanctitate tum eruditione conſpicuorum*, obſervátque non paucos ex iis ad Infulas Trevirenſes aſſumptos eſſe. Sibi verò non conſtat, cùm addit hoc Monaſterium *ceu jure quodam* à ceteris Trevirenſibus Archiepiſcopis occupatum, *donec à Rathbodone libertas Monachis è ſuo gremio eligendi Abbatem reſtitueretur, & Epiſcopalis aula ad urbem transferretur.* Bertholdum enim, quem ipſius Rathbodonis deceſſorem agnoſcit, alibi fatetur Archiepiſcopum ex Abbate Mediolacenſi factum fuiſſe. Qua de re fuſiùs agemus ſuo loco. Ceterùm quandiu Trevirenſes Infulæ penes Richboldum & Wazzonem Archiepiſcopos fuerunt, Horreenſe Monaſterium hæ rexerunt Abbatiſſæ, Severa, Deda, & Ida, quas Bruſchius in Horreenſium Abbatiſſarum Catalogo proximè ſubjungit Rothildi, de qua locuti ſumus Tomo quinto.

WAZZO FIT ARCHIEP. TREVIRENSIS.

[b] Pp. 1. & 2. Germ. Sacr. in Archiep. Trevir. & Abb. Mediolac.

HETTIUS ABB. MEDIOLAC.

HORREENSES ABBATISSÆ.

Bovo ſeu Bono Catalaunenſis Epiſcopus, cùm Eccleſiæ ſuæ præfuiſſet annis viginti, vitam hoc anno terminavit, ſi Chronologiam & Indicem Catalaunenſium Epiſcoporum ſuprà [c] benè texuimus. Bovonis loco ſubrogatus eſt Hildegrimus, Liudgeri Mimigardevordenſis Epiſcopi frater natu minor.

LV.

EPISCOPI CATALAUNENSES.

[c] Ad an. 784. n. 28.

Odilardus Namnetenſis Epiſcopus hoc quoque anno diſceſſit è vivis. Succeſſit Alanus ſive Almannus. Lege Armoricam Sanctam.

LVI.

NAMNETENSES.

Apud Gueſnayum in Caſſiano illuſtrato [d], Maurontum Maſſilienſem Epiſcopum, de quo non ſemel locuti ſumus, *obiiſſe aiunt anno 804. 12 Calend. Novemb.* Idem dies notatur in Necrologio Eccleſiæ Maſſilienſis, & Sauſſaius in ſupplemento ſui Martyrologii ſic ad eundem quoque diem ſcribit. *Maſſiliæ, Sancti Mauronti Epiſcopi, cujus corpus pleriſque beatæ animæ irradiationibus illuſtratum, in Templo Cathedrali ejuſdem urbis plurima cum veneratione ſervatur.* Honoratus in Epiſcopatum ſucceſſit, ut prædictus Gueſnayus in

LVII.

[d] Lib. 2. c. 25. n. 43.

MASSILIENSES.

AN. CH. 804. Annalibus Eccleſiaſticis Maſſiliæ teſtatur, in eo tamen non parum vituperandus, quòd ſub Mauronto, ſub Honorato, ſuppoſititióque Joanne, multa ſcribit de Alcuino, de Academia Pariſienſi, de Paribus Franciæ, de conſecratione Altaris Anianenſis, quæ nec faciunt ad inſtitutum, nec rectâ nituntur Chronologiâ, nec Hiſtoricæ veritati conſentanea reperiuntur.

LVIII. ABBATES SITIVENSES. Apud Locrium Odlandus Abbas Sitivenſis hoc anno moritur, eique ſuccedit Nantharius cognomento Junior, ut diſtinguatur à Seniore, cujus obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto conſignavimus.

LIX. ALCUINI MULTORUM MONASTERIORUM ABBATIS OBITUS. Alcuinus multorum Cœnobiorum Abbas, de quo ſæpiſſimè locuti ſumus, hoc eodem obiit anno, decimo-quarto Kalendas Junii. Sic enim Auctor vitæ. *Die Penteceſtes, peracto Matutinali officio, eâdem horâ, quâ ingredi conſueverat ad Miſſas, Aurorâ parente, ſancta Albini anima carne ſolvitur, miniſterióque Levitarum cæleſtium, beatum habentium ſecum protomartyrem Stephanum & Laurentium Archidiaconum, Angelorum cum exercitu ad Chriſtum, quem amavit, quem quæſivit, perducitur, & fruitur ejus gloriâ in cælo per omnia ſecula feliciter, cui ſervivit in mundo fideliter. Deceſſit igitur dierum plenus numero,* XIIII *Kal. Junii, anno ab Incarnatione Domini* DCCCIIII. Idem Auctor multa proximè ſubjungit, quæ non videntur hoc loco prætermittenda, ſanctitatem enim Alcuini plurimùm commendant. *Eâdem nocte ſuper Eccleſiam Sancti Martini inæſtimabilis viſa eſt ſplendoris claritas, in tantùm ut putaretur à longè poſitis tota igne cremari. Quibuſdam denique per totam illam noctem ipſe ſplendor viſus eſt, nonnullis tribus apparuit vicibus. Aurorâ autem ſurgente, globus ille jam ampliſſimus ſuper eum veniſſe locum viſus eſt quo Albinus jacebat, animâque ejus egrediente, cælum penetraſſe. Teſtatus eſt ſiquidem Joſeph Archiepiſcopus, per totam noctem & ab eo & à ſuis viſum fuiſſe. Teſtantur multi & nunc corpore valentes. Plurioribus ſiquidem non eâ nocte, ſed præteritâ Dominicâ, primâ ſcilicet poſt Aſcenſionem Domini, ipſa claritas eodem, ut dictum eſt, modo apparuit. Eâdem quoque horâ cuidam ſolitario in Italia poſito cæleſtium Levitarum oſtenſus eſt exercitus, laudes Chriſto ineffabiles in aere reſonans. In quorum medio Alchuinus ſplendidiſſimâ indutus Dalmaticâ adſtans, cælum cum eis ingreſſus, Pontifici æterno ut miniſtraret cum perenni gaudio. Quod iſdem ſolitarius fratri cuidam Turonenſi Apoſtolorum ſolito frequentare limina ad ſe venienti eodem Penteceſtes die indicavit. Interrogans namque eum ait. Quis eſt ille Abbas, qui apud Turonos in Monaſterio Sancti Martini converſatus eſt? quo vocatur nomine? vel ſi valebat, quando inde exiſti, corpore? Ad quem frater ille. Vocatur Alchuinus, eſtque Magiſter optimus in tota Francia. Quando huc iter arripui, ſanum eum reliqui. Reſpondens verò ſolitarius ille, ait cum lacrymis. Verè feliciſſimâ fruitur ſanitate. Indicavitque ei quid eodem die viderat Aurorâ clareſcente. Ipſe autem frater reverſus Turonis quæ audierat retulit. Pater denique Sigulfus corpus Patris cum quibuſdam aquâ honorificè lavans, poſuit ſuper feretrum. Habebat nempe & ipſe tunc magnum dolorem capitis, ſed fide animo ſanus citam reperit ſanitatem capitis. Oculos namque ſuper Magiſtri lectulum elevans, cernit pecten, quo ipſe ſuum ſolebat pectinare caput. Iſtum ergo manibus ſumens ait. Credo, Domine Jeſu, quia ſi iſto Magiſtri mei pectine meum pectinæro caput, meritis illius ſtatim ſanabitur. Ubi igitur primâ vice pecten duxit per caput, quantùm de eo tetigit, totum ſanum habuit, ſicque totum pectinando gyrans, omnem dolorem amiſit. Alter diſcipulorum ejus, Eangiſt nomine, dentium immenſo graviter afflictus dolore, hortatu patris Sigulfi, eodem pectine dentes tetigit, & continuò, quoniam cum fide fecit, ſanitatem meritis Alchuini recepit. Audiens verò civitatis Turonis Joſeph Epiſcopus, vir bonus & Deo amabilis, beatum obiiſſe Alchuinum, advenit celeriùs illuc ſuo cum Clero, oculóſque ejus propriis rigans lacrymis deoſculabatur diutiùs. Præcepit autem ſapienti uſus conſilio, ne in eo ſepeliretur loco, quo iſdem Pater foris voluerat, ſed intra*

SEPULTURA.

Digitized by Google

Sancti Martini Basilicam honorificentissimè, ut quorum in cœlis junctæ sunt animæ, AN. CH.
unâ sint corpora domo in terris posita. Sicque factum est. Super cujus tumulum 804.
positus est, sicut ipse jusserat, titulus, quem ipse vivens dictaverat, lamina scriptus in area, parietique insertus.

EPITAPHIUM.

Hîc, rogo, pauxillùm veniens subsiste, viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo.
Ut tua déque meis agnoscas fata figuris,
Veriatur species, ut mea, sicque tua.
Quod nunc es, fueram famosus in orbe viator;
Et quod nunc ego sum, túque futurus eris.
Delicias mundi cassò sectabar amore,
Nunc cinis, & pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem; quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm parvo cernis in antro
Me tenet hîc requies? sic tua parva fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet?
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, Lector, rogo, carminis hujus;
Et dic. Da veniam, Christe, tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia jura sepulchri,
Personet Angelica donec ab arce tuba:
Qui jaces in tumulo, terra de pulvere surge,
Magnus adest Judex millibus innumeris.
Alchwin nomen erat sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

LX. Hoc anno Paſcha celebratum eſt pridie Kalendas Aprilis, Pentecoſte decimo-quarto Kalendas Junii. *Albinus corpore diſſolvi cupiens, & cum Chriſto eſſe deſiderans* exoraverat *eum votis omnibus, ut die quo in linguis igneis Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos veniſſe viſus eſt, & eorum corda replevit, ſi fieri poſſet, migraret è mundo.* Votorum compos factus eſt. *Nocte Aſcenſionis decidit in lectum, gravi fatigatus langore uſque ad mortem. Die autem Pentecoſtes, peracto Matutinali officio, eâdem horâ, quâ ingredi conſueverat ad Miſſas, Aurorâ parente,* obiit ut dictum ſuprà. *Celebrabat,* inquit idem Auctor, *omni die Miſſarum ſolennia multa cum honeſtatis diligentia, habens ſingulis hebdomada diebus Miſſas deputatas proprias.* Habebat & Sanctus Auguſtinus ſingulis hebdomadæ diebus Miſſas ſimiliter deputatas proprias, has Alcuinus recitat in libro Sacramentorum, & ſingulis diebus duas præponit; nempe die Dominico Miſſam *de Sancta Trinitate,* item aliam *de gratia Sancti Spiritûs poſtulanda;* feriâ ſecundâ Miſſam *pro peccatis,* item aliam *pro petitione lachrymarum;* feriâ tertiâ Miſſam *ad poſtulandum Angelica ſuffragia;* item aliam *contra* * *tentationes cogitationum:* feriâquartâ Miſſam *de Sancta Sapientia,* item aliam *ad poſtulandam humilitatem;* feriâ quintâ Miſſam *de Charitate,* item aliam *contra tentationes carnis;* feriâ ſextâ Miſſam *de ſancta Cruce,* item aliam *de tribulatione & neceſſitate;* Sabbato Miſſam *de Sancta Maria,* item Miſſam *Commemorationis Sanctæ Mariæ.* Liber ille Sacramentorum ab Alcuino diſtinguitur in octodecim capita; ſeptem priora, quæ ſuperiùs attigimus, ſunt de Miſſis, quæ ſingulis hebdomadæ diebus fiunt; ſequuntur undecim alia pro totidem Miſſis. Capite octavo habetur *Miſſa in veneratione unius Apoſtoli;* capite nono *Miſſa in veneratione plurimorum Apoſtolorum;* capite decimo *Miſſa in veneratione unius Martyris;* capite undecimo *Miſſa unius Apoſtoli, ſive Martyris, vel Confeſſoris;* capite duodecimo *Miſſa in veneratione plurimorum Martyrum;* capite decimo-tertio *Miſſa in Eccleſia, ubi requieſcunt corpora*

* pro tentationibus

AN. CH. 804. *Sanctorum Martyrum*; capite decimo-quarto *Missa pro veneratione omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ in qualibet domo sunt recondituæ*; capite decimo-quinto *Missa quotidiana omnium Sanctorum*; capite decimo-sexto *Missa pro inimicis*; capite decimo-septimo *Missa pro confitente peccata sua*; capite decimo-octavo *Missa pro salute vivorum & mortuorum.*

LXI. Textus ex Alcuini vita proximè descriptus de feriis tantùm & Sabbato debet intelligi. Sic enim pergit Auctor. *Dominicâ porrò die, nullo unquam tempore*, Alcuinus, *postquàm lux inchoasset apparere Auroræ, se tradebat sopori, sed velociter Leviticè se præparans suo cum Sigulfo Presbytero Missarum colebat solennia specialium usque horam tertiam. Et tunc nimia cum reverentia publicam intrabat ad Missam.* Quas hic Auctor speciales Missas vocat, Theodulfus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari [a] peculiares dicit, factâque Missarum peculiarium ac publicarum distinctione præcitatum textum illustrat mirum in modum, statuit enim *ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur.* Missas igitur speciales, quas peculiares quoque & privatas appellant, à publicis distingue, atque in utrisque Alcuinum diversis horis officio non Presbyteri sed Levitæ seu Diaconi functum observa.

[a] Cap. 45.

LXII. Fuit Alcuinus Abbas quinque Monasteriorum, Sancti Martini Turonensis, Sancti Pauli Cormaricensis in Diœcesi Turonensi, Sancti Lupi Trecensis, Ferrariarum in Archiepiscopatu Senonensi, & Sancti Judoci in Episcopatu Ambianensi. In illa Monasteria successerunt ejus discipuli.

LXIII. Successores. In Cœnobia Sam-Martinianum & Cormaricense successit Fredegisus seu Fridegisus Diaconus, ad quem Alcuinus, ut suprà notavimus, quæstiones duodetriginta de Trinitate scripsit.

LXIV. In Monasterium Ferrariense successit Sigulfus Presbyter. Alcuinus Interrogationes & Responsiones in librum Geneseos huic inscripsit Sigulfo, & initio suæ Præfationis, quanta inter eos intercederet amicitia, sic publicavit. *Dilectissimo in Christo fratri Sigulfo Presbytero Alchuinus salutem. Quia individuus & fidelis mihi, charissime frater, socius tanto tempore fuisti, & quia te sacræ lectionis studiosissimum esse novi, paucas Interrogationes de libro Geneseos, quas, ut recordor, per vices à me exquisisti, pariter congregatas tuo nomini dicavi, ut haberes unde tuam posses memoriam recreare.* Vetus Anonymus, qui vitam Alcuini conscripsit, initio Prologi testatur se relaturum, quæ *ejus* nosse potuit *narrante fidelissimo Sigulfo discipulo*; & in fine, *scribam*, inquit, *fideliter, quæ ab ejus fidelissimo tantum didici discipulo, Sigulfo scilicet institutore meo, qui præ cunctis mortalibus post Sancti Edberti discessum solus ipsius meruit nosse secreta eximia.* Hic Auctor in Alcuini vita sæpè laudat eundem Sigulfum, quem ab altero Sigulfo infrà nominando distinguit & titulo Presbyteri & cognomento Veruli. Cùm Alcuini discipulos enumerat, primum locum Sigulfo Verulo tribuit, ut inferiùs ostendemus. Addit varia testimonia, quæ Sigulfum præ ceteris in Alcuini amicitia fuisse docent. Alcuinus, cùm Raganardum febri laborantem adit, *jubet omnes præter Sigulfum exire de domo ejus.* Alcuinus *adsistenti sibi* narrat *Sigulfo*, quæ de futuro Caroli successore novit. Alcuinus *Dominicâ die, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum* colit *solennia specialium usque horam tertiam.* Hæc de Sigulfo Verulo, qui post Alcuinum factus est Abbas Ferrariensis. Alter Sigulfus in eadem Alcuini vita dicitur *Benedicti Abbatis Monachus*, id est, Monachus, ut interpretamur, Anianensis in Septimania seu Gothia. Inter Alcuinum & Benedictum Abbatem Anianensem, de quo non semel locuti sumus, singularis intercedebat amicitia, quam Tomo superiore, ut occasio tulit, non semel laudavimus. Sigulfum Monachum, ut Alcuinum de rebus Cormaricensis Monasterii consuleret, Turonos profectum putamus. Ipsemet Benedictus, qui *præ omnibus Monachis* Alcuino *familiaritate junctus* dicitur, ad

eundem Alcuinum *gratiâ conſilii ſalutis ſuæ & ſuorum accipiendi, ſæpiùs Gothiæ de partibus properabat.* Lege Alcuini vitam, in qua mirus quoque nec omittendus prædictorum Abbatum congreſſus ita deſcribitur. *Quadam vice* Benedictus *voluit aliter venire, nemo ut hoc agnoſceret Turonis, quouſque ad oſtium adſiſteret domûs Albini. Cúmque adhuc haud propè eſſet, vocans Albinus unum ſuorum ait. Feſtina occurrere Benedicto Abbati in loco tali, & dic ei, velociter ad me perveniat. Fecit Miſſus Patris Albini, ut ſibi præceptum fuerat, perveníitque poſt triduum ubi ei dixerat, & Benedictum reperit, eíque, quod ſibi juſſum fuerat, nunciavit. Stupens autem ſuum deprehenſum conatum, cum velocitate pervenit Turonis ad eum. Cúmque ſe alterutrum tripudiantes deoſcularentur, inſit Benedictus Pater Reverendus ſuppliciter. Domine Pater, quis meum vobis prædixit adventum? Reſpondit ei. Nullus homo verbis mihi innotuit. Cui iſdem. Quis tunc Domine? forſitan literis cujuſquam audiſtis? At ille, verè, inquit, nullis. Ad quem vir iſdem rurſum. Si neque ab homine ullo dicente, neque literis cujuſquam præſciſtis, precor, mi Pater, quonam modo illud noveritis, edicite. Cui Albinus. Noli amplius hoc me interrogare. Cùm verò Venerabilis Vir Benedictus jam reverti vellet, petiit eum, ut quemadmodum ſpeciali oratione pro ſe orabat, ei panderet. At ipſe ait. Hoc namque Chriſtum rogo; Domine, da mihi intelligere peccata mea, & veram confeſſionem facere, & dignam pœnitentiam agere, & da mihi remiſſionem peccatorum meorum. Cui vir Deo dignus Benedictus ait. Addamus, mi Pater, huic orationi unum ſermonem. Et poſt remiſſionem ſalva me. At Albinus gaudens dixit. Fiat Reverentiſſime Fili, fiat. Iterum autem vir Dei flagitabat, ut ſibi diceret, quando Crucem videns ſe contra eam inclinabat, quæ verba labris ſilenter depromeret. Ille verò hoc inquit. Tuam Crucem adoramus, Domine, tuam glorioſiſſimam recolimus Paſſionem; miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis. Poſt hæc æducens eum aliquantulùm, remiſit gaudentem Albinus ad ſua ſuóſque.* Præter hoc exemplum alia leguntur in eadem vita, quæ palàm oſtendunt ſepè Deo revelante ſcita eſſe ab Alcuino, quæ per ejus abſentiam procúlque gerebantur.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

In Cellam Sancti Judoci ſucceſſit Alcuino Warembaldus, cui Privilegia Leo Tertius Papa confirmavit [a]. LXV.

[a] Gall Chriſt. Tom. 4.

Abbatum, qui proximè poſt eundem Alcuinum Monaſterio Sancti Lupi præfuerunt, hodie deſiderantur nomina. LXVI.

A Neotericis in controverſiam vocatur, utrùm Alcuinus ad obitum uſque functus ſit Abbatis officio, an ſenio & ægro corpore fatigatus ante hunc annum, quo deceſſit, inter ſuos diſcipulos Monaſteria ſibi commiſſa diviſerit. Quæſtioni locum facit hic textus ex illius vita jam deſcriptus. *Cùm igitur ſenectute unáque infirmitate plùs ſolito ſe ſentiret affectum, diu ut ſecum tractaverat, velle ſe ſignificavit Regi Karolo ſeculum relinquere, poſtulans licentiam apud Sanctum Bonifacium Monaſticam vitam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ducere, Monaſteriáque ſibi commiſſa ſuos ut inter diſcipulos divideret, ſi fieri poſſet. Sed Rex terribilis & pius, unum cum omni poſtulationis affectu denegavit; alterum libenter audivit, flagitans, quietiſſimus Turonis æquè honorificentiſſimè ut reſideret, ſibíque & omni Sanctæ Eccleſiæ commiſſæ non detrectaret. Onera verò ſeculi, quæ ipſe habuerat, diſcipulis, ut petierat, libentiſſimè diſpertiit. Fecit ergo & ipſe Albinus ut Rex ſapientiſſimus rogaverat, non quærens quod ſibi foret utile, ſed quod multis, ac Turonis diem noviſſimum præſtolatus fuit.* Itémque alius, qui nobis Alcuinum præ ſenectute cæcum repræſentat. *Aderat*, inquit idem Auctor, *Albinus oculis jam non videns.* LXVII.

Alcuinus, ut à ſecularibus occupationibus liber omnino fieret, ſæpè poſtulavit à Carolo, ſed diverſimodè. Primâ vice, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto, Monaſticen *apud Sanctum Bonifacium*, in Cœnobio videlicet Fuldenſi, *ſecundùm Regulam Sancti Benedicti*, voluit amplecti, *Monaſteriáque ſibi commiſſa ſuos inter diſcipulos* ex Regis aſſenſu dividere, ſed nihil è poſtulatis obtinuit, Carolo neutrum fieri permittente. LXVIII.

BIBLIOTECA RAZ... ROMA ...RIO EMANUEL...

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

Ceteris vicibus, anno nempe Redemptoris octingenteſimo quo diu cum Rege commoratus eſt, anno Redemptoris octingenteſimo primo quo felicem ex Italia reditum novo gratulatus eſt Imperatori, poſteris deinceps annis quibus eidem Auguſto ſcripſit, ſignificavit quidem ab occupationibus ſecularibus expediri ſe velle, ſed de ſuſcipiendo Monachatu nullum adjecit verbum, imò ſcriptis ea de re non unis ad Carolum literis deſideravit inter Canonicos Sam-Martinianos & vivere & mori. *Inter fratres*, ait in literis [a] ad Carolum Imperatorem ex Italia nuperrimè cis Alpes reverſum, *in Eccleſia Sancti Martini Deo fideliter ſervientes vivere vel requieſcere, Deo miſerante, ſine ulla dubitatione deſidero.* Et in aliis literis [b] ad eundem Imperatorem ſeriùs directis, *nec meam*, inquit, *reor, devotionem veſtræ Excellentiæ in aliquo loco plùs prodeſſe poſſe, quàm aſſiduis apud Sanctum Martinum orationibus, quatenus divina clementia, quæ vos per ſingulos Magiſtratus in altiſſimum ſecularis potentiæ evexit honorem, eo longævâ proſperitate uti concedat, atque ex hujus ſublimitatis dignitate ad apicem æterni Regni aſcendere faciat.* Denique cùm ſperaſſet adhuc optaſſetque faciem Caroli *vel ſemel* videre, atque ob infirmitatem magis ingraveſcentem ſpe itineris conficiendi penitus excidiſſet, ut ſibi diem noviſſimum in Æde Sam-Martiniana præſtolari liceret, ſic ab eodem quoque Carolo Auguſto poſtulavit [c]. *Ut meam liceat apud Sanctum Martinum cotidie inſtantiam agere ſupplex ſuppliciter, humilis humiliter, devotus devotè obſecro, quia valdè infirmatus corpore, nil aliud itineris vel laboris perficere valeo.* Apud Sanctum igitur Martinum non tantùm *vivere* ſed etiam *requieſcere* deſiderabat. *Elegerat*, inquit Auctor vitæ, *poſt obitum quieſcere juxta Eccleſiam Sancti Martini.* Et paulò pòſt. *Audiens verò civitatis Turonis Joſeph Epiſcopus, vir bonus & Deo amabilis, Beatum obiiſſe Alchuinum, advenit celeriùs illuc ſuo cum Clero, oculóſque ejus propriis rigans lacrymis deoſculabatur diutiùs. Præcepit autem ſapienti uſus conſilio, ne in eo ſepeliretur loco, quo iſdem Pater foris voluerat, ſed intra Sancti Martini Baſilicam honorificentiſſimè, ut quorum in cœlis junctæ ſunt animæ, unâ ſint corpora domo in terris poſita.* Nec etiam hìc omittendum videtur, quòd Alcuinus Turonenſem Scholam, cui præerat, Carolo jam Imperatore ſic commendavit [d]. *Ego Flaccus veſter ſecundum exhortationem & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta Sancti Martini Sanctarum mella Scripturarum miniſtrare ſatago; alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo; alios Grammaticæ ſubtilitatis enutrire pomis incipiam; quoſdam ſtellarum nocte, ceu picto cujuſlibet magnæ domûs culmine, inluminare geſtio; plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ & ad decorem Imperialis Regni veſtri eruditum.* Atque in hoc textu Regnum Caroli dixit Imperiale, quia Carolus Imperatoriâ Dignitate jam gaudebat. Si non placet hæc interpretatio, recurremus ad Rabanum, qui Turonos ad Alcuini Scholam non miſſus eſt ante annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum, cùm Carolus annum Imperii ſecundum numerabat.

[a] Ep. 23.
[b] Ep. 17.
[c] Ep. 19.
[d] Ep. 1.

LXIX. Ex prædictis duo colliguntur. Alcuinus numquam Monaſticen amplexus eſt, Monaſteriáque ſibi commiſſa regebat adhuc annis reparatæ ſalutis octingenteſimo ſecundo & octingenteſimo tertio, Carolo tunc Imperatore. Quapropter *onera ſeculi*, quorum partitionem in diſcipulos poſt crebras poſtulationes tandem obtinuit, diſtinguenda ſunt à Cœnobiorum adminiſtratione, quæ ſecularibus occupationibus accenſeri non debet, niſi factâ collatione cum privata tranquillâque Monachi vita, qualem in Fuldenſi Monaſterio ducere quondam ſtatuerat, ſi conſenſus Caroli Regis acceſſiſſet. Præ ſenio lumen oculorum amiſit, eâ laboravit infirmitate paucis duntaxat ante mortem menſibus, ut ex ſerie rerum geſtarum atque hactenus enarratarum patet. Illa cæcitas ſemel perſtringitur ab Auctore vitæ, cùm totam Monaſterii Sam-Martiniani fabricam, ne conſumeretur incendio, per ejus preces à Deo ſervatam ſic teſtatur. *Cuſtos ſepulchri Sancti Martini, prævidebat qui ceram & veſtimenta omnia, quæ ad ipſam Baſilicam pertinebant, intrans*

Digitized by Google

cum candela accenſa ſecretarium, quo iſta ſervabantur, infixit eandem ſtipiti, quam, cùm egrederetur, oblitus eſt accipere. Firmans itaque oſtium ferâ abiit. Candela verò ardens cecidit ſuper ceram. Cera quoque magnas dans flammas ad veſtimenta, quæ perticis hærebant, multa cum vi ignem emiſit. Veſtimenta porrò uſque ad tectum. Quod cuſtos ſentiens cum clavi ſtatim ad aliud Monaſterium fugit. Fit undique concurſus, pulſatur oſtium, nec ullo aperitur ſudore. Clerici pretioſum quicumque aliquid in domo ſua habebant, foras mittebant. Eccleſia Sancti Martini veſtimentis quibuſdam nudabatur. Nec aliud quiſquam ſperare poterat, quàm totius Monaſterii concremationem. Nudabatur plumbo tectum. Aderat Albinus oculis jam non videns. Interrogat ergo quid agatur. Cui unus diſcipulorum Vetulus, perge, inquit, hinc, mi Domine Pater, ne fortè aut plumbo ſuperiùs projecto uſque ad mortem percutiaris, aut igne cremeris. Certum enim interitum manet. Cumque Albinus voluiſſet ire, iterum ad eum Vetulus, mi, inquit, Domine Pater, vade ad ſepulchrum Domini Martini, & pro nobis intercede. Fecit itaque ita Albinus. Cúmque illuc perveniſſet, extendit ſe ſuper terram in cruce gemitum emittens ad cælum. Miro igitur modo ac incredibili, ſtatim ut Albinus ſe projecit in terram, totus ille ignis ita extinctus eſt, ac ſi immenſo necaretur fluvio. Hoc cernentes Clerici, magno cum ſtupore exultantes ad locum illum feſtinatò perveniunt, ubi Albinus ante ſepulchrum Sancti Martini proſtratus in cruce, pro eis jacens Deum precabatur. Elevantes autem eum humo, benedicunt Deum, qui per Albini preces totam fabricam Sancti Martini, igne ne conſumeretur, ſalvavit. In hoc textu Vetulus vocatur, qui ſæpè laudatus eſt à nobis ex eadem vita Sigulfus Preſbyter, cognomento Vetulus. Præcipuus cenſetur Alcuini diſcipulus, & *corpus Patris*, ut præcitatæ vitæ Scriptor docet, *cum quibuſdam aquâ honorificè lavans, poſuit ſuper feretrum.* Idem autem Sigulfus poſt Alcuinum Ferrarienſis Abbas fuit, atque ex eo quòd Alcuinus *Dominicâ die*, ut obſervatum ſuprà, eodem *ſuo cum Sigulfo Presbytero Miſſarum colebat ſolemnia Specialium uſque horam tertiam*, & Turonis, cùm Alcuinus illic obiit, idem adhuc aderat Sigulfus procul à Ferrariis diſſitus, Monaſteria, quæ commiſſa fuerant Alcuino, ante illius mortem inter diſcipulos à Carolo Imperatore diviſa non exiſtimamus.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

LXX. DISCIPULI.

Ab Auctore ſynchrono in ipſius Alcuini vita ſic præcipui celebrantur ejus diſcipuli. *Nobiliſſimus Sigulfus erat Vetulus, magnanimúſque Withſo. Poſt hos Fredegiſus & ejus ſocii. At tempore jam ultimo hærebant ei aſſiduò Raganardus & Waldramnus, qui adhuc ſuperſunt. Adelbertus quoque beatæ memoriæ, quantùm poterat Sigulfi tunc filius, poſt autem venerandus Pater, & multi alii.*

LXXI.

De Sigulfo multa jam narravimus; unum duntaxat hîc addemus ex eadem Alcuini vita. Lectione Virgilii nimiùm delectabatur, ideóque acriter aliquando reprehenſus eſt ab Alcuino, qui ſenex factus vetuerat hunc Poetam manibus diſcipulorum ſuorum teri. *Legerat iſdem vir domini* Alcuinus *libros juvenis antiquorum Philoſophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat jam ipſe nec audire, neque diſcipulos ſuos legere, ſufficiunt, inquiens, divini Poetæ vobis, nec egetis luxuriosâ ſermonis Virgilii vos pollui facundiâ. Contra quod præceptum tentavit Sigulfus Vetulus ſecretè agere. Unde poſt erubuit publicè. Advocans namque ſuos, quos tunc filios nutriebat, Adalbertum & Aldricum, juſſit coram ſe ſecretiſſimè Virgilium legere; interdicens eis, ne quis ullo modo ſciret, ne fortè ad Patris Albini notitiam perveniretur. Albinus autem ſolito more ad ſe vocans, ait. Unde te habemus, Virgiliane? Cur cæpiſti ac voluiſti contra meam voluntatem & conſilium me ignorante agere, ut Virgilium legeres? Sigulfus verò ſe ad pedes ejus projiciens, ſtultiſſimè ſe egiſſe confeſſus, humiliter pœnituit. Cujus ſatisfactionem benignè pius Pater poſt increpationem recepit, monens eum ne ultrà tale quid ageret. Teſtatur vir Deo dignus adhuc ſuperſtes Aldricus Abbas, nec ſe, nec Adalbertum cuiquam hoc innotuiſſe, ſed uſque tunc ſicut eis præceptum fuerat, omnimodis ſiluiſſe.* Alia quoque ab eodem Auctore profe-

AN. CH. 804. runtur exempla, quæ palàm oſtendunt nonnumquam Deo revelante ſcita eſſe ab Alcuino, quæ per ejus abſentiam procúlque gerebantur.

LXXII. Ut Sigulfus *nobiliſſimus*, ita Withſo cognomento *magnanimus* eſt in Alcuini vita.

LXXIII. Fredegiſus ſeu Fridegiſus poſt Alcuinum Abbas Sam-Martinianus & Cormaricenſis fuit. *Natione Anglicus* dicitur apud Yperium. Nec dubium, quin Sigulfus, Fredegiſus, aliíque è præcipuis Alcuini diſcipulis patriâ Britanni fuerint, ſive Angli, ſive Scoti. Britonum numerus inter Sam-Martinianæ Baſilicæ Canonicos adeò crevit, ut Turonenſes ea de re palàm quererentur. Exemplum habes in Alcuini vita. Turonos, ut Alcuinum inviſeret, acceſſit *Aigulfus Presbyter Engelſaxo*, cúmque prope januam domûs, quæ Abbatis erat, jam adſiſteret, eo viſo quatuor è Turonenſibus fratribus ſimul junctì, *venit*, inquiunt ad invicem, *iſte Britto vel Scotto ad illum alterum Brittonem, qui intus jacet. O Deus, libera iſtud Monaſterium de iſtis Brittonibus. Nam ſicut apes undique ad matrem revertuntur, ita hi omnes ad iſtum veniunt.* Benedictus Anianenſis Abbas ut Alcuino ſic & Fridegiſo fuit amicitiâ conjunctiſſimus, idque non obſcurè teſtantur Indenſium Monachorum ad Ardonem literæ, quæ ſub ejuſdem Benedicti regimine Monaſteria duodecim, atque in his nono loco Cormaricum conſtituunt. Quod tamen non ſic videtur accipiendum, ut Benedictus Cormaricenſi Cœnobio cum Abbatis titulo præfuiſſe cenſeatur. Quatuor antiquiſſimi Cormaricenſes Abbates hoc ordine recenſentur, Itherius, Alcuinus, Fredegiſus, Jacob. Utriuſque Monaſterii, Sam-Martiniani videlicet ac Cormaricenſis, Abbates fuerunt, Itherius, Alcuinus, & Fredegiſus. Hic, quia Cœnobium Cormaricenſe Monachorum, Sam-Martinianum Canonicorum erat, æquiſſimum duxit, ut Monachi Cormaricenſes Abbatem è ſua Congregatione deinceps eligerent, atque, ut ſe quoque vivo liberam id agendi facultatem haberent, à Ludovico Pio annum Imperii ſeptimum per menſem Martium jam agente petiit impetravitque Præceptum infrà deſcribendum ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum. Priùs autem Benedictus, cùm ab Alcuino tum à Fredegiſo rogatus ſedulam, ut ordo Monaſticus in Cormaricenſi Monaſterio vigeret, operam dedit accitis aliquot ex Aniano diſcipulis, quorum unus nomine Sigulfus in Alcuini vita ſic memoratur. *Fratribus Cormaricenſibus, quos valdè diligebat, juſſerat ipſe Pater centum modia vini dari. Cúmque ad Monaſterium ducerentur, mandavit per Sigulfum Benedicti Abbatis Monachum Præviſoribus Monaſterii, ut* &c.

LXXIV. Raganardus in Alcuini vita memoratur inter ejus diſcipulos. Tentavit aliquando nimiis ſe vigiliis atque abſtinentiâ clàm & inſciis omnibus affligere, graviſſimæque febri mox ſuccubuit. Alcuinus ægrum viſitavit, verbiſque non leviter corripuit, quòd *tam intemperanter* egiſſet. Obſtupuit Raganardus; ea, quæ nemine conſcio perfecerat, miratus eſt ab Alcuino non ignorari, nihílque ſimile deinceps abſque illius conſilio & imperio ſuſcepit. Idem Raganardus, cùm ſopori deditus eſſet, horribili perterritus eſt viſione, veritúſque, *ne de ſe ageretur*, illam Alcuino poſterâ die cum pavore narravit. At Abbas magno cum dolore reſpondit. *O Oſulfe, tu miſer, quoties te monui? quoties corripui? Multum denique laborem in avunculum tuum habui, ut ſe corrigeret, & viam mandatorum Dei operari cœpiſſet, prædixíque ei, quia niſi feciſſet, priuſquàm de ſeculo migraret, plagâ lepræ percuteretur. Sícque factum eſt. Prædico ergo & tibi, fili mi, de Oſulfo, ſuper quo eſt hæc viſio, quoniam neque in hac regione, neque in qua natus eſt morietur.* Quod & eventus probavit, Oſulfus enim nec in Gallia, nec in Britannia, ſed *in Langobardia* diem obiit. Superſtes huic Oſulfo vixit Raganardus, ut ex eadem Alcuini vita liquet. Duos autem Oſulfos diſtingue; ſeniorem & juniorem, illum leprâ percuſſum, hunc in Longobardia mortuum. De ſeniore junioris avunculo ſeu patruo, qui ſuos ob mores ab Alcuino redarguitur, intelligendum hoc Theodulfi diſtichon, quò laudatur ejus eruditio.

Stet

Stet Levita decens Fredegis ſociatus Oſulfo,
Gnarus uterque artis, doctus uterque benè.

AN. CH. 804.

Waldramnus cum Raganardo commendatur, quòd Alcuino ſenectute gravato mortique proximo aſſiduus hæſerit. In vivis ſuperſtes erat cum eodem Raganardo, quando Alcuini vita literis conſignabatur. LXXV.

Citiùs obiit Adelbertus ſive Adalbertus. Hic primùm Sigulfi filius, deinde pater, in Alcuini vita dicitur. Vivente enim Alcuino erudiebatur à Sigulfo, ut notavimus ſuprà, cùm ipſum Sigulfum, quòd eidem Adalberto atque Aldrico Virgilium prælegiſſet, ab Alcuino ſeveriùs increpitum obſervavimus. Poſt Alcuini verò mortem abiit Ferrarias, ubi ſub ejuſdem Sigulfi tunc Abbatis diſciplina vixit, poſteà Sigulfo ſponte Præfecturam Abbatialem abdicante factus eſt Abbas illius loci, Patérque Sigulfi, cujus filius tot annis antè fuerat. Ea de re plura ſub Ludovico Pio. Interim, ſi lubet, loge Lupi Ferrarienſis Abbatis epiſtolam viceſimam-nonam, in qua Sigulfus, Adalbertus, & Aldricus, Abbates Ferrarienſis Monaſterii commemorantur. LXXVI.

Alcuini diſcipulis annumerari quoque debet Aldricus, qui poſteà Ferrarienſis Abbas factus eſt, necnon ex Abbate Ferrarienſi Senonenſis Archiepiſcopus, ut ſuis locis fuſiùs exponemus. Abbas erat Ferrarienſis, cùm ſcripta eſt Alcuini vita, in qua condiſcipulus oſtenditur Adalberti ſub Sigulfi diſciplina dum viveret Alcuinus, ut patet ex iis, quæ ſuprà de clandeſtina Virgilii lectione dicta ſunt. LXXVII.

Inter Alcuini diſcipulos ſuus etiam locus debetur Carolo Magno, de quo ſic Eginhardus. *Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earúmque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audivit; in ceteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuvinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctiſſimum præceptorem habuit. Apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimùm & temporis & laboris impertivit.* Auctor quoque coætaneus in Alcuini vita ſic ſcribit. *Ipſe denique Pater Karolum multâ erudivit curâ artibus liberalibus ſcripturiſque divinis, adeò ut ſapientiſſimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab adventu Chriſti. Docuit etiam eum per omne vitæ ſuæ tempus quos Pſalmos pœnitentiæ cum Letania & orationibus precibúſque, quos ad orationem ſpecialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacunque tribulatione, quémque etiam, ut ſe in divinis exerceret laudibus, decantaret. Quod noſſe qui vult, legat libellum ejus ad eundem de ratione Orationis.* Hunc libellum non alium ſuſpicamur ab eo qui *de Pſalmorum uſu* inſcribitur, licèt Auctoris prologus ipsáque inſcriptio ad Carolum hodie deſiderentur. LXXVIII.

Ex operibus Alcuini non pauca reperiuntur Carolo ſive Regi ſive Imperatori inſcripta. Nonnullorum, ut occaſio tulit, mentionem jam fecimus. His adde vitam *Antichriſti*; reſponſum ad interrogationem, quâ quæſitum quid ſit diſcriminis *inter æternum & ſempiternum; perpetuum & immortale; ſeculum, ævum, & tempus*; epiſtolam *de ratione Septuageſimæ, & Sexageſimæ, & Quinquageſimæ*; alteram epiſtolam *de cæremoniis Baptiſmi*. LXXIX. SCRIPTA.

Inter ejuſdem Alcuini opera duæ reperiuntur epiſtolæ *de Baptiſmi cæremoniis*; una, quæ prior eſt ac brevior, inſcribitur *filio chariſſimo Oduino Presbytero*; altera, quæ poſterior ac prolixior, inſcribitur *Glorioſiſſimo & Excellentiſſimo Auguſto, à Deo coronato, Carolo Sereniſſimo*. Hanc non eſſe Alcuini jam docuit Sirmondus in notis ad Theodulfi librum *de ordine Baptiſmi*. Sub finem Auctor Archiepiſcopum ſe prodit his verbis. *Dixiſtis, Sereniſſime Imperator, velle vos ſcire qualiter nos & ſuffraganei noſtri doceremus populum Dei de Baptiſmi Sacramento.* Alcuini loco Amalarium Trevirenſis Eccleſiæ Metropolitanum Epiſcopum, ad annum Redemptoris octingenteſimum duodecimum [a] infrà reponemus. LXXX.

[a] Num. 66.

Quid autem de cæremoniis Baptiſmi breviter ad Oduinum Preſbyterum Albinus Alcuinus ſcripſerit, ex ejus literis accipe. *Albinus Magiſter filio* LXXXI.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

chariſſimo Oduino Presbytero ſalutem. Quia diviná donante gratiâ ad id diutino te perduxi labore, ut Sacerdotali honore dignus habearis, & ut tam eleganter illud in domo Dei miniſtres officium, quàm te diligenter per donum Dei erudire curavi, ad cognoſcendum rationabilem ſacri Baptiſmatis ordinem de miniſteriis totius Officii tibi breviter ſcribere volui, ut cognoſcas quàm neceſſarium ſit nihil prætermittere, quod à Sanctis Patribus ſumptum eſt in illo Officio. Primò, paganus Catechumenus ſit, accedens ad Baptiſmum maligno renuntiat ſpiritui & omnibus damnoſis ejus & pompis. Exſufflatur etiam, ut, fugato diabolo, Chriſto Domino noſtro paretur introitus. Exorciſatur, id eſt, conjuratur malignus ſpiritus, ut exeat & recedat dans locum Deo vero. Accipit Catechumenorum ſalem, ut putrida & fluxa ejus peccata, ſapientiæ ſale, divino munere mundentur. Deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, ut vacua domus & à priſco habitatore derelicta fide ornetur, & ut præparetur habitatio. Tunc fiunt ſcrutinia, ut exploretur ſervus, an poſt renuntiationem ſathanæ, ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, ut quamdiu ſpiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eidem perungitur oleo, ut, ſigno Sanctæ Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, ut undique muniatur. Item, in pectoris & ſcapulæ unctione ſignatur fidei firmitas & operum bonorum perſeverantia. Et ſic in Nomine Sanctæ Trinitatis trinâ ſubmerſione baptizatur; & rectè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis conditus eſt, per invocationem Sanctæ Trinitatis ad eandem renovatur imaginem, & quia tertio gradu peccati, id eſt, conſenſu, cecidit in mortem, tertiò elevatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis induitur veſtimentis, propter gaudium regenerationis, ac caſtitatem vitæ, & Angelici ſplendoris decorem. Tunc ſacro Chriſmate caput ungitur, & myſtico tegitur velamine, ut intelligat ſe Diadema Regni & Sacerdotii dignitatem portaturum juxta Apoſtolum. [*Vos eſtis genus Regale & Sacerdotale, offerentes voſmet Domino hoſtiam ſanctam & Deo placentem.*] *Sic Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, ut illius ſit capitis membrum, qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit. Noviſſimè per impoſitionem manuum à Summo Sacerdote, ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis qui fuit in Baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.*

LXXXII. E ceteris Alcuini lucubrationibus paucæ, quarum nondum meminerimus, in editione Ducheſniana ſuperſunt hoc ordine. Dicta ſuper illud Geneſeos, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Item *Officia per feriam.* Liber *de divinis Officiis.* Homiliæ tres, una, *de ſilentio in quo miſſum eſt incarnatum Verbum*; altera, *de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis*; tertia *in feſto omnium Sanctorum.* Diſputatio *Regalis & Nobiliſſimi juvenis Pippini*, id eſt, Pippini Regis Italiæ, qui ſæpè in patris comitatu verſatus eſt cum Alcuino.

LXXXIII. Ducheſnius multa protulit argumenta, quæ librum *de divinis Officiis* Alcuino penitus abjudicant. Si cetera deeſſent, hoc unum ſufficeret, quòd capite triceſimo-ſecundo *conſtitutum* dicitur, *ut plebs univerſa per totum Orbem in Kalendis Novembribus, ſicut in die Natalis Domini, ad Eccleſiam, in honore omnium Sanctorum, ad Miſſarum ſolennia convenire ſtudeat: illud attendentes, ut quicquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in Solemnitatibus Sanctorum minùs plenè peregiſſet, in hac ſancta obſervatione ſolveretur.* Feſtivitas enim omnium Sanctorum longè poſt Alcuini obitum tantâ celebrari veneratione cœpit Ludovico Pio jam Imperatore, ut patet ex Synodo paucis ante Caroli Magni mortem menſibus apud Moguntiam habita, & ex Capitularibus [a] ab Anſegiſo Abbate & Benedicto Levita collectis. Cæſar Baronius [b], quia librum de divinis Officiis genuinum Alcuini fœtum putat, à recta Chronologia multùm recedit, vult enim eundem Alcuinum fuiſſe ſuperſtitem ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum, quo, juxta Sigeberti Chronicon, *monente Gregorio Papâ, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludovicus Imperator ſtatuit, ut in Gallia & Germania Feſtivi-*

[a] Lib. 1. c. 164. Lib. 2. c. 35. Lib. 6. c. 186.
[b] Tom. 9. a. 835. n. 45.

tas omnium Sanctorum in Kalendis Novembrib celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant. Eccleſiaſticæ Tabulæ ad has Kalendas ſic habent. *Feſtivitas omnium Sanctorum, quam in honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ & Sanctorum Martyrum Bonifacius Papa Quartus, dedicato templo Pantheon, celebrem & generalem inſtituit agi quot annis in urbe Roma. Sed & Gregorius item Quartus poſtmodùm decrevit eandem Feſtivitatem, quæ variis modis in diverſis Eccleſiis celebrabatur, in honore omnium Sanctorum ſolemniter hac die ab univerſa Eccleſia perpetuò obſervari.* Pontificatum geſſerunt, Bonifacius Quartus ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptimo ad ſexcenteſimum decimum-quartum, Gregorius Quartus ab anno Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo ad octingenteſimum quadrageſimum-quartum. Inter utrumque Præſulatum effluxerunt anni quatuordecim ſupra ducentos. Illâ temporis intercapedine natus eſt mortuúſque Beda, cujus obitus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo ſive cum anno poſt Bonifacii Papæ Quarti mortem centeſimo decimo-ſeptimo coincidit. Longè igitur poſt Feſtivitatem omnium Sanctorum à Bonifacio Romæ primùm inſtitutam Beda Martyrologium aggreſſus eſt ſcribere, cùm eadem Feſtivitas privatim multis in locis jam agebatur. Opus hoc inſigne, quod eatenus in tenebris delituerat, ante annos octo prodiit in lucem ex Codice Divionenſi ſeu Bouheriano, quem Godefridus Henſchenius Antuerpiæ typis edendum curavit. Initio Novembris id legitur. *Kalendis. Feſtivitas omnium Sanctorum.*

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

Hæc nos obſervatio compellit, ut Kalendis Novembris eandem prorſus ſententiam de Feſtivitate omnium Sanctorum feramus ac ſexto Idus Septembris de Nativitate Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Neutrum horum feſtorum occurrit in Synodo Moguntina & in Capitularibus ſuprà citatis. Utrumque verò reperitur in prælaudato Bedæ Martyrologio. Unum menſe Septembri, ſic. VI *Idus. Natale Sanctæ Dei Genitricis Mariæ.* Alterum menſe Novembri, ſic. *Kalendis. Feſtivitas omnium Sanctorum.* Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum, cùm ſermonem de Centulenſibus Eccleſiis haberemus, haud omiſimus Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis VI *Idus Septembris in ſacratiſſima ejus Nativitate* dedicatam fuiſſe. Datus inde locus diſputandi de feſto ejuſdem Nativitatis, quod in Bedæ Martyrologio notatur, nequaquam autem in Concilio Moguntino & in Regum Capitularibus ipſo Bedâ recentioribus. Nativitatem Beatiſſimæ Virginis, ætate Caroli Magni, ſexto Idus Septembris, in multis locis ſpecialiter coli ſolitam diximus, licèt non haberetur inter feſtos dies, in quibus, ut in Dominicis, omnis populus ab opere quieſcebat. Idem hîc aſſerimus de Feſtivitate omnium Sanctorum. Atque hac interpretatione, quamvis Alcuino liber de divinis Officiis abjudicetur, ei tamen Homiliæ poſſunt *in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis* & *in feſto omnium Sanctorum* adjudicari, ſi nihil aliunde refragari videatur. LXXXIV.

At diſſimulare non poſſumus exemplaria non convenire de Auctore Homiliæ, quæ tribuitur Alcuino *in feſto omnium Sanctorum* cum hoc initio. *Hodie, dilectiſſimi, omnium Sanctorum ſub una ſolennitate lætitia celebramus feſtivitatem.* Homilia illa ſub nomine Sancti Auguſtini primùm prodiit, & inter Sermones de Sanctis locum triceſimum-ſeptimum occupavit, donec à Doctoribus Lovanienſibus idem Sermo in Appendicem rejectus eſt, ibique poſitus octogeſimo-quinto loco cum hac adnotatione. *Habet non panca ex Chryſoſtomi tractatu de reparatione lapſi, & Cypriano de mortalitate. Vetera quædam exemplaria Alcuini nomen præferunt.* Andreas Ducheſnius haud aliâ videtur auctoritate permotus, ut eandem Homiliam Alcuino tribueret, hanc enim in margine notatiunculam adjecit. *Homilia hac inter ſermones S. Auguſtini, ordine* XXXVII *excuſa eſt: ſed aliqui Codd. MMS. eam Albino præferunt.* Cæſar Baronius in notis [a] ad Martyrologium Romanum teſtatur eundem Sermonem *ſub titulo Odonis Abbatis Cluniacenſis* à ſe repertum in an- LXXXV.

[a] D. 1. Nov.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16. LXXXVI.

tiquo Codice manuſcripto Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres Romæ, ubi Feſtivitas omnium Sanctorum agi primùm cœpta eſt; ſecundus Cluniacenſium Abbas fuit Odo, floruítque decimo ſeculo. In tanta Scriptorum temporúmque diſcrepantia nihil hic certi pro Alcuino pronuntiari poteſt.

Præter tot Alcuini opera, quæ Ducheſnius anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo-ſeptimo ſimul collegit, *Confeſſio* quoque *Fidei* ſub ejuſdem Alcuini nomine legitur in quatuor partes diſtributa, quam Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis Jeſu Preſbyter anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto Divione primus è Codice Lugdunenſi publicavit. Opus illud noni ſeculi fœtum putamus, Alcuini nequaquam. Auctor enim multis in locis apertiſſimè Monachum ſe prodit. Parte ſecundâ, capite nono, ſic. *Concede mihi fragillimo, beatorum Monachorum Patrum meorum imitari veſtigia. Da mihi eorum manſuetudinem, modeſtiam, & tolerantiam, benignitatem, paupertatem, & longanimitatem, cordis contritionem, & fontem lacrymarum, cibi potûſque abſtinentiam, cordis labiorúmque munditiam, Spirituale gaudium, & perfectum mundi contemptum.* Parte quartâ, capite decimo-ſexto, ſic. *Poſt ſuſceptam hanc Monachi veſtem multa commiſi corde, ore, opere, & infinita perpetravi mala.* In fine ejuſdem capitis, ſic. *Væ mihi miſerrimo, qui falſum Monachi nomen fero, nihil dignum hujus nominis & habitûs agens.* Et capite ſequenti, ſic. *Amiſi locum dilectæ ſolitudinis, amicum mœroris, quietis & pœnitudinis, quem ab ineunte ætate ſemper dilexi. Idcircò in anguſtia & mœrore multo poſita eſt anima mea, tuum ſuper ſe ignorans judicium, quia ſecretum ſolitæ quietis & opportunæ ad te vocationis, quod ſemel incautus amiſi, denuò invenire non potui. Hoc autem opto adhuc, ſuſpiro, & quæro; ſed præpedientibus peccatis meis reperire non valeo.* In editione Ducheſniana, quæ copioſiſſima eſt, & tam multa támque diverſa complectitur Alcuini opera, Monachatûs ab eo ſuſcepti nullum extat indicium, Clericatûs autem & Diaconatûs plurima. Non ſemel in hac materia verſati ſumus. Conſule potiſſimùm quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum [a].

[a] Num. 95.

LXXXVII. LEGATIO GODEFRIDI R. DAN. AD CAROLUM IMP.

Eodem tempore, quo finis impoſitus bello Saxonico, *Godefridus Rex Danorum venit cum claſſe ſua, necnon & omni equitatu Regni ſui ad locum, qui dicitur Slieſtorff, in confinio Regni ſui & Saxoniæ. Promiſit enim ſe ad colloquium Imperatoris venturum, ſed conſilio ſuorum inhibitus, propiùs non acceſſit. Imperator autem ſuper Albim fluvium ſedebat in loco, qui dicitur Holdunſtetin, & miſſâ ad Godefridum legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri Coloniam venit.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Adſtipulantur, Loiſelianus, Tilianus, Bertinianus, ac Metenſis, necnon & Regino cum Monacho Egoliſmenſi & incerto Auctore in vita Caroli. Sed variis edunt modis nomina locorum, in quibus Imperator & Rex Danorum conſederunt. Locus enim, ubi Godefridus ſubſtitit, eſt Annaliſtæ Laureshamenſi *Slieſtorff*, Loiſeliano & Bertiniano *Lieſthorp*, Metenſi *Flieſtorp*, Tiliano *Sclieſthorp*, Monacho Egoliſmenſi *Slietorp*, incerto Auctori *Slieſtorph*, Reginoni *Schlieſwich*. Ceteris notius hoc ultimum vocabulum. Sleſvicum enim, vulgò *Schleſwyck*, hodierni Sleſvicenſis Ducatûs caput, in Dania ſitum eſt, nec procul à finibus Germaniæ. Godefridus ex eo loco, *quicquid voluit, per Legatos* Imperatori *mandavit*, ut Annaliſta Loiſelianus aliique [b] cum Reginone, Monacho Egoliſmenſi & incerto Auctore teſtantur. Imperator viciſſim Legatos ad eum direxit ex loco ad Albim ſito, qui variis quoque modis à prælaudatis Auctoribus effertur, *Holdunſtetin*, *Holdunſteti*, *Holdenſteti*, *Hodumſteti*, *Holdnſteyn*, & *Ondulſtetin*. Carolus priuſquàm inde Coloniam recederet, erudiendarum gentium Tranſalbianarum curam vicinis Epiſcopis, id eſt, Bremenſi & Verdenſi commiſit. Illa de re fuſiùs agemus ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum, quo ſententiam mutavit, & de novo Epiſcopatu in illa regione conſtituendo cogitare cœpit.

[b] Bertin. Til. Met. ET CAROLI AD EUNDEM GODEFRIDUM.

Digitized by Google

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16. LXXXVIII. LITERÆ CAROLI AD PIPPINUM.

Idem Imperator cùm in Italia neque magiſtratus juredicundo, neque populos dicto audiendo leges ſervare ſuas audiſſet, Pippinum filium, ut huic rei operam daret, hac admonuit epiſtolâ. *Carolus Sereniſſimus Auguſtus à Deo coronatus, Magnus & Pacificus, Imperator Romanorum gubernans Imperium, ac per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum, dilectiſſimo filio noſtro Pippino Glorioſo Regi ſempiternam in Domino ſalutem. Pervenit ad aures noſtras, quòd aliqui Duces & eorum Juniores, Caſtaldii, Vicarii, Centenarii, ſeu reliqui Miniſteriales, Falconarii, Venatores, & ceteri per ſingula territoria habitantes vel diſcurrentes, manſionaticos & paravereda accipiunt non ſolùm ſuper liberos homines, ſed etiam in Eccleſias Dei, Monaſteria videlicet virorum ac puellarum, & Xenodochia, atque diverſas plebes, & ſuper reliquos ſervientes Eccleſiarum Dei in eorum opera, id eſt, in vineis, & campis, ſeu pratis, nec non & in eorum adificiis illos faciant operari, & carnaticos, & vinum contra omnem juſtitiam ab eis exactare non ceſſant, & multas oppreſſiones patiantur ipſæ Eccleſiæ Dei, vel ſervientes earum. Ideóque cariſſime fili, has literas ad tuam Dilectionem direximus, ut hanc cauſam diligenter ac prudenter inquirere facias. Et ſi veritas eſt, quod ita factum ſit, deinceps omnimodis emendare & corrigere ſtudeas, quatenus in diebus noſtris ac tuis citiùs pax Eccleſiarum Dei ſive illarum ſervientium in omnibus conſervetur, & ut merces copioſa nobis ac tibi exinde jugiter adcreſcat. Audivimus etiam quod quædam Capitula quæ in Lege ſcribi juſſimus, per aliqua loca aliqui ex noſtris ac veſtris dicant, quòd nos nequaquam illis hanc cauſam per noſmetipſos conditam habeamus, & ideo nolunt obedire, nec conſentire, neque pro Lege tenere. Tu autem noſti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipſis Capitulis, & ideo admonemus tuam amabilem Dilectionem, ut per univerſum Regnum tibi à Deo commiſſum ea nota faciat, & obedire, atque implere præcipiat. De Epiſcopis & Sacerdotibus occiſis, ſicut ſtatutum habemus, & de reliquis cauſis. Verumtamen de Presbyteris videtur nobis, ut ſi liber natus eſt Presbyter, triplâ compoſitione ſecundùm tuam Legem fiat compoſitus: & ſi plagatus fuerit, ſecundùm qualitatem plagarum vel diſciplinæ triplâ compoſitione emendetur qui hoc perpetraverit. Si tamen Presbyter ſervus natus fuerit, ſecundùm illius nativitatem triplâ compoſitione ſolvatur in plagis & diſciplinis. Et de Diaconibus ſimiliter fiat. His expletis benè vale ſemper in Domino, fili dilectiſſime.* Has literas ex Capitularibus Sigonius [a], Sirmondus [b], aliique [c] jam deſcripſerunt.

[a] Ad an. 801.
[b] Tom. 2. Conc. Gallic.
[c] Tom. 7. Conc.

SANCTIO DE PURGATIONE SACERDOTUM.

Capitulum Caroli de purgatione Sacerdotum, quod libro quinto [d] Capitularium reperitur, referendum quoque videtur ad hæc circiter tempora, Leonis enim Papæ purgationem exeunte anno Redemptoris octingenteſimo factam laudat. *Omnibus vobis viſu aut auditu notum eſſe non dubitamus, quòd ſæpiſſimè ſuadente antiquo hoſte Sacerdotibus crimina diverſa objiciantur, ſed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & ſatisfactio fiat, licèt tempore bonæ memoriæ Domini Genitoris noſtri Pippini, ſive priſcis temporibus à ſanctis Patribus & reliquis bona devotionis hominibus ſæpiſſimè ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minimè quivimus. Noſtris quoque temporibus id ipſum à Sanctis Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus & ceteris Eccleſiaſtica dignitatis miniſtris, noſtris in Regnis ſeu in aliis degentibus nobiſque unà cum eis agentibus ſæpiſſimè propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diverſis partibus venerunt, ventilatum eſt; ſed qualiter conſultu Domni & Patris noſtri Leonis Apoſtolici, ceterorúmque Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ſive Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum Sanctorum Epiſcoporum & Sacerdotum, necnon & noſtrorum Epiſcoporum, omniúmque ceterorum Sacerdotum ac Levitarum auctoritate & conſenſu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum Conſiliariorum noſtrorum conſultu definitum eſt, vobis omnibus utriuſque ordinis miniſtris ſcire volumus. Statutum eſt namque ratione & neceſſitate ac auctoritate prædictâ, conſultu omnium, ut quotienſcunque cuiquam Sacerdoti crimen imponitur, ſi ipſe accuſator talis fuerit, ut recipi debeat, quia quales ad accuſationem Sacerdotum admitti debeant,*

[d] Cap. 33.

AN. CH. 804. CAROLI IMP. 4. PIPPINI LUDOV. RR. 24. CAROLI R. 16.

in Canonibus pleniter expreſſum eſt. Si autem, ut dictum eſt, ille accuſator, qui canonicè eſt recipiendus, cum cum legitimo numero verorum & bonorum teſtium approbare in conſpectu Epiſcoporum poterit, tunc canonicè dijudicetur, &, ſi culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si verò eum ſupraſcripto pratextu approbare ipſe accuſator minimè poterit, & hoc canonicè definiatur. Ipſe ergo Sacerdos, ſi ſuſpitioſus, aut incredibilis ſuo Epiſcopo, aut reliquis ſuis conſacerdotibus, ſive bonis & juſtis de ſuo populo vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta ſuſpitione remaneat, cum tribus aut quinque vel ſeptem bonis ac vicinis Sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eo amplius ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi ineſſe proſpexerit, & cum aliis bonis & juſtis hominibus ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor Evangelia dato purgatum Eccleſiæ reddat. Si quis autem ſcire deſiderat, quales teſtes ad accuſationem Sacerdotum recipi debeant, & quicquid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in Canonibus reperire poterit.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

ANNUS

CHRISTI		805.
CAROLI	IMP.	5.
	REG.	37. 34. 32.
PIPPINI II.	REG.	25.
LUDOVICI	REG.	25.
CAROLI	REG.	17.
INDICTIO		13.

I. INEUNTE anno Redemptoris octingenteſimo quinto, Carolus Imperator Leonem Romanum Pontificem è Cariſiacenſi Palatio, ubi Natalem Domini ſimul celebrarant, ad Aquiſgranenſe perduxit, *& honoratum magnis muneribus per Bojoariam ire volentem à ſuis duci fecit uſque Ravennam.* Hæc antiqui ſcribunt Annaliſtæ, quos ad annum priorem citavimus, aſſerúntque Papam apud Imperatorem manſiſſe *dies* duntaxat *octo*. Extant [a] Pontificiæ ad Carolum literæ, in quibus Leo Polam Iſtriæ civitatem ſub Archiepiſcopatu Gradenſi collocat, additque Carolum ſeque ſimul *in Aquis Palatio* providiſſe *de Aquileïenſi Eccleſia* ut *ſuam Sedem haberet*, id eſt, ut Gradus, quæ nova dicebatur Aquileïa, ſua recuperaret jura, Metropoliticâque dignitate per univerſam gauderet Iſtriam, ubi Pola civitas Epiſcopalis. Integras anno proximo literas deſcribemus. Illarum duo duntaxat fragmenta ſufficiet hîc recitaſſe. Primum, ſic. *Dum veſtræ Imperiales ſyllabæ à nobis relectæ fuiſſent, reperimus in eis, quatenus à Gradenſi Inſula, ubi Fortunatus Archiepiſcopus ſuam propriam Sedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur, &, ſi congruè nobis apparuiſſet, pro cauſa neceſſitatis, ubi jamdudum Æmilianus quidam Epiſcopus præfuit, quæ & Diœceſis prædicti Fortunati Archiepiſcopi exiſtit, illic ſuam Sedem haberet.* Alterum, ſic. *Reſervatur in ipſis veſtris Imperialibus apicibus, quomodo in Aquis Palatio nobiſcum providiſtis de Aquileïenſi Eccleſia, velut una quæ ſuam Sedem haberet.* Sub initium igitur hujus anni, Leo Pontifex, cùm in Aquiſgranenſi Palatio verſabatur, egit apud Carolum, ut Epiſcopatus Iſtriæ qui Patriarchæ Foro-Julienſi tunc ſummittebantur, ad Gradenſem redirent pro-

[a] Tom. 7. Concil. ult. edit.

EPISCOPI ISTRIÆ RURSUM SUMMITTUNTUR PATRIARCHÆ GRADENSI.

vinciam, è qua fuerant ab annis tantùm ſexdecim avulſi, poſtquàm Iſtris dominari cœperant Franci. Præterea ex præcitato Pontificiarum literarum fragmento liquet locum inter Polanos ſeu Polenſes Epiſcopos eſſe tribuendum Æmiliano, qui vitam vel hoc anno vel ſequenti clauſerit, licèt ejus nomen in vulgatis Epiſcoporum Polenſium Catalogis deſideretur.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17. II.

Antiquis Auctoribus, qui Leonem Papam apud Imperatorem Carolum *dies* duntaxat *octo* manſiſſe ſcribunt, multùm refragatur epiſtola, quæ legitur apud Surium [a] poſt vitam Sancti Swiberti, & ad Rixfridum Trajectenſem Epiſcopum à Liudgero Mimigardevordenſi Epiſcopo tranſmiſſa fertur. Iter enim, quod Romanus Pontifex anno Redemptoris octingenteſimo quarto ſuſcepit in Franciam, ut Natalem Domini cum Carolo Auguſto celebraret, ita deſcribit, anno ne benè quidem notato. *Sanctus Leo Papa anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo tertio cum magna ſolennitate ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, ac Primatum, ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore Imperialiter cum ſuis ſuſceptus, inter multa pietatis ſuæ opera, inſtantiâ ejuſdem Sereniſſimi Imperatoris & Regis Aquiſgrani in Palatio dedicavit Eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Eccleſiam multis indulgentiis. Deinde humili petitione & inſtantiâ Venerabilis Patris Gerbaldi Epiſcopi Leodienſis conſecravit Eccleſias gloriosæ Virginis Mariæ tam in Tungris quàm in Viſeto. Et Coloniæ Agrippinæ tam ad Sanctum Martinum quàm in Capitolio altaria conſecravit. Et multa alia Monaſteria, & Altaria, ac Capellas, per Alemaniam & Galliam conſecravit, ubique multas indulgentias conferendo. Tandem devotâ intentione Glorioſiſſimi Imperatoris Caroli, & venerabilis Patris Hildebaldi Archipræſulis Colonienſis venit à Colonia idem Sanctus Papa Leo navigio in Werdam, ſtipatus Imperatoriâ Majeſtate ac ſacrato choro ſanctorum Cardinalium & Archiepiſcoporum, ac multorum Procerum comitatu. Cui occurrunt uſque ad Rhenum devoti fratres Conventûs Sancti Swiberti proceſſionaliter, cum incolis ejuſdem oppidi de Werda, introducentes eum cum Imperatore & ceteris in Eccleſiam Sancti Swiberti multùm devotè ac honeſtè. Et illo die, quo intravit, jejunaverunt incolæ de Werda cum toto Conventu authoritate Apoſtolicâ. Alterâ verò die, quæ fuit pridie Nonas Septembris, omnes, tam Papa Sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alii convenientes in Eccleſia, ſtatim celebrante ſolenniter ſummam Miſſam felice Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo, & ſanctiſſimâ vitâ cum innumeris Miraculis conſcriptâ per venerabilem Presbyterum Marcellinum, ſocium & conterraneum ipſius Sancti, ibidem lectâ, Papa Sanctus Leo, de aſſenſu pariter & conſenſu ſuorum Cardinalium, ceterorúmque Prælatorum, illic coràm adſtantium, ſolenniter Catalogo Sanctorum Confeſſorum ipſum aſcripſit. Quo facto, pulsâ campanâ Conventûs per aliquot horas, ad honorem Dei & gloriam ipſius Sancti, cùm per dulcia modulamina laudum fratres devotiſſimè Deo rependiſſent gratias, cantando humiliter Hymnum, [Te Deum laudamus:] & Reliquiæ ſive oſſa ipſius ex monumento, in præſentia Sanctiſſimi Apoſtolici Leonis, & Caroli Imperatoris, ceterorúmque, per præfatum Archiepiſcopum Colonienſem tollerentur devotè, maxima dulciſſimi odoris in eodem loco cælitus effuſa eſt fragrantia, cujus ſuavitas omnium ora & corda adſtantium reficiebat, ut nullus ambigeret, ibidem adeſſe Angelorum Choros. Facta ſunt hæc pridie Nonas Septembris, præſentibus ibidem, Victorioſiſſimo Carolo ſempérque Auguſto Romanorum Imperatore & Francorum Rege, venerabilibúſque Patribus Cardinalibus & Archiepiſcopis, Bernardo Oſtienſi, & Fortunato Trevirorum, Theodoro Sabinenſium, Nicolao Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Euſtochio Sanctæ Praxedis, Bonifacio Tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbyteris Cardinalibus; Gerbaldo Leodienſi, Volquino Normenſium Epiſcopis; & præſertim felice Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo, cujus induſtriâ & piâ inſtantiâ Sanctus Leo Werdam navigavit, & Sanctum Swibertum in divos retulit, cum multis aliis Prælatis & Proceribus. Statuit inſuper Sanctiſſimus Papa Leo, illum diem Canonizationis & Exaltationis Sancti Swiberti egregii Epiſcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum*

[a] D. 1. Mart. LIUDGERI ET RIXFRIDI EPISCOPORUM EPISTOLÆ DE CANONIZATIONE S. SWIBERTI REFELLUNTUR.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

à cunctis incolis Werdæ celebrandum, ob honorem Sancti Swiberti Apostolici Episcopi. Obtulit autem idem Sanctus Papa eidem Ecclesiæ Speciales indulgentias cunctis fidelibus, celebrantibus festum Sancti Swiberti Episcopi, & ad divina confluentibus. Item idem Papa contulit parvam auream Crucem, refertam particulâ Sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi. Imperator verò Carolus obtulit duos aureos calices ex auro puro, & totidem ampullas ejusdem auri, cum multis aliis Ecclesiarum clenodiis pretiosis, ut dum divinum mysterium in Werdensi Conventu perageretur cum eisdem, ipsius Imperatoris jugis fieret memoria. Obtulerunt præterea omnes à majori usque ad minorem juxta devotionem & inspirationem spiritûs, & pro facultate, ut fieret solennis capsula & pretiosum feretrum, in quo collocarentur sacrosancta ossa Sancti Swiberti, ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti, per infinita seculorum secula. Amen.

III. Rixfridus Trajectensis Episcopus in epistola, cui responsoriæ Liudgeri Mimigardevordensis Episcopi literæ subjiciuntur, ipsum Liudgerum rogasse dicitur, ut elevationem & canonizationem Sancti Swiberti cum Miraculis in scripta redigeret, quæ libro de illius vita conscripto addi possent. *Ego*, inquit Rixfridus, *audiens ipsum Sanctum Swibertum jam nuper, scilicet secundo Nonas Septembris, solenniter à Sanctissimo Papa Leone in præsentia Serenissimi Caroli Magni Romanorum Imperatoris, ceterorúmque multorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Procerum, & Primatum, canonizatum, ossáque ejus sacrosancta propter crebra miracula sua elevata, & in arcam sive capsulam, auro & argento comptè ornatam, decenter collata, cunctísque Christicolis adoranda & veneranda exposita, ut intercessione & suffragio ipsius à malis omnibus erui & liberari mererentur. Et meritò, quia Omnipotens singularis vita ejus excellentiam, non solùm dum viveret, multis magnisque miraculis approbavit, verùm etiam post felicem transitum ipsius ipsum secum regnare in cælis, certis coruscantibus crebrísque signis & prodigiis quotidie manifestat & declarat, quorum quædam à dignissimis probatísque testibus, fratribus nostri Conventûs, qui interfuerunt & viderunt, audivimus, de quibus omnes laudantes bonitatem Salvatoris nostri, congratulamur in nostro Conventu. Propterea sollicitus sum, ut veraci stylo ab authentica persona conscribantur prædicta, ne aliqua immisceantur ficta vel apocrypha ex pietate, sed planè & debitè, ut res ipsa in veritate se habuerit. Ego verò sciens, quòd in confinio tuæ Parochiæ requieverit, & zelum legis Dei habes, & excellentia divinarum Scripturarum in tua anima viget & floret, idcircò, egregie Pontifex Ludgere, mi dilectissime confrater, admonitione & exhortatione fratrum Conventûs Trajectensis, & præcipuè fratrum in Dockem, ad tuam fraternam dilectionem fidissimum habeo accessum, piè efflagitans, ut ordinem modúmque elevationis & canonizationis ipsius, & qui interfuerunt, amore Albrici Episcopi Trajectensis Ecclesiæ consanguinei supradicti Sanctissimi Swiberti Episcopi, qui te ad Minimigardum, nunc verò Monasterium dictum, direxit Episcopum, ad confirmandum Neophytos, in scripta probato stylo redigere digneris, ut illa addantur libro de vita ipsius exarato & conscripto. Et non solùm ordinem sive modum suæ elevationis & canonizationis, sed & quædam miracula, quæ post felicem ejus transitum Dominus noster Jesus Christus dignatus est ostendere & patrare, meritis & intercessionibus ipsius in Werda vel prope, & adhuc quotidie declarat, ne ea, quæ gratiâ Dei fiunt in tempore, simul cum tempore labantur, sed perpetuentur scriptis ad decus Ecclesiæ, ut piâ ejus intercessione Pontificale tuum ministerium & cuncta opera tua in præsenti salubriter prosperentur, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeas.*

IV. Liudgerus, ut hisce Rixfridi literis plenissimè satisfaceret, responsum edidisse perhibetur, in quo, præter narrationem suprà descriptam, quæ tota pertinet ad posteriorem Leonis Papæ in Franciam adventum, multa commemoravit miracula, quæ tempus illud aut antecesserunt aut subsecuta sunt. Priora suis locis examinavimus, ut occurrerunt in vulgaro Liudgeri

geri ſcripto. Poſteriora ternarium numerum non excedunt. Primò, Gocelinus puer annorum octo, Hildebaldi Colonienſis Archiepiſcopi ex Irmgarde ſorore nepos, in Rheno ſubmergitur, & ad ſepulchrum Sancti Swiberti reviviſcit Leone Papâ & Carolo Imperatore Werdâ nondum digreſſis. Secundò, fures, qui duas ſuſtulerunt laminas è capſa, in qua Reliquiæ Sancti Swiberti reconditæ coluntur, arreptâ fugâ poſt varios gyros cùm ſe poſitos extra Werdam putant, in ipſo Baſilicæ atrio reperiuntur, coguntúrque crimen fateri. Tertiò, Conradus poſt ſuum è Studio Bononienſi reditum, quia Lunaticus eſt, à Severino patre Werdenſibus fratribus fraudulenter offertur, agnito pòſt morbo, ab eorum collegio ſtatim ſegregatur, atque ab Eccleſia & à communi menſa removetur, ſed à Sancto Swiberto per viſum poſteà curatur.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

V.

Cæſar Baronius ex prædictis Liudgeri literis narrationem ſuprà deſcriptam, necnon miraculum, quod ad Gocelinum puerum ſpectat, Eccleſiaſticis Annalibus inſeruit, expunctóque anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo tertio repoſuit annum octingenteſimum quartum ex antiquis videlicet Auctoribus, in quibus Leonis Papæ poſterior in Franciam adventus ad illum annum memoratur. Porrò, cum Pontifex apud Cariſiacum Natalem Domini celebrarit, rejecimus in hunc annum, quæ poſt Kalendas Januarii geſta perhibentur. Baronius ex commoratione Leonis Papæ cum Carolo Imperatore, quæ ſpatio dierum octo circumſcribitur, hæc ad priorem Leonis adventum, ſive ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-nonum commodiùs referenda ſuſpicatur, Lectori tamen examinandam hujuſcemodi quæſtionem relinquit. Nos illam narrationem neutri Leonis adventui convenire cenſemus. In primo, Leo nec Aquiſgranum nec Tungros adiit aut Coloniam, ut patet ex iis quæ Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-nonum retulimus: alter examini nunc ſubjiciendus.

VI.

Joannes Morinus Congregationis noſtræ Præſbyter in eruditiſſimo Commentario [a] de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ refutavit epiſtolam Liudgeri de multarum Eccleſiarum, Capellarum, & Altarium conſecratione per Leonem Tertium Pontificem; de Sancti Swiberti relatione in Catalogum Sanctorum; de conceſſione ſpecialium Indulgentiarum in Dedicationibus prædictarum Eccleſiarum, Capellarum, & Altarium, atque in Feſto Sancti Swiberti; déque curatione Conradi Lunatici, & è Studio Bononienſi priùs reverſi, quàm Werdenſibus fratribus offerretur. *Conficta eſt*, inquit, *epiſtola ante forſan trecentos annos, aut, ut maximè, ante quadringentos, nomine Sancti Ludgeri, ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui Monaſterii commodum & gloriam. Quæ ſcribit de tempore itineris Leonis III ad Carolum, de mora ipſius in Caroli Comitatu, de variis cum eo itineribus ſuſceptis, omnia αὐτοσχεδίως ficta ſunt, & cum iis, quæ referunt illius temporis auctores, conſtare non poſſunt, ut unicuique iſta comparanti evidens erit. Deinde Sancti Sviberti in Sanctorum Catalogum relationem eo modo & ordine enarrat, quo nunc, & ab annis quadringentis celebrari ſolet. Certum eſt autem hanc celebrationem cœpiſſe trecentis poſt Leonem III annis & amplius. Primus, quem perhibent antiqua monumenta ſolemniter à Pontificibus canonizatum fuiſſe, eſt Hugo Carthuſianus & Gratianopolitanus Epiſcopus: ſecundus eſt Sanctus Bernardus. Sed conſidera quæ Epiſtolæ, ſive Bullæ Pontificum, de iſtorum Sanctorum Canonizatione referunt, & ea compara cum iis quæ Auctor ille de Sancti Sviberti Canonizatione ſcribit, deprehendéſque cæremonias hodiernas à Leone III multò diligentiùs & copioſiùs quàm ab Innocentio II aut Alexandro III fuiſſe obſervatas: quod argumentum certum eſt iſtius Epiſtolæ Auctorem poſt annum 1200 ſcripſiſſe. Ante Innocentium II & Alexandrum III ſimplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex Petro Damiano conſtat in fine vitæ Sancti Romualdi, teſtatúrque Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 1027. Obtinebatur ab iis, quibus erat curæ illa Canonizatio, à Sede Apoſtolica facultas altare*

[a] Lib. 10. c. 20.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

ſupra defuncti corpus erigendi. Eo erecto peracta erat Canonizationis ſolemnitas. Poſt illud tempus cæremoniæ Sanctæ illius actionis paulatim factæ ſunt auguſtiores. Tertiò ſæpiùs recitat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, & Proceres Pontifici aſſidentes, ſed ſemper primo loco Cardinales collocat contra morem illius temporis & ſeculorum ſequentium. Innocentius II trecentis & aliquot poſt verum Ludgerum annis ad Carthuſiæ Priorem de Sancti Hugonis Canonizatione ſcribens Cardinales tertio loco ponit. Quartò commemorat c. 12. Severinum quendam Patrem-familias, adoleſcentem filium propter morbum à Studio Bononienſi revocaſſe. Quaſi verò regnante Carolo Magno Bononiæ literarum ſtudia florerent, & eò ex variis provinciis confluerent adoleſcentes. Ita equidem vivente Gregorio IX. qui Decretalium compilationem ad Doctores, Scholaréſque Bononienſes direxit. Quintò c. 2. bis vocat Hunaldum Comitem de Angiers: nominis provinciæ formatio vernacula recens, quæ vix ante annos quadringentos uſurpari cæpit. Deinde Francos vocat Francigenas; nomen Hiſtoriis Francorum ſub tertio ſtemmate ſcribentium frequens, ſed anteà inuſitatum. Multa ſunt alia ejuſdem criminis argumenta, quæ longum eſſet perſequi. Undique enim rimoſa eſt Hiſtoria iſta, & fabellis veritati aſſutiùs fatiſcit.

VII. Scripſit hæc Morinus noſter anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-primo. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Joſephus Maria San-Felicius Apoſtolicæ Sedis ad inferioris Rheni tractum Nuncius poſt annos octo, ut Henſchenius [a] teſtatur, futilem quoque & commentitiam Liudgeri epiſtolam rejecit ob eaſdem rationes, quas Reverendus Pater Morinus attulerat, ob Indulgentias videlicet præter morem illius temporis aſſertas, ob Studium Bononienſe cujus inſtitutio longè recentior, & ob ſolemnem Canonizationis ritum qui ſeriùs uſurpari cœptus. *Collatis*, inquit, *Hiſtoriis, ſeculis, ac ritibus, plura ibi obſervavi, quæ à recentiori Scriptore retracta ad antiquiores Kalendas videntur. Commemorat pluries Indulgentias ſpeciales à Leone conceſſas feſtum diem colentibus, aut Eccleſiam viſitantibus S. Swiberti: quod tunc temporis alibi non legitur; quandoquidem Indulgentiarum uſum, hodie in Eccleſia frequentem, non comperio ante Urbanum II. qui anno* MLXXXXVI *proficiſcentibus ad expeditionem Hieroſolymitanam Indulgentias ſeu pœnitentiarum alterius ſpeciei relaxationem conceſſit. Licèt harum inſtitutum (diverſimodè tamen) ab ipſis Eccleſiæ incunabulis viguerit; nempe per libellos Martyrum, durante Eccleſiæ perſecutione, teſte S. Cypriano ac Tertulliano. Deinde per redemptionem pœnitentiarum juxta antiquos Canones Burchardi, Ivonis, & Romanorum pœnitentiale. Cetera omitto, ne ob materiæ vaſtitatem nimis expatiemur. Narrat etiam S. Swiberti miraculum de puero Lunatico ſanato, quem à Bononienſi Studio pater revocaverat, cùm non multò ante Gregorium IX ſtudia liberalium artium ita floruerint Bononiæ, ut ex longinquis regionibus eò confluaret juventus. Rurſus deſcribit aſſiſtentes Summo Pontifici Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos; primo loco Cardinalibus aſſignato, præter illorum ſeculorum morem, in quibus diplomata Pontificia tertio loco Cardinales collocant. Solennem verò ritum Canonizationis primò ſervatum fuiſſe in S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano ab Innocentio II, poſtmodùm in S. Bernardo ab Alexandro III, docent ipſa Bullæ Pontificiæ. Ante enim duodecimum ſeculum non ita auguſtè Sanctorum Catalogo inſerebantur, qui ſanctè vixerant: ſed facultate indultâ à Sede Apoſtolicâ ſupra ſanctificandi corpus altare erigendi in eoque celebrandi; hoc peracto Canonizationi erat ſatisfactum, ut perhibent Petrus Damianus in fine vitæ S. Romualdi, & Baronius ad annum* MXXVII. *aſſerentes hunc ritum tunc uſu receptum.*

[a] D. 26. Mart.

VIII. Adversùs commentitias Liudgeri literas alia quoque non pauca notantur ab Henſchenio, quæ poteris conſulere ſeptimo Kalendas Aprilis in Commentario vitæ ejuſdem Sancti Liudgeri præfixo. Præ ceteris autem illud maximè, quod vel defendi certè vel excuſari nullo modo poteſt. Leo Papa, cùm Natalem Domini celebrarit in Cariſiaco cum Carolo Imperatore, nec, niſi diebus octo, ſubſtiterit apud eum in Francia, quâ ratione fingi poteſt

canonizationem Sancti Swiberti pridie Nonas Septembris in præſentia Caroli peregiſſe?

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. R. 25. CAROLI R. 17.

In iiſdem Liudgeri literis, præter Romanum Pontificem, hi Werdam adeunt Antiſtites. Hildebaldus Colonienſis Archiepiſcopus, Fortunatus Archiepiſcopus Trevirorum, Bernardus Oſtienſis Epiſcopus, Theodorus Epiſcopus Sabinenſis, Gerbaldus Leodienſis Epiſcopus, & Volquinus Epiſcopus Normenſis. De ſingulis quid ſentiamus, paucis accipe. Hildebaldus, cujus mentionem ſæpè fecimus, Archiepiſcopus erat Colonienſis. Fortunatus, id eſt, Amalarius, cognomento Fortunatus, ad Archiepiſcopatum Trevirenſem ſeriùs poſt mortem Wazzonis aſſumptus eſt. Ex pſeudo-Liudgeriana duntaxat epiſtola, cui ſoli fides haberi non debet, Bernardus Oſtienſis Epiſcopus & Theodorus Epiſcopus Sabinenſis apud Ughellum [a] innoteſcunt. Gerbaldus Eccleſiæ Leodienſi præerat ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto. Folquinus, corruptè Volquinus, non Normenſium ſed Morinenſium Epiſcopus fuit, at Epiſcopales Infulas Ludovico Pio jam Imperatore ſuſcepit.

IX.

[a] Tom. 1. Ital. Sacr.

Quod ad Rixfridi Trajectenſis Epiſcopi literas attinet, eas quoque commentitias judicamus, licèt ipſum Rixfridum ad Epiſcopalem Dignitatem eo aſſumptum tempore putemus, quo Liudgerus Mimigardevordenſem Diœceſim adminiſtrabat. Errores haud paucos involvunt hæc fragmenta. *Audiens ipſum Sanctum Swibertum jam nuper, ſcilicet ſecundo Nonas Septembris, ſolenniter à Sanctiſſimo Papa Leone in præſentia Sereniſſimi Caroli Magni Romanorum Imperatoris, ceterorúmque multorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Procerum, & Primatum, canonizatum*, &c. *Piè efflagitans, ut ordinem modúmque elevationis & canonizationis ipſius & qui interfuerunt, amore Albrici Epiſcopi Trajectenſis Eccleſiæ, qui te ad Minimigardum, nunc verò Monaſterium dictum, direxit Epiſcopum.* Leo Papa pridie Nonas Septembris apud Werdam cum Carolo Imperatore non fuit, Cardinales Archiepiſcopis & Epiſcopis contra morem illorum temporum malè præponuntur. Utrumque ſuprà probatum. Deinde Albricus Trajectenſis ſive Ultrajectinus Epiſcopus Liudgerum ad Minimigardum ſeu Mimingardevordem non direxit Epiſcopum, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto vivere deſiit, & anno pòſt duodeviceſimo Liudgerus ad Epiſcopatum promotus fuit. Denique ætate Rixfridi & Liudgeri Epiſcoporum, Minimigardum ſeu Mimingardevordis nondum vocabatur Monaſterium, & Liudgerus ejúſque ſucceſſores dicti ſunt Epiſcopi Mimigardevordenſes ad decimum uſque ſeculum, quo promiſcuè Mimigardevordenſes ac Monaſterienſes Epiſcopi cœperunt appellari, lapſúque temporis obſoletum tandem priùs vocabulum, poſterius autem ad hodiernam uſque diem ſervatum.

X.

Potiorem ſibi fidem non conciliat, quod de conſecratione Anianenſis Altaris in Diœceſi Magalonenſi per Leonem Papam coram Carolo Auguſto facta circumfertur Anianenſe documentum. Partem iſtius monumenti Petrus Gariel Monſpelienſis Canonicus in Serie [b] Præſulum Magalonenſium & Monſpelienſium ſic publicavit. *Anno Caroli Magni Regis decimo-quarto, ipſe Carolus cum admirantibus Ducibus & Comitibus aliam ruſſus in honorem Domini & Sancti Salvatoris Eccleſiam prægrandem conſtruere cœpit, ſed & clauſtra novo opere facta cum columnis marmoreis quamplurimis, quæ ſita ſunt in porticibus. Hæc autem ſunt nomina Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, qui fuerunt in conſecratione Altaris Sancti Salvatoris Monaſterii Anianenſis, Diœceſis Magalonenſis, qui ſunt numero trecenti ſexaginta-ſex, tempore quo Carolus Magnus Rex Franciæ, Patricius Romanorum, & Imperator Germanorum, & Papa Leo cum ſua curia diſcurrebant terram iſtam, & ad fidem Catholicam convertebant.*

XI.

[b] In Stabello Ep.

ITEM NARRATIO DE CONSECRATIONE ALTARIS ANIANENSIS.

Leo Archiepiſcopus Colonienſis.
Nebridius Archiepiſcopus Narbon.
Stabellus Magalon. Epiſcopus.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

Petrus Biterrenſis Epiſcopus.
Deodatus Epiſcopus Albienſis.
Raimundus Epiſcopus Lutovenſis.
Maginus Epiſcopus Ruthenenſ.
Aymericus Epiſcopus Nemauſen.
Benignus Epiſcopus Claromontenſ.
Felix Archiepiſc. Arelatenſis.
Firminus Epiſc. Eccleſiæ Toloſanæ, &c.

XII. Ab hoc Auctore, ne prolixior enumeratio faſtidium procrearet, plures haud recenſiti vel Archiepiſcopi vel Epiſcopi. Pauciores apud Guillelmum Cruceum in Serie [a] Cadurcenſium Epiſcoporum legebantur.

[a] In Aymato Ep. n. 51.

Leo Archiepiſcopus Tolonicenſis.
Nibridius Archiep. Narbonenſis.
Stabelus Epiſcopus Magalonen.
Petrus Epiſc. Biterren.
Stephanus Epiſco. Agathenſis.
Deodatus Epiſco. Albien[illegible]
Aymatus Epiſcopus Caorſenſis.

XIII. In hoc breviore Crucei Catalogo, duo nominantur Antiſtites, à Gariele prætermiſſi, Stephanus videlicet Epiſcopus Agathenſis, & Aymatus Epiſcopus Caorſenſis, cui locus inter Præſules in Anianenſi Charta triceſimus-tertius tribuitur.

XIV. Joannes Puteanus in Hiſtoria Petragoricenſis Eccleſiæ [b] Leonem Papam iter per Petragoricenſem Diœceſim feciſſe, unáque cum Carolo Auguſto Brantoſmenſe Monaſterium adiiſſe contendit. In ejus rei probationem Chartam allegat Brantoſmenſem, cujus hoc eſt fragmentum. *Hîc requieſcit pretioſa à cæleſti gratia referta Margarita ſanctiſſimi corporis Martyris* CRETS *Pii Innocentis, quem ferè ter tribus annis ac ſemis ad tutelam ſui ſuorúmque ſecum honorificè per diverſa terrarum ſpatia* KPULOS *Francorum Magnus ac perpetuus Princeps delatum, tandem poſt Hiſpaniam longo bellorum exercitio tributariam ſibi factam dum victor reverteretur, hoc in loco, qui Brantoſma dicitur, cum multis aliis Sanctorum Reliquiis benignè diviſit, inde hanc Eccleſiam conſtruens, ut majore veneratione præ cæteris circumquaque Sanctorum locis celebraretur, per Leonem clariſſimum in omni ſanctitatis religione, Romanæ Sedis Apoſtolicum virum, in honore beati Petri Apoſtolorum Principis divinâ benedictione conſecravit, multiſque eam honoribus decoratam Regio & Apoſtolico Privilegio ita ſub anathemate mancipavit, ut nemo mortalium in his, quæ ad religionem eorum pertinere viderentur, aliquod jus aut dominium temerario molimine uſurpare auderet.*

[b] In Bertrando Ep.

XV. Adversùs hos Auctores ſufficit breviter repetere, quod ex veteribus Annaliſtis jam retulimus. *Medio Novembrio* anni videlicet ſuperioris, *adlatum eſt ei*, nempe Carolo Auguſto, *Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle ubicunque hoc contingere potuiſſet. Quem ſtatim miſſo ad Sanctum Mauricium Carlo filio ſuo, honorificè ſuſcipere juſſit. Ipſe obviam illi Remorum civitatem profectus eſt, ibíque ſuſceptum primò Cariſiacum villam ubi Natalem Domini celebravit, inde Aquaſgrani perduxit, & donatum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem deduci fecit uſque ad Ravennam. Cauſa adventus ejus hæc erat. Perlatum eſt ad Imperatorem æſtate præterita Chriſti ſanguinem in Mantua Civitate repertum fuiſſe. Propter hoc miſit ad Papam, petens ut hujus fama veritatem inquireret. Qui acceptâ occaſione exeundi, primò in Longobardiam, quaſi pro inquiſitione prædicta profectus eſt. Indéque arrepto itinere, ſubitò ad Imperatorem uſque pervenit. Manſitque apud illum dies* VIII, *&, ſicut dictum eſt, Romam repedavit.*

XVI. Guillelmus Cruceus, ut annum Caroli Regis in Anianenſi Charta depravatum corrigat, haud parum ſe torquet. Perperam Pippino Patri Carolum Regem anno Chriſti ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo ſubrogat, ejuſdém-

que Caroli Regis annum decimum-quartum cum anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-tertio componit. Nec hac erroneâ tueri ſe poteſt computatione, ſeriùs enim Leo Pontificatum iniit, exeunte videlicet anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto. Recurrit igitur ad emendationem numeri, & anni 14 loco reponit annum 34. Pippinus è vivis diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo, menſe Septembri. Carolus igitur annum Regni ſui triceſimum-quartum partim anno Redemptoris octingenteſimo primo, partim octingenteſimo ſecundo illigavit. Ad illum autem bis tantùm venit Leo Pontifex, ſemel anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono, iterum anno reparatæ Salutis octingenteſimo quarto exeunte, nec illis temporibus pedem in Septimania fixit. Ergo fruſtrà Cruceus aut quis alius annum Caroli Regis emendare ſtudeat, ut Anianenſi Chartæ firmam auctoritatem conciliare poſſit.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

XVII. Fruſtrà quoque quis Epiſcopos ex illa duntaxat Charta notos laudet. Ideóque ſtudioſiùs inquirendum manet, utrùm aliunde innoteſcant Præſules, quorum nomina ſive apud Auctores jam citatos ſive apud alios inveniantur. Delendi ſunt enim ex Epiſcoporum albo, qui ſolâ prædicti Diplomatis auctoritate nituntur. De ſingulis quid ſentiamus, paucis accipe.

XVIII. *Leo*, qui Garieli *Colonienſis* eſt *Archiepiſcopus*, Cruceo *Tolonicenſis*, haud alius nobis videtur à Leone Tertio Papa, quem Anaſtaſius aliique Pontificem tunc agnoſcunt. Certè Colonienſes Inſulæ penes Leonem Archiepiſcopum non erant, ſed penes Hildebaldum, de quo ſermonem ſæpè fecimus faciemúſque. Nec audiendi, qui Leonem Tolonenſem Epiſcopum comminiſcuntur.

XIX. *Nebridius* ſeu *Nibridius Archiepiſcopus* erat *Narbonenſis*. Id in controverſiam vocari non poteſt.

XX. *Stabellus* ſeu *Stabelus* vel Stabulus aut Stabilis, qui *Magalonenſis Epiſcopus* in Anianenſi Charta vocitatur, è Magalonenſium Epiſcoporum Catalogo non eſt expungendus, laudatur enim ab Ardone Auctore coætaneo, cujus hic eſt textus in vita Sancti Benedicti Anianenſis Abbatis. *Aiunt etiam quidam, quoniam horâ, quâ* Benedictus Abbas *migravit ad Chriſtum, Epiſcopo Stabulo Magalonenſi obitus ejus revelatus eſt: à ſomno ſiquidem ſurgens mox ſuis quod acciderat retulit.* At loco moveri debet, ſuperſtes enim eidem vixit Abbati Benedicto, cujus felix ad Deum tranſitus tertio Idus Februarii, anno reparatæ Salutis octingenteſimo viceſimo-primo contigit, ut fusè prævalidéque ſuo loco probabimus. In vulgatis Magalonenſium Epiſcoporum Indicibus, Joannem, quem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum in Narbonenſi Concilio laudavimus, proximè ſequuntur Stabellus, Ricuinus, & Argemirus. Stabellum autem Ricuino & Argemiro poſtponendum docent literæ Ludovici Pii, quas anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono, cùm Argemirus Eccleſiæ Magalonenſi præeſſet, ſcriptas teſtantur apud Garielem hi Characteres. *Dat. Id. Mart. anno, Chriſto propitio, ſexto imperii D. Ludovici Excellentiſſimi Auguſti, Indictione 12.* Succeſſor igitur Joanni datus eſt Ricuinus. *Hic vir literatus dicitur, in omni morum honeſtate præclarus & ſtrenuiſſimus pro fide Chriſti miles.* Lege Garielem [a], & cave ne Ricuinum hunc cum altero confundas, qui Sancto Fulcranno Lodovenſium Epiſcopo ſynchronus vixit.

[a] In Ricuino 1.

XXI. *Petrus Biterrenſis Epiſcopus* in Anianenſi tantùm Charta commemoratur, nec hac auctoritate ſatis notus videtur, ut locum ſibi poſt Vulfegarium, qui Concilio Narbonenſi ſubſcripſit, in Catalogo Biterrenſium Epiſcoporum ſervare poſſit. De proximis igitur Vulfegarii ſucceſſoribus altum in Hiſtoriis ſilentium.

XXII. *Deodatus Epiſcopus Albienſis* in eadem laudatur Charta, *Verdatus* eſt Catello, nec hic Verdatus Albigenſis Epiſcopus omittitur in Albigenſium Epiſcoporum & Caſtrenſium Abbatum Catalogo, cujus Auctor ad annum

AN. CH. 805. Redemptoris octingenteſimum duodecimum Tomo ſeptimo Spicilegii Dacheriani ſic habet. *Anno 812. Verdatus epiſcopabat : Grimoaldus abbatiabat.* Atque inde locum Deodato ſeu Verdato inter Albigenſes Epiſcopos aſſignamus ætate Caroli Magni.

XXIII. *Raimundus Epiſcopus Lutovenſis* in Anianenſi nominatur Charta, ſed expungi debet è Lutevenſium Epiſcoporum Catalogo, tunc enim, ut anno ſuperiore probavimus, Lutevenſis Epiſcopus erat Nebridius, iſque alius à Nebridio Metropolita Narbonenſi, de quo ſuprà.

XXIV. *Maginus Epiſcopus Ruthenenſis*, cujus nomen in Anianenſi tantùm Charta legitur, ex Epiſcoporum Nomenclatura delendus eſt. Certè ſub poſtremis Meroveadis Regibus necnon etiam ſub Pippino & Carolo Magno mutilus eſt Index Rutenenſium Epiſcoporum, & Elizachar, quem Robertus aliique tertio Nonas Novembris anno viceſimo-tertio Caroli Magni Regis commendant, in Caroli Calvi tempora rejici debet.

XXV. *Aymericus Epiſcopus Nemauſenſis* ex ſola notus eſt Charta prædicta pro dedicatione Altaris Anianenſis, quæ nullam ſibi vendicat auctoritatem. Poſt Witeringum, qui ſua ſubſcriptione Narbonenſem Synodum communivit, in Nemauſenſi Cathedra ſedit Chriſtianus Epiſcopus, de quo plura inferiùs ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum.

XXVI. *Benignus Epiſcopus Claromontenſis* in ſola quoque Anianenſi Charta reperitur, nec locum in Arvernorum ſeu Claromontenſium Epiſcoporum Catalogis obtinere debet. Iſtorum Præſulum Indices inter ſe multùm diſſident. Apud Chenutium recenſentur, *Stephanus*, qui regnante Pippino Sedem tenuit, *Adebertus*, *S. Stabilis*, & *Frigidiſus*. Apud Robertum idem ſervatur ordo; ſed Stephani, quem Chenutius Pippino Regi ſynchronum conſtituit, nudum editur nomen; de ſingulis verò ſucceſſoribus ſpeciale quid additur; de Adeberto, quòd *conſecravit Monaſterium Mozacenſe à Pipino inſtauratum*; de Sancto Stabile, quòd *Carolo Magno Rege obiit Cal. Januar.* de Fridigiſo ſeu Frigidiſo vel Fridigiſilo, quòd ſedit *Ludovico Pio imperante.* Sammarthani Fridigiſum Stabili rectè præponunt, quia *Fridigiſus Ludovico Pio imperante* Pontificatum geſſit, & *Stabilis in Concilio Tuſiacenſi ſubſcriptus habetur an. 860.* Movendus autem ſuo quoque de loco reſtat Adebertus, cùm enim Moſacenſe ſeu Mozacenſe Manaſterium *à Pipino inſtauratum* conſecraſſe dicitur, non aſſeritur coætaneus Pippino Caroli Magni patri, ſed Pippino Ludovici Pii filio Cœnobii Moſacenſis inſtauratori, ideóque medius Fridigiſum inter & Stabilem collocari debet. Atque habitis hiſce correctionibus, Avito Stephani ſucceſſori, de quo ſuperiùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-octavum locuti ſumus, proximè ſubrogamus Fridigiſum, qui Præſulatum inierit Carolo Magno ſuperſtite, vitámque Ludovico Pio Imperatore clauſerit.

XXVII. *Felix Archiepiſcopus Arelatenſis* in Anianenſi Diplomate notatur, ſed Arelatenſem Diœceſim tunc adminiſtrabat Joannes Lupi à nobis ad annum reparatæ Salutis ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum laudati ſucceſſor, de quo ſermo non ſemel recurret.

XXVIII. *Firminus Epiſcopus Eccleſiæ Toloſanæ* in eodem quoque legitur Diplomate, ſed Eccleſiæ Toloſanæ tunc præerat aut Arricho ſive Arruſo, qui Narbonenſe Concilium cum aliis Præſulibus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo celebravit, aut Mantio de quo plura ſub Ludovico Pio. Catellus [a] Mantioni Firminum & Neſcium præpoſuit, illum ex Anianenſi Diplomate, hunc ex Chartis à Dubleto publicatis in Hiſtoria [b] Monaſterii San-Dionyſiani. Prudenter utrumque prætermiſerunt Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana, fides enim nec Anianenſi Chartæ, nec San-Dionyſianis eſt habenda.

[a] Lib. 5. ter. Occitan.
[b] Lib. 3. c. 6. lib. 4. c. 3.

XXIX. *Stephanus Epiſcopus Agathenſis* ex Anianenſi tantùm Charta deprehenditur, ideóque cenſetur expungendus ex Epiſcoporum Catalogo. Mancus eſt

Digitized by Google

igitur Index Agathenſium Antiſtitum à Juſto ad Dagobertum, id eſt, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo, quo celebratum eſt Narbonenſe Concilium, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum ſexageſimum, quo Synodus Tuſiacenſis habita. AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

Aymatus ſive Aymatius *Epiſcopus Caorſenſis* ſeu Cadurcenſis, quoniam, ut obſervant Robertus & Sammarthani, celebratur *anno 770*, nullâ Diplomatis Anianenſis habitâ ratione ſuum Carolo Rege locum meritò ſervare nobis aliquando [a] viſus eſt inter Ambroſium & Angarium, quorum ille ſub Pippino, hic ſub Ludovico Pio floruit. Re tamen accuratiùs examinatâ ſententiam mutare cogimur, præcitatos enim Nomenclatores deprehendimus ſolâ nixos auctoritate Crucei, qui Cadurcenſem Epiſcopum agnoſcit Sanctum Ambroſium *ab A. C. 751. ad 770.* Deinde Aymatum *ab A. C. 770. ad 804. aut alium etiam inferiorem annum*, nec, præter Anianenſem Chartam cui fidem habere non poſſumus, ullam allegat ſcripturam, quæ mentionem Aymati faciat. XXX.

[a] Tom. 5. a. 759. n. 4.

Scribunt quidem Petrocoricenſes Leonem Papam cum Carolo Auguſto iter hoc anno per Diœceſim Petrocoricenſem habuiſſe, ſed Epiſcopi, qui tunc illic ſedebat, nomen reticent. Raymundum extitiſſe credimus. Hunc enim Sammarthani [b] Bertrando à nobis non ſemel laudato ſubrogant in Epiſcoporum Petrocoricenſium Catalogo, ceteris, quos alii Nomenclatores ediderunt, auctiore; & apud Joannem Puteanum Bertrandus & Raymundus antiquiſſimi ſunt Epiſcoporum, qui Petrocoricenſem Eccleſiam regnantibus Carolidis adminiſtrarunt. Iter autem Leonis in Aquitaniam ſecundam fabulis accenſe. XXXI.

[b] Tom. 3. Gall. Chriſt.

Sex Epiſcopi *Provinciales*, qui Chartæ Anianenſi ſubſcripſerint, apud Gueſnayum in Annalibus Maſſilienſibus [c] ex eadem Charta ſic recenſentur, *Fœlix Archiepiſcopus Arelatenſis, Valentinus Archiepiſcop. Aquenſis, Joannes Epiſco. Marſilienſis, Amicus Epiſco. Avinionenſis, Odalricus Epiſco. Dignenſis, Radulphus Epiſco. Cenenſis.* Felicem ex Arelatenſium Archiepiſcoporum Catalogo jam delevimus, de ceteris hic agendum. XXXII.

[c] Adan. 795.

Valentinus Archiepiſcop. Aquenſis. Omittendus hic Antiſtes in Aquenſium Archiepiſcoporum Nomenclatura, quia innoteſcit ex Charta duntaxat Anianenſi. XXXIII.

Joannes Epiſco. Marſilienſis. Gueſnayum, qui Joannem hunc Catalogo Maſſilienſium intruſit, jam refutavimus anno ſuperiore, quo Honoratus Mauronto in Maſſilienſem Epiſcopatum ſucceſſit. XXXIV.

Amicus Epiſco. Avinionenſis. Huic in Anianenſi Charta locum inter Epiſcopos decimum-tertium tribui ſcribit Nouguierus, ad annum autem Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum obſervavimus duos duntaxat Avenione, toto Caroli Principatu, Joſephum videlicet & Humbertum, Epiſcopos fuiſſe. XXXV.

Odalricus Epiſco. Dignenſis. Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo Raganbaldus factus eſt Dignenſis ſeu Dinienſis Epiſcopus, hoc anno ſuperſtes in vivis eſſe potuit, nec ei ſucceſſor ex ſola Diplomatis Anianenſis auctoritate dandus eſt Odalricus. XXXVI.

Radulphus Epiſco. Cenenſis, ſeu Senecenſis aut Sanicienſis, expungi quoque debet, quia ſolo Dedicationis Anianenſis Diplomate nititur. XXXVII.

Haud aliter ſentiendum de Severino Vivarienſi Epiſcopo, quem Columbus [d] laudat, déque aliis quarumlibet Sedium Præſulibus, quorum memoriam ad nos ex eadem duntaxat Anianenſi Charta perveniſſe conſtat. In horum numero ponendus eſt Florentinus, quem Guichenonus in Epiſcopis Bellicenſibus ex eadem Anianenſi Charta commendat non quidem ad annum Chriſti 804 ut alii, ſed ad annum 884. Poſt Epiſcopos enim Bellicenſes, quos Tomo quinto commemoravimus, apud illum Auctorem hi ſequuntur, Ermunbertus, Rodogerius, Rithfredus, Stephanus, XXXVIII.

[d] Lib. 2. c. 27.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17. XXXIX. LEO PAPA REDIT IN ITALIAM.

Ringuinus, Sigoldus, & Florentinus qui Dedicationi Anianenſi interfuit anno 884.

Miſſis tot fabulis, quæ de Sancti Swiberti Canonizatione & Altaris Anianenſis Dedicatione circumferuntur, certiora monumenta quæramus. Carolus Imperator, ut ex antiquis Annaliſtis probatum ſuprà, Leonem Papam Cariſiaco, ubi Natalem Domini celebrarant, Aquiſgranum ſub initium hujus anni perduxit, *& honoratum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem à ſuis duci fecit uſque Ravennam.* Cùm ſimul eſſent apud Aquiſgranum, nec obliviſcerentur victoriæ ante quadriennium ad Anſidoniam in Tuſcia reportatæ, Donationem inſignem fecerunt Monaſterio Sancti Anaſtaſii ſeu Trium Fontium ad aquas Salvias prope Romam erecto. Illorum Diploma recitant Ferdinandus Ughellus Tomo primo [a] Italiæ Sacræ & Cornelius Margarinus Tomo ſecundo [b] Bullarii Caſinenſis. Utrobique ſunt nævi, præſertim in Titulis Caroli, qui non Auguſtus ſed Rex nominatur, *Magnus & Pius Rex* apud Ughellum, *Magnificus & præſens Rex* apud Margarinum. At locus ille, quem diverſæ lectiones depravatum oſtendunt, ſuam Donationi non adimet auctoritatem, quam Alexander Quartus Papa confirmavit, ut Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum primum [c] jam notavimus. Ipſum Donationis Diploma non deſcribemus, quia tota Donatio nihil omnino complectitur extra Tuſciæ partem, quæ Pontificii jam erat juris ex Caroli munificentia. Tempus, quo datum eſt, quatuor notatur Characteribus. *Actum eſt hoc & traditum anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quinto, Indictione decimâ-tertiâ, & Domini Leonis Summi Papæ Tertii anno decimo, & Domini Caroli Imperatoris anno quinto.* Sed annus Incarnationis Dominicæ & annus Leonis Papæ ſunt expungendi, ſervandáque tantùm Indictio cum anno Caroli Imperatoris. Locus, ubi confecta Charta, deprehenditur ex hac ſubſcriptione, *Robertus Aquiſgranis ſubſcripſi.* Subſcripſerunt eidem Chartæ Leo Papa, Carolus Imperator, Petrus Oſtienſis Epiſcopus, & alii. *Ego Leo Epiſc. Romanæ Eccleſiæ ſubſcripſi. Ego Carolus Imperator Auguſtus ſubſcripſi. Ego Petrus Epiſc. Hoſtien. ſubſcripſi. Ego* &c. Ughellus poſt Petrum in Oſtienſi Cathedra Bernardum deinde Cæſarium collocat. Expungendus autem Bernardus, quia non innoteſcit aliunde, quàm ex epiſtola pſeudo-Liudgeriana jam refutata. Cæſarius ad Eugenii Secundi Pontificatum pervenit, quonam anno ſuſceperit Epiſcopatum nemo ſcribit. Nobis ſatis eſt obſervaſſe, quòd civitas Oſtienſis, quandiu ſub poteſtate Francorum fuit, duos duntaxat Epiſcopos habuit, Petrum videlicet qui Leonem Papam anno priore venientem in Gallias atque hoc anno redeuntem in Italiam comitatus eſt, & Cæſarium qui eidem Petro in Epiſcopatum proximè ſucceſſit.

[a] In Epiſc. Oſtienſ. 11.
[b] Conſtitut. 25.
MUNIFICUS EST CUM CAROLO AUG. ERGA MON. S. ANASTASII.
[c] Num. 4.

XL. * *de Breſſe.*

Hoc eodem anno, cùm Leo Pontifex in Italiam reverſus eſt, Eccleſiam Brixienſem * regebat Amfridus Epiſcopus, quem Amphridium quoque & Amphrigium vocatum reperies. Rampertus, qui poſt Sanctum Philaſtrium triceſimus-quartus in Epiſcoporum Brixienſium Catalogo numeratur, acturus [d] de Tranſlatione ejuſdem Sancti Philaſtrii, triginta-tres intermedios Epiſcopos recenſet, è quibus floruerunt ſex ac viginti, priuſquàm Brixia poteſtati Francorum ſubjaceret, ſeptem igitur poſteriores hîc indicaſſe ſufficiet, Theodaldum, Vitalem, Benedictum, Anſoaldum, Cunipertum, Amfridum, & Petrum cui Rampertus ſucceſſit. Epiſcopatum gerebat Theodaldus anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, cùm Carolus Longobardiam Francicis ditionibus adjecit. Mentionem Vitalis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum fecimus. De Benedicto, Anſoaldo, Cuniperto, & Amfrido, quid Ughellus [e] ſcribat, paucis accipe. *Benedictus ſepultus ante regiam S. Mariæ. Antoaldus* ſive Anſoaldus *vir doctrinâ ac ſanctitate celebris. Hunc aliquot opuſcula ſcripſiſſe narrant, fuiſſéque ſepultum apud S. Petrum in Oliveto. Cunipertus ſepultus in*

[d] Ap. Sur. d. 18. jul.

EPISCOPI BRIXIENSES.

[e] Tom. 4. Ital. Sacr. in Epiſc. Brixienſ. 59. & ſeqq.

Æde

Ædè SS. Fauſtini & Jovittæ ad ſanguinem, ſic appellata, quia ibidem pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fuderunt. *Amphridius ſive Amphrigius* aut Amfridus *Brixienſem tenuit Sedem optimâ famâ Paſtoris*. De hoc plura dicemus anno ſequenti. AN. CH. 805.

XLI. In Annalibus [a] Circuli Weſtphalici, Hermannus Stangefolus Indicem texit Abbatiſſarum Lyſbornenſium ad Lippiam, atque initium repetit à Roſchwinde, quam hoc anno primam illius loci conſtituit Abbatiſſam. Situm hoc Monaſterium in Epiſcopatu Mimigardevordenſi ſeu Monaſterienſi, conditum fuit à Carolo *in hæreditate Boſſonis Comitis*. An ejuſdem Caroli ſoror fuerit Roſchwindis, inquiremus infrà. Tunc Mimigardevordenſis Epiſcopus erat Liudgerus, cui, teſte Henſchenio [b], Donationem hanc alter Liudgerus & Haddo fecerunt nono Kalendas Maias, hoc anno, Regni Carolini triceſimo-ſeptimo. *Ego Liudgerus filius quondam Hredgeri, & ego Haddo filius quondam Hertwini, tradidimus partem propriæ hæreditatis noſtræ Liudgero Epiſcopo, pro remedio animæ noſtræ & pro æterna retributione, in villa quæ dicitur Thornſpic, in his duobus locis, id eſt, in Quarſingſeli & in Berugranſcotan, quicquid ibi habuimus, aut per jus hæreditatis, aut per comprehenſionem, aut per aliam quamcumque adquiſitionem, omnia hæc ad integrum ipſi Liudgero Epiſcopo in eleemoſynam tradidimus*, &c. *Acta in villa quæ dicitur Bidingahem, anno* XXXVII *Regni Glorioſiſſimi Imperatoris Carli*, IX *Kal. Maias.*

[a] Lib. 2. ROSCHWINDIS ABBATISSA LYSBORN.

[b] D. 26. Mart. LIUDGERUS EP. AUGETUR DONATIONE.

Per eadem tempora Liudgerus Mimigardevordenſis Epiſcopus Helmenſtadium * oppidum permittente Carolo Auguſto communivit, ornavitque Monaſterio, quod Werthinenſi ſubjectum eſſe voluit. Origines Helmenſtadienſes citiùs refert Krantzius in ſua Metropoli [c], necnon ex eo Stangefolus in Annalibus Circuli Weſtphalici ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum. Sed Liudgerus id conſilii non cepit, priuſquàm Mimigardevordenſis eſſet Epiſcopus, cogitarétque Wandalis Evangelium prædicare. Situm eſt Helmenſtadium inter Obacrum & Aleram fluvios, de quibus actum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum [d]. Vallavit Liudgerus hunc locum, ut ſibi Chriſtianam Religionem per Wandaliam diſſeminaturo tutus atque opportunus eſſet receptus. Laudatur à Poëta Werthinenſi, quòd tria loca conſtruxerit, Werthinam & Helmenſtadium Monachis, Canonicis Monaſterium apud Mimigardevordem.

*Helmſtadt.

[c] Lib. 1. c. 10. CONDIT HELMSTADIUM.

[d] No. 9. 10.

Fundavit inſuper tria loca pariter,
Numero locorum, quo & populorum:
Werthinam, Helmenſtad Monachis fundaverat,
De proprietate vel hæreditate.
Et Epiſcopium dictum Monaſterium.

XLII. GERSVINDA NUBIT CAROLO AUG.

Leone Papâ reditum in Italiam aggreſſo, Carolus duxit Gerſvindam Saxonici generis fœminam, cujus meminit Eginhardus. *Hyeme porrò tranſactâ* idem *Carolus Imperator*, ut vetus Aſtronomus in vita Ludovici Pii teſtatur, *tempus opportunum nactus, utpote ab externis quieſcens bellis, cœpit circumire loca ſui Regni, mari contigua. Quod dum Ludowicus Rex comperiſſet, Rothomagum miſſo Legato Hademaro, petiit eum in Aquitaniam diverſiſſe, & Regnum quod ſibi dederat, inviſere, & ad locum, qui Caſſinogilus vocatur, venire. Cujus petitionem pater honorabiliter ſuſcepit, & filio gratias egit, petita tamen negavit, & ut ſibi Turonum occurreret mandavit. Quo filius veniens, gratulabundè nimis ab eo ſuſceptus, & in Franciam redeuntem Vernum uſque proſecutus eſt. A quo digrediens, in Aquitaniam regreſſus eſt.* Hæc vetus Aſtronomus in vita Ludovici Pii.

LUDOVICUS TURONOS VENIT, ET INDE VERNUM USQUE PROSEQUITUR CAROLUM AUG. REDEUNTEM AQUISGRANUM.

XLIII. THEODORUS PRINCEPS HUNORUM CHRISTIANUS ADIT COROLUM AUG.

Imperator Aquiſgranum citiſſimè rediit, ibique manſit ad menſem uſque Julium. Illic morabatur, cùm Theodorus Caganus ſeu Princeps Hunorum ad eum venit. Quæſtio eſt, utrùm Theodorus Aquiſgrani viſus ſit, priuſquàm Carolus maritimâ Regni ſui loca circumiret, an ſeriùs poſt ejuſdem Imperatoris reditum ex agro Turonenſi. Prior opinio magis placet,

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

res enim hoc anno geſtas Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis & Bertinianus ſic aggrediuntur. *Non multò pòſt*, id eſt, non multò poſt Leonis Papæ diſceſſum ex Aquiſgranenſi Palatio, ut Romam reviſeret, *Caganus Princeps Hunorum, propter calamitatem populi ſui, Imperatorem adiit, poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infeſtationem Sclavorum, qui Behemanni vocantur, in priſtinis ſedibus eſſe non poterant. Illi enim omnem terram Hunorum depopulantes, Lechonem tunc Ducem habuerunt. Hunc Imperator benignè (erat enim Caganus Chriſtianus, nomine Theodorus) ſuſcepit, & precibus ejus annuens, muneribus donatum redire permiſit. Qui rediens ad populum ſuum, pauco tempore tranſacto diem ſuum obiit.* Hæc Melchior Inchofer adversùs vetuſtiſſimos Annaliſtas in annos octavum ac nonum noni ſeculi rejicere fruſtrà conatur. Certiora ſcribit de Sabaria & Carnunto nobiliſſimis quondam Romanorum coloniis. Carnuntum in ripa Danubii collocat, Viennam inter & Poſonium *, Auſtriæ Hungariæque primarias hodie civitates, ad locum ubi vetuſtæ amplæque urbis veſtigia cernuntur cum vicina Hamburga *. Sabariam verò nemo non ponit ad cognominem fluvium, qui ſubit Arabonem ut dictum ſuprà. Qui Theodoro novus ſucceſſit Caganus, ſeu filius, ſeu conſanguineus, is, teſtibus iiſdem Annaliſtis, *miſit unum de Optimatibus ſuis* ad Carolum, *petens ſibi honorem antiquum, quem Caganus apud Hunos habere ſolebat. Cujus precibus Imperator aſſenſum præbuit, & ſummam totius Regni juxta priſcum eorum ritum habere præcepit.* Hunc Caganum quidam [a] Abraamum vocant, deceſſore potentiorem omnes agnoſcunt, parique inflammatum zelo pro Chriſtiana Religione teſtatur ſingularis amor quo proſecutus eum Carolus in vetuſtis Annalibus aſſeritur. Turonis Aquiſgranum jam redierat Imperator, cùm poſterioris hujuſce Cagani nuncium è Pannonia miſſum ſuſcepit.

QUERITUR DE BEHEMANNIS. OBIT.

* *Preiburg.*

* *Haimburg.*

SUCCEDIT ABRAAMUS.

[a] Avent. l. 4. Bojor.

XLIV. CAROLUS AUG. BELLUM IN BEHEMANNIA PER CAROLUM FILIUM FELICITER GERIT.

De Behemannis ſeu Bohemis adhuc idololatris, quòd Hunis Chriſtianis injurias inferrent, graviter apud Carolum queſtus fuerat Theodorus Caganus. Inde data Francis occaſio belli feliciter in Behemannia gerendi, gentiliſque ſuperſtitionis, quam illius regionis incolæ nondum deſeruerant, penitus extirpandæ. Imperator *miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Karolo in terram Sclavorum, qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum Lechonem occidit, & inde regreſſus in Vogeſum ſylvam ad patrem venit in loco qui dicitur Camp.* Ita ſcribunt ad hunc annum veteres Annaliſtæ, déque Carolo Auguſto hæc proximè ſubjiciunt. *Imperator Julio menſe de Aquiſgrani profectus, per Theodonis villam atque Metis tranſiens, Vogeſum petiit, ibique venationi vacans, poſt reverſionem exercitûs, ad Rumerici Caſtellum profectus, ibique aliquantùm temporis moratus* in Diœceſi videlicet Tullenſi, cujus Epiſcopus erat Unanimicus. In vulgatis exemplaribus Epiſcopi Tullenſes ſub Carolo Magno & Ludovico Pio recenſentur hoc ordine. Gribaldus ſeu Garibaldus, Jacob, Unanimicus, & Frotharius. Loco movendus eſt Jacob, Epiſcopatum enim abdicavit regnante Pippino. Gribaldus munificum ſe præbuit erga Monaſterium Sancti Michaelis in Epiſcopatu Virodunenſi, cùm regimen Cœnobii penes Hermengaudum Abbatem erat. Abbatialem Præfecturam iniit Hermengaudus Rege Pippino, vitámque clauſit Carolo Rege, à quo Regium obtinuit Præceptum, ut illius loci Monachi, poſt Abbatis mortem, liberè quem vellent è ſua Congregatione ſucceſſorem eligerent. Hermengaudo proximè ſubrogatus eſt Smaragdus, de quo ſæpiùs recurret ſermo. Borno Tullenſis Epiſcopus memoratur à Symphoriano Champiero, præponitúrque Unanimico. De utroque nihil præter nomen ad nos pervenit. Unanimico ſedente, Monaſterium Sancti Apri regebat Abbas Frotharius, qui Tullenſes pòſt Infulas adeptus eſt, atque in Epiſcopali Cathedra ſedere cœpit ante annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, ut ſuo loco probaturi ſumus. Interim pro Sancti Michaelis Monaſterio Regium accipe Præceptum, anno

quarto Caroli Regis emiſſum, & in ſecundo Tomo veterum Analectorum à Joanne Mabillono nuperrimè ſic publicatum [a]. *Carolus Dei gratiâ Vir Illuſtris, Francorum Rex. Tunc Regalis Celſitudo fundamenta ſui culminis corroborat, quando petitionibus Sacerdotum ſtudet pro eorum quiete vel juvamine obaudire, & ad effectum in Dei nomine mancipare. Cùm itaque Venerabilis Vir Hermengaudus Abbas ſive Epiſcopus de Monaſterio Caſtellionis in pago Virdunenſi, in fine Vindemiaca, ubi conſurgit fluvius Marſupia, quod Illuſter Volfandus & conjux ſua Adalſinda in eorum proprietate, in honore Sancti Michaelis Archangeli vel ceterorum dominorum Sanctorum, ubi ipſe cum norma plurima converſari videtur, noſcitur conſtruxiſſe, integrâ immunitate omnes res, villas, vel facultates, & quidquid præſenti tempore in quibuſcumque pagis & terreaturis in Regno, Deo propitio, noſtro, tam ex allode, quàm de comparato, vel de quolibet attracto, ſeu ex munere Regum præſenti tempore videtur habere, aut quidquid inantea attrahere vel meliorare potuerit, & quidquid à Deum timentibus bonis hominibus ibidem additum vel collatum fuerit, pro mercede noſtra viſi fuimus conceſſiſſe, ſicut bonæ memoriæ Dominus & Genitor noſter Pipinus quondam Rex fecit, ut nullus Judex publicus nec ad cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec manſiones aut paratas faciendas, nec ullas requiſitiones inquirendas nec exactandas, nec ad homines ſuos, tam ad ingenuos, quàm ad ſervientes, qui ſuper terram ipſius Monaſterii commanere videntur, nec fidejuſſores tollendos, inibi Judiciaria poteſtas penitus ingredi non præſumat, ſed jam dictus Hermengaudus Epiſcopus, aut pars ipſius Monaſterii, omnes res vel facultates ſuas ſub Immunitatis nomine, & omnia feuda conceſſa debeat poſſidere & dominare. Ideo per præſentem Præceptionem decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus eſſe manſurum, ut neque nos, neque Juniores ſucceſſores noſtri, neque quilibet ex Judiciaria poteſtate, nec de parte Pontificum, nec ad quemlibet hominum, in res vel facultates ipſius Abbatis ſive Epiſcopi, vel Monaſterii ſui, quidquid præſenti tempore, tam ex allode, quàm de comparato, vel de quolibet attracto, ſeu ex munere Regum habere videtur, aut quidquid adhuc inantea attrahere vel meliorare potuerit, & quod à timentibus Deum bonis hominibus additum vel collatum fuerit, ibi Judiciaria poteſtas ingredi penitus non permittatur, ſed, ut diximus, ex noſtra indulgentia jam dictus Abbas ſive Epiſcopus Hermengaudus, aut pars Monaſterii ſui, vel omnis Congregatio ibidem exiſtentium, aut ſucceſſores ſui, ſub integra Immunitate omnia feuda conceſſa debeant poſſidere & dominare, ut ibidem in ipſo ſancto loco noſtris & futuris temporibus Deo adjuvante in luminaribus proficiat in augmentum, unde & ipſa Congregatio pro ſtabilitate Regni noſtri, vel pro ſalutis patriæ proſperitate Domini miſericordiam jugiter debeant exorare, & nullas requiſitiones & impedimentum à Judicibus publicis aliquo tempore, nec à nobis, nec à ſuccedentibus Regibus, nec de parte fiſci noſtri, nec de qualibet exinde habere non pertimeſcat. Et ut hæc Præceptio noſtra firmior habeatur, vel per tempora meliùs conſervetur, manu noſtrâ propriâ ſubſcripſimus, & anulo noſtro ſigillari decrevimus. Signum Caroli Gloriſiſſimi Regis. Datum in menſe Maio, anno quarto Regni noſtri. Actum Drippione in Palatio publico Regio.* Redeamus jam ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum, à quo digreſſi ſumus, ut oblatâ occaſione differendi de Monaſterio Sancti Michaelis ad Moſam, Regium Caroli Diploma deſcriberemus, quod ſuo loco recitare non potuimus, quia nondum in lucem prodierat.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

DAT PRÆCEPTUM PRO MONAST. S. MICHAELIS AD MOSAM.

[a] In Chron. Mon. S. Michaelis ad Moſam.

XLV. EDIT DUO CAPITULARIA IN VILLA THEODONIS.

Carolus Imperator relicto Rumerici ſeu Romarici Caſtello, *ad hyemandum in Theodonis villa Palatio ſuo conſedit.* Hoc aſſerunt Annaliſtæ jam laudati. Ceterùm in eodem Palatio, ante Natalem Domini, cùm annum Imperii ſui quintum adhuc numerabat, duo edidit Capitularia, de quibus ita Sirmondus ex Metenſi Codice. *Anno* V *ad Theotonem villam, Capitula infra Eccleſiam* XVI. *ad omnes generaliter* XXIII. De prioribus Capitulis non movetur diſputatio, movetur de poſterioribus, quia ſunt in editione Bavarica viginti-quinque, pauciora in manuſcriptis Codicibus, quos Sirmondus & Baluzius

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

conſuluerunt. Vitus Amerpachius, cùm ab Abbate Monaſterii Teghernſeenſis in Bavaria Codicem accepiſſet manuſcriptum, in quo compendium Capitularium à Lothario Auguſto Caroli Magni nepote collectum continebatur, opus illud Ingolſtadii publicavit, deinde poſt annos quinquaginta Joannes Buſæus Societatis Jeſu Preſbyter, cùm novem epiſtolas Hincmari Metropolitæ quondam Remenſis in Spirenſi Cathedralis Eccleſiæ Bibliotheca reperiſſet, eandem Capitularium epitomen Moguntiæ recudendam curavit, & Hincmarianis epiſtolis, quarum explicationi non parùm profuturam ſperabat, ſubjecit hoc adornatam titulo. *Caroli Magni Conſtitutiones præcipuæ, tam Eccleſiaſticæ quàm politicæ, à Hlothario Imp. ejus nepote, Hincmari ſeculo in epitomen redactæ, nuper ex mſ. Codice Cœnobii Teghernſeenſis in Bavaria evulgatæ, & Viti Amerpachii notis breviter illuſtratæ, quarum lectio ad multa loca in epiſtolis Hincmari intelligenda non parum juvabit.* Hic titulus nævo non caret. Lotharius non Caroli tantùm Magni ſed etiam Ludovici Pii præcipuas Conſtitutiones in unum volumen redegit, idque palàm ipſemet in ſuæ Collectionis epilogo ſic teſtatus eſt. *Placuit nobis, ut hæc Capitula, quæ excerpſimus de Capitulis ſanctæ memoriæ avi noſtri Caroli ac Domini noſtri Hlotowici Imperatoris ab omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ſeu noſtris fidelibus in Regno Italiæ conſiſtentibus pro lege teneantur & conſerventur.* Et in eadem epitome legitur Capitulare, cui non inſcribitur nomen Imperatoris, at annus dumtaxat Imperii decimus-ſextus, iſque Ludovico Pio convenit, Carolo Magno nequaquam, hic enim obiit anno Imperii decimo-quarto, Ludovicus verò deceſſit anno ſuſcepti Imperii viceſimo-ſeptimo. Lotharianam Collectionem Tomo ſuperiore non ſemel laudavimus, ſive ad annos Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-nonum & ſeptingenteſimum octogeſimum-nonum Capitularia Caroli deſcriberemus, ſive ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum recitaremus Capitula, quibus Legem Longobardorum Pippinus Italiæ Rex adauxit. Illam deinceps frequentiùs conſulemus, atque cum libris Capitularium, & Codicibus quos Jacobus Sirmondus & Stephanus Baluzius à ſe viſos affirmarunt, accuratiſſimè conferemus habitâ priùs eidem Stephano Baluzio ampliſſimarum gratiarum actione, quòd ſtatim ac ſextum Annalium noſtrorum Tomum prodiiſſe ſcivit, multa, quæ ſeptimo huic credidit inſerenda, ſingulari prorſus benevolentiâ nobis communicavit ex Regum Francorum Capitularibus, quorum editioni à literatis quibuſque plurimùm expetitæ etiamnum incumbit.

XLVI. Capitulare, quod *infra Eccleſiam* inſcribitur, ab Amerpachio & Buſæo ex Codice Monaſterii Teghernſeenſis, à Sirmondo & Baluzio ex Metenſi Codice Sancti Vincentii publicatum eſt. Sexdecim conſtat Capitulis. Partim libris quarto & quinto Capitularium, partim Appendici primæ inſertum reperitur. Singula nunc accipe Capitula ex Codice Metenſi, à quo Teghernſeenſis non parùm differt.

XLVII. Primum Capitulum eſt de lectionibus. *Ut Lectiones in Eccleſia diſtinctè legantur.*

XLVIII. Secundum eſt de cantu. *Ut cantus diſcatur, & ſecundùm ordinem & morem Romanæ Eccleſiæ fiat: & ut Cantores de Metis revertantur.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo Carolus, cùm Româ rediret, *Theodorum & Benedictum Romanæ Eccleſiæ doctiſſimos Cantores* in Galliam abduxit, *unum in Metis civitate, alterum in Sueſſionis civitate* præfecit Scholæ Cantorum. Res utrobique feliciter ſucceſſit. Metenſis tamen Schola Sueſſionenſi prævaluit. Monachus enim Egoliſmenſis, qui totum hoc negotium fuſiùs enarrat, in ejuſdem Caroli vita ſic ſcribit. *Majus Magiſterium cantandi in Metis civitate remanſit, quantúmque Magiſterium Romanum ſuperat Metenſe in arte cantilenæ, tanto ſuperat Metenſis cantilena ceteras Scholas Gallorum.* E diverſis igitur provinciis Metas confluxerunt, qui Romanum cantum ediſcerent, & quoniam diutiùs ibi morantur, nec ſuas in urbes reverti volunt, mo-

Digitized by Google

ventur adversùs eos querelæ, ſtatuítque Carolus, *ut* iidem *Cantores* edocti *de Metis*, in ſuam quiſque patriam, *revertantur*. AN. CH. 805.

Tertium Capitulum eſt de Scribis & Notariis. *De Scribis, quòd vitiosè non ſcribant. Ut unuſquiſque Epiſcopus, & Abba, & ſinguli Comites ſuum Notarium habeant.* Prior pars hujus Capituli inſerta eſt libro primo [a] Capitularium, ſic. *De ſcribis, ut vitiosè non ſcribant.* XLIX. [a] Cap. 111.

Quartum Capitulum eſt de diverſis diſciplinis diſcendis. *De ceteris diſciplinis Eccleſiæ, ut ſecundùm Canones vel Regulam fiant.* L.

Quintum Capitulum eſt de compoto & arte medicinali. *De compoto, ut veraciter diſcant omnes. De medicinali arte, ut infantes hanc diſcere mittantur.* LI.

Prædictorum quinque Capitulorum ſoli Tituli poſt librum quartum Capitularium in Appendice prima ſic habentur. *I. De Lectionibus. II. De cantu. III. De Notariis. IV. De ceteris diſciplinis. V. De compoto. VI. De medicinali arte.* Capitulum quintum, quod eſt de compoto & arte medicinali, diſtinguit eadem Appendix in quintum *de compoto* & in ſextum *de medicinali arte*. In Teghernſeenſi Codice ſoli quoque ſunt Tituli, leguntúrque ſeptem, quia tertium Capitulum, quod eſt de Scribis & Notariis, in duo etiam ſic dividitur. *I. De Lectionibus. II. De cantu. III. De Scribis, ut non vitiosè ſcribant. IV. De Notariis. V. De ceteris diſciplinis. VI. De computo. VII. De medicinalib.* LII.

Sextum Capitulum de Eccleſiis ſine honore manentibus ſic editum eſt. *De Eccleſiis ſine honore manentibus in luminariis & officiis, & de his qui decimas quidem adprehendunt & de Eccleſiis non curant, ut omnimodis emendentur; & de Altaribus, ut non ſuperàbundent in Eccleſiis.* Paulo breviùs in Codice Teghernſeenſi [b] & in Appendice [c] prædicta recitatur. LIII. [b] Cap. 8. [c] Cap. 7.

Septimum Capitulum eſt de iis, qui nuper ad Monaſterium venerunt. *De nuper venientibus ad Monaſterium, ut primò diſcant Regulam, antequàm foras mittantur ad miniſteria: & quòd non vadant ad judicia ſecularia.* Hoc Capitulum omittitur in Codice Teghernſeenſi. LIV.

Octavum Capitulum eſt de iis, qui ſeculum relinquunt, ut debitum ſervitium fugiant. *De his qui ſeculum relinquunt ad ſervitium dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut aut in ſeculo ſint, aut plenè in Regula permaneant*, ſive, ut habet Capitulum centeſimum quadrageſimum-ſecundum libri quinti Capitularium, *unum è duobus eligant; aut pleniter ſecundùm Canonicam, aut ſecundùm Regulæ inſtitutionem vivant; aut ſervitium dominicum faciant.* Abeſt etiam hoc Capitulum à Codice Teghernſeenſi. LV.

Nonum Capitulum inſcribitur *de relinquentibus ſeculum*, eſt tamen de ſolis Clericis. *Ut omnes Clerici unum de duobus eligant, aut pleniter ſecundùm Canonicam aut ſecundùm Regularem inſtitutionem vivere debeant.* In Capitulo decimo Codicis Teghernſeenſis & in nono prælaudatæ Appendicis deſiderantur hæ voces, *omnes Clerici*, cetera ſunt conformia. *De relinquentibus ſeculum, ut unum è duobus eligant*, &c. Ut hoc autem Capitulum de Clericis intelligas, ſuadent proximè ſequentia, quæ pertinent ad Monachos. LVI.

Decimum Capitulum eſt de laicis noviter converſis, éique ſimillima ſunt, nonum Codicis Teghernſeenſis & octavum prædictæ Appendicis. *De laicis noviter converſis, ne antequam ſuam legem pleniter vivendo diſcant, ad alia negotia mittantur.* LVII.

Undecimum Capitulum, quod eſt *de ſervis propriis & ancillis*, ita legitur. *De propriis ſervis & ancillis, ut non ſupra modum in Monaſteria ſumantur, ne deſertentur villæ.* Et in Codice [d] Teghernſeenſi ac primo [e] libro Capitularium ſic editum eſt. *De ſervis propriis & ancillis, ut non amplius tondeantur vel velentur, niſi ſecundùm menſuram, & ut ibi ſatis ſit, & villæ non ſint deſolatæ.* LVIII. [d] Cap. 11. [e] Cap. 113.

Duodecimum Capitulum, quod *de congregationibus ſuperfluis* inſcribitur, cum quatuor reliquis inſertum eſt Codici [f] Teghernſeenſi & libro LIX. [f] Capp. 14. & ſeqq.

AN. CH. 805. primo [a] Capitularium. *De congregationibus ſuperfluis, ut nullatenus fiant, ſed tantos congreget quis, quantis conſilium dare poſſit.* Vel, ut Codex Teghernſeenſis habet, *tantos congregent, quantis conſilium dari poteſt.*

[a] Capp. 112. 114. & ſeqq.

LX. Decimum-tertium Capitulum *de non pulſatis ſecundùm Regulam* ſeu *de pulſantibus* inſcribitur. *De illis, qui non ſunt ſecundùm Regulam pulſati* ſeu probati, *ut deinceps emendentur & purgentur ſecundùm Regulam.* Hoc Capitulum in Codice Teghernſeenſi ſic habetur. *De illis, quæ non ſiunt ſecundùm Regulam à pulſantibus, ut deinceps emendentur, & pulſetur ſecundùm Regulam.* Et ab Amerpachio perperam explicatur *de pulſandis tintinabulis in Templis.*

LXI. Decimum-quartum Capitulum eſt de infantulis puellis, quando velentur. *Ut infantulæ ætatis puellulæ non velentur, antequàm illæ eligere ſciant quid velint, & ut pulſentur ſalvâ canonicâ ſententiâ & auctoritate.* Brevius in Capitularibus [b], *& pulſentur ſecundùm Regulam.* In Codice Teghernſeenſi deſiderantur hæ voces, *& pulſentur.* Ceteris hoc loco præferendus eſt textus Codicis Metenſis.

[b] Lib. 1. c. 114.

LXII. Decimum-quintum Capitulum inſcribitur de Præpoſitis Monachorum. *Ut laici non ſint Præpoſiti Monachorum infra Monaſteria, nec Archidiaconi ſint laici.* In hoc Capitulo laicus non opponitur Clerico, ſed Clericus laicus opponitur Clerico Regulari. Senſus igitur hic eſt. Ut Cletici laici ſeu non Regulares nec Archidiaconi ſint in Epiſcopiis nec Præpoſiti Monachorum in Monaſteriis.

LXIII. Decimum-ſextum Capitulum *de inceſtuoſis* inſcribitur. *De inceſtuoſis, ut canonicè examinentur, & nec propter alicujus amicitiam alii relaxentur, alii conſtringantur,* ſive ut Codex Teghernſeenſis & primus liber Capitularium habent, *quidam relaxentur, quidam verò conſtringantur,* id eſt, quidam abſolvantur, quidam verò damnentur.

LXIV. Alterum Capitulare, quod eſt *ad omnes generaliter,* in Codice Teghernſeenſi conſtat Capitulis viginti-quinque, quorum tria poſtrema Stephanus Baluzius in manuſcriptis exemplaribus San-Gallenſi & Corbionenſi teſtatur deſiderari. Præterea Metenſem Sancti Vincentii Codicem, quem à Sirmondo viſum diximus, idem etiam Baluzius vidit contulitque cum Vaticano ac Navarrico, factâque collatione Capitulare, quod apud Sirmondum tribus ac viginti componitur Capitulis, in quatuor ac viginti Capitula diſtribuit, ſecundo in duo diſtinctè ſeparato. Utramque editionem, Baluzianam videlicet & Amerpachianam ſeu Bavaricam, ſimul comparabimus.

LXV. Primum Capitulum in editione Baluziana, quæ Codicibus, Vaticano, Metenſi, & Navarrico, nititur, eſt de pace ſervanda, ſic. *De pace, ut omnes, qui per aliqua ſcelera ei rebelles ſunt, conſtringantur.* Ab hoc Capitulo inchoatur tertius Capitularium liber. *De pace admonemus, ut omnes, qui per aliqua ſcelera ei rebelles ſunt, conſtringantur.* Codex Teghernſeenſis eſt depravatus. *De pace, ut omnes, qui per alia ſcelera rebelles ſunt, conſtringantur ad omnes generaliter.* Amerpachius ad hunc locum *per alia ſcelera* legit *per talia ſcelera,* meliùs ex tertio Capitularium libro reponeret *per aliqua ſcelera.* Deinde non parùm ſe torquet in explicando fine Capituli, *conſtringantur ad omnes generaliter,* has enim voces, *ad omnes,* ait abundare, vel hunc eſſe ſenſum ut conſtringantur ad unum omnes; at Capitulum deſinit in hoc vocabulo *conſtringantur,* & quæ ſequuntur hæ voces, *ad omnes generaliter,* pertinent ad Titulum ipſius Capitularis, quod eſt *ad omnes generaliter.*

LXVI. In editione Baluziana Capitulum ſecundum eſt *de juſtitiis generalibus;* tertium verò præcipit, *ut viduæ, orphani, & pauperes non deſpiciantur.* Secundum ſic habetur. *De juſtitiis Eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum.* Tertium, ſic. *Ut in publicis juſtitiis non deſpiciantur viduæ, orphani, & pauperes clamantes, ſed diligenter audiantur primò omnium eorum negotia & cauſæ.* Utrumque commodiùs ſub uno Capitulo de juſtitiis generalibus,

quod eſt ſecundum in Codice Teghernſeenſi & in libro tertio Capitularium, ſic comprehenditur. *De juſtitiis Eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum, præcipimus* *, *ut in publicis judiciis non deſpiciantur clamantes, ſed diligenter audiantur.* Hoc Capitulum Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum [a] jam deſcripſimus. AN. CH. 805.

* Cod. Teghernſ. deeſt *præcipimus*

[a] Num. 1.

Quartum Capitulum, quod *de juſtitia Domni Imperatoris* inſcribitur, eſt hujuſcemodi. *De juſtitia Domni Imperatoris, ut pleniter fiat inquiſita.* Capitulum verò tertium Codicis Teghernſeenſis, cui ſimillimum etiam eſt tertium Capitulum libri tertii Capitularium, inſcribitur *de juſtitiis Regalibus*, ſicque profertur. *De juſtitiis Regalibus, ut pleniter fiant inquiſitæ*, id eſt, ut pleniter inquirantur. LXVII.

In editione Baluziana quintum Capitulum eſt *de fame, clade, & peſtilentiâ ſi evenerit*; ſextum, *de ſublevanda neceſſitate pauperum tempore famis.* Quintum ſic habetur. *De hoc quòd ſi evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia quæcunque tribulatio, ut non expectetur Edictum noſtrum, ſed ſtatim Dei miſericordia deprecetur in loco ubi ſit.* Sextum, ſic. *Et in præſenti anno de famis inopia, ut ſuos quiſque adjuvet, & ſuam annonam non nimis carè vendat. Et ne foris Imperium noſtrum vendatur aliquid alimoniæ.* Utrumque in Codice Teghernſeenſi ſub uno Titulo *de fame, clade, & peſtilentia, ſi evenerit*, Capitulo quarto ſic repreſentatur. *De hoc, ſi famis evenit, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia qualiſcunque tribulatio, non expectetur Edictum noſtrum, ſed ſtatim deprecetur Dei miſericordia. Et in præſenti anno de famis inopia, ut ſuos quiſque adjuvet prout poteſt, & ſuam annonam non nimis carè vendat. Et ne foris imperium noſtrum vendatur aliquid alimoniæ.* Editioni Bavaricæ conſentit Capitulum centeſimum duodeviceſimum libri primi Capitularium. LXVIII.

Quod in editione Baluziana ſeptimum eſt Capitulum *de armis non portandis*, quintum eſt in Codice Teghernſeenſi convenitque cum quarto libri tertii Capitularium, quod Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum [b] jam recitavimus. LXIX.

[b] Num. 3.

Quod in editione Baluziana Capitulum eſt octavum cum hoc Titulo, *ut de duodecim manſis brunia habeatur*, in Bavarica ſextum inſcribitur *de armatura in hoſte habenda*, éſtque quintum in tertio libro Capitularium. *De armis* * *in exercitu, ſicut antèa in alio Capitulari mandavimus, ita ſervetur. Et inſuper omnis homo de* * *duodecim manſis bruniam habeat. Qui verò bruniam habens ſecum in exercitu non tulerit, omne beneficium cum brunia perdat.* LXX.

* Edit. Bavar. *armatura*

* Cod. Teghernſ. malè XII *menſes*.

Sequitur in utraque editione & in tertio libro Capitularium Capitulum *de negotiatoribus quouſque procedant.* Editio Baluziana ſic habet. *De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quouſque procedere cum ſuis negotiis*, ſive cum rebus venalibus *debeant. Id eſt, partibus Saxoniæ uſque ad Bardenwihc, ubi prævideat Redi; & ad Scheſla, ubi prævideat Madalgoz. Ad Magadoburg prævideat Atto. Ad Erpisfurt prævideat Madalgoz. Ad Halageſtat ipſe Madalgoz. Ad Forcheim, ad Brianberg Odulf. Et ad Reginisburg Odulf. Ad Loriacum Warinarius. Et ut arma & brunias non ducant in illis locis ad vendendum. Quòd ſi inventi fuerint portantes, omnis ſubſtantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus Palatii, alia verò medietas inter Comitem & inventorem dividatur & inter jamdictum Miſſum.* In Codice Teghernſeenſi, cujus variæ ſunt circa propria nomina lectiones, ipſum Capitulum ſic claditur, *alia verò medietas inter jamdictos Miſſos & inventorem dividatur.* In Capitularibus [c] deſiderantur nomina Miſſorum, quæ certè reponi debent, quia in poſtrema Capituli parte, quæ non differt à Codice Teghernſeenſi, mentio Miſſorum repetitur. LXXI.

[c] Lib. 3. c. 6.

In editione Baluziana decimum Capitulum *de clamatoribus vel cauſidicis* ſic effertur. *De clamatoribus & cauſidicis, qui nolunt conſentire Scabineis nec blaſphemare eorum judicium, ut unum è duobus agant. Et, ſi indiculum portat* LXXII.

AN. CH. 805.

de Curte, non mittatur in carcerem, sed sub custodia cum ipso indiculo mittatur ad Curtem. In Codice verò Teghernseensi [a] necnon & in Capitularibus [b] paulò fusiùs ac distinctiùs, sic. *De clamatoribus vel causidicis, qui nec judicium Scabinorum * adquiescere nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia reclaudantur, donec unum è duobus faciant. Et, si ad Palatium pro hac re reclamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad Palatium nostrum remittantur, & ibi discutiantur, sicut dignum est.*

[a] Cap. 8.
[b] Lib. 3. c. 7.
* In Capitular *Scabinorum*

LXXIII. Capitula undecimum & duodecimum in editione Baluziana de juramentis inscribuntur, undecimum *de juramento infantium*, duodecimum generaliter *de juramentis*. At potissima pars duodecimi spectat ad conspirationes seu conjurationes, ideóque rectiùs in Codice Teghernseensi totum Capitulum nonum est *de juramento*, & decimum *de conspirationibus*, ut & in tertio Capitularium libro Capitulum octavum est de juramento, nonum de conspirationibus. Hac observatione præmissâ, Baluzianam editionem accipe. Capitulum undecimum. *Ut infantes, qui anteà non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modò ut jurent jubeantur.* Capitulum duodecimum. *De juramentis, ut frustrà non fiant, & non aliter nisi senioribus ad utilitatem Regiam, & unicuique qui suam justitiam quærit. Ceterùm qui conjurationis causam agunt, principes conjurationis capite puniantur, ceteri se invicem flagellent, & nares præcidant.* In Codice Teghernseensi Capitulum de juramento tale est. *De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris, exceptis his sacramentis, qui justè secundùm legem alteri ab altero debentur.* In Capitularibus hæc addùntur. *Et infantes, qui anteà non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modò fidelitatem repromittant.* Sequitur utrobique Capitulum *de conspirationibus*, sic. *De conspirationibus verò, quicunque facere præsumpserint, & sacramento quamcumque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione judicentur. Primò, ubicunque aliquod malum per * hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur, adjutores * verò eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant *. Ubi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi invicem detondeant. Si verò aliqua conspiratio per dextras firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse, aut si facere non potuerint, suam legem componant; si verò servi sunt, flagellentur. Et ut de cetero in Regno nostro nulla hujusmodi conspiratio nec per sacramentum nec sine sacramento fiat.*

* *pro hoc*
* *adjuratores*
* Cod. Teghernf. *malè praditant.*

LXXIV. Capitulum decimum-tertium editionis Baluzianæ *de perjuriis* inscribitur. *De perjuriis, ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum antequàm discutiantur. Et, si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et meliores ad testimonium eligantur. Et omnino nullus ad testimonium vel ad juramentum nisi jejunus adducatur. Et ille qui ad testimonium adducitur, si refutatur, dicat ille qui eum refutat & probet qualiter vel quare illum recipere nolit. Et, si non potest refutare, recipiat illum, etiamsi nolit. Et de ipso pago, non de altero, eligantur testes, nisi forte longiùs extra comitatum causa sit inquirenda. Et, si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat.* In Codice Teghernseensi hoc Capitulum, quod *de perjuriis* inscribitur, undecimum est, additque quòd *non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore* *. Et in tertio Capitularium libro Capitulum decimum, quod est etiam *de perjuriis*, cum Codice Teghernseensi penitus convenit, excepto quòd istius Codicis hæ voces, *& de ipso pago, non de altero, eligantur testes*, in Capitularibus ita redduntur, *& de ipso pago aut de vicinis centenis eligantur.* Actum jam de illo Capitulo Tomo superiore [c].

* malè *accusatore.* Amerpach. *reo.*
[c] Ad an. 780. n. 5.

LXXV. Capitulum decimum-quartum in editione Baluziana *de Advocatis & Judicibus* inscribitur, éstque hujuscemodi. *De Advocatis & Judicibus Comitum & omnibus publicis Auctoribus tales eligantur, quales & sciant & velint justè causas*

Digitized by Google

cauſas terminare. Et ubi mali inventi fuerint, à Miſſis noſtris mittantur meliores. Epiſcopi & Abbates & Comites pravi veniant ad Curtem. In Codice Teghernſeenſi Capitulum duodecimum, quod eſt *de Advocatis, Vicedominis, Vicariis, & Centenariis*, nullam Epiſcoporum & Abbatum mentionem facit. *Ut pravi Advocati, Vicedomini, Vicarii & Centenarii tollantur, & tales eligantur, quales & ſciant & velint juſtè cauſas diſcernere & terminare. Et, ſi Comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur.* Huic Codici non abſimile eſt Capitulum undecimum libri tertii Capitularium. AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR 25.

Quod *de teloneis* ſubjungitur Capitulum, in editione Baluziana numeratur decimum-quintum, decimum-tertium in Codice Teghernſeenſi. *De teloneis placet nobis, ut antiqua & juſta telonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quámque & de navigiis, ſeu mercatis. Nova verò ſive injuſta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus ſub pontibus tranſitur, ſeu his ſimilia, in quibus nullum adjutorium iterantibus * præſtatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his qui ſine negotiandi cauſâ ſubſtantiam ſuam de una domo ſua * ad aliam aut ad Palatium ſeu in exercitum ducunt. Si quid verò fuerit unde dubitetur, ad primum * Placitum noſtrum, quod cum ipſis Miſſis habituri ſumus, interrogetur.* Conſentit, quod in tertio Capitularium libro Capitulum eſt duodecimum. CAROLI R. 17. LXXVI.

* itinerantibus

* Cod Teghernſ. deeſt ſua

* proximum

Proximum ſequitur Capitulum *de fugitivis Clericis ſive laicis*, quod in primo Capitularium libro ponitur centeſimum undeviceſimum. *De fugitivis Clericis ſive laicis, vel etiam fœminis, ſicut jam in alio Capitulari præcepimus *, ita ſervetur.* LXXVII.

* præcipimus

Subjicitur cùm in utraque editione tum in primo Capitularium libro Capitulum *de liberis hominibus ad ſervitium Dei ſe tradentibus*, ſic. *De liberis hominibus, qui ad ſervitium Dei ſe tradere volunt, ut priùs hoc non faciant quàm à nobis licentiam poſtulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſâ devotionis quàm exercitum * ſeu aliam functionem Regalem fugiendo, quoſdam verò cupiditatis cauſâ ab his, qui res illorum concupiſcunt, circumventos audivimus. Et hoc ideo fieri prohibemus.* LXXVIII.

* exercitum ſeu aliam functionem Regalem

Subjicitur & Capitulum *de oppreſſione pauperum*, ſic. *De oppreſſione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra juſtitiam oppreſſi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc & ſuprà & hîc de liberis hominibus diximus, ne fortè parentes contra juſtitiam fiant exhæreditati, & Regale obſequium minuatur, & ipſi hæredes propter indigentiam mendici vel latrones ſeu malefactores efficiantur. Et ut ſæpiùs non fiant banniti* (ſive, ut habet Codex Teghernſeenſis, *non fiant manniti ad Placitum*) *niſi ſicut in alio Capitulari præcepimus, ita ſervetur.* In hoc Capitulo Carolus per hæc verba, *ideo hæc & ſuprà & hîc de liberis hominibus diximus*, reſpicit ad ſextum Capitulum antiquioris additionis, quam Legi Salicæ fecit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo, ſextum enim illud Capitulum, quod ſuo loco [a] retulimus, tale eſt. *De oppreſſione pauperum liberorum hominum, ut nulli fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra juſtitiam oppreſſi, ſed diligenter inquiratur eorum cauſa.* LXXIX.

[a] Tom. 6. n. 780. n. 7.

Quod in editione Baluziana decimum-nonum, in Bavarica decimum-ſeptimum ſequitur Capitulum *de Eccleſiis ſeu Sanctis noviter inventis*, in Capitularibus decimum eſt Appendicis primæ, eodémque modo ubique ſic legitur. *De Eccleſiis ſeu Sanctis noviter ſine auctoritate inventis, niſi Epiſcopo probante minimè venerentur; ſalvâ etiam & de hoc & de omnibus Eccleſiis canonicâ auctoritate.* LXXX.

In editione Baluziana hoc *de falſis monetis* Capitulum publicatur viceſimum. *De falſis monetis, quia in multis locis contra juſtitiam & contra Edictum noſtrum fiunt, volumus ut nullo alio loco moneta ſit niſi in Palatio; niſi fortè à nobis iterum aliter fuerit ordinatum. Denarii verò, qui penſant & meri ſunt, ſtabiles eſſe poſſunt.* Vel ut tertius liber [b] Capitularium habet; *illi tamen de-* LXXXI.

[b] Cap. 13.

AN. CH. 805. *narii, qui modò monetati ſunt, ſi penſantes & meri ſunt, habeantur.* In Codice Teghernſeenſi non *monetati* ſed *moneti* dicuntur illi denarii, monetóſque denarios Amerpachius interpretatur ſignatos aut percuſſos.

LXXXII. Capitulum *de heribanno*, in editione Baluziana eſt viceſimum-primum, undeviceſimum in Codice Teghernſeenſi, decimum-quartum in tertio libro Capitularium, ac primum in titulo ſexto libri tertii Legis Longobardorum, unde à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [a] Tomo ſuperiore jam deſcriptum fuit, ideóque hîc omittitur.

[a] Num. 104.

LXXXIII. Capitulum *de cenſu Regali* viceſimum-ſecundum occurrit in editione Baluziana, viceſimum in prædicto Codice, ſic. *Cenſus Regalis undecunque legitimè exhibeatur* [*], *volumus ut inde ſolvatur, ſive de propria perſona hominis, ſive de rebus.* Lege in Capitularibus Capitulum decimum-quintum libri tertii.

[*] Capitular. *exigebatur.* Cod. Metenſ. *exiebat.*

LXXXIV. Sequitur Capitulum *de latronibus*, viceſimum-tertium in editione Baluziana, viceſimum-primum in Bavarica. *De latronibus, ſicut jam antè in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.* Hoc Capitulum in Capitularibus eſt primum Appendicis ſecundæ. In eo Carolus alludit ad Capitulare Hariſtallienſe, quod ad annum ejuſdem Caroli Regis undecimum, Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-nonum [b] retulimus, reperiéſque maxima ex parte inſertum libro quinto Capitularium à Capitulo centeſimo viceſimo-ſecundo ad centeſimum triceſimum-quintum.

[b] Nn. 1, & ſeqq.

LXXXV. Poſtremum editionis Baluzianæ Capitulum eſt *de liberis hominibus uxores fiſcalinas habentibus.* Hoc Capitulum Tomo ſuperiore [c] jam recitatum à nobis fuit. Eſt viceſimum-ſecundum in Codice Teghernſeenſi, decimum-ſextum in libro tertio Capitularium.

[c] Ad an. 780 n. 8.

LXXXVI. In editione Bavarica Viti Amerpachii adduntur tria Capitula. Viceſimum-tertium. *Ut decima populi dividantur in quatuor partes, id eſt, una pars Epiſcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ in fabricis applicetur, ſicut in Decreto Gelaſii Papæ continetur.* Viceſimum-quartum. *Ut viduis, & pupillis, orphanis, cæcis, & claudis tuitionem atque adminiculum impertiamus juxta poſſibilitatem noſtram vel vires, ſicut in Præcepto Domini Regis continetur.* Viceſimum-quintum. *De incantationibus, anguriis, vel divinationibus, & de his qui tempeſtates vel alia maleficia faciunt, placuit Sancto Concilio, ut ubicunque deprehenſi fuerint, videat Archipresbyter Diœceſis illius, ut diligentiſſimè examinatione conſtringantur, ſi fortè confiteantur, malorum quæ geſſerunt. Sed tali moderatione fiat eadem diſtrictio, ne vitam perdant, ſed ut ſalventur in carcere afflicti, uſquedum Deo inſpirante ſpondeant emendationem peccatorum, & ut nullatenus per aliqua præmia à Comitibus vel Centenariis abſque diſtricta examinatione remittantur. Et hoc ſi fecerint Archipresbyteri, dum hoc cognoverint, nequaquam Epiſcopis celare audeant, & ab Epiſcopis, ut dignum eſt, pro hoc corripiantur.*

LXXXVII. Hæc tria Capitula, quia deſiderantur in manuſcriptis Codicibus, quos undique conquiſitos Stephanus Baluzius inſigni diligentiâ conſuluit, pertinere non videntur ad Capitulare, de quo loquimur. In primo illorum Capitulorum non ſatis appoſitè citatur Gelaſius Papa, quod enim in libro Canonum, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto Hadrianus Pontifex Carolo Regi ad uſum Occidentalium Eccleſiarum obtulit, Decretum Gelaſii viceſimum-ſeptimum reperitur, non eſt ſpeciatim de decimis, ſed generatim de quolibet Eccleſiæ redditu. *Quatuor autem tam de redditu quàm de oblatione fidelium, prout cujuſlibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, convenit fieri portiones, quarum ſit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda Eccleſiæ.* In Lege tamen Longobardorum [d] reperitur hæc Caroli Sanctio de dividendis decimis. *Ut decima populi in quatuor partes dividantur. Prima pars Epiſcopis detur, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica ipſius Eccleſiæ.*

[d] Lib. 1. Tit. 3.

Digitized by Google

Hujus Sanctionis jam meminimus Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [a]. AN. CH. 805.

Fridericus Lindenbrogius tertiam additionem quam Carolus ad Legem Salicam fecit, in quatuordecim Capitula diſtinctam publicavit. At titulos ſingulorum ſatis erit exhibuiſſe, quia ſumpta ſunt ex Capitulari proximè deſcripto. Primum igitur Capitulum eſt de pace ſervanda; ſecundum de juſtitia Domni Imperatoris; tertium de fame, clade, & peſtilentia, ſi evenerit; quartum de armatura in exercitu, & ut de duodecim manſis brunia habeatur; quintum de negotiatoribus, quouſque procedant; ſextum de clamatoribus vel cauſidicis; ſeptimum de conſpirationibus; octavum de fugitivis Clericis ſive laicis; nonum de liberis hominibus ad ſervitium Dei ſe tradentibus; decimum de oppreſſione pauperum; undecimum de falſis monetis; duodecimum de heribanno; decimum-tertium de latronibus; decimum-quartum de cenſu Regali. Quatuordecim hiſce Capitulis additionis ad Legem Salicam totidem reſpondent Capitula ſuperioris Capitularis in editione Baluziana, nempe primum, quartum, quintum, octavum, nonum, decimum, duodecimum, decimum-ſextum, decimum-ſeptimum, decimum-octavum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium, viceſimum-ſecundum. Et in tertio Capitularium libro hæc Capitula, primum, tertium, quintum, ſextum, ſeptimum, nonum, decimum-tertium, decimum-quartum, decimum-quintum, decimum-ſextum, necnon in primo eorumdem Capitularium libro Capitula centeſimum undecimum-nonum, centeſimum viceſimum, centeſimum viceſimum-primum, itémque primum Appendicis ſecundæ.

[a] Num. 101.

LXXXVIII. AUGET TERTIO LEGEM SALICAM.

Stephanus Baluzius nobis ad hunc annum ex Codice Bigotiano ſexdecim communicavit Capitula, quæ data ſunt Jeſſæo Epiſcopo Ambianenſi Miſſo Dominico. Nullum hîc deſcribemus, quia deſumpta ſunt ex duobus Capitularibus nuperrimè deſcriptis. Id ex ſingulorum titulis apertè patebit. Primum eſt *de laicis noviter converſis*, ut decimum Capitularis *infra Eccleſiam*. Secundum eſt *de Præpoſitis Monachorum*, ut decimum-quintum ejuſdem Capitularis. Alia quatuordecim excerpta ſunt è Capitulari *ad omnes generaliter*; inſcribuntur enim, tertium *de juſtitiis generalibus*; quartum *de juſtitiis Domni Imperatoris*; quintum *de fame, clade, & peſtilentia, ſi evenerit*; ſextum *de armis non portandis*; ſeptimum *de armatura in exercitu, & ut de duodecim manſis brunia habeatur*; octavum *de clamatoribus vel cauſidicis*; nonum *de juramentis*; decimum *de conſpirationibus*; undecimum *de perjuriis*; duodecimum *de Advocatis, Vicedominis, Vicariis, & Centenariis*; decimum-tertium *de oppreſſione pauperum*; decimum-quartum *de cenſu Regali*; decimum-quintum *de latronibus*; decimum-ſextum *de liberis hominibus uxores fiſcalinas habentibus*.

LXXXIX. DAT XVI CAPITULA JESSÆO EP. AMBIAN. MISSO DOMINICO.

Inter ſelecta Capitula Eccleſiaſtica Caroli Magni recenſetur apud Jacobum Sirmondum ex Capitulis in Theodonis villa firmatis quod in libro ſeptimo Capitularium eſt trecenteſimum primum, ut omnes à minore uſque ad majorem ſuis Sacerdotibus obedientes exiſtant, ſicut ipſi Domino cujus vice Legatione in Eccleſia funguntur. *Volumus atque præcipimus, ut omnes ſuis Sacerdotibus tam majoris ordinis quàm & inferioris, à minimo uſque ad maximum, ut Summo Deo, cujus vice in Eccleſia Legatione funguntur, obedientes exiſtant. Nam nullo pacto agnoſcere poſſumus, qualiter nobis fideles exiſtere poſſint, qui Deo infideles & ſuis Sacerdotibus inobedientes apparuerint: aut qualiter nobis obedientes noſtríſque Miniſtris ac Legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei cauſis & Eccleſiarum utilitatibus non obtemperant. Potiùs namque, juxta veritatis vocem, ille metuendus eſt, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam, quàm ille, qui corpus torquere & honores temporales poteſt auferre. De illis dictum eſt.* [*Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.*] *Et alibi.* [*Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.*] *Et rurſus.* [*Qui ſcandaliza-*

XC. EPISCOPI AB OMNIBUS HONORANDI.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

verit unum de pusillis istis, melius est illi, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.] *Et iterum.* [*Qui vos recipit, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*] *Et multa alia, horúmque similia. His ergo fulti oraculis jubemus, ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos & peccatores atque negligentes homines distringendos, summoperè obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, aut negligentes, eísque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro Imperio honores retinere, licèt etiam filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luent. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac benevolentiam, quoniam si hæc fideliter & utiliter impleverint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solùm infideles, sed etiam infames atque reprobi manifestè apparentes notabuntur, eorúmque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.*

XCI. ALIA CAPITULA ECCLESIASTICA.

Huic Constitutioni subjicimus Capitulare tredecim in Capitula distinctum, quod Stephanus Baluzius nobis ex manuscripto Codice Clarissimi Viri Philiberti *de la Mare* Senatoris Divionensis communicavit. In toto contextu nullum Characteris Chronologici vestigium supereſt, excepto quòd Carolus calumniam passus quasi Episcopos & Sacerdotes, ut honor eis minueretur, ad pugnam ire vetuerit, in primo Capitulo priora confirmat statuta, testatúrque id à se fieri Leone Papâ in idem consilium conspirante. *Adjuncto*, inquit, *Leonis Papæ spiritu nostro spiritui, per Deum & omnium Sanctorum merita prohibemus*, &c. Inde colligimus editum hoc Capitulare, postquàm Leo Pontifex reditum in Italiam è Caroli comitatu suscepit anno Christi vel septingentesimo nonagesimo-nono, vel octingentesimo quinto. Primum Capitulum ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum [a] superiore Tomo retulimus, cetera, quæ seriùs ad nos in unum collecta Capitulare pervenerunt, hoc loco describemus. Utraque libris Capitularium sexto & septimo inserta reperiuntur; libro sexto quatuor, quintum videlicet, sextum, septimum, & nonum; reliqua libro septimo.

[a] Num. 48.

XCII.

Omisso igitur primo Capitulo, quod Tomo superiore descripsimus adversùs eos qui dicebant Carolum, ut honor Episcopis & Presbyteris minueretur, ne irent ad pugnam, idcircò prohibuisse, secundum aggredimur, quo Carolus præcipit, ut nefanda scelera caveantur, ob quorum enormitatem percussa destructáque sunt Regna. *Prohibemus*, inquit, *omnino sub pœna sacrilegii generaliter omnibus cunctarum Ecclesiarum rerum invasiones, vastationes, alienationes, Sacerdotúmque & reliquorum servorum Dei oppressiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, necnon & cunctis utriusque sexûs hominibus adulteria, fornicationes, Sodomiticásque luxurias, atque incesta, vel cuncta inlicita conjugia, homicidia injusta, perjuria, falsa testimonia, & omnia inlicita, pro quibus non solùm Regna & Reges sed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus. Sed quia Deo auxiliante per merita & intercessiones Sanctorum servorúmque Dei, quos sublimare & honorare curavimus atque curamus, hactenus nos & successores nostri Regna & Regiones adquisivimus, & victorias multas habuimus, deinceps summoperè omnibus nobis providendum est, ne pro prædictis inlicitis & spurcissimis luxuriis, his, quod absit, careamus. Nam multæ regiones, quæ rerum Ecclesiarum invasiones, vastationes, alienationes, vexationésque, & Sacerdotum reliquorúmque servorum Dei oppressiones, vel quascunque injurias, quæ jamdicta inlicita, & adulteria, vel Sodomiticam luxuriam, vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt, nec in bello seculari fortes, nec in fide stabiles perstiterunt. Et qualiter Dominus talium criminum operatoribus ultrices pœnas per Sarracenos & alios populos venire & sævire permisit, cunctis earum Gesta legentibus liquet. Et nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus, quia vindex est Deus de his omnibus. Quapropter sciat unusquisque nobis subjectus, qui in uno ex his repertus atque convictus fuerit, &*

honores, ſi habet, omnes perdere, & in carcerem ſe uſque ad juſtam emendationem atque per publicæ pœnitentiæ ſatisfactionem retrudi, & ab omni fidelium conſortio fieri alienum. Valdè enim cavenda eſt illa fovea, in quam alios cecidiſſe cognovimus. Huic Capitulo ſimillimum reperies, quod eſt centeſimum quintum in ſeptimo Capitularium libro. Ceterùm ex his Caroli verbis, *hactenus nos & ſucceſſores noſtri Regna & Regiones adquiſivimus, & victorias multas habuimus*, aperte liquet hoc Capitulum promulgatum fuiſſe, cùm Carolus ſuperſtites in vivis conſpiciebat tres filios, Carolum, Pippinum, & Ludovicum, quos ſucceſſores ſuos ideò vocat, quia Reges eos jam inſtituit, nec immeritò participes victoriarum dicit, quorum operâ feliciter uſus eſt in amplificandis Regni limitibus.

AN. CH 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

Tertium Capitulum eſt de rebus Eccleſiaſticis abſque juſſione proprii Epiſcopi non dandis. *Placuit, ut Epiſcopi rerum Eccleſiarum in omnibus juxta Sanctorum Canonum Sanctiones plenam ſemper habeant poteſtatem. Nullus eas dare vel accipere abſque proprii Epiſcopi audeat juſſione. Nullus eas invadere, vel vaſtare, aut quoquo modo deteriorare præſumat. Nam de vaſtantibus Eccleſias earúmque res, nihil aliud intelligimus, quàm contra illum æterni Imperii Deum ejúſque Majeſtatis homines movere certamen, cùm illa ædes illi die noctúque famulentur, & illi ſint conſecratæ. Videant ergo vaſtantes eáſque invadentes, prænuntiamus, ne ab illo, ſi ſe commoveat, vaſtentur & diſperdantur, cujus percuſſionem montium dorſa ferre non poſſunt. Nos verò iſta nec agere volumus, nec facere volentibus conſentire, ne nos, quod abſit, perdamus, aut ſe perdere volentibus conſentiamus. Quapropter præcipimus, ut ſi quis ex jure Eccleſiaſtico hactenus noſtrâ largitate aliquid poſſedit, ſi illa deinceps habere voluerit, ad proprios veniat, & ab eis, & à Præpoſitis Eccleſiarum, unde eſſe videntur, quocunque modo juſtè potuerit, eam impetrare ſatagat, & nihil ex eis aliter ambiat aut concupiſcat vel accipiat, ne cupidus ſanctarum rerum ignis, qui in eis eſt, eos favilloſiùs exurat. Unde & in ſacris Canonibus Spiritu Dei conditis decretum habetur ita.* [*Si quis oblata dederit vel acceperit præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema ſit.*] *Scimus enim anathematizatos homines, & in præſenti ſeculo infames eſſe ac perditos, & à conſortio fidelium in omnibus abſque pane & aqua fieri alienos, atque ſi abſque Eccleſiæ ſatisfactione de hac vita receſſerint, à Regno Dei [illegible]e extorres. Quam foveam cavere diſſimulans vel recuſans noſtrâ ſe ſciat per omnia carere ſocietate, quia non ſolùm qui faciunt, ſed qui facientibus prava conſentiunt, rei ſunt. Satius enim nobis eſt Regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere. Plùs verò me credo poſſe Deum per ſuorum merita Sanctorum adjuvare, quàm omnem militiam ſecularem. Quapropter omnes ſcire cupimus, ſi ſuper hìs, quibus fruimur, bonis univerſum mundum lucrari potuiſſemus, noſtram veſtráſque animas perdere noluiſſemus, nec ſe pro prædictis cupiditatibus perdere volentibus conſentire. Teſtante namque Evangelica tubâ didicimus nihil prodeſſe homini univerſum mundum lucrari, ſi anima ſua detrimentum patiatur. Et iterum.* [*Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*] *Et iterum.* [*Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*] Hoc Capitulum eſt centeſimum duodenonageſimum in ſeptimo Capitularium libro. XCIII.

Capitula quartum & quintum à nobis omittuntur, quia ſunt eadem cum Canonibus quinto & decimo-quarto Synodi Arvernenſis primæ, quam Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-quintum[a] deſcripſimus. Præterea lege in ſeptimo Capitularium libro Capitulum centeſimum nonageſimum-ſecundum, & in ſexto libro Capitulum centeſimum triceſimum-ſecundum. XCIV.

[a] Nn. 8. & ſeqq.

Sextum Capitulum. *Ea, quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra Sereniras roboravit, novellâ ſuperſtitione ſubmotâ, integra & inviolata cuſtodiri præci-* XCV.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

pimus. Huic Capitulo ſimillimum eſt ducenteſimum octogeſimum-ſecundum in ſexto Capitularium libro.

Septimum Capitulum. *Ut nullus Epiſcoporum, aut cujuſlibet ordinis Clericus, vel alia quæcunque perſona, quibuſlibet conditionibus, ſeu in uno Regno ſeu in alio poſitas alterius cujuſcunque Eccleſiæ res aut petat aut præſumat accipere. Quod ſi fecerit, tamdiu habeatur à communione Eccleſiæ vel ab omnium fratrum ac filiorum caritate ſuſpenſus, donec ipſe Eccleſiæ, cujus directo ordine juris eſt, ablata reſtituat.* Hoc Capitulum eſt centeſimum triceſimum-tertium in ſexto Capitularium libro.

XCVI. XCVII.

Octavum Capitulum eſt de Privilegiis Eccleſiarum inlibatè ſervandis. *Privilegia atque Præcepta Eccleſiarum manere ſemper incorrupta præcipimus, & quicquid ab anteceſſoribus vel parentibus noſtris circa ſacroſanctarum Eccleſiarum utilitates conſtitutum eſt, vel quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarunt, ſub pœna ſacrilegii jugi ſolidata æternitate ſerventur.* Hoc Capitulum numeratur trecenteſimum viceſimum-primum in ſeptimo Capitularium libro.

XCVIII.

Nonum Capitulum eſt de rebus Eccleſiæ à nullo injuſtè retentandis vel diripiendis. *Ne cui liceat res vel facultates Eccleſiis aut Monaſteriis vel Xenodochiis pro quacunque eleemoſyna cum juſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quod ſi quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excludatur, quandiu ab ipſo ea, quæ ſunt ablata aut retenta, reddantur.* Hoc Capitulum ponitur centeſimum triceſimum-quartum in ſexto Capitularium libro.

XCIX.

Decimum Capitulum præcipit, ut Eccleſiaſtica jura ſemper illibata permaneant. *Monemus, ut jura Eccleſiarum, ſicut à patribus divinitus inſpiratis ſunt ordinata, inviolata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imitationem ſuum aliquis quærat augmentum.* Hoc Capitulum habetur trecenteſimum quadrageſimum-primum in ſeptimo Capitularium libro.

C.

Undecimum Capitulum ſtatuit, ut Eccleſiæ dotéſque earum ſemper ad Epiſcopi diſpoſitionem pertineant. *Placuit, ut omnes Eccleſiæ cum dotibus & omnibus rebus ſuis in Epiſcopi proprii poteſtate conſiſtant, atque ad ordinationem vel diſpoſitionem ſuam ſemper pertineant.* Hoc Capitulum eſt trecenteſimum ſexageſimum-tertium in ſeptimo Capitularium libro.

CI.

Duodecimum Capitulum quæcunque circa divinum cultum priùs ſtatuta ſunt, ea vult illibata permanere. *Quæcunque à parentibus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias præcipimus. Nihil igitur à Privilegiis immutetur; omnibus, qui Eccleſiis ſerviunt, tuitio deferatur. Quia temporibus noſtris addi potiùs reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præſtita ſunt, immutari.* Hoc Capitulum ponitur trecenteſimum ſeptuageſimum-primum in ſeptimo Capitularium libro.

CII.

Decimum-tertium Capitulum eſt de ſuperiorum Capitulorum obſervatione. *Has omnes Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas ſummatim brevitérque perſtrinximus, ſicut pleniùs in Canone continentur, manere perenni ſtabilitate ſancimus. Si quis ergo Clericus aut laicus harum Sanctionum obediens eſſe noluerit, ſi Clericus fuerit, excommunicationi ſubjaceat. Si verò laicus fuerit, & honeſtioris loci perſona, medietatem facultatum ſuarum amittat fiſci viribus profuturam. Si verò minoris loci perſona eſt, amiſſione rerum ſuarum multatus in exilio deputetur.* Hoc Capitulum numeratur trecenteſimum ſeptuageſimum primum in ſeptimo Capitularium libro.

CIII. VULFARIUS ARCHIEP. REMENSIS LEGATIONEM OBIT IN RHÆTIA CURIENSI.

Ad hæc quoque tempora referendum videtur, quod à Ratperto Monacho ſcribitur in libro de origine & diverſis caſibus Monaſterii San-Gallenſis. *Contigit tempore quodam Wolfharium* ſeu Vulfarium *Remenſem Epiſcopum Legatione à Domno Karolo ſibi injunctâ ad juſtitias in Rhatia Curienſi faciendas ad*

ipſum pagum veniſſe, indéque reverſum ad noſtrum Monaſterium, Sancti videlicet Galli, *deveniſſe, ibique, prout illis facultas erat, benignè ſuſceptus devoto ſervitio ſuſtentatus eſt. Quem cùm lateret calumnia & injuſtitia, quas paſſi ſunt incolæ Monaſterii noſtri, emunitatis Præceptum, quod beatæ memoriæ Domnus Pippinus Rex illis ſcribi juſſerat, ſibi oſtendere rogavit. Quod cùm vidiſſet ac perlegiſſet, hortatus eſt eos, ut per aliquem fidum hominem eandem firmitatis Chartam Domno Imperatori dirigerent; ſe verò res eorum notas Imperatori facturum atque auxilium illis præbiturum promiſit. Cujus conſilio conſentientes, cuidam vaſallo Imperatoris, nomine Engilrammo, in cujus fide multùm præſumebant, ipſam Chartam, imò totius ſecuritatis ſpem commendaverunt. Qui etiam in altario Sancti Galli juravit ſe ipſam Chartam Regi perlaturum, atque ipſis Monachis cautiſſimè eſſe redditurum, quod ſuadente diabolo, aliter quàm promiſerat effecit. Denique diſcedente eo de Monaſterio atque ſecum Chartam portante, Epiſcopo*, id eſt, Eginoni Epiſcopo Conſtantienſi, *res innotuit, qui protinus directis illi muneribus non parvis, præfatam Chartam, ſicut diu cupivit, accepit, atque in ſuam poteſtatem redegit. Statim verò cupiens omnem ſpem ſecuritatis noſtris auferre, ad ipſum Monaſterium venit, atque cautiſſimâ inveſtigatione perquiſivit, ſi alicubi aliquod exemplar ipſius Chartæ inveniri potuiſſet. Quod cùm nequaquam inveniſſet, quia omnino non erat, delatum eſt ei, quòd Amalgarius Monachus & Diaconus eam exemplari traderè voluiſſet, cujus facti licèt ille ſecurus eſſet, tamen nequaquam de hoc aliter apud Epiſcopum ſe potuit excuſare, niſi in altario Sancti Galli cum juramento firmaret, nec ſe eam ullo modo habere ſcriptam, nec in aliquo loco ſcire eſſe conſcriptam. Tunc demum Epiſcopus ſecurus ſuæ voluntatis effectus rediit in ſua, atque Monachis noſtris, qui ſecum ſoliti erant commorari, quaſi ob aliam cauſam à ſe foras tranſmiſſis, ſæpè memoratam Chartam ignibus tradidit, atque in favillam redegit, ut poſteà res nobis innotuit.* Tunc Abbas San-Gallenſis erat Werdo, quem idem Ratpertus ad annum uſque tertium Ludovici Auguſti perveniſſe ſcribit.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

EGINO EP. CONSTANTIENSIS CHARTAM EMUNITATIS MON. S. GALLI A PIPPINO R. QUONDAM DATÆ COMBURIT.

CIV. FINDANUS MONACHUS AUGIENSIS IN ARCTISSIMO SE INCLUDIT LOCO.

Findanus ſeu Fintanus, qui Monaſticen *anno Dominicæ Incarnationis* DCCC *in Rinangia* profiteri cœpit, ibi multis *per quinquennium* virtutibus enituit, donec majoris deſiderio perfectionis accenſus in arctiſſimo loco, qui ſitus eſt ad Septentrionalem partem Baſilicæ beatiſſimæ Virginis, hoc anno ſe incluſit, ut Auctor vitæ teſtatur. In Chronologia Rhætiæ leguntur alia longè diverſa. *S. Fintanus A. C. 805, poſt varios viarum flexus in Rhætiam aſcendit, & Fabariæ prima Monaſtices inſtituta ſub B. Vernhero Abbate ponit.* Addit Bucelinus incertum eſſe quâ occaſione Fintanus ab eodem Wernhero ad Rheni Augiam ſit deſtinatus. Et ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum, quo mortem Wernheri conſignat, illum prædicat virum mirabilem & multis pollentem virtutibus, *cujus ſuaſione B. Fintanus Monaſticen profeſſus eſt, & Incluſorum denique inſtitutum apud Renangienſes ſectatus.* Potiorem fidem merentur Acta Sancti Findani quæ citavimus hactenus, & adhuc infrà citaturi ſumus. Findanus, antequàm Wernherus in Epiſcopatu Curienſi Fabarienſis Abbas fieret, anno Redemptoris octingenteſimo ſub Waltonis Abbatis diſciplina Monaſticen apud Augiam in Diœceſi Conſtantienſi ſuſcepit, exactóque quinquennio, cùm Walto Abbas Augienſe Monaſterium adhuc regebat, hoc anno in arctiſſimo ſe incluſit loco, ubi per annos duos ac viginti corpus ſuum inauditâ domuit abſtinentiâ, de qua ſermo non ſemel recurret.

CV. EPISCOPI SEGESTARICENSIS.

Obiit hoc anno Bonus Segeſtaricenſis Epiſcopus, poſtquàm ſediſſet annos quinquaginta-quinque. Succeſſit Joannes, vir nobiliſſimus, qui Præſulatum annis ſeptem & quadraginta tenuit. Lege quæ Tomo quinto dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undequadrageſimum [a]. Lege & Joannem Columbum in Geſtis Epiſcoporum Siſtaricenſium [b].

[a] No. 21. 22.
[b] Lib. 1.

CVI. RICHBODO LAURESHAM. ABB. OBIT.

Richbodo Laureshamenſis Abbas hoc anno vitam clauſit. Illius elogium, de quo jam locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

quartum, ſic abſolvit Chronographus Laureshamenſis. *Præfuit Laureshamenſi Monaſterio annis* XX. *Treveris defunctus, Lauriſſæ ſepultus eſt.* Hic Auctor Richbodonem Laureshamenſem Abbatem, quem perperam cum Richbodo Trevirenſi Archiepiſcopo confundit, *Treveris* mortuum ſcribit. At ut illum Abbatem Trevirenſibus Archiepiſcopis haud accenſemus, ſic nec *Treveris* putamus obiiſſe, ſed in Laureshamenſi Monaſterio ubi quoque ſepulturam accepit. De ſucceſſore ſic idem Chronographus. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCV. *Poſt exceſſum Richbodonis ſucceſſit Adalungus, vir potens in opere & ſermone, & juxta cor Domini electus. Qui ſuſcepto hujus loci regimine, nobiliter cuncta extrinſecus, nobiliùs quoque Templum intrinſecus vario venuſtavit decore. Quippe Altare Dominicum, ut nunc eſt,* id eſt duodecimo ſeculo, *quatuor ex partibus, tabulis argenteis incluſit, nec minùs Altare ad Crucem, atque Sancti Johannis Baptiſtæ, Sanctæ quoque Mariæ Virginis, præterea Altare Sancti Petri in Eccleſia triplici mirificè perornavit; auream quoque Crucem & opere & materiâ aliis pretioſiorem fabrefieri juſſit.* Cetera, quæ Chronologicis muniuntur Characteribus, ſuis referentur locis.

SUCCEDIT ADALUNGUS.

CVII. ABBATES PRUMIENSES.

Wandalbertus, qui vitam & Miracula Sancti Goaris in literas retulit, ſub operis ſui finem teſtatur Aſuerum primum Abbatem Prumienſem deceſſiſſe, poſtquàm feliciſſimè Monaſterio præfuiſſet *annis* V & XL. id eſt, hoc anno, munus enim Abbatiale ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo, ut probatum Tomo quinto. De Aſuero ejuſque ſucceſſore Tancrado ſic idem Auctor in libro Miraculorum [a]. *Diebus Tancradi, qui Aſuero feliciter ex hac vita ſubtracto in regimine Monaſterii Prumiæ Cellæque Sancti Goaris ſucceſſit, hæc contigerunt,* &c.

[a] Cap. 15.

CVIII. ABBATISSÆ DONONIENSES.

Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-quartum [b] egimus de conditu Monaſterii Dononienſis, cui Regina primùm præfuit, deinde Ragenfredis ejus filia. Utraque colitur in Faſtis Belgicis, Sancta Regina Kalendis Julii, Sancta Raginfredis octavo Idus Octobris, Pippino Regi ſuperſtes vixit Regina. Quot annos Ragenfredis Monaſterium rexerit, haud liquet. Ad hunc annum apud Loctium occurrit fragmentum Diplomatis, quo *Carolus Dei gratiâ Imperator Auguſtus per chariſſimæ Sororis* ſuæ *Gillæ crebram admonitionem, ac per dilecti Nepotis* ſui *ſupplicem poſtulationem, Abbatiam Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, necnon & Venerandæ Virginis S. Ragenfridis, ſitam ſuper Scaldis fluvii ripam* in loco, *qui vocatur Denonam, ad priſtinum reſtituere ſtatum* decernit. At nullius apud nos auctoritatis eſt Diploma, quod hoc uno duntaxat Charactere Chronologico fulcitur. *Actum eſt hoc an.* IIXCV. id eſt, an. DCCCV. Carolus enim in ſuis Diplomatibus annum Incarnationis Dominicæ numquam appoſuit. Sunt & alia dubiæ admodum fidei. Cur Carolus nomen Nepotis ſui reticeat, cúrque Ragenfridem Sanctam appellet, quæri meritò poteſt, de anno, quo hæc obiit, nihil compertum habemus.

[b] Nn. 16. & ſeqq.

CIX. MOGUNTIÆ DEDICATUR ECCLESIA S. MARIÆ.

Riculfus Moguntiacenſis Archiepiſcopus Eccleſiam, quam ſumptu laboréque plurimo perfecerat, in Salvatoris & Sancti Albani honorem hoc tandem anno conſecravit, ut apud Serarium in rebus Moguntiacis [c] manuſcriptus declarat Codex, & quæ in ſuperſtantis Septentrionalis muri Occidentali facie legitur inciſa hæc in lapidem inſcriptio. *Eccleſia hac eſt conſecrata in honorem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti Kalend. Decemb. anno Incarnationis ipſius* DCCCV. *Indictione* XIII. ſeu XIV. jam inchoatâ.

[c] Lib. 4. Archiep. 3.

CX. BARNARDUS FIT MONACHUS AMBRONIACENSIS UXORE CONSENTIENTE.

Hoc eodem anno Barnardus, de quo non ſemel locuti ſumus, uxore conſentiente, quacum annos ſeptem vixerat, Monachum induit in Ambroniacenſi Monaſterio, quod à fundamentis poſt parentum ſuorum mortem exerat. Qualem autem ante & poſt ſuſceptum Monachatum ſe geſſerit, accipe ex ejus vita, quam Joannes Bollandus ex vetuſtis Codicibus à Petro Franciſco Chiffletio erutam publicavit [d]. *Tantis jejuniis, tantis vigiliis, tantis orationibus ſeipſum exercebat, ut ſub militaribus armis, ad modum Martini, Monachorum*

[d] D. 23. Jan.

Monachorum perfectionem aſſecutus videretur. In conjugio enim tanquam ſine conjuge cælebs vivebat; & inter filios tanquam ſine filiis, quæ Dei non quæ mundi erant cogitabat; circa pauperes opulentus, circa orphanos pater, circa viduas maritus, oppreſſorum ſublevator, mœrentium conſolator, non ſibi ſed omnibus vivens, fideliter promiſſa complebat, multò libentiùs quàm acciperet tribuebat, inter diſcordes cauſas diſcordiæ benignè dirimebat: in judiciis abſque perſonarum acceptione cuique jus ſuum tribuebat, nulli auxilium petenti denegabat, in ſuſcipiendis hoſpitibus eam gerebat ſollicitudinem, ut gemeret illâ die, quando propriis manibus peregrinis non miniſtraſſet. Eccleſiarum verò frequentans limina penè totam noctem in oratione ducebat. Præterea miranda morum gravitas, loquendi modeſtia, corripiendi conſtantia, doctrinæ prudentia, agendi cautela ſic ipſum perfectum fecerant, ut ſolus militaris habitus, & curiæ converſatio, & Regia familiaritas, & rerum domeſticarum ordinatio eum virum alterum aſſimilaret. Denique relictâ cum ſua nobili prole conjuge, & omnibus aliis derelictis, in eo, quod ipſe fecerat, Monaſterio, ſub Abbatis diſciplina ſe tradidit mancipandum, ubi tantam jejuniorum continuationem, ciborum abſtinentiam, veſtium aſperitatem, orationum conſtantiam, vigiliarum pernoctationem, ſilentii taciturnitatem, lacrymarum inundationem, ceterarumque virtutum perfectionem attigit, ut poſſibilitatem humanæ naturæ tranſilire videretur: &, licèt omnia bona collegii ex ejus beneficio defluxiſſent, tanquam tamen ſervus inutilis inter reliquos victitabat. Hîs itaque moribus ornatus, Deo & hominibus acceptus, omnium intimo venerabatur affectu. An Barnardus relictâ ſeculari militiâ, priuſquàm Monachus fieret, in Vulferii ſeu Volferii Viennenſis Archiepiſcopi diſciplinam ſe tradiderit, ambigi meritò poteſt, licèt aſſeratur à Sauſſaio. Fuit enim patriâ Lugdunenſis, & in Diœceſi Lugdunenſi Cœnobium conſtruxit Ambroniacum, ubi Monachus ac deinde Abbas fuit extra Vulferii jurisdictionem.

AN. CH. 805. CAROLI IMP. 5. PIPPINI LUDOV. RR. 25. CAROLI R. 17.

CXI.

Ardo in vita Benedicti Anianenſis, poſtquàm diſſeruit de Gellonenſi Monaſterio, quod anno priore à Willelmo Toloſano Comite conditum obſervavimus, ſermonem transfert ad alia quatuor Cœnobia, quæ commiſſa ſunt eidem Benedicto, priuſquàm Carolus Imperator ex hac vita diſcederet, id eſt, ante annum Redemporis octingenteſimum decimum-quartum. Quapropter quod primo loco ponitur Menatum, à nobis hoc anno, cetera ſeriùs memorabuntur.

CXII. BENEDICTUS ANIANENSIS INSTAURAT MENATUM MON. IN ARVERNIA.

Quoniam turba diſcipulorum ejus, nempe Benedicti, *ſuccreverat, & locus, in quo ipſe degebat, infœcundus, humúſque ſterilis, penè & ardore Solis ſuper uſtus eſt, dedit illi* Rex Ludovicus *Monaſterium, quod eſt in Arvernia territorio ſitum, quod Sanctus Meneleus Regio de ſemine ortus fundavit, in quo & jacet in corpore, ubi duodecim direxit Monachos conſtituens eis Abbatem ſummæ reverentiæ virum, nomine Andoarum, qui à primævo tempore converſionis ſuæ ei adhæſerat, virum probatum & multis laboribus attritum: quibus laborantibus pióque ſtudio decertantibus, fermè ſeptuaginta, vel eo ampliùs, illis Monaſticam vitam pro poſſe ſervantes adhæſerunt.* Hæc Ardo, quem de Menato locutum conſtat. Menatum vetuſtiſſimum in Arvernia Monaſterium florebat ætate Clodovei Magni, priuſquàm Arverni in Francorum poteſtatem devenirent. In illo Cœnobio degerunt ſanctiſſimi Monachi Avitus & Carilephus, antequàm Miciacum ad Ligerim ſe conferrent regnantibus tunc ejuſdem Clodovei quatuor filiis. Fuit & Abbas illius loci Sanctus Brachio, cùm regnabat in Arvernia Sigibertus Primus, Rex Auſtraſiæ, prædicti Clodovei per Clotarium filium nepos, cujus uxorem Brunichildem erga idem Monaſterium munificam prædicant. Seriùs vixit Sanctus Meneleus Abbas quoque Menatenſis, Eccleſiam enim erexit in ſuo Cœnobio, quam à Sancto Bonito Arvernenſi tunc Epiſcopo dedicandam curavit anno Chriſti circiter ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto; ſed Menatenſe Monaſterium adeò amplificavit, ut illius fundator præcipuus ac conditor à poſteris atque imprimis ab Ar-

AN. CH. 805.

done ſit habitus. Lege quæ de Menato ſcripta ſunt Tomo primo ad annos Chriſti quingenteſimum octavum [a], quingenteſimum decimum-ſeptimum [b], & quingenteſimum triceſimum-ſextum [c]; Tomo ſecundo ad annum quingenteſimum ſeptuageſimum-ſextum [d]; & Tomo quarto ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [e]. Stat etiamnum illud Monaſterium apud Arvernos ad Seulum * flumen in Diœceſi Claromontana.

[a] Num. 16.
[b] Num. 6.
[c] Num. 161.
[d] Num. 13.
[e] Num. 19.
* *La Siole.*

CXIII. FARDULFUS ABB. S. DIONYSII.

Fardulfus Abbas San-Dionyſianus ab illuſtri viro Nibelungo *pro luminaribus & ſtipendiis Monachorum* donatus eſt multis prædiis *in pago Hasbanio, in loco qui vocatur Haſca, ſuper fluvium Lachara.* Chartam Donationis integram publicavit Dubletus in Antiquitatibus San-Dionyſianis [f], datam quarto Nonas Aprilis, anno Regni Carolini triceſimo-ſeptimo, Imperii quinto. Nantharius Sitivenſis Abbas hoc eodem anno, poſt ſuſceptum Monaſterii regimen proximo, à Lebtrude Nobili Matrona Ghiſnenſem Dynaſtiam obtinuit. Qua de re ſic Iperius apud Locrium [g]. *Anno ſequente, Lebtrudis Nobilis Matrona, Domina de Ghiſnis, quam ab hac Eccleſia* Sitivenſi ſeu Bertinica *tenebat in feodum, & erat de terra S. Walberti in Comitatu Arkenſi, quem ipſe Walbertus Beato Bertino adhuc in corpore viventi tradiderat, feodum ſuum prædictum reſignans in manus Abbatis Nantharii, & ad opus Eccleſiæ, tradidit Ghiſnas prædictas, & totam ejus terram appendicem, terraque dominium, cum omnibus aſpicientiis ejus.*

[f] Lib. 3. c. 6.
[g] Adan. 804.

GHISNENSIS DYNASTIA DATUR MONASTERIO SITIVENSI.

CXIV. CAROLUS NATALEM DOMINI CUM FILIIS SUIS CELEBRAT IN THEODONIS VILLA.

Sub hujus anni finem, cùm Imperator ad hyemandum in Theodonis villa jam reſideret, ad eum filii venerunt, Pippinus ex Italia, Ludovicus ex Aquitania, ſimúlque Natalem Domini celebrarunt. *Ad hiemandum*, inquit Annaliſta Loiſelianus, *in Theodonis villa Palatio ſuo conſedit. Ibi ad eum ambo filii ſui Pipinus & Ludovicus venerunt. Celebravítque ibi Natalem Domini.* In patris comitatu cum Pippino & Ludovico fratribus aderat etiam qui natu maximus Carolus, victis enim Behemannis ac Lechone eorum Duce interfecto cis Rhenum nuper redierat teſte eodem Annaliſtâ, ſéque junxerat Imperatori, cùm per autumnum operam venationi daret in Voſago, nec adhuc in Theodonis villam ſe contuliſſet, ut illic hyemem cum filiis ageret. Porrò Carolus Auguſtus præſentiâ filiorum delectatus ſaluberrimum conſilium iniit *de pace* inter eos *conſtituenda, & diviſione Regni facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum, quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eveniret.* Illa de partitione Francicarum ditionum fusè diſſeremus anno ſequenti; &, ne quid à nobis ad elucidandam firmandámque Chronologiam omiſſum videatur, annos, quibus tres prælaudati fratres cum patre regnarunt, duplici deinceps Charactere conſignabimus. Prior, qui ſuprà jam uſurpatus fuit, petetur ab annis, quibus à parente primùm dicti ſunt Reges; poſterior ſumetur ab anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, quo Carolus Imperator alteram Regni ſui diviſionem fecit.

ANNUS			AN. CH.
CHRISTI		806.	806.
CAROLI	IMP.	6.	CAROLI IMP. 6.
	REG.	38. 35. 33.	PIPPINI LUDOV. RR. 26.
PIPPINI II.	REG.	26. 1.	CAROLI R. 18.
LUDOVICI	REG.	26. 1.	
CAROLI	REG.	18. 1.	
INDICTIO		14.	

ANNALISTA Loiſelianus, cui Laureshamenſis & Bertinianus ſuffragantur, res geſtas anno Redemptoris octingenteſimo ſexto ſic auſpicatur. *Statim poſt Natalem Domini venerunt Willeri & Beatus Duces Venetiæ, necnon & Paulus Dux Jaderæ *, atque Donatus ejuſdem civitatis Epiſcopus, Legati Dalmatiarum, ad præſentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta eſt ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiarum. Illiſque abſolutis, Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace conſtituenda inter filios, & diviſione Regni facienda in tres partes.* I.

I. CAROLUS AUG. IN AMICITIAM RECIPIT

* Iadera.

Ab aliquot annis Veneti domeſtico laborabant bello, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium jam fecimus. Illo anno Fortunatus Patriarcha Gradenſis & Obelerius Metamaucenſis Tribunus, ſolum vertere coacti, Tarviſium ſe contulerunt, quod oppidum ditionis erat Francicæ. Fortunatus, ut conſtituerat, ad Carolum Auguſtum properavit. Obelerius verò Dux à Venetis exulibus eſt declaratus. Hæc ſuo loco probata. Quid ſecutum ſit, accipe ex Sigonio. Obelerius, Tarviſio cum valida armatorum manu egreſſus, Metamaucum repentè repetiit, ac Joanne Mauricióque Ducibus exactis, Ducalem ipſe Coronam accepit, & conſenſu populi Beatum ac Valentinum fratres honoris ſibi conſortes aſcivit. Deinde comparato cum Tribunis exercitu Heracliam, unde Joannes & Mauricius originem trahebant, in eorum contemptum invaſit, ac funditus evertit. Heracliani, quæ major erat nobilitatis Venetæ pars, quòd Heraclia per aliquot annos Sedes Imperii fuerat, alii Metamaucum, alii Torcellum, ſed plerique Rivoaltum petierunt. Fortunatus etiam Patriarcha reverſus è Francia Gradum ſub idem tempus rediit. Porrò Joannes & Mauricius Metamauco pulſi, Nicephorum Imperatorem Conſtantinopolitanum de tota geſtarum rerum ſerie, déque exilio, quod patiebantur, certiorem mox fecerunt, nec omiſerunt id ſibi dedecoris atque injuriarum illatum, quòd propenſiore erga eum animo ac ſtudio eſſent. Rumor paulò pòſt increbuit, Nicephorum claſſem ad eos reducendos miſſurum. Eo nuncio territi Obelerius & Beatus, Valentino fratre domi relicto, unà cum Paulo Duce & Donato Epiſcopo Jadertinis, Carolum Auguſtum in Theodonis villa cum filiis hybernantem adierunt, ut ex veteribus Annaliſtis recitatum ſuprà. Duæ res apud eundem Sigonium occurrunt, quas probare nullomodo poſſumus. Reſcriptum, quod Idibus Auguſtis ab Imperatore Carolo Fortunatus Patriarcha Gradenſis elicuit, in annum Redemptoris octingenteſimum quartum [a] perperam rejicitur, in editione enim Ughellana datum legitur anno Imperii

II.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Patriarch. Grad. 18.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

Carolini tertio, quocum annus Redemptoris octingenteſimus tertius per menſem Auguſtum comparatur. Perperam quoque Joannes & Mauricius, cùm pulſi ſunt Metamauco, *Mantuam* dicuntur ſe recepiſſe, Francis enim Mantua parebat; certè multò probabilius eſt Joannem & Mauricium in locum confugiſſe, qui ſub poteſtate Græcorum eſſet; idque non obſcurè inſinuant, quæ proximè apud illum Auctorem ſequuntur, *rumor increbuerat, Nicephorum claſſem ad eos reducendos miſſurum.* Quo conſilio claſſis, cui Nicetas Patricius hoc anno præfuit, in Adriaticum ſinum à Nicephoro miſſa ſit, dicemus infrà. Interim *poſt ſolemne Natalicium*, ut Sigonius teſtatur, *Obelerius & Beatus* Venetiæ Duces cum Dalmatarum Legatis *Carolum in Theodonis villa magnificis donis cultum rogarunt, ut Venetos ac Dalmatas in amicitiam reciperet, ac Duces populóſque ſuos confirmaret. Quibus auditis, Carolus haud gravatè aſſenſit, ac fœdere conceſſo dimiſit.* Antiquorum igitur Annaliſtarum, quos ſuprà citavimus, hæc periodus, *facta eſt ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quàm Dalmatiarum*, quantùm ad Venetos attinet, hac donari debet interpretatione. *Facta eſt ibi*, nempe in Theodonis villa, *ordinatio ab Imperatore* de rebus Venetis. Id eſt, Carolus Auguſtus Obelerium, Beatum, & Valentinum, Duces Venetiæ, populúmque Venetum in amicitiam recepit, atque Obelerium & Beatum Duces, quos ad ſe venientes benigniſſimè ſuſceperat, in patriam remiſit fœdere priùs cum iis inito contra Joannem, Mauricium, & alios quoſcumque Venetos, qui vel profugerant ad Græcos, vel erga Nicephorum propenſiore, quàm par erat, animo ferebantur. Ceterùm qui Sigonio Dux eſt *Obelerius*, in vetuſtis Annalibus eſt *Wilharius*, & *Willeri*.

VENETOS,

III. ET DALMATAS.

Altera *ordinatio* eſt de Dalmatis. Nicephori jugum excuſſerunt Dalmatæ; poſteà, cùm ab eodem Nicephoro claſſem in Adriaticum ſinum primo vere mittendam reſciiſſent, amicos ſibi Venetos in communi periculo ſociarunt. Utrique Carolum Auguſtum, ut dictum ſuprà, cum filiis in Theodonis villa commorantem adierunt. Legati Dalmatarum erant, Dux Jaderæ Paulus, & Donatus ejuſdem civitatis Epiſcopus. Carolus, ut Venetos, ſic & Dalmatas in amicitiam recepit; atque ut Duces Venetorum, ſic & Dalmatarum Legatos in patriam remiſit, icto cum utriſque fœdere. Quid conſilii Nicephorus ceperit, ex veteribus Annaliſtis infrà recitabimus. Interim quonam in ſtatu res Francorum eſſent, obiter nota. Carolus, teſte Eginhardo, ſua ſub poteſtate tenuit *Hiſtriam, & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quæ, ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-nono præter Iſtriam Francis parebat Liburnia, quæ pars veteris erat Dalmatiæ. Reliquam Dalmatiam Carolus in amicitiam hoc anno recepit, rexitque, donec aliter cum Græcis convenit.

IV. REGNUM FILIIS SUIS DIVIDIT,

Porrò, Ducibus Venetorum Legatiſque Dalmatarum *abſolutis* ac dimiſſis, *Conventum habuit Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace conſtituenda inter filios ſuos, & diviſione Regni facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum, quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes ibi eveniret.* Verba ſunt Annaliſtæ Loiſeliani, cui ſuffragantur, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis; necnon Ado, Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli.

V. Chartam iſtius diviſionis in lucem primus emiſit Petrus Pithœus, deinde Cæſar Baronius Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit, aliique non pauci cum Andrea Ducheſnio ſic integram laudarunt.

VI. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Imperator Cæſar Karolus Rex Francorum Invictiſſimus, & Romani Rector Imperii, Pius, Felix, ac Triumphator, ſemper Auguſtus, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & cuncto populo Catholico præſenti & futuro gentium ac nationum quæ ſub ejus Imperio & Regimine conſtituta ſunt.*

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

Sicut omnibus vobis notum esse & neminem vestrum latere credimus, quomodo nos Divina Clementia, cujus nutu ad occasum tendentia secula per successiones generationum reparantur, tres nobis dando filios magno miserationis ac benedictionis suæ ditavit munere, quia per eos, secundùm vota nostra, & spem nostram de Regno confirmavit, & curam oblivioni obnoxiæ posteritatis leviorem fecit. Ita & hoc vobis notum fieri volumus, quòd eosdem per Dei gratiam filios nostros Regni à Deo nobis concessi, donec in corpore sumus, & post nostrum ad hac mortalitate discessum, hujus à Deo conservandi Regni vel Imperii nostri hæredes relinquere, si sic divina Majestas annuerit, optamus, non ut confusè atque inordinatè, aut sub totius Regni dominatione, jurgii controversiam eis relinquamus, sed trinâ partitione totum Regni corpus dividentes, quam quisquis illorum tueri vel regere debeat portionem, distribuere & designare volumus, eo videlicet modo, ut suâ quisque portione contentus, juxta ordinationem nostram, & fines Regni sui, quæ ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre custodire. VII.

Divisiones verò à Deo conservati & conservandi Imperii vel Regni nostri tales facere placuit, ut Aquitaniam totam & Wasconiam, excepto pago Turonico, & quicquid inde ad Occidentem atque Hispaniam respicit, & de civitate Nivernis quæ est sita super fluvium Ligerem cum ipso pago Nivernense, pagum Avalensem atque Alsensem, Cabillionensem, Matisconensem, Lugdunensem, Saboiam, Moriennam, Tarentasiam, montem Cinisium, vallem Segusianam usque ad clusas, & inde per terminos Italicorum montium usque ad mare, hos pagos cum suis civitatibus, & quicquid ab eis contra Meridiem & Occidentem usque ad mare vel usque ad Hispanias continetur, hoc est, illam portionem Burgundiæ, & Provinciam, ac Septimaniam vel Gothiam, Ludewico dilecto filio nostro consignavimus. VIII.

Italiam verò, quæ & Longobardia dicitur, & Bajoariam sicut Tassilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina sunt Ingoldestat & Lutrahahot, quas nos quondam Tassiloni beneficiavimus, & pertinent ad pagum qui dicitur Northgouve, & de Alamannia partem quæ in Australi ripa Danubii fluminis est, & de ipso flumine Danubii currente limite usque ad Rhenum fluvium in confinio pagorum Chletgouve & Hegouve in locum qui dicitur Enge, & inde per Rhenum fluvium sursum versùs usque ad Alpes, quicquid inter hos terminos fuerit, & ad Meridiem vel Orientem respicit, una cum Ducatu Curiensi & pago Durgouve, Pippino dilecto filio nostro. IX.

Quicquid autem de Regno nostro extra hos terminos fuerit, id est, Franciam & Burgundiam, exceptâ illâ parte quam Ludewico dedimus, atque Alamanniam, exceptâ portione quam Pippino ascripsimus, Austriam, Nuistriam, Turingiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Bajoariæ quæ dicitur Northgow, dilecto filio nostro Karolo concessimus; ita ut Karolus & Ludewicus viam habere possint in Italiam ad auxilium ferendum fratri suo si ita necessitas extiterit, Karolus per vallem Augustanam quæ ad Regnum ejus pertinet, & Ludewicus per vallem Segusianam, Pippinus verò & exitum & ingressum per Alpes Noricas atque Curiam, vitiosè *Cariam* in editionibus Pithœana & Duchesniana. X.

*Hæc autem tali ordine disponimus, ut si Karolus, qui major natu est, priusquàm ceteri fratres, diem obierit, pars Regni, quam habebat, dividatur inter Pippinum & Ludewicum, sicut quondam divisum est inter nos & fratrem nostrum Karlomannum; eo modo & Pippinus illam portionem habeat quam frater noster Karlomannus habuit, Ludewicus verò illam partem quam nos in illâ partitione suscepimus. Si verò Karolo & Ludewico viventibus, Pippinus debitum humanæ sortis compleverit, Karolus & Ludewicus dividant inter se Regnum quod ille habuit, & hæc divisio tali modo fiat, ut ab ingressu Italiæ per Augustam civitatem accipiat Karolus Eboream, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regenses, & ipsam * Regium, & Civitatem novam, atque Mutinam usque ad terminos Sancti Petri. Has civitates cum suburbanis & territoriis suis atque Comitatibus, quæ ad ipsas pertinent, & quicquid inde Re-* XI.

* Baron. ipsum

AN. CH 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

mam pergenti ad lævam reſpicit, de Regno quod Pippinus habuit, unà cum Ducatu Spoletano hanc portionem, ſicut prædiximus, accipiat Karolus. Quicquid autem à prædictis civitatibus vel Comitatibus Romam eunti ad dextram jacet, de prædicto Regno, id eſt, portionem quæ remanſit de regione tranſpadanâ unà cum Ducatu Tuſcano uſque ad mare Auſtrale & uſque ad Provinciam, Ludewicus ad augmentum ſui Regni ſortiatur. Quòd ſi ceteris ſuperſtitibus Ludewicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam Regno ejus adjunximus, cum Provincia & Septimania ſive Gothia uſque ad Hiſpaniam, Pippinus accipiat, Karolus verò Aquitaniam atque Waſconiam.

XII. *Quòd ſi talis filius cuilibet iſtorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit ut patri ſuo ſuccedat in Regni hæreditate, volùmus ut hoc conſentiant patrui ipſius pueri, & regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni, quam pater ejus, eorum frater, habuit.*

XIII. *I. Poſt hanc noſtræ auctoritatis diſpoſitionem, placuit inter prædictos filios noſtros ſtatuere atque præcipere propter pacem, quam inter eos perpetuò permanere deſideramus, ut nullus eorum fratris ſui terminos vel Regni limites invadere præſumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum ejus vel marcas minuendas, ſed adjuvet unuſquiſque illorum fratrem ſuum, & auxilium ei ferat contra inimicos ejus, juxta rationem & poſſibilitatem, ſive infra patriam, ſive contra exteras nationes.*

XIV. *II. Neque aliquis illorum hominem fratris ſui pro quibuſlibet cauſis ſive culpis ad ſe confugientem ſuſcipiat, ad interceſſionem pro eo faciendam, quia volumus ut quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra Regnum domini ſui vel ad loca ſancta vel ad honoratos homines confugiat, & inde juſtam interceſſionem mereatur.*

XV. *III. Similiter præcipimus, ut quemlibet liberum hominem, qui dominum ſuum contra voluntatem ejus dimiſerit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipſe Rex ſuſcipiat, neque hominibus ſuis conſentiat, ut talem hominem recipiant, vel injuſtè retinere præſumant. Hoc non ſolùm de liberis, ſed etiam de ſervis fugitivis ſtatuimus ordinandum, ut nulla diſcordiis relinquatur occaſio.*

XVI. *IIII. Quapropter præcipiendum nobis videtur, ut poſt noſtrum ab hac mortalitate diſceſſum homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia unuſquiſque in Regno domini ſui, & non in alterius, ne fortè per hoc, ſi aliter fuerit, ſcandalum aliquod accidere poſſit. Hæreditatem autem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradictione, in quocunque Regno hoc eum legitimè habere contigerit.*

XVII. *V. Et unuſquiſque liber homo poſt mortem domini ſui licentiam habeat ſe commendandi inter hæc tria Regna ad quodcumque voluerit, ſimiliter & ille qui nondum alicui eſt commendatus.*

XVIII. *VI. De traditionibus autem atque venditionibus, quæ inter partes fieri ſolent, præcipimus ut nullus ex his tribus fratribus ſuſcipiat de Regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium, hoc eſt, terrarum, vinearum atque ſilvarum, ſervorumque qui jam caſati ſunt, ſive ceterarum, quæ hæreditatis nomine cenſentur, auro, argento, & gemmis, armis ac veſtibus, necnon & mancipiis non caſatis, & his ſpeciebus quæ propriè ad negotiatores pertinere noſcuntur. Cæteris verò liberis hominibus hoc minimè interdicendum judicavimus.*

XIX. *VII. Si quæ autem fœminæ, ſicut fieri ſolet, inter partes & Regna fuerint ad conjugium poſtulatæ, non denegentur juſtè poſcentibus, ſed liceat eas viciſſim dare & accipere, & affinitatibus populos inter ſe ſociari: Ipſæ verò fœminæ poteſtatem habeant rerum ſuarum in Regno unde exierant, quamquam in alio propter mariti ſocietatem habitare debeant.*

XX. *VIII. De obſidibus autem qui propter credentias dati ſunt, & à nobis per diverſa loca ad cuſtodiendum deſtinati ſunt, volumus ut ille Rex, in cujus Regno ſunt, abſque voluntate fratris ſui, de cujus Regno ſublati ſunt, in patriam eos redire non*

permittat; ſed potiùs in futurum in ſuſcipiendis obſidibus alter alteri mutuum AN. CH.
ferat auxilium, ſi frater fratrem hoc facere rationabiliter poſtulaverit. Idem 806.
jubemus & de his qui pro ſuis facinoribus in exilium miſſi vel mittendi ſunt.

CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

VIIII. Si cauſa vel intentio controverſiæ talis inter partes propter terminos aut confinia Regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari vel definiri non poſſit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiæ, judicio Crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa cujuſlibet generis pugna vel campus ad examinationem judicetur. Si verò quilibet homo de uno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem domini ſui apud dominum ſuum accuſaverit, mittat eum dominus ſuus ad fratrem ſuum, ut ibi comprobet quod de homine illius dixit. XXI.

X. Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Karolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt: ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantùm ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant. Similiter & de ceteris Eccleſiis, quæ ſub illorum fuerint poteſtate, præcipimus, ut juſtitiam ſuam & honorem habeant, & paſtores atque rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad ipſa loca pia pertinent, in quocunque de his tribus Regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint. XXII.

XI. Quòd ſi de his ſtatutis atque convenientiis aliquid caſu quolibet vel ignorantiâ (quod non optamus) fuerit irruptum, præcipimus ut quamciſſimè ſecundùm juſtitiam emendare ſtudeant, ne fortè propter dilationem majus damnum poſſit accreſcere. XXIII.

XII. De filiabus autem noſtris, ſororibus ſcilicet prædictorum filiorum noſtrorum, jubemus, ut poſt noſtrum ab hoc corpore diſceſſum licentiam habeat unaquæque eligendi ſub cujus fratris tutelâ & defenſione ſe conferre velit. Et qualiſcunque ex illis Monaſticam vitam elegerit, liceat ei honorificè vivere ſub defenſione fratris ſui in cujus Regno degere voluerit. Quæ autem juſtè & rationabiliter à condigno viro ad conjugium quæſita fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur à fratribus ſuis, ſi & viri poſtulantis & fœminæ conſentientis honeſta & rationabilis fuerit voluntas. XXIV.

XIII. De nepotibus verò noſtris, ſcilicet filiis prædictorum filiorum noſtrorum, qui eis vel jam nati ſunt vel adhuc naſcituri ſunt, placuit nobis præcipere ut nullus eorum per quaſlibet occaſiones quemlibet ex illis apud ſe accuſatum ſine juſtâ diſcuſſione atque examinatione aut occidere, aut membris mancare, aut excæcare, aut invitum tondere faciat; ſed volumus ut honorati ſint apud patres vel patruos ſuos, & obedientes ſint cum omni ſubjectione quam decet in tali conſanguinitate eſſe. XXV.

XIIII. Hoc poſtremò ſtatuendum nobis videtur, ut quicquid adhuc de rebus & conſtitutionibus, quæ ad profectum & utilitatem eorum pertinent, his noſtris decretis atque præceptis addere voluerimus, ſic à prædictis dilectis filiis noſtris obſervetur atque cuſtodiatur, ſicut ea, quæ in his jam ſtatuta & deſcripta ſunt, cuſtodire & obſervare præcipimus. XXVI.

XV. Hæc autem omnia ita diſpoſuimus, atque ex ordine firmare decrevimus, ut quamdiu Divinæ Majeſtati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, poteſtas noſtra ſit ſuper à Deo conſervatum Regnum atque Imperium iſtud, ſicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione & omni dominatu Regali atque Imperiali, & ut obedientes habeamus prædictos filios noſtros, atque Deo amabilem populum noſtrum, cum omni ſubjectione, quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à ſuis populis exhibetur. XXVII.

Petrus Pithœus in elencho rerum, quas anno Chriſti milleſimo quingenteſimo duodenonageſimo publicabat, præcitatæ Chartæ cum ludibrio non levi præfixit hunc titulum. *Charta diviſionis Imperii, quæ in quibuſdam exemplarib. Karolo Magno adſcribitur, non certâ fide.* Et in Præfatione partitionem illam *Regnorum Karoli Imp. dubiæ* dicit *fidei, ut meritò numerari poſſit inter* XXVIII.

AN. CH 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

mam pergenti ad lævam reſpicit, de Regno quod Pippinus habuit, unà cum Ducatu Spoletano hanc portionem, ſicut prædiximus, accipiat Karolus. Quicquid autem à prædictis civitatibus vel Comitatibus Romam eunti ad dextram jacet, de prædicto Regno, id eſt, portionem quæ remanſit de regione tranſpadanâ unà cum Ducatu Tuſcano uſque ad mare Auſtrale & uſque ad Provinciam, Ludewicus ad augmentum ſui Regni ſortiatur. Quòd ſi ceteris ſuperſtitibus Ludewicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam Regno ejus adjunximus, cum Provincia & Septimania ſive Gothia uſque ad Hiſpaniam, Pippinus accipiat, Karolus verò Aquitaniam atque Waſconiam.

XII. Quòd ſi talis filius cuilibet iſtorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit ut patri ſuo ſuccedat in Regni hæreditate, volumus ut hoc conſentiant patrui ipſius pueri, & regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni, quam pater ejus, eorum frater, habuit.

XIII. I. Poſt hanc noſtræ auctoritatis diſpoſitionem, placuit inter prædictos filios noſtros ſtatuere atque præcipere propter pacem, quam inter eos perpetuò permanere deſideramus, ut nullus eorum fratris ſui terminos vel Regni limites invadere præſumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum ejus vel marcas minuendas, ſed adjuvet unuſquiſque illorum fratrem ſuum, & auxilium ei ferat contra inimicos ejus, juxta rationem & poſſibilitatem, ſive infra patriam, ſive contra exteras nationes.

XIV. II. Neque aliquis illorum hominem fratris ſui pro quibuſlibet cauſis ſive culpis ad ſe confugientem ſuſcipiat, ad interceſſionem pro eo faciendam, quia volumus ut quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra Regnum domini ſui vel ad loca ſancta vel ad honoratos homines confugiat, & inde juſtam interceſſionem mereatur.

XV. III. Similiter præcipimus, ut quemlibet liberum hominem, qui dominum ſuum contra voluntatem ejus dimiſerit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipſe Rex ſuſcipiat, neque hominibus ſuis conſentiat, ut talem hominem recipiant, vel injuſtè retinere præſumant. Hoc non ſolùm de liberis, ſed etiam de ſervis fugitivis ſtatuimus ordinandum, ut nulla diſcordiis relinquatur occaſio.

XVI. IIII. Quapropter præcipiendum nobis videtur, ut poſt noſtrum ab hac mortalitate diſceſſum homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia unuſquiſque in Regno domini ſui, & non in alterius, ne fortè per hoc, ſi aliter fuerit, ſcandalum aliquod accidere poſſit. Hæreditatem autem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradictione, in quocunque Regno hoc eum legitimè habere contigerit.

XVII. V. Et unuſquiſque liber homo poſt mortem domini ſui licentiam habeat ſe commendandi inter hæc tria Regna ad quodcumque voluerit, ſimiliter & ille qui nondum alicui eſt commendatus.

XVIII. VI. De traditionibus autem atque venditionibus, quæ inter partes fieri ſolent, præcipimus ut nullus ex his tribus fratribus ſuſcipiat de Regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium, hoc eſt, terrarum, vinearum atque ſilvarum, ſervorumque qui jam caſati ſunt, ſive ceterarum, quæ hæreditatis nomine cenſentur, auro, argento, & gemmis, armis ac veſtibus, necnon & mancipiis non caſatis, & his ſpeciebus quæ propriè ad negotiatores pertinere noſcuntur. Cæteris verò liberis hominibus hoc minimè interdicendum judicavimus.

XIX. VII. Si quæ autem fœminæ, ſicut fieri ſolet, inter partes & Regna fuerint ad conjugium poſtulatæ, non denegentur juſtè poſcentibus, ſed liceat eas viciſſim dare & accipere, & affinitatibus populos inter ſe ſociari: Ipſa verò fœmina poteſtatem habeant rerum ſuarum in Regno unde exierant, quamquam in alio propter mariti ſocietatem habitare debeant.

XX. VIII. De obſidibus autem qui propter credentias dati ſunt, & à nobis per diverſa loca ad cuſtodiendum deſtinati ſunt, volumus ut ille Rex, in cujus Regno ſunt, abſque voluntate fratris ſui, de cujus Regno ſublati ſunt, in patriam eos redire non-

permittat; ſed potiùs in futurum in ſuſcipiendis obſidibus alter alteri mutuum ferat auxilium, ſi frater fratrem hoc facere rationabiliter poſtulaverit. Idem jubemus & de his qui pro ſuis facinoribus in exilium miſſi vel mittendi ſunt. AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

XXI. *VIIII. Si cauſa vel intentio controverſiæ talis inter partes propter terminos aut confinia Regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari vel definiri non poſſit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiæ, judicio Crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa cujuſlibet generis pugna vel campus ad examinationem judicetur. Si verò quilibet homo de uno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem domini ſui apud dominum ſuum accuſaverit, mittat eum dominus ſuus ad fratrem ſuum, ut ibi comprobet quod de homine illius dixit.*

XXII. *X. Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Karolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt: ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantùm ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant. Similiter & de ceteris Eccleſiis, quæ ſub illorum fuerint poteſtate, præcipimus, ut juſtitiam ſuam & honorem habeant, & paſtores atque rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad ipſa loca pia pertinent, in quocunque de his tribus Regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint.*

XXIII. *XI. Quòd ſi de his ſtatutis atque convenientiis aliquid caſu quolibet vel ignorantiâ (quod non optamus) fuerit irruptum, præcipimus ut quamcitiſſimè ſecundùm juſtitiam emendare ſtudeant, ne fortè propter dilationem majus damnum poſſit accreſcere.*

XXIV. *XII. De filiabus autem noſtris, ſororibus ſcilicet prædictorum filiorum noſtrorum, jubemus, ut poſt noſtrum ab hoc corpore diſceſſum licentiam habeat unaquæque eligendi ſub cujus fratris tutelâ & defenſione ſe conferre velit. Et qualiſcunque ex illis Monaſticam vitam elegerit, liceat ei honorificè vivere ſub defenſione fratris ſui in cujus Regno degere voluerit. Quæ autem juſtè & rationabiliter à condigno viro ad conjugium quæſita fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur à fratribus ſuis, ſi & viri poſtulantis & fœminæ conſentientis honeſta & rationabilis fuerit voluntas.*

XXV. *XIII. De nepotibus verò noſtris, ſcilicet filiis prædictorum filiorum noſtrorum, qui eis vel jam nati ſunt vel adhuc naſcituri ſunt, placuit nobis præcipere ut nullus eorum per quaſlibet occaſiones quemlibet ex illis apud ſe accuſatum ſine juſtâ diſcuſſione atque examinatione aut occidere, aut membris mancare, aut excæcare, aut invitum tondere faciat; ſed volumus ut honorati ſint apud patres vel patruos ſuos, & obedientes ſint cum omni ſubjectione quam decet in tali conſanguinitate eſſe.*

XXVI. *XIIII. Hoc poſtremò ſtatuendum nobis videtur, ut quicquid adhuc de rebus & conſtitutionibus, quæ ad profectum & utilitatem eorum pertinent, his noſtris decretis atque præceptis addere voluerimus, ſic à prædictis dilectis filiis noſtris obſervetur atque cuſtodiatur, ſicut ea, quæ in his jam ſtatuta & deſcripta ſunt, cuſtodire & obſervare præcipimus.*

XXVII. *XV. Hæc autem omnia ita diſpoſuimus, atque ex ordine firmare decrevimus, ut quamdiu Divinæ Majeſtati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, poteſtas noſtra ſit ſuper à Deo conſervatum Regnum atque Imperium iſtud, ſicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione & omni dominatu Regali atque Imperiali, & ut obedientes habeamus prædictos filios noſtros, atque Deo amabilem populum noſtrum, cum omni ſubjectione, quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à ſuis populis exhibetur.*

XXVIII. Petrus Pithœus in elencho rerum, quas anno Chriſti milleſimo quingenteſimo duodenonageſimo publicabat, præcitatæ Chartæ cum ludibrio non levi præfixit hunc titulum. *Charta diviſionis Imperii, quæ in quibuſdam exemplarib. Karolo Magno adſcribitur, non certâ fide.* Et in Præfatione partitionem illam *Regnorum Karoli Imp. dubia* dicit *fidei, ut meritò numerari poſſit inter*

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18. XXIX.

tot ſingularùm ocii commenta, quæ ſequiora nobis ſecula ingeniáque pepererunt. Ut ab opinione tam ſiniſtra deterrearis, placet eandem Chartam nonnullis obſervationibus illuſtrare.

Primò, Carolus Imperatorem ſe duntaxat dixit ac Regem Francorum, Imperatoris titulo, qui magnificentiſſimus fuit, ne pagi quidem unius factus eſt dominus, provincias igitur omnes quas rexit, uno Franciæ Regno complexus eſt, nec alios Franciæ quàm ſuæ vel filiorum ditioni terminos aſſignavit in Galliâ, in Hiſpaniâ, in Italiâ & in Germaniâ. Quapropter ejus nepotes, ut ſuis locis obſervabimus, ſe quoque Reges Francorum nominarunt, quiſque in ſua ditione, poſtquàm avitum Regnum in plures partes pro more tunc recepto diviſerunt. Unde & concludas ipſos Caroli filios Pippinum & Ludovicum à præcipuis Regnorum ſuorum provinciis Reges Longobardiæ & Aquitaniæ minùs propriè dictos reperiri.

XXX.

Secundò, Carolus nullum filiorum vocavit Imperatorem, egit enim de Regno dumtaxat dividendo, quod à Pippino patre hæreditario jure acceptum ulteriùs inſigni fortitudine propagarat. Ideóque Chartam ſuprà deſcriptam Pithœus in publicandorum operum elencho & Ducheſnius in coætaneorum Auctorum collectione [a] Chartam *diviſionis Imperii* perperam dixerunt. Meliùs Baronius *Teſtamentum* vocavit *Caroli Magni, quo Regnum partitur inter filios*, & ipſemet Pithœus in Præfatione partitionem *Regnorum Karoli Imp.* appellavit. In Chronico San-Dionyſiano, quo ſæpè utimur, hæc leguntur. DCCCVI. *Carolus Imp. diviſit Regnum ſuum inter filios ſuos.* Ad eundem annum ſic unanimi conſenſu ſcribunt Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, & Bertinianus, cum Reginone, Monacho Egoliſmenſi & incerto Auctore. *Conventum habuit Imperator de diviſione Regni facienda in tres partes.* Apud Adonem, *Imperator inter filios ſuos Regna dividit.* Et in Annalibus Fuldenſibus celebratur *partitio Regni Francorum ab Imperatore facta.* Nulla Imperii dividendi mentio. Secus ſentire videntur Annaliſta Metenſis & Regino, diviſum enim Imperium innuunt hac phraſi. *Imperator, diviſione factâ in tres partes, Imperium ſuum partitus eſt inter tres filios.* At, ſi textum illorum Auctorum attentè perpenderis, Regnum & Imperium ſynonyma reperies. *Imperator*, inquiunt, *cum Primoribus & Optimatibus Francorum, de pace conſtituenda & conſervanda inter filios ſuos, & de partitione Regni Placitum habuit, & diviſione factâ in tres partes, Imperium ſuum partitus eſt inter tres filios, ut ſcilicet unuſquiſque ſciret, quam partem tueri & recipere debuiſſet, ſi illum ſuperviverent* *. Imperator *de partitione Regni* Placitum habet. Ergo, cùm *diviſione factâ in tres partes, Imperium ſuum partitus* dicitur *inter tres filios*, Imperii vocabulo Regnum eſt intelligendum. Succedit ratio. Partitio fit *inter tres filios*, ut unuſquiſque ſciat *quam partem tueri & recipere* debeat, ſi patri ſuperſtes vixerit. Quis autem Titulum Imperatoris poſt hanc partitionem tribus Caroli filiis communem putet? Iidem Auctores, quos hîc examinamus, paulò pòſt de Pippino & Ludovico Caroli filiis non Imperia ſed in Regna ſibi deputata dimiſſis ita loquuntur. *Poſthac Imperator dimiſſo utroque filio in Regnum ſibi deputatum, Pippino ſcilicet & Ludowico, de Theodonis villa profectus*, &c. Ex prædictis liquet Chartam, quâ Carolus Regnum filiis ſuis diviſit, in nonnullis locis corrigendam eſſe, quibus Imperii vocabulum bis inſertum reperitur. Semel, ſic. *Regni vel Imperii noſtri hæredes.* Iterum ſic. *Diviſiones Imperii vel Regni noſtri tales facere placuit.* Utrobique nomen Imperii dele. Priorem textum ſic reſtitue. *Regni noſtri hæredes.* Poſteriorem ſic. *Diviſiones Regni noſtri tales facere placuit.* Utrumque comprobat hic Chartæ contextus. *Hoc vobis notum fieri volumus, quòd eoſdem per Dei gratiam filios noſtros Regni à Deo nobis conceſſi, donec in corpore ſumus, & poſt noſtrum ab hac mortalitate diſceſſum, hujus à Deo conſervandi Regni vel Imperii noſtri hæredes relinquere, ſi ſic divina majeſtas annuerit, optamus: non ut confusè atque inordinatè aut ſub totius Regni dominatione*

jurgii

[a] Tom. 2. pag. 88.

NULLA FACTA MENTIONE IMPERII,

* Regin. ſuperviverit.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

jurgii controverſiam eis relinquamus, ſed trinâ partitione totum Regni corpus dividentes, quam quiſquis illorum tueri vel regere debeat portionem, diſtribuere & deſignare volumus, eo videlicet modo, ut ſua quiſquis portione contentus, juxta ordinationem noſtram, & fines Regni ſui quæ ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre cuſtodire. Diviſiones verò à Deo conſervati & conſervandi Imperii vel Regni noſtri tales facere placuit, ut &c. In hoc textu Carolus quater ſolius Regni mentionem facit, Imperio nequidem nominato. Meminit *Regni à Deo conceſſi.* Deinde cavet, ne *ſub totius Regni dominatione* jurgii controverſiam filiis relinquat. *Trinâ* quoque *partitione totum Regni corpus dividit.* Denique ſuis præcipit filiis, ut unuſquiſque *fines Regni ſui, quæ ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre cuſtodire.* Quid, ſi cetera ſubjiciamus argumenta, quæ ſimul ex eadem Charta congeri poſſunt? Carolus de diviſione Regni ſe loqui diſtinctè teſtatur. *Quicquid*, inquit, *de Regno noſtro extra hos terminos fuerit.* Regnum ſuum vel in partes vel in totidem Regna pro ſuorum filiorum numero diſtributum declarat, ditiones enim uniuſcujuſque filii Regnum dicit aut partem ſeu portionem Regni. Vallem Auguſtanam in Regno Caroli natu maximi collocat. *Karolus per vallem Auguſtanam, quæ ad Regnum ejus pertinet,* &c. Paulò pòſt, ejuſdem primogeniti ſortem appellat partem Regni, vult enim, ut ſi prædictus Carolus, priuſquàm cæteri fratres, diem obierit, *pars Regni, quam habebat, dividatur inter Pippinum & Lodewicum.* Similiter Pippini ditiones Regnum vocat. *Si Karolo & Lodewico viventibus, Pippinus debitum humanæ ſortis compleverit, Karolus & Ludewicus dividant inter ſe Regnum, quod ille habuit.* Alia quoque ſpeciatim ſubjicit *de prædicto Regno*, ſeu *de Regno quod Pippinus habuit.* Pari quoque modo Ludovici portionem Regnum nominat. *Si cæteris ſuperſtitibus Ludewicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam Regno ejus adjunximus, cum Provincia & Septimania ſive Gothia uſque ad Hiſpaniam Pippinus accipiat.* Quod de ſingulis filiorum portionibus dixit ſuprà, de cunctis etiam generaliter atque indefinitè ſubjungit, ſtatuit enim, *ut filius patri ſuo ſuccedat in Regni hæreditate, & patrui ipſius pueri regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni, quam pater ejus, eorum frater, habuit.* Sequuntur in eadem Charta duodecim Sanctiones, quibus non Imperium ſed Regnum tres inter filios à Carolo diviſum oſtenditur. Prima. *Nullus fratris ſui terminos vel Regni limites invadere præſumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum ejus.* Secunda. *Homo peccans & interceſſione indigens intra Regnum Domini ſui vel ad loca ſancta vel ad honoratos homines confugiat.* Tertia. *Liberum hominem, qui Dominum ſuum contra voluntatem ejus dimiſerit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipſe Rex ſuſcipiat, neque hominibus ſuis conſentiat ut talem hominem recipiant.* Quarta. *Homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia, unuſquiſque in Regno Domini ſui & non in alterius.* Quinta. *Hæreditatem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradictione in quocunque Regno hoc eum legitimè habere contigerit.* Sexta. *Liber homo poſt mortem Domini ſui licentiam habeat ſe commendandi inter hæc tria Regna ad quodcumque voluerit.* Septima. *Nullus ex his tribus fratribus ſuſcipiat de regno alterius à quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium.* Octava. *Si fœminæ inter partes & Regna fuerint ad conjugium poſtulatæ, non denegentur juſtè poſcentibus, & poteſtatem habeant rerum ſuarum in Regno unde exierant, quanquam in alio propter mariti ſocietatem habitare debeant.* Nona. *Obſides ille Rex in cujus Regno ſunt, abſque voluntate fratris ſui de cujus Regno ſublati ſunt, in patriam eos redire non permittat.* Decima. *Si quilibet homo de uno Regno hominem de altero Regno de infidelitate contra fratrem Domini ſui apud Dominum ſuum accuſaverit, mittat eum Dominus ſuus ad fratrem ſuum, ut ibi comprobet quod de homine illius dixit.* Undecima. *Paſtores atque Rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad*

AN. CH. 806. R. 18. *ipſa loca pia pertinent in quocumque de his tribus Regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint.* Duodecima. *Qualiſcumque ex illis*, nempe ſororibus prædictorum fratrum, *Monaſticam vitam elegerit, liceat ei honorificè vivere ſub defenſione fratris ſui in cujus Regno degere voluerit.*

XXXI. Tertiò, Carolus Regnum diviſit tribus filiis, Carolo, Pippino, & Ludovico, quos ex Hildegarde Regina ſuſceperat, nec ullam mentionem fecit alterius Pippini ex Himiltrude prima uxore nati, quoniam is res novas molitus in Prumienſe Monaſterium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio truſus fuerat.

XXXII. Quartò, Carolus filiabus ſuis nullam hæreditatis partem reliquit, quia procul à ſceptro Francorum arcentur fœminæ. Carolo tunc erant octo filiæ ex quinque conjugibus; Rothais ex Himiltrude; Rotdrudis, Berta, & Giſla, ex Hildegarde; Thedrada & Hildrudis ex Faſtrada; Rothildis ex Mathalgarde; Adeldrudis ex Gerſwinda, Gerſwindam enim ſub idem tempus mortuam putamus, cùm Adeldrudem, cujus meminit Eginhardus [a], Carolo marito paulò antè peperiſſet. Rothildis quidem & Adeldrudis erant adhuc in cunis, ſed conjicimus Thedradam & Hildrudem contrahendis nuptiis ætate jam idoneas fuiſſe, quia Faſtradam matrem ante annos duodecim amiſerant; ceteræ erant ætate multò provectiori, Rothais nata tum annos triginta-ſex, Rotdrudis unum & triginta, Berta viginti-ſeptem, Giſla viginti-quinque. Nullam è tot filiabus viro collocarat Carolus. *Cùm pulcherrimæ eſſent*, inquit Eginhardus [b], *& ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut ſuorum aut exterorum nuptum dare voluit, ſed omnes ſecum uſque ad obitum ſuum in domo ſua retinuit, dicens ſe earum contubernio carere non poſſe.* Thedrada patre Carolo ſuperſtite facta eſt Argentogilenſis Abbatiſſa in agro Pariſienſi. Varias hujus loci viciſſitudines ex Sugerio Abbate San-Dionyſiano clariſſimo breviter Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum ſic refert. *Sugerius Cœnobium Argentoilenſe ab Hermenrico conſtructum fuiſſe ait, & Pippini Regis Principatu B. Dionyſii Abbatiſſam exſtitiſſe; ſed à Carolo Magno, permiſſu Monachorum Dionyſianorum, datum illud eſſe filiæ Theodradæ: quod ipſe poſt annos amplius trecentos expulſis puellis vix recepit.* Lege quæ præmiſſa ſunt Tomo quinto [c].

[a] In vit. Car. Magni.

[b] In vit. Car. Magni.

[c] Ad an. 768. n. 18.

XXXIII. Quintò, Carolus cùm explicuit, quomodo Regnum Pippini, ſi priùs hic, quàm fratres, obiret, inter Carolum & Ludovicum ſuperſtites dividi vellet, limites Pontificiæ ditionis, occaſum versùs haud procul Mutinâ poſuit, ipſamque Mutinam cum Ducatibus Spoletano & Tuſcano intra fines Franciæ collocavit. Mutinenſis Epiſcopus erat Geiſo, de quo jam locuti ſumus. Lege quæ ſuis locis ad annos Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-quartum & ſeptingenteſimum octogeſimum-primum dicta ſunt de varia Caroli Regis erga Sedem Apoſtolicam munificentia. Carolus anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto in ſua Donatione totum Ducatum Spoletanum complexus eſt exceptâ Sabinenſi Diœceſi; & anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo in altera Donatione, de qua Romanus Pontifex Hadrianus convenit, Apoſtolicæ Sedi Sabinenſe territorium conceſſit, reliquum verò Ducatum Spoletanum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſervavit. Quod attinet ad Ducatum Tuſcanum, Carolus anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo, Apoſtolicæ quoque Sedi tradidit in Tuſcia Caſtellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti Caſtrum, Viterbium, Martam, Tuſcaniam, Populoniam, Soanam, & Roſellas, ſed harum civitatum territoria non complectebantur integram Tuſciam, cui Strabo, Polybius, Ptolemæus, Mela, Solinus, Macram fluvium cum Liguria terminum Occidentalem tribuerunt. Ideò Carolus cùm partitionem ſuarum ditionum iniret, rectè meminit Ducatûs Tuſcani, quamvis haud tantæ tunc eſſet amplitudinis, quantæ priùs fuerat, antequàm ejus pleræque civitates Romano Pontifici concederentur.

Digitized by Google

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18. XXXIV.

Sextò, nonnulli Carolum, quem de Ducatibus Spoletano & Tuſcano locutum audiſti, nihil diſtinctè de Beneventano ſcripſiſſe contendunt, iſtiuſque ſilentii cauſam hanc prætexunt, quòd idem Carolus anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo partem Beneventani Ducatûs Apoſtolicæ Sedi tradidiſſet, partem alteram Grimoaldus Dux in ſua retineret poteſtate, nec ſe Caroli beneficiarium gereret. Ampliſſimus erat Ducatus Beneventanus. Anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo partem Occidentalem, in qua civitates Epiſcopales, Sora, Aquinum, Theanum & Capua, Romano Pontifici dederat Carolus; cetera, quæ pertinebant ad eundem Ducatum, comprehendit ſub nomine Italiæ ſeu Longobardiæ, quam Pippino filio ſic attribuit. *Italiam verò, quæ & Langobardia dicitur*, conſignavimus *Pippino dilecto filio noſtro*. Ad Hiſtoriam Pauli Diaconi de Geſtis Longobardorum Erchempertus Caſinenſis Monachus Auctarium ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodenonageſimum adjecit, diúque ſuperſtes haud vixit. Erat genere Longobardus, in Ducatu natus Beneventano, patre nobili, cui nomen Adelgarius. Eâ ſcribebat ætate, quâ Francis nihil priſtinæ per Italiam dominationis reſiduum erat. Amore ductus videtur erga gentem ſuam, odio contra Francos à quibus majores ſuos ſub jugum miſſos ægerrimè ferebat. Invidit gloriæ Caroli Magni poſterorúmque Regum Francorum, qui ſubactâ Longobardiâ Duces ſeu Præfectos provinciarum conſtituerunt. Ducibus Beneventanis ſupremum affinxit Imperium, iiſdémque tanquam ſuorum jurium aſſertoribus multa laudi vertit ac virtuti, quæ digniſſima vituperio, nec alio quàm rebellionis nomine nuncupanda. Belli Beneventani, quod Grimoaldo Duce non ſemel recruduit, auctores accuſavit Carolum & Pippinum ejus filium, qui motâ perſecutione Grimoaldum liberi juris Ducem opprimere conarentur. Recentiores Hiſtoriarum Scriptores in errorem facilè traxit. Adversùs iſtud commentum lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quo vitam clauſit Aragiſus Dux Beneventanus Grimoaldi pater, & ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-octavum, quo Grimoaldus à Carolo Rege Dux Beneventanus inſtitutus eſt. Extant apud Camillum Peregrinium duo Chronica Ducum Beneventanorum, unum Auctore Anonymo Salernitano, qui Grimoaldo in Ducatu ſeu Præfectura tribuit *ann.* XVIII. alterum Auctore Monacho Monaſterii Beneventani Sanctæ Sophiæ, qui tribuit *ann.* XIX. *menſ.* VI. Prius magis placet, nam Grimoaldus anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo Dux eſſe cœpit, annúſque regiminis decimus-octavus coincidit cum hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſexto, quem in Erchemperti margine notatum reperies. In adminiſtrationem Beneventanæ provinciæ ſucceſſit alter Grimoaldus, de quo ſic idem Erchempertus [a]. *Grimoalt alter ſuſcepit Beneventi jura tuenda, Theſaurarius videlicet divæ memoriæ Grimoalt prioris.* Hic Auctor ubi juniori Grimoaldo *Beneventi jura tuenda* committit, teſtatur illum quoque ſibi videri ſupremo Imperio potitum. De poſteriore Grimoaldo recurret ſermo. De priore quid Erchempertus ſcripſerit hoc loco prætermittendum non putamus. Ex ipſa enim lectione ſatis intelliges ab eo multa narrari futilia, contrariáque veritati, quam Hadrianus Pontifex in ſuis epiſtolis aliíque coætanei Scriptores de Carolo & Pippino Regibus déque Ducatu Beneventano publicarunt. *Frequenter Karlus*, inquit Erchempertus, *cum cunctis liberis quos jam Reges conſtituerat, & cum immenſo bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur. Sed Deo decertante pro nobis, ſub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de ſuis peſte perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur; unde factum eſt, ut Pipino regnante in Ticino, & Grimoalt in Benevento præſidente, frequentiſſimum bellum vexarit Beneventanos, ita ut nec ad momentum pax interfuerit, illis viventibus. Erant enim utrique juvenili ætate nitentes, & ad conjunctiones, & bella declivi. Pipinus autem præſidio bellato-*

[a] Num. 7.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

rum jugi continuóque prælio exagitabat eum : Grimoalt verò, & Civitatibus munitis, & Primoribus quamplurimis constipatus, parvipendens, ac despectiùs ducens illius persecutionem, in nullo cedebat ei. Agebat itaque per Legatos suos Pipinus. Volo quidem, & ita potenter disponere conor, ut sicuti Arichis genitor illius subjectus fuit quondam Desiderio Regi Italiæ, ita sit mihi & Grimoalt. Quibus è contrario Grimoalt asserebat.

Liber, & ingenuus sum natus utroque parente,
Semper ero liber, credo, tuente Deo.

XXXV. ET DUCATUS ROMANI.

Septimò, Carolus ut Imperium seu Dignitatem Imperialem, sic & Romam Ducatúmque Romanum nulli filiorum reliquit. Illius hæc procul dubio mens erat, ut inter filios is, quem Imperatorem dixisset, Româ Ducatúque Romano potiretur. Sciebat pleroſque Romanorum, priusquàm Augustus acclamaretur, indignatos plurimùm fuisse, quòd Regi parerent, cùm per multas ætates Imperatoribus obtemperare consuevissent. Noverat id causæ potissimum extitisse, cur, communicato priùs cum Leone Papa consilio, Imperatorem se & Augustum in Vaticana Basilica salutassent. Quâ verò permotus ratione nullum è filiis Imperatorem elegerit, nemo veterum prodit. E Neotericis nonnulli [a] volunt Imperium *Romani Pontificis arbitrio electivum* fuisse, ideóque Carolum reliquisse *sub* Leonis Papæ *dispositione, ut cui vellet,* Imperium *daret.* At Carolo, ut ad annum Redemptoris octingentesimum adversùs Bellarminum fusè probavimus, liberum erat, quemcumque vellet, absque cujuspiam consultu vel permissu consortem Imperii facere. Locum illum adi. Lege & inferiùs ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium, quæcumque proferentur de ritu, quo Carolus filium suum Ludovicum Imperialis nominis sibi consortem fecit.

[a] Baron. hoc an. n. 26.

XXXVI. Prædicta *partitio Regnorum Karoli Imperatoris, licèt* Pithœo *dubiæ sit fidei, tamen,* ut hic Auctor in eadem Præfatione subjungit, *in chartaceo exemplari, Thegani verè Franci hominis operi, recentiore manu subjecta fuit.* Vetusti Scriptores, quos magno numero recensuimus, istam Chartam adeò laudarunt, ut de illius auctoritate nefas sit dubitare. *De hac partitione,* inquiunt Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis ac Bertinianus, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis, *est Testamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conservandæ causâ factæ. Atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, ut his suâ manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis, & adsensum præbuit, & propriâ manu subscripsit.* Brevius Annalista Fuldensis, sic. *De hac partitione testamentum conscriptum, & ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione roboratum est.* Et Ado sic. *Testamentum inde factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, Leoni Papæ missum, ut manu suâ subscriberet.* Consentiunt Annalista Metensis & Regino, sic. *De hac divisione Testamentum fecit, & sacramentis * interpositis à Francis confirmatum est, & Leoni Papæ transmissum, ut hæc decreta manu suâ firmaret. Quod & factum est.*

* Regin. accusativus absolutus, *sacramentum interpositum*

XXXVII. Ex illis Auctoribus ita ratiocinatur Bellarminus. *Cùm* Carolus *testamento Imperium filiis divisisset, rem totam à Leone Pontifice confirmari voluit, ut non sine consensu ejus, à quo illud acceperat, Imperium aliis tradere videretur.* At in Testamento, quod Carolus Leoni Papæ mittendum curavit, non agebatur de partitione Imperii, sed de Regni partitione, quod Carolus in tres partes pro totidem filiis, Carolo, Pippino, & Ludovico, diviserat, ut exposuimus suprà, necnon ad annum Redemptoris octingentesimum, cùm adversùs eundem disputaremus Bellarminum, qui se fultum Aimoino, Adone, vetustissimisque Francorum Annalibus asserebat.

XXXVIII. Nomen nuncii, quem Carolus Romam direxit, variis effertur modis; *Einardus* est incerto Auctori in vita Caroli, *Heinardus* Annalistæ Bertiniano, *Einhardus* Annalistæ Loiseliano & Monacho Egolismensi, *Eginhardus* Anna-

Digitized by Google

liſtæ Laureshamenſi, nec is cenſeri debet alius ab Eginhardo, qui literis vitam Caroli Magni commendavit. AN. CH. 806.

Factâ Regni partitione, Chartâque partitionis Romam ad Leonem Papam directâ, quid egerit Carolus, Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, aliique ſic teſtantur. *Imperator dimiſſo utroque filio in Regnum ſibi deputatum, Pippino ſcilicet & Ludovico, de villa Theodonis per Moſellam & Rhenum ſecundâ aquâ Noviomagum * navigavit; ibique Quadrageſimale jejunium & ſacratiſſimam Paſchæ ſolemnitatem celebravit.* Hic textus rectè convenit cum obſervatione Labbei, qui Teſtamentum de partitione Regni factum ſcribit VIII *Idus Februarii, die Veneris*, illo enim anno litera Dominicalis fuit D, & pridie Idus Aprilis celebratum eſt Paſcha. Interim Carolus per Helmengaudum & Hunfridum Comites, quos Romam direxit, Eccleſiam Beati Petri novis ditavit muneribus, ſignificavitque Pippinum ad Apoſtolorum limina ſub mediam Quadrageſimam perventurum. Iter tamen poſt Paſcha dilatum eſt, nec ſciri poteſt, utrùm à Pippino confectum ſit, literæ enim, in quibus Leo Papa mentionem prædictarum rerum facit, priùs ſcriptæ ſunt, quàm Rex ille viſus ſit hoc anno Romæ. *Poſt munerum offertionem*, inquit Leo Pontifex in literis [a] ad Carolum Auguſtum, *inſinuaverunt nobis fideliſſimi Miſſi veſtri, Helmengaudus videlicet atque Hunfridus Glorioſi Comites, quòd filius noſter Domnus Pippinus Rex ad limina Apoſtolorum per veſtram largitatem mediâ Quadrageſimâ cupit venire, atque colloquium nobiſcum habere. Unde in magnum gaudium cor noſtrum relevatum eſt, quòd ipſi fideliſſimi Miſſi veſtri vivâ voce vobis inſinuare poſſunt, & continuò omnia cum ipſis diſpoſuimus de prædicti dulciſſimi filii noſtri itinere, Miſſúmque ſtatim noſtrum direximus, qui omnem præparationem facere deberet, quatenus cum lætitia ad limina Apoſtolorum noſtraque puſillitati conjungeret. Igitur poſt modicos dies, octavo ſcilicet Kal. April. conjunxerunt ad nos Miſſi præfati filii noſtri Domni Pippini Regis, & obtulerunt nobis honorabilem epiſtolam veſtram. Quam relegentes reperimus veſtræ proſperitatis ſalutem atque ſolertiſſimam curam, quam erga tranquillitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ veſtra Serenitas ſemper gerit, atque de adventu filii noſtri Domni Pippini, ut non antèa eſſet venturus niſi poſt diem ſanctum Paſchæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis veſtra Clementia, quia quocumque tempore ad nos conjunxerit, cum tanto gaudio tantâque lætitiâ eum ſuſcipiemus, quantùm condecet filio tam magni Defenſoris Sanctæ Dei Eccleſiæ, quia ſcimus Domino opitulante cò quòd & nobis & illi profectum erit, ſi nos conjunxerimus. Iterum poſtquàm conjunxerunt ad nos ipſi Miſſi prædicti filii noſtri Domni Pippini Regis, & dixerunt nobis, quòd in media Quadrageſima minimè conjungere poteſt, porrexerunt nobis præfati Miſſi veſtri, videlicet Helmengaudus & Hunfridus Glorioſi Comites, aliam epiſtolam Serenitatis veſtræ, ubi continebat, ut ipſi fideliſſimi Miſſi veſtri apud filium noſtrum Domnum Pippinum priùs adirent, & de veſtro verbo ei præciperent, ut ubi ambobus placuiſſet, nobis obviam occurriſſet, ut quod vos omnimodo optatis, cum Dei adjutorio veniat ad perfectionem, id eſt, ut pax & concordia inter nos firma & ſtabilis Deo mediante conſtituatur. In veritate enim dicimus, quia donavit nobis Dominus pacificum Imperatorem, de quo Apoſtolus dicit. [Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.] Nam Omnipotens Deus veſtrum poteſt cor ſatisfacere, quia nullam diſcordiam nullámque iniquitatem circa eum habemus, ſed ſic eum diligimus, & illius profectum cupimus, ſicut de cariſſimo filio. Sed qui zizania portant in conſpectu veſtro vel filii noſtri Domni Pippini Regis, quòd nos nec in corde habemus, Omnipotens Deus, qui juſtus Judex eſt, ante cujus conſpectum omnia occulta pateſiunt, ipſe judicet inter nos & ipſos. De verò Eccleſiis Dei, ut ſuas habeant juſtitias, atque littoraria noſtra & veſtra ab infeſtatione paganorum & inimicorum noſtrorum tuta reddantur atque defenſa, nos, quantùm Dominus virtutem donaverit, cum ipſo prædicto filio noſtro ſtudium ponimus, ſed veſtrum conſilium & veſtrum ſolatium & nobis & illi neceſſe eſt. De autem Inſula Corſica, unde & in ſcriptis & per Miſſos veſtros nobis emiſiſtis, in veſ-*

XXXIX. IT NIUMAGAM.

* *Nimegue.*

[a] Tom. 7. Conc. ep. 8. Leonis 3. PP.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

trum arbitrium & diſpoſitum committimus, atque in ore poſuimus Helmengaudi Comitis, ut veſtra Donatio ſemper firma & ſtabilis permaneat, & inſidiis inimicorum tuta perſiſtat, per interceſſionem Sanctæ Dei Genitricis & Beatorum Principum Apoſtolorum Petri ac Pauli, & veſtrum fortiſſimum brachium. In his literis multa proferuntur, de quibus infrà recurret ſermo, nam Leo de juſtitiis non factis iterum quereretur, & Carolus incurſiones Saracenorum à Beati Petri patrimoniis in Corſica ſitis procul arcebit.

XL. EDIT CAPITULARE.

Idem Imperator *infrà Quadrageſimam*, cùm apud Niumagam eſſet, edidit Capitulare, quod à loco Noviomagenſe nuncupatur. Jacobus Sirmondus auctoritate Codicis Metenſis ſuffultus huic Capitulari duodeviginti tribuit Capitula, duóque tantùm profert, tertium videlicet quod eſt de Miſſis per civitates ac Monaſteria diſcurrentibus, & quartum quod eſt de theſauris Eccleſiaſticis. Stephanus Baluzius ait idem Capitulare novemdecim conſtare Capitulis, &, quæ Sirmondo Capitula tertium & quartum dicuntur, ea quartum & quintum vocat, ſecundo in duo, ut arbitramur, ſeparato. Collectio Lothariana, quam Vitus Amerpachius publici juris primus fecit, in Capitulis quarto & quinto cum editione Baluziana convenit, tamen habet octodecim tantùm Capitula, nam quæ Baluzio ſunt decimum-ſeptimum & decimum-octavum, ea ſub uno Titulo complectitur. Sequemur numeros iſtius Collectionis. Eſt autem error in Titulo, *Cap. quæ ad Niumaczd*, fruſtráque Amerpachius legit *à Niumaczd*, & *Niumaczd* proprium viri nomen eſſe ſuſpicatur.

XLI. I Capitulum de cura Miſſorum Dominicorum. *Unuſquiſque in ſuo Miſſatico maximam habeat curam ad prævidendum & ordinandum ac diſponendum ſecundùm Dei voluntatem & ſecundùm juſſionem noſtram.* Hoc Capitulum eſt decimum-ſeptimum in libro tertio Capitularium.

XLII. II Capitulum de ſacramento fidelitatis. *Ut hi qui anteà fidelitatem partibus noſtris non promiſerunt, promittere faciant, & omnes inſuper denuò repromittant.*

XLIII. III Capitulum de Regni diviſione ab Imperatore inter filios nuperrimè facta. *Ut ea, quæ inter filios noſtros propter pacis concordiam ſtatuimus, pleniter omnes conſentire debeant.* Chartam iſtius diviſionis ſuprà deſcripſimus [a].

[a] Hoc an. nu. 6. & ſeqq.

XLIV. IV Capitulum de Miſſis per civitates & Monaſteria diſcurrentibus. *Ut prædicti Miſſi per ſingulas civitates & Monaſteria virorum & puellarum prævideant quomodo aut qualiter in domibus Eccleſiarum * ornamenta Eccleſiis emendata vel reſtaurata eſſe videantur, & diligenter inquirant de converſatione ſingulorum, vel quomodo emendatum habeant quod juſſimus de eorum lectione & cantu ceteriſque diſciplinis Eccleſiaſticæ * Regulæ pertinentibus.* Hoc Capitulum, & quod de theſauris Eccleſiaſticis proximè ſequitur, inſerta ſunt primo [b] Capitularium libro, quem contulimus cum Collectione prælaudata.

* Lib. 1. Capit. *in domibus Eccleſiarum & ornamentis Eccleſiæ emendata & reſtaurata eſſe videantur*
* *ad ordinem Eccleſiaſticæ Regulæ*
[b] Capp. 122. 123.

XLV. V Capitulum de theſauris Eccleſiaſticis. *Ut ſinguli Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſæ, diligenter conſiderent theſauros Eccleſiaſticos, ne propter perfidiam aut negligentiam cuſtodum aliquid de gemmis, aut de vaſis, reliquo * quoque theſauro perditum ſit, quia dictum eſt nobis, quòd negotiatores Judæi necnon & alii gloriantur, quòd quicquid eis placeat, poſſint ab eis emere.*

* Lib. 1. Capit. *vel deliquo*

XLVI. VI Capitulum de æqualitate à Miſſis Dominicis facienda. *Volumus ut æqualiter Miſſi noſtri faciant de ſingulis cauſis, ſive de heribanno, ſive de advenis, ſive de ceteris quibuſlibet cauſis. De advenis volumus *, ut qui jamdiu conjugati ſunt, per ſingula loca, ut ibi maneant, & ſine cauſa vel ſine aliqua culpa non fiant ejecti. Fugitivi verò ſervi & latrones redeant ad propria loca.* Hoc Capitulum triáque proximè ſequentia reperiuntur in tertio [c] Capitularium libro, quem etiam conſuluimus.

* Lib. 3. Capit. *de advenis volumus jamdiu conjugatis.*
[c] Capp. 18. & ſeqq.

XLVII. VII Capitulum de his qui beneficia habent Regalia. *Auditum habemus qualiter & Comites & alii homines, qui noſtra beneficia habere videntur, compa-*

Digitized by Google

*rant ſibi proprietates de ipſo noſtro beneficio, & faciunt ſervire ad ipſas proprietates ſervientes noſtros de eorum beneficio, & curtes noſtra * remanent deſerta, & in aliquibus locis ipſi vicinantes multa mala patiuntur.* AN. CH. 806.

VIII Capitulum de his qui fraudem faciunt in Regalibus beneficiis. *Audivimus quòd aliqui reddant beneficium noſtrum in proprietatem, & in ipſo Placito dato pretio comparant ipſas res iterum ſibi in alode *. Quod omnino cavendum eſt, quia qui hoc faciunt, non benè cuſtodiunt fidem quam nobis promiſſam habent. Et ne fortè in aliqua infidelitate inveniantur qui hoc faciunt, per eorum voluntatem ad aures noſtras talia opera illorum non perveniunt.* * Cod. Teghernſ. malè curtes noſtras deſertas XLVIII. * alodem & alodum

IX Capitulum de his qui propter propriam juſtitiam dilatandam ſeu differendam fugantur. *Sunt & alii qui juſtitiam legibus recipere debent, & in tantùm ſiunt in quibuſdam locis fatigati, uſquedum illorum juſtitiam per fidejuſſorum manus tradunt, ita ut aliquid vel parvum poſſint habere, & fortiores ſuſcipiant majorem portionem.* Hoc Capitulum quod in Codice Teghernſeenſi valdè depravatum Amerpachius teſtatur, ex tertio Capitularium libro deſcripſimus. XLIX.

X Capitulum de mendicis diſcurrentibus. *De mendicis, qui per patrias diſcurrunt, volumus ut unuſquiſque fidelium noſtrorum ſuum pauperem de beneficio aut de propria familia enutriat *, & non permittat alibi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, niſi manibus laborent, nullus eis quicquam tribuere præſumat.* Hoc Capitulum eſt centeſimum viceſimum-quartum in libro primo Capitularium. L. * nutriat

XI Capitulum de teloneis & ciſpitaticis. *De teloneis & ciſpitaticis, ſicut in alio * Capitulari ordinavimus, teneant, id eſt, ut, ubi antiqua conſuetudo fuit, exigantur, & ubi nova fuerint inventa, deſtruantur.* Amerpachius ciſpitaticum interpretatur hominem dantem penſionem ſive ipſam penſionem. Ceſpitaticum reponendum putamus. Erat enim ceſpitaticum telonei genus, quod & in multis exemplaribus corruptè ciſpitaticum legitur. Illo de teloneo actum [a] Tomo ſuperiore. LI. * Cod Teghernſ. in alio Capitulo

XII Capitulum de uſura. *Uſura eſt ubi ampliùs requiritur quàm datur; verbi gratiâ, ſi dederis ſolidos decem, & ampliùs requiſieris; vel ſi dederis modium unum frumenti, & iterum ſuper aliud exegeris.* Hoc Capitulum ſexque ſubſequentia, quorum poſtremum Capitulari finem imponit, inſerta ſunt primo [b] Capitularium libro. LII.

XIII Capitulum de cupiditate in bonam partem. *Cupiditas in bonam partem poteſt accipi & in malam. In bonam juxta Apoſtolum* [*cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto;*] *& in Pſalmo,* [*concupivit anima mea in atria Domini.*] LIII.

XIV Capitulum de cupiditate in malam partem. *Cupiditas verò in malam partem accipitur, ſi quis ſupra modum res quaſlibet injuſtè appetere vult, juxta Salomonem,* [*poſt concupiſcentias tuas non eas.*] LIV.

XV Capitulum de avaritia. *Avaritia eſt alienas res appetere & adeptas nulli largiri. Et juxta Apoſtolum hæc eſt radix omnium malorum.* LV.

XVI Capitulum de turpibus lucris. *Turpe lucrum exercent, qui per varias circumventiones lucrandi causâ inhoneſtè res quaſlibet congregate decertant.* LVI.

XVII Capitulum de fœnore. *Fœnus eſt qui aliquid præſtat; juſtum fœnus eſt qui amplius non requirit niſi quantum præſtitit. Quicunque tempore meſſis vel vindemiæ, non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum, verbi gratiâ de duobus denariis comparat modium unum, & ſervat uſquedum venundare poſſit contra denarios quatuor, aut ſex & ampliùs, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter neceſſitatem comparat, ut ſibi habeat, & aliis tribuat, hoc negotium dicimus.* LVII.

XVIII Capitulum de fame, ſi per plurima loca fuerit. *Conſideravimus itaque ut præſenti anno, quia per plurima loca fames valida eſſe videtur, omnes Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Optimates, & Comites, ſeu Domeſtici, & cuncti fideles, qui beneficia Regalia tam de rebus Eccleſiaſticis quàm de reliquis habere* LVIII.

[a] Ad an. 786. n. 5c.

[b] Capp. 125. & ſeqq.

AN. CH. 806.

*videntur, ut unuſquiſque de ſuo beneficio ſuam familiam nutricari faciat, & ſuâ proprietate propriam familiam nutriat, &, ſi Deo donante ſuper ſe & ſuper familiam ſuam aut in beneficio aut in alode * annonam habuerit, & venundare voluerit, non cariùs vendat, niſi modium de avena denariis duobus, modium de hordeo contra denarios tres, modium unum de ſecale * contra denarios* IIII. *modium unum de frumento contra denarios* VI. *Et ipſum modium ſit, quod omnibus habere conſtitutum eſt, ut unuſquiſque habeat æquam menſuram & æqualia modia.*

* God. Teghernſ. *dote*

Sic habent editiones Amerpachiana & Buſæana. Inſerit Baluziana *modium unum de ſpelta diarſpata contra denarios tres.* Spelta ſeu ſpelda, Germanis *ſpeltz*, ſpecies eſt frumenti, quam alii ſub tritico reponunt, alii ſub hordeo; ſpicam enim hordeaceam edit ſed quadratam, hyeme verò inſtar tritici ſeminatur. Lege Spelmannum in ſuo Gloſſario [a].

[a] Baluz. *ſegale* Capitul. l. 1. *ſigle*

[a] In voc. *Spelt*

LIX. Ad hunc annum à Stephano Baluzio ſex referuntur Capitularia. Primum complectitur diviſionem Regni Francorum inter Carolum, Pippinum, & Ludovicum, Caroli Magni filios. Secundum, tertium, & quartum conſtant duobus ac viginti Capitulis, quibus Carolus Magnus Legem Bojoariorum adauxit. Quintum eſt Noviomagenſe. Sextum habet tria & viginti Capitula excerpta de Canone.

LX. Capitularia primum & quintum hoc anno jam recitavimus, cetera Tomo ſuperiore. Secundum enim, tertium & quartum, ut Legi Bajuvariorum Decretóque Thaſſilonis Ducis à Friderico Lindebrogio ſubjecta ſunt, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſecundum [b] deſcripſimus, ſextum autem ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum [c], ut editum eſt à Vito Amerpachio ex Collectione Lothariana & à Jacobo Sirmondo ex Codice Metenſi. Nullum nobis ſcrupulum movit movérve, quòd apud Fridericum Lindenbrogium in ipſo Collectionis titulo tribuitur Carolo nomen Imperatoris, Carolum enim à librario ſeu Capitulorum Collectore dictum exiſtimamus Imperatorem, non quòd Imperator eſſet cùm illa promulgavit Capitula, ſed quòd Imperator poſtèà fuerit. Ita jam ſenſit Joannes Adlzreitterus [d], eadem enim Capitula poſt Thaſſilonis exauctorationem ſtatim publicata dixit. In Conventu Francorum, anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo Thaſſilo reus perduellionis probatus eſt, detonſóque capite detruſus in Monaſterium. Carolus eodem anno profectus eſt in Bojoariam; de Hunis, qui fœdus cum Thaſſilone priùs inierant, triumphum egit, ipsámque provinciam, quam Thaſſilo tenuerat, *non ampliùs Duci ſed Comitibus* [e] regendam commiſit. Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſecundo Carolus diuturnam in Bojoaria moram fecit, túncque nova videtur Capitula Legi Bojoariorum adjeciſſe. Certè in illis Capitulis nullus occurrit Character Chronologicus, excepto quòd in poſtremo mentio fit Thaſſilonis jam exauctorati. *Non ampliùs*, inquit Carolus, *de illis juſtitiis Miſſi noſtri ad præſens modò faciant, niſi de temporibus Taſſilonis & Liutpirgæ.* Sextum Capitulare, quod excerptum eſt de Canone, deſcripſimus ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum, ut Jacobus Sirmondus jam fecerat. Ad calcem hujus Capitularis in Collectione Lothariana ponitur *Canon Sancti Silveſtri*, ſeu Capitulum *de Presbyteris, Diaconibus, & reliquis ex Clero, ex Decretis & Canone S. Silveſtri &* XXCIV *Epiſcoporum.* At hujus etiam Canonis ſeu Capituli mentionem aliâ occaſione fecimus Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-quintum [f]. Adi illum locum, ſimúlque conſule Capitulum centeſimum undequadrageſimum libri primi Capitularium.

[b] Nn. 40. & ſeqq.

[c] Num. 44.

[d] Part. 2. l. 8. n. 3.

[e] Eginh. in vit. Car. M.

[f] Num. 89.

LXI. GRIMOALDUS DUX BENEVENTANUS OBIT. Imperator hoc anno nullum per ſe bellum geſſit, geſſit autem per filios, quibus Regnum nuperrimè diviſerat. In ſuis Regnis quid ſinguli præſtiterint iidem docent Annaliſtæ, ſed rem maximè obſervandam omittunt, mortem videlicet Grimoaldi Ducis Beneventani, quam Peregrinius hoc eodem anno conſignat ex Titulo, qui ſic ejus Epitaphio præfixus eſt. *Tumulus Grimoald*

Digitized by Google

moald Principis Beneventani, filii Principis Arichis. Qui obiit anno DCCCVI. Poſt hunc Grimoaldum Dux Beneventi conſtitutus eſt alter Grimoaldus, cognomento *Storeſaiz*, qui Carolo Magno ſuperſtes aliquot annis vixit. Res feliciter ab ejuſdem Caroli filiis hoc anno geſtas nunc inſpiciamus. AN. CH. 806. SUFFICITUR ALTER GRIMOALDUS.

Carolus natu maximus tumultum Soraborum ad Albim compeſcuit. *Inde*, nempe Noviomago, *poſt non multos dies* à Paſchali videlicet Solemnitate, Imperator *Aquaſgrani veniens, Karolum filium ſuum in terram Sclavorum, qui dicuntur Sorabi, & ſedent ſuper Albim fluvium, cum exercitu miſit. In qua expeditione Miliduoch Sclavorum Dux interfectus eſt, duóque Caſtella ab exercitu edificata, unum ſuper ripam fluminis Salæ, alterum juxta fluvium Albim. Sclavíſque pacatis Karolus cum exercitu regreſſus, in loco, qui dicitur Sili, ſuper ripam Moſæ fluminis, ad Imperatorem venit.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis, cui conſentiunt Loiſelianus & Bertinianus, necnon incertus Auctor & Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli. Ducheſnius [a] obſervat Annales ab anno Chriſti ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo ad annum uſque octingenteſimum ſextum Chronico Nibelungi Comitis in Codice Petaviano ſubjici, reperiríque conformes omnino Loiſelianis ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo ad hæc uſque verba, *in loco, qui dicitur Silli ſupra ripam*, quæ pertinent ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum; nec dubium, quin interrupta periodus oſtendat integrum librum ab amanuenſi non fuiſſe tranſcriptum. LXII. CAROLUS R. VINCIT SORABOS,

[a] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

Miſſa eſt & manus de Bajoaria & Alemania atque Burgundia, ſicut anno ſuperiore, in terram Behemannorum, vaſtatâque terra non minimâ portione abſque ullo gravi incommodo regreſſa eſt. Hæc iidem Annaliſtæ, Laureshamenſis, Loiſelianus ac Bertinianus. Hujus expeditionis Dux quoque Carolus Imperatoris filius, de quo ſic Metenſis Annaliſta. *Sclavis compreſſis ex hac parte, in Behemicum cum Bajoariis atque Alamannis ingreditur, eorúmque terram ex maxima parte vaſtavit.* Scribunt eadem, Regino, & Monachus Egoliſmenſis, qui bello Sclavico contra Sorabos proximum contra Bohemos ita ſubjungit. *Iterum* Imperator *in Beheim Sclavaniam miſit Carolum filium cum Bajoariis & Alamannis & Burgundionibus, ſicut anno ſuperiore, vaſtatâque terrâ Sclavorum cum gaudio regreſſi ſunt.* Eginhardus [b] duo bella, quæ, poſtquàm *Saxonicum ſuæ prolixitati convenientem finem accepit*, id eſt, poſt annum reparatæ ſalutis octingenteſimum quartum exarſerunt, Boemicum videlicet & Hilinonicum à Carolo Caroli Imperatoris filio confecta ſic teſtatur. *Saxonicum* bellum *ſuæ prolixitati convenientem finem accepit. Boemanicum quoque & Hilinonicum, quæ poſteà exorta ſunt, diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Karoli junioris celeri fine completum eſt.* Quod anno ſuperiore cœptum fuerat, hoc anno terminatum eſt bellum Boemicum; Hilinonicum ſuo deſcribemus loco. LXIII. ET BOHEMOS.

[b] In vit. Car. Magni.

Pippinus in Italiam reverſus claſſem in Corſicam Inſulam, quam Saraceni ex Hiſpania invaſerant, ſtatim direxit. *Eodem anno*, inquiunt Annaliſtæ Loiſelianus & Laureshamenſis, *in Corſicam Inſulam contra Mauros, qui eam vaſtabant, claſſis de Italia à Pippino miſſa eſt. Cujus adventum Mauri non expectantes abſceſſerunt. Unus tamen noſtrorum Hadumarus Comes civitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans, occiſus eſt.* LXIV. PIPPINUS R. CURAT RES CORSICÆ,

Alia res Pippinum valdè ſollicitum tenuit. *Claſſis*, addunt iidem Annaliſtæ, *à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patritius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur.* Ea de claſſe plura non habent ad hunc annum, Ado, Regino, Monachus Egoliſmenſis, incertus Auctor, Annaliſtæ Bertinianus ac Metenſis. Apud Sigonium *Nicetas Patricius cum claſſe in Adriaticum ſinum venit, à Nicephoro ad comprimendas inteſtinas Dalmatarum Venetorúmque diſcordias.* Utrumque tentavit Nicephorus irrito penè conatu. Nicetas in Dalmatia, quicquid ſcribat Sigonius, parum profecit; in Venetia, ut veteteres Annales anno proximo citandi teſtantur, hyemem egit. Pippinus hoc LXV. DALMATIÆ ET VENETIÆ.

AN. CH. 806. anno nihil aggreſſus eſt, variis tantùm pollicitationibus & artibus videtur uſus, ut ſocios Venetos in fide pro Regia dignitate retineret.

LXVI. Fortunatus Patriarcha Gradenſis audito Nicetæ adventu rurſum in Franciam navigavit, & Joannes Diaconus Patriarcham ſe dixit. Lege Ughellum [a]. Tunc Eccleſia Polana, cùm Æmilianus Epiſcopus *jamdudum*, id eſt, ab exiguo tempore vitam terminaſſet, interpontificio laborabat. Carolus à Leone Papa petiit, ut Fortunatus, donec Eccleſiæ Gradenſi reſtitueretur, Polanam regeret, quæ priuſquam Iſtriæ civitates in poteſtatem Francorum devenirent, ad Diœceſim ſeu Provinciam Gradenſem pertinebat. Annuit Leo, ſed eâ lege, ut Eccleſiæ Polanæ nihil jurium facultatúmque ſubtraheretur. Extant illa de re Leonis [b] ad Carolum literæ, quas Tomo ſeptimo Conciliorum recuſas ſic invenies. *Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Carolo Auguſto, Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Dum veſtræ Imperiales ſyllabæ de civitate in civitatem ad nos perveniſſent, quæ & à nobis ſuſcepta ac relecta fuiſſent, reperimus in eis, quatenus à Gradenſi Inſula, ubi Fortunatus Archiepiſcopus ſuam propriam Sedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur, &, ſi congruè nobis apparuiſſet, pro cauſa neceſſitatis in Pola, ubi jamdudum Æmilianus quidam Epiſcopus præfuit, quæ & Diœceſis prædicti Fortunati Archiepiſcopi exiſtit, illic ſuam Sedem haberet, & qualiter veſtra à Deo protecta Imperialis potentia ſine conſultu Apoſtolatûs noſtri nequaquam eum alibi collocare voluit. Nos verò de hac re pertractantes providimus, ut ſecundùm qualiter veſtræ Imperiali Clementiæ complacuit, ut in Polana Eccleſia perſiſteret, ita maneat ſub eo prorſus tenore, ut ſi, Domino annuente & beato Petro Apoſtolo protegente, per veſtram in triumphis victoriam ipſa ſua Sedes illi reſtituta fuerit, ſecundùm qualiter prædicta Polana Eccleſia integra omnia ſibi pertinentia ſuſcepe-rit, ſic iterum ea reſtituatur, & non de rebus ejus aut pecunia ad ſuam debeat ſubtrahere Sedem, ſed neque cuiquam ex ipſis rebus ſeu pecuniis atque ſpeciebus dare quoquomodo præſumat, ut ipſa Eccleſia ſemper irrefragabiliter cum ſuo Antiſtite ſalva exiſtere poſſit. Reſervatur ſiquidem in ipſis veſtris Imperialibus apicibus, quomodo in Aquis Palatio nobiſcum providiſtis de Aquileienſi Eccleſia, velut una quæ ſuam Sedem haberet. Credat enim nobis veſtra Clementia, quòd quicquid ibidem unà vobiſcum vel cum fratribus & Coepiſcopis noſtris Oratores veſtri pertractavimus, ad mercedem animæ veſtræ ſeu filiorum veſtrorum eſſe conſpicitur. Omnipotens & miſericors Deus per interceſſionem Sanctæ ſuæ Genitricis ſuorúmque Apoſtolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conſervare dignetur, & per multorum annorum curricula cæleſtia Regna cum ſuis faciat adipiſci. Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eíque omnium gentium colla ſubſternat.*

Male audit apud Leonem PP.

Sequitur embolum de prædicto Fortunato. *Et hoc*, inquit Leo, *veſtræ Serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut ſicut ſemper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per veſtrum favorem ſuum miniſterium meliùs expleat. Quia non audivimus de eo ſicut decet de Archiepiſcopo, neque de partibus Francia, ubi eum beneficiaſtis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles veſtros, & omnia vobis nota fient, eò quòd illi, qui vobis eum collaudant, hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plùs amabile eſt quàm veſtra dulciſſima anima? Et Deus cognitor eſt, quia poſt ſalutem animæ veſtræ hæc omnia vobis inſinuavimus, eò quòd de tanto amore, quem erga veſtram Serenitatem gerimus, ideo ſilere non poſſumus. Poteſtis interrogare fratrem noſtrum Hildibaldum Archiepiſcopum* Colonienſem *& Ercanbaldum Cancellarium. Fortaſſis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ veſtræ fideles in omnibus.* Inter Abbates Mediani Monaſterii, quod ſitum eſt in Diœceſi Tullenſi, recenſetur ætate Caroli Magni Fortunatus Patriarcha, qui non alius videtur à Patriarcha Gradenſi. Godefridus Henſchenius in Diatriba [c] de tribus Dagobertis, Abbates poſt Sanctum Hildulfum quatuor hos proximos

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Patriarch Grad. 18.

Fortunatus Patriarcha Gradenſis fugit in Franciam.

[b] Ep. 11.

[c] Lib. 4. c. 5.

Fit Abb. Mediani Mon.

enumerat, Reginbertum ſeu Raimbertum, Sinidrabertum, Wadaluninum, & Fortunatum Patriarcham. Raimbertus regnante Pippino vitam clauſit. Inter Raimbertum & Fortunatum medii ponuntur Sinidrabertus & Wadaluninus. Monaſterii regimen adminiſtraſſe dicitur Sinidrabertus annos ultra viginti. Reliquum interſtitium, quod ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum tertium ſupereſt, Wadalunino tribue, nam Fortunatus illo primùm anno in Franciam fugit, ſibique amicitiam Caroli conciliavit, nec odium Francorum incurrit ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum, quo proditionis inſimulatus clàm in Dalmatiam atque inde Conſtantinopolim ſe recepit. Richerius libro ſecundo [a] Chronici Senonienſis Fortunatum hunc Gradenſem Patriarcham, qui factus eſt Abbas Mediani Monaſterii, Patriarcham fingit Hieroſolymitanum. *Tempore*, inquit, *Caroli Magni, vir quidam venerabilis Fortunatus nomine, Patriarcha Hieroſolymitanus, corpus Sancti Joſeph ſepultoris Domini, paganos, qui tunc terram ſanctam vaſtabant, fugiens aſportavit, & ad Medianum Monaſterium deveniens, ibidem cum ipſis ſuis Reliquiis ſe collocavit, qui poſteà ipſius Monaſterii Abbas eſt ordinatus.* Accepit quidem Carolus à Patriarchis Hieroſolymitanis Legationes & munera, ſed à nullo qui vocaretur Fortunatus, nec ullus illius nominis invenitur iſtis temporibus. Vana ſunt igitur quæcumque recentior Chronographus de Fortunati Patriarchæ Hieroſolymitani in Gallias adventu, déque ſepultoris Domini Reliquiis per eum ad Medianum Monaſterium è Palæſtina tranſlatis publicavit, nec huic Tranſlationi fidem conciliat, quæ proximè ſubjungitur hæc amiſſionis narratio. *Poſtmodum ipſum Sancti corpus per inſolentiam Canonicorum, qui illum locum poſſederunt, à quibuſdam Monachis peregrinis noctu furatum aſportatum eſt, & ita illud Monaſterium tali eſt theſauro vidnatum.* Illas Reliquias ut ad Medianum Cœnobium delatas, ſic & ex eo ſublatas inficiamur, nec magnam apud nos auctoritatem habet ejuſdem loci Monachus, qui ſuum Chronicon poſt medium ſeculum decimum-tertium exaravit, nullúmque protulit teſtimonium, quo prædictum Monaſterium tam pretioſis exuviis quondam gaviſum comprobaret.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

[a] Cap. 6.

Veteres Annaliſtæ Legatos, quos Carolus Auguſtus ante annos ferè quatuor in Orientem ad Aaronem Calipham direxerat, in Occidentem reverſos atque in Italiam appulſos ita commemorant. *Legati qui dudum ante* IV *ferè annos ad Regem Perſarum miſſi ſunt, per ipſius Græcarum navium ſtationes tranſvecti, ad Taraviſiani portûs receptaculum, nullo adverſariorum ſentiente, regreſſi ſunt.* LXVII.

Ludovicum, qui fratrum natu minimus erat, in Aquitaniam reverſum, nec otiosè quieſcentem vetus nobis Aſtronomus exhibet. Ipsâ inquit, *æſtate Zaddo Dux Barcinonenſis ſuaſus eſt à quodam ſibi, ut putabat, amico, Narbonam uſque procedere. Qui comprehenſus Ludowico Regi eſt adductus, & patri Carolo itidem perductus. Ipſo tempore Ludowicus Rex coacto populo Regni ſui Toloſæ, de his, quæ agenda videbantur, tractans deliberabat. Burgundione namque mortuo, Comitatus ejus Fedentiacus Liutardo eſt attributus. Quam rem Vaſcones moleſtè ferentes, in tantam erupere petulantiam, ut etiam homines illius alios ferro perimerent, alios igni comburerent. Qui vocati dum primùm venire detrectarent, quoquo modo ad cauſam dicendam venerunt, & pœnas debitas pro talibus auſis dederunt, itant quidam talionis lege igni conflagrarent.* Erant in Aquitania plures Comitatus. Joannes Beſlyus [b] in Abbone Pictavienſi Comite Fedentiacum Comitatum perperam ſumpſit pro Fuxienſi * cujus nomen ſeriùs audiri cœpit. Guillelmus Catellus & Petrus de Marca Fedentiacum * Comitatum à Fuxienſi rectè diſtinxerunt, ille libro tertio Hiſtoriæ Linguodochianæ, hic libro primo [c] Hiſtoriæ Benearnenſis, ubi nomen Burgundionis derivatum ait à voce Vaſconica *Burgund* ſeu *Bergung*, ſuſpicatúrque tumultum à Vaſconibus ideo concitatum eſſe, quod Burgundioni patriâ Vaſconi ſucceſſor datus eſſet Liutardus gente Teutonicus, ut ipſum nomen ſatis indicat. Re- LXVIII. LUDOVICUS RES CURAT AQUITANIÆ,

[b] Cap. 1.

* *de Foix.*

* *de Feſenſac.*

[c] Cap. 19. n. 5.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

centiores hi Scriptores Burgundioni Liutardum in administrationem Fedentiaci Comitatûs anno Redemptoris octingentesimo secundo subrogant, vidérque decepti Characteribus ad Ludovici Pii vitam in margine positis ex Codice Pithœano. Auctor istius vitæ rarò notavit annum, quo quid gestum retulit. Ortum Ludovici consignavit *anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo-octavo*; Caroli Augusti mortem *quinto Kalendas Februarias, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo-quarto.* Totis triginta-sex annis intermediis nullum narrationi suæ Characterem Chronologicum inseruit. Amanuensis ad oram adjecit plerosque recentiori manu, quos Petrus Pithœus & Andreas Duchesnius in suis editionibus retinuerunt; longum esset in singulos inquirere, duos duntaxat examinabimus, qui potissimùm ad hunc locum pertinent.

LXIX. Quomodo Ludovicus Carolo patri è Saxonia redeunti occurrerit, ab eóque dimissus, in Aquitaniam ad hyberna reversus sit, sic Auctor exponit. *Totâ gente subactâ Saxonum, victor Carolus Imperator jam redibat. Cui cùm filius occurrisset, multo cum amplexatu deosculans, plurimâ illum gratiarum actione & laude extulit, utilitatémque obsequelæ illius sæpè iterando, felicem se tali filio prædicavit. Finito tandem diutino atque cruentissimo Saxonico bello, quod, ut ferunt, triginta-trium annorum tempus occupavit, Ludowicus Rex à patre dimissus, in Regnum proprium ad hyberna sese cum suis collegit.* In margine Pithœano legitur *an.* DCCCI; in Duchesniano, *an. 801.* Utrobique mendum, reponendus est enim annus octingentesimus quartus, quo bellum Saxonicum penitus confectum fuit, ut ad illum annum probavimus. Auctor res anno postero gestas sic persequitur. *Hyeme porrò transactâ, Carolus Imperator tempus opportunum nactus, utpote ab externis quiescens bellis, cœpit circumire loca sui Regni mari contigua.* Ad oram Pithœanam occurrit *an.* DCCCII; ad Duchesnianam, *an. 802.* Utrobique restituendus est annus octingentesimus quintus, ut ex prædictis constat. Illo anno Carolus Imperator maritima Regni sui loca circumiit, & apud Turonos Ludovicum filium ad se venientem suscepit, in suóque comitatu Vernum usque retinuit. *Æstate hanc sequente*, inquit Auctor, id est, æstate anni post Christum natum octingentesimi sexti, *Zaddo Dux Barcinonensis suasus est à quodam sibi, ut putabat, amico, Narbonam usque procedere.* In margine nullus est Character; si positus extaret, legeretur annus DCCCIII, amanuensis enim qui superiùs annum DCCCII notavit, annum DCCCIII adjicere cogeretur ob istam transitionis formulam *æstate hanc sequente*; addequòd ad marginem textûs, qui prædictam narrationem de Zaddone Barcinonensi Præfecto, de Conventu Tolosano, deque Comitatu Fedentiaco proximè sequitur, annum apposuit DCCCIV. Atque hæc sufficiant, ut intelligas, cur ea, quæ de Zaddone Duce Barcinonensi, de Regni Conventu apud Tolosam habito, déque Fedentiacis Comitibus in præcitata Ludovici Pii vita commemorantur, ad annum Redemptoris octingentesimum secundum referantur à viris alioqui perspicacissimis, in hunc autem annum reparatæ salutis octingentesimum sextum à nobis rejiciantur.

LXX. ET HISPANIÆ. Apud antiquos Annalistas ad hunc eundem annum hæc leguntur. *In Hispania Navarri & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt.* Id laudi glorizeque Ludovici plurimum conducit, eósque monet redarguendos, qui primum Navarræorum Regem, à quo successores ad Ludovicum usque Magnum, hodie Francorum Navarræque Regem Christianissimum, hæreditariâ lineâ processerunt, annó Christi septingentesimo decimo-sexto institutum volunt. Navarræi Regni multò recentior est erectio, qua de re fusiùs agemus suo loco, interim consule Arnaldum Oihenartum in Notitia utriusque Vasconiæ & Petrum *de Marca* in Historia Benearnensi. Pampilonensium Episcoporum Catalogus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum repræsentat Oppilonem, cui, statim ac civitas Pampilonensis in Francorum potestatem

venit, delatas arbitramur Inſulas, atque ut ita ſentiamus ſuadet zelus propagandæ fidei, quo Carolus Auguſtus ejúſque filius Ludovicus flagrabant. AN. CH. 806.

Ferdinandus Ughellus [a] antiquum Donationis documentum publicavit, quo Mediolanenſis Archiepiſcopus Odelpertus Arigauſo Ambroſiani Monaſterii Abbati Ædem Sancti Vincentii in Prato concedit, *anno Domnorum Caroli & Pipini Regum in Italia trigeſimo-ſecundo & vigeſimo-quinto, menſe Januario, Indictione quartâ-decimâ.* Omnes hi Characteres menſem Januarium hujus anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi ſexti deſignant. Ejuſdem Donationis ſic meminit Calchus [b]. *Sub idem tempus, Mediolani Oldepertus, qui in Archiepiſcopatu Petro ſucceſſerat, donat Arigauſo Abbati Ædem Divi Vincentii in Prato, ut jam tunc vulgò nuncupabatur.* Omiſit autem clauſulam, quam Odelpertus appoſuit, nempe ut quæ continebantur in Donatione, *poſt Arigauſi Abbatis obitum ad jura & gremium Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ cum omni integritate ſua* reverterentur. Ipſi Donationi ſubjicitur hæc Mediolanenſis Archiepiſcopi ſubſcriptio. *Odelpertus per Dei gratiam Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in hoc Præcepto manu meâ ſubſcripſi.* Atque ex illa ſubſcriptione conſtat ſervandum Odelperti nomen, & eos errare, quibus eſt Oldepertus, Oldipertus, Oldibertus, Oldobertus, Olibertus, Odobertus, Edelbertus, Alepertus, Alibertus, & Oldradus. LXXI. ODELPERTUS ARCHIEP. MEDIOLAN. MUNIFICUS ERGA MON. S. AMBROSII.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiep. Mediol. 52.

[b] Lib. 5.

Amphridius [c] *ſive Amphrigius* aut Amfridus *Brixienſem tenuit Sedem optimâ famâ Paſtoris, annóque 806, die 13 menſ. Maii ſolemni pompa tranſtulit corpora Sanctorum Fauſtini & Jovittæ, ut in vita eorumdem Sanctorum Martyrum legitur. Sanctè piéque deceſſit Amphridius, dum precum inſtantiâ cælum pulſaret, ſepultúſque eſt in Eccleſia S. Fauſtini, ubi ſequens memoria legitur, Longobardorum literis exarata, ut Octavius Rubeus obſervavit.* HIC JACET BEATUS AMPHRIDIUS EPISCOPUS, QUI IN ORANDO CORAM SANCTISSIMIS FAUSTINO ET JOVITTA ANIMAM DEO REDDIDIT. *Petrus deinde præfuit Brixianis.* Amphridium hoc eodem anno, quo Reliquias Sanctorum Martyrum Fauſtini & Jovittæ tranſtulit, ex hac vita ſublatum putamus; eique ſubrogatum Petrum, de quo plura dicemus anno ſequenti. LXXII. EPISCOPI BRIXIENSES.

[c] Tom. 4. Ital. Sacr. in Ep. Brixienſ. 42. 43.

In editione Caniſiana Hermannus Contractus ad hunc annum ſic ſcribit. *Augiæ Waldone Abbate, ad regendum Sancti Dionyſii Cœnobium tranſpoſito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.* Auctores jam refutavimus, qui Waldonem ſeu Waltonem Epiſcopum Ticinenſem aut Baſileenſem conſtituunt. Ejus vita variæque ſortes à Ratperto breviter in libro de Caſibus Monaſterii San-Gallenſis ita perſtringuuntur. Fuit Waldo Monachus, deinde Abbas San-Gallenſis, ſed ortâ inter illum & Eginonem Epiſcopum Conſtantienſem ſimultate, quæ ſedari non potuit, *cum* Caroli Magni *conſenſu ad vicinum Monaſterium quod Awa nominatur, ibidem commoraturus devenit, ubi poſteà Abbas electus atque ordinatus, ad ultimum Monaſterium Sancti Dionyſii ſuſcepit regendum.* Hæc ad Chronotaxin ita redegimus. Waldo ex Monacho San-Gallenſi factus eſt ejuſdem loci Abbas anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſecundo, ad Auvam ſive Augiam ſeceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto, factus eſt Abbas Augienſis anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto, denique dimiſsâ Monaſterii Augienſis adminiſtratione factus eſt Abbas San-Dionyſianus hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſexto. Si Bruſchio [d] fides eſt, Augiam deſeruit, *cùm haberet Eginonem Conſtantienſem Antiſtitem valdè injurium, & Lutetiam ſe conferens, reliquum vitæ ibi in S. Dionyſii præpotente Cœnobio egit privatus.* In Diœceſi Conſtantienſi ſitum eſt utrumque Monaſterium, San-Gallenſe & Augienſe. Waldo Abbas, ut anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto, quia odio erat Eginoni Epiſcopo Conſtantienſi, San-Gallenſis Monaſterii regimen abdicavit, ſic & eandem ob cauſam Augienſis Cœnobii curam dimittere potuit anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, ſed privatam deinceps vitam in LXXIII. ABBATES AUGIENSES. SAN-DIONYSIANI,

[d] In Chronol. Mon. Germ.

AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

Aſceterio San-Dionyſiano non egit, illius enim loci conſtitutus eſt Abbas, licèt ejus nomen in Catalogis Abbatum San-Dionyſianorum hactenus editis deſideretur. Fardulfi tunc Abbatis San-Dionyſiani meminimus anno ſuperiore. Huic ſucceſſit Waldo ſeu Walto, ut Monachus San-Dionyſianus, qui Principatu Caroli Calvi vixit, libro primo de Miraculis Sancti Dionyſii teſtatur, caput viceſimum-quintum ſic auſpicatus. *Poſt Fardulfi obitum Walto gubernandi Cœnobium beatorum Martyrum*, Dionyſii videlicet ac ſociorum, *curam ſuſcepit.* Fardulfum hoc anno mortuum, eique ſtatim ſubrogatum cenſemus Waltonem, cui locus inter Fardulfum & Hilduinum in Abbatum San-Dionyſianorum Nomenclatura reſtituendus. Eundem Waldonem ab altero Waldone Baſileenſi Epiſcopo diſtinximus, utrique ſucceſſit Heyto, illi in Abbatiam Augienſem hoc anno, huic in Epiſcopatum Baſileenſem anno ſequenti, nam, teſte Bruſchio in Chronologia Monaſteriorum [a] Germaniæ, *præfuit Epiſcopatui ſexdecim annis, Abbatiæ ſeptemdecim.*

[a] In Augia Divite.

LXXIV. FONTANELLENSES.

Hoc anno, decimo-octavo Kalendas Julii ſublatus eſt ex hac vita Gervoldus Abbas Fontanellenſis, Ebroicenſis quondam Epiſcopus, de quo ſic Chronographus Fontanellenſis [b]. *Gervoldus Abbas in agritudine poſitus, de qua & vitam finivit, contulit huic Cœnobio* Fontanellenſi *res proprietatis ſuæ, quas acquiſierat in pago Ebroicino, hoc eſt, illam Eccleſiam S. Paterni cum omnibus adjacentiis ſuis ſuper fluvio Ittone; ſimiliter in Villarcello & Maigoldivalle, atque in carte Anelauna, & in Framſarias, & in Rumbaudecurte. Edita eſt hæc largitio Petreoponte villâ hujus noſtri Cœnobii* VII *Idus Junii* *. *Et poſt ſeptem dies idem Gervoldus vitæ terminum dedit* XVIII *Kalend. Julii, anno Incarnationis Domini Jeſu Chriſti* DCCCVI, *qui erat annus Regni Magni Caroli* XXXVIII, *Imperii verò ſextus. Rexit iſtud Cœnobium annis octodecim, menſes quinque, dies tredecim.* Succeſſit Traſarus ſeu Traſarius, de quo plura inferiùs.

[b] Cap. 15.

* edit. malè *Januarii*

LXXV. ET CRUCIS S. AUDOENI.

Tunc in Ebroicenſi Diœceſi floruiſſe credimus Abbatem Crucis Sancti Audoeni, nomine Hucbaldum, qui Carolo Magno ſynchronus commendatur in libro de Miraculis ad ſepulchrum Sancti Leufredi patratis.

LXXVI. CAROLUS AUG. DUCIT REGINAM.

Imperator hoc anno, ut obſervatum ſuprà, nullum per ſe bellum geſſit. *Apud Noviomagum Sanctum Quadrageſimale jejunium & ſacratiſſimam Paſchæ feſtivitatem celebravit. Et inde non poſt multos dies* Aquiſgranum venit, ibique *celebravit Natalem Domini*, teſte Annaliſta Loiſeliano. Uxorem hoc anno ducere potuit Reginam, quæ duos ei filios, ut Eginhardus ſcribit, Drogonem & Hugonem peperit. Hoc eodem anno conſignanda videtur Monaſterii Morſellenſis inſtauratio, quam Carolus ſuſcepiſſe fertur, cùm *ſceptrum Monarchiæ Imperialis tenebat.* Illo de Monaſterio actum Tomo quarto. Sanctæ Gudilæ Reliquias è villa *Ham*, ubi priùs quieſcebant, illuc delatas comitata ſunt inſignia Miracula, quorum famâ permotus Imperator locum adiit, adunatàque Sanctimonialium catervâ Monaſterium reparavit dotavitque munificentiſſimè. Si plura cupis, Hubertum [c] conſule, qui Sanctæ Gudilæ vitam in literas retulit.

INSTAURAT MON. MORSELLENSE.

[c] Ap. Boll. d. 8. Jan.

LXXVII. WIDIKINDUS OBIT.

In Annalibus [d] Circuli Weſtphalici, Widikindus, de cujus Geſtis & converſione ad Chriſtianam fidem Tomo ſuperiori fusè diſſeruimus, hoc anno Indictione decimâ-quartâ mortuus dicitur. Alii annum vel octingenteſimum quintum, vel octingenteſimum ſeptimum notant. Ut annus ſic & dies in controverſiam vocatur. In Additionibus, quibus Carthuſiani Colonienſes Uſuardum auxerunt, in Martyrologio Germanico quem Petrus Caniſius recognovit, & in generali Sanctorum Catalogo quem Ferrarius edidit, colitur Widikindus ſeptimo Idus Januarii; ſed utrùm hic obitûs an Tranſlationis dies habendus ſit, in dubio relinquit qui multa de Beato Widikindo ſimul ex variis Auctoribus cùm antiquis tum recentioribus collegit Bollandus. Controvertitur & locus ſepulturæ. Quidam ſepultum volunt Mindæ in Eccleſia à ſe conſtructa, donec Valleſlebiam non procul à Brema, deinde Paderbornam tranſlatus eſt. Alii dicunt ejus oſſa quieſcere Angariæ in

[d] Lib. 2.

Digitized by Google

Weſtphalia, eſt autem Angaria ſive Angria vel Anga, vulgò *Engheren*, oppidum Weſtphaliæ prope Hervordiam in hodierno Comitatu Ravenſbergico. Nec deſunt qui ſcribant Hervordiæ in Weſtphalia corpus etiamnum aſſervari. De illis omnibus conſule Bollandum jam laudatum. Wernerus *Rolevinck* aliique, arcæ, in qua Beati Widikindi oſſa repoſita ſunt, hos Verſus inſcriptos aiunt. AN. CH. 806. CAROLI IMP. 6. PIPPINI LUDOV. RR. 26. CAROLI R. 18.

Oſſa viri fortis, cujus ſors neſcia mortis,
Iſte locus claudit; euge bone ſpiritus audit.
Omnis mundatur, hunc Regem qui veneratur,
Ægros hîc morbis cœli Rex ſanat & orbis.

LXXVIII. PACIFICUS ARCHIDIACON. VERONENS.

Pacificus hoc anno, ætatis ſuæ viceſimo-quinto, promotus eſt ad Archidiaconatum Veronenſem Rotaldo tunc Epiſcopo. Per annos tres & quadraginta præclarè functus eſt illo munere, vixit enim annos duodeſeptuaginta, vitámque clauſit nono Kalendas Decembris, currente tunc anno Lothariani Imperii viceſimo-ſeptimo ſive anno Redemptoris octingenteſimo undequinquageſimo. Hæc autem tria conſtant ex ejus epitaphio, quod ſuo loco deſcribemus.

LXXIX. MON. SITIVENSE BONIS AUGETUR.

Nantharius Abbas Sitivenſis hoc anno, quo tertium ſui regiminis iniit, Monaſterio ſuo ruralem domum, jugera, pratum, ſylvam ad Flitrinium in pago Iſeretio ab Iſera flumine ſic appellato comparavit. Initium tabularum ſic habetur. *Domino Venerabili in Chriſto Patri Nantharío Abbati de Monaſterio Sitiu ſive de Cella quæ dicitur Hebrona, ubi Hebroinus Præpoſitus eſſe videtur.* Finis verò, ſic. *Actum Hebrona in menſe Octobrio, anno* XXXIX *regnante Domino noſtro Glorioſiſſimo Rege, & anno* VI *Imperii ipſius. Signum Erlharii qui hanc venditionem fieri rogavit. Signum Erkeradi filii ſui conſentientis. Signum Folquini. Ego Guntbertus ſcripſi & ſubſcripſi.* Ceterùm Erlharius *per precariam* ſibi, ſuiſque liberis, Erkenrado, Baldrado, Erricrudi, & Waldetrudi uſum-fructum ad vitam retinuit. Lege Malbrancum libro quinto [a] de Morinis, & obſerva Hebronam, cui nomen Cellæ tribuitur, Anachoreticum fuiſſe domicilium, quò ſe Sitivenſes Aſcetæ recipiebant exercitamenta ſpiritalia obituri, favente nemoris opacitate ac ſilentio. Super Characteribus Chronologicis nulla difficultas, hoc enim anno per menſem Octobrem Carolus annum Imperii ſui ſextum & ſuſcepti Regni à Pippini patris obitu triceſimum-nonum numeravit.

[a] Cap. 42. HEBRONA CELLA MON. SITIVENSIS.

LXXX. MON. IN SCHENNIS ERIGITUR.

In Chronologia Rhætiæ, Gabriel Bucelinus ad hunc eundem annum, quo Carolus Auguſtus Regnum inter filios partitus eſt, initia refert Monaſterii puellaris in Schennis, cujus conditor Humfridus Rhætiæ Comes. Haud tamen diſſimulat hæc incunabula poſt biennium à Stumpffio, ſeriùs ab aliis rejici, ſed opiniones adeò diverſas benignè ſic conciliat, ut hoc anno Cœnobium ædificari, poſt biennium à Moniaiibus habitari cœperit, poſteáque multò locupletius evaſerit ac magnificentius. Curienſis tunc Epiſcopus erat Conſtantinus ſeu Conſtantius, qui ſuperſtes ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium vixit.

LXXXI. ABBATES GRASSENSES.

In Gallia Chriſtiana [b] laudatur ad hunc annum Infridus Abbas genere nobilis, qui Monaſterium Graſſenſe centum Monachorum in Diœceſi Carcaſſonenſi rexit. Eidem Cœnobio præfuit Nefridius Narbonenſis Archiepiſcopus. In antiquo enim illius Monaſterii Necrologio, quod Guillelmus Catellus [c] conſuluit, memoratur *Calendis Januarii Nifridius Abbas Archiepiſcopus Narbonenſis.* Idem Auctor Nifridum hoc anno Abbatem agnoſcit. In probationem allegat Caroli Narbone tunc degentis Diploma cum hoc initio. *In Nomine Domini &c. Quòd Vir Venerabilis Nifridus Abbas ex Monaſterio Sanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, quod eſt conſtructum in territorio Narbonenſi, ſuper fluvium Urbionis in Valle Novalitia quæ modò Craſſa* (rectiùs Graſſa) *nominatur, veniens ante præſentiam noſtram &c.* Teſtatúrque datum hoc Præceptum Narbone, Nonis Aprilis, anno Imperii Carolini

[b] Tom. 4.

[c] Lib. 5. Hiſt. Occitan. in Nebridio Archiep. Narbon.

AN. CH. 806.

ſexto, Regni in Francia viceſimo-nono, in Italia triceſimo-ſecundo. Sed commentitiam hanc Chartam multæ res oſtendunt. Primùm Diplomatis inchoandi formula, quæ ſic incipit, *in Nomine Domini*, non Caroli Magni ſed Ludovici Pii Præceptionibus convenit, ut poſt biennium [a] fuſiùs exponemus. Prætereà Carolus hoc anno, Imperii ſui ſexto, Nonis Aprilis, procul abfuit à Narbone, nam præter jejunium Quadrageſimale ſacratiſſimam Paſchæ ſolemnitatem, quæ pridie Idus Aprilis acta eſt, ad Vahalim amnem Noviomagi * celebravit, ut ex veteribus Annaliſtis probavimus ſuprà [b]. Denique non benè comparantur inter ſe Characteres Chronologici, per menſem enim Aprilem ſextus annus Imperii Carolini cum anno Regni triceſimo quidem ſecundo in Italia, ſed in Francia duodequadrageſimo componitur. Graſſenſem Abbatem hoc anno Redemptoris octingenteſimo ſexto ſuperſtitem cenſemus Infridum, corruptè Nifridum, cui Nefridius Narbonenſis Archiepiſcopus poſtmodum ſucceſſerit.

[a] Adan. 808. n. 18.

* *Nimégue.*

[b] Hoc an. n. 19.

AN. CH. 807.

CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

ANNUS

CHRISTI		807.		
CAROLI	IMP.	7.		
	REG.	39.	36.	34.
PIPPINI II.	REG.	27.	2.	
LUDOVICI	REG.	27.	2.	
CAROLI	REG.	19.	2.	
INDICTIO		15.		

I. CAROLUS Imperator totum penè annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum Aquiſgrani traduxit. Illic hyemem egit cum Feſtis Paſchalibus ac die Natali Domini. Illic cùm eſſet, audiit Ratbertum obiiſſe, quem in Orientem miſerat, & Legatos Thomæ Hieroſolymitani Patriarchæ & Aaronis Caliphæ cum muneribus ad ſe directos excepit. Quibus de rebus ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Ratbertus Miſſus Imperatoris, qui de Oriente revertebatur, defunctus eſt. Et Legatus Regis Perſarum, nomine Abdella, cum Monachis de Hieruſalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius & Felix, ad Imperatorem pervenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miſerat, id eſt, papilionem & tentoria atrii miræ & magnitudinis & pulchritudinis, erant enim omnia biſſina, tam tentoria, quàm & funes eorum, diverſis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis pallia ſerica multa & pretioſa, & odores, atque unguenta, & balſamum; necnon & horologium ex aurichalco arte mechanicâ mirificè compoſitum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſa ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per XII feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ priùs erant apertæ, claudebant; necnon & alia multa erant in ipſo horologio, quæ nunc enumerare longum eſt. Fuere præterea inter prædicta munera candelabra duo ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia in Aquenſi Palatio ad Imperatorem delata ſunt. Imperator autem Legatum & Monachos per aliquantum tempus ſecum retinens in Italiam direxit, atque ibi eos tempus navigationis expectare*

CAROLUS AUG. EXCIPIT LEGATOS THOMÆ PATRIARCHÆ HIEROSOLYM. ET AARONIS CALIPHÆ.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR 27. CAROLI R. 19.

pectare juſſit. Hic Annaliſta Plebeium, ut vocant, ſeu Loiſelianum præ manibus habuit, ut ex utriuſque collatione Lector judicabit. Omiſit parentheſin, quâ Plebeius ſeu Loiſelianus Annaliſta Georgii Legati ad Imperatorem ab Hieroſolymitano Patriarcha miſſi nomen, patriam ac dignitatem, ſic expoſuit. *Hic Georgius eſt Abba in monte Oliveti, & cui patria Germania eſt, qui etiam proprio vocatur nomine Engelbaldus.* Illam parentheſin præter Annaliſtam Laureshamenſem præterierunt etiam Annaliſta Fuldenſis, Ado, necnon incertus Auctor in vita Caroli; tranſcripſerunt autem Annaliſtæ Bertinianus ac Metenſis, Monachus Egoliſmenſis, & Regino, ſed mutato tempore, quod magnoperè videtur obſervandum. Ter in præſenti locutus eſt Annaliſta Loiſelianus; primò ſic, *Georgius eſt Abba;* ſecundò ſic, *patria Germania eſt;* tertiò ſic, *proprio vocatur nomine Engelbaldus.* Prænominati verò Scriptores, quibus parentheſis Annaliſtæ Loiſeliani non diſplicuit, uſi ſunt temporibus imperfecto ac perfecto. Annaliſta Bertinianus ſic; *Georgius erat Abbas, patria erat Germania, proprio nomine eſt vocitatus Egilbaldus.* Annaliſta Metenſis & Regino ſic; *Abba erat, erat natione Germanus, Engilbaldus vocatus eſt.* Monachus Egoliſmenſis ſic; *Georgius Abbas, patriâ Germanus, proprio nomine Engelbaldus dicebatur.* Atque ex hac diſcrepantia liquet Auctorem Codicis Loiſeliani ſcripſiſſe cùm Georgius Abbas in vivis ſuperſtes eſſet, alios verò manum calamo ſeriùs admoviſſe.

II. BURCHARDUS CORSICAM TUETUR CONTRA SARACENOS.

Eodem anno, ut Annales Loiſeliani ſubjiciunt, Imperator *Burchardum Comitem ſtabuli ſui cum claſſe miſit in Corſicam, ut eam à Mauris, qui ſuperioribus annis illuc prædatum venire conſueverant, defenderet. Qui juxta conſuetudinem ſuam de Hiſpania egreſſi, primò Sardiniam adpulſi ſunt, ibíque cum Sardis prælio commiſſo, & multis ſuorum amiſſis (nam tria millia ibi cecidiſſe perhibentur) in Corſicam recto curſu pervenerunt. Ibi iterum in quodam portu ejuſdem Inſulæ cum claſſe, cui Burchardus præerat, prælio decertaverunt, victíque ac fugati ſunt, amiſſis* XIII *navibus, & plurimis ſuorum interfectis. Adeò illo anno in omnibus locis adversâ fortunâ fatigati ſunt, ut ipſi ſibi hoc accidiſſe teſtati ſint, eò quòd anno ſuperiore contra omnem juſtitiam de Patalaria Inſula ſexaginta Monachos aſportatos in Hiſpaniam vendiderant. Quorum aliqui per libertatem Imperatoris* (lege *per liberalitatem Imperatoris*, ut Annaliſtæ, Laureshamenſis, Bertinianus, Metenſis, aliique ſcribunt) *iterum in ſua loca reverſi ſunt.*

III. INDUCIÆ INTER PIPPINUM R. ET GRÆCOS.

Niceta Patricius, qui cum claſſe Conſtantinopolitana ſedebat in Venetia, pace factâ cum Pippino Rege, & induciis uſque ad menſem Auguſtum conſtitutis ſtatione ſolutâ Conſtantinopolim regreſſus eſt. Hæc idem Annaliſta Loiſelianus, apud quem narratio rerum hoc anno geſtarum ſic clauditur. *Hoc anno Imperator Paſcha Aquis celebravit, necnon & Natale Domini.* Anni maximam partem egit in Aquiſgranenſi Palatio. Inde profectus eſt Ingelhaimium, ubi Conventum Francorum habuit, de quo ſic Chronographus Moiſſiacenſis. *Anno* DCCCVII *Karolus Imperator perrexit ad Ingelaeim Palatium, & ibi habuit Conventum ſuum cum Epiſcopis, & Comitibus, & aliis fidelibus; & mandavit eis ut juſtitias facerent in Regno ejus. Poſteà dedit eis licentiam ad propria remeare, & quietè ſedere, & ut Deo gratias agerent ad pacem & concordias eorum, & illum annum fecit ſine hoſte.*

IV. LUDOVICUS EXPUGNAT BARCINONEM,

Haud adeò quietè degit hoc anno Ludovicus, bellum enim ſtrenuè geſſit in Hiſpania contra Saracenos, quibus Barcinonem poſt diuturnam obſidionem eripuit. Totum hoc negotium in ipſius Ludovici vita ſic deſcribit Auctor coætaneus. *Viſum eſt Regi* Ludovico *& Conſiliariis ejus, ut ad Barcinonam oppugnandam ire deberent, divisóque in tres partes exercitu; unam quidem Ruſcellioni ipſe permanens ſecum retinuit: alteri obſidionem urbis injunxit, cui Roſtagnus Comes Gerundæ præfuit; tertiam autem, ne fortè obſidentes urbem improvisè ab hoſtibus occuparentur, ultra urbem ſedere præmiſit. Obſeſſi interea intra urbem, Cordubam miſerunt, auxiliúmque popoſcerunt. Rex verò Sarracenorum protinus auxiliatus eis exercitum direxit. Venientibus porrò his, qui miſſi*

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

fuerant Cæsaraugustam, relatum est eis de exercitu in via sibi obviam constituto. Erat autem ibi Willelmus primus signifer, Hademarus, & cum eis validum auxilium. Quod illi audientes, in Astures sese verterunt, cladémque eis improvisè importaverunt, sed multò graviorem reportaverunt. Quibus recedentibus, nostri ad socios urbem obsidentes reversi sunt, & illis juncti tamdiu urbem obambientes, & nullum ingredi aut egredi permittentes, vexarunt, donec famis acerbitate coacti sunt etiam vetustissima ostiis coria detrahere, & in cibum infelicissimum vertere. Alii autem mortem infelicissimæ præponentes vitæ, è muris semet præcipites mittebant; aliqui verò spe animabantur inani, cogitantes quòd Franci hyemis asperitate à civitatis cohiberentur obsidione. Sed hanc illorum spem abscidit prudentium virorum consilium. Advectâ enim undecunque materiâ, cæperunt extruere casas, veluti in hybernis ibidem mansuri. Quod cernentes civitatis habitatores, à spe deciderunt, & ad desperationem ultimam versi, suum Principem Zaddonis cognatum tradiderunt, quem pro eo constituerant, nomine Hamur, & se & civitatem, concessâ facultate secedendi, dediderunt hoc modo. Quum enim longâ fessum obsidione nostri tenerent urbem, & jamjam capiendam aut tradendam crederent, honesto, ut decebat, usi consilio Regem vocant, ut urbs tanti nominis glorioſum nomen Regi propagaret, si illam eo præsente superari contingeret. Suggestioni huic admodum honestæ Rex assensum præbuit. Venit ergo ad exercitum suum urbem vallantem, atque indesinenti oppugnatione sex hebdomadibus perduravit, & tandem superata victori manus dedit. Tradita ergo & patefacta civitas. Primo quidem die custodes Rex illuc destinavit, ipse autem ab ejus ingressu abstinuit, donec ordinaret, qualiter cum digna Deo gratiarum actione cupitam atque susceptam victoriam ejus nomini consecraret. Antecedentibus ergo eum in crastinum & exercitum ejus Sacerdotibus & Clero, cum solenni apparatu & laudibus hymnidicis portam civitatis ingressus, & ad Ecclesiam Sanctæ & Victoriosissimæ Crucis, pro victoria sibi collata, gratiarum actiones Deo acturus, progressus est. Porrò post hæc Berâ Comite ibidem ad custodiam relicto cum Gothorum auxiliis, hyemandi gratiâ ad propria remeavit. Cui pater, comperto quod ei imminere videbatur à parte Sarracenorum periculo, fratrem Carolum suffragaturum mittebat, eique Lugduni agenti, & ad fratris adjutorium properanti, nuntius Regis fratris occurrit, captam civitatem nuntiavit, & ne longiùs fatigaretur edixit. Qui ab eodem loco regrediens, ad patrem est reversus. In vulgatis editionibns ad hujus textûs oram positi leguntur anni Redemptoris octingentesimus quartus & octingentesimus quintus, sed horum loco restituendus est octingentesimus septimus, ut liquet ex emendatione ad superiorem annum præmissa, quo *Zaddo Dux Barcinonensis comprehensus, Ludowico Regi est adductus, & patri Carolo itidem perductus.* Capto Zaddone, Barcino in Francorum potestatem non rediit, urbis regimini præpositus à Saracenis Hamur ejusdem Zaddonis propinquus, qui post annuam administrationem vi coactus hoc anno deditionem fecit. Tunc apud Saracenos in Hispania regnabat Alhacam, apud Christianos Alfonsus cognomento Castus. Hic Carolo & Ludovico, Christianis utpote Principibus, amicitiâ conjunctissimus fuit; Mauris, à quibus lacessebatur, hoc anno cladem non levem intulit; eâque potitus victoriâ deditionem Barcinonæ non parum acceleravit, obsessis nullâ spe auxilii relictâ. Willelmus, qui *primus signifer* in castris Ludovici fuit, non alius nobis videtur à Willelmo Comite, qui postea Monasticen amplexus est in Gellonensi Cœnobio à se constructo, unde corrigas eos qui Monachum anno Redemptoris octingentesimo sexto constituunt. Gothos, qui relicti sunt ad custodiendam Barcinonem, milites interpretare oriundos ex Gothia seu Septimania, quæ Ludovico Regi tum parebat. Hic recuperatâ Barcinone, ut Franciscus Didacus in Historia Comitum Barcinonensium testatur [a], Ecclesiam Sanctorum Justi & Pastoris cum puellari Monasterio Sancti Petri construxit. Barcinonensis tunc Episcopus erat Humbertus, quantùm ex eadem Historia colligere possumus. Haud ignoramus Barcinonenses Episcopos

[a] Lib. 1. c. 21. ÆDIFICAT MON. S. PETRI.

à Nomenclatoribus tumultuariè referri, idque à Joanne Tamayo in Martyrologio Hiſpanico [a] non diſſimulari, ſed donec accuratior prodeat Catalogus, ſequi non veremur prælaudatum Franciſcum Didacum, apud quem [b] ſub Pippino Pippiníque filiis Carolomanno & Carolo recenſentur hi Barcinonenſes Epiſcopi, Guillermus, Bernardus, Guillermus, Humbertus, & Joannes, quibus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum inſerendus videtur is, cujus hæc prima tantùm ſyllaba *Se*..... inter ſubſcriptiones Concilii Narbonenſis invenitur. Sedit igitur Guillermus regnantibus Pippino ejúſque filio Carolomanno, vitámque clauſit decimo-ſexto Kalendas Octobris anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo, cùm Carolomannus Rex in vivis adhuc ſuperſtes eſſet. Guillermo ſucceſſit Bernardus, cujus mors ſexto Idus Aprilis anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo conſignatur. Bernardo ſubrogatus eſt alter Guillermus, qui vivere deſiit decimo-ſexto Kalendas Maias anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo. Se..... Barcinonenſis Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo Concilium Narbonenſe ſuâ ſubſcriptione communivit. Proximus ſucceſſor Humbertus Epiſcopatum gerebat anno Redemptoris octingenteſimo ſeptimo, cùm Ludovicus Rex Barcinonem expugnavit. Joannem Humberti ſucceſſorem ad annum reparatæ Salutis octingenteſimum undecimum memorabimus.

AN. CH. 807.

[a] D. 18. Nov.
[b] Lib. 1. cc. 19. 21.

V.

Ado in ſuo Chronico, poſtquàm munera Regis Perſarum ad Carolum Imperatorem delata commemoravit, priuſquàm res in Sardinia & in Corſica contra Saracenos geſtas aggrediatur, hanc periodum de Sancti Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi aliorúmque Martyrum Reliquiis interſerit. *Tunc delata ſunt oſſa Beati Cypriani à Carthagine cum Reliquiis Beatorum Scillitanorum Martyrum, Sperati ſociorúmque ejus, & poſita ſunt in Eccleſia Beati Joannis Baptiſtæ in civitate Lugdunenſi.* Et in ſuo Martyrologio [c], poſtquàm Martyrium Sancti Cypriani narravit, fuſiùs eandem Reliquiarum Tranſlationem ſic deſcribit. *Poſt multa verò curricula annorum, Glorioſiſſimo Carolo Francis imperante, contigit Legationem Francorum ferentibus, illuſtres ac ſapientiâ circumſpectos Legatos tranſitum per Africam feciſſe. Hi cùm Carthaginem dirutam, & loca venerabilia Sanctorum Martyrum, revertentes à Rege Perſarum Aaron qui exceptâ Indiâ totum penè tenebat Orientem, vidiſſent, facilè ſibi conciliato Principe, ac favorem in re tali præſtante, pro magno munere rogaverunt, ut oſſa Beati Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuò poſtulata conceſſit, útque pio Imperatori, cujus gratiam omnium, qui in toto terrarum Orbe erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ipſi ea ferrent, libenter aſſenſit. Cúmque venerabiles Legati ingentia dona, Martyrum ſcilicet Reliquias ferentes (nam & Beati Sperati Martyris membra, qui unus fuit ex illis* XII *præclariſſimis Martyribus Scillitanis, caput etiam Martyris Glorioſi Pantaleonis ſecum cum beatis oſſibus Cypriani habebant) reverterentur, proſperis uſi velis, tandem pervenerunt Arelaten. Ubi ſacra Martyrum membra ſignata interim relinquentes, Legationem ſuam Glorioſo Imperatori renuntiare feſtinarunt, & ut animum Regis ampliùs ſibi de Legatione ſtrenuè perfecta conciliarent, inter alia de Sanctorum Reliquiis ab Africa deportatis ejus animos attollunt. Unde ille plurimùm lætus, eas tam diu apud Arelaten dignâ veneratione reſervari juſſit, donec ipſe magno aliquo opere in Regno ſuo Templum conderet, ubi tam pretioſum pignus ingenti cultu & ornatu reponeret. Sed emergentibus cauſis, dum opus tardiùs conſtruitur, occaſionem nactus Leidradus Venerabilis Lugdunenſis Epiſcopus Glorioſum Imperatorem rogavit, ad civitatem ſuam deferre beata oſſa Martyrum ei liceret. Annuit Imperator. Sed & iſdem ocyùs votum ſuum pius perficit. Cum honore infra civitatem Lugduni deportata ſunt, ibíque in majori Eccleſia Beati Joannis Baptiſtæ ac Sancti Martyris Stephani aliquanto tempore cuſtodita, & ad defenſionem civium, Deo id miſericorditer operante, & Imperatore jam votum ſuum de ædificatione Templi in longè alia transferente, Sanctus Epiſcopus beatiſſimas Reliquias Glorioſorum Mar-*

[c] D. 14. Sep.

RELIQUIÆ S. CYPRIANI EX AFRICA TRANSFERUNTUR ARELATUM, DEINDE LUGDUNUM.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19. VI.

tyrum in prædicta Ecclesia post venerabile & sacrum altare decentissimâ sepulturâ recondidit, ac posteris civibus suis profuturas honorabiliter commendavit.

Eandem Martyrum Translationem suis jam Versibus sic adornarat Agobardus.

Rector magnificus piúsque Princeps
Augusto Karolus decore fultus
Sceptrum nobile Francicum regebat,
Subjectos populos piè gubernans,
Lectos æquora jusserat secare;
Ac jam propitio sibi Tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,
Intrarunt Lybicos repentè fines;
Quà Carthago gravi jacens ruinâ
Deflet præteritæ decus juventæ.
Hîc dum Basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt verenda Templa,
Cernunt ut tua, Cypriane Martyr,
Servaret loculus neglectus ossa,
Tum verò nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, Sancte, tibi caput reclsum est,
Et mox poplitibus precando flexis
Pandunt sarcophagum, studéntque sacros
Artus stringere linteis paratis,
*Committúntque sacro caput * locello.*
Sperati quoque Martyris beati,
Necnon Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligántque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla Ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido, sinúque læto
Fessos excipit, ac fovet benignè.
Hæc mox cùm audiit optimus Sacerdos,
Lucduni placidam tenens Cathedram,
Sanctorum eximio calore flagrans,
Intendénsque sacris ubique rebus,
Ledradus specimen decúsque Cleri,
Orat, postulat, impetráque raptim
Ut sanctissima Martyrum piorum
Nostris mænibus ossa conderentur
Lucduni, ad placidam Johannis aram,
Qui Christum vitreâ rigavit undâ.
Illic cum sociis honore claro
Florens, inclyte Cypriane, dormis.
Sed, quæso, vigiles, vigílque nostris
Intendas precibus; fiásque nobis
Clemens & validus Dei Patronus;
Solvas crimina, conferásque vota.
Sit, quæso, memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne Verbum,
Cervicem gladio dedit secandam.
Sed Christum cecinit, silere nescit;
Hanc Christus jugiter benignus audit

* edit. corpus

AN. CH. 807.

Vel ſacros populos ſtilo excitantem,
*Vel pravas * hereſes deóſve falſos*
Verbi fulmine funditus cremantem.
*Hanc & pro populo, Patrone *, noſtro*
Semper, quæſumus, audiat rogantem;
Paſtorem foveat, gregem propaget;
Det munus fidei, decus ſalutis.
O Doctor ſacer, ô beate Martyr,
Serva Pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuúmque feſtum
*Dictis extulit, ac * honore compſit.*
O triplex honor! ô triforme culmen!
O tres magnifici piíque teſtes!
Sit nobis triplici ô favens precatu
Pollens unica Trinitas per ævum.

* edit. *Hæreſique pravæ.*

* edit. & *patrono noſtro.*

* edit. &

VII. Agobardus ſuperſtite Leidrado Lugdunenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus fuit, deinde eidem Leidrado in Archiepiſcopatum Lugdunenſem ſucceſſit, obiitque anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo. Paulò recentior fuit Ado Viennenſis Archiepiſcopus, cujus obitus in annum Redemptoris octingenteſimum ſeptuageſimum-quartum incidit. Horum Auctorum teſtimonia de Tranſlatione Sancti Cypriani Martyris integra retulimus, ut illam Translationem Carolo tunc Imperatore & Leidrado Lugdunenſi Archiepiſcopo factam agnoſcas, eóſque refellas, qui Bedam prædictæ Tranſlationis meminiſſe volunt in ſuo Martyrologio, decimo-ſexto Kalendas Auguſti. Vulgatus quidem Beda ſic habet ad illum diem. *In Carthagine, Natale Sanctorum Scillitanorum, id eſt, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurii, Felicis, Aquilini, Letitiæ, Januariæ, Generoſæ, Biſſiæ, Donatæ, & Secundæ, ſub Saturnino Præfecto, qui poſt primam Confeſſionem Chriſti in carcerem miſſi, & in ligno confixi, manè gladio decollati ſunt. Horum Reliquiæ cum oſſibus Beati Cypriani, & capite Sancti Pantaleonis Martyris ex Africa in Gallias tranſlatæ venerantur Lugduni in Baſilica Beati Joannis Baptiſtæ. Et Sancti Alexii Confeſſoris.* At genuinus Beda, quem Godefridus Henſchenius [a] ex Codice Divionenſi publicavit, deſinit in his vocibus *gladio decollati ſunt*, nihilque prorſus habet de Tranſlatione cùm Martyrum Scillitanorum, tum Sanctorum Cypriani & Pantaleonis, aut de Sancto Alexio Confeſſore. Quapropter Severtius in Ledrado [b] fruſtrà ſe torquet, ut Adonem cum Beda conciliare poſſit, quaſi *ex Carthagine erepta ſint Reliquiæ ad annum* DCXVI, *& Arelatibus concreditæ, poſtmodúmque Lugdunum inde operâ Ledradi tranſlatæ anno 807.* Huic interpretationi refragatur Ado, in ſua enim narratione Carolum Imperatorem, Aaronem Regem Perſarum, & Leidradum Lugdunenſem Epiſcopum memorat; addequòd Agobardus, qui tum vivebat, laudaſſe reperitur & Carolum Auguſtum, cujus Oratores prædictas Reliquias Arelatum ex Africa detulerunt, & Ledradum Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui *mox* eas Arelato Lugdunum transferendas poſtulavit.

[a] Tom. 2. menſ. Mart.

[b] §. 5.

VIII. Apud Sigebertum ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum eadem Martyrum Tranſlatio ſic refertur. *Legati Imperatoris Caroli ab Aaron Ammira venientes inter cetera munera corpora etiam Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & Martyris, & Sperati primi Scillitanorum Martyrum, & caput Panthaleonis Martyris in Franciam afferunt.* Idem Chronographus ad annum præcedentem ſic ſcribit. *801. Amymurlim Rex Perſarum Carolo Imperatori elephantem & munera multa mittit.* Ceterùm *Amymurlim Rex Perſarum* idem eſt ac *Aaron Ammiras*, ut apertiſſimè liquet ex iis, quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum primum [b]. Annaliſta Laureshamenſis, quocum ceteri conſentiunt, de Legationibus Francorum & Saracenorum ad annos noni ſeculi primum ac ſecundum ſic diſſerit. DCCCI. *Imperator de Spoleto Ra-*

[b] Nn. 13. & ſeqq.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

vennam venit, & aliquot dies ibi moratus Papiam perrexit. Ibi nuntiatum eſt ei Legatos Aaron Regis Perſarum portum Piſas intraſſe. Quibus obviam mittens inter Vercellas & Hipporhediam, eos ſibi fecit præſentari. Unus eorum erat Perſa de Oriente, Legatus prædicti Regis, (nam duo fuerant) alter Saracenus de Africa, Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Foſſato præſidebat. Hi Iſaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Perſarum cum Lantfrido & Sigimundo Legatis ſuis miſerat, reverſum cum magnis muneribus nuntiaverunt. Nam Lantfridus & Sigimundus ambo in eodem itinere defuncti ſunt. Tum ille miſit Erchenbaldum Notarium in Liguriam ad claſſem parandam quâ elephas, & ea, quæ cum eo offerebantur, ſubvehi poſſent. Et paulò pòſt. *Ipſius anni menſe Octobri Iſaac Judæus de Africa cum elephante regreſſus portum Veneris intrævit, &, quia propter nives Alpinas illac tranſitum habere non poterat, in Vercellis hyemavit.* Deinde anno DCCCII. *Hujus anni menſe Jul.* XIII *Cal. Aug. venit Iſaac cum elephante, & ceteris muneribus, quæ à Rege Perſarum miſſa fuerunt, & Aquiſgrani omnia Imperatori detulit.* Vir eruditus in notis ad Leidradum ex hoc Annaliſta, quem Eginhardum vocat, Tranſlationem Sancti Cypriani, de qua loquimur, anno Redemptoris octingenteſimo ſecundo conſignat, additque non Aaronis Perſarum Regis ſed Abrahæ Amirati Africæ conſenſum acceſſiſſe. *Miſerat*, inquit, *Karolus Legatos ad Regem Perſarum Aaronem, Iſaac ſcilicet Judæum, Lantfridúmque, & Sigimundum; ac ceteris in ea Legatione mortuis ſolus Iſaac in Galliam reverſus eſt an.* DCCCII. *& apud Aquiſgranum pervenit* XIII *Kal. Auguſti, ut Eginhardus tradit in Annalibus. Hic ergo Iſaac magna munera ad Karolum deferens, quæ mittebantur à Rege Perſarum, tranſivit per Africam, ubi regnabat Amiratus Abraham; compertóque oſſa beati Cypriani neglecta jacere, ut inter inimicos fidei Chriſtianæ, Amiratum oravit, ſineret ea deferri ad Karolum, magno æſtimaturum. Conceſſit ille lubens; cúmque Cypriani Reliquiis, etiam membra Beati Sperati, & caput Sancti Pantaleonis, capere voluit. Depoſitæ Reliquiæ apud Arelatem, demùm curâ Leidradi delatæ ſunt Lugdunum, & in Baſilica Sancti Joannis reconditæ. Ita enim docent Agobardus & Ado; niſi quòd Ado paululùm turbat in narranda Hiſtoria, Regem Perſarum exiſtimans in Africa etiam regnaſſe.* Rectè ſic de Aarone ſenſit Ado. Africa, quà tertiam veteris Orbis partem conſtituit, ampliſſimis circumſcribitur limitibus. Abraham in Occidentali ejus parte, quæ vicina eſt Gaditano freto, novum erexit Caliphatum excuſſo Aaronis jugo, ſed Carthago, quæ longè Orientalior erat, in ejuſdem Aaronis poteſtate permanſit. Id præcitatus Annaliſta, cùm de utroque ſermonem facit, haud obſcurè teſtatur. Præterea Iſaac ex Africa non in Gallias ſed in Liguriam navigavit, atque ex Liguria non Arelatem ſed Vercellas atque inde Aquiſgranum ad Imperatorem contendit. Exploſo igitur Sigeberto, cujus opinio nullum ſibi patrocinium ab antiquis Annaliſtis comparare poteſt, ſtandum ab Adone, qui Reliquias Sancti Cypriani Martyris aliáſque Arelatem hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſeptimo delatas ex Africa ſcribit.

IX. Sacras illas Cypriani Carthaginienſis aliorúmque Martyrum exuvias ſuſcepit, atque in ſua retinuit Eccleſia Joannes Arelatenſis Archiepiſcopus, donec Imperator Leidrado Lugdunenſi Metropolitæ permiſit, ut eas Lugdunum deferendas curaret. Si fides eſt Salignoni, cujus textum Joannes Columbus in Geſtis [a] Epiſcoporum Valentinorum ſub Waldo recitavit, *Legati prædicti Imperatoris* Caroli *divinâ providentiâ oſſa beati Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis & Martyris ab Africa ſecum detulerunt uſque ad urbem Arelatenſium, quæ à præfato Imperatore Laidrado Archiepiſcopo Lugdunenſi data fuerunt in cuſtodiam, quoadusque Reliquias beati Cornelii Romani Pontificis & Martyris coadunaſſet, & Templum Sanctis Martyribus condignum ædificaſſet. Cúmque in hoc ſancto propoſito intenderet, Aquiſgrani in Domino obdormivit, cujus piam voluntatem ſequentes Epiſcopi Silvius & Lambertus executioni mandare curaverunt.* Res tandem ad

[a] Lib. 1. n. 11.

effectum perducta est à Carolo Calvo Magni nepote, ut suo loco dicturi sumus. Interim Valentinorum Episcoporum seriem paucis observa. Post Bonitum, qui Concilio Narbonensi subscripsit anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, sederunt in Episcopali Cathedra Valentiæ, Waldus, Silvius seu Salvius, & Lambertus. AN. CH. 807.

X. LEIDRADI LUGDUNENSIS ARCHIEPISCOPI ZELUS SINGULARIS PRO CULTU DIVINO ET ORNATU ECCLESIARUM.

Agebat Ledradus annum sui Præsulatûs octavum; cùm Arelatem advectæ sunt Sancti Cypriani Reliquiæ. Toto suo Pontificatu res perfecit valdè mirabiles; complures, quæ pertinent ad cultum divinum & ad ornatum Ecclesiarum, perstrinxit in literis ad Imperatorem, quas hoc loco describendas ducimus, licèt habeatur incertum quonam scriptæ sint anno, quia Chronologicis Characteribûs destituuntur. *Summo Karolo Imperatori Ledradus Episcopus Lugdunensis. Domine noster, constans & sacer Imperator, supplico Clementiæ Celsitudinis vestræ, ut hanc brevem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis, quatinus quæ hîc inserta sunt, piissimæ Prudentiæ vestræ nota fieri queant, & intentio meæ postulationis ab ingenua Clementia vestra reminiscatur. Olim me exiguissimum famulorum vestrorum ad regimen Ecclesiæ Lugdunensis destinare voluistis, cùm ego huic officio impar existerem & indignus. Sed vos, qui non attenditis hominum merita, sed vestram solitam Clementiam, egistis de me, sicut ineffabili Pietati vestræ placuit, nullo existente merito meo; méque admonere dignati estis, ut ego sollicitudinis curam gererem, & ut negligentiæ, quæ in prædicta Ecclesia perpetratæ noscebantur, emendarentur, & perpetrandæ vitarentur. Erat enim dicta Ecclesia multis in rebus destituta interiùs exteriúsque, tam in officiis, quàm in ædificiis, & ceteris Ecclesiasticis ministeriis. Ego humillimus servulus * vester, postquàm ibidem perveni, quæ cum Dei adjutorio & vestro peregi, audite. Quoniam, ut inspector conscientiarum Dominus Omnipotens mihi testis est, non tali intentione ea vobis patefacio, quæ dicturus sum, ut propterea in rebus augeri merear; neque aliud tale in cogitatione mea composui, ut acquisitionis mihi occasio * sit, nec suggero; quoniam quotidie exitum à rebus humanis suspicor propter infirmitatem meam, & incessanter de morte suspectus sum. Et ideò hæc suggero, ut cùm benignissimis auribus vestris præsentata fuerint, & clementer inspecta, si qua benè & secundùm voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficiant aut pereant. Denique postquàm, secundùm jussionem vestram, sapedictam Ecclesiam suscepi, juxta vires parvitatis meæ omni industriâ egi, ut Clericos officiales potuissem *, sicut jam, Deo favente, ex magna parte mihi habere videor. Et ideo officio vestræ Pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus, qui ab antiquo fuerant de Lugdunensi Ecclesia, per quam, Deo juvante, & mercede vestrâ annuente, in Lugdunensi Ecclesia est ordo psallendi instauratus, ut juxta vires nostras secundùm ritum sacri Palatii omni ex parte agi videatur quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo scholas Cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Præter hæc verò habeo scholas Lectorum non solùm qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructum consequantur. Ex quibus nonnulli de libro Evangeliorum sensum spiritalem jam ex parte adipisci possunt. Plerique verò librum Prophetarum secundùm spiritalem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Job. In libris quoque conscribendis, in eadem Ecclesia, in quantùm potui, elaboravi. Similiter vestimenta Sacerdotum vel ministeria procuravi. De restauratione etiam Ecclesiarum, in quantùm valui, non cessavi, ita ut ejusdem civitatis maximam Ecclesiam, quæ est in honorem Sancti Johannis Baptistæ, à novo operuerim, & macerias ex parte erexerim. Similiter Ecclesiæ Sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque Sancti Nicetii de novo etiam reædificavi. Similiter Ecclesiam Sanctæ Mariæ. Præter Monasteriorum restaurationes, domus quoque Episcopales, inter quas unam restauravi, quæ jam penè destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solario ædificavi, & duplicavi; & hanc propter vos paravi, ut si in illis partibus vester esset adventus, in ea*

* servum

* causa

* possim habere

AN. CH 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDO V. RR. 27. CAROLI R. 19.

ſuſcipi poſſetis. Clauſtrum quoque Clericorum conſtruxi, in quo omnes nunc ſub uno conclavi manere noſcuntur. In eadem civitate alias reſtauravi Eccleſias, unam quidem in honorem Sanctæ Eulaliæ, ubi fuit Monaſterium puellarum, quam de novo operui, & ex parte macerias ejus à fundamentis erexi. Alia quoque domus in honorem Sancti Pauli de novo operta eſt. Monaſterium quoque puellarum in honorem Sancti Petri dedicatum, ubi corpus Sancti Anemundi Martyris humatum eſt, quod ipſe Sanctus Martyr & Epiſcopus inſtituit, ego à fundamentis tam Eccleſiam quàm domum reſtauravi, ubi nunc Sanctimoniales numero triginta-duæ, ſecundùm inſtitutionem Regularem viventes, habitare videntur. Et Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ ita reſtauravi, ut tecta de novo fuerint & aliqua de maceriis à fundamentis erecta, ubi nunc Monachi ſecundùm Regularem diſciplinam numero nonaginta habitare videntur. Cujus etiam Abbati tradidimus poteſtatem ligandi & ſolvendi, uti habuerunt prædeceſſores ſui, ſcilicet Maximus, Ambroſius, Licinius, clariſſimi viri, qui ipſum locum rexerunt, quos Eucherius, Lupus, atque Geneſius, ceteríque Archiepiſcopi Lugdunenſes, ubi ipſi deerant, aut non poterant adeſſe, mittebant cognituros, utrùm Catholica fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet. Quibus illis in tantùm erat commiſſa cura, ut ſi Eccleſia Lugdunenſis viduaretur proprio Patrono, ipſi in cunctis adeſſent rectores & conſolatores, quouſque Eccleſia à Domino digniſſimo illuſtraretur Paſtore. Nos ſimiliter poſteris illorum hanc poteſtatem tradidimus. Inſuper juſſimus fieri Decreta priſcorum Regum Franciæ, ut quemadmodum ipſi ſtatuerunt monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præſens habere videntur, vel in futuro, Deo auxiliante, acquirere poterunt, ſine ulla querimonia per ſecula poſſideant.

XI. In hac Epiſtola, quam Paradinus in Hiſtoria Lugdunenſi [a], Robertus & Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Baluzius poſt Agobardi opera, Claudius *le Laboureur* in Ruderibus Barbarenſibus, edendam curarunt, res occurrunt multæ, quas notis illuſtrare non videtur extra noſtrum inſtitutum.

[a] Lib. 2. c. 20.

XII. Leidradi zelus erga divinum Officium in hoc plurimùm elucet, quòd Scholas Cantorum ac Lectorum inſtituit, & libros ad idem Officium peragendum neceſſarios conſcripſit conſcribíque præcepit. Libro primo [b] Capitularium ſtatuitur, ut, *ſi opus eſt Evangelium, & Pſalterium, & Miſſale, ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentia.*

[b] Cap. 72.

XIII. Singularis quoque Leidradi zelus fuit in reſtaurandis Eccleſiis, quas hoſtes Chriſtiani nominis everterant. Saracenos intellige quorum irruptionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum [c] Tomo quarto deſcripſimus. Saracenis nonnulli Gothos addunt, & ut à Saracenis, ſic & à Gothis ſeu Wiſigothis cladem Lugdunenſibus illatam affirmant. At de Saracenis convenimus, de Gothis nequaquam. In Hiſtoria Lugdunenſi [d] commentitia ſunt, & à recta Chronologia plurimùm diſcrepant, quæ de Gothis & Girardo Comite Roſſilionenſi narrantur à Rubyo, commodiúſque refellentur ſub Carolo Calvo, cui ſynchronum Girardum hoc loco dixiſſe ſufficiet. Eccleſias igitur quas Leidradus reparavit, à ſolis everſas Saracenis arbitrare.

[c] Nu. 21. & ſeqq.

[d] Lib. 3. c. 15.

XIV. Inſtaurationis narrationem ordiemur ab Æde Metropolitana. Quod pleriſque Metropolibus, contigit & Lugduno. Sedes Metropolitæ Lugdunenſis non eodem in Templo ſemper ſtetit. Tres Lugduni Baſilicæ pro diverſis temporibus Cathedrales extiterunt. Hic honos primùm tributus Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ hodie eſt Nicetiana, deinde tranſlatus ad Ædem Sancti Stephani, poſtremò collatus Baſilicæ Sancti Joannis Baptiſtæ. Sanctus Nicetius anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-primo factus eſt Lugdunenſis Metropolitanus, & ex hac vita deceſſit anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Sedit in Eccleſia Sancti Stephani, licèt adhuc ſtaret Baſilica Sanctorum Apoſtolorum,

quæ

quæ ſeriùs ab eo nomen accepit Sancti Nicetii, quod etiamnum gerit. Extant literæ Innocentii Papæ Quarti, quæ Nicetianam Eccleſiam Metropolitanâ quondam dignitate nobilitatam oſtendunt. Extant & quorumdam Metropolitarum Lugdunenſium epiſtolæ, quæ rem eandem confirmant. Sanctus Alpinus Lugdunenſis Metropolitanus Ædem Sancti Stephani conſtruxit, dedicavitque anno Chriſti circiter trecenteſimo octogeſimo-quinto; in hanc Eccleſiam tranſlata paulò pòſt Pontificalis Cathedra, licèt in Baſilica Nicetiana ſepulti jaceant Metropolitæ multò recentiores. Ad Stephanenſis Eccleſiæ latus erecta eſt alia ſub nuncupatione Sancti Joannis Baptiſtæ, quæ, quoniam ſpatioſior & auguſtior, Metropolitanam quoque Sedem ex Æde Sancti Stephani tranſlatam obtinuit. Hæc Cathedræ tranſlatio priùs facta eſt, quàm Reliquiæ Sancti Cypriani Martyris in Gallias ex Africa transferrentur. Lege Joannem à Sancto Albino in Hiſtoria Eccleſiaſtica Lugdunenſi, parte quintâ, ſectione ſecundâ. De tempore, quo ſacræ Cypriani Carthaginienſis exuviæ in Galliam advectæ ſunt, diſputavimus ſuprà, vulgatúmque Bedæ Martyrologium, in quo mentio fit iſtius Tranſlationis, à genuino Bedæ fœtu diſtinximus. Eccleſiam Sancti Joannis Baptiſtæ, priuſquàm Saraceni Lugdunum occuparent, Cathedralem jam fuiſſe ſuſpicamur. Tres autem prædictæ Baſilicæ, in quibus Pontificalis hactenus Sedes fuit, à Leidrado Metropolita reparatæ ſunt, atque etiamnum ſubſiſtunt; Cathedralis eſt Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ, duæ aliæ, Stephanenſis & Nicetiana, ſunt Collegiatæ.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

XV. Ab eodem Leidrado reparatæ ſunt etiam Eccleſiæ Sancti Pauli & Sanctæ Eulaliæ, de quarum conditu actum Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum-primum [a] in obitu Sancti Sacerdotis Metropolitæ Lugdunenſis, à quo conſtructæ ſunt. Joannes à Sancto Albino Baſilicam Sancti Pauli plurimùm commendat in Hiſtoria Eccleſiaſtica Lugdunenſi [b] jam laudata, obſervátque Eccleſiam Sancti Juſti primam eſſe Collegiatarum Lugdunenſium, & proximum poſt eam locum Eccleſiæ Sancti Pauli tribui. Sanctæ Eulaliæ Baſilica, ut Leidradus in literis ſuprà recitatis teſtatur, fuit aliquando puellare Monaſterium; hodie nomen Sancti Georgii gerit, & eſt de patronatu Equitum Melitenſium. Utrùm ei poſterius Sancti Georgii nomen à Leidrado ſit impoſitum non liquet. Id quidem innuit vulgatus hic literarum textus, *alias reſtauravi Eccleſias, unam in honorem Sanctæ Eulaliæ, ubi fuit Monaſterium puellarum, in honorem Sancti Georgii, quam de novo operui.* Sed inſititiæ & ex ora in textum tranſlatæ videntur hæ voces, *in honorem Sancti Georgii*, ut & aliæ pleræque, de quibus infrà, cùm ſermonem de Monaſterio Barbarenſi ſive Inſulæ Barbaræ faciemus.

[a] Num. 4.

[b] Part. 7. ſect. 23. & ſeqq.

XVI. Leidradus inter Eccleſias, quas inſtauravit, annumerat Baſilicam Sancti Petri cum puellari Cœnobio, quod à Sancto Annemundo Lugdunenſi quondam Metropolita conditum fuerat. Lege quæ Tomo tertio dicta ſunt illo de Monaſterio ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum [c], quo Sanctus Annemundus in cælum migravit.

[c] Num. 18.

XVII. Denique Leidradus in reparando Barbarenſi Monaſterio diligenter operam impendit. Eodem anno, quo Stephanus Baluzius Metropolitarum Lugdunenſium, Leidradi, Agobardi, & Amulonis, opera cum notis publicavit, Hiſtoriam Inſulæ Barbaræ ſub Titulo Ruderum Barbarenſium conſcripſit atque in capita quinquaginta-quinque diſtinxit Claudius *le Laboureur*. Uterque literas Leidradi ſuprà deſcriptas recitavit, &, ubi mentio fit Monaſterii Barbarenſis, interpolatas jam cenſuit. Vulgati textûs hoc eſt initium. *Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ, ſitum in medio Araris fluvii, quod antiquitus eſt dedicatum in honorem Sancti Andreæ Apoſtoli & omnium Apoſtolorum, nunc autem in honorem Sancti Martini recens videtur eſſe fundatum juſſu Domni Karoli Imperatoris, qui ibidem præfecit Dominum Benedictum Abbatem, cum quo ſimul direxit ibi ſuos Codices, ita reſtauravi, ut* &c. Hic textus capite quarto Ruderum Barbaren-

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

ſium ſic reſtituendus dicitur. *Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ, ſitum in medio Araris fluvii, quod antiquitus eſt dedicatum in honorem Sancti Andreæ Apoſtoli & omnium Apoſtolorum, ita reſtauravi, ut* &c. Et à Baluzio in notis ad eandem epiſtolam ſic reponitur. *Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ ita reſtauravi, ut* &c. Nobis verò ſic edendus videtur. *Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ, ſitum in medio Araris fluvii, ita inſtauravi, ut* &c. admodum enim probabile ſit Leidradum, qui de Inſula loquebatur, non reticuiſſe nomen circumeuntis fluminis, maximè cùm plures amnes Lugdunenſem Diœceſim ipsúmque Lugdunum alluant. Interpolationis autem, quam rejicimus, quatuor ſunt capita; primum, de antiquis Patronis Eccleſiæ Barbarenſis; ſecundum, de Patrono ejuſdem Baſilicæ, ætate Caroli Magni; tertium, de Benedicto Abbate; quartum, de Bibliotheca Carolina. Poſtremum reſpuimus tanquam falſum, cetera tanquam inſititia, quæ numquam ſcripta ſunt à Leidrado, ſed in operis margine collocata primùm ſunt inſtar gloſſematis, & lapſu temporis in ipſum textum per incuriam amanuenſium irrepſerunt. Interpolatio ſatis ex eo detegitur, quòd Leidradum in literis ad Carolum Imperatorem introducit de eodem Carolo loquentem in tertia perſona, ſic. *In honorem Sancti Martini recèns videtur fundatum juſſu Domini Karoli Imperatoris, qui ibidem præfecit Domnum Benedictum Abbatem, cum quo ſimul direxit ibi ſuos Codices.* Leidradus, ſi res illas in ſuis ad Carolum literis attigiſſet, mentem ſuam hoc expreſſiſſet modo. *In honorem Sancti Martini recens videtur fundatum juſſu tuo, Domine Karole Imperator, qui ibidem præfeciſti Domnum Benedictum Abbatem cum quo ſimul direxiſti ibi tuos Codices.* Ipſam interpolationem per partes nunc examinemus, & in ea quæ vera ſunt à falſis accuratè diſtinguamus, licèt neutra pro genuino Leidradi fœtu publicari debeant.

XVIII. Primò, Monaſterium Inſulæ Barbaræ dicitur *antiquitus dedicatum in honorem Sancti Andreæ Apoſtoli & omnium Apoſtolorum.* Id verum putamus, nec aliter Tomo primo ſcripſimus ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-quartum [a], quo primam Inſulæ Barbaræ mentionem poſt extinctum Burgundiæ Regnum fecimus. At licèt interpolationis, de qua nunc inquirimus, hæc prima pars veritati non repugnet, ſervari tamen in literis Leidradi non debet, quia cum altera parte, quæ eſt de novo ejuſdem Eccleſiæ Patrono, connexionem adeò arctam habet, ut ambæ ſimul aut admittendæ ſint aut explodendæ. Secundam autem partem, in qua Leidradus de Carolo Imperatore loquitur in tertia perſona, reſpuendam quis non fateatur? Ipſam connexionem, quâ prædictæ partes conjunguntur, & ipſam loquendi formulam, quam à Leidrado in literis ad Carolum Auguſtum uſurpatam negamus, denuò lege atque attentè conſidera. *Quod antiquitus eſt dedicatum in honorem Sancti Andreæ Apoſtoli, & omnium Apoſtolorum, nunc autem in honorem Sancti Martini recèns videtur eſſe fundatum juſſu Domni Karoli Imperatoris.*

[a] Num. 23.

XIX. Secundò, Monaſterium Inſulæ Barbaræ dicitur *in honorem Sancti Martini fundatum juſſu Domni Karoli Imperatoris.* Id quoque verum exiſtimamus, ſed à Leidrado negamus ſcriptum in literis ad Carolum Imperatorem. Opinionis noſtræ rationem jam reddidimus. De Sancto Martino, in cujus honorem Barbarenſe Monaſterium *fundatum* ſeu dedicatum fuit, non omnes conveniunt, alii Sanctum Martinum Papam & Martyrem, alii Sanctum Martinum Metropolitam Turonenſem interpretantur. Stamus pro Metropolita Turonenſi contra Severtium, cujus opinio capite ſecundo Ruderum Barbarenſium non invalidè refellitur.

XX. Tertiò, Carolus Imperator dicitur Monaſterio Barbarenſi præfeciſſe *Benedictum Abbatem.* Pars hæc interpolationis eſt vera, ſed à Leidrado non fuit ſcripta. Hujus aſſertionis par ratio ac ſuperioris, ob modum quo Leidradus in ea loquitur de Carolo Imperatore, *qui ibidem*, id eſt, in Monaſterio In-

fulæ Barbaræ, *præfecit Dominum Benedictum Abbatem.* Hunc Benedictum alii ex Agaunenſi Monaſterio, alii ex Anianenſi Cœnobio evocatum volunt. Prior opinio nullo nititur fundamento. Fuit hic Benedictus Anianenſis Monaſterii conditor ac primus Abbas, de quo ſic Indenſes diſcipuli poſt ejus mortem ſcripſerunt. *Hic eſt Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni Regno Francorum Regulam Sancti Benedicti reſtauravit: hic habuit ſub regimine ſuo Monaſteria duodecim; id eſt, Anianam, Gellonem, Caſam novam, Inſulam Barbaram, Menatem, Sanctum Savinum, Sanctum Maximinum, Maſſiacum, Cromatiacum, Cellam novam in Toloſano, Monaſterium Maurum in Alſatz, Indam ex juſſu* Ludovici *Imperatoris ob illius ac diſcipulorum ejus uſum ædificatum, & de fiſcis Regalibus ditatum. In his omnibus ex doctrina ſua Monachos & Rectores miſit.* Illis de Monaſteriis agemus infrà commodiùs, quia curam ſimul omnium quidem geſſit, ſed ſimul non ſuſcepit Benedictus, quorumdam enim admiſtiſtrationem Carolo Auguſto in vivis ſuperſtite, quorumdam verò regimen poſt ejuſdem Imperatoris diſceſſum iniit. Barbarenſe Monaſterium, quod quarto loco nominatur, habere cœpit ſub ſuo regimine, cùm Leidradus illius loci reparator & Carolus Auguſtus adhuc ſupererant. Utrùm tamen Abbatum Barbarenſium Catalogo ſit accenſendus, hodie controvertitur. Certè nec in Barbarenſi Monaſterio, nec in prædictis aliis Cœnobiis, quorum inſtitutioni vel reformationi diligenter incubuit, diuturnas moras fecit; verſatus eſt in ſingulis, quandiu neceſſitas poſtulavit, & illuc, ut ejus diſcipuli jam citati teſtantur, *ex doctrina ſua Monachos & Rectores miſit.* Rectores explicamus Abbates, quos ſingulis Monaſteriis præpoſuit, atque in his cognoſcimus Campionem, qui vocatur *Abbas ex Monaſterio Sancti Martini, quod dicitur Inſula Barbara, ſitum ſuper flumen Sagona, non procul ab urbe Lugduni*, ut loquitur Ludovicus Pius in ſuo Diplomate, quod legitur *datum Aquiſgrani, in Palatio Regio, tertio Idus Novembris, Indictione nonâ, anno tertio, Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici Sereniſſimi Auguſti.* Lege caput decimum Ruderum Barbarenſium, & ab ipſo Campione Nomenclaturam Barbarenſium Abbatum poſt Monaſterii reſtaurationem ordire.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

XXI. Quartò, Carolus Imperator dicitur in Barbarenſe Monaſterium cum Domno Benedicto Abbate *ſuos* direxiſſe *Codices.* Inferunt inde nonnulli locum illum in deliciis adeò fuiſſe Carolo Magno, ut ſuam Bibliothecam, quæ quamplurimis Codicibus abundabat, illuc transferendam curarit. Addunt Carolum illac ſæpiùs tranſiſſe, & amœnitate loci delectatum eſſe, ſive iret in Italiam, ſive ex Italia rediret. Alii Leidradum, priuſquàm ad Lugdunenſes Inſulas aſſumeretur, ejuſdem Caroli Bibliothecarium conſtituunt. Id gratis de Leidrado dictum viri putant eruditi. Nec exploratum habetur Carolum iter per Lugdunenſem Diœceſim habuiſſe, cùm iret Romam vel Româ rediret, imò contrarium aſſeri poteſt ex antiquis Annaliſtis, quos conſuluimus ad annos, quibus iter ex Galliis in Italiam vel in Gallias ex Italia ſuſcepit. Probabilibus igitur conjecturis omnino deſtituuntur, qui Carolinam Bibliothecam in Barbarenſi Monaſterio quondam ſervatam affirmant. Haud tamne diffitemur eo tempore, quo Benedictus Abbas ad Inſulam Barbaram miſſus eſt, Caroli juſſu munificentiâque comparatos ad Monachorum uſum Codices non paucos, quorum alii ad divinum cultum, alii ad literarum ſtudia pertinerent, lapſúque temporis, cùm florentiſſimum eſſet illius Inſulæ Monaſterium, locupletiſſimam ejuſdem quoque loci Bibliothecam extitiſſe, nec defuiſſe certa veteris ſplendoris indicia, donec ab hæreticis acta penitus in prædam ſuperiore ſeculo.

XXII. Interpolatione, quæ literis Leidradi per incuriam amanuenſium inſerta eſt, ſic examinatâ, videamus quid Leidradus de Cœnobio Barbarenſi ſcribat. *Monaſterium*, inquit, *Regale Inſula Barbara, ſitum in medio Araris fluvii, ita reſtauravi, ut tecta de novo fuerint & aliqua de maceriis à fundamentis erecta, ubi nunc Monachi ſecundùm Regularem diſciplinam numero nonaginta ha-*

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

bitare videntur. Monaſterium hoc dicit *Regale*, quia eſt ſub mundeburde ſeu defenſione Regia. Quantam autem operam in eodem Monaſterio reparando collocarit, apertè declarat, cùm domum ſic inſtauratam ait, ut habitent in ea Monachi numero nonaginta. Deinde agit de Privilegiis, quæ ſuorum prædeceſſorum exemplo permotus Abbati Barbarenſi conceſſit. *Cujus etiam*, inquit, *Abbati tradidimus poteſtatem* &c. In vulgatis exemplaribus hic locus, ut cum ſuperiori interpolatione quadrare videatur, in hunc corruptus eſt modum. *Cui etiam Abbati*, id eſt, Abbati Benedicto, qui nominatur in prædicta interpolatione, *tradidimus poteſtatem* &c. Expuncto relativo *cui*, repoſuimus *cujus*, ut ipſum relativum non ad Abbatem ſed ad Monaſterium ſuprà nominatum referatur. Certè ſi reſcindatur interpolatio, ut revera reſcindi debet, non occurret Abbas *cui* Leidradus tradat poteſtatem &c. remanebit autem Monaſterium, *cujus Abbati* Leidradus tradat *poteſtatem* &c. *Monaſterium Regale Inſulæ Barbaræ ita reſtauravi, ut tecta de novo fuerint & aliqua de maceriis à fundamentis erecta, ubi nunc Monachi ſecundum Regularem diſciplinam numero nonaginta habitare videntur. Cujus etiam Abbati tradidimus poteſtatem ligandi & ſolvendi, uti habuerunt prædeceſſores ſui, ſcilicèt Maximus, Ambroſius, Licinius, clariſſimi viri, qui ipſum locum rexerunt, quos Eucherius, Lupus atque Geneſius ceterique Epiſcopi Lugdunenſes, ubi ipſi decerant, aut non poterant adeſſe, mittebant cognituros, utrùm Catholica fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet.* Hic textus Abbates Barbarenſes plurimum commendat, quos olim Metropolitæ Lugdunenſes in partem Pontificiæ ſollicitudinis vocabant, datâ illis poteſtate ligandi & ſolvendi, necnon & inquirendi de fide. Leidradus tres è ſuis anteceſſoribus, Eucherium, Lupum, & Geneſium, totidem ex antiquis Abbatibus Barbarenſibus, Maximum, Ambroſium, atque Licinium memorat, & utroſque adducit in exemplum quod lubentiſſimè ſequatur. In vulgatis editionibus Abbates Barbarenſes hoc recenſentur modo, *Ambroſius, Maximinus, Licinius.* Loco Maximini reſtituimus Maximum, eundemque Maximum Ambroſio præponimus. Duplicis emendationis rationem mutuamur ex epiſtola Sancti Eucherii Metropolitæ Lugdunenſis ad Philonem Preſbyterum, quam Stephanus Baluzius in Appendice Actorum veterum, quorum mentionem in notis ad Leidradum fecit, & Claudius *le Laboureur* capite quinto Ruderum Barbarenſium ſic ediderunt. *Domino ſancto ac venerabili fratri & compreſbytero noſtro Philoni Eucherius Epiſcopus ſalutem in Domino dicit. Quæſo caritatem & dilectionem tuam, quam habes perfectam in Domino, ut digneris te fatigare uſque ad Monaſterium Inſulæ Barbaræ, & videas & exhorteris fratrem noſtrum Maximum Abbatem, qui præeſt ipſi Monaſterio, quia pervenit ad nos, quòd velit ex eo diſcedere, & fratres ſuos deſerere, eò quòd multi propter metum gentium oblationes ſuas ſubtraxerint, quas pro Dei intuitu dare conſueverant. Sed ſi nos vivimus, & ſani revertimur, tantum illi vel Monachis ſuis in Dei nomine diſponimus miniſtrare, ut nihil egere videantur. Hoc tamen ſpecialiùs peto ab ipſo fratre noſtro, ut domum penſilem, quam juſſimus fieri, nobis præparet, & membranas, quia, ſi Deus annuit, Quadrageſimam in Inſula cum ipſo tenere diſponimus, ut opus cœptum ibidem pariter reſidentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, & ducentos modios vini, ducentas libras caſei, & centum libras olei, ordina ipſi dari, ut cùm per noſtram oblatiunculam ipſe unà cum Congregatione ſua reficitur, nobis reditus cum ſoſpitate, ipſis orantibus, à Domino tribuatur.* In hac epiſtola nomen Barbarenſis Abbatis non eſt Maximinus ſed Maximus, iſque Maximus, cùm eodem floreat tempore quo Metropolitanus Eucherius, ætate antecedit Ambroſium qui ſynchronus eſt Lupo Metropolitæ, ut Licinius Metropolitæ Geneſio. Leidradus enim in ſuis literis talem ſe eſſe ſignificat erga Barbarenſem Abbatem, quales ſe deceſſores Metropolitæ Lugdunenſes erga Barbarenſes Abbates ſuorum temporum, Eucherius erga Maximum, Lupus erga Ambroſium, Geneſius erga Licinium, præſtiterunt.

Anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, cùm Lugdunum, Inſula Barbara, totáque Burgundia Francicis ditionibus acceſſit, Lupus in Lugdunenſi Cathedra ſedebat, & Ambroſius Abbas erat Barbarenſis, eámque ob cauſam de utroque egimus Tomo primo, ut Tomo tertio de Geneſio Metropolita & Licinio Abbate, ſed Eucherium Metropolitam & Maximum Abbatem illaudatos reliquimus, quia non pertinent ad noſtros Annales, ex hac enim vita priùs abierunt, quàm Burgundiæ Regnum, ubi Lugdunum & Inſula Barbara, in Francorum poteſtatem venerit. AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19. XXIII.

Addit Leidradus curam Barbarenſibus quondam Abbatibus à Lugdunenſibus Metropolitis *in tantùm* commiſſam, *ut ſi Eccleſia Lucdunenſis viduaretur proprio Patrono, ipſi in cunctis adeſſent rectores & conſolatores, quouſque Eccleſia à Domino digniſſimo illuſtraretur Paſtore.* Si Claudio Rubyo [a] hunc textum interpretanti fides eſt, olim vacante Lugdunenſi Sede, Diœceſeos adminiſtratio tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ad Abbatem Barbarenſem devolvebatur, donec Gregorii Magni Papæ Decreto tranſlata eſt ad Auguſtodunenſem Epiſcopum, penes quem ad hodiernum uſque diem in prædicto caſu permanſit. At iſta nec ſimul ſtare poſſunt, nec ullo nituntur fundamento. Gregorius Magnus ex hac vita diſceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo quarto, ut ad illum annum [b] Tomo ſecundo probavimus. Seriùs vixit Geneſius, qui Lugdunenſem Pontificatum ante annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum non obtinuit. Seriùs quoque vixit Leidradus, qui Geneſium ipſum in literis ad Carolum jam Imperatorem poſt annum Redemptoris octingenteſimum exaratis laudavit. Ergo Privilegium, quod à Gregorio Magno ſibi collatum ſervarunt hactenus Auguſtodunenſes Epiſcopi, Barbarenſibus Abbatibus haud confirmavit Geneſius Lugdunenſis Metropolitanus eodem Gregorio recentior, haud confirmarunt poſteriores Metropolitæ Lugdunenſes, haud confirmavit Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus nono ſeculo, licèt periodo proximè recitatæ hæc confirmationis verba ſubjunxerit. *Nos ſimiliter poſteris illorum*, Barbarenſium videlicet Abbatum, *hanc poteſtatem tradidimus.* Porrò, ſi Privilegium quod à Gregorio Magno Syagrius Auguſtodunenſis Epiſcopus obtinuit, attentè legeris, advertes nihil illi commune cum literis Leidradi. Gregorius Magnus Indictione ſecundâ, ſive anno Redemptoris undeſexcenteſimo, Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo, qui Pallium poſtularat, ita reſcripſit [c]. *Secundùm poſtulationis tuæ deſiderium, Pallii te uſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantùm Miſſarum ſolennia celebranda, Deo auctore, prævidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum eſſe decrevimus, ſi priùs per Synodi definitionem emendare promiſeris, quæ corrigenda mandavimus, quia dignum profectò eſſe credimus, ut cum mentis gravitate, quâ Deo te propitio pollere didicimus, habitûs quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret, præſertim cùm te non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiviſſe. Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, ut Metropolita ſuo per omnia loco & honore ſervato, Eccleſia Civitatis Auguſtodunæ, cui Omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum ac ordinem ex noſtræ auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros verò Epiſcopos, ſecundùm ordinationis ſuæ tempus, ſive ad conſidendum in Concilio, ſive ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua adtendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogativam ordinum vendicare, quia omnino rationis ordo nos admonet, ut cum uſu Pallii aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri Privilegia debeamus.* An ex illo Privilegio, quod Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-nonum jam recitavimus, aliquid juris Auguſtodunenſi Epiſcopo acquiritur in Eccleſiam Lugdunenſem Sede vacante, cùm in eo nulla prorſus mentio fiat de vacante Sede Lugdunenſi? Totum Privilegium in hoc conſiſtit, ut Metropolitæ Lugdunenſi ſuo jure & honore in omnibus ſer-

[a] Lib. 3. cc. 12, 18.

[b] Num.

[c] Lib. 7. ep. 114. Ind. 8.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

vato, Epiſcopus Auguſtodunenſis inter comprovinciales ſeu ſuffraganeos Epiſcopos primus habeatur, primus in Conciliis ſedeat, primus ſubſcribat, primum ubique locum teneat, licèt ordinatione ſit poſtremus, ceteri verò provinciæ Lugdunenſis Epiſcopi, nempe Matiſconenſis, Cabilonenſis & Lingonenſis, ubique tempus ſuæ ordinationis obſervent. Hæc plurimùm differunt ab hodierno Privilegio, quo gaudet Auguſtodunenſis Epiſcopus, cùm Metropolitana Sedes Lugdunenſis vacat. Differunt quoque plurimùm à Privilegio, quod Abbati Barbarenſi ejúſque ſucceſſoribus conceſſit, aut potiùs anteceſſorum exemplo ductus confirmavit Leidradus. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio, menſe Martio, deceſſit Alfonſus Ludovicus *du Pleſſis de Richelieu*, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ac nuperrimus Lugdunenſis Archiepiſcopus; tunc Auguſtodunenſis Epiſcopus erat Ludovicus *Doni d'Attichi*; hic *pro jure ſuo Epiſcopis Æduenſibus* ſive Auguſtodunenſibus *à priſcis temporibus attributo*, ut Sammarthani Tomo ſecundo [a] Galliæ Chriſtianæ ſcribunt, *adminiſtravit Archiepiſcopatum Lugdunenſem tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus vacante Sede, ac Lugduni in feriis Pentecoſtes ſacros generales Ordines in Eccleſia Cæleſtinorum ad flumen Ararim celebravit, Ædémque Minimorum in colle Martyrum ſitam ritu Pontificio conſecravit; porrò cùm lis mota eſſet occaſione Diplomatis Ludovici* XIV, *quo præficiebat Oeconomum regimini fructuum dicti Archiepiſcopatûs, in præjudicium juris Epiſcopi Æduenſis, Curia Pariſienſis ejuſmodi literas, de partium ipſiuſque Regis Cognitoris conſenſu, reſcidit, vetuítque ne quis in poſterum illis utatur, Senatuſconſulto dato 17. Julii 1654.* Hoc eſt jus Auguſtodunenſis Epiſcopi. Similiter autem Lugdunenſis Archiepiſcopus Auguſtodunenſem Epiſcopatum tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus adminiſtrat vacante Sede. Exemplum haud altè repetitum iidem Auctores ibidem [b] ſic exhibent. *Petrus Saulnier* Auguſtodunenſis Epiſcopus *obiit 24 Decembris 1616. à cujus morte Sedem vacantem plures annos rexit jure Regaliæ Dionyſius Simon de Marquemont Archiepiſcopus Lugdunenſis, Vicario Generali conſtituto Nicolao Janino Abbate Benigniano.* Juris iſtius mutui, quod Auguſtodunenſi Epiſcopo in Archiepiſcopatum Lugdunenſem vacante Sede, ac viciſſim Lugdunenſi Metropolitæ in Auguſtodunenſem Epiſcopatum vacante quoque Sede competit, nullum eſt veſtigium in epiſtola Gregorii Magni ſuperiùs deſcripta, nec tale quid inter Archiepiſcopos Lugdunenſes & Abbates Barbarenſes olim ſancitum ex Leidradi literis innoteſcit. Ante Leidradi tempora multi floruerunt Abbates Barbarenſes, iíque pietate ſimul ac eruditione conſpicui; maximam apud Lugdunenſes Archiepiſcopos exiſtimationem ſibi comparárunt; idcóque poteſtatem ab illis acceperunt ligandi atque ſolvendi, necnon & inquirendi de fide; poſitíque ſunt tanquam ſpeculatores, qui per omnem Diœceſim diligenter inſpicerent viderentque, ne pullularent in ea hæreſes aut aliquid detrimenti pateretur Orthodoxa Religio. Quid mirum, ſi vacante Lugdunenſi Sede functi ſunt iiſdem muneribus? textus enim Leidradi nihil aliud innuit.

[a] In Epiſc. Æduenſ. 83.

[b] In Epiſc. Æduenſ. 81.

XXIV. Denique Leidradus in fine literarum teſtatur ſibi etiam curæ eſſe, ut Abbas & Monachi Barbarenſes omnia bona cùm acquiſita tum acquirenda quietè poſſideant. *Juſſimus*, inquit, *fieri Decreta priorum Regum Franciæ, ut, quemadmodum ipſi ſtatuerunt, monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quæ ad præſens habere videntur, vel in futuro, Deo auxiliante, acquirere poterunt, ſine ulla querimonia per ſecula poſſideant.* Huc uſque de literis Leidradi, quas Daniel Papebrochius in Antiquario Propylæo de diſcernendis Diplomatibus falſas arbitratur ob hunc Titulum, *Summo Carolo Imperatori Leydradus Epiſcopus Lugdunenſis.* Sed admodùm leve nobis hoc videtur argumentum, maximè cùm in eodem Titulo nihil extra communem uſum occurrat, excepto quòd Carolus dicitur Summus Imperator, errore fortè ducto ab initiali litera S, quæ Carolum Imperatorem Sereniſſimum æquè ac Summum ſigni-

ficabat. Porrò Titulus omni vacabit falſitatis ſuſpicione, ſi ſemel ita reſtituatur. *Sereniſſimo Imperatori Carolo Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis.* AN. CH. 807.

Hoc anno Caroli Imperatoris ſeptimo celebratum eſt Saliſburgienſe Concilium, in quo de ratione decimarum potiſſimùm diſputatum eſt, decretúmque factum de illis quadrifariam, more inſtitutóque majorum, dividendis. Actorum ſummam, ex vetuſto Codice Friſingenſis Eccleſiæ, bonâ fide, ſic deſcripſit Brunnerus [a]. *Cùm ſe congregaſſet Synodus Epiſcoporum, Abbatum, ceterorúmque Clericorum Boïariæ provinciæ ad Metropolim Salzburgenſem, & ibidem non pauca utilitatis ſuæ pertractaſſent, moverunt iidem Epiſcopi, Arno Archiepiſcopus, Atto, Adalwinus, Emricus, Hatto, quæſtiones de decima fidelium populorum, quæ affertur ad Eccleſias; lectis inde capitulis ex Canonum authoritate, quid inde agi debuiſſet, invenerunt quatuor portiones fieri, unam Epiſcopo, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam fabricis Eccleſiæ. Tum conſenſerunt ibi cuncti Abbates, qui præſentes aderant huic decreto, ſecundùm Canones, & reddiderunt portiones Epiſcoporum Epiſcopis, quæ illos contigiſſent, id eſt, Meginhart, Urolf, Johannes, Wolfdrego, Wolfganhart, Kerrich, Hepfido, & ceteri, unuſquiſque ſuo Epiſcopo, eâ ratione, ut ulteriùs exinde nulla inter illos diſcordia deinceps ſemper maneret. Act.* VII *Kal. Feb. an.* VII, *imperante Karulo Glorioſo Auguſto, poſt Conſulatum ejus.* Ex hoc textu corrige Aventinum [b], qui Synodum illam *ad ſeptimum-decimum Calendas Decembris* indictam ſcripſit, & rerum Boïacarum Scriptores Brunnero vetuſtiores in errorem vocavit. XXV. CONCILIUM SALISBURG. [a] Lib. 6. n. 4. [b] Lib. 4.

Epiſcoporum, qui Saliſburgienſi Concilio interfuerunt, jam alibi Sedes nominavimus. Arno Saliſburgienſis erat Archiepiſcopus & Bojoariæ Metropolitanus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo. Atto Friſingenſem Epiſcopatum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-tertio gubernabat. Adalwinus Epiſcopatum Reginoburgenſem adminiſtrabat ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo. In Sabionenſem Epiſcopatum Alimo ſucceſſerat Emricus ſive Heinricus, incertum quo anno; certè Pontificales Infulas ut poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum, ſic ante annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum aſſecutus videtur, quia in Actis Synodi Saliſburgienſis proximè recitatis medius recenſetur inter Adalwinum & Hattonem, quorum ille Reginoburgenſem Epiſcopatum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo, hic Patavienſem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo ſuſcepit; ordinatio igitur Emrici ſive Heinrici Sabionenſis Epiſcopi cadit in unum ex annis intermediis, qui fluxerunt ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo ad annum Chriſti ſeptuageſimum nonageſimum-octavum. Quod attinet ad Hattonem, hic ad Patavienſem Epiſcopatum promotus eſt eodem anno quo Metropolitanam dignitatem Saliſburgienſis Eccleſia recuperavit, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo. Hæc de Epiſcopis. XXVI. EPISCOPI BOJOARIÆ.

Meginhart ſeu Meginhardus ab annis circiter duodecim Tegernſeenſis erat Abbas in Epiſcopatu Friſingenſi; lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quintum [c]. Quot annos poſt Saliſburgienſe Concilium vixerit Meginhardus, manet incompertum. Ei ſucceſſerunt, Bacho, Iskerus, & Megilo, ſolis nominibus noti, nec plures illi Monaſterio præfuerunt Abbates, quandiu Bojoaria ſub Francorum poteſtate fuit. XXVII. ABBATES TEGERNSEENSES. [c] Num. 34.

Urolf ſive Urolfus poſt Wolfbertum, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo ſuperſtitem diximus, Abbas fuit Altaichii Inferioris, & ab Hundio [d] ſic commendatus invenitur. *Urolphus tempore Caroli Magni, aliàs Fulradus, ex Diplomate Caroli Magni, qui hunc Abbatem ad Concilium in Saxonia cum hominibus benè armatis & aliis neceſſariis vocat.* De illo Abbate ſermo rurſum recurret ex Carolino Diplomate, quod Gerwoldus in Additionibus ad Hundium publicavit. XXVIII. ALTAICHII INFERIORIS. [d] Tom. 2.

Digitized by Google

AN. CH. 807. XXIX. XXX.

Aliorum Abbatum Monaſteria nondum deprehendimus, Bojoariorum enim Abbatum plerique Catalogi vel omnino deſiderantur, vel mutili ſunt atque imperfecti.

Petrus Brixienſis Epiſcopus hoc anno ſacellum in Eccleſia Sancti Fauſtini nono Kalendas Maii conſecravit, ut obſervat Ughellus [a].

PETRUS EP. BRIXIENSIS.

[a] Tom. 4. in Ep. Brix. 43.

XXXI.

Apud eundem Auctorem [b] Rotaldus Veronenſis Epiſcopus, Pippini Regis opibus adjutus Eccleſiam ac Cœnobium Sancti Zenonis reparat, ejúſque corpus in novam Baſilicam ex antiquo Oratorio transfert hoc anno, duodecimo Kalendas Junii, hujúſque reædificationis ac renovationis necnon beneficii per Pippinum ac Rotaldum collati ſic meminit Ludovicus Pius in ſuo Diplomate. *Rotaldus Venerabilis Sanctæ Eccleſiæ Veronenſis Epiſcopus unà cum Auſterberto Abbate Monaſterii S. Zenonis detulit nobis, inter ceteras auctoritates Domini & genitoris noſtri Caroli Piiſſimi Auguſti vel prædeceſſorum noſtrorum Regum, quoddam Præceptum de genitore noſtro confirmatum, in quo exaratum reperimus, qualiter dilectiſſimus germanus noſter Pipinus quondam Glorioſus Rex, unà cum memorato Præſule Monaſterii Sancti Zenonis Confeſſoris Chriſti, quod eſt conſtitutum in ſuburbio prædictæ civitatis, propter divinum amorem & reverentiam præfati Patroni reædificaſſent atque renovaſſent, & quod olim ab infidelibus hominibus exuſtum fuiſſet, & ab omnibus rebus ſibi olim collatis penè privatum. Nam neque Monachi ibidem conſiſtere quibant; qui horas Canonicas & Divinas perſolverent laudes, niſi Epiſcopus de prædicta civitate Sacerdotes illuc mitteret, non erat, qui ibidem, ut dignum erat, divinum celebraret officium. Unde illi pro animarum ſuarum emolumento quaſdam res, quibus Monachi & pauperes Chriſti ſubſidia neceſſaria futuris temporibus habere quiviſſent, ad memoratum locum delegare* &c.

REPARAT COENOBIUM S. ZENONIS.

[b] Tom. 5. in Ep. Veron. 44.

ROTALDUS EP. VERONENSIS

XXXII.

Monaſterium Sanctæ Fuſcæ, quod prope Tarviſium Gerardus Comes anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo condiderat, Albegunda ejuſdem Comitis relicta multis poſſeſſionibus locupletavit *triceſimo-quarto anno Imperii Caroli*, id eſt, anno Caroli regnantis in Italia triteſimo-quarto, ſive anno Redemptoris octingenteſimo ſeptimo. Albegunda, quicquid habere viſa eſt, prædicto Monaſterio tradere ſtuduit, ibique cum ſuo conjuge ſepulta requieſcit. Lege eundem Ughellum [c].

ALBEGUNDA MUNIFICA ERGA MON. S. FUSCÆ.

[c] Tom. 5. in Ep. Tarviſ. 10.

XXXIII.

Utrùm hoc anno, an priore, vel aliquot annis citiùs deceſſerit Gerochus Eyſtettenſis Epiſcopus, inquiremus ad obitum Aganni proximi ſucceſſoris. Vitam hoc anno terminavit Waldo Baſileenſis Epiſcopus, eique ſubrogatus eſt Hyto ſive Hetto ab anno priore jam Abbas Augienſis. Hic *præfuit Epiſcopatui ſexdecim annis, Abbatiæ ſeptemdecim*, ut ex Bruſchio ad annum ſuperiorem jam notavimus.

EPISCOPI EYSTETTENSES. BASILEENSES.

XXXIV.

Obiit & hoc eodem anno, quinto Kalendas Septembris, Harmokarus Epiſcopus Ultrajectinus, qui teſte Wilhelmo Hedâ ſedit annos ſeptemdecim. Datus ei ſucceſſor Rixfridus.

ULTRAJECTINI.

XXXV.

In Annalibus Sylvanectenſibus vitam quoque claudit hoc anno Reginaldus Sylvanectenſis Epiſcopus. Pontificatum tenuit annis octodecim. Succeſſorem nactus eſt Ermenonem ſive Herminium. Tomo primo [d] ex iiſdem Annalibus Sanctum Levangium aſſeruimus *ſeptimo Idus Octobris*, id eſt, die Octobris nono, coli. Sed in illis Annalibus, loco diei 9 qui per incuriam cuſus fuit, reponi debet dies 19. Per literas, ut errorem corrigeremus, amicè nos monuit Dominus *Deſlyons* Sylvanectenſis Eccleſiæ Decanus, adjectâ, quâ non opus erat, duorum Kalendariorum, Sylvanectenſis videlicet ac Trecenſis, auctoritate.

SYLVANECTENSES.

[d] Ad an. 513. n. 3.

XXXVI.

Si Chronologiam Carnotenſium Epiſcoporum benè aſſecuti ſumus, luctuoſus etiam Carnotenſibus fuit hic annus, quo mortem Godoſaldi Carnotenſis Epiſcopi ſubrogationémque Hieronymi conſignandam putamus.

CARNOTENSES.

XXXVII.

Hoc eodem anno migravit ad Deum Sanctus Swibertus primus Verdenſis Epiſcopus. Colitur pridie Kalendas Maii. De proximis ſucceſſoribus non

VERDENSES.

Digitized by Google

non levis oboritur difficultas. In vulgatis Indicibus ſequuntur, Patto, Tanco, Nortyla, Cevilo, Cortyla, Iſingerus, Harruchus, Heligandus, quorum poſtremus unà cum Willerico Bremenſi Epiſcopo conſecrationi Anſcharii Hamburgenſis Archiepiſcopi ſub Ludovico Pio præſens interfuit. Anſcharius, ut docet Rembertus in ejus vita, conſtitutus eſt Archiepiſcopus adſtantibus plurimis Archiepiſcopis, *aſſiſtentibus quoque & conſentientibus ac pariter conſecrantibus Helingando & Willerico Epiſcopis*. Quæritur unde contigerit, ut quo tempore Bremenſis Eccleſia ſecundum Epiſcopum adhuc numerabat Willericum, Verdenſis nonum jam Heligandum numerarit, maximè cùm in nulla Saxoniæ Diœceſi numerus Epiſcoporum adeò tunc auctus inveniatur. Albertus Krantzius [a] id factum putat, quòd, etiam poſt Witekindi Baptiſmum & ordinatas in Saxonia Diœceſes, *recruduit frequenter, abſente Rege Carolo, Saxonum ſævitia, ut igne & gladio ſævirent non tam in ſuos provinciales (quos tantoperè odiſſe non poterant, quòd inviti viderentur Francorum jugum ſubiiſſe) quàm in exteros divini verbi prædicatores, quos illi malorum appellabant incentores, adhuc non videntes quid bonorum eis inferret ſacrum Chriſti Evangelium*. Et inferiùs [b]. *Hoc quomodo & unde factum ſit, nihil invenitur, niſi, quod jam ſæpè diximus, Saxonum dura pectora non facilè poterant aut citò permoliri, ſæpius recrudeſcentia, & crebris motibus exagitata, quando Ludovicus Imperator rebus gravibus implicitus huic regioni minùs intenderet. Erat autem hæc Eccleſia in medio multorum hoſtium poſita, ut crebrior illi tumultuatio quàm aliis proveniret. Nam ab Oriente Wandali infeſtavere, necdum Chriſto creduli; à Meridie Saxones, necdum in fide ſatis ſolidati; ab Aquilone Dani, Normanni, qui illâ tempeſtate cœperant infeſtare Saxoniam, donec ab Ludovico Rege Imperatoris filio comprimerentur*. Malumus ire in Henſchenii ſententiam, qui quos Verdenſes Epiſcopos in vulgari Nomenclatura reperit, duas diviſit in claſſes, alios enim Verdenſes Epiſcopos, alios Amarbaricenſes Abbates dixit. Amarbaricum, ut idem Auctor ſcribit, miræ celebritatis in Orientali Saxonia Monaſterium, intra limites Verdenſis Epiſcopatus, & fortè, non procul ab urbe conſtructum fuit Swiberto tunc Epiſcopo, idque pro Monachis Scotis ſub primo eorum Abbate Patrone, quemadmodum plurima tunc alia Monachorum Scotorum Cœnobia, ſub Regula & forma Hyenſium, fuerunt per Germaniam conſtituta, quæ partim ſuperſunt adhuc, & quidem nonnulla nomen Scotorum etiamnum retinent, partim funditus interierunt, atque in horum numero ponitur Amarbaricum, quod à Nortmannis exciſum creditur. Illi Monaſterio ſucceſſivè hi præfuerunt Abbates, Patto, Tanco, Nortyla, Cevilo, Cortyla, & Harruchus, nec potior eorum numerus ad excurſiones uſque Nortmannorum requiritur. In Verdenſi verò Cathedra hi ſederunt Epiſcopi, Swibertus, Tanco, Iſengerus, & Heligandus. Eccleſiam Verdenſem Swibertus rexit annos unum ac viginti, pauciores Amarbaricum Patto, cui primùm in munus Abbatiale, deinde Swiberto in Epiſcopalem etiam dignitatem ſucceſſit Tanco. Cur prædicti cùm Abbates Amarbaricenſes, tum Epiſcopi Verdenſes, iiſdem Verdenſium Epiſcoporum Catalogis inſerti fuerint, duplex ratio poteſt afferri. Prima, quòd multi Nomenclatores Sanctum Swibertum primum Eccleſiæ Verdenſis Epiſcopum perperam confundant cum Sancto Swiberto Friſonum & Boructuariorum Apoſtolo, qui vitam mortalem clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, & apud Cæſaris-Werdam ad Rhenum in Archiepiſcopatu Colonienſi ſepulturam accepit. Altera, quòd in eadem tumba repertæ ſunt Reliquiæ cùm Abbatum Amarbaricenſium tum Verdenſium Epiſcoporum quos ad Helingandum uſque recenſuimus. At duo diſtinguendi ſunt Swiberti, nec prænominatorum ſive Abbatum ſive Epiſcoporum, poſtquàm rebus humanis erepti ſunt, in arcam communem illatæ ſunt ſtatim Reliquiæ. Sanctus Patto, qui primus obiit, apud Henſchenium habetur inter Sanctos, quorum memoria tertio Kalendas Aprilis recolitur. In Chronico Verdenſi manuſcripto, quod ab eodem Henſche-

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

[a] Lib. 1. Metrop. c. 22.

[b] Ibid. c. 23.

ABBATES AMARBARICENSES.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

nio in Sancti Pattonis elogio commendatur, hæc leguntur de Sancto Swiberto. *Anno Incarnationis Domini* DCCLXXXVI *fundata est & instituta Sedes Cathedralis hujus Ecclesiæ Verdensis à Glorioso D. Carolo Magno, anno Regni sui* XIX, *præsidente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Adriano Papâ I, Moguntinæ Ecclesiæ Lullone, & subdita est civitas & commissa beato viro Sviberto hujus loci primo Episcopo..... Præfuit Sedi Verdensi viginti & uno annis. Cœlitum auxit numerum anno* DCCCVII. Hæc noſtram Chronologiam confirmant. Inter Officia propria Sanctorum Eccleſiæ ac Diœceſis Oſnaburgenſis, quæ vulgata ſunt anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo, cùm Oſnaburgi Reliquiæ Sanctorum, Swiberti, Pattonis, Tanconis, Nortylæ, Cevilonis, Cortylæ, Harruchi, & Erlulphi Martyris, in eadem tumba cuſtodiebantur, pridie Kalendas Maii, quo die feſtum Sancti Swiberti celebratur, in quarta lectione ad Matutinum hæc habentur de Sanctis Swiberto & Tancone. *Svibertus plenus dierum tandem migravit ad Dominum, relinquens ſuum Collegam Sanctum Tanconem in Sede Epiſcopali ſucceſſorem.* Sanctus Tanco decimo-quarto Kalendas Martias ab Henſchenio memoratur. Fuit Amarbaticenſis Abbas, antequàm ad Epiſcopatum Verdenſem aſſumeretur, ideóque cùm Verdæ jam Sanctus haberetur, ejus Dalmaticam Amarbaricenſes Monachi ſtudioſiùs inter Reliquias aſſervarunt. Illum aliquando Henſchenius anno Redemptoris octingenteſimo vel etiam citiùs obiiſſe ſcripſit [a]. At Epiſcopatum ante annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum non iniit, quo tempore Præfecturam Amarbaricenſis Monaſterii ceſſit Nortylæ. De utriuſque ſucceſſoribus agemus infrà.

[a] Ad d. 16. Febr.

XXXVIII. CAROLUS AUG. EDIT CAPITULARE AQUISGRAN.

Apud Jacobum Sirmondum in elencho Capitularium, quæ Carolus publicis in Conventibus poſt annum Redemptoris octingenteſimum, ſive poſt aſſumptum Imperatoris nomen, edidit, ex Metenſi Codice ad hunc annum Imperii ſeptimum illa referuntur. *Anno* VII *in Aquis Palatio Capitula* VII. *Memoratorium &c.* Hoc Memoratorium *in anno ſeptimo ad Aquis Palatium* tum & in ſeptem Capitula diſtributum ex eodem Sancti Vincentii Metenſis Codice nobis à Stephano Baluzio communicatum eſt cum illo Titulo. *Memoratorium, qualiter ordinavimus, propter famis inopiam, ut de ultra Sequanam omnes exercitare debeant.* Imperator maximam hujus anni partem in Aquiſgranenſi Palatio tranſegit, Capitulare videtur ibi priùs promulgaſſe, quàm Ingelheimium adierit, omnes enim, quos in armis adeſſe voluit, ut *mediante menſe Auguſto ad Rhenum* jam congregati eſſent, præcepit Capitulo tertio. Singula nunc accipe Capitula.

XXXIX. *I. In primis quicunque beneficia habere videntur, omnes in hoſtem veniant.*

XL. *II. Quicunque liber manſos quinque de proprietate habere videtur, ſimiliter in hoſtem veniat. Et qui quatuor manſos habet, ſimiliter faciat. Qui tres habere videtur, ſimiliter agat. Ubicunque autem inventi fuerint duo, quorum unuſquiſque duos manſos habere videtur, unus alium præparare faciat, & qui meliùs ex ipſis potuerit, in hoſtem veniat. Et ubi inventi fuerint duo, quorum unus habeat duos manſos, & alter habeat unum manſum, ſimiliter ſe ſociare faciant, & unus alterum præparet, & qui meliùs potuerit, in hoſtem veniat. Ubicunque autem tres inventi fuerint, quorum unuſquiſque manſum unum habeat, duo tertium præparare faciant, ex quibus qui meliùs poteſt, in hoſtem veniat. Illi verò, qui dimidios manſos habent, quinque ſextum præparare faciant. Et qui ſic pauper inventus fuerit, qui nec mancipia nec propriam poſſeſſionem terrarum habeat, tamen in pretio valente quinque ſolidos, quinque ſextum præparent; & ubi duo, tertium, de illis qui parvulas poſſeſſiones de terra habere videntur. Et unicuique ex ipſis qui in hoſte pergunt, fiant conjectati ſolidi quinque à ſuprafcriptis paupertioribus, qui nullam poſſeſſionem habere videntur in terra. Et pro hac conſideratione nullus ſuum ſeniorem dimittat.*

XLI. *III. Omnes itaque fideles noſtri Capitanei cum eorum hominibus, & carra ſive dona quantùm meliùs præparare potuerint, ad condictum Placitum veniant. Et*

unuſquiſque Miſſorum noſtrorum per ſingula Miniſteria conſiderare faciat unum de Vaſſallis noſtris, & præcipiat de verbo noſtro, ut cum illa minore manu & carra de ſingulis Comitatibus veniant, & eos poſt nos pacificè adducat, ita ut nihil exinde remaneat, & mediante menſe Auguſto ad Rhenum ſint. Hæc autem conſtituta, volumus, ut obſervent omnes generaliter, præſenti anno, qui ultra Sequanam commanere videntur. Hoc Capitulum executioni mandatum non arbitramur, Imperator enim, ut ex Chronico Moiſſiacenſi jam dictum eſt, *illum annum ſine hoſte fecit*, quieſcentibus certè provinciis adrhenanis ac Germanicis, dum Græci cum Pippino Italiæ Rege paciſcebantur inducias, & à Ludovico Aquitaniæ Rege Saraceni Barcinone rurſus expellebantur.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. R.R. 27. CAROLI R. 19.

IV. Volumus atque jubemus, ut Comites propter venationem & alia joca Placita ſua non dimittant, nec ea minuta faciant, ſed ad exemplum, quod nos cum illis placitare ſolemus, ſic & illi cum ſuis ſubjectis placitent, & juſtitias faciant, & de ſingulis Capitulis, quæ eis præcepimus, per ſemetipſos conſiderare ſtudeant, ut nihil prætermittatur ab eis, quæ vel infra patriam vel foras patriam in hoſte faciendum injungimus. XLII.

V. Si partibus Hiſpaniæ ſive Avaratiæ ſolatium fuerit neceſſe præbendi, tunc de Saxonibus quinque ſextum præparare faciant. Et ſi partibus Beheim fuerit neceſſe ſolatium ferre, duo tertium præparent. Si verò circa Sorabis patria deferenda neceſſitas fuerit, tunc omnes generaliter veniant. Hoc anno bellum nec in Hunia nec in Behemannia geſtum eſt, ſed in Hiſpania támque feliciter ut Ludovicus Aquitaniæ Rex Barcinonem poſt diuturnam obſidionem Saracenis eripuerit. XLIII.

VI. De Freſonibus volumus ut Comites & Vaſſalli noſtri, qui beneficia habere videntur, & Caballarii, omnes generaliter ad Placitum noſtrum veniant benè præparati. Reliqui verò pauperiores, ſex ſeptimum præparare faciant, & ſic ad conditum Placitum benè præparati hoſtiliter veniant. XLIV.

*VII. Volumus itaque atque præcipimus, ut Miſſi noſtri per ſingulos pagos prævidere ſtudeant omnia beneficia, quæ noſtri & aliorum homines habere videntur, quomodo reſtaurata ſint poſt annuntiationem noſtram, ſive deſtructa. Primùm de Eccleſiis, quomodo ſtructa aut deſtructa ſint in tectis, in maceriis, ſive parietibus, ſive in pavimentis, necnon in pictura, etiam & in luminariis, ſive officiis. Similiter & alia beneficia, caſas cum omnibus appendiciis earum, & laboratu ſive adquiſitu, vel etiam quid unuſquiſque, poſtquàm hoc facere prohibuimus, in ſuum alodem ex ipſo beneficio duxit, vel quid ibidem exinde operatus eſt. Qualiter autem ſit hoc, unuſquiſque Vicarius ſingulis Comitatibus in ſuo Miniſterio ſimul cum noſtris Miſſis prævideat, & ſicut ipſe hoc conjurare * valeat, totum invenerit, in brevem mittat, & ipſos breves nobis deferant. Et omnes hii, qui ipſa beneficia habent, unà cum Miſſis noſtris veniant, ut ſcire poſſimus qui ſint, aut qui ſuum beneficium habeat condrictum aut deſtructum. Similiter & illorum alodes prævideant, utrùm meliùs ſint conſtructi ipſi alodi, aut illud beneficium, quia auditum habemus, quòd aliqui homines illorum beneficia habent deſerta, & alodes eorum reſtauratos.* XLV.

* locus corruptus.

Hoc anno Leo Pontifex apud Carolum per literas [a] queſtus eſt, quòd ab ejus Miſſis, qui juſtitiam facturi credebantur, damnum potiùs accepiſſet. *Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Carolo Auguſto, Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad hoc Omnipotens & inviſibilis Deus noſter veſtram à Deo protectam Imperialem potentiam ſanctæ ſuæ Eccleſiæ fecit eſſe cuſtodem, ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ veſtræ vigilantior exiſteret, & quos conſilio exteriùs regitis, perire interiùs non permittatis, quatenus per fructum piæ ſollicitudinis veſtræ ad æterna, quæ Sanctis ſuis daturus eſt, gaudia pertingere mereamini, atque ex bonorum veſtrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis. Miſimus itaque præſentes Oratores noſtros, Joannem videlicet Reverendiſſimum Epiſcopum & Baſilium Religioſum Hegumenum, viſitationis causâ, ad veſtram Imperialem Clementiam, cum benedictione Beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri. Sed* XLVI.

[a] Ep. 12. Tom. 7. Conc. EPISTOLAS ACCIPIT A LEONE PP. QUERENTE DE JUSTITIIS PER EJUS MISSOS NON FACTIS.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

petimus Serenitatem veſtram, ne injurioſum ducatis, quòd non aliquid dignum munificentiæ veſtræ vobis dirigere valuimus. Verumtamen de Beati Petri rebus, quamvis parvæ ſunt quæ offeruntur, pro magna ſemper benedictione ſuſcipiendæ ſunt, quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud Omnipotentem Deum beneficia æterna præſentare. Dum enim in hominibus poſt Deum & Sanctos ſuos non niſi in veſtram Imperialem potentiam fiduciam habemus, juſtum proſpeximus, ut & gaudium noſtrum, & angustias, quas aſſiduè patimur, veſtris priùs intimaremus auribus, ut oblationem, quam veſtri dulciſſimi parentes & vos ipſi Beato Petro obtuliſtis, accepta atque ſecura ſit in conſpectu ejus, quatenus ab ipſo clavigero Regni cælorum, qui vos in ſuis utilitatibus defenſores conſtituit, dignam retributionem percipere mereamini, & veſtra opinatiſſima Imperialis munificentia in univerſo fideli populo laudabiliter diffametur, & nos pro cauſa negligentiæ ante tribunal Dei cum ipſo domino & nutritio noſtro Beato Petro Apoſtolo in judicio minimè provocemur, pro eo quòd oppreſſiones populi Dei veſtræ non nunciaverimus Clementiæ. Miſit igitur pia Serenitas veſtra Miſſos ſuos, ut juſtitiam nobis facere debuiſſent, ſed magis damnum quàm profectum nobis fecerunt. Verumtamen Miſſos veſtros, qui ad nos venerunt, interrogare dignemini, & ipſi vivâ voce inſinuare poſſunt ea, quæ in noſtris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed & præſens Joannes Epiſcopus Miſſus noſter per ſingula veſtræ poteſt innoteſcere Imperiali potentiæ, quia omnia, quicquid per veſtrum pium ac legale judicium de cauſa videlicet Palatii Ravennatis recollectamus, unde & juſſiſtis, ut nullus quilibet homo impoſterum conquaſſare aut in judicio promovere præſumeret, tam de vulgaria, quàm etiam de manſis, quos per veſtrum diſpoſitum Herminus fidelis veſter nobis reconſignavit, omnia cum caſis, vineis, ſeu laboribus atque peculiis abſtulerunt, & nihil exinde nobis remanſit. Quamobrem quæſumus veſtram Imperialem Clementiam, ut ſic de veſtra à Deo accepta Donatione, quam prædicto Dei Apoſtolo obtuliſtis, peragere debeatis, quatenus in nulla minuatur parte, ſed maximè per veſtrum laborioſum certamen firma atque ſtabilis & inconcuſſa perennis temporibus perſiſtere valeat, & nos, licèt impares, tantùm Deo miſerante vicem ejuſdem diſcipuli tenentes, ſecuriter ac patienter Dei Omnipotentis poſſimus exorare Clementiam, ut veſtrum robuſtiſſimum brachium fortiter contra inimicos Sanctæ Dei Eccleſiæ extendat, & omnes barbaras nationes pede fortitudinis opprimatis. Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat. Joannes Epiſcopus, quem Leo Pontifex ad Carolum direxit, non alius nobis videtur à Joanne, qui Portuenſem Epiſcopatum illis temporibus geſſit [a].

[a] Ughell. Tom. 1. Ital. Sacr. in Ep. Port. 11.

XLVII. Alias quoque poſt prædictorum Legatorum reditum literas [b] ad Carolum ſcripſit Leo, quarum lectione diſces non defuiſſe malignos homines, qui ſemina rixarum inter utrumque ſpargere conarentur. *Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Triumphatori, filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Remeantes ad nos fideliſſimi Miſſi noſtri, quos ad veſtram Imperialem potentiam direximus, retulerunt nobis de veſtra benigniſſima bonitate, quam erga Beatum Petrum Apoſtolum & ejus Vicarium geritis ex intimo cordis amore. Intereà obtulerunt nobis honorabiles veſtras epiſtolas & capitularem. Quòd verò capitularem poſt relectionem duarum epiſtolarum reſerantes, inter cetera gaudia, quæ præfatæ epiſtolæ cordi noſtro effuderunt, ſic primum capitulum ejuſdem capitularis cor noſtrum relevavit, ut cum Propheta dicere cœpimus, [Domine, ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die quâ invocaverimus te.] Cúmque per ordinem ad ſextum conjungeremus capitulum, quantùm gaudium & lætitiam prædictæ epiſtolæ atque cetera capitula nobis ingeſſerunt, tantùm mœrore & triſtitiâ poſtmodum ſumus repleti. Continebatur enim in ipſo præfato ſexto capitulo, quòd Miſſos invenire non valetis, qui nobis placeant: de qua re valdè triſtatur veſtra Serenitas, & nullus de ipſis, qui jam ad nos fuit directus, per ſuam voluntatem amplius Miſſus erit, excepto quòd obedientiam veſtram voluntariè unuſquiſque adimplere cupit, & non ſolum*

[b] Ep. 3.

Miſſi veſtri timent veſtram portare Legationem ad noſtram puſillitatem, verùm etiam alii jam non ſunt auſi quærere à vobis auxilium, quia nullus eſt, qui veſtram quæſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenam potuiſſet pervenire gratiam noſtram, & quia plures directos habuiſtis Miſſos fideles, ex quibus jam alii mortui ſunt, & ipſi blaſphemati fuere, & de ipſis qui vivunt nullus jam ſine blaſphemio eſſe videtur. Unde nobis, fili dulciſſime, quid aliud agendum eſt, niſi preces pro his, qui talia verba mentiti ſunt, ad Dominum fundamus? ſicut ſcriptum eſt, [orate pro inimicis veſtris.] Credat enim nobis veſtra Serenitas, quia ea, quæ ad animæ veſtræ ſalutem cognoverimus, nullo modo tacemus; &, ſi antè tacuimus, nunc autem non ceſſamus, ſive de bonis ſive de malis, veſtræ intimare potentiæ. Nam qui per mendacium & malas machinationes vult filium ſeparare à matre, judicium habebit cum ipſo clavigero Regni cælorum Beato Petro Apoſtolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretioſius eſt quam animæ veſtræ ſalus. Sed quia omnia, quæ de veſtra proſperitate atque exaltatione in corde noſtro gerimus, per ſingula exarare non valemus, ſic nobis Omnipotens Deus retribuat, ſicut de veſtro honore & ſoſpitate cupimus. Verumtamen cùm multo amore multâque fide erga vos conſtringimur, tacere nullo modo poſſumus, ut vos ipſi pro anima veſtra vigiletis, ſcientes quia iſta miſera & caduca vita in modicum exterminatur & finem habet, & omnes rationem reddituri ſunt Domino de vaniloquiis. Igitur hominibus non citiùs credatis ante ſatisfactionem. Sed tamen ſi nos benè ſuſcepimus, & benè honoravimus pro veſtro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos ſatisfaciat, ut in cauſis Beati Petri Apoſtoli ampliùs & ampliùs decertetis, &, ſi non vobis nunciaverint quomodo eos honorificè ſuſcepimus, quid aliud dicamus niſi ut Deus illis indulgeat? Verumtamen ſi prope fuiſſemus, adjuvante Dei Omnipotentis miſericordiâ vos habuiſſetis mendacium & veritatem diſcernere, quia talem vobis à Deo datam eſſe ſapientiam credimus, ut tale improperium atque confuſionem non habuiſſemus in faciem noſtram. Recordari credimus veſtram Serenitatem, quia vicibus nobis miſiſtis, quòd neminem de nobis malè loqui permitteretis, neque locum illi tribueretis. Sed quid igitur reſtat? niſi ut inter tantas accuſationes, quæ de nobis & fidelibus noſtris, qui aliquod profectum Sanctæ noſtræ Eccleſiæ faciebant, vobis dictæ ſunt, cum lacrymis gratias agam Deo Omnipotenti. Nam de illo amore, quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos ſeparare poteſt, niſi ſola mors, quandoque nobis obvenerit. Sed quid tantum faſtidium facimus auribus veſtris? Certiſſimè in quantùm nobis Deus largiri dignatus eſt, ſic in noſtro ſenſu cogitamus, quòd nullus de anteceſſoribus noſtris partibus iſtis cum tanto amore ſervierit, quantùm nos ſervivimus. Sed noſtrum ſervitium, ut videmus, nemini acceptum fuit. De autem accuſatoribus Miſſorum veſtrorum, de quibus nobis emiſiſtis, ut aut in noſtram aut in veſtram præſentiam ad diſcutiendum veniant, ſi placet pietati veſtræ, Miſſum veſtrum dirigite abſque illis, qui omnia liquidiùs inquirat, & veſtræ Imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid aut quomodo iſtis in partibus egerint, qualem profectum exinde Sancta Dei Eccleſia mater veſtra habeat. Verumtamen omnia in veſtro committimus ſagaciſſimo arbitrio. His prætermiſſis, Omnipotens & miſericors Deus, per interceſſionem Sanctæ ſuæ Genitricis Mariæ Dominæ noſtræ, & Beatorum Principum Apoſtolorum Petri ac Pauli, tale cordi veſtro ſalubre conſilium inſpiret, ut oblatio, quam dulciſſimus Genitor veſter Pippinus Rex Beato Petro Apoſtolo obtulit, & vos confirmaſtis, ipſe claviger Regni cæleſtis ante conſpectum Dei cum ipſa Donatione vobis præſentetur, quatenus gaudia æterna percipere mereamini. Piiſſimum Domini Imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eíque omnium gentium colla ſubſternat.

AN. CH. 807. CAROLI IMP. 7. PIPPINI LUDOV. RR. 27. CAROLI R. 19.

XLVIII. S. SAVINI MON. COMMITTITUR BENEDICTO ANIANENSI.

Ardo in vita Benedicti Anianenſis à Menatenſi Monaſterio, de quo locuti ſumus ante biennium, ſermonem transfert ad Cœnobium Sancti Savini ſic. *Aliud demùm illi,* nempe Benedicto, *Monaſterium Glorioſiſſimus Rex* Ludovicus *dedit, ubi, ut reor, viginti Monachos miſit, Abbatémque illis conſtituit. Situm verò eſt Monaſterium illud in territorio Pictavenſi, & dedicatum in honorem Sancti Savini, in quo poſiti fratres, dum in piis ſtudiis vigilant deſudánt-*

AN. CH. 807. *que, turba Monachorum non parva eis adjungitur.* Stat etiamnum illud Monaſterium ad Vartimpam * fluvium in Epiſcopatu Pictavienſi. Conſtructum fuit jubente Carolo, & Ludovico juſſionem patris per Aquitaniam exequente.

* *la Gartempe.*

XLIX. Hoc anno Carolus Auguſtus, ut ex prædictis liquet, Drogonem filium ex Regina conjuge ſuſcepit.

AN. CH 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

ANNUS

CHRISTI		808.		
CAROLI	IMP.	8.		
	REG.	40.	37.	35.
PIPPINI II.	REG.	28.	3.	
LUDOVICI	REG.	28.	3.	
CAROLI	REG.	20.	3.	
INDICTIO		1.		

I. LUDOVICUS PATRE APUD AQUISGRANUM SALUTATO REDIT IN AQUITANIAM.

ANNO Redemptoris octingenteſimo octavo, *Rege Ludowico in Aquitania hybernum agente tempus, pater Rex eum mandavit venire ad ſuum colloquium Aquiſgrani, in Purificatione Sanctæ Mariæ Genitricis Dei. Cui occurrens, & quouſque placuit cum eo commorans, Quadrageſimæ tempore rediit.* Hæc coætaneus Aſtronomus in vita Ludovici. In vulgatis editionibus ad illius textûs oram poſitus invenitur annus Redemptoris octingenteſimus quintus, at ex animadverſione, quæ ſuperioribus annis facta eſt, octingenteſimus octavus reponi debet. Hoc eodem anno, inquit Annaliſta Loiſelianus, *hyems molliſſima ac peſtilens fuit, verèque inchoante Imperator Noviomagum profectus, tranſacto ibi Quadrageſimali jejunio, celebrato etiam Sancto Paſchâ* decimo-ſexto Kalendas Maias, *iterum Aquis regreſſus eſt.*

II. EARDULFUS NORDANHUMBRORUM R. A SUIS PULSUS IN FRANCIAM FUGIT.

[a] Tom. 7. Concil. ep. 10.

Intereà Rex Nordanhumbrorum de Brittannia Inſula nomine Eardulfus Regno & patriâ pulſus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto adventûs ſui negocio Romam proficiſcitur. Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Leo Pontifex in literis [a] ad Carolum addit multa, quæ ſilentio prætermitti non debent. Audito Nordanhumbriæ tumultu, ſtatim Adulphus Diaconus illuc à Leone directus eſt, iter habuit per Gallias, à Carolo benignè ſuſceptus eſt, præparatiſque navigiis in Britanniam dimiſſus; interpoſitis Leonis & Caroli nominibus, ut authores ſeditionis Eardulfum in Franciam ſanum abire ſinerent, feliciter obtinuit. At cùm Romam rediret, atque in Galliis jam eſſet, ſéque profecturum ad Imperatorem palàm diceret, Caroli nuncio, à quo perducendus ad Comitatum erat, non expectato, repentè contendit in Italiam. Illuc quoque Legatus Eanbaldi Eboracenſis Archiepiſcopi perrexit Carolo inſalutato, ad quem ſatis eſſe duxit commendatitias ipſius Eanbaldi literas miſiſſe. De utroque Legato graviſſimè queſtus eſt apud Pontificem Imperator, ratus eos fraudulentâ fungi Legatione, quam nollent ſibi notam facere, tantâque feſtinatione proficiſci Romam, ut Eardulfi Regis iter prævenire poſſent. Legatos tanquam rudes atque expertes urbanitatis aulicæ, quibus potuit artibus, excuſavit Leo, remiſitque ad eundem Carolum cum literis, quarum fragmentum accipe. *Miſit nobis veſtra Serenitas, eò quòd Adulphus Diaconus, Miſſus noſtræ Apoſtolicæ Sedis, cùm à vobis*

*more ſolito benignè ac honorificè ſuſceptus eſſet, & uſque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commodè abſolutus, & cùm reverteretur, ad vos primùm ſe velle profiteretur, noluit Miſſum veſtrum expectare, qui eum uſque ad vos deduceret, ſed arrepto itinere quaſi fugiens, cùm vos illum per dies aliquot expectaretis, ad vos venturum ſperantes, ſpem veſtram deluſit. Et quòd Miſſus Eanbaldi Archiepiſcopi, ipſe literas ſuas ad vos miſit, petens ut prædictum Legatum ejus ad vos venientem benignè ſuſciperetis, & eum ad vos venire permitteretis, ſed neque ille ſecundùm Domini ſui præceptum peragere ſtuduit. Quamobrem credat nobis veſtra Serenitas, cariſſime ac dulciſſime fili, quia per nullum inimicum quodlibet conſilium hoc facere perpeſſi ſunt, ſed ignorationes ſeculi hujus ſolertiæ hanc ſtolidam * occurſionem perfecerunt. Nos verò Apoſtolicâ ſuffulti auctoritate, ſecundùm veſtram voluntatem, veſtræ Imperiali Potentiæ eos dirigere non omittimus. Sed precamur Clementiam veſtram, ut pro amore Beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri, in cujus ſervitio prædictum Adulphum Diaconum emiſimus, immo etiam in ipſum quod nobis ſub jurejurando pollicitus eſt, ut ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ & veſtrum atque noſtrum decertare debuiſſet, & pacem in ipſa Inſula ſeminare ſtuduiſſet, iterum ipſis in partibus remittamus, nullam pro hoc ſuſtineat tribulationem.* Et inferiùs. *De eo autem quòd nobis emiſit veſtra Serenitas fraudulentam eos habere Legationem, quam vobis oſtendere timuerunt, & quia propter hoc tam feſtinanter profecti ſunt, ut Ardulphi Regis iter Romam prævenire potuiſſent, omnes epiſtolas, quæ de partibus illis nobis perlatæ ſunt, pro veſtra ſatisfactione vobis emiſimus legendas. Prædictum verò Miſſum Eanbaldi Archiepiſcopi in quantùm Deo auſpice agnoſcere valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Unde obnixè quæſumus veſtram Imperialem Potentiam, ut pro eo quòd ad fautorem veſtrum Beatum Petrum Apoſtolum directus eſt, meliùs illi ſit & non deteriùs, ſicut modis omnibus eſſe credimus, quamquam ignoranter fefellit. Quia valdè pertimeſcimus, ne ipſe populus acquiſitionis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per quamlibet occaſionem, & certamen prædeceſſoris mei Domni Gregorii Beatiſſimi Papæ, quod ipſis in partibus poſuit, meis temporibus infructuoſum exiſtere videatur, nec mihi in judicio eveniat. Quid plura dicimus? Sicut per eorum ſtultitiam cognovimus in aliquod veſtrum furorem, ita per infuſionem Sancti Spiritûs velociùs à vobis veſtram ſentiamus miſericordiam.* Et paulò pòſt. *Prædictæ verò epiſtolæ, quæ de Saxoniæ* tranſmarinæ ſeu Britannicæ *partibus nobis miſſæ ſunt, magnoperè precamur Clementiam veſtram, ut eas nobis remittere jubeatis, quia eorum verba pro pignore retinemus.*

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. R. 28. CAROLI R. 20.

* *ſolidam*

Prædictæ Leonis literæ reperiuntur datæ *prid. Kalend. Januar.* id eſt, ultimo hujus annis die. Aliæ [a] præceſſerunt, in quibus Pontifex iterum queſtus eſt de Miſſis Caroli, qui Ravennam ad juſtitiam faciendam directi damnum fecerunt; deinde multa, quæ pertinent ad hunc eundem annum, de Eardulphi Regis adventu in Galliam, de Cenulpho Rege, & Eanbaldo Eboracenſi Archiepiſcopo commemoravit. *Poſt Deum*, inquit, *& Sanctos ſuos nullum conſolatorem habemus, niſi ſolam veſtram à Deo protectam Imperialem Potentiam, unde ſemper expectamus defenſionem & conſolationem. Relectis namque veſtris Imperialibus ſyllabis reperimus in eis, quatenus Helmengaudus Comes veſter noſtérque fidelis omnia, quicquid à nobis audivit, vobis per ſingula nunciavit. Sed ſi omnia, quæ quotidie patimur, vobis inſinuaſſet, tam ipſe, quàm etiam ceteri Miſſi veſtri, qui iſtis partibus veniunt, faſtidium auribus veſtris credimus facere. Neſcimus enim, ſi veſtra fuit demandatio, quòd Miſſi veſtri, qui venerant ad juſtitiam faciendam, detulerunt ſecum homines plures, & per ſingulas civitates conſtituerunt. Quia omnia, ſecundùm quòd ſolebat Dux, qui à nobis erat conſtitutus, per diſtractionem cauſarum tollere, & nobis more ſolito annuè tribuere, ipſi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipſo populo, unde ipſi Duces minimè poſſunt ſuffragium nobis planiſſimè præſentare. Sed valdè nobis gravis eſſe videtur, ſi vobis faſtidium facimus, confidimus enim in Dei miſericordia, quia in veſtris temporibus Sancta Dei Eccleſia*

III.

[a] Ep. 7.

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

tranquilla atque pacifica perſiſtere habebat. De autem omnibus bonis & proſperis, quæ circa Miſſum noſtrum, quem in partibus Britanniæ ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore Beati Petri Apoſtoli fautoris veſtri operati eſtis, ſicut ſolita eſt veſtra Clementia, magnas gratias veſtræ Pietati exinde agimus, quia ſemper in ſolatio Sanctæ Dei Eccleſiæ & adjutorio Orthodoxæ fidei decertatis. Sed ſicut nobis per veſtram honorabilem epiſtolam inſinuaſtis, quòd Eardulphus Rex de Regno ſuo ejectus fuiſſet, jam hoc per Saxones, id eſt, per Saxones tranſmarinos ſeu Britannicos, *agnoveramus, unde maximè ipſum Miſſum noſtrum pro ipſa nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde noſtro aſcendit pro eo quòd veſtra Pietas miſit Miſſos ſuos, & vivum cum ad vos uſque perduxiſtis. Et valdè de vita ejus delector, quia & veſter ſemper fidelis extitit, & ad nos Miſſos ſuos dirigebat. Pro qua re veſtra Imperialis defenſio ubique reſonat. De verò epiſtolis, quibus vobis Eanbaldus Archiepiſcopus & Cenulfus Rex atque Wado emiſerunt, relegentes reperimus eorum doloſitatem, quam inter ſe habent. Unde valdè contriſtamur, quia ipſe prædictus Cenulfus Rex nec*

* *idem*

ſuum Archiepiſcopum pacificum habet, nec iſtum Eanbaldum item * *Archiepiſcopum. Nam & de eorum diviſione quotidie in confeſſione Beati Petri Apoſtoli, licèt velut immeriti, preces fundimus, ut eos Omnipotens Deus pacificet, & diſcordiam, quam inter ſe habent, abſolvat. Et ſicut cæpit veſtra Serenitas in ipſam*

* *decertare*

partem nobiſcum decertare *, *ſic inceſſanter elaborare dignemini quatenus veſtra merces copioſa accreſcat in cælis. Miſiſtis ſiquidem nobis, ut noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis adhortatoriam epiſtolam ſæpefato Eanbaldo Archiepiſcopo per idoneum Miſſum noſtrum mitteremus, ut ad hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem cum ſuis conſentaneis venire debuiſſet, aut in veſtra præſentia rationes deducendum. Nos verò ſtatim ipſam epiſtolam dictavimus, & vobis emiſimus. Sed ſi placet Serenitati veſtræ, quòd ipſam noſtram epiſtolam per idoneum Miſſum ipſis in partibus ad Miſſum, quem itidem direximus, miſiſſetis, ut unà cum ipſo prædicto Miſſo noſtro ipſum Archiepiſcopum adhortaſſet, quatenus aut hîc in noſtra præſentia, aut ibidem in veſtra unà cum ſociis ſuis conjunxiſſet, valdè nobis rectè viſum fuiſſet, quia Miſſum noſtrum nondum ſuſcepimus, & ipſi homines doloſi ſunt, ut ne Miſſos ſuper Miſſos ſuſcipientes in doloſitate eveniant. Verumtamen nos Miſſum noſtrum præparamus, donec ſecundùm veſtrum Placitum demandetis, & ſi placet Imperiali Potentiæ, ut Miſſum noſtrum ibidem dirigamus, vos nobis per veſtram inſinuatio-*

* *jubeamini*

nem ſignificare videamini *, *& nos ſtatim Miſſum noſtrum dirigemus ſecundùm veſtram voluntatem.* Illis literis hoc ſubjungitur embolum. *Pro tanto amore tantâque dilectione atque fide, quam erga veſtram Serenitatem gerimus, ea quæ agnoſcere valemus, ſilere non poſſumus. Eſſe verò Epiſcopus ſerviens veſter aliud ſervitium vobis facere poteſt. Nam Miſſaticum per patrias deportare non nobis videtur quòd idoneus ſit, neque ad ſecretum conſilium provocandus. Sed rogamus veſtram Clementiam, ut de hac re clementer conſiderare debeatis, quia nos omnes in veſtro ſervitio ſalvi exiſtere cupimus. De autem Sacerdotalibus cauſis, unde nobis ad detrimentum venire ſperamus, quæ nos non ſic poſſumus emendare, vobis inſinuamus, ut interrogetis Helmengaudum & Hunfridum fideles veſtros, quando à nobis abſoluti ſunt, & in Ravenna conjunxerunt, & ab Archiepiſcopo ad prandium invitati ſunt, id eſt, Dominico die ad Palmas, quales lectiones & quales admonitiones ante ipſam menſam recitatas audierint, ſicut decet in ſancto Quadrageſimali tempore, quando omnes de ſuis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed & ea, quæ ibidem audierunt, nobis turpitudo eſt vobis in ſcriptis inſinuare.*

IV. Jeſſe, cujus mentio fit in embolo proximè citato, Epiſcopus eſt Ambianenſis, de quo ſæpè jam locuti ſumus loquemúrque. Non videtur apud Leonem in magna fuiſſe exiſtimatione. Utrùm anno ſequenti directus ad eum Romam fuerit, examinabimus ſuo loco. Eardulfus ſive Ardulphus, qui nominatur in utriſque literis, Rex eſt Nordanhumbrorum. Apud hos anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto, ut ad illum annum [a] ex Simeo-

[a] Num. 176.

ne Dunelmenſi Præcentore, ex Rogero *de Hoveden*, & ex Henrico Huntindonienſi probavimus, regnare cœpit, & prout in Abbreviatione libro quarto Hiſtoriarum Henrici Huntindonienſis ſubjecta legitur, *regnavit 12 annis, & à ſuis fugatus eſt à Regno ſuo*, hoc utique anno, qui duodecimus poſt ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum numeratur. Hunc eundem annum diſertis verbis notat Matthæus Weſtmonaſterienſis. *Anno gratiæ* DCCCVIII. *Eardulfo Northanhumbrorum Rege à Regno fugato*, &c. Eanbaldus, qui in utriſque etiam literis memoratur, Archiepiſcopus eſt Eboracenſis, hujus nominis ſecundus, cujus meminit Nicolaus Harpsfeldius partim ad octavum ſeculum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ capite viceſimo-ſecundo, partim ad nonum ſeculum capite decimo-quarto. Cenulfus ſeu Cœnulfus vel Kenulfus, de quo Pontifex queritur in literis poſteriùs allegatis, Rex eſt Merciorum, de quo conſule, ſi lubet, Willielmum Malmeſburienſem in Geſtis [a] Regum Anglorum. Regnum eodem ſuſcepit anno, quo mortuus eſt Offa, nam qui medius inter utrumque recenſetur in Regum Catalogo Rex Egfertus, is quatuor duntaxat menſes regnavit. Offa vitam terminavit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto. Id probatum Tomo ſuperiore. Ceterùm Offæ filia fuit Edburga, de qua ſic Harpsfeldius ad nonum ſeculum [b] ſcribit. *Fuit hoc ſeculo Edburga, Offæ Regis filia & Monacha, ſed non melior Monacha quàm priùs fuit Regina. Uxor fuit Brithrici Regis Weſtſaxonum, quæ Proceres, quos oderat, veneno clàm tollere ſolebat. Ex quo & maritus, licèt alii parato, interiit. Pulſa itaque à comprovincialibus fugit in Galliam, ubi & Cœnobio Sanctimonialium beneficio Caroli Magni præfecta, poſteáque à ſervo compreſſa, inde extruſa eſt.*

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

[a] Lib. 1. c. 4.

[b] Cap. 13.

V.

LUDOVICUS BELLUM IN HISPANIA CONTRA SARACENOS GERIT.

Bellum, quod hoc anno Ludovicus Rex adverſùs Saracenos in Hiſpania geſſit, in illius vita ſic deſcribit Aſtronomus jam laudatus. *Succedente æſtate, cum quanto viſum eſt ei, bellico apparatu in Hiſpaniam proficiſcitur, profectúſque per Barcinonam*, quam ſuperiore anno ſubegerat, *& veniens Tarraconam, quos ibidem repperit cepit, alios fugavit, univerſáque loca, caſtella, municipia, uſque Tortoſam vis militaris excidit, & flamma vorax conſumpſit. Interèa in loco, cujus vocabulum eſt Sanctæ Columbæ, diviſit copias ſuas in duo; quammaximam quidem partem ſecum contra Tortoſam ducens; porrò Iſembardum, Hademarum, Beram, Burrellum cum reliquis expeditiſſimè ad ſuperiora dirigens, ut Hibero flumine tranſito, dum hoſtes in ſedibus ſecuri reſiderent, ab iſtis inſidiis ex improviſo eos aggrederentur, aut certè turbatâ regione in pavorem ſolverentur. Igitur Rege Tortoſam tendente, memorati viri tamdiu ſuperiores in Hiberi partes noctibus euntes, diebus ſylvarum luſtra ſectantes, obambulaverunt, uſquequò Cingam & Hiberum natando pariter tranſierunt. In quo itinere ſex dies tranſigentes ſeptimâ tranſmearunt. Qui ubi omnes incolumes evaſerunt, terram hoſtium latiſſimè vaſtaverunt, & uſque villam eorum maximam, quæ Villa Rubea vocatur, pervenerunt. Unde nimis magnam prædam ſuſtulerunt, utpote improviſis hoſtibus, & nihil tale unquam ſuſpicantibus. Quibus geſtis, iis, qui evadere potuerunt, hanc plagam longè latéque nuntiantibus, collecta eſt Sarracenorum Maurorúmque multitudo non minima, & eis obvia conſtitit ad oſtium vallis, quæ dicitur Vallis Ibana. Cujus vallis natura eſt, ut ipſa in profundo jacens hinc inde præruptis atque altis cingatur montibus. Quam niſi Dei proviſio intrare prohibuiſſet, noſtri abſque ullo penè hoſtium labore lapidum ictibus poterant interire, vel in manus inimicorum devenire. At dum illi viam præſtruunt, noſtri autem aliorſum viam apertiorem planioremque petunt, reputantes Mauri hæc noſtros non ob ſui tantùm cuſtodiam, ſed metu potiùs eorum facere, à tergo eos inſequuntur. Porrò autem noſtri prædam retrò relinquentes, facies hoſtibus nudaverunt, acriter reſtiterunt, Chriſtóque juvante ipſos terga vertere compulerunt. Quos autem apprehenderunt, necaverunt, & læti ad prædam quam reliquerant redierunt, ac tandem poſt dies viginti ſuæ digreſſionis, ad Regem alacres panciſſimis ſuorum amiſſis redierunt, Rex autem Lewicus ſuos latanter recepit, & terrâ hoſtili uſquequaque vaſtatâ domum rediit.*

AN. CH. 808. VI.

In hoc textu non memoratur Willelmus Comes, qui ſuperiore anno *primus ſignifer* in caſtris erat Ludovici, cùm Franci Barcinonem obſidione cingebant. Nullum quoque deinceps locum inter exercituum Regiorum Duces apud eundem Auctorem alióſve ſibi vendicabit. Idcóque pium ejus è ſeculo ſeceſſum hoc anno conſignandum putamus. Chronologia igitur, quà ſpectat ad Willelmum Comitem, ſic eſt inſtituenda. Willelmus anno Redemptoris octingenteſimo ſeptimo, cùm ſecularem militiam adhuc profiteretur, obſidioni Barcinonis incubuit. Ineunte anno Redemptoris octingenteſimo octavo Carolum Imperatorem Aquiſgrani tunc morantem adiit in comitatu Ludovici Regis, ab eo poſtulavit impetravítque licentiam in Monaſterium ſecedendi, reverſúſque in Septimaniam, quod optabat, in feſto Principum Apoſtolorum adimplevit. Ab Ardone in vita Sancti Benedicti Anianenſis Abbatis ita commendatur. *Guillelmus Comes, qui in aula Imperatoris præ cunctis erat clarior, tanto dilectionis affectu Beato Benedicto deinceps adhæſit, ut ſeculi dignitatibus deſpectis hunc ducem viæ ſalutaris eligeret, quâ pertingere poſſet ad Chriſtum, acceptâque tandem convertendi licentiâ magnis cum muneribus auri argentíque ac pretioſarum veſtium ſpeciebus ſubſequitur venerabilem virum. Nec moram in deponendo comam fieri paſſus eſt, quin potiùs die Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, auro textis depoſitis veſtibus, Chriſticolarum induit habitum, ſeſéque Cælicolarum adſciſci numero congaudet. Vallis verò à Beati viri Benedicti Monaſterio fermè quatuor diſtat millibus, cui nomen eſt Gellonis, in qua conſtruere præfatus Comes in dignitate adhuc ſeculi poſitus Cellam juſſerat, illic ſe vitæ ſuæ tempore Chriſto tradidit ſerviturum. Et, quoniam nobilibus natalibus ortus, nobiliorem ſe fieri Chriſti amplectendo pauperiem ſtuduit, & ſummum, quem jam animo perceperat, pro Chriſto abjecit honorem, gratum * puto, ſi de piis converſationibus ejus actibus vel neſcientibus pandam. Etenim in Cellam præfatam Venerabilis Pater Benedictus ſuos jam poſuerat Monachos, quorum exemplo imbutus, infra paucos dies, eos, à quibus edoctus eſt, virtutibus antecellit. Adjuvantibus quoque eum filiis, quos ſuis Comitatibus præfecerat, Comitibúſque vicinis, ad perfectum fabricam Monaſterii, quam cœperat, citò deduxit.*

WILLELMUS EX COMITE FIT MONACHUS GELLONENSIS.

* . Ratum

VII.

De primordiis Cellæ Gellonenſis, quæ poſteà crevit in amplum Monaſterium, egimus ad annum Redemptoris octingenteſimum quartum [a], quo literas fundationis datas oſtendimus ſublatis Chronologicorum Characterum nævis. De ſitu & nomine illius Cœnobii, déque Nebridio Lodovenſium Epiſcopo tunc exiſtente nihil hîc repetemus. Duæ Willelmo fuerunt uxores, Gunegundis & Guitburgis; liberi quatuor, Bernardus, Guitearius, Gotſelinus, & Herimbrua; hos Guitburge matre natos exiſtimamus, quoniam Bernardus, qui natu maximus erat, uxorem non duxit ante annum Ludovici Auguſti decimum, ſeriúſque repetiit Comitatum Toloſæ, quo Berengarius poſt Willelmum gaviſus eſt. Ideóque eget interpretatione Ardo, cùm Gellonenſis Monaſterii fabricam à Willelmo citiſſimè perfectam aſſerit, *adjuvantibus eum filiis, quos ſuis Comitatibus præfecerat.* Ex illis enim Comitatibus excipi debet Toloſanus, cui poſt ſpontaneam Willelmi abdicationem præpoſitus fuit Berengarius.

[a] Nn. 104. & ſeqq.

EJUS UXORES, ET LIBERI;

VIII.

Qualem autem ſe Monachum præbuerit Willelmus, audi ex Ardone jam laudato. *Veſtes ſacras perplurimas dedit, Calices argenteos & Offertoria præparavit, libros ſecum perplures attulit, Altaria auro argentóque veſtivit. In hanc nempe ingreſſus Cellam totum ſe dedicavit Chriſto, nihil mundanæ pompæ relinquens veſtigii. Tantæ autem deinceps humilitatis fuit, ut rarus aut nullus ex Monachis ita flecti poſſet, dum obviare contingeret, ut ab eo humilitate non vinceretur. Vidimus ſæpè eum cadentem aſinum ſuum, flaſconem vini in ſtratorio deferre, eúmque ſuper inſidentem calicem in terga humeris vehentem noſtri Monaſterii fratribus tempore meſſis ad refocillandam ſitim eorum occurrere. In vigiliis quoque ita pervigil erat ut vinceret cunctos. In piſtrino, niſi occupatio ali-*

VIRTUTES.

qua præpediret, aut ægritudo tardaret, propriis operabatur manibus. Coquinam vice ſuâ complebat. In habitu ſummæ humilitatis aſſumpſerat formam. Jejunii amator extitit, orationibus inſtans, compunctioni continuus; víxque Corpus Chriſti poterat percipere, priuſquàm lacrymarum ejus in terram decurrerent gutta. Lectuli quoque duritiem avidè expetebat, ſed propter ejus invaletudinem Benedictus Pater culcitram, eo nolente licèt, ſubſterni fecit. Aiunt nonnulli, ſe quia ſæpè pro Chriſti amore flagellis cædi, nullo alio præter eum qui aderat conſcio, juſſit. Mediis ferè noctibus glacialibus prorſus rigoribus, uno perrarò tectus tegmine, ſæpè in Oratorio, quod in honorem Sancti Michaelis conſtruxerat, ſoli Deo notus vacans orationibus ſtabat. His aliiſque virtutum fructibus intra exiguos ſtipatus annos, imminere ſibi diem mortis cognoſcens cunctis Monaſteriis in Regno Domini Caroli penè ſitis per ſcripturam notum fieri juſſit, ſe ab hoc jam ſeculo migraſſe, ſícque deinceps copiam virtutum reportans, Chriſto vocante, migravit.

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

IX. Ardonem legerat Ordericus, ut ex utriuſque ſcriptis ſimul collatis liquet. Hic tamen libro ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſub initium refert haud pauca, quæ deſiderantur in Ardone. Nonnulla jam expendimus ſuprà, quæ Willelmo nondum Monacho conveniebant; hîc autem ſuperſunt examinanda, quæcumque pertinent ad ejus Monachatum.

X. *A Carolo accitus Franciam expetiit, & honorificè ſuſceptus, ſe Monachum fieri velle denudavit. Rex illi cum multis fletibus conceſſit, & de theſauris ſuis quicquid vellet ad Eccleſiam ſuam deferri juſſit. Guillelmus autem omnes terrenas opes reſpuit, ſed Phylacterium quoddam Sanctæ Crucis lignum continens requiſivit & obtinuit.* Lege quæ illo de Phylacterio ad annum Redemptoris octingenteſimum [a] dicta ſunt. *Auditâ mutatione Guillelmi tota domus Regia conſurgit, omniſque civitas ſubitò ruit. Adeſt magna Procerum frequentia, & plorans intrat cum violentia, & Guillelmo, ne deſerat eos, ſupplicat cum lugubri querimonia. Ille verò Dei igne fervens omnia reliquit, & cum ingenti honore deductus omnibus valefecit, demùmque ab exercitu Francorum cum lacrymis ſuſpirante diſceſſit. Ad Brivatenſem vicum perveniens, arma ſua ad Altare Sancti Juliani Martyris offert, galeam & ſpectabilem clypeum in Templo ad tumulum Martyris; foris verò ad oſtium pharetram & arcum, ingens telum & verſatilem gladium Deo præſentat. Deinde peregrinus Chriſti per Aquitaniam ad Monaſterium properat, quod ipſe paulò antè in eremo conſtruxerat. Nudis pedibus appropinquat Monaſterio, ad carnem indutus cilicio. Audito ejus adventu, venitur ei obviam procul in bivio, & valdè contradicenti feſtiva ſit à fratribus proceſſio. Ibi tunc offert Phylacterium omni auro pretioſius cum calicibus aureis & argenteis, & aliis multis ornamentis multimodis, factâque petitione mundum cum ſuis omnibus reliquit pompis & lenociniis. Igitur anno ab Incarnatione Domini* DCCCVI, *Imperii Caroli quinto, in Natale Apoſtolorum Petri & Pauli, Guillelmus Comes Monachus factus eſt, ſubitóque immutatus in Chriſto Jeſu & alteratus eſt.* Ludovicus Rex Aquiſgranum ineunte hoc anno juſſu Caroli patris Auguſti venit, ut in ejus vita teſtatur Aſtronomus ſuprà citatus. Willelmum illuc quoque vocatum, atque in ipſius Ludovici comitatu fuiſſe credimus. Exercitum, cui valedixit, copias interpretamur, quibus Carolus Rex Ludovici frater hoc eodem anno præfuit, ut mox dicturi ſumus. Ordericus annum notavit ab Incarnatione Domini DCCCVI. Ideóque Catellus & Bollandus annum Chriſti ſimiliter octingenteſimum ſextum aſſignarunt, ille in Hiſtoria [b] Comitum Toloſanorum, hic in notis ad vitam Sancti Benedicti [c] Anianenſis Abbatis. At manifeſtus eſt error in Orderico, quia quintum annum Imperii Carolini cum anno ab Incarnatione Domini DCCCVI componit, nec illi Characteres ſimul quadrare poſſunt, niſi computationem quæ ſumitur ab Incarnatione Domini, diſtinguas ab ea quæ petitur ab illius Nativitate, ſed hac diſtinctione non uſus eſt Ordericus, cui annus ab Incarnatione Domini idem ac ab illius Nativitate ſemper fuit, ut ſexcentis locis ex adjecta Indictionis nota liquet. Inſtar omnium hoc eſto exemplum, quod eodem libro ſexto habetur.

[a] Num. 19.

[b] Lib. 1. c. 6.

[c] D. 12. Febr.

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

Anno Incarnationis Domini MLXXIX. *Indictione* II. &c. In præcitato igitur textu, ſi retinetur annus ab Incarnatione Domini DCCCVI, reſtituendus eſt annus Imperii Carolini ſextus; & vice versâ ſi ſervatur annus Imperii Carolini quintus, reponendus eſt annus ab Incarnatione Domini DCCCV. Porrò neuter horum annorum numerabatur, cùm Willelmus Monachum induit. Seriùs hæc mutatio contigit. Willelmus enim anno Redemptoris octingenteſimo ſeptimo Barcinonem obſedit, nec habitum ſecularem ante annum Redemptoris octingenteſimum octavum depoſuit. Textus igitur Orderici ſic emendandus. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCVIII. *Imperii Caroli octavo, in Natale Apoſtolorum Petri & Pauli, Guillelmus Comes Monachus factus eſt.*

XI. *Proficiebat quotidie in omni Sanctitate & Religione, & in omni Sanctæ Regulæ obſervatione, ſicut aurum in camino mirabili coctione. Monaſterium, quod ante Monachatum ex toto non perfecerat, adjuvantibus filiis ſuis Bernardo & Guillelmo, quos Comitatibus ſuis præfecerat, Comitibúſque vicinis, perfecit ut cœperat. Difficilem viam ad jam dictum Monaſterium pro aſperitate montium direxit, rupem cum malleis & ſecuribus variiſque ferramentorum generibus argumentosè incidit, jactatóque de lapidibus fundamento, ſecus flumen Araris viam altiùs ſuſtulit, & monti conjunxit.* Locus hic Orderici corruptus, lege *ſecus flumen Araurarıs.* Monaſterium enim Gellonenſe non eſt vicinum Arari *, qui fluvius eſt Burgundiæ, & ad muros Lugdunenſes in dexteram Rhodani ripam egeritur, ſed Araurari * qui fluvius eſt Galliæ Narbonenſis, & in mare prope Agatham * influit.

* *la Saone.*

* *l'Eraud.*

* *Agde.*

XII. Ordericus duos tantùm Willelmi filios nominat, Bernardum videlicet & Guillelmum. In Charta Monaſterii Gellonenſis nulla Guillelmi fit mentio, niſi Guillelmus ſit qui corruptè *Guitearius*, at in eadem Charta tertius eſt Gotſelinus, de quo fuſiùs, cùm ſermonem de corpore Sancti Antonii in Galliam tranſlato faciemus. Alia ſequuntur apud Ordericum, quæ, quoniam ab Ardone perſtringuuntur, hìc lubenter omittimus.

XIII. Imperator nullum per ſe bellum geſſit hoc anno, geſſit autem per tres filios in totidem provinciis valdè diſſitis; in Hiſpania, per Ludovicum, ut dictum ſuprà; in Italia per Pippinum; in Germania tranſalbiana per Carolum.

XIV. GRÆCI FUGANTUR. Res Italicas paucis veteres complectuntur Annaliſtæ. Cùm tempus induciarum exiiſſet, menſe videlicet Auguſto, Paulus Præfectus Nicetæ loco miſſus eſt à Nicephoro Auguſto cum claſſe, de qua ſic Annaliſta Loiſelianus. *Claſſis à Conſtantinopoli miſſa primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit; cúmque ibi hyemaret, pars ejus Comiaclum Inſulam acceſſit, commiſſóque prælio contra præſidium, quod in ea diſpoſitum erat, victa atque fugata Venetiam receſſit.* Decus victoriæ Veneti Scriptores ad Paulum trahere fruſtrà conantur. Quæ ſecuta ſunt, annis ſequentibus narrabuntur.

XV. Res Germanicas pluribus proſequitur Annaliſta Loiſelianus, cui ceteri ſuffragantur. *Imperator, quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abodritos cum exercitu trajeciſſe, Karolum filium ſuum ad Albiam cum valida Francorum atque Saxonum manu miſit, jubens veſano Regi reſiſtere, Saxoniæ terminos aggredi temptanti. Sed ille ſtativis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclavorum caſtellis, cum magno copiarum ſuarum detrimento reverſus eſt. Nam licèt Draſoconem Ducem Abodritorum fidei popularium diffidentem loco pepuliſſet, Godelaibum alium Ducem dolo captum patibulo ſuſpendiſſet, Abodritorum duas partes ſibi vectigales feciſſet, optimos tamen militum ſuorum & manu promptiſſimos amiſit, & cum eis filium fratris ſui, nomine Reginaldum, qui in oppugnatione cujuſdam caſtri cum plurimis Danorum Primoribus interfectus eſt. Filius autem Imperatoris Dominus Karolus Albiam ponte junxit, & exercitum, cui præerat, in Linones & Smeldingos, qui ad Godefridum Regem defecerunt, quantâ potuit celeritate tranſpoſuit, populatiſque circumquaque eorum*

DANI REPELLUNTUR A CAROLO R.

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

agris, tranſito iterum flumine, cum exercitu incolumi in Saxoniam ſe recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclavi, qui dicuntur Wilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere ſolebant, ſponte ſe copiis ejus conjunxerant, ipſóque in Regnum ſuum revertente, cum præda, quam in Abodritis capere potuerunt, & ipſi domum regreſſi ſunt. Godefridus verò, priuſquàm reverteretur, deſtructo emporio, quod in Oceani littore conſtitutum lingua Danorum Reric dicebatur, & magnam Regno illius commoditatem, vectigalium perſolutione, præſtabat; tranſlatiſque inde negociatoribus, ſolutâ claſſe ad portum, qui Lieſtrop dicitur, cum univerſo exercitu venit, ubi per aliquot dies moratus limitem Regni ſui, qui Saxoniam reſpicit, vallo muniens conſtituit, eo modo ut ab Orientali maris ſinu, quem illi Oſtarſalz dicunt, uſque ad Occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis Aquilonalem ripam munimento valli prætexeret, unâ tantùm portâ dimiſſâ, per quam carra & equites emitti & recipi potuiſſent. Diviſo itaque opere inter Duces copiarum, domum reverſus eſt.

XVI. ERIGITUR EPISCOPATUS MANTUANUS.

Hoc anno erectus eſt Epiſcopatus Mantuanus. Iſtius erectionis cauſam ante quadriennium declaravimus [a]. Cùm Leo Papa Mantuam Epiſcopali dignitate adaugere conſtituiſſet, *juſſit Gregorium Romanum ſubire onus, atque Aquileienſi* ſeu Forojulienſi *Patriarchæ ſubeſſe anno 808. eundémque quampluribus exornavit Privilegiis, ſicut & Carolus Magnus.* Hæc Ughellus [b] in eodem Gregorio. Qui Carolum, ut Chriſti ſanguinem adoraret, Mantuam conceſſiſſe volunt, gratis id aſſerunt, apud veteres enim Annaliſtas Carolus poſt annum Redemptoris octingenteſimum quartum, quo theſaurus tam inſignis repertus eſt, in Italiam profectus non legitur.

[a] Adan. 804. n. 75.

[b] Tom. 1. Ital. Sacr.

XVII. CAROLUS AUG. MUNIFICUS ERGA ECCLESIAM PLACENTINAM.

Inter Acta vetera, quæ Petrus Maria *Campi* Canonicus Placentinus primæ parti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Placentinæ ſubjecit, extat Carolinum Diploma, datum Aquiſgrani, ſeptimo Kalendas Junias, Indictione primâ, hoc anno, Caroli Imperatoris octavo, Regis in Francia quadrageſimo, in Italia triceſimoquarto. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Karolus Excellentiſſimus Auguſtus, à Domino coronatus, Magnus & Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Omnibus igitur nobilibus Catholicis noſtro in Regno conſiſtentibus, tam de Sacerdotali ordine quàm & laicali, ſcire volumus, quoniam nihil aliud, ut ait Apoſtolus, in hunc mundum intulimus, nec quicquam ex eo nobiſcum auferre poterimus, niſi quod ob animæ ſalutem locis Sanctorum devotè Domino offerentes impertiri videmur, & hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Idcircò cognoſcat Magnitudo ſeu Utilitas omnium fidelium Dei noſtrorúmque, ſcilicet præſentium & futurorum, qualiter Vir Venerabilis Julianus Sanctæ Placentinæ Urbis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honore Sanctorum Antonini, & Victoris, necnon & Juſtinæ Virginis, noſtram deprecatus eſt Clementiam, petens, ut ob amorem Dei & animæ noſtræ ſalutem, omnem Judiciariam, vel omne teloneum de curte jam dictæ Eccleſiæ, nuncupante Guſiano, cum ſuis adjacentiis, quæ ſita eſt in montaneis Placentinis per fines ſubtus denominatas, tam de arimannis, quàm & de aliis liberis hominibus per memoratas fines vel infrà conſiſtentibus, omnia, quæ à publico exigebantur, pro mercedis noſtræ augmento * in ipſa Eccleſia Sanctorum prædictorum concedere viſi eſſemus. Quod nos propter nomen Domini & reverentiam ipſius ſancti loci ad ipſam Eccleſiam, ſecundùm præfati Epiſcopi petitionem, ſicut à publico hactenus exigebantur; ſic promptiſſimâ devotione cum omni integritate prædictam Judiciariam, vel omne teloneum de ſupradicta curte Guſiano, vel ejus adjacentiis per has denominatas fines & cohærentias, id eſt, ex uno latere de ſumma Coſta, ubi dividitur inter Monaſterium * Tollæ & Sanctæ Eccleſiæ Placentinæ, deſcendente uſque in rivo Garli, de rivo Garli percurrente uſque in fluvio Cario, inde verò per ipſius fluvii alveum deſcendente uſque in capite ſubtus Coſta Maurenaſca, deinde aſcendente uſque in ſumma Coſta ipſius Maurenaſca, qui dividitur inter ipſam & Saderianos; inde quoque percurrente uſque in Lavegiola, ex alia verò parte de La-*

* augmentum

* Monaſterio

AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

*vegiola uſque Caſtellioni, de Caſtellioni uſque in ſumma Serra, de ſumma Serra uſque fabricio; inde enim uſque ad prædictam Coſtam, qui dicitur inter Tolla Monaſterium & prædictæ Eccleſiæ Placentinæ viſi ſumus conceſſiſſe. Quapropter per præſentem auctoritatem noſtram decernimus, quòd nos in Dei nomine perpetualiter hac noſtrâ conceſſione manſurum eſſe volumus, ut ipſam Judiciariam, vel teloneum, ut ſuprà, ex integro per ſupraſcriptas fines & infra, tam ipſe Pontifex, quàm ſucceſſores ſui habeant, teneant & poſſideant, vel quicquid exinde ad profectum Eccleſiæ ſuæ facere voluerint, ex permiſſo noſtro liberam in omnibus habeant poteſtatem, ita ut deinceps nullus Dux, Gaſtaldius, vel Actionarius, neć quilibet ex Miniſtris Reipublicæ de jam dicta Judiciaria aliquid præſumere, vel de ipſo teloneo aliquid contingere audeant, ſed per hanc noſtram auctoritatem ſub Emunitatis nomine, noſtris, Deo auxiliante, temporibus, & futuris, memoratus Vir Venerabilis Julianus Epiſcopus, ſuíque in perpetuum qui fuerint Rectores in ipſa Sancta Eccleſia, ut ſuprà diximus, valeant quieto tramite tenere & poſſidere, & pro nobis ac ſuperſtitibus * noſtris miſericordiam jugiter exorare, & ut præſens auctoritas tam præſentibus quàm futuris temporibus inviolabiliter Domino adjuvante permaneat, manibus noſtris ſubterſcribendo roborare decrevimus, & de annulo noſtro ſigillare juſſimus. Signum Domni Karoli Piiſſimi Imperatoris. Altifredus ad vicem Ercambaldi ſubſcripſi. Data ſeptimo Kalen. Junii, anno octavo, Chriſto propitio, Imperii noſtri, & XL Regni noſtri in Francia, atque XXXIIII in Italia, Indictione primâ. Actum Aquiſgrani Palatio noſtro in Dei nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate liberis hominibus accenſentur arimanni. *Tam de arimannis*, ait Carolus, *quàm & de aliis liberis hominibus*, &c. Idcircò imus in eorum opinionem, quibus ἄρης ſeu Mars videtur nomen arimanno tribuiſſe, qui vir ſit omnino Martius ſeu militaris, & à Rege vel Imperatore beneficia prædiáque poſſideat.

* ſuperſtitibus noſtri

XVIII. Hujus Diplomatis initium & finis ſeriò conſiderari debent, ut enim hujus Præcepti fidem adſtruunt, ſic & plerorumque diſcrepantium falſitatem palàm oſtendunt. Daniel Papebrochius Tomo ſecundo Aprilis Propylæum antiquarium *circa veri ac falſi diſcrimen in vetuſtis membranis* præfixit, & tres illas formulas; *in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti; in Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis*, quæ multorum Diplomatum initium faciunt, hac illuſtravit [a] obſervatione. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti ſcripta ſunt, quotquot uſpiam extant ante Carolum indubitata Diplomata & ipſius etiam Caroli. Si qua aliter inchoata oſtenduntur, fidem non faciunt, utpote aliis quoque indiciis ſuam falſitatem prodentia. Ludovicus Pius, Caroli filius, primus mihi fuiſſe videtur, qui mutatâ formulâ ſcribere cœpit, in Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicum patrem avúmque Lotharius Imperator & Ludovicus Junior ſecuti, idem uſurparunt, vel ſcripſerunt, in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni, vel ſimile quid. Aſt verò Ludovicus, Ludovici Pii filius alter, Germaniæ Rex, ejúſque frater Carolus Calvus poſteà Imperator, elegerunt, & quidem, quantùm cenſeo, primi ſcribere, in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Secutus exemplum eſt Carolus Craſſus, exindéque ea formula obtinuit adeò univerſaliter, ut etiam qui temporibus multò anterioribus ſupponenda Diplomata componere præſumebant, nihil ſe acturos plerumque crederent, niſi ſic inchoarent, neſcientes aliud aliquid in uſu unquam fuiſſe.* Ad varias ætates hæc ſpectat obſervatio. Meroveadæ nullam prædictarum formularum uſurparunt. Quæcumque reperiuntur illorum Diplomata cum ſimilibus formulis, commentitia ſunt, taliáque facilè deprehenduntur ex aliis nævis, à quibus impoſtores propter ignorantiam abſtinere non potuerunt. Diploma Clodovei Magni pro Senonenſi Monaſterio Sancti Petri rejecimus [b] cum hac formula, *in Chriſti nomine*. Diploma Dagoberti Magni pro Monaſterio Elnonenſi rejecimus [c] cum hac formula, *in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Ejuſdem Dagoberti Diploma pro Monaſterio Haſelacenſi rejecimus [d] cum hac formula, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Tri-*

[a] Part. 1. c. 2. nn. 28. 29.

[b] Ad an 564. nn. 37. 38.

[c] Ad an 639. n. 7.

[d] Ad an. 676. nn. 17. & ſeqq.

Digitized by Google

nitatis. Necnon & aliud ejuſdem Regis [a] cum eadem formula pro Monaſterio Horreenſi. His accenſe & Diploma [b] Theodorici Tertii pro Monaſterio Vedaſtino cum eadem formula, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.* Quamvis autem Meroveadarum Regum Diplomata, niſi prædictis formulis careant, ſincera non exiſtimemus, cave ne continuò genuina credas ea, quæ talibus formulis deſtituuntur, ex his enim, ut frequentiſſimè probavimus, occurrunt pleraque cùm ſpuria tum interpolata. Poſt Meroveadas primus regnavit Pippinus. Hic nullâ prædictarum Formularum in ſuis uſus eſt Diplomatibus, & Meroveadarum exemplum in conſcribendis Chartis ſecutus videtur. Ejus Præceptum [c] pro Monaſterio Epternacenſi cum hac formula, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis*, quamvis in Annalibus Trevirenſibus [d] à Chriſtophoro Browero laudetur, ſincerum haberi non poteſt, nam præter inſititiam hanc formulam notas repræſentat haud potioris auctoritatis, petitas ab Incarnatione Dominica, & ab Indictione Romana, neutrámque rectè cum anno tertio Pippini Regis componit. Idem judicium optimè feres de altero Pippini Præcepto [e] pro Eccleſia Trevirenſi cum hac formula, *in Nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, in fine enim poſt annum Pippini Regis nonum ponitur apud Kyriandrum Indictio quarta, cùm tamen nec Indictionis uſus apud Francos receptus eſſet regnante Pippino, nec Indictio quarta cum ejuſdem Pippini Regis anno nono conveniret. Qui Pippino patri ſucceſſit Carolus, is edidit Diplomata multò plura. Sæpè inſtar Meroveadarum ac Pippini patris abſtinuit à prædictis formulis, hac tamen non infrequenter uſus eſt, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Defectus igitur formulæ non infert ſuſpicionem depravationis in Carolinis Diplomatibus, eorumdémque optimum initium judicatur hæc formula, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Chartas complures utriuſque generis admiſimus. Primum genus confirmatur ex Chronico Sancti Michaelis in Diœceſi Virodunenſi, quod Tomo ſecundo veterum Analectorum nuperrimè publicatum eſt cum Carolino Diplomate abſque ulla formula. Secundi generis Præcepta protulimus, unum pro Trevirenſi Monaſterio [f] Sancti Maximini, alterum pro Eccleſia & Oſnaburgenſi, neutrum reſpuimus. Haud adeò benè ſenſimus de Chartis Carolinis, quas invenimus cum hac formula, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis*. Duas, quarum hoc erat exordium, commentitias oſtendimus; unam [h] pro Teſtamento Abbonis Patricii confirmando, alteram [i] pro Scholis Oſnaburgenſibus. Mitiorem quidem ſententiam tulimus de duabus aliis, quæ ſimilem habent formulam, emiſſæque ſunt pro Monaſterio [k] Graſſenſi & Eccleſia [l] Matiſconenſi, ſed non diſſimulavimus eas nævis eſſe depravatas. Ergo temporibus Caroli non alia in uſu fuit inchoandorum Diplomatum formula, quàm quæ Præcepto pro Eccleſia Placentina ſic hoc anno præfigitur, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Daniel Papebrochius in Propylæo jam laudato hanc adjecit adnotationem, quæ ſpectat ad finem Diplomatum à Carolo jam Auguſto editorum. *Idem*, nempe Carolus, *annos ſui Imperii numeraturus, addere cœpit*, CHRISTO PROPITIO, *neque contentus finire apprecando*, FELICITER, *ſcripſit* IN DEI NOMINE, *aut* IN CHRISTI NOMINE FELICITER. AMEN. *Quæ ſi invenias in Chartis majorem vetuſtatem & nomina Regum primæ ſtirpis*, id eſt, Meroveadarum, *ferentibus, ſcito cavendum eſſe, ne eas pro genuinis ſinceríſque recipias.* Ab hac obſervatione non recedit Diploma pro Eccleſia Placentina, ſic enim obſolvitur. *Data ſeptimo Kalen. Junii, anno octavo, Chriſto propitio, Imperii noſtri, &* XL *Regni in Francia, atque* XXXIIII *in Italia, Indictione primâ. Actum Aquiſgrani Palatio noſtro in Dei Nomine feliciter. Amen.* In Characteribus Chronologicis nullus occurrit nævus. Nulla quoque difficultas eſt de loco. Paſchâ enim apud Noviomagum celebrato Carolus Aquiſgranum reverſus eſt, ibíque morabatur ſeptimo Kalendas Junias, imò ibidem vel in vicinis locis

AN. CH. 808.

[a] Ad an. 678. n. 10.
[b] Ad an. 685. n. 8.
[c] Ad an. 754. n. 92.
[d] Lib. 7. c. 148.
[e] Ad an. 760. n. 1.
[f] Ad an. 799. n. 53.
[g] Ad an. 803. n. 71.
[h] Ad an. 787. nn. 216. & ſeqq.
[i] Ad. an. 803. nn. 72. & ſeqq.
[k] Ad an. 801. n. 28.
[l] Ad an. 802. n. 113.

AN. CH. 808. ætatem, autumnum, atque hyemem transegit. Nam bella Danicum & Linonicum trans Albim per Carolum filium ac Legatos hoc anno gessit, &, ut Annalista Loiselianus subjungit, *ædificatis per Legatos suos super Albim fluvium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclavorum incursiones dispositio, Aquisgrani hyemavit.*

XIX. HUGO CAROLI AUG. ET REGINÆ FILIUS NASCITUR. Rerum hoc anno gestarum narrationem sic claudit Annalista Loiselianus. *Imperator ædificatis per Legatos suos super Albim fluvium duobus castellis, præsidióque in eis contra Sclavorum incursiones dispositio, Aquisgrani hyemavit, Natalem Domini & Sanctum Pascha ibidem celebravit.* Hoc eodem anno, Hugonem alterum filium ex Regina conjuge suscepit.

XX. ELEPHAS FIT ABB. GISLENIANUS. Apud Vinchantium [a] Elephas hoc anno ex Monacho fit Abbas Gislenianus. Imprimis eò laudatur, quòd ex Caroli Augusti munificentia Basilicam priore, quam beatus Gislenus erexerat, augustiorem construxerit, de cujus dedicatione sub Ludovico Pio sermonem faciemus. Deinde commendatur ob conditam prope Suessionem Cellulam, quæ dicta est Sancti Gisleni Cellula, multisque seculis Monasterio Gisleniano seu Cellæ beati Gisleni subjacuit.

[a] Lib. 5. c. 17.

XXI. EPISCOPI DERTHONENS. Hoc anno Robertus Episcopus, cùm Ecclesiam Derthonensem annis novem rexisset, ex hac vita migravit. Successit Valerius, qui regimen ejusdem Ecclesiæ tenuit annis viginti. Lege Ughellum [b].

[b] Tom. 4. in Ep. Derthon.

XXII. CAROLUS AUG. VARIA EDIT CAPITULARIA. Apud Jacobum Sirmondum in Catalogo Capitularium, quæ Carolus nomen Imperatoris adeptus edidit, ad hunc annum triplex Capitulare sic è Metensi Codice memoratur. *Anno* VIII *in Aquis Palatio Capitulare triplex.* Illa Capitularia Stephanus Baluzius ex eodem Codice nobis communicavit.

XXIII. Primum Capitulare in tredecim Capitula, vel potiùs in tredecim titulos totidem Capitulorum distinguitur. I. *De latronibus & furibus.* II. *De falsis testibus.* III. *De perjuriis.* IV. *De fugitivis.* V. *De appensis propter leves culpas.* VI. *De moneta.* VII. *De roccis & sagis.* VIII. *De mercato Palatii nostri.* IX. *De marcha nostra custodienda terrâ marique.* X. *De navibus quas facere jussimus.* XI. *Ut ea, quæ constituta sunt, à fidelibus nostris observentur, & jussiones nostræ impleantur.* XII. *De tempore alterius Placiti nostri, & qui iterum ad illum Placitum venire debeant.* XIII. *De hominibus filiorum ac filiarum nostrarum, quos Missi & Comites distringere non audent.* Ex his titulis reperiuntur octo, qui capitulis sequentis Capitularis rectè præfigi possunt.

XXIV. Secundum Capitulare septem in Capitula distribuitur, quibuscum plerosque titulos superioris Capitularis conferemus.

XXV. I Capitulum. *De marcha ad prævidendum unusquisque paratus sit illuc festinanter venire, quandocunque necessitas fuerit.* Huic Capitulo convenit nonus titulus superioris Capitularis, *de marcha nostra custodienda terrâ marique.*

XXVI. II Capitulum, cui duo prioris Capitularis tituli, primus *de latronibus & furibus* & quintus *de hominibus appensis propter leves culpas*, idoneè præfigi possunt, sic habet. *De latronibus, ut melius distringantur. Et ut nullus hominem pendere præsumat nisi per judicium. Si verò aliquis sine culpa penditus fuerit, & ibi moritur, tunc ab eo, qui eum sine judicio pendidit, proximis parentibus sit compositus, & si ibi mortuus non fuerit, sed vivens evaserit, tunc sibimet sit compositus, & res & mancipia sua in fisco non cadant. De servis verò, si quis alterius servum absque judicio & sine culpa pendiderit, & ibi mortuus fuerit, weregildus ejus Domino solvatur. Et, si de ipsa morte evaserit, ipse ipsam liudem recipiat, & liber posteà permaneat.*

XXVII. III Capitulum. *Ut nullus testes mittere in judicium præsumat, sed Comes hoc per veraces homines circà manentes per sacramentum inquirat, ut sicut exinde sapiunt, hoc modis omnibus dicant.* In superiore Capitulari secundus titulus est *de falsis testibus.*

XXVIII. IV Capitulum ut & tertius titulus præcedentis Capitularis est *de perjuriis*, sic. *Ut nullus se perjurare præsumat. Et, si fecerit, sicut in anterioribus*

Capitulis

Capitulis mandatum eſt, manum perdat aut redimat. Et hoc omnibus adnuntiatum fiat, quòd perjurium aut falſum teſtimonium noceat. Lege ſuperiori Tomo varia Capitula, quæ pœnas in perjuros decernunt. AN. CH. 808. CAROLI IMP. 8. PIPPINI LUDOV. RR. 28. CAROLI R. 20.

V Capitulum. *De emptionibus & venditionibus; ut nullus præſumat aliter vendere & emere ſagellum meliorem duplum viginti ſolidis, & ſimplum cum decem ſolidis. Reliquos verò minùs. Roccum martrinum & lutrinum meliorem decem ſolidis. Et, ſi aliquis amplius vendiderit aut empſerit, cogatur exſolvere in bannum ſolidos quadraginta, & ad illum, qui hoc invenerit & eum exinde convicerit, ſolidos viginti.* In priore Capitulari ſeptimus titulus eſt *de roccis & ſagis.*

VI Capitulum, ut & quartus titulus ſuperioris Capitularis eſt *de fugitivis*, ſic. *De fugitivis hominibus, ut ubicunque inventi fuerint, ille, qui eum retinet, bannum Dominicum ſolvere cogatur, & ille fugitivus abſque dubio in patriam ad Dominum ſuum revertatur.* XIX. XXX.

VII Capitulum, ut & ſextus titulus prioris Capitularis eſt *de moneta*, ſic. *De monetis; ut in nullo loco moneta percutiatur niſi ad curtem; & illi denarii Palatini mercentur, & per omnia diſcurrant.* XXXI.

Tertium Capitulare, inſtar primi, non tàm in decem Capitula quàm in decem titulos totidem Capitulorum diſtinguitur. I. *De pace infra patriam.* II. *De Canonicis & Monachis.* III. *De falſo teſtimonio & perjurio.* IV. *De his qui ſe fraudulenter ingenuare volunt, & aliqui optumeſcunt.* V. *De falſis monetis.* VI. *De illorum hominum conquiſitu, qui modò foris ducti fuerunt, & poſteà adquiſierunt, poſtquàm patres eorum & parentes ducti ſunt.* VII. *De decimis & nonis.* VIII. *De latronibus & diſciplina eorum.* IX. *De operibus Palatii ad Vermerium.* X. *De illo brolio ad Attiniacum Palatium noſtrum.* In illis rebus pleraque verſantur Capitula, de quibus egimus alibi. XXXII.

Apud eundem Sirmondum in Catalogo jam citato, hæc ad annum Imperii Carolini undecimum leguntur. *Anno* XI, *ſine loco, Capitularia duo Interrogationis. Item Capitula* VIII, *cur exercitus deſerantur.* Hæc omnia nobis ex Codicibus Vaticano ac Metenſi communicavit Stephanus Baluzius poſtremo Capitulari non in VIII ſecundùm opinionem Sirmondi ſed in VIIII Capitula diſtincto. Capitulare duplex Interrogationis ad annum undecimum Imperii Carolini, ſive ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum pertinere non inficiamur, at Capitulare *de cauſis, propter quas homines exercitalem obeditionem dimittere ſolent*, in eundem annum rejicere non audemus, quia Capitulo ſeptimo mentio fit Pippini Regis adhuc ſuperſtitis. *Sunt etiam*, inquit Carolus, *alii, qui dicunt ſe eſſe homines Pippini & Chludwici, & tunc profitentur ſe ire ad ſervitium dominorum ſuorum, quando alii pagenſes in exercitum pergere debent.* Obiit autem Pippinus octavo Idus Julias, anno Redemptoris octingenteſimo decimo. Hæc ad Chronologiam. Sequuntur Capitula. XXXIII.

Primum. *In primis diſcordantes ſunt & dicunt, quòd Epiſcopi, Abbates, & eorum Advocati poteſtatem non habeant de eorum tonſis Clericis & reliquis hominibus. Similiter & Comites de eorum pagenſibus non habeant poteſtatem.* XXXIV.

Secundum. *Quòd pauperes ſe reclamant expoliatos eſſe de eorum proprietate. Et hoc æqualiter clamant ſuper Epiſcopos & Abbates & eorum Advocatos, & ſuper Comites & eorum Centenarios.* XXXV.

Tertium. *Dicunt etiam quòd quicunque proprium ſuum Epiſcopo, Abbati, vel Comiti, aut Judici, vel Centenario dare noluerit, occaſiones quærunt ſuper illum pauperem quomodo eum condemnare poſſint, & illum ſemper in hoſtem faciant ire uſquedum pauper factus volens nolens ſuum proprium tradat aut vendat, alii verò qui traditum habent, abſque ullius inquietudine domi reſideant.* XXXVI.

Quartum. *Quòd Epiſcopi, & Abbates, ſive Comites, dimittunt eorum liberos homines ad caſam in nomine Miniſterialium. Similiter & Abbatiſſæ. Hi ſunt Falconarii, Venatores, Telonearii, Præpoſiti, Decani, & alii, qui Miſſos recipiunt & eorum ſequentes.* XXXVII.

AN. CH. 808. XXXVIII. XXXIX.

Quintum. *Dicunt etiam alii, quòd illos pauperiores constringant, & in hostem ire faciunt, & illos, qui habent quod dare possint, ad propria dimittunt.*

Sextum. *Dicunt ipsi Comites quòd alii eorum pagenses non illis obediant, nec bannum Domni Imperatoris adimplere volunt, dicentes quòd contra Missos Domni Imperatoris pro heribanno debeant rationem reddere. Nam non contra Comitem, etiamsi Comes suam domum illi in bannum miserit, nullam exinde habeat reverentiam, nisi intret in domum suam, & faciat quaecumque ei libitum fuerit.*

XL. Septimum à nobis hîc omittitur, quia relatum suprà [a].

[a] Hoc an. n. 31.

Octavum. *Sunt iterum & alii, qui remanent, & dicunt quòd seniores eorum domi resideant, & debeant cum eorum senioribus pergere, ubicunque jussio Domni Imperatoris fuerit. Alii verò sunt, qui ideo se commendant ad aliquos seniores, quos sciunt in hostem non profecturos. Quòd super omnia magis fiunt inobedientes ipsi pagenses Comiti & Missis decurrentibus quàm antèà fuissent.*

XLI.

XLII. Nonum in eadem cum præcedentibus materia minimè versatur, atque ob id discriminis ad idem Capitulare non videtur pertinere. Fortassis ortum inde dissidium circa Capitulorum numerum, qui Baluzio novenarius est, octonarius Sirmondo. Quicquid sit hac de controversia Capitulum ipsum accipe, quod nullam omnino connexionem habet cum superioribus, &, donec suo sit loco restitutum, laudabili vix donabitur explicatione. *De illis hominibus qui parentes eorum, matrem, aut materteram, aut patruelem, aut quemlibet de sua genealogia occidunt, ut per illos non fiant conquisiti. Sunt & alii, qui de ipsa genealogia non debent esse inclinati, attamen fiunt propter illam occasionem inclinati.*

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR 29. CAROLI R. 21.

ANNUS

CHRISTI		809.		
CAROLI	IMP.	9.		
	REG.	41.	38.	36.
PIPPINI II.	REG.	29.	4.	
LUDOVICI	REG.	29.	4.	
CAROLI	REG.	21.	4.	
INDICTIO		2.		

I. ANNO Redemptoris octingentesimo nono Franci Dertusam sive Dertosam vel Tortosam Hispaniæ civitatem ad Iberum amnem obsederunt irrito conatu. Annalista Loiselianus aliique rem sic exponunt. *In occiduis partibus Domnus Ludovicus Rex cum exercitu Hispaniam ingressus Dertosam civitatem in ripa Hiberi fluminis sitam obsedit. Consumptóque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquàm eam tam citò capi non posse vidit, dimissâ obsidione cum incolumi * exercitu in Aquitaniam se recepit.* Astronomus hoc negotium aliter fusiúsque describit in vita Ludovici; negat Ludovicum in Hispaniam hoc anno profectum esse; quominùs illuc ex Aquitania contenderet, impeditum ait à Carolo patre, qui specialem ei curam injunxit extruendarum navium, ut incursiones Danorum seu Nortmannorum arcerentur. Rebus igitur, quas anno priori retulimus, expositis, alteram auspicatur narrationem, quâ, quicquid à Ludovico per Legatos in Hispania gestum est hoc anno, sic explicat. *Sequenti tempore iterum Rex Ludowicm expeditionem in*

* *incolumi*

FABRICANTUR NAVES CONTRA DANORUM INCURSIONES.

Hiſpaniam paravit. Sed pater, ne per ſemetipſum illuc pergeret, eum impedivit. AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

Præceperat namque tunc temporis fabricari naves contra Nordomannicas incurſiones, in omnibus fluminibus, quæ mari influebant. Quam curam etiam filio injunxit ſuper Rodanum & Garonnam & Silidam. Attamen miſit ei Miſſum ſuum Ingobertum, qui filii præſentiam præferret, & vice amborum contra hoſtes exercitum duceret. Rege autem in Aquitania remanente ob ſupradictam cauſam, exercitus ejus itinere proſpero Barcinonam venit, ibique habito inter ſe conſilio, quomodo hoſtibus clandeſtina poſſent ſupervenire irruptione, invenerunt hunc modum, ſcilicèt ut naves tranſvectorias fabricantes, unamquamque earum in quaternas partirentur partes, quatenus pars quaterna cujuſque duobus equis vel mulis vehi poſſet, & præparatis clavis & marculis facilè coaptari valerent, pice verò & cerâ ac ſtupâ præparatis, mox ut ad flumen veniretur, compagum junctura obcludi poſſent. Sic itaque inſtructi, maxima pars eorum cum prædicto Miſſo Ingoberto Tortoſam petierat. At verò ii, qui ad opus ſuprà dictum ſunt deputati, Hademarus ſcilicet, Bera, & reliqui, trium dierum emenſo itinere (erant enim ſine ſagmatibus) cælo pro tecto utentes, igni ne fumo deprehenderentur renuntiantes, ſylvis ſe die occultantes, nocte, quantum poſſe dabatur, iter agentes, quarto die, Ibero compactis navibus ipſi quidem ſunt tranſpoſiti, equos autem natatui commiſerunt. Quod factum magnum voto eorum peperat effectum niſi fuiſſet acerrimè deprehenſum. Quum enim Abaidun Dux Tortoſæ littora Iberi obſideret fluminis, & illi, quos ſuprà diximus, ſuperiora illius modo prædicto tranſmitterent, Maurus quidam lavandi gratiâ flumen ingreſſus, ſimum à flumine vidit ferri equinum. Quo viſo, ſicut ſunt nimiæ calliditatis, adnatans, ſimúmque comprehendens, & naribus admovens, exclamavit. Cernite, inquiens, ô ſocii, monco quàm cauete. Nam hoc ſtercus non onagri eſt, vel cujuſcumque animantis, aſſueti paſtibus herbidis. Enimverò equina eſſe hæc egeſta conſtat, quæ certum eſt fuiſſe hordeum, & ob hoc equorum vel mulorum pabula, ideóque cautiùs vigilate. Nam in ſuperioribus fluminis hujus, ut cerno, nobis parantur inſidiæ. Extemplò duos ſuorum conſcenſis equis ſpeculatum dirigunt. Qui noſtris viſis, quod verum erat, Abaiduno renuntiant. At illi timore coacti, omnibus, quæ caſtrenſis habitatio habuit, poſthabitis atque dimiſſis, fugæ ſe commiſerunt, omniúmque relictorum noſtri potiti, in illorum papilionibus illâ ſunt nocte hoſpitati. Sed Abaidun collectâ multâ manu hoſtium, eis in craſtinum præliaturus occurrit. Noſtri tamen divino freti auxilio, licèt impares, multóque numero inferiores, tamen hoſtes fugere compulerunt, multâque eorum ſtrage viam fugientium impleverunt. Et eò uſque manus ab eorum cæde non continuerunt, donec Solis dieique lumine recedente, & umbrâ noctis terram occupante, lumina ſtellarum noctem ſolatura ſuccederent. His geſtis, Chriſto favente, ad ſuos ſeſe magno cum gaudio & opibus collegerunt. Diu etiam ſimul obſeſſâ urbe repedarunt. OBSIDETUR TORTOSA.

II. Non deerat ratio cur Imperator magno ſtudio naves fabricari vellet, Galliarum littoribus timor imminebat à Godofrido Danorum Rege, qui Francis infenſum anno ſuperiori ſe præbuerat, parabátque claſſem ducentarum navium, de qua nobis loquendum erit anno proximo. Nihil tamen hoc anno tentatum à Danis. *Godofridus Rex Danorum per negociatores quoſdam mandavit ſe audiſſe, quòd Imperator ei fuiſſet iratus, eo quòd in Abodritos anno ſuperiore duxit exercitum, & ſuas ultus eſt injurias. Addens* * *velle ſe purgare ab eo quod ei objiciebatur, fœderis irruptionem ab illo priùs* * *fuiſſe inchoatam. Petebat etiam ut Conventus Comitum Imperatoris atque ſuorum juxta terminos Regni ſui trans Albim fieret. In quo res invicem geſtæ proferri, & emendatione digna inter partes enumerari potuiſſent. Non abnuit Imperator, colloquiúmque trans Albiam habitum cum Primoribus Danorum in loco, qui dicitur Melac, multíſque hinc & inde prolatis atque enumeratis rebus, negocio penitus infecto diſceſſum eſt.* Hæc Annaliſta Loiſelianus aliique.

* Ad ſui * primis COLLOQUIUM DE PACE CUM DANIS.

III. *Traſco* ſeu Traſico *Dux Abodritorum, poſtquàm filium ſuum poſtulanti Godofrido obſidem dederat, collectâ popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos ſuos Wilſos adgreſſus, agros eorum ferro & igni vaſtat. Regreſſúſque do-*

AN. CH. 809.

*mum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam civitatem expugnat, atque his ſucceſſibus omnes, qui ab eo defecerant, ad ſuam ſocietatem reverti cogit. Imperator autem, cùm ei multa de jactantia & ſuperbia Regis Danorum nunciarentur, ſtatuit trans Albiam fluvium civitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præſidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregaſſet, armiſque ac ceteris ad uſum neceſſariis rebus inſtructos * per Friſiam ad locum deſtinatum ducere juſſiſſet, Traſco Dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godofridi per dolum interfectus eſt. Sed Imperator, poſtquàm locus civitati conſtituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albim trajicere, & locum juſſit occupare. Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ fluminis, vocabulo Eſſelfelt, & occupatus eſt ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias* anni ſequentis, *& muniri cœptus*, ut ad illum annum ex iiſdem Annaliſtis repetemus, apud quos varii quoque rerum Italicarum eventus hoc anno ſic deſcribuntur.

* inſtructis

TRASICO DUX OBODRITORUM OCCIDITUR.

IV. *Dux, qui* Græcorum *claſſi præerat, nomine Paulus, cùm de pace inter Francos & Græcos conſtituenda, quaſi ſibi hoc eſſet injunctum, apud Dominum Pippinum Italiæ Regem agere moliretur Wilhario * & Beato Venetiæ Ducibus omnes conatus * ejus impedientibus, atque ipſi etiam inſidias parantibus, cognitâ illorum fraude diſceſſit. In Tuſcia Populonium civitas à Græcis, qui Orobiotæ vocantur depræda est. Mauri quoque de Hiſpania Corſicam ingreſſi in ipſo ſancto Paſchali Sabbato civitatem quandam diripuerunt, & præter Epiſcopum ac paucos ſenes atque infirmos nihil in ea reliquerunt.*

* Wilharens
* incohatus

GRÆCI POPULONIUM IN ITALIA,

V. Populonium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo civitas erat Pontificiæ ditionis ex Donatione Carolina. Mauros hoc anno Corſicam ingreſſos teſtantur Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, Bertinianus, ac Metenſis, cum Reginone, Monacho Egoliſmenſi, & incerto Auctore in vita Caroli. Sigonius [a] Corſicæ loco Sardiniam ſcribit, & urbem, cujus nomen Auctores prædicti reticuerunt, Aleriam vocat. *Sarraceni*, inquit, *Sardiniam rurſus aggreſſi pridie Paſchatis Aleriam oppidum occuparunt, & præter Epiſcopum, ac paucos ætate ac morbo confectos, in ea nihil reliquerunt.* At ipſummet Sigonium corrige, & expuncto Sardiniæ nomine Corſicam repone. Sita enim Aleria in ora Orientali Corſicæ. Jacet hodie in ruinis, locus tamen etiamnum Aleria * deſtructa nuncupatur, ut obſervat Baudrandus in Lexico Geographico. Civitatem, cujus nomen tot omiſerunt Auctores, Aleriam quoque Sigonius temerè nuncupat. Nam temporibus Caroli Magni duæ tantùm in Corſica civitates erant Epiſcopali Sede nobiles, Mariana videlicet & Nebium, nec plures in illa fuerunt Inſula quandiu Francis paruit. Paſchalis Papa, cujus Pontificatus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo cœpit, Corſicam, ut in Epiſcopis Alerienſibus & Sagonenſibus ab Ughello [b] ſcriptum reperies, in quinque Diœceſes diſtribuit, erectis novis Epiſcopatibus, Adjacenſi, Sagonenſi, & Alerienſi. Id autem non antè præſtitit, quàm factus eſt Inſulæ Dominus ex munificentia Ludovici Pii. Civitas igitur, quam Saraceni diripuerunt hoc anno, nihil in ea relinquentes, *præter Epiſcopum ac paucos ſenes atque infirmos*, à Sigonio perperam nominatur Aleria, nec alia cenſeri debet à Mariana vel Nebio.

[a] Lib. 4. de Regno Ital.

* Aleria deſtructa

SARACENI CIVITATEM IN CORSICA DEPRÆDANTUR.

[b] Tom. 3. Ital. Sacr.

VI. Exeunte hoc anno, ut Annaliſta Loiſelianus teſtatur, *Aureolus Comes, qui in commercio Hiſpaniæ atque Galliæ trans Pyrenæum * contra Oſcam & Cæſaraugustam reſidebat, defunctus eſt. Et Amoroz Præfectus Cæſaraugustæ atque Oſcæ miniſterium ejus invaſit, & in Caſtellis illius præſidia diſpoſuit. Miſſâque ad Imperatorem Legatione, ſeſe cum omnibus, quæ habebat, in deditionem illi venire velle promiſit.* Hac arte, quâ Carolum decipere ſtudebat, rebus ſuis malè conſuluit, occupatis enim Caſtellis, quibus Aureolus præfuerat, iram Francorum in ſe concitavit, & miſſis ad Imperatorem Nunciis reus proditionis habitus eſt ab Alhaca Saracenorum in Hiſpania Rege ſeu Calipha, ut anno proximo fuſiùs exponemus.

* Pirinæum.

AUREOLUS COMES OBIT.

AMOROZ PRÆFECTUS CÆSARAUGUST. FRANCIS AC MAURIS INVISUS.

AN. CH. 809. VII.

Eardulfus Rex Nordanhumbrorum, licèt ejus è Britannia diſceſſionem reditúmque in patriam ſub eodem anno veteres collocarint Annaliſtæ, Regno non eſt ante hunc annum reſtitutus, idque ex iiſdem Annalibus & epiſtolis Leonis Tertii Papæ ſimul collatis apertiſſimè demonſtratur. Ultimo ſuperioris anni die literas [a] ad Carolum ſcripſit Leo, per quas teſtatus eſt Adulphum Diaconum & Miſſum Eanbaldi Eboracenſis Archiepiſcopi tunc primùm à ſe Româ dimiſſos, ut in Galliam atque inde in Britanniam reverterentur. Hoc igitur anno jam inchoato Carolum adierunt hi Legati Pontificii, quibus ſuos Carolus adjunxit. Utrique Eardulfum in Regnum reduxerunt. Annaliſta Loiſelianus, cui Laureshamenſis aliique conſentiunt, ad annum ſuperiorem ſic habet. *Rex Nordanhumbrorum de Brittannia Inſula, nomine Eardulfus, Regno & patriâ pulſus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto adventûs ſui negocio Romam proficiſcitur. Româque rediens, per Legatos Romani Pontificis & Domni Imperatoris in Regnum ſuum reducitur. Præerat tunc temporis Eccleſia Romana Leo tertius, cujus Legatus ad Brittanniam directus eſt Addulfus Diaconus de ipſa Brittannia natione Saxo, & cum eo ab Imperatore miſſi Abbates duo, Hruotfridus Notarius, & Nantarius de Sancto Otmaro.* Deinde ad hunc annum, ſic. *Poſtquam Ardulfus Rex Nordanhumbrorum reductus eſt in Regnum ſuum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reverſi ſunt, unus ex eis Addulfus Diaconus à piratis captus eſt, ceteris ſine periculo trajicientibus, ductúſque ab eis in Brittanniam, à quodam Cœnulfi Regis homine redemptus eſt, Romámque reverſus.* Ad annum priorem pertinet Eardulfi diſceſſus è Britannia cum profectione ad Carolum Auguſtum qui Noviomagi tunc erat, atque inde ad Leonem Papam qui Romæ morabatur. Ad hunc autem annum referri debet Eardulfi reditus in Northumbriam, necnon Adulphi captus & redemptio, de quibus ſtatim Carolus certiorem per literas Leonem fecit, ut patet ex hoc ejuſdem Leonis ad Carolum reſponſo [b]. *Remeante ad nos, Domino annuente, Sabino Religioſo Epiſcopo de partibus tranſmarinis, obtulit nobis Serenitatis veſtræ epiſtolam, continentem de injuncta ſibi Legatione, vel captu atque redemptione Adulphi Diaconi Miſſi noſtri, de quo in magno mœrore manemus, quouſque Omnipotens Deus illum ad nos uſque per veſtrum deducat ſolatium.* Inter Carolinos Oratores, qui vocatur *Hruotfridus* ab Annaliſta Loiſeliano, nominatur ab aliis *Rotfridus, Rutfridus, Rothfridus* ac *Rucfredus.* Et qui dicitur apud eundem Annaliſtam *Nantarius de Sancto Otmaro*, ſive ut incertus Auctor in vita Caroli loquitur, *de Sancto Odmaro*, id eſt, de Sancto Audomaro, vel, ut Annaliſta Bertinianus ſcribit, *de Cœnobio Sancti Bertini*, Sitivenſis ſeu Bertinianus eſt Abbas, nec alius à Nanthario juniore, de quo non ſemel jam locuti ſumus.

[a] Tom. 7. Conc. ep. 10. Leon. 3 PP. EARDULFUS R. NORDANHUMBR. REDIT IN PATRIAM.

[b] Tom. 7. Conc. ep. 9. Leon. 3. PP. ADDULFUS LEGATUS PP. CAPITUR A PIRATIS, ET REDEMPTUS ROMAM REDIT.

VIII.

Carolus Auguſtus *Aquiſgrani Paſcha celebravit* teſte Annaliſtâ Loiſeliano; ſub æſtatem profectus eſt in Arduennam ſylvam, & *de Arduenna Aquas reverſus menſe Novembrio Concilium habuit.* Illam Synodum antiqui laudarunt Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, & Metenſis, necnon Ado, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli Magni. Præ ceteris Ado, ſic. *Synodus magna Graniaquis congregatur anno Incarnationis Domini* DCCCIX. *In qua Synodo de proceſſione Spiritûs Sancti quæſtio agitatur, utrùm ſicut procedit à Patre, ita procedat à filio. Hanc quæſtionem Joannes Monachus Hieroſolymitanus moverat, cùm Regula & fides Eccleſiaſtica firmet Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, non creatum, non genitum, ſed Patri & Filio coæternum & conſubſtantialem. Nomen autem proceſſionis à Patre & filio in Apocalypſi ita apertè eſt poſitum. Et oſtendit mihi (haud dubium quin Angelus) flumen aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedens de Sede Dei & Agni. In eadem etiam Synodo quæſitum eſt & ventilatum de ſtatu Eccleſiarum & ordine ſingularum, cujúſque converſationis etiam Clerici eſſe debent.*

SYNODUS AQUISGRAN. DE PROCESSIONE SPIRITÛS SANCTI,

IX.

Ado, licèt uberiorem, quàm ceteri, ſermonem hac de Synodo fecit, Legationem tamen ad Romanum Pontificem directam omiſit, de qua, quid

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

alii ſcripſerint, hîc inveſtigandum. Annaliſta Loiſelianus ſic habet. *Quæſtionem Johannes quidam Monachus Hieroſolymis primò commovit. Cujus definiendæ causâ Bernarius Epiſcopus Cormaricenſis & Adalhardus Abbas Monaſterii Corbeiæ Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt.* At corruptè legitur *Epiſcopus Cormaricenſis*, &, ut Andreas Ducheſnius jam notavit in recognitione coætaneorum Auctorum, quos Tomo ſecundo ſuæ Collectionis edidit, reponendus eſt *Epiſcopus Wormacienſis*. Similiter in vita Caroli per incertum Auctorem, ubi ponitur *Bercharius Epiſcopus, Arrius Epiſcopus Warmacienſis*, ex eodem emendatore reſtituendus eſt *Bernharius Epiſcopus Wormacienſis*. Et in ejuſdem Caroli vita per Monachum Egoliſmenſem, ubi duo diſtinguuntur Epiſcopi, *Bernarius Epiſcopus Cormaricenſis & Aſius Epiſcopus Warmatiæ*, ſolus retineri debet *Bernarius Epiſcopus Warmatiæ*. Nec ad oram ſuperiorum textuum, pro vocabulis *Warmarienſis* & *Warmatiæ*, ſcribenda ſunt iſta, *Colonienſis* & *Coloniæ*, ut Ducheſnius ſuprà laudatus aliquando exiſtimavit. Cùm Synodus Aquiſgrani celebrabatur, Hildebaldus, de quo ſæpè locuti ſumus loquemúrque, Colonienſis erat Archiepiſcopus, & Eccleſiæ Wormacienſi præerat Bernharius Epiſcopus, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo in Epiſcopatum Ehrenbrechto ſucceſſiſſe diximus. In Annalibus Laureshamenſibus emendatis ex manuſcripto Codice Georgii quondam Cardinalis de Armaniaco, *Bernharius Epiſcopus Wormacienſis*; in Bertinianis, *Bernharius Epiſcopus Wormacenſis*; in Metenſibus, *Bernaharius Epiſcopus Warmacenſis*; in Fuldenſibus, *Bernharius Epiſcopus Wangionum*, ſeu Wormacienſium, hoc anno Romam ad Leonem Papam, quæſtionis de Spiritu Sancto, quam Joannes Monachus Hieroſolymis primò commovit, definiendæ causâ, cum Adalhardo Abbate Corbeienſi mittitur. Ab Annaliſtis Laureshamenſi, Bertiniano, Metenſi, ac Fuldenſi, non diſcrepat Loiſelianus, quamvis enim depravatus ſit in Epiſcopatûs nomine, ſolum Bernharium exhibet Epiſcopum, quocum Legationem obeat Adalhardus Abbas. Duobus illis Legatis Jacobus Sirmondus [a] adnumerandum cenſet Jeſſen Ambianenſem Epiſcopum, ídque ait conſtare cùm *ex vita Caroli Magni*, tum *ex Actis ipſius Legationis, hoc eſt, ex Collatione cum Papa Romæ à Legatis habita*. Per Caroli Magni vitam intelligit lucubrationem Egoliſmenſis Monachi, cujus hic eſt textus. *Bernarius Epiſcopus Cormaricenſis, & Aſius Epiſcopus Warmatiæ, & Adalardus Abbas Monaſterii Corbeiæ miſſi ſunt Romam ad Leonem Papam.* Non inficiatur eſſe *ibi depravatum nomen* illius Ambianenſis Epiſcopi, ſed in ipſa textûs depravatione nullum ſupereſt veſtigium, quo Jeſſe Ambianenſis Epiſcopus quondam ſignificatus videatur, & emendatio, quam Annaliſtæ, Laureshamenſis, Bertinianus, Metenſis, ac Fuldenſis, faciendam docent, apud Andream Ducheſnium talis eſt. *Bernarius Epiſcopus Wormatiæ & Adalardus Abbas Monaſterii Corbeiæ miſſi ſunt Romam ad Leonem Papam.* Quod attinet ad Acta Legationis, quæ Cæſar Baronius, ut olim à Smaragdo Abbate deſcripta ſunt, Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit [b], in illis nulla mentio fit Ambianenſis Epiſcopi, ſed in ſola duntaxat inſcriptione, quâ Jeſſe Epiſcopus cum Bernario Epiſcopo & Adelhardo Abbate ſic memoratur. *Ratio, quæ habita eſt de Symbolo fidei in Secretario B. Petri Apoſtoli, inter D. Leonem Sanctiſſimum & Coevangelicum Papam Urbis Romæ, & Bernarium atque Jeſſe Epiſcopos ſeu Adelhardum Abbatem Miſſos D. Caroli Imperatoris per Indictionem ſecundam.* Duplicem hujus inſcriptionis errorem adverte, unum in Jeſſe Epiſcopo, alterum in Indictione. Certè Indictione ſecundâ Romæ Collatio cum Papa non habita eſt à Legatis è Gallia directis poſt Aquiſgranenſem Synodum, quam tot Auctores præcitati celebratam teſtantur hoc anno, menſe Novembri, Indictione tertiâ jam inchoatâ. Et ex initio Pontificiarum literarum, quas Sirmondus prædictis Actis Legationis ſubjecit, liquet ſolum Bernharium Epiſcopum cum Adalhardo Abbate Romam miſſum fuiſſe, ſic enim ſuam Leo Pontifex epiſtolam ad Riculfum Archiepiſcopum Moguntiacen-

[a] Tom. 2. Conc. Gall.

[b] Hoc ann. nu. 53. & ſeqq.

ſem orditur. *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverentiſſimo & Sanctiſſimo Richulfo Epiſcopo. Cùm ad limina beatorum Principum Apoſtolorum Bernharius Venerabilis Epiſcopus unà cum Adalhardo Religioſo Abbate Miſſi filii noſtri Domni Caroli Sereniſſimi Imperatoris conjunxiſſent.* Addequòd Jeſſæus in magna non erat apud Leonem exiſtimatione, ut ex literis ejuſdem Leonis anno priore [a] notavimus. Errant graviſſimè, qui Bernharium Wormacienſem Epiſcopum in Barnardum Viennenſem Archiepiſcopum deflectunt. In horum numero ſunt Auctores Codicum, quos Petrus Franciſcus Chiffletius conſuluit, ut ipſius Barnardi vitam ex eis erueret. *Factum eſt*, inquiunt, *in diebus illis*, id eſt, in diebus Barnardi Metropolitæ Viennenſis, *ut cùm oratio Confeſſionis Catholicæ fidei in Niceno Concilio promulgata, & Eccleſiis Galliarum directa vulgaretur, Religioſus Princeps* Carolus *cognitâ Beati Pontificis* Barnardi *eloquentiâ, Romam eum mitteret diſceptatorem apud Romanum Pontificem, cur cùm fides Catholica Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem habeat, illud tantorum Patrum Concilium procedentem à Patre & non à filio conſcripſerit. In qua diſputatione, quòd Spiritu Sancto repletus fuerit, ipſa luculentiſſima diſputationis conſcripta oratio indicat, quam poſteris, qui præſentes fuerunt, memoriæ mandaverunt. Factâ igitur agnitione per ipſum Romanus Pontifex conſilio & petitione viri ſancti conſtituit, quatenus ad confirmationem fidei Catholicæ, hæc confeſſæ fidei oratio in omnibus ſolemnitatibus poſt Evangelium recitaretur.* At anno Redemptoris octingenteſimo nono, cùm in Aquiſgranenſi Concilio agitata eſt quæſtio de proceſſione Spiritûs Sancti, nondum Archiepiſcopus Viennenſis erat Barnardus, imò eodem illo anno, cùm Viennenſes Infulæ penes Volferium Archiepiſcopum eſſent, ex Ambroniacenſi Monacho conſtitutus eſt Abbas ejuſdem loci, nam *quatuor* dumtaxat *annis ſub Abbate Monaſticam vitam duxit.* Nomen ignoratur Abbatis, qui Monaſterium Ambroniacenſe * primus rexit, & Barnardum ipſius Monaſterii conditorem in numero diſcipulorum habuit. Barnardus è Cœnobii conditore Monachus, è Monacho factus Abbas, anno tertio ſui regiminis ad Viennenſem promotus eſt Archiepiſcopatum, ut dicturi ſumus ad annum Redemptoris octingenteſimum duodecimum, quo Volferius obiit.

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. R R. 29. CAROLI R. 21.

[a] Nn. 3. 4.

* d'Ambronay.

X.

Hæc abundè ſufficiunt, ut intelligas duos tantùm Legatos, Bernharium videlicet Epiſcopum Wormacienſem & Adalhardum Abbatem Corbeienſem hoc anno exeunte Romam directos eſſe. In antiquo libello de fundatione novæ Corbeïæ laudatur plurimùm Adelhardus, quòd hoc eodem anno, priuſquàm Romam proficiſceretur, Theodradum Saxonem, qui veterem Corbeïam incolebat, in Saxoniam miſerit, ut locum condendo illic Monaſterio idoneum exploraret. Vaſtiſſima hæc provincia jam diſtribuebatur in Diœceſes, Epiſcopos habebat & Preſbyteros à quibus erudiebatur, Cœnobiis autem ac Monachis carebat. A multis annis animo revolvebat Carolus, quomodo Monaſticen in illam regionem introduceret; Saxones haud paucos cùm ex iis quos acceperat quondam in obſidatum, tum ex iis quos poſtremos ſubegerat, in Monaſteriis curabat edoceri; conſilium Adelhardo fratri ſuo patrueli tunc Abbati Corbeïenſi communicavit, hic Saxonibus quorum curam in ſuo Monaſterio gerebat. Repertus eſt in horum numero Theodradus, qui dixit in patris ſui poſſeſſione locum eſſe conſtruendo Cœnobio percommodum. Hæc illi fuit itineris in Saxoniam ſuſcipiendi, novæque pòſt eligendæ Corbeïæ cauſa, quam Auctor prælaudati libelli pluribus ſic exponit. *Karolus quæſivit Sacerdotes bonæ ſpei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipſos ſecundùm Eccleſiaſticam fidem docerent, domos Epiſcoporum atque Eccleſias conſtituerunt. Sed cùm omnem Ordinem Eccleſiaſticum in illa regione tradidiſſet, qualiter ibidem Monaſticam Religionem inſtituere poſſet, invenire nequivit, in tantùm quòd illius gentis homines, quos obſides & captivos tempore conflictionis adduxerat, per Monaſteria Francorum diſtribuit, Legem quoque Sanctam atque Monaſticam inſtitui præcepit. Denique quia in Corbeïe Monaſterio laudabilio*

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

eo tempore Religio Monachorum habebatur, multos inibi ejusmodi viros fore constituit. Erat igitur eodem tempore in prafato Monasterio Abba, vir vita venerabilis meritóque eximius, Adalhardus nomine, nobilis genere, sed nobilior fide, fervens in disciplina, plenus caritate, studiosus in Lege Divina, & plenus discretione. Hic cùm esset inter Primores Palatii, atque Consiliarius Regis, scilicet quia erat consanguineus ejusdem, voluntas supradicti Regis ei abscondi minimè potuit. Sed quia non erat inferior illo devotione, regressus ad Monasterium, ab eis, qui ibidem erant è gente Saxonica, scisciatari cæpit, si posset illa in patria inveniri locus, ubi Monachorum Monasterium construi rationabiliter posset. E quibus unus Theodradus nomine ait. Scio, inquit, in patrù mei possessione esse locum, ubi ex utraque parte fons vivus emanat, & multùm aptus ad hoc opus mihi esse videtur. Cujus responsione delectatus Venerabilis Pater eum statim illas in partes direxit, ut diligenter rem prolatam investigaret, & utrùm pater & reliqui consanguinei hoc consentire vellent inquireret. Qui cùm isset, patrù matrísque, avunculi atque patruelis voluntatem cognovisset, reversus ad Monasterium, ut hoc fieret, desiderare potiùs quàm resistere velle nunciavit. Sed jam dicto Abbati illo in tempore commissa erat cura maxima, ut Regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini Bernhardus nomine cresceret. Nam ipse Pippinus Karoli Regis filius ante triennii tempus obierat, & ideo prædictus Abba non potuit perficere quod cupierat, & per sexennii tempus tardatum est opus. In postrema hujus textûs periodo, ubi *Pippinus Karoli Regis filius ante triennii tempus* obiisse dicitur, illud triennium numerari debet ab anno Redemptoris octingentesimo decimo quo Pippinus Rex mortuus est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-tertium quo Carolus Bernardum suum ex Pippino filio nepotem Regem Longobardiæ constituit. Auctoris igitur præcitati Chronologia sic est instituenda. Theodradus Saxo, priusquàm Adelhardus Abbas à Carolo Romam mitteretur, hoc anno post Christum natum octingentesimo nono è vetere Corbeia profectus est in Saxoniam, rediitque in Gallias anno Redemptoris octingentesimo decimo, cùm cura jam commissa esset Adelhardo Abbati, *ut Regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini* nuperrimè mortui *Bernhardus nomine cresceret, & ideo prædictus Abba non potuit perficere quod cupierat, & per sexennii tempus tardatum est opus*, ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-quintum, ut suo loco ex eodem Auctore probabimus.

XI. Porrò Carolus Imperator per Bernharium Wormacienſem Episcopum & Adelhardum Abbatem Corbeïensem, quos hoc anno Romam Oratores direxit, Leoni Papæ misit epistolam, quam Lucas Holstenius è Codice manuscripto Sereniſſimæ Christinæ Suecorum Reginæ primus eruit, deinde Petrus *Delalande* in Supplementis antiquorum Conciliorum Galliæ, postremique Conciliorum Collectores Tomo septimo sic publicarunt. *Quæstio, quæ de Spiritûs Sancti processione nuper exorta, jamdudum est diligentissimè à Sanctis Patribus ventilata. Sed quia jam diu à quærentibus neglecta jacebat, non quievit quasi antiquitus ventilata, sed quasi quædam his temporibus nobis subitò emersit occulta, quod divinitus spiratum fideliter credens non dubito. Credens enim quæstionum ictibus præsens Ecclesia tunditur, ut doctrinis Catholicis erudita, sanaque fidei confessionibus elimata, in aternum quandoque hæreditate filiorum percepta vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus sum, hæc quæstio diu à quærentibus indiscussa jacebat, voluit Omnipotens Deus in eandem suscitare corda Pastorum, ut negligentia torpore sublato exercitationis sanctæ brachio cælestem valeant perfodere thesaurum. Sermonis etenim Dominici sarculo sæpiùs divinarum Scripturarum Pastores debent proscindere campum, ne zizania satoris iniqui seménque malignum formosi tritici valeat opprimere fructum, aut volans passim volucris hæretica semen Catholicum à cordibus rapiat parvulorum, horridáque spinarum emersio Domini nitidam possit suffocare segetem. Lectionis etenim Sacræ cognitio imbecillis baculum, nervosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter*

Digitized by Google

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

fortiter premit insidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul à Pastoribus negligentiæ torpor abscedat; procul à mentis acumine inertia damnosa recedat, mollisque lascivia corporis membra relinquat, & altus sopor mollisque somnus in rigidas lucrosásque lectionis emergat excubias, ut Ecclesiæ ager optimus, Doctorúmque semine satus, valeat centenos Omnipotenti reddere fructus. Jam nunc aggrediar de Spiritûs Sancti processione. Quòd Spiritus Patris sit in Filio, idémque Spiritus & Patris sit & Filii, Esaias testatur, ubi vox Patris ait ad Filium. [*Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui amodò & usque in sempiternum.*] *Item in Esaia scriptum est.* [*Ibi obviaverunt sibi cervi, & viderunt facies suas mutuò. Transierunt; unus ex eis non periit, & Spiritus ejus congregavit eos,*] *Cervos hîc Apostolos prisci Patres intellexerunt, quos Spiritus Christi in Hierusalem congregavit, ubi se obviantes mutuò salutaverunt. Igitur quòd Patris sit Spiritus, ipse Dominus Apostolis ait.* [*Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*] *Et quòd idem Spiritus Filii sit, Paulus testatur dicens.* [*Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*] *Itémque in Epistola ad Galatas ait.* [*Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.*] *Beatus quoque Petrus in Epistola sua ait.* [*Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret qui in eis erat Spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias.*] *Et Dominus in Evangelio ait.* [*Cùm venerit paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.*] *Ubi suum esse Spiritum docuit quia ipse est veritas, & Patris à quo eum dixit procedere. Quòd Spiritum Sanctum dedit Pater Apostolis, in Epistola ad Corinthios secunda scriptum est. Ait enim inter cetera.* [*Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.*] *Item in Epistola ad Thessalonicenses prima.* [*Non enim vocavit (ait) nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.*] *Et quòd eundem Spiritum Sanctum dedit & filius, in Epistola Joannis scriptum est.* [*In hoc intelligimus, quoniam in eo manebimus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.*] *Quòd Spiritum Sanctum effudit Pater in discipulos, in Epistola ad Titum scriptum est.* [*Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum.*] *Quòd & eundem Spiritum Sanctum effudit Filius, in Actibus scribitur Apostolorum. Ainnt enim Apostoli inter cetera.* [*Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus. Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritûs acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis.*] *Item, quòd una sit à Patre & Filio Spiritûs Sancti effusio Joele testante didicimus. Ait enim vox Patris simul & Filii.* [*Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt; sed & super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & dabo prodigia in cælo & in terra.*] *Quòd Spiritus Sanctus oris sit Patris, in Psalmo trigesimo-secundo legitur.* [*Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*] *Et quòd os sit Filii, in Esaia scriptum est. Ait enim idem Propheta de Filio.* [*Percutiet terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.*] *Cui sententiæ concordans Paulus in Epistola ad Thessalonicenses ait.* [*Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.*] *Quòd Spiritus à Patre procedat, ipse Dominus testatur dicens.* [*Spiritus, qui à Patre procedit, ille me clarificabit.*] *Et cetera talia plura in Evangeliis inveniuntur testimonia. Et quòd*

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

idem Spiritus procedat à Filio, liber Job ore Dominico ſacratus teſtis eſt, ubi hæc inter cetera ait. [*Et audite auditionem in terrore vocis ejus, & ſonum de ore illius procedentem.*] *Hoc in loco os Patris Filius eſt intelligendus. Sonus verò de ore illius procedens Spiritus Sanctus, qui à Filio procedens cum ſonitu ſuper Apoſtolos in igne deſcendens apparuit, ſicut Apoſtolorum teſtantur Actus, ubi ſcribitur.* [*Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam advenientis Spiritûs validiſſimi, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſedítque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.*] *Beatus autem Gregorius hunc ſupradictum libri Job verſiculum exponens, inter cetera ſic ait.* [*Poteſt autem per os Dei unigenitus Filius deſignari; per ſonum verò oris poteſt ejuſdem Spiritus Sanctus deſignari. Sonus igitur de ore Domini procedit, cùm conſubſtantialis ejus Spiritus ad nos per Filium veniens ſurditatem noſtræ inſenſibilitatis ſumpſit.*] *De hac igitur ipſa proceſſione, quâ Spiritus Sanctus à Filio procedit ſicut procedit à Patre, Beatus Athanaſius in libro, quem ſcripſit contra Arium, inter cetera ſic ait.* [*Ego credo Filium in Patre, & Patrem in Filio: Spiritum quoque paraclitum, qui procedit à Patre, & Filii eſſe & Patris, quia & à Filio procedit, ſicut in Evangelio ſcriptum eſt, quòd per inſufflationem ſuam dederit diſcipulis ſuis Spiritum Sanctum dicens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, &c.*] *Cyrillus quoque de hac ipſa Spiritûs Sancti proceſſione contra Neſtorium inter cetera ſic ait.* [*Quamvis enim in ſua ſit ſubſtantia Spiritus, & ejus intelligatur in perſona proprietas, juxta id quod Spiritus eſt, & non Filius: attamen alienus non eſt ab illo, nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt. Unde & ab iſto ſimiliter ſicut & à Deo Patre procedit.*] *Ambroſius inter cetera de Spiritu Sancto ſi ait.* [*Non enim quaſi ex loco mittitur Spiritus, aut quaſi ex loco procedit, quando procedit ex Filio.*] *Hieronymus quoque de hac ipſa Spiritûs Sancti proceſſione in ſymboli expoſitione inter cetera ſic ait.* [*Spiritus, qui à Patre & Filio procedit, Patri Filióque coæternus & per omnia coæqualis eſt. Hæc eſt Sancta Trinitas; id eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui ex Patre Filióque procedit.*] *Auguſtinus quoque in expoſitione fidei Catholicæ inter cetera ſic ait.* [*In illa igitur Sancta Trinitate unus eſt Pater, qui ſolus de ſeipſo eſſentialiter unum genuit Filium: & unus Filius, qui de uno Patre ſolus eſt eſſentialiter natus; & unus Spiritus, qui ſolus eſſentialiter de Patre Filióque procedit.*] *Item ipſe adversùs Maximinum hæreticum.* [*Quaris à me, ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius; de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus Sanctus; cur unus Filius, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius; de Patre & Spiritus Sanctus: ſed ille genitus eſt, iſte procedens; ideo ille Filius eſt Patris de quo eſt genitus, iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit.*] *Et poſt paulum ipſe.* [*Amborum eſt ergo Spiritus procedendo de ambobus.*] *Item ipſe in libro de Trinitate inter cetera ait.* [*Cùm per Scripturarum Sanctarum teſtimonia docuiſſem, de utroque procedere Spiritum Sanctum: ſi ergo, inquam, & de Patre & de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, niſi quem admodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de quo ipſe eſt. Unde illud eſt, quod ait. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non eſſe ſuam ſed Patris; quantò magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus Sanctus, ubi ſic ait, de patre procedit, ut non diceret, de me non procedit. A quo autem habet Filius ut ſit Deus, ſi enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus, ac per hoc Spiritus Sanctus ut etiam de illo procedat ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. Item ipſe Spiritus Sanctus. Spiritus verò Sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de ſe, ita quoque de illo procedat.*] *Hæc à nobis ſummo opitulante opifice de Spiritûs Sancti proceſſione multiplicia Sanctarum Scripturarum adgregata ſunt teſtimonia,*

ut divinorum librorum ſententiis victus, multorúmque Orthodoxorum nube teſtium preſſus veritati non valeat reſiſtere inimicus; ſed potiùs ſententiis Catholicis veridicíſque ſuaſus teſtimoniis, revertatur ad tutiſſimum Eccleſiæ ſinum, ut pariter Catholico educatus in gremio, quandoque æternum cum filiis mereatur accipere Regnum. Huic epiſtolæ Titulus hic tribuitur in editione Petri *Delalande*, nec improbatur à Joanne Mabillono, Tomo ſecundo veterum Analectorum in adnotationibus ad Chronicon Monaſterii Sancti Michaelis in pago Virdunenſi. *Epiſtola Caroli Magni Imperatoris ad Leonem III Papam Urbis Romæ directa, à Zmaragdo Abbate Sancti Michaelis in Diœceſi Virdunenſi edita de proceſſione Spiritûs Sancti.*

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

XII. Cæſar Baronius ſcribit non dubitatum vel tractatum in Aquiſgranenſi Concilio, *num Spiritus Sanctus à Patre Filióque procederet, ſed quòd tum apud Hiſpanos tum apud Gallos additæ fuerunt Symbolo quatuor illæ ſyllabæ,* FILIOQUE: *num id benè factum eſſet, ut & ita auctum Symbolum in Eccleſia caneretur?*

XIII. Jacobus Pamelius in notis ad caput octavum Tertulliani contra Praxean, probat variis citationibus antiquiſſimos Eccleſiæ Patres cùm Latinos tum Græcos in ea fuiſſe ſententia, ut Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere crederent. Laudat imprimis Sanctum Cyprianum, quem tertio ſeculo floruiſſe conſtat. Miſſis ceteris, qui procul à Gallia vixerunt, Tomo ſecundo [a] cùm in eadem materia verſaremur, unum allegavimus Hilarium Pictavorum Antiſtitem beatiſſimum, apud quem libro ſecundo de Trinitate, *Spiritus Sanctus de Patre & Filio authoribus confitendus eſt.* Alio non opus eſt ſcripto, ut probè ſcias, quænam veterum Gallorum fides fuerit, antequàm Franci Gallias ipſas in ſuam poteſtatem redigerent. A Gallis ad Francos eadem fidei aſſertio tranſiit. In dubium minimè vocamus, quin longè ante Caroli Magni ætatem Symbolum à Francis cantatum ſit cum illo additamento, FILIOQUE. Anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo-primo celebratum eſt Concilium Conſtantinopolitanum, cujus Symbolum hæc habet de Spiritu Sancto, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ προφητῶν. Id eſt, *& in Spiritum Sanctum, Dominum, vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.* Baronius [b] non diffitetur Symbolum Synodi Conſtantinopolitanæ reperiri *inter Latinos diversâ tranſlatione & cum illo additamento, Filióque.* Walafridus Strabo [c], cujus obitum Guilielmus Eiſengreinius anno Chriſti Salvatoris octingenteſimo quadrageſimo-nono conſignat, Symboli Conſtantinopolitani ſic meminit. *Symbolum fidei Catholicæ rectè in Miſſarum ſolenniis poſt Evangelium recenſetur, ut per Sanctum Evangelium corde credatur ad juſtitiam: per Symbolum autem, ore confeſſio fiat ad ſalutem. Et notandum Græcos illud Symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra Miſſas adſumimus, potiùs quàm alia, in cantilenæ dulcedinem ideo tranſtuliſſe, quia Conſtantinopolitani Concilii proprium eſt, & fortaſſe aptius videbatur modulis ſonorum, quàm Nicænum quod tempore prius eſt. Et ut contra hæreticorum venena, in ipſis etiam Sacramentorum celebrationibus, medicamenta apud Regia ſua urbis ſedem confecta, fidelium devotio replicaret. Ab ipſis ergo ad Romanos ille uſus creditur perveniſſe. Sed apud Gallos & Germanos, poſt dejectionem Felicis hæretici, ſub Glorioſiſſimo Carolo Francorum Rege damnati, idem Symbolum latiùs & crebriùs in Miſſarum cœpit officiis iterari. Concilio quoque Toletano ſtatutum eſt, omni Dominicâ idem Symbolum ſecundùm morem Orientalium Eccleſiarum recitari, ut, priuſquàm Dominica dicatur oratio, fides vera manifeſtius teſtimonium habeat, & ad Corpus Chriſti ac Sanguinem præliandum, pectora populorum purificata accedant.* Alludit ad ſecundum hunc Canonem Concilii Toletani Tertii, quod anno Chriſti quingenteſimo undenonageſimo celebratum eſt. *Sancta conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ vel Galleciæ* (legendum putamus *Galliæ*, id eſt, Septimaniæ, quæ *Gallia Gothica* dicebatur, quia pars erat Galliæ Gothiſque

[a] Ad an. 601. n. 30.

[b] Tom. 4. ad an. 381. n. 29.

[c] Cap. 22.

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

cum Hiſpania tum parebat) *ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut, priuſquàm Dominica dicatur oratio, voce clarâ à populo decantetur, quò & fides vera manifeſtius teſtimonium habeat, & ad Chriſti Corpus & Sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.* Binius in notis ad Concilium Conſtantinopolitanum obſervat *cum augmento Symboli Conſtantinopolitani* auctam eſſe Eccleſiam, atque imprimis Francos ſub ejuſdem Symboli confeſſione factos eſſe Chriſtianos. A Francis igitur, ex quo Chriſtianam Fidem ſuſceperunt, Symbolum ſemper recitatum fuit cum additamento, FILIOQUE. Nec aliam Carolus Magnus, cùm Synodus Francofordienſis habebatur, Fidei confeſſionem edidit, ſcriptis ad Elipandum Metropolitam Toletanum & ceteros Epiſcopos Hiſpaniæ literis [a], in quibus de Spiritu Sancto ſic locutus eſt. *Credimus & in Spiritum Sanctum, Deum verum, vivificatorem omnium, à Patre* ET FILIO *procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum. Credimus eandem Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius eſſe ſubſtantiæ, unius potentiæ & unius eſſentiæ tres perſonas, & ſingulam quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas unum Deum Omnipotentem: Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum Sanctum procedentem ex Patre* ET FILIO: *nec Patrem aliquando cæpiſſe, ſed ſicut ſemper eſt Deus, ita ſemper & Pater eſt, quia ſemper habuit Filium. Æternus Pater, æternus Filius, æternus & Spiritus Sanctus ex Patre* FILIOQUE *procedens.* Symbolum Conſtantinopolitanum, ut Walafridus ſuprà citatus teſtatur, *apud Gallos & Germanos poſt dejectionem Felicis hæretici, ſub Glorioſiſſimo Rege damnati*, id eſt, poſt eandem Synodum Francofordienſem, quæ celebrata eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimoquarto, *latiùs & crebriùs in Miſſarum cœpit officiis iterari.* Unde liquet idem Symbolum ſub Meroveadis Regibus, qui cis & ultra Rhenum ampliſſimas in Gallia Germaniâque provinciis obtinebant, latè jam & crebrò inter Miſſarum ſolennia decantatum fuiſſe, atque etiam cum additamento, FILIOQUE, quod à Gallis uſurpari priùs conſuevit, quàm Franci dirutis idolis Chriſto ſe manciparent. Quapropter in Aquiſgranenſi Concilio non exiſtimamus agitatum, *num benè factum eſſet, ut & ita*, quatuor videlicet his ſyllabis FILIOQUE, *auctum Symbolum in Eccleſia caneretur*; ſed motam eſſe quæſtionem de proceſſione Spiritûs Sancti, utrùm ſcilicet Spiritus Sanctus à Patre tantùm, an à Patre FILIOQUE procedat. Opinionem noſtram tribus argumentis confirmabimus.

[a] Vide an. 794. n. 17.

XIV. Primò, quotquot antiqui Scriptores mentionem Aquiſgranenſis Concilii faciunt, ii noſtram fulciunt ſententiam. Ado manifeſtiſſimè, ſic. *De proceſſione Spiritûs Sancti quæſtio agitatur, utrùm ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio.* Monachus Egoliſmenſis Concilium ſcribit habitum *de Spiritu Sancto procedente à Patre & Filio.* Breviùs Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, & incertus Auctor in vita Caroli Concilium teſtantur celebratum *de proceſſione Spiritûs Sancti.* Nec ullum quis verbum facit de prædicto Symboli additamento in Eccleſia vel canendo vel non canendo. *Quæſtionem Joannes quidam Monachus Hieroſolymis primò commovit.* Ita ſcribunt Annaliſtæ, Loiſelianus, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon incertus Auctor & Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli. Nec ab his diſſentiunt Annaliſta Laureshamenſis & Ado. Ille enim ſic ait. *Quæſtionem Joannes quidam Monachus Hieroſolymis primò concitavit.* Hic verò, ſic. *Hanc quæſtionem Joannes Monachus Hieroſolymis moverat.* Ergo quæſtio, de qua tractatum in Aquiſgranenſi Concilio, exorta primùm Hieroſolymis. Quis autem ſibi perſuadeat à Græcis diſputatum, an in Symbolo cantandum eſſet illud additamentum, FILIOQUE, quod ipſi non recipiebant. Reſtat igitur, ut expreſſis verbis cum Adone pronuntiemus agitatam eſſe in Aquiſgranenſi Concilio quæſtionem, quam Joannes Monachus Hieroſolymis move-

rat de proceſſione Spiritûs Sancti, *utrùm ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio.* AN. CH. 809.

Secundò, Carolus Imperator in ſuis poſt Aquiſgranenſem Synodum ad Leonem Papam literis licèt benè prolixis, nullum verbum habet de Symbolo vel canendo vel non canendo, ſed totus eſt in conglobandis auctoritatibus ex utroque Teſtamento & ex authenticis Patrum ſcriptis, ut quamplurimis teſtimoniis probet de Spiritu Sancto, quòd non à Patre tantùm, ſed à Patre & Filio procedit. Ergo in Aquiſgranenſi Concilio, ut ait Ado jam laudatus, agitata quæſtio de proceſſione Spiritûs Sancti, *utrùm ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio.* CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

XV. XVI.

Tertiò, Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus hiſce temporibus, cùm quæſtio de proceſſione Spiritûs Sancti cœpit agitari, libellum ea de materia juſſu Caroli conſcripſit. In hoc Opuſculo collegit ſententias antiquorum Patrum, qui Spiritum Sanctum à Patre Filióque procedere ſcripſerunt. Horum indiculus ita texitur. Athanaſius, Cyrillus, Hilarius, Ambroſius, Didymus, Auguſtinus, Fulgentius, Hormiſda, Leo, Gregorius, Iſidorus, Proſper, Vigilius Afer, Proclus, Agnellus, Caſſiodorus, Prudentius. Opuſculum ipſum conſule cum notis Sirmondi, qui Vigilium Thapſenſem in Africa, Agnellum Ravennatem in Italia, Epiſcopos agnoſcit, & abjudicat Athanaſio libros undecim de Trinitate, qui citantur à Theodulfo & Latino tantùm ſermone inter Athanaſii opera circumferuntur. Theodulfo in ſua lucubratione mens eadem ac Carolo in literis ad Leonem Papam ſuprà deſcriptis. Uterque varia profert teſtimonia, quibus aſſerit Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere. De Carolo nihil hîc repetemus. Theodulphus quid intendat, in metrica operis ad eundem Carolum Præfatione ſic exponit.

Imperii veſtri, Rex inclyte, juſſa ſecutus,
Defero Theudulfus hæc documenta libens.
Quîs Patre ſeu Nato procedere Spiritus almus
Adſtruitur, Legis hoc reboante tubâ.
Hoc Evangelium, hoc promit Apoſtolus auctor,
Hoc canit unanimis vox pia ſacra Patrum.

Et paulò pòſt quonam tempore hæc quæſtio moveri cœperit, ita declarat. XVII.

Inclyta Sanctorum mecum eſt ſententia Patrum,
Quos benè ſpiramen Flaminis hujus agit.
Túque manum injicies, vegetat quem Spiritus ille,
Cauſa tuo cujus tempore cœpit agi.

Agitata igitur in Aquiſgranenſi Concilio hæc quæſtio, utrùm Spiritus Sanctus ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio, illiúſque quæſtionis definiendæ causâ directi Romam Bernharius Wormacienſis Epiſcopus & Adalhardus Corbeïenſis Abbas, quorum collocutio cum Romano Pontifice in annum ſequentem rejici debet. Interim per anteceſſum quid Leo Papa ſenſerit, ex Actis ejuſdem Collationis accipe. *Lectis à prædictis Miſſis* Bernhario & Adalhardo *per ordinem teſtimoniis* de proceſſione Spiritûs Sancti, *atque à Domno Apoſtolico diligentiſſimè auditis, ait. Ita ſentio, ita teneo, cum his Auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re ſentire vel docere voluerit, defendo; & niſi converſus fuerit, & ſecundùm hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſententem funditus abjicio.* Secuta pòſt altera quæſtio, de qua fuſiùs anno proximo diſſeremus, utrùm id benè fiat, ut Symbolum quatuor illis ſyllabis, FILIOQUE, auctum in Eccleſia canatur. Redeamus ad Concilium Aquiſgranenſe. XVIII.

Agitatum eſt etiam, inquit Annaliſta Loiſelianus, *in eodem Concilio de ſtatu Eccleſiarum, & converſatione eorum qui in eis Deo ſervire dicuntur. Nec aliquid tamen diffinitum eſt, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem.* Alii conſentiunt Annaliſtæ, Laureshamenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon Ado, XIX. ET DE STATU ECCLESIARUM.

AN. CH. 809. Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli. Reginonem, quem vir eruditus in hac cauſa citat, non addimus, nullum enim de Synodo Aquiſgranenſi verbum apud hunc Chronographum reperitur.

XX. PATRIARCHÆ FORO-JULIENSES. Urbanus Patriarcha Foro-Julienſis obiit hoc anno, cùm ſediſſet annis quinque. Succeſſit Maxentius. De utroque Ughellus in Patriarchis Aquileïenſibus.

XXI. EPISCOPI PLACENTINI. Obiit & hoc anno Julianus Epiſcopus, qui Placentinam Diœceſim rexit annis undetriginta. Sepultus eſt in Baſilica Sancti Joannis Evangeliſtæ. Datus ei ſucceſſor Podus civis Placentinus, vir inſignis pietate, doctrinâ & facundiâ. Lege Ughellum in Epiſcopis Placentinis & Petrum Mariam *Campi* libro ſeptimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Placentinæ.

XXII. AUGUSTANI. Symbertus Epiſcopus, cùm Auguſtanæ Eccleſiæ laudabiliter utiliſſimèque præfuiſſet annis triginta, migravit in cælum hoc anno, tertio Idus Octobris. Egregiam ſibi laudem comparavit, *concionando, docendo, & collapſa Templa pulchrè reparando.* Sepultus fuit in Eccleſia Sanctæ Afræ. Baſilicam illam, quæ flagrante inter Majores-domûs & Odilonem Bojoariorum Ducem bello vaſtata quondam fuerat, inſtaurarat munificentiſſimè. Sanctus prædicatur in Catalogis Auguſtanorum Antiſtitum. Succeſſit in Epiſcopatum Hauto ſive Hanto. Lege Bruſchium Tomo primo de Epiſcopatibus Germaniæ, & Bucelinum parte primâ Germaniæ Sacræ.

XXIII. LUDGERI EP. MIMIGARDEVORDENSIS OBITUS. Hoc eodem anno, qui prædictus fuit literâ Dominicali G, celebravitque Paſcha ſexto Idus Aprilis, Ludgerus primus Mimigardevordenſis Epiſcopus, cujus nomen in Tabulis Eccleſiaſticis ſeptimo Kalendas Aprilis invenitur, ex hac vita migravit nocte, quæ Dominicam Paſſionis diémque Martii viceſimam-quintam ſequebatur. Audi Altfridum in ejus vita. *Cùm Omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere piis ejus ſtudiis decreviſſet, ante obitum ſuum, aliquanto tempore, corporis moleſtiâ depreſſus eſt, in infirmitate tamen poſitus conſueto more ſanctis ſemper actibus intentiſſimè mentem occupavit, aut in Lectionibus ſacris audiendo, aut in Pſalmis canendo, vel etiam in aliis quibuſdam ſpiritalibus rebus agendo, ne umquam à ſuperna contemplatione diſſoluta tepeſceret, & penè diebus ſingulis Miſſarum Sacramenta, quamvis ægrotus corpore, infatigatus tamen animo celebravit. Ipſo verò die Dominico, cùm in ſubſecuta nocte de hoc eſſet mundo iturus ad Dominum, quaſi valefaciens creditis ſibi ovibus, in duabus ſuis Eccleſiis publicè prædicavit: mane ſcilicet in loco, qui dicitur Coasfeld, canente Presbytero Miſſam, & circa horam tertiam in loco nuncupato Billurbeki, ubi ipſe infirmatus corpore, ut ſuprà retulimus, ſed fervore caritatis validus, devotè Miſſarum ultima celebravit ſolemnia, ubi etiam ipsâ ſubſequenti nocte adſiſtentibus diſcipulis dilectam Domino reddidit animam.* Coesfeldia * Borkelæ fluvio impoſita ſex horarum itinere in Occaſum diſtabat à Mimigardevorde, duarum duntaxat à Billerbeka * in Meridiem. Uterque locus etiamnum ſtat in Epiſcopatu Monaſterienſi, Mimigardevordenſi quondam dicto. Coesfeldiam egregiè munierunt, ſuâque reſidentiâ cohoneſtarunt recentiores Epiſcopi. Dexteram Iſalæ ripam ad Zutphaniam cognominis Comitatûs urbem primariam ſubit Borkela ſeu Berkela *.

* Coesfelt.

* Billerbeck.

* le Berkel.

XXIV. *In ipſa hora*, quâ Ludgerus obiit, *clementiæ ſuæ Dominus*, ut Altfridus proſequitur, *dignatus eſt oſtendere ſignum. Nam Gerfridus Presbyter, nepos ejus & ſucceſſor, cùm nocte eâdem unà cum fratribus gratiâ viſitandi ad illum feſtinus properaſſet, & paululùm adhuc itineris remaneret, viderunt ante ſe lumen magnum quaſi ignem in ſublime conſcendere, ac cunctas terræ noctis effugaſſe tenebras, & ſtatim per hoc indicium intelligentes Sancti ac venerabilis Patris obitum, quod reliquum erat viæ cum magnâ velocitate peregerunt, jámque eum defunctum invenerunt, & ſubtiliter requirentes agnoverunt, quòd eodem momento veri luminis aſſiduus ſpeculator & amator migravit ad Dominum, quo eis fuit per lumen oſtenſum.* Chriſtophorus Browerus aliam Ludgeri vitam publicavit, quæ parem non meretur fidem, quoniam parachroniſmos habet, ut hoc loco,

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

cùm Auctor lucem, quam Gerfridus haud procul à Coesfeldia conſpexit, apud Aquiſgranum viſam pariter à Carolo Auguſto & ab Alcuino ſimul egreſſis ad inſpicienda ſidera ſic aſſerit. *Vidit quoque hoc & mirandus Imperator Carolus, qui eo tempore in Aquis Palatio moratus eſt. Eâdem namque horâ pro inſpectione ſiderum cum Alcuino, à quo Aſtrologiam didicerat, fuerat egreſſus, ſed quid ſignificaret manſit ignarus. Poſtmodùm verò dum veniens ad comitatum Gerfrid de tranſitu ejus Imperatori indicaret, de luce quoque, quæ viſa fuerat, non celavit.* Carolum Aquiſgrani tunc fuiſſe non inficiamur, illic enim Paſcha celebravit, ut ex veteribus Annaliſtis probatum ſuprà. Sed id quomodo dici poteſt de Alcuino, cujus obitus anno Redemptionis octingenteſimo quarto, menſe Maio contigit, id eſt, integro ferè quinquennio priuſquàm Lugderus ex hac vita diſcederet?

XXV. SEPULTURA.

Quod ad Ludgeri ſepulturam attinet, Altfridus ita ſcribit. *Diſcipuli non immemores qualiter idem Domini Sacerdos diſpoſuerat adhuc vivens, ut in loco nuncupato Werthina, ubi in hæreditate propria ob habitaculum Monachorum in honorem Sancti Salvatoris & Sanctæ Dei Genitricis Sanctique Apoſtolorum Principis Petri ipſe conſtruxit Eccleſiam, ejus ſepeliretur corpus: ſed cùm ad hoc agendum populus, illius ſancta recolens merita, vehementer reſiſteret, inito conſilio ad Monaſterium ab eo compoſitum, vocabulo Mimigerneford, de quo jam diximus, perduxerunt illud, atque in Eccleſia Sanctæ Mariæ inhumatum reliquerunt, donec Venerabilis Epiſcopus Eccleſiæ Cadalanenſis *, Hildgrimus nomine, germanus ejuſdem viri Dei atque ab eo eruditus, ageret cum Glorioſo Rege Karolo, ut ejus imperio, imò Dei conſilio, in loco, ubi vivus ipſe decreverat, ſanctum illius conderetur corpus extra Eccleſiam à parte Orientali, ut juſſerat ipſe, non enim erat unquam conſentiens, ut in Eccleſia ſua conſecrata ſepeliretur corpus humanum. Defunctus eſt itaque anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo nono, VII Kalendas Aprilis, & triceſimo-ſecundo die ſancti ſui obitûs, hoc eſt, VII Kalendas Maii, mirificè fragrans in loco præfato ſepultus eſt.* Apud Anonymum editum à Browero ut & apud alios Auctores frater Ludgeri vocatur *Hildegrimus*, & *Catalaunenſis Eccleſiæ* dicitur *Antiſtes*. Annum in Epiſcopatu quintum agebat Hildegrimus, cùm trans Rhenum vocatus eſt ad curandum Ludgeri fratris funus.

* legendum Catalaunenſis.

XXVI.

Joannes Cincinnius [a] in vita Sancti Ludgeri, poſtquàm narravit relatum Carolo Magno, quid ipſemet Ludgerus de ſepulturæ ſuæ loco ſtatuiſſet, hæc ſubdit. *Religioſiſſimus idem Rex & Imperator, tantis Sanctiſſimi Chriſti Confeſſoris meritis accenſus, non ſolùm deſideratum mandatum libenter conceſſit; ſed etiam ipſum, & hoc Monaſterium, in quo ſepeliendus fuerat, magnificâ tunc oblatione & largâ Donatione honoravit. Tradidit namque ad ejus corporis venerandas Reliquias huic Werthinenſi Monaſterio perpetuè propria & bona ſua in pago Sele *.* Pagus hic ab illo Scriptore perperam collocatur *intra flumina Deuderam & Scheldam*, jacet enim ad ſiniſtrum Scaldis ſeu Scheldæ latus, & unâ circiter ab eo leucâ diſtat, ut & à Dormira flumine, quod à læva Scaldim ſubit Teneramundam inter & Temſecam, ut in notis ad vitam Sancti Ludgeri teſtatur, atque auctoritate rhythmici Poëtæ ſic confirmat Henſchenius.

[a] Cap. 46.

* hodie *Zeele, entre l'Eſcaut & la Durme.*

Fama egregia jam in domo Regia,
Miſerente Deo, fuit de Ludgero.
Unde per proprium illum adhuc prædium
Carolus honorans, Werthinaque donans,
Quod Sele dicitur, & duobus cingitur
Dormirâ & Schildâ fluviis, & ſylvâ.

XXVII.

Ludgerus Epiſcopus fuit Mimigardevordenſis & Abbas Monaſteriorum Werthinenſis ac Lutoſani. Quidam illum non tantùm Abbatem ſed etiam Monachum negant extitiſſe. Duplicem illam quæſtionem hîc examinandam ſuſcipimus.

AN. CH. 809.

Arnoldus Wion [a] Ludgerum ait fuisse *Monachum primùm Sancti Salvatoris Trajecti, deinde Casinensem, pòst Beneventanum.* At nihil horum constanter asseri potest.

XXVIII.

[a] Lib. 2. c. 47.

MONACHATUS.

In Ultrajectino Monasterio Sancti-Salvatoris utrùm Monachi an Clerici seu Canonici degerint, apud multos est in ambiguo, sed Canonicos causâ superiores ostendunt quæ Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum septuagesimum - octavum [b] retulimus de quatuor vicibus, per quas singulis annis Albricus Episcopus cæteique Presbyteri, quibus annumeratur Ludgerus, Cœnobium illud *præ cæteris Præpositis in doctrinæ studio & sanctæ conversationis* regebant.

XXIX.

[b] Num. 27.

XXX.

Auctor præcitatus Beneventanum Monasterium in encomio Ludgeri perperam distinguit à Casinensi, nam Casinense Monasterium, quod Ludgerus adiit, Beneventanum etiam à quibusdam vocatur, quia situm in Præfectura Ducis Beneventani.

XXXI.

Vixit Ludgerus annos duos in Casinensi Cœnobio, Monachicóque tunc usus est vestitu, sed observantiam Regulæ non promisit, & quem aliquando gestavit, postèà cucullum deposuit. *Cucullum,* inquit Altfridus, *eò quòd promissionem observationis Monachorum Regulæ non fecerat, portare desivit.* Werthinensis Litaneutes rem eandem rhythmicis Versibus sic exponit.

Sancto consilio cum filiis habito
Permiserunt eum conversari secum:
Cucullam sumere, non tamen promittere
Observationem ejus Regularem. &c.
Erat, ut diximus, Lindgerus doctissimus,
Quicquid & docebat, priùs faciebat:
Hos verbis corrigens, hos exemplis dirigens,
Sanctitatis piam informavit viam.
Unde & meritò meruit à Domino,
Idem disciplinâ esse, qui doctrinâ:
Quamvis cessaverit indui, quem induit,
Cucullæ vestitu, Monachorum ritu:
Nam hoc indutus est, sicut antè dictum est,
Pro experimento tantùm vestimento.
Nec hujus Regulæ ullum observantiæ
Fecerat promissum, ut in hac est scriptum.

XXXII.

Licèt hæc adversùs Wionem dici possint, &, teste Altfrido, Ludgerus observantiam Regulæ Monasticæ numquam promiserit, ideóque desierit cucullum gestare, quem aliquando cum Monachis Benedictinis in Casinensi Monasterio portaverat, non possumus iis assentiri, qui Ludgerum è fastis Ordinis Benedictini delendum contendunt. Ludgerus, ut ex Altfrido & ex aliis Auctoribus non semel allegatis constat, ex Anglia rediit *in Monasticis eruditionibus illustrior.* Deinde *perrexit Romam, & inde progrediens pervenit ad* Casinense *Monasterium Sancti Benedicti in Regno Beneventino, & illic in sancta conversatione* per integrum biennium cum habitu Monachico *consistens didicit Regulam ejusdem Sancti Patris Benedicti. Erat enim cupiens in hæreditate sua Cœnobium construere Monachorum, quod ita postèà Domino opitulante factum est in loco, qui vocatur Werthina.* Factus Mimigardevordensis Episcopus *Domino honestum construxit Monasterium* Mimigardevordæ *sub Regula Canonica Christo famulantium,* curam tamen Cœnobii Werthinensis, in quo Regula Sancti Benedicti servabatur, haud dimisit; imò post aliquot annos, cùm Helmenstadium adversùs Wandalos muniisset, ibi quoque Monasterium condidit Benedictinum, quod Werthinensi voluit in perpetuum subjici, rexítque deinceps utrumque quandiu vixit, atque etiam in eodem Werthinensi Monasterio suæ locum elegit sepulturæ. Quis Ludgerum, his attentè ponderatis, Sodalitio Benedictino non adscribat?

Nobis

Nobis quoque diſplicet eorum opinio, qui Ludgerum vel Abbatem omnino negant, vel Abbatem eo tantùm modo quo Gregorium, ipſiuſmet Ludgeri Magiſtrum, Abbatem Sancti Salvatoris apud Ultrajectum agnoſcunt. AN. CH. 809. XXXIII.

Ludgerum Abbatiali gaviſum titulo vetera docent Diplomata poſt erectam Werthinam, cùm ad Epiſcopales Infulas nondum aſſumptus eſſet. Plurimùm autem diſcriminis inter Werthinenſe Monaſterium & Ultrajectinum intercedit. Canonicorum enim eſt Ultrajectinum, Werthinenſe verò Monachorum eorúmque Benedictinorum. Verus igitur Abbas cenſeri debet Ludgerus, qui Monaſterium Werthinenſe condit gubernátque ſecundùm Regulam Sancti Benedicti, quam in Caſinenſi Monaſterio totius Ordinis primario ſtudioſiſſimè didicit. ABBATIALIS DIGNITAS. XXXIV.

Conſtantinus Ghinius Ludgerum Canonicis adſcribit. Id tolerari poteſt, nec ſuperioribus adverſatur aſſertionibus, quia Ludgerus, priuſquàm Cœnobium Benedictinum apud Werthinam erigeret, Ultrajecti multis annis cum Canonicis in Monaſterio Sancti Salvatoris degit, imò per vicem iiſdem Canonicis præfuit cum Albrico Epiſcopo duobúſque Preſbyteris Adalgero & Thiadbrahto, de quibus ſic Altfridus in ejuſdem Ludgeri vita. *Diviſit Albricus annum in diſtributiones quatuor, ita ut in Trajecto Monaſterio præ ceteris Præpoſitis ipſe in tempore vernali in doctrinæ ſtudio & ſanctæ converſationis præeſſet fratribus menſes tres; deinde poſt eum in æſtate Adalger Presbyter in vice ſua menſes tres; poſt hunc Liudgerus Presbyter menſes tres; deinde in hyeme Thiadbraht Presbyter menſes tres.* XXXV. VITA CLERICALIS.

Ludgero ſucceſſit in Epiſcopatum Gerfridus è ſorore nepos, in adminiſtrationem Monaſterii Werthinenſis Hildegrimus frater & idem Gerfridus; hi cum proximis ſucceſſoribus Altfrido & Hildegrimo Juniore non Abbates ſed Procuratores tantùm ſeu Proviſores aut Rectores dicti ſunt, ut obſervat Bucelinus in Monaſteriologia Imperii Germanici, variáque teſtantur apud Henſchenium Diplomata ſuis locis inferiùs alleganda. Ceteris híc omiſſis, unius duntaxat mentionem faciemus, quod Rectores Monaſterii Werthinenſis Hildegrimum Seniorem & Gerfridum anno ſexto Ludovici Pii Imperatoris ſimul ita repræſentat. *Ego Sigihard tradidi particulam hæreditatis meæ, quæ conjacet in villa Fiſelaco, in pago Ruricgoa, hoc eſt, de terra plenum jornalem tradidi ad Reliquias Sancti Salvatoris, quæ collocatæ ſunt in loco, qui dicitur Werthina, in pago Ruricgoa, in Ducatu Ripoariorum, ubi Hildigrimus & Gerfridus Epiſcopi Rectores præeſſe videntur.* &c. *Acta eſt autem die* III *Id. Septemb. anno* VI *regnante Domno noſtro Hludowico Glorioſiſſimo Rege ac Imperatore.* XXXVI. SUCCESSORES.

Erat Sanctus Ludgerus in Scripturis Sacris non mediocriter eruditus, ſicut in libro ab eo compoſito de vita venerabilium ejus Doctorum, Gregorii ſcilicet & Albrici, apertè probatur, ſed & primordia Sancti Bonifacii adventûs atque ordinationis, quæ fuerant in alio opuſculo prætermiſſa, pulchro ſermone ipſe conſcripſit. Ita ſcribit Altfridus in ejus vita. Chriſtophorus Browerus ex Fuldenſi Codice vitam Sancti Gregorii Preſbyteri & Ultrajectinæ Eccleſiæ Rectoris, à Sancto Ludgero ejus diſcipulo ſcriptam publicavit. In hoc opere Ludgerus multa de Sanctis Albrico & Bonifacio commemorat, atque etiam diſtinctiùs quàm ceteri Scriptores, qui verſati ſunt in eadem materia. Quapropter alias fruſtrà lucubrationes requiras, in quibus Ludgerus vitam Sancti Albrici & primordia Sancti Bonifacii complectatur. Eidem Ludgero perperam adſcribitur epiſtola de canonizatione Sancti Swiberti, ſpuria eſt enim, & à nobis, ut occaſio poſtulavit, abundè refutata. XXXVII. ERUDITIO ET SCRIPTA.

Non pauca diverſis locis allegavimus ex Altfrido, quæ probant Ludgerum, ut alios erudiret, nulli labori peperciſſe. *Diſcipulis etiam ſuis*, inquit idem Encomiaſtes, *mane diebus ſingulis tradere per ſe lectiones non neglexit.* Ex illorum diſcipulorum numero fuit ipſemet Altfridus, qui poſt Gerfri- XXXVIII.

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

dum redimitus eſt Inſulis Mimigardevordenſibus, & Epiſcopatum ab anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-nono ad annum Redemptoris octingenteſimum undequinquageſimum geſſit. Epiſcopus erat, cùm vitam Sancti Ludgeri ſcribendam ſuſcepit, ut in operis ſui Prologo teſtatur, eodémque tempore Nordmanni maritimas Francorum provincias infeſtabant, ut oſtendit in contextu ſuæ narrationis, ubi viſionem ac prædictionem Beati Ludgeri ſic enarrat exponítque. *Terribile vidit ſomnium, quod narrans Heriburgæ ſorori ſuæ, dixit. Vidi per ſomnium quaſi Solem fugientem ſupra mare à partibus Aquilonis, & nubes teterrimas ſequentes: qui fugiens ac deficiens pertranſivit nos, itaut elongatus à nobis videri non poſſet, & caligines, quæ eum fuerant ſecutæ, obtinuerunt omnia hæc loca maritima. Poſt multùm verò temporis reverſus eſt Sol, minor & pallidior quàm fuiſſet priùs, effugavítque caligines trans mare. Et hæc dicens, ubertim faciem ſuam irrigavit lacrymis. Quem dum ſoror ejus flentem cerneret, flevit & ipſa dicens. Quid ſibi vult hoc ſomnium? Cui ille reſpondit. Venturæ ſunt à Nordmannis perſecutiones magnæ, & inſtantia bella, devaſtationéſque immenſæ, itaut hæc delectabilia loca maritima, peccatis exigentibus, penè inhabitabilia efficiantur; deinde poſt hæc, favente Domino, reddita erit pax Dei Eccleſiæ; & ſeveriſſima plaga, quæ regionibus his incubuerat, infra ipſos Nordmannos retorquebitur. At illa cum gemitu dixit. O utinam dignetur Dominus auferre me de hoc ſeculo, priuſquàm mala hæc ſuperveniant. Cui ille. Non ita erit, inquit, ſed in diebus tuis hæc erunt, ego verò peſtem illam in hoc corpore non videbo. Hujus ergo vaticinii veritas, ejuſdem ſororis ſuæ noſtríſque eſt probata temporibus. Nam omnibus diebus, quibus idem Dei famulus in hoc ſeculo vixerat, pax fuit undique, itaut nullus putaret ullam hìs regionibus perturbationem à Nordmannis evenire poſſe. Sed poſt ejus obitum à gente ſaviſſima Nordmannorum innumerabilia penè annis ſingulis perpeſſi ſumus mala. Nam concremata ſunt Eccleſiæ, Monaſteria deſtructa, deſerta ab habitatoribus prædia, in tantùm ut peccatis facientibus regiones maritimæ, quas priùs multitudo tenebat hominum, penè ſint in ſolitudinem redactæ. Sed Solem juſtitiæ, qui pro noſtris peccatis elongatus abſceſſit, reverſurum ſperamus, &, juxta præſagium viri Dei, pacem Domini Eccleſiæ redituram.* Ut explicationem hujus Prophetiæ meliùs intelligas, obſerva Friſiam à Danis ſeu Nortmannis vaſtatam eſſe anno poſt Ludgeri mortem proximo, ut ex veteribus Annaliſtis anno ſequenti natrabimus. Prætereà lege de Geſtis Nortmannorum in Francia quod ab Andrea Ducheſnio [a] publicatum eſt Chronicon ab anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio ad annum Redemptoris octingenteſimum nonageſimum-ſextum. *Northmanni venientes in Friſiam, aliquam partem ex illa devaſtaverunt, homines quoſdam occiderunt, quoſdam captivos abduxerunt, partémque ejus igni cremaverunt anno Domini* DCCCXXXIII, *regnante Ludovico Auguſto Karoli Magni filio.* Hæc Auctor prædicti Chronici. Sequuntur apud eundem Chronographum frequentes Nortmannorum incurſiones annis ferè ſingulis ad Carolum uſque Regem prænominati Ludovici pronepotem. Aliis ſilentio prætermiſſis, hîc notandæ tantùm, quæ factæ ſunt Altfrido Mimigardevordenſem Pontificatum gerente. Suſcepit Altfridus Epiſcopatum anno Domini DCCCXXXIX. Nortmanni Franciam aggreſſi ſunt annis, DCCCXL, DCCCXLI, DCCCXLIII, DCCCXLIIII, DCCCXLV, DCCCXLVI, DCCCXLVIII. Vitam clauſit Altfridus anno Domini DCCCXLIX. Et ne quietem Francis tunc redditam putes, audi ex eodem Chronico, quid anno proximo Nortmanni geſſerint. *Anno Domini* DCCCL *Northmanni Freſiam & Batavos populantur, & in oppido Gandavo venientes Sancti Bavonis Monaſterium incendunt. Deinde Rotumum* *, *& uſque Belvacum* * *pedeſtri itinere pervenerunt.* Rectè igitur Altfridus in vita Sancti Ludgeri ſuam de Prophetica viſione narrationem, quam ſuprà deſcripſimus, ita clauſit. *Solem juſtitiæ, qui pro noſtris peccatis elongatus abſceſſit, reverſurum ſperamus, &, juxta præſagium viri Dei, pacem Domini Eccleſiæ redituram.*

PROPHETIA.

[a] Tom. 2. Collect Hiſt. Franc.

* Roüen.

* Beauvais.

Hoc anno Thiorus ex Clerico Regio Bajocenſis Epiſcopus in Gallia Chriſtiana commendatur à Roberto & à Sammarthanis. AN. CH. 809.

Ravelius ſeu Revelius Auſcienſis Epiſcopus, qui Præſulatum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto ſuſcepit, apud Joannem Chenutium ſedet annos quindecim, vitam igitur hoc anno clauſit. Succeſſor nuncupatur Salvinus, Galvius, & Salvius. XXXIX. THIORUS EP. BAJOC. XL. EPISCOPI AUSCIENSES.

Obiit etiam hoc anno Wenebaldus Gandenſis Abbas, cui ſucceſſit Bridoo, ut habet Sanderus in Auctario ad primum Tomum Flandriæ Illuſtratæ. XLI. ABBATES GANDENSES.

Apud Jacobum Sirmondum in Catalogo Capitularium quæ Carolus poſt aſſumptum Imperatoris nomen promulgavit, ex Metenſi Codice ad nonum hunc annum Imperii Carolini memoratur Aquiſgranenſe Capitulare in ſeptem ac triginta diſtributum Capitula. *Anno* IX *in Aquis Palatio Capitula* XXXVII. *De Eccleſiis non benè &c.* Nonnulla ſolos exhibent Capitulorum Titulos; alia partim in tertio Capitularium libro, partim in ſecunda leguntur Appendice. Totum Capitulare, ut illud Stephanus Baluzius ex eodem Metenſi Codice deſcriptum nobis communicavit, hic per ſingula diſtinctum Capitula ſubjicimus. XLII. CAROLUS AUG. EDIT CAPITULARIA.

I. De Eccleſiis non benè reſtauratis. XLIII.

II. De cauſis quæ cotidie non ceſſant. Sic habet Appendix ſecunda Capitulo decimo-ſeptimo. XLIV.

III. De pace latronum. XLV.

IV. De concordia fidelium noſtrorum. XLVI.

V. De fugitivis quos non ceſſant recipere & abſcondere. Huic Capitulo ſimile eſt duodeviceſimum Appendicis ſecundæ. XLVII.

VI. De vagis peregrinis qui propter Deum non vadunt. In eadem Appendice Capitulum undeviceſimum inſcribitur *de vagis peregrinis.* XLVIII.

VII. De homicidiis. Sic habet & eadem Appendix Capitulo viceſimo. XLIX.

VIII. De monetis & menſuris modiorum & ſextariorum. In eadem Appendice Capitulum viceſimum-primum ſic effertur. *De commendatis menſuris modiorum & ſextariorum.* L.

IX. De beneficiis noſtris non benè condrectis. Et ut nona vel decima per omnia donentur. Ejuſdem Appendicis tale eſt Capitulum viceſimum-ſecundum. *De beneficiis noſtris non benè conſtructis.* LI.

X. De Clericis & Vaſallis, ut nullus ſine licentia Domini ſui recipiatur. LII.

XI. De meziban, id eſt, de latrone forbannito. Ut unuſquiſque Comes alio mandet, ut nullus eum recipere audeat. Si liber eum ſuſceperit, ſolidos quindecim componat. Si ſervus, centum viginti ictus accipiat, & inſuper dimidium caput ejus tondeatur. Exceptâ dimidiati capitis tonſurâ totum hoc Capitulum in tertio Capitularium libro continetur Capitulis quadrageſimo-nono & quinquageſimo. LIII.

XII. Ut nullus abſque juſtitia pauperem & inopem expoliare præſumat. LIV.

XIII. Ut nullus ad Placitum venire cogatur, niſi qui cauſam habet ad quærendam; excepto Scabinis & Vaſallis Comitum. Cum hoc Capitulo confer quadrageſimum libri tertii Capitularium, quod Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium ex additione ad Legem Salicam tunc facta deſcripſimus, necnon & quintum ſubſequentis Capitularis inſcriptum *de illis qui ad Placitum banniri debeant.* LV.

XIV. Ut nullus audeat præſtare adjutorium ei qui malè facit aut reſpondere. LVI.

XV. Ut Miſſi noſtri per miſericordiam viriliter in omnibus agant. LVII.

XVI. De teſtibus ſicut in anterioribus Capitulis continetur, ut jejuni ad Placitum veniant, &, poſtquàm comederint, nec teſtimonium dicere nec ſacramentum jurare poſſint. Et ut, priuſquàm jurent, ſeparatim diſcutiantur. Utramque hujus Capituli Sanctionem habes Tomo ſuperiore[a] deſcriptam ex Decreto Caroli de Regno Longobardico. LVIII.

[a] Adan. 781. n. 86.

AN. CH. 809. LIX. LX. *XVII. Ut nullus præmium recipiat propter juſtitiam tollendam.*

XVIII. De mercatis, ut in die Dominico non agantur, ſed in diebus quibus homines ad opus dominorum ſuorum debent operari. In primo Capitularium libro brevius eſt Capitulum centeſimum quadrageſimum-quintum. *Ut mercatus die Dominico in nullo loco habeatur.*

LXI. *XIX. De pontibus & viis, ut nullus ibi teloneum accipiat. Et ut nullus cogatur ad pontem ire ad flumen tranſeundum propter telonei cauſam, quando ille in alio loco compendioſiùs illud flumen tranſire poteſt.* Lege in Capitularibus Capitulum quinquageſimum-quartum libri tertii.

LXII. *XX. Ut omnes judicio Dei credant abſque dubitatione.* Hoc Capitulum videtur intelligendum de canonicis probationibus, quæ temporibus illis ad explorandum purgandúmque crimen erant in uſu.

LXIII. *XXI. Si Presbyter chriſma dederit, ab Epiſcopo degradetur, & poſtmodum à Judice manum perdat, ſi propter judicium ſubvertendum hoc fecerit.* Lege in Capitularibus Capitulum quinquageſimum-quintum libri tertii.

LXIV. *XXII. Ut Judices, Vicedomini, Præpoſiti, Advocati, Centenarii, Scabinei, boni & veraces cum Comite & populo eligantur, & conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda.* De hoc Capitulo ad undecimum ſubſequentis Capitularis recurret ſermo.

LXV. *XXIII. Si verò Advocatus ſacramentum contra alium habuerit, & jurare non poteſt, propter hoc beneficium ſuum non perdat.*

LXVI. *XXIV. De debitis pauperum anterioribus & negotia facienda antequàm fructus colligatur, omnino inantea cavenda hoc ex ore proprio locuti ſumus. Unuſquiſque præſenti anno ſive libero ſive ſervo ſuum de famis inopia adjutorium præbeat.*

LXVII. *XXV. Ut loca, ubi Placita eſſe debent, benè reſtaurata fiant, ſicut ore proprio diximus, quò in hyberno & in æſtate ad Placita obſervanda uſus eſſe poſſit.* Lege Capitulum quinquageſimum-ſeptimum libri tertii Capitularium.

LXVIII. *XXVI. De traditionibus, ut in abſcondito non fiant propter contentiones diverſas.*

LXIX. *XXVII. Ut nullus comparationes faciat cum paupere doloſè, niſi per juſtitiam.*

LXX. *XXVIII. Ut poſtquàm quiſque ad mortem fuerit judicatus, neque Judex fiat, neque Scabinus, neque teſtis, nec ad ſacramentum recipiatur; ſed unde alii jurare debent, ipſe ſemper ad judicium Dei examinandus accedat.*

LXXI. *XXIX. Sacramenta verò, quæ ad Palatium fuerint judicata, ibidem finiantur. Et, ſi conſacramentales homines cum ipſo venire renuerint, Juſſione Dominicâ aut Indiculo ad Palatium venire cogantur.* Huic Capitulo perſimile eſt quod occurrit duodeſexageſimum in tertio Capitularium libro.

LXXII. XXX & XXXI eadem ſunt in Capitularibus cum quadrageſimo-ſeptimo & duodequinquageſimo libri tertii, quæ inſcribuntur de hominibus ad mortem dijudicatis, & à nobis Tomo ſuperiore [a] deſcripta ſunt ex Decreto Caroli de Regno Longobardico.

[a] Ad an. 781. nn. 38. 39.

LXXIII. *XXXII. Ut Comes, qui latronem in forbanno miſerit, vicinis ſuis Comitibus notum faciat eundem latronem eſſe forbannitum, ut illi eum non recipiant.* Hoc Capitulum cum eo convenit, quod eſt quinquageſimum in tertio Capitularium libro.

LXXIV. *XXXIII. Ut nullus quiſlibet Miſſus noſter, neque Comes, neque Judex, aut Scabinius, cuilibet juſtitiam dilatare præſumat, ſi ſtatim adimpleta poterit eſſe ſecundùm rectitudinem; neque præmia pro hoc à quolibet homine per malum ingenium accipere præſumant.* Huic Capitulo ſimillimum eſt quod occurrit quinquageſimum-tertium in eodem tertio Capitularium libro.

LXXV. *XXXIV. Ut nemo propter cupiditatem pecuniæ & propter avaritiam ſuam priùs det pretium & futuram coemptionem ſibi præparet, ut duplum vel triplum tunc recipiat. Sed tunc tantùm, quando fructus præſens eſt, illos comparet.* Hoc Capitulum eſt decimum-ſextum Appendicis ſecundæ.

Digitized by Google

XXXV. De hoſpitalitate & ſuſceptione iterantium * *tam Miſſorum noſtrorum quàm reliquorum bonorum hominum.* XXXVI. *Quòd Miſſos noſtros ad vicem noſtram miſimus.* XXXVII. *De illis, qui vinum & annonam vendunt antequàm colligantur* *, *& per hanc occaſionem pauperes efficiuntur.* Tria hæc poſtrema Capitula recenſentur in eadem Appendice, viceſimum-quintum, viceſimum-ſextum, & viceſimum-ſeptimum. AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

Alterum Capitulare, quod ad hunc annum pertineat, ex Codice Navarrico nobis quoque communicavit Stephanus Baluzius. At inſpectis Capitulis, quæ numero ſunt ſexdecim, ea deprehendimus cum totidem Capitulis ſuperioris Capitularis in omnibus penè convenire: vixque differre à centeſimo quadrageſimo-quinto libri primi Capitularium; à quadrageſimo, quadrageſimo-ſeptimo, quadrageſimo-octavo, quadrageſimo-nono, quinquageſimo, quinquageſimo-ſecundo, ſexque proximè ſequentibus libri tertii; à decimo-ſexto, viceſimo-tertio, & viceſimo-quinto ſecundæ Appendicis. Quapropter ambo Capitularia ſimul hic conferemus, oſtendemúſque breviter in quibus hæc à prædictis libris atque Appendice Capitularium diſcrepent. LXXVI. * *itinerantium* * *colligant* LXXVII.

Primum & ſecundum ſunt de hominibus ad mortem dijudicatis, eadémque cum triceſimo & triceſimo-primo ſuperioris Capitularis, itémque cum quadrageſimo-ſeptimo & quadrageſimo-octavo libri tertii Capitularium. LXXVIII.

Tertium & quartum ſunt de latroſſe forbannito. Tertium ſic habet. *De latrone forbannito.* Quartum, ſic. *Ut Comes qui latronem in forbanno miſerit, aliis Comitibus notum faciat eundem latronem à ſe eſſe forbannitum, ut illi eum non recipiant.* Hæc duo Capitula undecimum prioris Capitularis ita complectitur. *De meziban, id eſt, de latrone forbannito. Ut unuſquiſque Comes alio mandet, ut nullus eum recipere audeat.* Additque pœnas in receptores, ſeu liberi ſint ſeu ſervi. Paulò indulgentior erga ſervos, qui latronem forbannitum receperint, tertius eſt Capitularium liber, cujus Capitula quadrageſimum-nonum & quinquageſimum cum præcitatis Capitularibus confer. LXXIX.

Quintum Capitulum. *Ut nullus alius de liberis hominibus ad Placitum vel ad Mallum venire cogatur, exceptis Scabinis & Vaſſis Comitum, niſi qui cauſam ſuam quærere debet ac reſpondere.* Brevius atque obſcurius eſt hoc undecimum ſuperioris Capitularis. *Ut nullus ad Placitum venire cogatur, niſi qui cauſam habet ad quærendam; excepto Scabinis & Vaſſallis Comitum.* Et in tertio Capitularium libro Capitulum quadrageſimum tale eſt. *Ut nullus ad Placitum banniatur, niſi qui cauſam ſuam quærit, aut ſi alter ei quærere debet; exceptis Scabineis* VII, *qui ad omnia Placita præeſſe debent.* LXXX.

Sextum inſcribitur de teſtibus, qualiter ad dicendum teſtimonium adhibeantur. Habetur quinquageſimum-ſecundum in tertio Capitularium libro. Extat etiam in Decreto Caroli de Regno Longobardico, deſcriptúmque fuit à nobis Tomo ſuperiore [a]. Similes quoque Sanctiones in Capitulo decimo-ſexto ſuperioris Capitularis inveniuntur. LXXXI. [a] Ad an. 781. n. 86.

Septimum inſcribitur de juſtitia cujuſlibet à nullo quolibet dilatanda. Eſt triceſimum-tertium in ſuperiore Capitulari, & quinquageſimum-tertium in tertio Capitularium libro. LXXXII.

Octavum ſtatuit *mercatum in die Dominico in nullo loco haberi, niſi ubi antiquitus fuit & legitimè eſſe debet.* Decimum-octavum prioris Capitularis & centeſimum quadrageſimum-quintum libri primi Capitularium abſolutè præcipiunt de mercatis, ut in die Dominico non agantur. LXXXIII.

Nonum inſcribitur *de non cogendo ad pontem ire causâ telonei.* Simillimum eſt quinquageſimum-quartum libri tertii Capitularium, quod Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium [b] jam retulimus. Iſtius Capituli potior pars Capitulum conſtituit decimum-nonum in priore Capitulari. LXXXIV. [b] Num. 34.

AN. CH. 809. LXXXV. Decimum. *Ut Presbyter, qui sanctum Chrisma donaverit ad judicium subvertendum, postquàm de gradu suo fuerit expoliatus, manum amittat.* Lege in priore Capitulari Capitulum vicesimum-quintum, necnon & quinquagesimum-quintum in tertio Capitularium libro.

LXXXVI. Undecimum. *Ut Judices, Advocati, Centenarii, Præpositi, Vicarii, Scabini, quales meliores inveniri possunt, constituantur ad ministeria sua exercenda.* In Capitulo quinquagesimo-sexto libri tertii Capitularium additur hæc clausula. *Cum Comite & populo eligantur mansueti & boni.* Confer Capitulum vicesimum-secundum prioris Capitularis.

LXXXVII. Duodecimum inscribitur de cavenda cupiditate & avaritia. Iisdem prorsus terminis est tricesimum-quartum in priore Capitulari, & decimum-sextum in Appendice secunda libro quarto Capitularium subjecta.

LXXXVIII. Decimum-tertium. *Ut in loco, ubi Mallus publicus haberi solet, tectum tale constituatur, quòd in hyberno & in æstate observandus esse possit.* Hoc Capitulum multò dilucidiùs exprimitur, quàm quæ versantur in eadem materia vicesimum-quintum prioris Capitularis & quinquagesimum-sextum libri tertii Capitularium.

LXXXIX. Decimum-quartum, decimum-quintum, & decimum-sextum, eadem sunt cum vicesimo-nono, tricesimo-quinto, & tricesimo-septimo prioris Capitularis; itémque cum duodesexagesimo libri tertii Capitularium & vicesimo-tertio ac vicesimo-quinto secundæ Appendicis.

X C. ADELLUIDA NUBIT CAROLO AUG. Hoc anno, ut arbitramur, Carolus amissâ Reginâ, ex qua duos liberos, Drogonem & Hugonem, susceperat, duxit Adelluidam. Utramque sic memorat Eginhardus in ipsius Caroli vita. *Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit; & Adelluidam, ex qua Thedericum procreavit.*

XCI. ORIGINES MULTORUM MONASTERIORUM, MASCIACI, [a] D. 12 Febr. [*] *Massay.* [b] Tom. 1. Biblioth. Illis temporibus erigebatur in Diœcesi Bituricensi Monasterium, cujus ut & quorumdam aliorum curam Ludovicus Aquitaniæ Rex Benedicto Anianensi commisit, idque sic in ejusdem Benedicti vita testatur Ardo. *Rursus ei aliud contulit Monasterium, quod in territorio Bituricensi situm est, illícque quadraginta fermè posuit Monachos, constituítque Abbatem, & quoniam locus ille novo opere erat fundandus, adjutorium præstitit, libros vestésque sacras dedit. At illi in sancta Religionis habitu florentes, sanctæque conversationis normam pandentes, unitatem quoque spiritûs servantes in vinculo pacis, permaximum intra Christi ovile gregem Monachorum aggregarunt.* Joannes Bollandus [a] Monasterium illud in notis ad hunc textum Masciacum * interpretatur, cujus loci breve Chronicon editum à Philippo Labbeo [b] magnam Ardoni lucem affert. DCCXXXVIII. *Initium Monasterii Masciacensis ab Egone Comite.* DCCCXIIII. *Adventus Monachorum in Masciaco.* Jacta sunt igitur ab Egone Comite prima Monasterii fundamenta, stirpe Meroveadarum nondum extinctâ, deinde post longam interruptionem, cùm opus ætate Caroli rursus urgeretur atque ad consummationem penè confectum vergeret, quæsitus est ab Aquitaniæ Rege Ludovico Benedictus, qui necessaria quæque Monasterio prævideret compararétque, nec ante mortem Caroli sive ante annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum introducti sunt illuc Monachi.

XCII. CASÆ NOVÆ, *Ulfarius etiam quidam nomine nullum habens consanguineum, vir illustri & nobilis, per chartam ei,* nempe Benedicto, *ad ædificandum Monasterium, locum tradidit in Albiensi confinio, ubi etiam Monachos, ordinato illis Abbate, ferè duodecim misit. Et hìi etiam, quoniam novo opere fabricam Monasterii cæptam perficere fatagebant, libros plurimos contulit, vestes sacras præbuit, calicem argenteum, ac offertoria, Crucémque, & omnia, quæ illi necessaria fore prospexit, administravit. Ipsi verò tam in ædificiis rerum corporearum, quàm etiam in ædificatione animarum sanctæque Regula institutis decertantes, magnam Christo Deo famulantium Congregationem Religiosorum fratrum acquisierunt.* Hæc Ardo, quem Menardus [c] in Observationibus ad Martyrologium Benedictinum sic contraxit. *Ulfa-*

[c] Lib. 1. d. 12. Febr.

Digitized by Google

AN. CH. 809. CAROLI IMP. 9. PIPPINI LUDOV. RR. 29. CAROLI R. 21.

rius etiam vir illuſtris ei locum in Diœceſi Albienſi dedit, in quo duodecim Monachos ordinato illis Abbate poſuit. Apud Bollandum [a] in notis ad Ardonem, hoc Cœnobium eſt Caſa Nova, cui tertium locum inter duodecim Monaſteria, quæ ſub Benedicti regimine fuerunt, Indenſes Monachi ſic in ſuis ad eundem Ardonem literis attribuunt. *Hic habuit ſub regimine ſuo Monaſteria duodecim, id eſt, Anianam, Gellonem, Caſam Novam,* &c.

Per illud tempus in Diœceſi Lugdunenſi florebat Savigniacum *, Monaſterium nuper erectum & Sancto Martino ſacrum, cujus antiquiſſimi fuerunt Abbates Adalbertus & Anaſteus, ille Carolo Magno cùm Rege tum Imperatore, hic Ludovico Pio Auguſto. Cave autem ne cadas in errorem eorum, qui primum Abbatem illius loci Carolo Imperatori & Ludovico Regi Boſonis filio ſynchronum conſtituunt. Duo diſtinguendi ſunt Adalberti, quorum ſenior primum, junior decimum aut undecimum in Abbatum Savigniacenſium Catalogis locum tenet. Indices enim inter ſe diſcrepant. Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo octavo, menſe Maio, Benedictus *Maliardi* Decretorum Doctor & prædicti Monaſterii Prior Major è Chartulario, quod ante ducentos annos juſſu Pontii Abbatis confectum fuerat, Abbates undecim recenſuit ab ipſo Cœnobii conditu ad primam uſque cladem quæ Benedicto tunc Abbate contigit. At Stephanum, quem ille innominatum reliquit, inſeruerunt Sammarthani Tomo quarto [b] Galliæ Chriſtianæ, nova freti Nomenclaturâ, quam Samuel Guichenonus illis communicavit. Utrùm, apud hos Auctores, Abbatum Catalogus Chronologiáque rectè conſignentur, inquiremus alibi. Satis eſt à nobis hîc obſervari, quòd omnes Indices primum Monaſterii Savigniacenſis Abbatem ætate Caroli Magni norunt Adalbertum, cujus ſucceſſorem ſub Ludovico Pio memorabimus.

[a] D. 12. Febr. XCIII.

* *Savigny en Lionnois.* ET SAVIGNIACI.

[b] In Mon. Savigniac.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

ANNUS

CHRISTI		810.		
CAROLI	IMP.	10.		
	REG.	42.	39.	37.
PIPPINI II.	REG.	30.	5.	
LUDOVICI	REG.	30.	5.	
CAROLI	REG.	22.	5.	
INDICTIO		3.		

I. RES anno Redemptoris octingenteſimo decimo geſtas ordimur à Collatione, quam Romæ cum Leone Papa Legati Caroli Bernharius Wormacienſis Epiſcopus & Adalhardus Abbas Corbeïenſis habuerunt. Anno ſuperiore, cùm Carolus Aquiſgranum menſe Novembri rediiſſet, illic habita Synodus, eâque abſolutâ prædicti Legati Romam cum literis Imperatoris ad Leonem Pontificem directi. Carolinas literas illo anno, quo ſcriptæ ſunt, deſcribendas duximus. Acta verò Legationis rejecimus in hunc annum, quo Legati Romæ auditi. Publicata primùm ſunt à Cæſare Baronio [c], deinde variis Conciliorum Collectionibus inſerta. Titulus ſic editus eſt. *Ratio quæ habita eſt de Symbolo fidei in Secretario Sancti Petri Apoſtoli, inter Domnum Leonem Sanctiſſimum & Coevangelicum Papam urbis Romæ, & Bernarium atque Jeſſe*

[c] Tom. 9. ad an. 809. nn. 53. & ſeqq.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

Epiſcopos, ſeu Adalardum Abbatem, Miſſos Domni Caroli Imperatoris per Indictionem ſecundam. Anno priore jam probavimus delendum eſſe nomen *Jeſſe* Ambianenſis Epiſcopi, & Indictionis ſecundæ loco reſtituendam eſſe tertiam. Ut nomen expungamus Ambianenſis Epiſcopi, decretorium perſuadet argumentum, quod ex Leonis Papæ literis anno priore jam citatis atque ad Riculphum Moguntiacenſem Archiepiſcopum hoc anno directis eruitur. Riculphus Leoni literas per Bernharium Wormatienſem Epiſcopum tranſmiſit. Leo Caroli Miſſos, inter quos erat Bernharius, audivit Romæ; Collationem, cujus Acta mox referemus, cum iiſdem Legatis habuit de Proceſſione Spiritûs Sancti; peractâ Collatione, cùm Miſſi Româ diſcederent, Bernhario, qui revertebatur in Galliam, reſponſorias ad Riculphum literas & Reliquias Sancti Cæſarii deferendas dedit. In illis autem literis, cùm Legatos Caroli nominavit, nullam Jeſſæi mentionem fecit, ſolóſque Bernharium & Adalhardum, illum Epiſcopum, hunc Abbatem, recenſuit. Illas literas Nicolaus Serarius, Severinus Binius, aliíque ſic ediderunt.

LITERÆ LEONIS PP. AD RICULFUM ARCHIEP. MOGUNT.

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Richulpho Epiſcopo. Cùm ad limina beatorum Principum Apoſtolorum Bernharius Venerabilis Epiſcopus unà cum Adalhardo Religioſo Abbate, Miſſi filii noſtri Domini Caroli Sereniſſimi Imperatoris conjunxiſſent, & omnia proſpera ac ſalubria de prædicto filio noſtro, ſeu de ejus Sublimiſſima prole, vel omnibus fidelibus ſuis, nobis nuntiaſſent, immenſas Omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Intereà obtulit nobis prælatus Bernharius Epiſcopus Sanctitatis veſtræ pulcherrimum munus & literas. Quas verò literas relegentes, gratias Reverendæ Almitati veſtræ retulimus, quia noſtri eſſe memores in veſtris Deo acceptis orationibus non prætermittitis. De tantis autem muneribus, quibus nos aſſiduè pro amore Beati Petri Apoſtoli ditatis, credimus in Omnipotentem Deum, quia dignam retributionem hìc & in futuro ab ipſo clavigero Regni cæleſtis percipietis. De Reliquiis verò Sancti Cæſarii, ſicut petiſtis, per eundem Bernharium Venerabilem Epiſcopum Sanctitati veſtræ direximus.

ACTA COLLATIONIS HABITÆ ROMÆ DE PROCESSIONE SPIRITÛS SANCTI.

Jeſſæus igitur Ambianenſis Epiſcopus non eſt miſſus Romam, ut habendæ illic de proceſſione Spiritûs Sancti intereſſet Collationi, cujus Acta legenda proponimus, ut collecta ſunt ab Abbate Smaragdo tum præſente, atque in lucem ſeriùs à Baronio, Binio, Sirmondo, poſtremiſque Conciliorum Collectoribus emiſſa.

II. *Lectis à prædictis Miſſis per ordinem teſtimoniis, atque à Domno Apoſtolico diligentiſſimè auditis, ait. Ita ſentio, ita teneo, cum his Auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re ſentire vel docere voluerit, defendo; & niſi converſus fuerit, & ſecundùm hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio.*

III. *His dictis*, inquit Smaragdus, *novi quòd nonnulla colloquendo potiùs quàm diſputando præceſſerunt, quorum ſeries ſenſuum ſeu verborum, niſi tantùm quod inde fuit, non ſatis memoriæ occurrit. Cúmque eadem Collatio ad hoc uſque procederet, ut jam magis certa diſputatio, quàm ut ſuprà collocutio habenda eſſet, eſſe non eadem fuit proprietas ſermonum, in quantùm recordari valeo, iſte tamen fuit curſus ſenſuum, & ſumma concluſio noviſſimarum definitionum.*

IV. *MISSI. Quia verò, ut dicitis, ita certiſſimum credendum eſt, credendo immutabiliter tenendum, tenendo verò, ſicubi neceſſe fuerit, conſtantiſſimè defendendum eſt, numquid non id neſcientes docendum, ſcientibus autem, ut id attentiùs teneamus, confirmandum eſt?*

V. *PAPA. Ita eſt.*

VI. *MISSI. Si ita eſt, ſi quis hoc neſcierit, vel ita non crediderit, num ſalvus eſſe poterit?*

VII. *PAPA. Quiſquis ad hoc ſenſu ſubtiliore pertingere poteſt, & id ſcire, aut ita ſciens credere noluerit, ſalvus eſſe non poterit. Sunt enim multa, è quibus iſtud unum eſt, ſacræ fidei altiora Myſteria, ſubtilioráque Sacramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent: multi verò aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ*

gentiæ qualitate præpediti non valent. Et ideo, ut prædiximus, qui potuerit & noluerit, ſalvus eſſe non poterit. AN. CH. 810.

MISSI. Si ergo ita eſt, immo quia ita eſt, quòd non credere non licet, & non tacendo docere licet, cur non licet cantare vel cantando docere? VIII.

PAPA. Licet, inquam, licet docendo cantare, & cantando docere. Sed illicitè in prohibitis, nec ſcribendo, nec cantando licet inſerere. IX.

MISSI. Quia ergo utriſque notum eſt, quòd ideo à vobis, ut id Symbolum cantando vel ſcribendo inferatur, illicitum ducatur vel dicatur, quia illi, qui idem Symbolum condiderunt, non indiderunt ut cetera, & ſequentes principales Synodi, Calchedonenſis ſcilicet quarta, Conſtantinopolitana quoque quinta & ſexta, ut novum ultra Symbolum à quoquam qualibet neceſſitate, ſeu ſalvandi homines devotione condere, & in veteribus tollendo, addendo, mutandóve quicquam inſerere prohibuerunt, non eſt ibi diutiùs immorandum. Sed hoc quæro, hoc ut dicatur rogo, quia id credere bonum eſt, bonum hodie ſicut ad credendum, ita ad cantandum eſſe, ſi tunc ab eis inſertum fuiſſet. X.

PAPA. Bonum certè, & valdè bonum, utpote tam fidei Sacramentum magnum, quòd non licet non credere, quiſquis ad hoc valet pertingere. XI.

MISSI. Numquid non benè iidem tunc Auctores feciſſent, ſi quatuor tantùm addendo ſyllabas, tam perneceſſarium fidei ſacramentum cunctis deinceps ſeculis perſpicuum redderetur? XII.

PAPA. Sicut non audeo dicere non benè feciſſe ſi feciſſent, quia procul dubio ſicut cetera quæ vel omiſerunt, ſcientes utique, & non tam humanâ quàm divinâ illuminati ſapientiâ fecerunt: ita quoque non audeo dicere iſtud eos nobis minùs intellexiſſe, perpendiſſe, cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum, ne ultrà mitteretur, ſicut & cetera prohibuere? Tu & tui videte quid ſentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico præferam, ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam. XIII.

MISSI. Abſit etiam, Pater, Deo noſtro protegente, illud à nobis, ut nos quicquam horum cogitemus, vel dicamus, vel ſuperbiâ inflati, vel in divinis rebus humanæ laudis cupidine provocati, ac ſi noſmet illis non tantùm præferre, verùm etiam coæquare præſumamus. Sed tantùm ſecundùm hujus temporis qualitatem, imbecillitatem fratrum noſtrorum caritate compatientes, iſtud quærimus, in eo laboramus, ut quia finis mundi appropinquat, in quo, ſicut prædicta ſunt tempora periculoſa, etiam ideo inter cetera maximè fratribus noſtris prodeſſe valeamus. Quò ergo fideles in Domino in ſacramento fidei reddere ſtudeamus, & idcircò quia prafatum Symbolum à quibuſdam ita cantari reperimus, & quòd id Eccleſiaſtica congruere fidei, ſicut ſentimus, utique cognovimus, qui nequaquam inſtruerentur niſi cantaretur: atque per hoc & nunc jam plurimos doctos, & ſine fine uſque infinem ſeculi de tanto Myſterio, ſi ita teneatur, inſtruendos eſſe cognovimus: melius nobis viſum fuit cantando tantos inſtruere, quàm tacendo indoctos relinquere. Si enim ſciret Paternitas tua, quanta ſunt hodie millia id ſcientium, quia cantatur, qui numquam ſcituri eſſent, niſi cantaretur, fortaſſe nobiſcum teneres, & id tuo etiam conſenſu ut cantaretur acquieſceres. XIV.

PAPA. Interim aſſentio. Verumtamen, quæſo, reſponde mihi. Num univerſa hujuſmodi fidei myſtica ſacramenta, quæ Symbolo non continentur, ſine quibus quiſque, qui ad hoc pertingere poteſt, Catholicus eſſe non poteſt, Symbolis inſerenda, & propter compendium minùs intelligentium, ut cuique libuerit, addenda ſunt? XV.

MISSI. Nequaquam: quia non æquè omnia neceſſaria ſunt. XVI.

PAPA. Etſi non omnia, certè plurima ſunt his ſimilia, quæ niſi à capientibus credantur, Catholici eſſe non poſſunt. XVII.

MISSI. Dabiſne aliquid non dico ſublimius, ſed ſaltem huic ſimile, Symbolo deeſſe? XVIII.

PAPA. Nempe dabo, & abundanter dabo. XIX.

MISSI. Da primò unum, &, ſi neceſſe fuerit, adde alterum. XX.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

PAPA. Quia amicâ agitur contentione quod agitur, & pro utrarumque partium quæritur ſalute quod quæritur (atque utinam quoties aliquid hujuſmodi in majoribus ſeu in minoribus Eccleſiaſticis vel Catholicis utilitatibus quæritur, ita per omnia pacificè ſine perverſa intentione quæreretur) ne quid fortè de tam reverendis Myſteriis temerè loquamur, detur conſiderandi locus, & dabimus quicquid de his dederit Dominus.

Et nocturnâ dilatione congruâ datâ, ait PAPA. Numquid magis ſalutare eſt credere, periculoſúmve non credere, Spiritum Sanctum à Filio ſicut à Patre procedere, quàm Filium ſapientiam Deum à ſapientia Deo, veritatem Deum à veritate Deo genitum eſſe, & tamen utrumque unam ſapientiam, unam veritatem eſſentialiter Deum eſſe, cùm tamen conſtet id à Sanctis Patribus eidem Symbolo inditum non eſſe. Si ergo hæc duo, ſicuti ſapientes decet, in tam familiari diſputatione ad hoc valent, ut nobiſcum ſentiatis, & cognoſcatis tot priores Catholicos Patres, qui hoc, unde agitur, vel Symbolis non inſeruerunt, vel inſerere quemadmodum cætera, ut ſuprà dictum eſt, prohibuere: non præſenti ignorantiâ, non futura negligenti providentiâ prætermiſiſſe, & prætermiſſum ne mitteretur prohibuiſſe, à coacervandis teſtimoniis libentiſſimè quieſcimus. Sciendum verò, non ſolùm ſecundùm eſſentiam Divinitatis, verùm etiam ſecundùm Myſterium Dominicæ Incarnationis, tanta, Deo auctore, & ex eorumdem Patrum auctoritate, damus, & talia, quanta non ſolùm ſapientibus ſatisfacere, ſed etiam ſtultos valeant opprimere.

XXI. XXII.

XXIII. *MISSI. Non, inquam, neceſſe eſt in eo laborare, an neſciamus quod ſcimus: quid quicquid exinde ceteri ſciunt, nos Deo auctore ſcimus, aut ſcire poſſumus ſi non ſcimus.*

XXIV. *PAPA. Hoc eſt, inquit, quod miramur, qui ſine profectuoſo labore poteſtis quieſcere, laboratis ne quieſcatis.*

XXV. *MISSI. Non ideo laboramus ne quieſcamus, ſed ne propter inertiam pii laboris præmium amittamus, &, ſalvâ diligentiore inquiſitione declinatâque pertinaci contentione, adhuc majus æſtimamus lucrum, quod per hoc in corde quærentium acquiritur, quàm detrimentum in eo fieri illorum qui addiderunt, ac ſi per contumaciam contemptores paternarum conſtitutionum exiſterent. Aliud eſt enim per arrogantiam tranſiliendo bona contemnere, aliud bona per benevolentiam meliora efficere.*

XXVI. *PAPA. Iſtud quoque etſi in quibuſdam ut agatur bonum eſt, non tamen ideo ubique agendum eſt. Qua de re multa id ita eſſe probantia addi poterant teſtimonia: ſed res per ſe admodum patet, quantò melius ſit, ut quiſque quodlibet bonum ita ut eſt utile reddere ſtudeat: aut ſi fortè id ipſum bonum melius efficere nititur, hoc primò caveat, hoc magnopere perpendat, ne & ſe ultra quàm debuit temerarium præſumendo, & illud quod per ſe ſalubre erat reddat noxium corrumpendo. Niſi quis fortè aſſerere velit, de præſenti unde agitur, vel ſimilibus capitulis, quæ ſine periculo loco ſuo docere licet & diſcere, ut ordo docendi licitus dimittatur, & ibi deſerantur, ubi numquam deinceps docens aut diſcens innocens, ſed ſemper ſanè in tranſgreſſionis crimine meritò culpabilis uterque judicetur. Quod te fortaſſe, ſi non dedigneris audire, non immeritò tangit: qui hîc quod hactenus in Eccleſia Dei, & ſibi quiſque ſapiens ſcire & ſine cogitatione delicti inſipienter potuit docere, jam deinceps non dico ſtultus diſcere, ſed nec ipſe ſapiens ſine prævaricatione poſſit cantare, cantandóve, ut vultis, quemquam docere: & dum multis alio quàm debitis tramite prodeſſe eligitis, nullum in hac duntaxat parte dimittitis, cui, ſi vos ſecutus fuerit, non noceatis. Nam de eo quod ſuprà docuiſtis, non æquè judicandus vel habendus ſit ille, qui tale aliquid devotè fructum quærendo ageret, illo qui hoc contumaci juſſione præſumeret; hæc defenſio, vel, ſi dici liceat, tergiverſatio non huc reſpicit, non iſtud intendit, quia non idem Patres diſcernendo vel decreverunt, nec ſanxerunt, ut ipſum benevolus præſumeret, non malevolus, ſed tantummodo nullus.*

XXVII. *MISSI. Numquid non à te id ipſum Symbolum eſt data in Eccleſia cantandi licentia? numquid à nobis huc uſus ille cantandi proceſſit? Hinc etenim illuc mos*

Digitized by Google

Idem cantandi, non à nobis huc advenit: & quomodo illum uſque hodie cantamus? AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

PAPA. Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quippiam addendi, minuendi, ſeu mutandi: & ut expreſſiùs aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc ſatis fuit, quomodo in hujuſmodi cantando vel celebrando ſacroſanctis Myſteriis Sancta Romana tenet Eccleſia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occaſionem neceſſe fuit ingerere. Quòd verò aſſeritis ideo vos ita cantare, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? Nos enim id ipſum non cantamus, ſed legimus; & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inſerendo præſumimus. Quæ verò prædictis Symbolis fidei tantùm non congruentia deeſſe cognoſcimus, non, ut ſæpè dictum eſt, inſerere præſumimus, ſed locis temporibúſve opportunis quibus competit miniſtrare curamus. XXVIII.

MISSI. Ergo, ut video, illud à veſtra Paternitate decernitur, ut primò illud, de quo quæſtio agitur, de ſæpefato Symbolo tollatur, & tunc demum à quolibet licitè ac liberè, ſive cantando, ſive tradendo, diſcatur & doceatur. XXIX.

PAPA. Ita procul dubio à noſtra parte decernitur: ita quoque, ut à veſtra aſſentiatur, à nobis omnimodis ſuadetur. XXX.

MISSI. Quamquam ergo, ut ſuprà ipſe dixiſti, pro ambarum partium quæritur ſalute quod quæritur, ſublatis hìs quæ vultis, bonum eſt, ut idem Symbolum cantetur. XXXI.

PAPA. Bonum ſanè, quod tamen non imperando, ſed ut priùs permittendo dicimus, quia illud ſicuti tunc ita & nunc, ſi ſincerè agatur, utile indigentibus eſſe poſſe non ignoramus. XXXII.

MISSI. Quia verò ut dicitis, & verum dicitis, bonum eſt cantare id ipſum Symbolum: numquid enim ſi ſermo plenus rectâ fide è medio tollatur, idem ſermo ab omnibus ac ſi contra fidem ſit condemnabitur? Quale ergo dabis conſilium, ne id ipſum ad aliquod tranſeat exitium? XXXIII.

PAPA. Si priùs quàm ita cantaretur, interrogatus eſſem, ne inſereretur utique reſpondiſſem. At nunc, quod tamen non affirmando, ſed vobiſcum tractando dico, quantùm menti occurrit, ita mihi videtur poſſe utrumque fieri: ut paulatim in Palatio, quia in noſtra Sancta Eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo ejuſdem Symboli intermittatur: ſícque fiat, ut quòd id ipſum ut cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, ſed potiùs audiendi id fecerat novitas: ſi dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus; & ita fortaſſè quantùm eſſe poteſt, non incongruè utrumque fieri poſſit: ut quod jam nunc à quibuſque priùs neſcientibus rectè creditur credatur; & tamen illicita cantandi conſuetudo ſine cujuſque fidei læſione tollatur. XXXIV.

Hæc Acta primus evulgavit Baronius ex Smaragdi literis ad Carolum XXXV. Magnum, quas accepit è Francia deſcriptas à Frontone Ducæo. Finis diſputationis hic fuit. Symbolum cum additamento, FILIOQUE, quod ei Romana Eccleſia nondum inſeruerat, à Francis decantari moleſtè ferebat Leo, tamen id deinceps fieri non prohibuit abſolutè, ſed rogavit hanc in Palatio ſive in Regia Capella conſuetudnem intermitti, ratus fore, ut morem Palatii lubenter omnis poſteà ſequeretur Francia. Ipſe autem, ut antiquitatis tenaciſſimum ſe præberet in Baſilica Sancti Petri (perperam Sancti Pauli apud Magiſtrum Sententiarum [a]) duas tabulas argenteas ad Confeſſionem ejuſdem Sancti Petri affigendas curavit, in quarum altera Symbolum Græcè ſcriptum, in altera Latinè exaratum legeretur, utrobique ſine hoc additamento, FILIOQUE. Meminit illarum tabularum Anaſtaſius, Leonem enim Tertium Papam ſic commendat. *Hic verò pro amore & cautela Orthodoxæ Fidei fecit ubi ſuprà*, id eſt, in Eccleſia Beati Petri, *ſcuta argentea duo, ſcripta utraque Symbolo, unum quidem literis Græcis, & alium Latinis, ſedentia dextrâ lævâque, ſuper ingreſſum corporis, penſantem inibi libras nonaginta-quatuor, & uncias ſex.* Guillielmus Peyratius in Antiquitatibus Regiæ Capellæ [b] ſcribit intermiſſum à Francis uſum canendi Symboli cum

[a] Lib. 1. diſt. 11.

[b] Lib. 1. c. 25.

AN. CH. 810.

additamento FILIOQUE, poſtquàm habita eſt Romæ cum Leone Papa Collatio, cujus Acta proximè recitavimus. Ut opinionem ſuam tueatur, allegat Alcuinum *ad Fratres Lugdunenſes* ita ſcribentem [a]. *Symbolo Catholicæ Fidei nova* * *nolite inſerere; & in Eccleſiaſticis Officiis inauditas priſcis temporibus traditiones nolite diligere. Per Apoſtolicæ doctrinæ publicam pergite ſtratam. Nec per diverticula cujuſlibet novitatis in dexteram vel in ſiniſtram declinate.* Sed Peyratius Alcuino nixum ſe fruſtrà jactat. Priùs enim quàm Miſſi Caroli Auguſti cum Leone Papa colloquerentur Romæ de proceſſione Spiritûs Sancti; priùs quoque quàm eadem de materia Synodus haberetur Aquiſgrani, vitam Turonis in Monaſterio Martiniano clauſit Alcuinus. Illarum rerum Chronologia ſic inſtituitur. Obiit Alcuinus anno Redemptoris octingenteſimo quarto, menſe Junio; celebrata eſt Synodus Aquiſgranenſis anno Redemptoris octingenteſimo nono, menſe Novembri; ſeriùs inter Romanum Pontificem & Caroli Miſſos habitum Romæ colloquium anno Redemptoris octingenteſimo decimo. Quam Peyratius epiſtolam citat, ſcripſit ad fratres Lugdunenſes Alcuinus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo, cùm Laidradus ſeu Leidradus jam electus eſſet nec adhuc conſecratus Lugdunenſis Archiepiſcopus, ut docet hoc earumdem literarum initium. *Religioſæ in Chriſto converſationis veſtræ, per Laidradum electum Pontificem, laudabilem audiens ſollicitudinem, magno eſſe me gaudio delibutum fateor.* In illis literis Alcuinus non diſputat de proceſſione Spiritûs Sancti, ſed multiplicis erroris redarguit Hiſpanos, quòd Chriſtum Filium Dei adoptivum dicant, & ſalem aſſerant in ſacrificium Corporis Chriſti mittendum eſſe. *Novas*, inquit, *fratres cariſſimi, Hiſpanici erroris ſectas totâ vobis cavete intentione. Sanctorum Patrum in fine ſequimini veſtigia, & univerſali Eccleſiæ ſanctiſſimâ vos adjungite unanimitate. Scriptum eſt.* [*Terminos Patrum tuorum ne tranſgrediaris.*] *Et Symbolo Catholicæ Fidei nova nolite inſerere*, &c. ut ſuprà. Nullum igitur Alcuinus argumentum ſuppeditat, quo Peyratius ſuam fulcire poſſit opinionem. Aliunde verò patet illud additamentum, FILIOQUE, conſtanter à Francis in Symbolo retentum fuiſſe. Nam Patres Arelatenſis Concilii, quod anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio celebratum fuit, hanc de Spiritûs Sancti proceſſione confeſſionem ediderunt. *Spiritum verò Sanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.* Atque inde admodum probabile fit à Francis nihil antiqui remiſſum eſſe moris, quem Orthodoxæ Fidei conſentaneum & à Gallis ſibi jam à temporibus Clodovei Magni traditum ſemper obſervarant.

[a] Ep. 69.

* Peyrat. *nova nomine*

FRANCI SYMBOLUM CANUNT CUM ADDITAMENTO FILIOQUE.

XXXVI. PIPPINUS REX MAGNAM VENETIÆ PARTEM SUBIGIT.

Hoc anno, *Pipinus Rex perfidiâ Ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello terrâ marique ſtatuit appetere. Subactâque Venetiâ, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eandem claſſem ad Dalmatiæ littora vaſtanda miſit. Sed cùm Paulus Cephalaniæ Præfectus cum Orientali claſſe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, Regia claſſis ad propria regreditur.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis, cui Loiſelianus aliique conſentiunt. At non ita cenſent rerum Venetarum Scriptores. Nullâ enim Conſtantinopolitanæ claſſis ac Pauli Præfecti mentione factâ, Francos, cùm Olivolam & Rivoaltum invadere ſtatuiſſent, æſtu decedente cæſos omnes aut captos volunt. Utriſque verò ſimul collatis, hæc creduntur certa. Pippinus Rex Venetiam ingreſſus, illius provinciæ complures occupauit urbes & oppida, cum ipſa Ducum Sede Metamauco. Nonnulli conjugibus & liberis in lembos impoſitis ad Olivolam & Rivoaltum confugerunt, rati eas Inſulas ab hoſtili impreſſione ob intercedentem magnum canalem ſecuriores fore. Nec eos hæc fefellit opinio. Nam Franci, quia propter navium gravitatem aditu illorum locorum prohibebantur, iter aliò converterunt, ad littoralem videlicet Dalmatiam, cujus pars Nicephoro Græcorum Imperatori parebat, & amicitiam ſocietatémque cum Venetis inierat. Paulus autem Cephaleniæ Præfectus auxilio Dalmatis fuit cum Orientali claſſe. Cephalenia * ſeu Cephallenia, corruptè Cephalania, Ce-

* *Cefalogne.*

falania, & Zephalina, Inſula eſt maris Ionii, Samos olim dicta. Franci audito Pauli adventu reverſi ſunt *ad propria*. Pippinus Rex in morbum incidit, obiitque Mediolani octavo Idus Julii. AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22. XXXVII.

Quæ ſecuta ſunt excidium Metamauci, Sigonius ex quorumdam Venetorum relatione ſic enarrat. *Beatus Dux, cùm Metamaucum exciſum videret, animum ad ſedem, in Rivoaltum & Olivolam, traducendam adjecit, eas propter magnitudinem ſuam ſatis amplas ad vicinorum populorum magnitudinem, & reipublicæ, quam ſibi pollicebatur, dignitatem recipiendam fore arbitratus; atque Tribunis & Primoribus Inſularum in conſilium advocatis ex eorum auctoritate Regiam eò traduxit. Beato verò, antequàm res ad exitum perduceretur, vitâ functo, Angelus Particiacus Dux ſubſtitutus incœpta perſolvere inſtitit.* Veteres rerum Francicarum Scriptores, quos allegare conſuevimus, Annaliſtæ videlicet, Loiſelianus, Laureshamenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon Ado, Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli, non tantùm ſubactam à Francis Venetiam ſed etiam Duces ejus in deditionem receptos teſtantur. Suffragatur Triſtanus Calchus in Hiſtoria Mediolanenſi [a]. *Duces ipſi*, inquit, *capti & in Galliam relegati.* Et Petrus Juſtinianus in Hiſtoria Veneta [b] varias opiniones, quæ de Beato Duce circumferuntur, breviter complexus, ad Angelum Participatium ſic tranſit. *Defuncto autem Beato, ſeu relegato, ſubſecutus eſt Angeli Participatii Principatus. Qui primus in Rivalto Ducalem Sedem tenuit.* Qui ſuperfuerunt igitur è Venetorum clade, cùm ad Rivoaltum & Olivolam Inſulas ſe recepiſſent, Ducem elegerunt Angelum Participatium ſeu Particiacum à Sigonio laudatum, quòd *Rivoaltum Duci, Olivolam Epiſcopo* deſtinarit, ac *prima Ducalis Prætorii, quo loco nunc eſt, fundamenta* jecerit.

[a] Lib. 5.

[b] Lib. 1.

XXXVIII. NOMEN ET ORIGO VENETIARUM.

Non omittendum nobis hoc loco videtur, quod idem Sigonius de nomine & origine Venetiarum proximè ſubjungit. *Urbs tota, Rivoaltum & Olivolam continens, poſt uno Venetiarum nomine appellata. Hæc ejus urbis & reipublicæ, quæ ad hunc uſque diem opulentiſſima atque ampliſſima fuit, principia fuiſſe feruntur.* Venetiæ lapſu temporis multùm creverunt. Ughellus hanc urbem ſex in regiones hodie diſtinctam ſic teſtatur [c]. *Urbis ambitus eſt ferè ſeptem millium paſſuum; aquis influentibus diviſa eſt in Inſulas ſeptuaginta-duas, à Politico Magiſtratu in ſex regiones, ab Eccleſiaſtico in Parochias ſeptuaginta-duas. Univerſa verò in duas partes diviſa eſt, quarum hæc ad Meridiem & Occaſum vergit, hæc ad Septentrionem & Ortum: harum rurſus utraque in tres eſt diſtincta regiones. Quarum prima, quæ dorſum dicitur, triremis formam penè exprimens, utpote utrinque extremis frontibus quaſi in puppim & proram extenuata, continebat, ante annos centum quinquaginta, Inſulas viginti, Templa viginti-ſex. Secunda regio Paulina dicta Inſulas continet tredecim ac totidem Templa. Regio tertia Sanctæ Crucis Inſulas habet undecim ac totidem Templa. Quarta Canaregium Inſulis fermè viginti habitatur. Quinta Olivolenſis, quæ & Caſtellum: Inſula in ea ferè viginti, ſacræ Ædes multò plures, & in his Ædes Patriarchalis. Sexta regio eſt Divi Marci continens Inſulas quatuordecim, Templa decem & octo, & in his aureum Divi Marci Templum.* Ex duplici nomine, quod quintæ regioni tribuitur, in qua Sedes Epiſcopi ſemper fuit, duplex quoque nomen accepit Epiſcopus illius loci, dictus eſt enim primùm Epiſcopus Olivolenſis, deinde Epiſcopus Caſtellanus. Henricus Contarenus, Dominici Ducis filius, qui ſedebat anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo-octavo, primus Olivenſi titulo ſuppreſſo Caſtellanus Epiſcopus appellatus eſt, nec aliter vocati ſunt ejus ſucceſſores ad Beatum uſque Laurentium Juſtinianum, qui Caſtellanus Epiſcopus anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo triceſimo-ſecundo factus eſt, & anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-primo poſt Dominici Patriarchæ Gradenſis obitum à Nicolao Quinto Papa conſtitutus eſt primus Venetiarum Patriarcha, nec deinceps auditum Patriarchæ Gradenſis aut Epiſcopi Caſtellani nomen, Gradenſis Patriar-

[c] Tom. 5. in Patriarch. Venet.

AN. CH. 810. chatûs dignitate Venetias tranſlatâ, & Epiſcopo Caſtellano ad Patriarchalem titulum evecto.

XXXIX. FRANCI POTIUNTUR. In Venetia, cùm Pippinus Rex provinciam illam penè integram ſubegit, præter Gradenſem Patriarcham ſex erant Epiſcopi, Caprulenſis, Heraclienſis, Metamaucenſis, Equilienſis, Olivolenſis & Torcellanus. In Francorum poteſtatem venerunt, Gradus, Heraclia, Metamaucus & Equilium. In Venetorum ditione manſerunt, Olivola, Torcellum, & Caprulæ.

XL. GRADO, Gradum Francis paruiſſe duæ res demonſtrant. Carolus Sedem illam Patriarchalem in ſuo complexus eſt Teſtamento, quod anno proximo deſcripturi ſumus. Fortunatus Patriarcha, quem ante quadriennium in Franciam profugiſſe diximus, à Francis Eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt, &, ut Dandolus teſtatur, *Joannes, qui Patriarchatum invaſerat* tenuerátque *annis quatuor, Synodali cenſurâ depoſitus eſt.*

XLI. HERACLIA, Heraclia ſive Heraclea, civitas in æſtuariis Venetis ad Plavis amnis oſtia, nomen accepit ab Heraclio Imperatore. Conditores habuit Primores Opiterginorum, qui, deleto à Longobardis Opitergio, priſcos Venetos imitati, & ipſi ſe ad æſtuaria contulerunt. Apud Petrum Juſtinianum [a] in earum civitatum numero collocatur, quas hoc anno Pippinus Rex occupavit. Quis ibi tunc Epiſcopus fuerit, nemo prodit.

[a] Lib. 1.

XLII. * *Malamocco.* METAMAUCO, Metamaucus ſive Metamaucum * civitas in Venetorum æſtuariis, nomen accepit à fluvio Meduaco, qui Brenta nunc dicitur, & Patavium prætergreſſus leni curſu in æſtuaria illabitur, ac portum Meduacum ſeu Metamaucum efficit. Epiſcopatus Metamaucenſis à Patavino fuit avulſus, ut ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-quartum jam notavimus. Stetit hic Epiſcopatus ad annum uſque quintum duodecimi ſeculi, Metamauco enim Inſulâ, terræ motu mariſque fluctibus ſubmersâ, Sedes Epiſcopi Clodiam tranſlata eſt, ibíque etiamnum ſubſiſtit. Clodia ſeu Foſſa Clodia, recentioribus Clugia *, unde promiſcuè dicti Foſſæ Clodiæ & Clugienſes Epiſcopi, poſita eſt in ea æſtuarii parte, quâ Medaucus amnis, quem Bacchiglionem * nunc vocant, ſtagnis ſe immiſcet. Utrumque locum, Clodiam videlicet & Metamaucum ſubegit Pippinus, de quo ſic Petrus Juſtinianus [b]. *Pipinus in Venetos ferociter movens, omnem littoralem oram maritimam momento temporis occupat; oppidáque, Equilium, Heracliam, Albiolam, Peleſtrinam, & Clodiam capit, in Methamaucúmque à victore Pipino ſigna illata, ubi tunc Ducatûs Sedes erat; Veneti autem adventu irati in ſe hoſtis cognito, diffiſi immuniti loci naturâ, omnes cum uxoribus, liberis, & pretioſa ſuppellectile in Rivaltum tranſmiſere.* Et Carolius Sigonius [c], ſic. *Pipinus navalibus terreſtribúſque copiis expeditis Ravennâ profectus in æſtuarium Venetiæ venit, ac ſtatim Brondulum, Clodiam, Peleſtrinam, & Albiolam, oppida, littoráque, quæ æſtuario prætenta ſunt, occupavit, atque inde rectà Metamaucum, quæ tum Ducum Regia erat, perrexit. Quâ re perculſi Metamaucenſes, conjuges, liberos, omnémque pretioſiorem ſupellectilem in lembos raptim impoſuerunt, atque in Rivum-altum & Olivolam cum Beato ipſo Duce ſe receperunt.* Brundulum Clodiæ vicinum eſt. Ughellus vicinitatem utriuſque loci ſic indicat [d]. *Quicquid ſoli inter mare & paludes à Brundulo ad Clodiam patet, miro omnium ſtudio colitur.* Vicinæ quoque ſunt in eodem littore Peleſtrina & Albiola. Quis autem Metamaucenſis Epiſcopus ætate Caroli Magni fuerit, non edunt Nomenclatores.

* *Chioggia.*

* *Bachaion.*

[b] Lib. 1.

CLODIA,

[c] Lib. 4.

BRUNDULO,

[d] Tom. 5. in Ep. Clod.

PELESTRINA, ALBIOLA,

XLIII. * *Jeſol.* EQUILIO, Equilium * ab agreſtibus Opiterginis conditum eſt anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo, Sedem Epiſcopalem obtinere cœpit anno pòſt triceſimo-nono. Captum fuit à Pippino Rege, ut Auctores præcitati teſtantur. At ignoratur nomen Epiſcopi, qui tum ſedebat. Situm Equilium inter paludes ad oſtia Planis * fluvii, quatuor tantùm milliaribus à Civitate nova.

* *Piave.*

XLIV. Sigonius Reipublicæ Venetæ fines ait anguſtiſſimos à Grado ad Caput aggeris hoc anno fuiſſe. *Hæc*, inquit, *ejus Urbis & Reipublicæ, quæ ad hunc*

uſque diem opulentiſſima atque ampliſſima fuit, principia fuiſſe feruntur, quæ tum terminis à Grado ad Caput aggeris anguſtiſſimis claudebatur. Is quidem Reipublicæ Venetæ ſtatus hoc anno fuit, antequàm Pippinus Rex oppida civitatéſque ſuprà memoratas occuparet. At Venetorum ditio poſt tot locorum amiſſionem multò magis coarctata fuit, cùm in ipſis æſtuariis nihil eis reliqui præter Rivum-altum, Olivolam, Torcellum, Caprulas, ac paucas minoris nominis Inſulas ſupereſſet. Ex Inſulis, Olivola, Rivo-alto, aliiſque circùm poſitis hodiernæ conſtant Venetiæ. *Torcellum* Ughello [a] *marinæ Venetiæ civitas* eſt *quinto ab Urbe Veneta milliario.* Et *Diœceſis Torcellana partim continenti, partim Inſulis conſtat. In continenti, ſeu terra firma patet ad quinquaginta millia paſſuum uſque ad Liquentiam * amnem. Inſularis autem Diœceſis uſque ad urbem ipſam Venetiarum protenditur; ſunt in hac, præter alias Inſulas, tres maximè celebres, prima eſt Buranum, Mazorbium ſecunda, tertia Muranum.* Quicquid erat in continenti, Francis ceſſit; Torcellum, quia poſitum in Inſula, de qua Baudrandum conſule, manſit ſub Venetorum poteſtate cum ceteris Inſulis ejuſdem Epiſcopatûs. Torcello Borealiores ſunt Caprulæ *, ad quartum milliare ab oſtio Romati fluminis, medio Venetias inter ac Gradum itinere; milliaribus enim quadraginta diſtant à Venetiis Caprulæ, Gradus octoginta. Quod attinet ad Auſtralem terminum, cùi nomen Caput aggeris apud Sigonium, hic quoque locus, de cujus ſitu loquitur Ughellus [b] in Epiſcopis Clugienſibus, Reipublicæ Venetæ limes eſſe deſiit, Pippinus enim civitates oſtiis Eridani & Atheſis multò Borealiores occupavit ad Auſtrum Rivi-alti & Olivolæ, id eſt, hodiernarum Venetiarum.

[a] Tom. 5. in Ep. Torcell.

STATUS REIP. VENETÆ.

* *Livenza.*

* *Caorle.*

[b] Tom. 5. Ital. Sacr.

Idem Pippinus ad propria reverſus, paulò pòſt obiit, octavo videlicet Idus Julii. De anno & die conveniunt Auctores ſuprà citati. Eundem annum, qui fuit ætatis triceſimus-tertius, & paterni Regni quadrageſimus-ſecundus, indicat Theganus in Geſtis [c] Ludovici Pii, ſic. *Anno Regni ejus,* nempe Caroli Magni, *quadrageſimo-ſecundo obiit Pippinus filius ejus, anno ætatis ſuæ* XXXIII. Carolus enim anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo regnare cœpit, & Pippinus uſuram lucis accepit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Vitam Pippinus Mediolani clauſit, *vir,* inquit Sigonius, *ſi diutiùs vita ſuppeditaſſet, virtutis magnitudine paternam avitámque gloriam facilè adequaturus. Cadaver ejus Veronam delatum, ſepultum eſt in Monaſterio Sancti Zenonis, quod Rex ipſe conſtruxerat, atque opimis poſſeſſionibus exornarat. Hoc ſepulchrum altè terrâ obrutum Veronenſes in cœmeterio Monaſterii hodie oſtendunt.* Cœnobium illud à Pippino Rege non conditum ſed inſtauratum fuit. Erectum eſt enim florente Longobardorum Regno, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-quartum [d] jam obſervavimus. Reparatum eſt autem à Pippino Rege, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum probavimus ex antiquo Diplomate, cujus authoritate Rotaldum hoc anno Veronenſem Epiſcopum & Auſterbertum Monaſterii Sancti Zenonis Abbatem agnoſcas. Pippinus, cùm vivebat, Veronâ potiſſimùm delectabatur, ideóque in antiqua illius urbis deſcriptione, quam Joannes Mabillonus Tomo primo veterum Analectorum publicavit, hæc leguntur. *Magnus habitat in te Rex Pippinus Piiſſimus, non oblitus pietatem aut rectum judicium.* Eginhardus in vita Caroli Magni de liberis Pippini Regis ita ſcribit. *Pippinus unum filium ſuum Bernardum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertraidem, ac Thedradam, ſuperſtites reliquit. In quibus Rex* Carolus *pietatis ſuæ præcipuum documentum oſtendit, cùm filio defuncto nepotem patri ſuccedere, & neptes inter filias ſuas educari feciſſet.* In Chronico Moiſſiacenſi Bernardus poſt Pippini patris obitum ab avo Carolo Rex hoc anno conſtituitur. *Anno* DCCCX. *in ipſa æſtate mortuus eſt Pippinus Rex Longobardorum, filius Karoli Imperatoris, & ipſe piiſſimus Karolus conſtituit Barnardum filium Pippini Regem ſuper Italia in loco patris ſui.* Sed aliud vetera nos docent Acta, de quibus agemus ad

AN. CH. 810.

XLV. PIPPINI R. OBITUS,

[c] Cap. 5.

SEPULTURA,

[d] Num. 107.

LIBERI.

AN. CH. 810.

annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium, quo Carolus Ludovicum filium Imperii conſortem fecit, & Bernardum nepotem Italiæ Regem declaravit. In antiquo libello de conſtructione novæ Corbeïæ, Theodradus, quem Adelhardus Corbeïenſis Abbas anno priore, priuſquàm iter Romam ſuſciperet, in Saxoniam miſerat, hoc anno revertitur ad veterem Corbeïam, Adelhardo tunc abſente, Regníque Longobardici curam gerente, quia Bernardus ætatem adhuc juniorem imperémque regimini ducebat. *Jam dicto Abbati*, inquit Auctor prædicti libelli, *illo in tempore commiſſa erat cura maxima, videlicet ut Regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini Bernhardus nomine creſceret.* Hic Auctor poſt Pippini mortem, donec Bernardus Rex ab avo Carolo conſtitueretur, triennium effluxiſſe non diſſimulat his verbis, *ipſe Pippinus, Karoli Regis filius, ante triennii tempus obierat.* Uno ante Pippinum fratrem menſe Rotdrudis ſoror ex hac quoque vita diſceſſit. Carolus multùm doloris cùm ex domeſticis funeribus tum ex publicis calamitatibus contraxit, ratúſque Deum ſibi populóque Francorum eſſe iratum, triduana jejunia ter fieri curavit, ut quæ propiùs imminebat, vltio divina per morum correctionem pœnitentiámque procul amoveretur, ut ex altero Capitulari ſubſequentis anni conſtat, hæc enim in primo Capitulo leguntur. *Anno præterito tria triduana jejunia fecimus, Deum orando, ut ille nobis dignaretur oſtendere in quibus converſatio noſtra coram illo emendari debuiſſet.*

THEODRADUS E SAXONIA IN GALLIAM REDIT.

ADELHARDUS ABB. CORBEÏENSIS LONGOBARDIAM GUBERNAT.

ROTDRUDIS OBIT.

TRIDUANA IMPERANTUR JEJUNIA.

XLVI. Eginhardus in vita Caroli Magni, Giſlam ſororem ejus unicam ſic commendat. *Erat ei*, nempe Carolo, *unica ſoror, nomine Giſla, à puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter ut matrem magnâ coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo converſata eſt Monaſterio deceſſit*, id eſt, in Kalenſi, cujus adminiſtrationem à multis annis cum Abbatiſſæ titulo gerebat. Apud Malbrancum [a] nonnulli anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, alii anno Redemptoris octingenteſimo octavo mortem Giſlæ collocant, eam verò Michael *Germain* [b] in hunc annum Redemptoris octingenteſimum decimum rejicit. Hæc opinio ceteris videtur anteponenda, quia propiùs ad obitum accedit Caroli, qui *paucis* duntaxat *annis* ſorori ſuperſtes vixit, annóque Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto migravit ex hoc ſeculo. Giſlam Tomo quinto [c] jam diſtinximus à Sancta Iſberga, quæ duodecimo Kalendas Junii colitur, & variis nominibus appellatur Iſberga, Yſberga, Iſtiberga, Itiſberga, Sitiſberga, & Giſleberga.

GISLA ABBATISSA KALENSIS SOROR CAROLI AUG. OBIT.

[a] Lib. 5. de Morinis, c. 44.

[b] In Abbatiſſis Sueſſionenſ. c. 1.

[c] Ad an. 766. nn. 18. & ſeqq.

DISTINGUITUR A S. ISBERGA

Eodem quo Pippinus Rex anno diſceſſit è vivis Aginus Bergomenſis Epiſcopus, ſepultúſque fuit in Eccleſia Cathedrali. Lege Italiam Sacram [d]. Succeſſit in Epiſcopatum Tachipaldus.

XLVII. Ad hunc annum apud Ripalmontium [e] habetur hoc pſeudo-diploma. *In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis, Carolus divino nutu coronatus Imperator, Rex Francorum & Longobardorum, omnibus Italiæ Præfectis ſalutem. Petrus Oldradus Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, Venerabilis Vir & amicus homo nobis, petiit ut ea, quæ Conſtantinus Magnus ceteríque ante illum Imperatores conceſſerant Eccleſiæ Mediolanenſi, temporum & hominum injuriis amiſſa, reſtituere, confirmare vellemus. Id præterquàm quòd ad animæ noſtræ ſalutem pertineret, etiam Ambroſii memoriæ tribuendum eſſe, cujus nobis putamus opem ad varios Imperii vitæque caſus implorandam, juſtum omnino poſtulatum eſt viſum, annuimúſque libenter, ut non modo, ſi quæ fuerant adempta, reſtitueremus Eccleſiæ Mediolanenſi, ſed impenſiùs etiam noſtrâ ipſam liberalitate cohoneſtaremus. Concedimus igitur Oldrado Archiepiſcopo, ceteríſque, qui legitimè poſt eum Ambroſianam Eccleſiam obtinebunt, omnia quæ Mediolani noſtro nomine poſſidentur, urbem, urbis mœnia, publicas ædes, portoria, fiſcum, atque juriſdictionem univerſam, caſtella, famulos, agrum, ſylvas, montes, aquas, aquarúmque decurſus, & alia, quæ Archiepiſcopi Mediolanenſes olim tenuere. Quòd ſi quæ ſunt in urbe, vel extra urbem, Comitum aut Vicecomitum jure poſſeſſa nonnullis, hæc tamen*

[d] Tom. 4. in Ep. Bergom. 15.

XLVIII.

[e] Dec. 1. l. 9.

PSEUDO-DIPLOMA.

ipſa

Digitized by Google

ipſa parere volumus Archiepiſcopo, ita ut ibi forum agere, jura populis dicere, facere demùm poſſit omnia, quæ pertineant ad incrementum & dignitatem hujus Eccleſiæ in perpetuum duraturæ. Si quis autem auſit hanc à nobis ita conſtitutam Eccleſiæ Mediolanenſis juriſdictionem imminuere quoquo modo ac turbare, multa ei fuerint auri optimi libræ ducentæ, quæ pecunia diviſa bifariam Archiepiſcopo & nobis cedet.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22. XLIX.

Ut hoc Diploma fabulis accenſeamus, multæ res ſuadent. Inuſitata Donationis formula, urbem enim ipſam cum ſuis mœnibus aliáque non pauca complectitur, quæ veniſſe in Donationem prudens Lector numquam exiſtimabit. Nomen Archiepiſcopi Mediolanenſis, loco enim Odelperti perperam ſubſtituitur Oldradus, ut conſtat ex iis, quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum [a]. Subſcriptio quoque, quam Ripamontius in autographo legi ſic aſſerit. *Hæc ſumma fuit Imperatorii Privilegii, quo Mediolanenſis Eccleſia Regum æquavit opes, donec novæ in tantum ſplendorem injuriæ coorirentur. Derthonæ dederat Carolus id Privilegium, ſubſcripſerátque ſuâ manu, addito etiam annulli Sigillo. Subſignavit litteras Longinus pro Odone Epiſcopo. Annus magnæ liberalitatis fuit à Chriſto nato* DCCCX. *Kal. Maii; decimus, ex quo Carolus ipſe venerat ad Italiam liberandam. Sic omnia vidimus adſcripta.* Non diffitemur annum decimum, ex quo Carolus acclamatus eſt Imperator, rectè cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo comparari. Sed annum Incarnationis Dominicæ negamus in Diplomate Carolino ſcriptum eſſe. Negamus & Carolum anno Redemptoris octingenteſimo decimo verſatum eſſe Derthonæ, ubi Diploma datum dicitur Kalendis Maii. Quàm procul à Derthona, & ab Italia totum hunc annum tranſegerit, antiqui te docebunt Auctores, qui res ab eo geſtas per annos digeſſerunt. Prætereà quodcumque Inſtrumentum *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis* ſcriptum fertur, ætatem, ut dictum ſuprà, Carolo Magno recentiorem ſapit.

[a] Num. 6.

REPELLITUR.

L.

Hoc anno, *Imperator Aquiſgrani*, quò ſuperiori menſe Novembri redierat, *adhuc agens, & contra Godofridum* Danorum *Regem expeditionem meditans, nuncium accepit claſſem* CC *navium de Nortmannia Friſiam appuliſſe, totáſque Friſiaco littori adjacentes Inſulas eſſe vaſtatas; jámque exercitum illum in continenti eſſe, ternáque prælia cum Friſionibus commiſſa, Danóſque victores tributum victis impoſuiſſe, & vectigalis nomine* C *libras argenti à Friſionibus jam eſſe ſolutas; Regem verò Godofridum domi eſſe. Et revera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitavit, ut miſſis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipſe ſine mora Palatio exiens, primò quidem claſſi occurrere, deinde tranſmiſſo Rheno flumine in loco qui Lippeam vocatur, copias, quæ nondum convenerant, ſtatuit operiri. Ubi dum aliquot dies moraretur, elefans ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miſerat, ſubitâ morte periit. Congregatis tandem copiis, quantâ potuit celeritate ad Alaram fluvium contendit, caſtríſque juxta confluentem ejus, quo Wiſera flumini conjungitur, poſitis, minarum Godofridi Regis præſtolatur eventum. Nam Rex ille vaniſſimâ ſpe victoriæ inflatus, acie ſe cum Imperatore congredi velle jactabat. Sed dum Imperator memorato loco ſtativa haberet, diverſarum rerum nuncii ad eum deferunt, nam & claſſem, quæ Friſiam vaſtabat, domum regreſſam, & Godofridum Regem à quodam ſuo ſatellite interfectum; Caſtellum vocabulo Hosbuoki Albiæ flumini adpoſitum, in quo Odo Legatus Imperatoris & Orientalium Saxonum erat præſidium, à Wilzis captum; & Pippinum filium ejus Regem Italiæ* VIII *Id. Jul. de corpore migraſſe; duáſque Legationes de diverſis terrarum partibus, unam de Conſtantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causâ adventare narratur. Quibus ille acceptis, diſpoſitâ pro temporis conditione Saxoniâ, domum revertitur. Tanta fuit in ea expeditione hominum peſtilentia, ut penè nullus tanto exercitui ſupereſſet, quin omnes uſque ad unum perirent. Et non ſolùm ibi ſed etiam per omnes Imperii ſubjectas provincias illius generis animalium mortalitas immaniſſimè graſſata eſt. Imperator Aquiſgrani veniens menſe Octobris, memoratas Legationes audivit, pacemque cum Ni-*

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

ciſoro Imperatore & cum Abulaz Rege Hiſpaniæ fecit. Hæc Annaliſta Loiſelianus. Alii conſentiunt Annaliſtæ, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli. Tot Auctores oſtendunt Carolum procul ab Italia Kalendis Maii degiſſe. Suffragatur Chronographus Moiſſiacenſis. *Celebravit*, inquit, *Paſcha apud Aquis Palatium Karolus Imperator*, nempe pridie Kalendas Aprilis, & *æſtatis tempore Karolus Imperator abiit cum Karolo filio ſuo Rege ultra Rhenum fluvium ſuper Saxoniam ad locum qui appellatur Ferdia.* Commentitium eſt igitur Diploma, quod ſuprà deſcripſimus ex Ripamontio, taléque deprehenditur ex Annaliſta Loiſeliano, cujus textus per partes hic examinandus videtur, ut ſeries rerum ab Imperatore geſtarum clariùs innoteſcat.

LI. DANI FRISIAM VASTANT.

Carolus Aquiſgrano, ubi Paſcha celebrarat, digreſſus, ad Rhenum deinde ad Aleræ confluentes in Viſurgim contendit. Alera * ſive Alara Verdam urbem præterlapſus in dexteram Viſurgis ſeu Wiſoræ ripam ſtatim cadit. Quam vocamus Verdam, Auctor Chronici San-Dionyſiani Feredam dicit, & Chronographus Moiſſiacenſis Ferdiam appellat. Textum Chronici Moiſſiacenſis jam allegavimus. Auctor verò Chronici San-Dionyſiani ſic habet. DCCCX. *Carolus Imp. cum exercitu Francorum perrexit in Saxonia, & ibi Placitum habuit in Fereda.* Hæc civitas hodie *Verden* & *Ferden* proſmiſcuè nuncupatur. Itineris ſuſcepti nullæ fuerunt cauſæ præter eas, quas Annaliſta Loiſelianus attulit; Danorum videlicet in Friſiam appulſus cum ducentis navibus, & Godofridi Regis è Dania cum copiis in Saxoniam mox irrupturi ſuperbæ minæ. Carolus locum, ubi Alera Viſurgi miſcetur, ponendis caſtris aptiſſimum duxit, ut & auxilio Friſiis eſſet, & præſidio Saxonibus, nec multùm ab Albi removeretur, & à Sturia, cujus ripæ prævalidum ad coercendas Danorum incurſiones munimentum imponebat. Erat Sturia fluvius in tranſalbiana Saxonia non ignobilis, hodie vocatur Stora *, nomen Stormariæ fecit, eandem Stormariam ab Holſatia ſtrictè ſumpta dividit, ſéque in dexteram Albis ripam exonerat. De civitate quam Carolus ad Sturiam erigebat, Annaliſta Loiſelianus ita ſcribit. *Imperator, cùm ei multa de jactantia & ſuperbia Regis Danorum nunciarentur, ſtatuit trans Albim fluvium civitatem ædificare, Francorúmque in ea ponere præſidium. Cúmque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregaſſet, armíſque ac ceteris ad uſum neceſſariis rebus inſtructis, per Friſiam ad locum deſtinatum ducere juſſiſſet, Traſco Dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godofridi per dolum interfectus eſt. Sed Imperator, poſtquàm locus civitati conſtituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albim trajicere, & locum juſſit occupare. Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ fluminis, vocabulo Eſſelfelt, & occupatus eſt ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cæptus.* Eadem alii memorant Annaliſtæ, Laureshamenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli. Ne verò te fallat unanimis conſenſus tot Auctorum hæc referentium ad annum ſuperiorem, obſerva in eorum opinione, qui principium anni ſumunt à Paſchate, totum textum ſuprà deſcriptum pertinere ad unum eundémque annum, ad duos autem in noſtra ſententia, quia principium anni ducimus à Kalendis Januarii. Quapropter anno priori jam recitavimus eundem textum, monuimúſque partim ad illum annum, partim ad hunc proximum ſpectare. Referri debet ad hunc annum poſtrema hæc periodus. *Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ, vocabulo Eſſesfelt, & occupatus eſt ab Egberto & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cæptus.* Necnon & hoc additamentum Monachi Egoliſmenſis. *Et ædificata eſt fortiſſima civitas Eſſesfelt.*

* *l'Alre.*

* *le Steer.*

STURIÆ MUNIMENTUM IMPONITUR AD COERCENDAS EORUM INCURSIONES.

LII. Imperator, cùm in ſtativis eſſet, varios è diverſis ac valdè diſſitis regionibus, ex Dania, Slavia, Italia, Thracia, & Hiſpania, nuncios accepit.

LIII. De Danis duæ res relatæ; claſſis reditus in Daniam, nex illata Godofrido Regi. Recedentibus Danis tota Friſia rediit in Caroli poteſtatem. Sublato

Godofrido, Danorum evanuerunt minæ. Qui patruo ſucceſſit Hemmingus, is amicitiam pacémque cum Carolo Aquiſgranum reverſo redintegravit, ut infrà dicturi ſumus. Godofridi Regis ſuperbiam ac necem Eginhardus in vita Caroli ſic deſcribit. *Ultimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde majori claſſe littora Galliæ atque Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum eſt. Quorum Rex Godefridus adeò vanâ ſpe inflatus erat, ut totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatem. Friſiam quoque & Saxoniam haud aliter atque ſuas provincias æſtimabat. Jam Abodritos vicinos ſuos in ſuam redegerat ditionem, jam eos ſibi vectigales fecerat. Jactabat etiam ſe brevi Aquaſgrani, ubi Regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus, quamvis vaniſſimis omnino fides abnuebatur, quin potiùs putaretur tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinatâ morte fuiſſet præventus. Nam à proprio ſatellite interfectus, & ſua vita & belli à ſe inchoati finem acceleravit.* Nec omittendum quod inter varia prodigia, quæ Caroli mortem præceſſerunt, idem Auctor ait in expeditione contra prædictum Godofridum ſuſcepta contigiſſe. *Ipſe quoque, cùm ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum Regem Danorum ageret, quadam die cùm ante exortum Solis caſtra egreſſus iter agere cœpiſſet, vidit repentè delapſam calitus cum ingenti lumine facem à dextra in ſiniſtram per ſerenum aera tranſcurrere. Cunctiſque hoc ſignum quid portenderet admirantibus, ſubitò equus, cui inſidebat, capite deorſum merſo decidit, eúmque tam graviter ad terram eliſit, ut fibulâ ſagi ruptâ, balteóque gladii diſſipato, à feſtinantibus qui aderant miniſtris, exarmatus ſine adminiculo levaretur. Jaculum etiam, quod tunc fortè manu tenebat, ita elapſum eſt, ut viginti vel eo ampliùs pedum ſpatio procul jaceret.* Hoc autem prodigium, ut & alia multa, quæ commemorantur ab eodem Biographo, *ſic aut diſſimulavit aut ſprevit* Carolus, *ac ſi nihil horum ad res ſuas quolibet modo pertineret.*

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22. GODEFRIDI R. MINÆ, ET INTERITUS.

LIV. In iiſdem ſtativis auditum de Wilſis Sclavorum populis, quòd Caſtellum ad Albim fluvium ceperant. Iſtius Caſtelli nomen variis modis ab antiquis Auctoribus enuntiatur; *Hosbuoki* ab Annaliſtis, Loiſeliano, Fuldenſi, & Bertiniano; *Hosbuchi* ab Annaliſta Laureshamenſi, *Hochuoki* ab Annaliſta Metenſi; *Huobbuocki* à Reginone; *Hochboki* ab incerto Auctore in vita Caroli; & *Obuoki* à Monacho Egoliſmenſi. Illo de Caſtello recurret ſermo, hoc enim anno non captum modò ſed etiam deſtructum fuit à Wilſis, & anno ſequenti reparatum à Francis, ut iidem teſtantur Auctores.

CASTELLUM AD ALBIM DIRUITUR A WILSIS.

LV. Luctuoſus ex Italia nuncius venit. Obiit enim Mediolani Pippinus Rex octavo Idus Julii, relicto Bernardo filio unico, filiabus verò quinque, Adelhaïde, Atalâ, Gundradâ, Bertraïde, ac Thedradâ, quas Carolus *inter filias ſuas* educari voluit, ut ex Eginhardo jam notavimus. Carolo filiæ ſeptem ſupererant natæ ex quinque conjugibus, Rothaïs ex Himiltrude, Berta & Giſla ex Hildegarde, Thedrada & Hildrudis ex Faſtrada, Rothildis ex Mathalgarde, & Adeldrudis ex Gerſuinda. Rotdrudis à nobis omittitur, quia vitam uno ante Pippinum fratrem menſe terminavit, octavo videlicet Idus Junii. Sic enim ad hunc annum ſcribit Annaliſta Loiſelianus. *Hrudtrud filia Imperatoris, quæ natu major erat,* VIII *Idus Jun. diem obiit.* Adſtipulantur Annaliſtæ, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, & Metenſis, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in vita Caroli. Rotdrudis apud hos omnes Scriptores *natu major* ceteris Caroli filiabus dicitur, & apud Eginhardum in ejuſdem Caroli vita, *filiarum ejus primogenita* nuncupatur, id eſt, primogenita inter Caroli & Hildegardis filias, quæ puritiæ annos exceſſerunt; nam Adheleïs, quæ diſceſſit in cunis, prima fuit Caroli & Hildegardis proles, & Rothaïs ex Himiltrude nata eſt, antequàm Carolus duxiſſet ipſam Hildegardem quæ Rotdrudem peperit. Vixit Rotdrudis annos triginta-quinque, viro non nupſit, etſi Conſtantino Græcorum Imperatori aliquando deſponſata fuerit. Ex illicita copula peperit Ludovicum, qui *nepos Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude* nuncupatur

OBIT ROTRUDIS CAROLI AUG. FILIA.

AN. CH. 810.

in Annalibus Bertinianis [a]. Dolorem, quem Carolus ex obitu Rotdrudis filiæ conceperat, auxit hoc eodem anno mors Pippini filii. Paulò pòst, ut ex Eginhardo conjicimus, natus est eidem Carolo ex Adelluida sive Adallinda Thedericus, tanto mœrori solatium longè impar.

[a] Al an. 867.

NASCITUR THEODORICUS EJUSDEM CAROLI FILIUS.

LVI. Carolus, priusquàm Aquisgranum rediret, Legatos Constantinopoli Cordubâque sibi directos rescivit, eos tamen audivit Aquisgrani, cùm illuc reversus esset. Interim, teste Chronographo Moissiacensi, *misit scaras suas ad Marchas, & mandavit civitatem ædificare ultra Albiam in loco, qui dicitur Essefeldoburg*, aliis Essfelt, *& mandavit illis hominibus, qui custodirent civitatem.* Habuit quoque Placitum apud Verdam, & Obotritis Regem seu Ducem præfecit. Breve Chronicon San-Dionysianum, quod Tomis, quarto, quinto, & sexto, non rarò citavimus, in hoc anno sic definit. DCCCX. *Carolus Imp. cum exercitu Francorum perrexit in Saxonia, & ibi Placitum habuit in Fereda, & ibi Wenedi venerunt, & dedit illis Regem.* Feredam urbem, Verdam ad Alteram fluvium jam interpretati sumus. De Winidis autem seu Wenedis & de Sclavis lege quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum octogesimum, Chronographus enim Moissiacensis ad illum annum, ut observavimus, Obotritos nomine Winidorum intelligit, nec aliam gentem ad hunc annum in Chronico San-Dionysiano proximè allegato designant *Wenedi*, quia Obotriti ab anno priore, quo Thrasiconem Ducem fraude Danorum circumventum atque interfectum amiserant, carebant Rege seu Duce, ideóque Verdam profecti videntur ad Imperatorem, ut successorem prædicto Thrasiconi subrogaret.

CAROLUS AUG NOVUM OBOTRITIS DUCEM PRÆFICIT.

LVII. Carolus mense Octobri reversus est Aquisgranum, ibique Legatos suscepit, quos Constantinopoli Cordubâque directos jam sciebat, pacémque cum Græcorum Imperatore & Cordubensi Calipha fecisse dicitur. *Imperator*, inquit Annalista Loiselianus, *Aquasgrani veniens mense Octobris, memoratas Legationes* (id est, *unam de Constantinopoli, alteram de Corduba*, quas idem Annalista superiùs attigerat) *audivit, pacémque cum Niciforo Imperatore & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit, & Adimricum Comitem olim à Sarracenis captum, Abulaz remittente, recepit.* Eadem ab aliis repetuntur Annalistis, Laureshamensi, Fuldensi, Bertiniano, ac Metensi, necnon à Reginone, à Monacho Egolismensi, & ab incerto Auctore in vita Caroli. Sunt autem accuratiùs examinanda, debent enim & illustrari notis & mendis expurgari.

LVIII. Inter epistolas Alcuinianas, quæ numero est centesima undecima, scripta fuit longè post obitum Alcuini, & à Carolo Romanorum Imperatore missa Nicephoro Græcorum Imperatori. In his literis, Carolus duplicis Legationis à Nicephoro directæ meminit; unius, quâ Michael Episcopus, Petrus Abbas, & Callistus Candidatus functi sunt anno Redemptoris octingentesimo tertio; alterius, quam Arsatius Spatarius obiit hoc anno. Prioris mentionem fecimus suo loco, posterior manet hîc exponenda.

LIX. Directus est hoc anno cum literis Arsatius ad Pippinum Italiæ Regem, auditâque Pippini morte perrexit Aquisgranum quò vocabatur à Carolo. Utrumque Carolus in suis ad Nicephorum literis sic docet. *Legatum Fraternitatis tuæ, quem ad bonæ recordationis filium nostrum Pipinum Regem misistis, Arsatium scilicet gloriosum Spatarium ad nos cum verbis & literis* * ..... *tuæ benignè atque honorificè suscepimus. Et quamvis ad nos missus non fuisset, velati ad nos missum, adhibitâ diligenti curâ, & audivimus, & cum eo de his quæ detulit, quia prudentem animadvertimus, collocutionem habuimus. Nec immeritò, cùm tanta esset, non solùm in literis quas attulit, sed etiam in verbis quæ ex ore illius nostris auribus insonuerunt, optata ac semper optanda pacis copia, ut valdè nobis & quibuscumque Deum amantibus hujuscemodi Legatio placere potuisset, quæ utique tanto fuit caritatis ac pacis favo respersa, ut in palato cordis cujusque fidelis veram possent sapere dulcedinem, possétque judicari penitus insipiens, cui*

* legendum arbitramur *Fraternitatis tuæ*

LEGATUS NICEPHORI IMP. AUDITUR A CAROLO AUG.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

talia videantur inſipida. Propter quod, poſtquàm illum in fines Regni noſtri perveniſſe comperimus, veluti præſcii optimæ ac Deo complacitæ Legationis ejus, temperare nequivimus, opportunè eum ad noſtram præſentiam venire fecimus, maximè tamen quòd is, ad quem illum miſſum eſſe conſtabat, dilectus filius noſter Pipinus Rex divino judicio jam rebus humanis exceſſerat, neque nos illum cum infecto negotio tanto, ad quod perficiendum directus erat, vacuum reverti, pati potuimus. Subjungit nonnulla de priori Legatione, quam Michael Epiſcopus, Petrus Abbas, & Calliſtus Candidatus ante ſeptennium obierant, nec diſſimulat ſe longâ fuiſſe ſuſpenſum expectatione, quòd literis per eos Conſtantinopolim directis reſponſa nec per Legatum nec per epiſtolam ſuſciperet. Deinde ad Arſatium ſic redit. *Audito adventu memorati Legati Dilectionis tuæ, Arſatii glorioſi Spatarii, magnoperè gaviſi ſumus, confidentes nos de rebus incertis ad optatam certitudinem perventuros, & de his, quæ prædictis Miſſis tuis*, nempe Michaeli Epiſcopo, Petro Abbati, & Calliſto Candidato, *ad te perferenda dedimus, reſponſum eſſe recepturos. Et reverà ita factum eſt. Senſimus enim ex parte tua, quod deſiderabamus, ad completionem votorum noſtrorum, divini favorem auxilii, & in verbis ac literis, quæ per Legationem memorati Legati perlata ſunt, quamvis ad filium noſtrum ſcripta & directa eſſent, non minimam nos deſideratæ reſponſionis accepiſſe portionem. Proinde Omnipotenti Deo non quales debuimus, ſed quales potuimus, gratias agimus, quòd cordi Dilectionis tuæ, quam quæſivimus, ac deſiderabilem pacis voluntatem inſpirare dignatus eſt, orantes ſecundùm Apoſtolum, ut Deus, qui vobis in hac pace, velle tribuit, ipſe perficere tribuiſſet. Propter quod nihil morantes, ſed omni cunctatione ac dubitatione penitus abjectâ Legatos noſtros præparavimus ad tuam amabilem Fraternitatem dirigendos.* Agemus anno proximo de Legatis quos Carolus ad Nicephorum miſit, Arſatio Conſtantinopolim tunc redeunte.

LX. Carolus, licèt ſit Imperator, & filios ſuos, Pippinum per Italiam, Ludovicum per Aquitaniam, utrumque ab annis undetriginta, Carolum per Neuſtriam ab annis uno ac viginti completis Reges inſtituerit, imò univerſam penè Franciam inter eoſdem filios ante quadriennium diviſerit, Francicas omnes ditiones, quantæcumque ſunt & ubicumque ſitæ, Regnum ſuum appellat. *Poſtquàm*, inquit, *illum*, nempe Arſatium, *in fines Regni noſtri perveniſſe comperimus.* Atque hinc duæ res attendi plurimùm debent. Carolus, ubi filios ſuos Reges dixit, eos in conſortium Regni tantùm vocavit, nec abdicavit ſe provinciis, quas eorum regimini commiſit. Et poſtquàm Imperatoris & Auguſti nomen adeptus eſt, ditiones ſuas haud Imperii novâ complexus eſt appellatione, ſed uſurpato à Majoribus Regni nomine, quia non eas ut Imperator & Auguſtus ſed ut Rex obtinebat, Imperatoris enim Titulo ne vicus quidem fuerat attributus.

LXI. In iiſdem literis Carolus Nicephorum fratrem ſuum non ſemel appellavit, ut oſtendunt hæ loquendi formulæ; *Legatum Fraternitatis tuæ*; &, *Legatos noſtros præparavimus ad tuam amabilem Fraternitatem dirigendos.* Hac arte vicit invidiam Orientalium Imperatorum valdè ſuper hoc indignantium, quòd Imperatoris & Auguſti nomen accepiſſet. *Vicit eorum autem invidiam*, inquit Eginhardus, *magnanimitate, quâ eis procul dubio longè præſtantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epiſtolis Fratres eos appellando.*

LXII. Præcipuum autem obſervationum caput hoc eſto. *Legatos noſtros*, ait Carolus in præcitatis ad Nicephorum literis, *præparavimus ad tuam amabilem Fraternitatem dirigendos.* Hi Legati fuerunt Heyto Baſileenſis Epiſcopus, Hugo Comes Turonicus, & Aio Langobardus de Foro-Julii. Suſceperunt iter in Orientem anno ſequenti, redieruntque cum Legatis Conſtantinopolitanis, per quos Michael Imperator *pacem à Nicephoro* deceſſore *inceptam confirmavit* anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo, ut veteres Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, necnon Regino, Monachus Egoliſmenſis, & incertus Auctor in

AN. CH. 810.

vita Caroli, teſtantur. Ergo interpretatione ſimul & emendatione iidem egent Auctores, ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum, quo pacem inter Carolum & Nicephorum Auguſtos certis legibus initam ſic aſſerunt. *Imperator pacem cum Niciforo Imperatore fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit.* Pax inter ambos Imperatores utcumque dici poteſt hoc anno facta, quia tunc utrimque ceſſatum eſt ab armis, & pacis conditiones, de quibus hoc anno cœptum eſt agi, Legatis intercurrentibus, ab utraque tandem parte poſt biennium approbatæ ſunt ac firmatæ. De pacis legibus non eſt hîc diſputandi locus, de illis enim ſeriùs conventum eſt anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo. Tamen obiter hîc obſerva turpiter eos allucinari, qui Venetiam Nicephoro à Carolo redditam hoc anno volunt. Erat enim Venetia provincia liberi juris, quæ neutri Auguſtorum parebat, cùm ſubacta eſt à Pippino Caroli filio.

UTRIMQUE AB ARMIS CESSATUR.

LXIII. A Legatione Conſtantinopolitana tranſeundum nobis eſt ad Cordubenſem. Utramque enim Carolus audivit Aquiſgrani, cùm illuc è Saxonia menſe Octobri reverſus eſſet. Si fides eſt Annaliſtæ Loiſeliano & aliis Auctoribus ſuprà nominatis, *Imperator pacem cum Abulaz Rege Hiſpaniæ fecit, & Adimricum Comitem olim à Sarracenis captum. Abulaz remittente, recepit.* At quid illam Legationem anteceſſerit, audiendum priùs ex Aſtronomo, qui vitam & actus Ludovici Pii conſcripſit, & in iſta lucubratione, poſtquàm res enarravit, quæ ſuperiore anno geſtæ ſunt in obſidio Tortoſæ, ſtylum ſuum ad aliam expeditionem, quam ipſemet Ludovicus ſuſcepit, ita convertit. *Porrò anno huic proximo Ludowicus Rex per ſemetipſum Tortoſam repetere ſtatuit, habens ſecum Heribertum, Lintardum, Iſembardum, validúmque Franciæ ſupplementum. Quò perveniens, adeò illam arietibus, mangonibus, vineis, & ceteris inſtrumentis laceſſivit & protrivit muralibus, ut cives illius à ſpe decidérent, infractóſque ſuos adverſo Marte cernentes, claves civitatis traderent. Quas ille rediens cum multo favore patri retulit. Quæ res magnum Sarracenis & Mauris pro talibus geſtis incuſſit metum, verentibus ne ſingulas civitates par ſors involveret. Reverſus eſt igitur Rex à civitate poſt quadraginta dies inchoatæ obſidionis, & in proprium ſe contulit Regnum.*

LUDOVICUS R. TORTOSAM EXPUGNAT.

LXIV. Alhaca ſive Abulaz Calipha Cordubenſis, id eſt, Saracenorum Rex in Hiſpania, Tortoſam ſeu Dertoſam à Francis expugnatam ægerrimè tulit, verebatur enim plurimùm, ne trans Iberum, qui civitatem illam alluit, & citeriorem Hiſpaniam ab ulteriori ſeparat, victores Franci latè per ulteriorem Hiſpaniam effunderentur, maximè ſi certus fieret, qui de Cæſarauguſtæ & Oſcæ Præfecto ſpargebatur rumor. Hic Præfectus, nomine Amoroz, poſt obitum Aureoli Comitis, qui trans Pyrenæum montem in confinio Francorum & Maurorum *contra Oſcam & Cæſarauguſtam reſidebat, miniſterium ejus invaſit, & in Caſtellis illius præſidia poſuit. Miſſâque ad Imperatorem Legatione, ſeſe cum omnibus, quæ habebat, in deditionem illi venire promiſit*, ut anno ſuperiore dictum eſt ex veteribus Annaliſtis. Hoc autem anno, *poſtquàm Imperatoris Legati ad eum pervenerunt, petiit ut colloquium fieret inter ipſum & Hiſpanici limitis Cuſtodes, promittens ſe in eo colloquio cum ſuis omnibus Imperatoris in deditionem eſſe venturum. Quod, licèt Imperator ut fieret annuiſſet, multis intervenientibus cauſis remanſit infectum.* Hæc iidem Annaliſtæ. Ceterùm Amoroz anno præterito rebus ſuis malè conſuluit, occupatis enim Francorum Caſtellis iram bellicoſæ victorioſæque gentis in ſe concitavit, directâque pòſt ad Carolum Legatione venit apud Alhacam in ſuſpicionem proditionis. Haud prudentiorem ſe geſſit hoc anno, nam variis uſus tergiverſationibus ac dolis Francos ſibi reddidit infenſiores, nec ſtuduit in gratiam redire cum Calipha. Carolus odium diſſimulavit, tempus ultioni ſumendæ percommodum præſtolaturus. Alhaca claſſem inſtruxit adversùs Francos, & Abderrahmanum filium ſuum copiis adversùs Amorozum ſive Ambrocium[a] præfecit. Utramque expeditionem Annaliſta Loiſelianus, quocum ceteri con-

[a] Marian. l. 7. c. 12.

Digitized by Google

ſentiunt, ſic attingit. *Mauri de tota Hiſpania maximâ claſſe comparatâ primò Sardiniam deinde Corſicam appulerunt, nulloque in ea invento præſidio Inſulam penè totam ſubjecerunt.* Et inferiùs. *Corſica Inſula iterum à Mauris vaſtata eſt. Amorox ab Addiraman filio Abulaz de Cæſaraugusta repulſus, & Oſcam intrare compulſus eſt.* Alhaca proſperis hiſce ſucceſſibus haud adeò fuit elatus, ut oblivi ſceretur periculi, quod à Francis imminebat. Quapropter Aquiſgranum direxit Oratorem, qui pacem cum Imperatore ſanciret. Ex pacis initæ conditionibus ab Alhaca remiſſus eſt Comes è gente Francorum olim à Saracenis captus. Huic Comiti nomen apud Annaliſtam Loiſelianum & Monachum Egoliſmenſem *Adimricus*, apud Annaliſtam Fuldenſem & incertum Auctorem *Hainricus*, apud Reginonem *Heinricus*, apud Annaliſtam Laureshamenſem *Heimrichus*, apud Annaliſtam Bertinianum *Haimricus*, apud Annaliſtam Metenſem *Heimericus*. Quæ proximis annis narrabuntur, pacem illam cum Mauris haud firmam oſtendent. AN. CH. 810. ALHACA R. CORDUBÆ PACEM INIT CUM FRANCIS.

Carolus ad Aquiſgranenſe palatium reverſus, ibi non tantùm Oratores audivit Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris & Alhacæ Caliphæ Cordubenſis, ſed & Capitulare promulgavit, de quo Jacobus Sirmondus ex Metenſi Codice ſic loquitur in elencho publicorum Conventuum, quos Carolus jam Imperator celebravit. *Anno* X *in Aquis Palatio, Capitula* XVIII. *De clamatoribus &c.* Hoc Capitulare duodeviginti diſtinctum in Capitula nobis ex eodem Codice Metenſi communicavit Stephanus Baluzius cum hocce Titulo. *Capitula, quæ anno decimo Imperii Domini Karoli Sereniſſimi Auguſti Aquis Palatio commonita ſunt.* Inſerta ſunt illa Capitula libris Capitularium primo & tertio necnon & Appendicibus primæ ac ſecundæ. LXV. CAROLUS AUG. EDIT CAPITULARIA.

Primum Capitulum eſt de impedimento clamatorum. *De clamatoribus, qui magnum impedimentum faciunt in Palatio ad aures Imperatoris, ut Miſſi ſeu Comites illorum Miſſos tranſmittant contra illos, qui mentiendo vadunt, ut eos convincant.* Huic Capitulo ſimillimum eſt quod occurrit undeſexageſimum in tertio Capitularium libro. LXVI.

Secundum. *Ut ante Vicarium & Centenarium de proprietate aut libertate judicium non terminetur aut adquiratur, niſi ſemper in præſentia Miſſorum Imperialium, aut in præſentia Comitum.* Hoc Capitulum eſt duodetriceſimum Appendicis ſecundæ. LXVII.

Tertium. *De homicidiis factis anno præſenti inter vulgares homines, quæ propter pulverem mortalem acta ſunt*, vel ut habet Appendicis prædictæ Capitulum undetriceſimum; *de homicidiis factis anno præſenti inter vulgares homines, quaſi propter pulverem mortalem.* LXVIII.

Quartum. *Ut Sacerdotes admoneant populum, ut eleemoſynam dent & orationes faciant propter * diverſas plagas quas aſſiduè pro peccatis * patimur.* Huic Capitulo tribúſque proximè ſequentibus ſimillima ſunt quatuor poſtrema libri primi Capitularium. LXIX. * pro diverſis plagis * peccatis noſtris

Quintum. *Ut ipſi Sacerdotes, unuſquiſque ſecundùm ordinem ſuum prædicare & docere ſtudeat plebem ſibi commiſſam.* LXX.

Sextum. *De ebrietate, ut primùm omnium ſenieres ſemetipſos exinde caveant *, & eorum junioribus exemplum bonum * ſobrietatis oſtendant.* LXXI. * veteres * bona

Septimum. *Admonendi ſunt omnes generaliter, ſecundùm Evangelicam auctoritatem, ut ſic luceant opera * eorum bona coram hominibus, ut glorificent Deum, qui in cælis eſt.* LXXII. * opera veſtra

Octavum. *De fugitivis, qui per diverſas provincias detenti * & occultati contra Præceptum Domini Imperatoris ſunt, ut qui eos poſt præteritum tempus ſuſcepit aut retinet, bannum Dominicum componat.* Hoc Capitulum duóque ſubſequentia reperiuntur in tertio Capitularium libro [a]. LXXIII. * ductis [a] Capp. 60. 61 62.

Nonum. *De pace & juſtitia infra patriam, ſicut ſæpè per alia Capitula juſſimus, adimpletum ſiat.* LXXIV.

AN. CH. 810. LXXV. LXXVI. Decimum. *De latronibus, qui magnam habent blaſphemiam, quicumque aliquem ex ipſis comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.*

Undecimum. *De heribanno, ut diligenter inquirant Miſſi, qui hoſtem facere potuit & non fecit, ut ipſum bannum componat, ſi habet unde componere poſſit. Et, ſi non habuerit unde componere valeat, rewadiatum fiat & inbreviatum, & nihil pro hoc exactatum fiat uſquedum ad notitiam Domni Imperatoris veniat.* Hoc Capitulum quatuórque ſubſequentia ſimul quoque conjunguntur in Appendice jam laudata [a].

[a] Capp. 28. & ſeqq.

LXXVII. [b] Num. 16. Duodecimum. *Heriſliz qui factum habent, per fidejuſſores ad Regem mittantur.* Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum primum [b], *Heriſliz* ſive *Heriliz* aut *Eriliz* exercitûs deſertionem jam interpretati ſumus.

LXXVIII. Decimum-tertium. *De beneficiis deſtructis, & alodibus reſtauratis*, vel *alode reſtaurato*, ut habet Appendix præcitata.

LXXIX. Decimum-quartum. *De freda exigenda.*

LXXX. Decimum-quintum. *De materiamine ad naves faciendas.*

LXXXI. Decimum-ſextum. *De vulgari populo, ut unuſquiſque ſuos juniores diſtringat, ut meliùs ac meliùs obediant & conſentiant mandatis & præceptis Imperialibus.* Hoc Capitulum idem cum ſexageſimo tertio libri tertii Capitularium. Quæ verò ſequuntur & Capitulare claudunt duo poſtrema Capitula, ſunt eadem cum triceſimo-primo & triceſimo-ſecundo Appendicis primæ.

LXXXII. Decimum-ſeptimum. *De eleemoſyna mittenda ad Hieruſalem propter Eccleſias Dei reſtaurandas.*

LXXXIII. Decimum-octavum. *Ut nullus hominibus malignis conſentiat, ſed magis, in quantùm poteſt, reſiſtat. Ut pauperes, orphani, viduæ, & Eccleſiæ Dei, pacem habeant.*

LXXXIV. Alterum Capitulare nobis ex eodem Metenſi Codice communicavit etiam Stephanus Baluzius cum hoc apice Chronologico. *Item de anno* X. Hoc Capitulare ſexdecim Capitula, vel potiùs totidem Capitulorum Titulos, atque eandem fermè, quam ſuperius, materiam complectitur, ut ex ſingulorum Capitulorum collatione liquet.

LXXXV. I. *De tribulatione generali, quam patimur omnes, id eſt, de mortalitate animalium & ceteris plagis.* II. *De prædicatione per ſingulas Parrochias.* III. *De Evangelio, ut luceat lux veſtra coram hominibus.* IV. *De omnibus vitiis & ebrietate fugienda* *. Quatuor hoſce Titulos confer cum Capitulis, quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo, ſuperioris Capitularis. V. *De ſemetipſo & ſua familia uniuſcujuſque* * *corrigenda.* VI. *De orationibus in invicem faciendis.* VII. *De innocentibus occiſis inquirendum.* Lege in priore Capitulari Capitulum tertium de homicidiis. VIII. *De clamatoribus, quomodo caſtigentur.* Superioris Capitularis primum Capitulum eſt de impedimento clamatorum. IX. *De beneficiis non benè condrictis inquirendum*, ut in priore Capitulari, Capitulo decimo-tertio, de beneficiis deſtructis. X. *De mendacio & perjurio cavendo.* XI. *De heribanno exigendo.* XII. *De pauperibus, qui minimè ſolvere poſſunt.* XIII. *De freda exigenda.* XIV. *De his, qui heriſliz fecerunt, ut fidejuſſores donent.* XV. *De rebus & mancipiis, ut ante Vicarios & Centenarios non conquirantur.* XVI. *De latronibus, quomodo diſtringantur.* Hujus Capitularis ſex poſtremi Tituli reſpondent Capitulis, undecimo, decimo-quarto, duodecimo, ſecundo, & decimo, ſuperioris Capitularis.

* *fugiendum*

* *unuſquiſque*

LXXXVI. Ex Codice Metenſi tertium quoque Capitulare nobis exhibuit Stephanus Baluzius hoc conſignatum anno, inſcriptúmque *de inſtructione Miſſorum*, quam quinque diſtinctam in Capitula ſubjicimus.

LXXXVII. I. Capitulum. *Ut tales ſint Miſſi in Legatione ſua, ſicut decet eſſe Miniſtros Imperatoris ſtrenuos, & perficiant quod eis injunctum fuerit. Aut, ſi non potuerint, Domno Imperatori notum faciant quæ difficultas eis reſiſtat ne illud perficere poſſint.*

II. *Ut*

II. *Ut quicquid de ejus juſſione cuilibet præcipere & commendare debent, poteſtativè annuntient atque præcipiant. Et non ſibi faciant ſocios inferioris ordinis homines, qui ſemper inde retrò res qualeſcunque tractare volunt, ſed illos ſibi ſocient, qui ad effectum unamquamque rem reduci cupiunt.* AN. CH. 810. LXXXVIII.

III. *Quando juſtitiam pauperibus facere juſſerint, ſemel aut bis præcipiant ut juſtitia facta fiat. Tertiâ vice, ſi nondum factum eſt, ipſi pergant ad locum & ad hominem qui juſtitiam facere noluit, & cum virtute tollant ab eo quod injuſtè alteri tulit, & reddant illi cujus per juſtitiam eſſe debuit.* LXXXIX.

IV. *Ut qui bannum Domni Imperatoris vel freda dare debet, accipiatur illa ſolutio, & ad eum inferatur, ut ipſe tamen det cuicunque ei placuerit.* XC.

V. *Quicunque illis juſtitiam facere volentibus reſiſtere conatus fuerit, Domno Imperatori annuntient. Similiter quicunque contra juſtitiam alterum in Placito defendere voluerit, legitimam pœnam incurrat, cujuſlibet homo ſit, ſive Domni Imperatoris, ſive cujuſlibet filiorum & filiarum vel ceterorum potentium hominum.* XCI.

Annaliſta Loiſelianus aliique res hoc anno geſtas ſic claudunt. *Godofrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris ejus in Regnum ſucceſſit, ac pacem cum Imperatore fecit*, quæ poſtero anno datis viciſſim ſacramentis confirmata eſt, ut dicemus ſuo loco. XCII. PACEM INIT CUM HEMMINGO DANORUM R.

Atho ſive Otho Spirenſis Epiſcopus obiit hoc anno, cùm ſediſſet annos octo. Succeſſit Freydo ſeu Fraydo, cui Carolus inſignia Privilegia conceſſit. Lege Eyſengreinium, Bruſchium, & Bucelinum, in Epiſcoporum Spirenſium Catalogis. XCIII. EPISCOPI SPIRENSES.

Erectus in eadem provincia Moguntiacenſi novus apud Salingeſtadium hoc anno videtur Epiſcopatus, cujus Infulas primus geſſit Hildegrimus anteà Catalaunenſis Epiſcopus, & Sancti Ludgeri primi quondam Mimigardevordenſis Epiſcopi frater germanus. Epiſcopatum inierunt, Mimigardevordenſem Ludgerus anno Redemptoris octingenteſimo ſecundo, Catalaunenſem Hildegrimus anno Redemptoris octingenteſimo quarto. Tenebantur eòdem idololatriæ profligandæ deſiderio. Fratrem juvabat Hildegrimus evocatus Catalauno, nonnumquam ſimul apud Helmſtadium degebant. Anno Redemptoris octingenteſimo nono Ludgerus obiit. Ejus exequias curavit Hildegrimus, nec amplius Catalaunum reverſus creditur. Si fides eſt Ditmaro [a], *Halverſtadenſis Eccleſiæ* Rector fuit XLVII *annos*, & ab hoc ſeculo diſceſſit *regnante tunc Ludovico Pio Imperatore, anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXVII. Krantzius eidem quoque Hildegrimo annos Epiſcopatûs in Germania ſeptem & quadraginta tribuit, quadraginta *in loco Salingſtede*, ſeptem apud Halberſtadium, ſic enim ſcribit in ſua Metropoli [b]. *Rex invictus extruxit in loco Salingſtede inſignem Eccleſiam, quam in honorem Divi Stephani juſſit conſecrari, præpoſuitque primum ei Epiſcopum, egregium virum Hildegrinum, germanum fratrem Ludgeri.* Et paulò pòſt. *Hildegrinus autem Pontifex, quùm diu præfuiſſet Eccleſiæ, auctus rebus & populo, illuſtrius Deo Templum cogitavit erigere. Hac dum cogitatione torqueretur, monitus eſt ab Angelo, alium eſſe Deo placidiorem locum, quo novum Templum erigeret; monſtravitque Halberſtadium, populo frequentiorem locum. Ibi tum Pontifex conſtituto Templo ac conſecrato Sedem eſſe ſuam conſtituit. Ibique præfuit annis ſeptem, quùm priore loco totos exegiſſet quadraginta.* Error in illis Auctoribus manifeſtè patet, Catalaunenſis enim Epiſcopus adhuc erat Hildegrimus anno Redemptoris octingenteſimo nono, quo mors Ludgeri fratris contigit. Emendatio commodiùs fieri nequit, quàm ſi dicatur Hildegrimus in Germania ſediſſe non annos XLVII. ſed X. & VII. id eſt, annos X apud Salingeſtadium, ſeptem apud Halberſtadium. Hac adhibitâ correctione, Salingeſtadienſis Epiſcopatus erigitur hoc anno, decimóque pòſt anno ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo Sedes Epiſcopalis Halberſtadium transfertur. De Salingeſtadio & Halberſtadio Philippus Ferrarius hæc habet. *Salingſtadium, Salingſtede, alijs Se-* XCIV. ERIGITUR EPISCOPATUS SALINGESTADIENSIS.

[a] Lib. 4. in fin.

[b] Lib. 1. c. 3.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

lingſtat, oppidum Germaniæ in Franconia, ad Mœnum fluvium, à Francofurto tribus leucis in ortum, olim urbs Epiſcopalis à Carolo Magno erecta, cujus Sedes Epiſcopalis Halberſtadium in Saxonia tranſlata eſt. At quis Salingeſtadienſem Diœceſim avulſam à Moguntina putet, aut inter Epiſcopatus, quos Carolus Magnus in Saxonia condidit, ſuſpicetur unum reperiri, cujus urbs primaria Wirciburgum inter ac Moguntiam ſita ſit ad Mœnum in regione Chriſto dudum aſſerta? Longè aliter ſentiendum ex Petro Bertio in urbibus Germaniæ & ex Michaele Antonio Baudrando in Lexico Geographico. Bertius in Halberſtadio Saxoniæ ſic ſcribit. *Conſtat Carolum Magnum, qui ad debellandos domandóſque Saxonas vim ſimul externam & pietatis ſtudia conjunxit, ut non tam ſibi populos, quàm Chriſto Eccleſiam inter paganos colligere crederetur, Oſterwici magnificum Templum Stephano ſacrum condidiſſe, & loco nomen boni ominis dediſſe Seligenſtadii, præfecto etiam Epiſcopo Hildegrino Catalonenſi Gallo. Sed quùm locus ille minùs placeret, tranſtuliſſe inde Sedem Epiſcopalem ad confluentes amnium Albis & Oræ, atque ex eo nomen urbi inditum initio Alboreſtadium, quod poſteà tranſiit in Halberſtadium.* Et Baudrandus in Oſtervico, ſic. *Oſtervicum, Oſterwick, oppidum eſt Germaniæ, aliis Oſtrovicum dictum, in Saxonia Inferiori & in Halberſtadienſi Principatu, ad amnem Olſam, ubi aliàs Sedes Epiſcopalis Halberſtadienſis. Subeſt dominio Electoris Brandeburgici, 3 milliaribus Germanicis diſtat ab Halberſtadio in Occaſum, & ferè quinque à Brunſvico in Meridiem.*

HILDEGRIMUS FIT PRIMUS EP.

Habes jam Salingeſtadium urbem Epiſcopalem non ad Mœnum amnem qui dexteram Rheni ripam apud Moguntiacum ſubit, ſed ad Olſam fluvium cujus aquæ in dexteram Obacri ripam ſupra Wolfebutellam egeruntur. Bertius in præcitato textu, cùm de Seligenſtadio, *& præfecto Epiſcopo Hildegrino Catalonenſi Gallo* differit, Hildegrimum, qui gente Friſius fuit & Epiſcopatum in Gallia Catalaunenſem geſſit, non Epiſcopum Catalaunenſem ſed virum Gallum Catalauni natum videtur agnoſcere. Poſteà clariùs in Halberſtadienſium Epiſcoporum Catalogo mentem ſuam exponit, & Hildegrimum ex cive Catalaunenſi Catalaunenſem Epiſcopum atque ex Epiſcopo Catalaunenſi Salingeſtadienſem Epiſcopum, poſtremò Halberſtadienſem factum ſic affirmat. *Hildegrinus Catalaunenſis, patre Dietgrino, matre Lieburgâ editus, ex Epiſcopo Catalonenſi factus primùm Epiſcopus Salingenſtadianus, poſteà Halberſtadienſis, anno Domini 780, præfuit Eccleſiæ annos 47, obiit anno 827.* Duplicis adhuc erroris eſt reus, Hildegrimus enim natus eſt in Friſia, nec annos ſedit ſeptem & quadraginta. Lege Tomo quinto [a], quæ de parentibus ac patria Ludgeri atque Hildegrimi ſcripta ſunt. Hildegrimus, cujus obitus anno Redemptoris octingenteſimo vicelimo-ſeptimo conſignatur, ad Epiſcopatum Catalaunenſem promotus eſt anno Redemptoris octingenteſimo quarto, dignitatem igitur Epiſcopalem annis duntaxat tribus ac viginti tenuit. Epiſcopatu Catalaunenſi poſt ſex adminiſtrationis annos dimiſſo factus eſt Epiſcopus Salingeſtadienſis hoc anno reparatæ Salutis octingenteſimo decimo. Helmenſtadium, quod Sanctus Ludgerus contra Vandalos communierat, attributum eſt Diœceſi Salingeſtadienſi, & quia Monaſterium Helmenſtadienſe, quod idem beatus Ludgerus erexerat, Cœnobio Werthinenſi ſubjiciebatur, deinceps Epiſcopi Mimigardevordenſis & Salingeſtadienſis ſive Helberſtadienſis aut ſimul, aut alternatim Proviſores ac Rectores fuerunt Werthinenſis Monaſterii, donec ab illius loci Monachis eligi cœpit Abbas ex licentia, quam Regio Diplomate Ludovicus Rex Orientalis Franciæ, nepos Ludovici Pii, conceſſit XI *Kal. Jun. an. Dn. Incarnationis* DCCCLXXVII, *anno primo Regni* [b]. Poſt Hildegrimum ſive Hildegrinum in Catalaunenſium Epiſcoporum Catalogo ponitur Adalelinus, qui vocatus etiam reperitur Alderinus, Alderius, Aldeblerinus, & Aldaberinus. De utroque ſermo non ſemel fiet. Hoc autem loco prætermitti non poſſunt Verſus rhytmici, quibus Poëta Werthinenſis, in encomio beati Ludgeri, Hildegrimum ejus fratrem ac diſcipulum egregiè commendat,

[a] Al an. 778. nn. 15, & ſeqq.

DIMISSO EPISCOPATU CATALAUNENSI.

[b] Bucelin. in Monaſteriol. Imp. Germ. in Werthina.

ADALELINUS FIT EP. CATALAUNENSIS.

Digitized by Google

multarum enim rerum, quas ſuprà memoravimus, confirmationem haud ſpernendam ſic involvunt. AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22. LAUS HILDEGRIMI.

Ita ut plurimis ſtuderet diſcipulis
Omni ſemper mane lectionem dare.
Quos & erudiens ipſe & inſtituens
Per honeſtos mores duxit ad honores.
De quibus plurimi facti ſunt Epiſcopi:
Suus ſicut primus frater Hildegrimus:
Qui in Eccleſia dudum fuit aliqua
Catalaunenſi Præſul ſub Remenſi:
Ubi dum degeret, & commiſſa regeret,
Et proſperitatem habuiſſe fratrem
Lindgerum cerneret, ut gentes converteret,
Quas de paganiſmo acquiſivit Chriſto;
Et ipſe monitus nimirum divinitus
Ad Norththuringenſem ſe committit gentem,
Uſus auxilio fratris & hoſpitio
Manentis in loco Helmenſtadt vocato:
Ubi ſanctiſſima ordinantes ſemina
Evangeliorum in Norththuringorum
Fecerunt pectora, donec Dei gratia
Fecit ibi fructum calos uſque ductum.
Eſt Epiſcopium adhuc teſtimonium,
Quo incepit Sedem Hildegrimus idem.
Qui quamvis Werthinæ ſit conditus corpore,
Halverſtadis tamen ſit Patronus. Amen.

Obiit hoc anno, decimo-quinto Kalendas Novembris Gerbardus Leodienſis Epiſcopus. Sedit annos ſex ac viginti. Datus ei ſucceſſor Walcandus. Lege Ægidium in Additionibus ad Anſelmum [a]. XCV. EPISCOPI LEODIENSES.

Sub hunc annum Chriſtophorus Browerus ponit obitum Wazzonis Archiepiſcopi Trevirenſis, cujus res geſtæ, ſilentio Annalium, manent incompertæ. Succeſſit Amalharius, de quo celebrem anno proximo mentionem facturi ſumus. XCVI. ARCHIEP. TREVIRENSES.

Auctor Armoricæ Sanctæ Agonem Epiſcopum Venetenſem, cùm Eccleſiam ſuam annis undecim rexiſſet, hoc etiam anno mortuum tradit, eíque proximum hoc eodem anno ſucceſſorem Iſaacum tribuit. XCVII. EPISCOPI VENETENSES.

Hoc quoque anno deceſſit Otbaldus Elwacenſis Abbas in Auguſtana Diœceſi. Succeſſit Adalgerus. Utriuſque meminit Bucelinus in ſecunda parte Germaniæ Sacræ. XCVIII. ABBATES ELWACENSES.

Apud Joannem Chenutium hoc elogium Stephani Bituricenſis Archiepiſcopi legitur [b]. Sanctus Stephanus *interfuit Conventui totius Cleri Eccleſiæ Gallicanæ habito Aquiſgrani, juſſu Ludovici Pii Imp. Sedit annis 8. temp. Greg. 4. Papæ, & dicti Ludovici Pii Imp. & Regis Franciæ. Obiit Idib. Januar. 835. Quieſcit verò in Eccleſia Sancti Auſtreciſilli de Caſtro, & ibidem piè colitur.* De die obitûs, de numero annorum in Pontificatu, de ſepultura, de cultu non diſputamus. Hæc enim conſtant ex Patriarchio Bituricenſi [c], quod hic Auctor præ manibus habuit, ut ex ipſo quoque Chronologiæ nævo patet, in eodem enim Patriarchio Stephanus Archiepiſcopus claret *ab anno Chriſti 827 ad 835, præſidente Romæ Gregorio IV* (malè 11 in editione Labbeana [d]) *& imperante Ludovico Pio Rege Francorum*. Sed nec iſta Chronologia, nec, quæ ſubſequitur, Archiepiſcoporum Bituricenſium ſeries admitti poteſt. Utrobique poſt Sanctum Stephanum collocatur Ermenbertus, tum Ebroïnus. At Ermenbertus, qui *quinque* duntaxat *annis & tribus diebus* Paſtoralem curam adminiſtravit, Archiepiſcopatum multò citiùs geſſit, Carolo enim nondum Imperatore & Faſtradâ tum Reginâ Pallium obtinuit ab Ha- XCIX. ARCHIEP. BITURICENSES.

[a] Capp. 33. 34.

[b] Num. 43.

[c] Cap. 43.

[d] Tom. 2. Biblioth.

AN. CH. 810.

driano, ut ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum ſextum [a] probavimus ex Pontificio Diplomate. Sæpiùs autem excuſæ ſunt Ebroïni Bituricenſis Archiepiſcopi literæ cum hac ſubſcriptione. *Actum in anno* X *Imperii Domini noſtri Caroli, & anno* XLIII *Regni ejus.* Id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo, ante diem Decembris viceſimum-quintum quo decimus annus Imperii Carolini terminabatur, poſt diem verò Septembris viceſimum-quartum quo Pippinus Rex obiit & Carolus regnare cœpit. Nec ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo recedit Indictio quarta, quæ notatur in iiſdem literis, & initium à Kalendis Septembris hoc eodem anno ſumpſit.

[a] Nn. 59. 60.

C. FORMATÆ LITERÆ EBROÏNI ARCHIEP. BITURICENSIS AD MAGNONEM ARCHIEP. SENONENS.

Idibus igitur Januarii migravit ad Deum hoc anno Stephanus Bituricenſis Archiepiſcopus, eique datus eſt ſucceſſor Ebroïnus, cujus literas hoc eodem anno, Indictione quartâ & anno Regni Carolini quadrageſimo-tertio iam inchoatis, datas publicarunt, Fridericus Lindenbrogius capite centeſimo octogeſimo Formularum ſolemnium, Hieronymus Bignonius capite duodecimo veterum Formularum incerti Auctoris, Jacobus Sirmondus in Formulis antiquis Formatarum Epiſcopalium Tomo ſecundo Conciliorum Galliæ. *Sancto & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiſcopo ex Senonica urbe, ego in Dei Nomine Ebroinus dono Dei Archiepiſcopus ex Biturige urbe, in Domino Jeſu ſalutem* [1] *optamus vobis in perpetuum. De cetero notum facimus Sanctitati veſtræ, quia iſte* [2] *præſens Presbyter, nomen Dodobertus, Parochianus noſter, in noſtra Diœceſi natus, & ſacras literas edoctus ſit, eúmque ad ordinem ſacrum promoveri juſſimus. Poſteà verò petiit à* [3] *nobis licentiam, ut in veſtra Parochia apud hominem aliquem nomine* [4] *Hercambaldum manere poſſit* [5]. *Nos verò petitionem illius non denegavimus; niſi licentiam illi dedimus* [6], *quia ſcimus, quòd de benè liberis hominibus ortus ſit. Unde has literas commendatitias more Eccleſiaſtico factas ad Sanctitatem veſtram miſimus, ut ſcire valeat Deo digna charitas veſtra, eum nec fugâ lapſum, nec ſuâ malitiâ à nobis ejectum, ſed noſtrâ voluntate deſtinatum. Et ut certiùs credatis, Græca elementa, quæ octogenarium, quadringinteſimum, & primum numerum exprimunt, in primis* [7] *adnexuimus.* Π *Petri quoque nominis primam literam ſumptam in medium* [8] *adſcribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis noſtræ nominis primam literam* E [9]. *Magnitudinis veſtræ ſecundam literam* A, *iſtius fratris tertiam literam* Δ. *civitatis noſtræ quartam* Υ [10]. *& Indictionem* [11] *quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id eſt,* ϟ [12] *&* Θ. *& inſequenter impreſſione ſigilli noſtri ſubter firmavimus* [13], *& manu propriâ eam roboravimus, & à* [14] *Clericis noſtris roborari juſſimus. Actum in anno* X *Imperii Domini noſtri Caroli* [15], *& anno* XLIII *Regni ejus, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

[1] Bignon. *ſalutes*
[2] Lindenbrog. Sirmond. *quia iſtum præſentem Presbyterum nomine Dodobertum, Parochianum noſtrum, in noſtra Diœceſi natum, & ſacras literas edoctum, ad ordinem*
[3] Bignon. deeſt à
[4] Bignon. *nomen Hercambaldum.* Lindenbrog. *nomine Hercambaldo*
[5] Lindenbrog *poſſet.* Bignon. *voluiſſet*
[6] Bignon. *dediſſemus.*
[7] Bignon. *in primitus adnexuimus*
[8] Bignon. *medio*
[9] Bignon. H E.
[10] Lindenbr. Ω
[11] Bignon. *Indictionis quartæ*
[12] Lindenbrog. Bignon. Θ
[13] Bignon. *confirmavimus.*
[14] Bignon. deeſt à
[15] Lindenbr. *III.*

Claudius Robertus in Magnone Archiepiſcopo Senonenſi fragmentum prædictarum literarum retulit cum hac ſubſcriptione, *anno 2 Imperii, 34 Regni Caroli*, ſubditque hanc interpretationem, *i. eſt annus Chriſti 802.* Idem verò fragmentum ad eundem locum Galliæ Chriſtianæ Sammarthani rectè ſic reſtituerunt. *Actum in anno* X *Imperii Domini noſtri Caroli, &* XLIII *Regni ejus.* Ebroïnus igitur Bituricenſis Archiepiſcopus hoc anno Formatas literas, quas proximè recitavimus, Magnoni Archiepiſcopo Senonenſi pro Dodoberto Preſbytero ſcripſit, ut in ejus Parochia apud Hercambaldum manere poſſet.

CI. CII. FORMATARUM EPISTOLARUM USUS ET EXPLICATIO.

Formatarum epiſtolarum uſus inter Epiſcopos frequentiſſimus fuit, Clericorum maximè causâ, cùm aliò migrabant, quia ſine Formatis literis ad communionem illos recipi, vel in alia Eccleſia ordinari non licebat. Formatæ dictæ ſunt, ſive quòd certâ formâ certiſque notis conceptæ eſſent, ſive etiam à formâ ſeu ſigillo quod addebatur. Græcam earum originem Græcæ literæ oſtendunt, quarum numeri in hujuſcemodi epiſtolis obſervabantur, etiam in Latinis nominibus. Nicænorum quoque Patrum auctoritate inſtitutas eas fuiſſe, tum alii vulgò tradunt, tum ipſa quæ Attici Epiſcopi

Conſtantinopolitani titulo circumfertur, vetus conficiendarum Formatarum formula ſic docet. *Atticus Epiſcopus, qualiter Formata epiſtola fiat. Græca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus* CCCXVIII *Nicææ congregatis & ſaluberrimè inventum eſt & conſtitutum, ut Formatæ epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem. Id eſt, ut adſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris & Filii & Sancti Spiritûs, hoc eſt,* Π. Τ. Α. *quæ elementa octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima litera, id eſt* Π. *quæ numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque, qui ſcribit, Epiſcopi prima litera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis, tertia; civitatis, de qua ſcribitur, quarta; & Indictionis, quæcumque eſt id temporis, idem qui fuerit numerus adſumatur: atque ita his omnibus Græcis literis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcumque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſſè. Addat præterea ſeparatim in epiſtola nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundùm Græca elementa ſignificat* AMHN.

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 10. PIPPINI LUDOV. RR. 30. CAROLI R. 22.

CIII. Ex ſuperioribus liquet, numerorum, qui in Formatis obſervantur, alios in omnibus Formatis eoſdem ſemper eſſe, alios in ſingulis diverſos: illos proinde omnibus communes eſſe, hos ſingularum proprios. Communes ſunt, qui fiunt ex primis literis Patris, Filii, Sancti Spiritûs, & Petri; nimirum ex literis Π. Τ. Α. Π. quibus hi reſpondent numeri LXXX. CCCC. L. LXXX. atque ex omnibus literis AMHN, quarum numeri ſunt, I. XL. VIII. L. id eſt ϡθ'. XCIX. omnium verò ſumma DCLX. Quare hic idem numerus Formatis omnibus eſt communis, atque in omnibus idem eſt. Proprius autem, quia ex prima litera ſcribentis, ex ſecunda ejus cui ſcribitur, ex tertia accipientis, ex quarta civitatis de qua ſcribitur, & ex Indictionis cujuſque nota ducitur, quæ vix unquam in diverſis Formatis conſentiunt, eo fit ut in ſingulis diverſus exiſtat, ac diverſa proinde in diverſis utriuſque numeri ſit ſumma. Hanc obſervationem habes inter annotationes Jacobi Sirmondi.

CIV. Ebroïnus communem omnium Formatarum numerum DCLX complexus eſt octo diſtinctis numeris, LXXX. CCCC. I. LXXX. I. XL. VIII. L. quorum quatuor priores deſignantur per Græcas initiales literas, Patris, Filii, Sancti Spiritûs, & Petri Apoſtoli, id eſt, per Π. Τ. Α. Π. quatuor verò poſteriores per totidem literas, quibus componitur vocabulum AMHN. Deinde proprium Formatæ ſuæ epiſtolæ numerum adjecit CCCCXIV. & hunc numerum confecit ex quatuor literis. Ε. Α. Δ. Τ. & ex Indictione IV. id eſt, ex prima litera ſui nominis, ex ſecunda Magnonis, ex tertia Dodoberti, ex quarta Biturigum, & ex Indictione tum currente. Omnes autem numeri hac formatâ comprehenſi ſummam efficiunt MLXXIV. Atque ut hæc tibi clariora fiant, obſerva, quos numeros ſingula Græcorum elementa ſignificent.

Α	I.	Ι	X.	Ρ	C.
Β	II.	Κ	XX.	Σ	CC.
Γ	III.	Λ	XXX.	Τ	CCC.
Δ	IV.	Μ	XL.	Υ	CCCC.
Ε	V.	Ν	L.	Φ	D.
ϛ'	VI.	Ξ	LX.	Χ	DC.
Ζ	VII.	Ο	LXX.	Ψ	DCC.
Η	VIII.	Π	LXXX.	Ω	DCCC.
Θ	IX.	ϟ'	XC.	ϡ'	DCCCC.

AN. CH. 810. C V. ARCHIEPISCOPORUM BITURICENSIUM CHRONOLOGIA.

Ebroïnum in Patriarchio Bituricenſi [a] ſequuntur Sanctus Aigulfus ſive Aiulfus & Sanctus Radulphus. Hujus obitus in Adonis Chronico conſignatur anno Redemptoris octingenteſimo ſexageſimo-ſexto. Certa eſt hæc epocha, nec parum torquet Auctorem Patriarchii Bituricenſis & Chenutium, qui Bituricenſem Archiepiſcopum non agnoſcunt Ebroïnum ante annum Redemptoris octingenteſimum quadrageſimum, licèt fateantur annos Pontificatûs ſex ac viginti Sancto Aigulfo, viginti-quinque Sancto Radulpho in veteri Catalogo tribui. Totam difficultatem dirempteam putant, ſi menſis Ebroïno, Sancto Aigulfo annus aſſignetur. At ſecundùm antiquam computationem Sancto Aigulfo ſex ac viginti ſervari poſſunt anni, eóque calculo Ebroïnus integro quinquennio ſedebit, annóque Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto vitam claudet.

[a] Capp. 45. 46. 47.

CVI. BEATUS ABB. HONAVIENSIS MUNIFICUS ERGA SUUM MON.

Ad hunc annum Imperii Carolini decimum referri debet hæc Beati Honavienſis Abbatis Charta, quam apud Jodocum Coccium in notis ad caput decimum-quartum Dagoberti redivivi reperies. *Ego Beatus, etiam indignus Abbas, dono pro animæ meæ remedio totum & integrum quantumcunque acquiſivi, aut collaboravi, ſive comparavi, aut etiam per manus bonorum hominum, & per chartas firmas inveni, & per chartam confirmationis Regis Caroli & Imperatoris. Dono autem hoc totum & integrum ad illum locum, & ad illos Sanctos in quorum honore conſtructus eſt, & ad pauperes & peregrinos gentis Scotorum*, id eſt, ad Monaſterium Sancti Michaelis in Inſula Hohenauvia. *Dono autem hoc totum, ut ille Abbas, quem ego elegero, ſecundùm Regulam Eccleſiaſticam, poſt meum obitum habeat. Dono autem primùm Eccleſiam, quam ego conſtruxi in Mogontia civitate; & alteram Eccleſiam, quæ eſt conſtructa in ſilva Marchlichea ſive Luttenbach; & tertiam Eccleſiam in Lognaim, in curte nuncupata Wiſcha; & quartam, quæ eſt in Sterrenbach; & quintam, quæ eſt in Buranhaim; & ſextam, quæ eſt in Rodahaim; & ſeptimam, quæ eſt in Hornuſa; & octavam in Buchonia, cum omni adjacentia trado atque transfundo, & in perpetuum permaneat, volo, cum terris, pratis, campis, ſylvis &c. Si quis verò, quod non credo, contra hanc Chartam confirmationis & oblationis venire tentaverit, aut irrumpere voluerit, primitus iram Dei incurrat, & de illa Eccleſia, velut extraneus abjiciatur, & inſuper iſta confirmatio firma permaneat. Ego Vellumannus rogatus ſcripſi, & notavi diem, & tempus, & locum. Hæc Charta in Mogontia civitate ſcripta* XI *Kal. Julias, anno* X *Regni Domini noſtri Karoli Regis & Imperatoris. Signum Beati Abbatis, qui hanc Chartam fieri rogavit.* &c.

CVII. ABBATES EBERSHEIMIENS.

Ad hunc quoque annum, Caroli Imperatoris decimum, memoratur Deipoldus Ebersheimienſis Abbas. Hic literas Immunitatis, quas à Carolo jam acceperat, hoc anno confirmandas curavit. In Ebersheimienſium Abbatum Catalogo ſequitur abſque ullo Charactere Chronologico Griemaldus ſeu Grimoldus, de quo nihil præter nomen ſupereſt, tum Sambatius, qui florebat anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto. Lege Bucelinum in altera parte Monaſteriologiæ.

CVIII. SCHOLA FULDENSIS INSTITUITUR.

Ad hunc etiam annum, quo Rabanus ætatis ſuæ viceſimum-quintum abſolvit, referenda ſunt initia Scholæ Fuldenſis, cui Ratgarius Abbas eundem Rabanum præfecit. Lege Trithemium in vita Rabani, &, ne ſcrupulum tibi moveat hujus Auctoris Chronologia, conſule quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-quintum [b].

[b] Num. 110.

ANNUS					AN. CH. 811.
CHRISTI		811.			CAROLI IMP. 11.
CAROLI	IMP.	11.			LUDOV. R. 31.
	REG.	43.	40.	38.	CAROLI R. 23.
LUDOVICI	REG.	31.	6.		
CAROLI	REG.	23.	6.		
INDICTIO		4.			

ANNO Redemptoris octingenteſimo undecimo Arſatius Orator Nicephori Imperatoris Conſtantinopolim reverſus eſt. Miſſi quoque ſunt à Carolo Legati, Hetto Baſileenſis Epiſcopus, Hugo Comes Turonicus, & Aio Longobardus. Ab illa Legatione ſuam hoc anno narrationem inchoarunt antiqui Scriptores, qui Geſta Caroli Magni per annos digeſſerunt. Præmittendum tamen ex Eginhardo videtur ejuſdem Caroli Teſtamentum, Hetto enim Baſileenſis Epiſcopus, qui teſtis adfuit, hoc eodem anno in Orientem poſteà profectus eſt. Conditum illud Teſtamentum anno ante Caroli mortem tertio, Dominicæ Incarnationis octingenteſimo undecimo, Regni Carolini in Francia quadrageſimo-tertio, in Italia triceſimo-ſeptimo adhuc currente, Imperii undecimo, Indictione quartâ. Simul rectè conveniunt hi Characteres, exceptóque anno Regni Italici notantur omnes in ipſo Teſtamento, quod ab Eginhardo in vita Caroli publicatum eſt, & à nobis integrum ſtatim tranſcribetur. In vulgatis exemplaribus ponitur annus Regni Carolini in Italia XXXVI, reſtituendus eſt XXXVII, cujus exitus rectè componitur cum ceteris Characteribus, quibus idem Teſtamentum conſignatur, id eſt, cum Indictione quarta, cum anno Imperii Carolini undecimo, Regni in Francia quadrageſimo-tertio, & Incarnationis Dominicæ octingenteſimo undecimo ineunte, priùs videlicet quàm Hetto Baſileenſis Epiſcopus iter in Orientem hoc eodem anno ſuſciperet. Hæc ad Chronologiam. Quid autem de Teſtamento præmittat Eginhardus, audi. *Karolus diviſionem theſaurorum, & pecuniæ, ac veſtium, aliaquæ ſupellectilis coram amicis & miniſtris ſuis, annis tribus antequàm deceſſeret fecit, conteſtatus eos, ut poſt obitum ſuum à ſe facta diſtributio per illorum ſuffragium rata permaneret. Quidquid ex iis, quæ diviſerat, fieri vellet, breviario comprehendit, cujus ratio ac textus talis eſt.* Ipſum nunc Teſtamentum accipe, mendo, quod in annum Regni Italici irrepſit, ad oram rejecto. I. TESTAMENTUM CAROLI AUG.

In Nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Incipit deſcriptio atque diviſio quæ facta eſt à Glorioſiſſimo atque Piiſſimo Domno Karolo Imperatore Auguſto, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXI. *anno verò Regni ejus in Francia* XLIII, *& in Italia* XXXVII *, *Imperii autem* XI, *Indictione* IV, *quam piâ & prudenti conſideratione facere decrevit, & Domino annuente perfecit, de theſauris ſuis, atque pecuniâ, quæ in illa die in camera ejus inventa eſt. In qua illud præcipuè cavere voluit, ut non ſolùm eleemoſynarum largitio, quæ ſolemniter apud Chriſtianos de poſſeſſionibus eorum agitur, pro ſe quoque de ſua pecunia ordine atque ratione perficeretur: ſed etiam ut hæredes ſui omni ambiguitate remotâ, quid ad ſe pertinere deberet liquidò agnoſcerent, & ſine lite atque contentione ſua inter ſe competenti partitione dividere poſſent. Hac igitur intentione atque propoſito omnem ſupellectilem atque* II.

* In edit. exempl. malè XXXVI.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

ſubſtantiam ſuam tam in auro quàm in argento gemmiſque & ornatu Regio, quæ, ut dictum eſt, illâ die in camera ejus inveniri poterat, primò quidem trinâ diviſione partitus eſt. Deinde eaſdem partes ſubdividendo, de duabus partibus XX *& unam partes fecit, & tertiam integram reſervavit. Et duarum quidem partium in* XX *& unam partes facta diviſio tali ratione conſiſtit, ut quia in Regno illius Metropolitanæ civitates* XX *& una eſſe noſcuntur, unaquæque illarum partium ad unamquamque Metropolim per manus hæredum & amicorum ſuorum eleemoſynæ nomine perveniat, & Archiepiſcopus qui tunc illius Eccleſiæ rector extiterit, partem quæ ad ſuam Eccleſiam data eſt ſuſcipiens cum ſuis Suffraganeis partiatur: eo ſcilicèt modo, ut pars tertia ſuæ Eccleſiæ ſit, duæ verò partes inter Suffraganeos dividantur. Harum diviſionum, quæ ex duabus primis partibus factæ ſunt, & juxta Metropoliticarum civitatum numerum* XX *& una eſſe noſcuntur, unaquæque ab altera ſequeſtrata, ſemotim in ſuo repoſitorio cum ſuperſcriptione civitatis ad quam perferenda eſt, recondita jacet. Nomina verò Metropoliticarum civitatum ad quas eadem eleemoſyna vel largitio data eſt, hæc ſunt. Roma, Ravenna, Mediolanum, Forumjulii, Gradus, Colonia, Maguntiacum, Juvavum quæ & Saltzburg, Treverìs, Senones, Veſontium, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Unius autem partis, quam integram reſervari voluit, talis eſt ratio, ut illis duabus in ſupradictas diviſiones diſtributis & ſub ſigillo reconditis, hæc tertia in uſu quotidiano verſaretur, velut res quam nullâ voti obligatione à dominio poſidentis alienatam eſſe conſtaret: & hoc tamdiu, quoad uſque vel ipſe ſuperſtes eſſet, vel uſum ejus ſibi neceſſarium judicaret. Poſt obitum verò ſuum, aut voluntariam ſecularium rerum abdicationem, eadem pars quatuor ſubdiviſionibus ſecaretur. Et una quidem earum ſupradictis* XX *& uni partibus adderetur. Altera à filiis ac filiabus, nepotibuſque ac neptibus ſuis aſſumpta, juſtâ ac rationabili inter eos partitione divideretur. Tertia verò, conſueto Chriſtianitatis more, in uſum pauperum erogaretur. Quarta ſimili modo nomine eleemoſynæ in ſervorum & ancillarum uſibus Palatii famulantium ſuſtentationem diſtributa veniret. Ad hanc tertiam totius ſummæ portionem, quæ ſimiliter ut cetera ex auro & argento conſtat, adjungi voluit omnia ex ære & ferro, aliiſque metallis, vaſa atque utenſilia, cum armis & veſtibus, aliâque pretioſo aut vili ad varios uſus facto ſupellectili, ut ſunt cortinæ, ſtragula, tapetia, fulcra, coria, ſagmata, & quicquid in camera atque veſtiario ejus eo die fuiſſet inventum, ut & hoc majores illius partis diviſiones fierent, & erogatio eleemoſynæ ad plures pervenire potuiſſet. Capella, id eſt, Eccleſiaſticum miniſterium, tam id quod ipſe fecit atque congregavit, quàm quod ad eum ex paterna hæreditate pervenit, ut integrum eſſet, neque ullâ diviſione ſcinderetur, ordinavit. Si qua autem invenirentur aut vaſa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquidò conſtaret eidem Capellæ ab eo collata non fuiſſe, hæc qui habere vellet, dato juſtæ æſtimationis precio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in Bibliotheca ſua copiam congregavit, ſtatuit ut ab iis, qui eos habere vellent, juſto precio fuiſſent redempti, preciumque in pauperes erogatum. Inter ceteros theſauros atque pecuniam tres menſas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis eſſe conſtat. De quibus ſtatuit atque decrevit, ut una ex iis quæ formâ quadrangula deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ continet, inter cetera donaria, quæ ad hoc deputata ſunt, Romam ad Baſilicam beati Petri Apoſtoli deferatur, & altera quæ formâ rotunda, Romanæ urbis effigie inſignita eſt, Epiſcopo Ravennatis Eccleſiæ conferatur. Tertiam quæ ceteris & operis pulchritudine & ponderis gravitate multùm excellit, quæ ex tribus orbibus connexa totius mundi deſcriptionem ſubtili ac minutâ figuratione complectitur: & auream illam, quæ quarta eſſe dicta eſt, in tertia illius & inter heredes ſuos atque in eleemoſynam dividendæ partis augmentum eſſe conſtituit. Hanc conſtitutionem atque ordinationem, coram Epiſcopis, Abbatibus, Comitibuſque, qui tunc præſentes eſſe potuerunt, quorùmque hic nomina ſcripta ſunt, fecit atque conſtituit. Epiſcopi, Hildebaldus, Riculfus, Arnulfus, Vulfarius, Bernuinus, Laiddradus, Joannes, Theodulfus,*

Theodulfus, Jeſſe, Hetto, Waldgaudus. Abbates, Fridugiſus, Adalungus, Engilbertus, Hirmino. Comites, Walach, Meginherius, Odulfus, Stephanus, Unrochus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Richwinus, Eddo, Erchengarius, Geraldus, Bero, Hildigarius, Riculfus. AN. CH. 811.

III. TESTES ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,

Hujus Conſtitutionis teſtes ſunt Archiepiſcopi ſeptem, Epiſcopi quatuor; *Hildebaldus* Archiepiſcopus Colonienſis; *Riculphus* Archiepiſcopus Moguntinus; *Arnulphus*, qui nobis idem videtur ac Arno Juvavenſis ſeu Saliſburgienſis Archiepiſcopus; *Vulfarius* Archiepiſcopus Remenſis; *Bernuinus* Veſontionenſis Archiepiſcopus, Gedeonis à nobis Tomo ſuperiore laudati proximus ſucceſſor; *Laiddradus* Archiepiſcopus Lugdunenſis; *Joannes* Arelatenſis Archiepiſcopus; *Theodulfus* Epiſcopus Aurelianenſis; *Jeſſe* Epiſcopus Ambianenſis; *Hetto* Baſileenſis Epiſcopus; *Waldgaudus* ſeu Walcandus Epiſcopus Leodienſis.

IV. ABBATES.

Teſtes ſunt & Abbates quatuor; *Fridugiſus* Abbas Sam-Martinianus & Cormaricenſis, *Adalungus* Abbas Laureshamenſis, *Engilbertus* Abbas Centulenſis, & *Hirmino* Abbas Sancti Germani prope muros Pariſienſes. Fridugiſi, Adalungi, & Engilberti mentionem ſæpè fecimus, Hirminonis verò ſive Irminonis nequaquam. Roberto, quem non ſemel laudavimus, in adminiſtrationem Monaſterii ſucceſſit Irmino. De utroque ſic ſcribit Interpolator Continuatoris Aimoiniani [a]. *Robertus Abbas Sancti Germani Monaſterii vitâ deceſſit. Irmino quoque prudentiſſimus vir loco ejus ſucceſſit.* Id autem perperam rejicit poſt narrationem rerum, quas veteres Annales anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo conſignant, hoc enim anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo undecimo, cùm Carolus Teſtamentum ſuprà deſcriptum condidit, Abbatiale munus Irmino jam gerebat.

[a] Lib. 4. c. 100.

V. VARIÆ CIRCA ILLUD TESTAMENTUM QUÆSTIONES SOLVUNTUR.

In eodem Caroli Teſtamento Metropoles una & viginti celebrantur; in Italia quinque, Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum-Julii, Gradus; una in Bojoaria, Juvavum ſeu Saliſburgum; in Gallia quindecim, Colonia, Moguntiacum, Treviri, Senonæ, Veſontio, Lugdunum, Rotomagum, Remi, Arelatum, Vienna, Darantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turoni, Bituriges.

Adversùs illam Metropoliticarum civitatum enumerationem multæ moveri poſſunt quæſtiones. Carolus Româ quidem & Grado potitur, at in ſua poteſtate non habet civitates omnes, quæ Romæ & Grado ſubſunt; ſimiliter in provincia Ravennate quatuor tantùm poſſidet civitates, in quarum numero ne quidem eſt ipſa Metropolis Ravenna; datur inde diſputationi locus, an Regiæ Donationis participes fieri debeant Epiſcopi civitatum, quæ, licèt ad provincias Romanam Gradenſem & Ravennatem pertineant, extra Carolini Regni limites poſitæ reperiuntur. Majorem adhuc difficultatem pariunt Metropoles Gallicanæ; ſæpiùs à nobis ſuprà recenſitæ ſunt octodecim, tamen à Carolo quindecim duntaxat nominantur, tres enim hæ reticentur, Eluſa, Narbo, & Aquæ Sextiæ; iſtius autem omiſſionis inveſtiganda ratio. Denique, cùm in ſingulis provinciis non idem ſit Epiſcoporum numerus, in controverſiam vocari poteſt, an Carolus Theſauros, quos Eccleſiis erogandos deſtinat, in partes unam ac viginti, pro numero totidem Archiepiſcoporum, æqualiter dividi velit. VI.

Romana provincia, quæ ceteris multò ſpatioſior eſt, ac longè pluribus abundat Epiſcopatibus, tres in partes diſtinguitur; una Dominum agnoſcit Leonem Papam, altera cum Metropoli Roma ſubjicitur Carolo Francorum Regi, tertia Nicephoro Græcorum Imperatori paret. Exiſtimamus Caroli, qui Sedis Apoſtolicæ Protectorem ac Defenſorem ſe dicit ac gerit, hanc eſſe mentem, ut Theſauri, quos provinciæ Romanæ legat, inter Leonem & Suffraganeos in ejuſdem Leonis & Caroli ditionibus conſiſtentes dividantur, excluſis aliis Epiſcopis quorum Diœceſes in Græcorum Imperio ſitæ ſunt. Eodem prorſus modo licet ratiocinari de provinciis Ravennate & Gra- VII.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

denſi; quarum illa eſt partim in ditione Pontificia, partim in Regno Caroli; hæc verò, cui reſtituta nuper Iſtria cum parte Venetiæ, partim eſt in eodem Caroli Regno, partim in poteſtate Venetorum. Carolus, quos Ravennati provinciæ Theſauros elargitur, diſtribuendos cenſet inter Archiepiſcopum Ravennatem & Epiſcopos ejuſdem provinciæ, ſive in ditione Romani Pontificis ſive in Regno Francorum ſuas habeant Diœceſes. Atut eleemoſynam ſuam per provinciam Romanam non effundit ad illos uſque Epiſcopos, qui Græcorum Imperatori ſubſunt, ſic nec extendit per Gradenſem ad eos, qui ſub Veneta dominatione permanent.

VIII. Cur Carolus, ubi Gallicanas Metropoles recenſet, Eluſam cum Narbone & Aquis Sextiis omittat, haud facilè deprehendi poteſt. Erroris ſuſpicio non eſt in enumeratione Metropoliticarum civitatum, idem enim numerus quater repetitur; ſemel ſic, XX *& unam partes fecit*; iterum ſic, *in* XX *& unam partes facta diviſio*; tertiò ſic, *in Regno illius*, nempe Caroli, *Metropolitanæ civitates* XX *& una eſſe noſcuntur*; quartò ſic, *juxta Metropoliticarum civitatum numerum* XX *& una eſſe noſcuntur*. Eluſam Novempopulaniæ Metropolim anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, Aquas Sextias provinciæ Narbonenſis ſecundæ Metropolim anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-nono ceperunt diruerúntque Saraceni, ut ſuis locis in fine Tomi quarti & initio quinti probatum eſt. Illas Metropoles quidam à Pippino Rege vel ejus filiis inſtauratas negant, volúntque propter hæc excidia Novempopulaniam Metropolitæ Burdigalenſi, provinciam Narbonenſem ſecundam Arelatenſi Metropolitæ, tanquam vicinioribus Archiepiſcopis, ætate Caroli Magni ſubjectas fuiſſe. De Eluſa id veriſimile videtur. De Aquis verò Sextiis aſſeri nullomodo poteſt. Stabat hæc Metropolis anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto, cùm Synodus Francofordienſis habita eſt. Lege quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad octavum Canonem [a] iſtius Concilii. Duo Metropolitarum genera diſtinximus, explicuimúſque cur Aquenſis Archiepiſcopus à Papa, quem Synodus Francofurtana per Legatos conſuluerat, ſub Arelatenſi Metropolita poſitus ſit, dictúſque Metropolitanus auctoritatis imminutæ; nec alia poſtulanda ratio, cur omiſſus ſit à Carolo, qui ſolos *αὐτοκεφαλοὺς* in ſuo Teſtamento nominavit. Quod ad Narbonem attinet, paucis accipe varias ejus viciſſitudines, quarum partem ad prædictum octavum Canonem Francofurtanæ Synodi jam attigimus. Narbo, florente Romanorum Imperio, Galliæ Braccatæ, quæ Narbonenſis quoque dicebatur, primaria civitas fuit, etiam poſtquàm Gallia Braccata, ſex in provincias, in duas videlicet Narbonenſes, totidémque Viennenſes, atque Alpinas, diviſa eſt. At poſt annum Chriſti quadringenteſimum duodecimum, cùm provincia Narbonenſis prima, quam Rhodanus à reliqua Gallia Braccata ſeparabat, in poteſtatem Wiſigothorum veniſſet, Metropolis Viennenſis, quæ ſub Imperio Romanorum, cum Darantaſienſi, Ebredunenſi, Aquenſi, & Arelatenſi, permanebat, Narbonenſem exteræ ditionis factam ſprevit, ſéque matricem dixit Galliæ Braccatæ, Rhodano, mari mediterraneo, & Alpibus circumſcriptæ. Sic Narbo, caput provinciæ Narbonenſis primæ perſtitit, júſque, quod in reliquam Galliam Braccatam priùs habebat, penitus amiſit. Provincia Narbonenſis prima, poſtquàm ab Imperio Romanorum avulſa eſt, annis trecentis & quadraginta, ſeu Wiſigothis ſeu Saracenis ſubjaceret, quibus limes dominationis erat Rhodanus, cum reliqua Gallia Braccata nihil habuit commercii. Francicis tandem ditionibus acceſſit regnante Pippino, cui ceteræ provinciæ veteris Galliæ Braccatæ, Viennenſis, Arelatenſis, Aquenſis, Ebredunenſis & Darantaſienſis, morem jam gerebant. Archiepiſcopus Narbonenſis hac poſtremâ mutatione nihil priſtini juris recuperavit. Celebratum eſt Francofordienſe Concilium anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto, Caroli poſt Carolomannum fratrem in Gothia ſeu provincia Narbonenſi prima regnantis anno viceſimo-primo. Canone octavo actum

[a] Ad an. 794. nn. 47. & ſeqq.

de quinque Metropolitanis Galliæ Braccatæ Sedibus, Arelatenſi, Viennenſi, Darantaſienſi, Ebredunenſi, & Aquenſi; Narbonenſis verò nulla mentio facta. Reges Francorum rebus ſuis ſapientiſſimè conſultum exiſtimarunt, ſi contentiones inter Metropolitas Viennenſem & Arelatenſem, necnon inter hos & Darantaſienſem, Ebredunenſem atque Aquenſem exortæ ſopirentur; & Narbonenſis, ne quid antiqui juris in utroſque repeteret, redigeretur ad claſſem Metropolitarum qui imminutæ dicebantur auctoritatis, alteríque Metropolitæ ſubderetur extra veterem Galliam Braccatam conſiſtenti. Provinciæ Narbonenſi primæ confines erant Aquitania prima & Novempopulania. Narbonenſis Metropolita cùm ſubjici non poſſet Novempopulano ſive Eluſano, qui tunc auctoritatis imminutæ jam erat, Aquitaniæ primæ Metropolitæ ſeu Bituricenſi ſubditus fuit. Nec in dubium vocari poteſt, quin id factum ſit. Hoc nono ſeculo multa occurrent exempla, quæ Metropolitam Narbonenſem, ut Metropolitam ſecundi generis ſive imminutæ auctoritatis, Bituricenſi Metropolitæ primi generis ſive αὐτοκεφάλῳ ſubjectum oſtendent. Apud Gratianum parte ſecunda Decreti, cauſâ nonâ, quæſtione tertiâ, capite octavo legitur hoc fragmentum epiſtolæ, quâ Nicolaus Papa Primus literis & conſultis Rodulfi Bituricenſis Archiepiſcopi reſpondet. *Conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater noſter Sigebodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quòd Clericos ſuos eo invito ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus, eo inconſulto, quaſi juſte Patriarchatûs tui diſponas; cùm hoc nec antiquitas (cui Patres*[1] *ſunxerunt reverentiam) habeat, & auctoritas ſacrorum Canonum penitus interdicat, niſi fortè pro cauſis, quæ apud ſe terminari*[2] *non poſſunt, ad te, quaſi ad Patriarcham ſuum provocaverint*, &c. Epiſtolam integram ſuo recitabimus loco, ut ex manuſcripto Codice, Tomo tertio Conciliorum Gallicanorum, publicata eſt à Sirmondo, & à poſtremis Conciliorum collectoribus inſerta Tomo octavo. Extant Hincmari[3] literæ ad Rodulfum & Frotarium Archiepiſcopos Bituricarum & Burdigalæ, ſive, ut ipſemet Hincmarus ſcribit, *primarum Sedium Regni Aquitanici*. Bituricæ autem & Burdigala primariæ Sedes Aquitanici Regni dicuntur, quia Regnum Aquitanicum quatuor conſtat provinciis, duabus videlicet Aquitanicis, ac Novempopulanâ, & Narbonenſi, quarum Metropoles, Bituricæ, Burdigala, Eluſa, Narbo; & quemadmodum Archiepiſcopus Eluſanus, ut ſuprà notavimus, Burdigalenſi, ſic & Narbonenſis Bituricenſi ſubjicitur. Ad illos Aquitaniæ fines reſpexit Aimoinus in Præfatione, quam Geſtis Francorum præpoſuit, Indicem enim civitatum Aquitanicarum ſic exorſus eſt. *In Aquitania continentur urbes egregiæ, Narbona, Arvernus*, &c. Atque ex iſtis obſervationibus ſatis patet eandem Carolo Auguſto rationem fuiſſe, cur Narbonem æquè ac Eluſam & Aquas Sextias in enumeratione civitatum Metropoliticarum præterierit.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

[1] Sirmond. *ſanctis Patres*

[2] Gratian. *terminare*

[3] Ep. 17.

IX. Ad ſolvendam quam poſtremo loco quæſtionem propoſuimus, an Carolus theſauros, quos Eccleſiis elargitur, inter unum ac viginti Metropolitas æqualiter dividi velit, hæc Teſtamenti verba ſufficiunt. *Harum diviſionum, quæ ex duabus primis partibus facta ſunt, & juxta Metropoliticarum civitatum numerum* XX *& una eſſe noſcuntur, unaquæque ab altera ſequeſtrata, ſemotim in ſuo repoſitorio cum ſuperſcriptione civitatis, ad quam perferenda eſt, recondita jacet.* Æquales has eſſe diviſiones ea negat ſollicitudo, quæ nomen civitatis ad quam perferatur unicuique ſuperſcribit; nec ipſa patitur ratio, cùm omnes Metropoles non eundem, ſed aliæ majorem, aliæ minorem ſuffraganeorum Epiſcoporum numerum habeant. Indicem Archiepiſcopatuum placet hîc exhibere cum ſuffraganeis Epiſcopatibus, qui ſiti ſunt in ditionibus aut Romani Pontificis aut Francorum, ut uno poſſis ineuitu perſpicere, quas civitates quáſque provincias Pippinus & Carolus Francorum Reges Apoſtolicæ Sedi contulerint, quámque ſpatioſum Francorum Regnum eo ſit tempore, quo Carolus Teſtamentum condit. Diœceſes di-

INDEX ARCHIEPISCOPATUUM ET EPISCOPATUUM IN DITIONE CAROLI.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

tionis Pontificiæ notabimus aſteriſco. Nomina ſingulorum, ut occurrere potuerunt, Epiſcoporum adſcribemus, quorum Diœceſes ad Francorum Regnum pertinebant; abſtinebimus ab inquirendis aliorum nominibus, ne videamur extra noſtrum inſtitutum ſive extra Franciæ fines exſpatiari. Tunc in Regno Caroli, præter Romam, Metropoles erant novemdecim primi generis ſive αὐτοκεφαλαὶ, tres ſecundi generis ſive imminutæ auctoritatis, Epiſcopatus quatuor & quadraginta ſupra ducentos.

X.

Prima Metropolis
ROMA,
CUI SUBSUNT EPISCOPATUS,
VIGINTI-QUATUOR
in ditione Leonis PP.
SEPTUAGINTA ET UNUS
in ditione Caroli Francorum R.

ROMANUS Pontifex Leo Tertius.
ACHERUNTINUS Epiſcopus . . . . .
ÆSERNIENSIS Epiſcopus . . . . .
ALATRINUS Epiſcopus . . . . .
ALBANENSIS Epiſcopus . . . . .
AMERINUS Epiſcopus . . . . .
ANAGNINUS Epiſcopus . . . . .
APRUTINUS Epiſcopus . . . . .
ARETINUS Epiſcopus Aripertus.
ASCULANUS Epiſcopus Tuptolphus.
ASSISIENSIS Epiſcopus . . . . .
ATINENSIS Epiſcopus . . . . .
BENEVENTANUS Epiſcopus David.
BLERANUS Epiſcopus . . . . .
CÆRENSIS Epiſcopus . . . . .
CALATINUS Epiſcopus . . . . .
CAMERINENSIS Epiſcopus . . . . .
CENTUMCELLICUS Epiſcopus . . . . .
CLUSINUS Epiſcopus Arialdus.
FALERITANUS Epiſcopus . . . . .
FERENTINAS Epiſcopus . . . . .
FESULANUS Epiſcopus . . . . .
FIRMANUS Epiſcopus . . . . .
FLORENTINUS Epiſcopus . . . . .
FRUSINONENSIS Epiſcopus . . . . .
FULGINATENSIS Epiſcopus . . . . .
FURCONIENSIS Epiſcopus . . . . .
GALLESIANUS Epiſcopus . . . . .
HORTANUS Epiſcopus . . . . .
INTERAMNENSIS Epiſcoparus vacat.
LABICANENSIS Epiſcopus . . . . .
LUCENSIS Epiſcopus Jacobus.
LUCERINUS Epiſcopus . . . . .
LUNENSIS Epiſcopus . . . . .
MARIANENSIS Epiſcopus . . . . .
MARTURANENSIS Epiſcopus . . . . .

Digitized by Google

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

NEBIENSIS Episcopus . . . . .
NEPESINUS Episcopus . . . . .
OSTIENSIS Episcopus Petrus.
OTRICULENSIS Episcopus . . . . .
PAPIENSIS Episcopus Joannes.
PENNENSIS Episcopus . . . . .
PERUSINUS Episcopus . . . . .
PISANUS Episcopus Joannes.
PISTORIENSIS Episcopus Wiltretradus.
POLIMARTIENSIS Episcopus . . . . .
PORTUENSIS Episcopus Joannes.
PRÆNESTINUS Episcopus . . . . .
PRIVERNAS Episcopus . . . . .
REATINUS Episcopus . . . . .
SALERNITANUS Episcopus Nicolaus.
SENENSIS Episcopus Peritheus.
SETINUS Episcopus . . . . .
SIGNINUS Episcopus . . . . .
SIPONTINUS Episcopus David.
SPOLETANUS Episcopus Sigualdus.
SUESSANUS Episcopus . . . . .
SUTRINUS Episcopus . . . . .
SYLVÆ CANDIDÆ Episcopus Joannes.
TARRACINENSIS Episcopus . . . . .
TEATINUS Episcopus . . . . .
TIBURTINUS Episcopus . . . . .
TIPHERNAS Episcopus . . . . .
TRIVENTINUS Episcopus . . . .
TRIUM TABERNARUM Episcopus . . . . .
TUDERTINUS Episcopus . . . . .
TUSCULANUS Episcopus . . . . .
VALVENSIS Episcopus Ravennus.
VELITRENSIS Episcopus . . . . .
VENAFRANUS Episcopus . . . . .
VERULANUS Episcopus . . . . .
VOLATERRANUS Episcopus Petrus.
* ÆSINUS Episcopus.
* ANCONITANUS Episcopus.
* AQUINAS Episcopatus vacat.
* AUXIMAS Episcopus.
* BALNEOREGIENSIS Episcopus.
* CALLIENSIS Episcopus.
* CAPUANUS Episcopus.
* EUGUBINUS Episcopus.
* FERENTINUS Episcopus.
* FERETRANUS Episcopus.
* FOROSEMPRONIENSIS Episcopus.
* HUMANATENSIS Episcopus.
* NARNIENSIS Episcopus.
* PISAURENSIS Episcopus.
* POPULONIENSIS Episcopus.
* RUSSELLENSIS Episcopus.
* SABINENSIS Episcopus.
* SENOGALLIENSIS Episcopus.
* SORANUS Episcopus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

* SUANENSIS Episcopus.
* THEANENSIS Episcopus.
* TUSCANELLENSIS Episcopus.
* URBEVETANUS Episcopus.
* URBINAS Episcopus.

XI.

Secunda Metropolis
RAVENNA,
CUI SUBSUNT EPISCOPATUS,
TREDECIM
in ditione Leonis PP.
QUATUOR
in ditione Caroli Francorum R.

* RAVENNAS Archiepiscopus.
MUTINENSIS Episcopus Geiso.
PARMENSIS Episcopus . . . . .
PLACENTINUS Episcopus Podus.
REGIENSIS Episcopus Adelmus.
* ADRIENSIS Episcopus.
* ARIMINENSIS Episcopus.
* BONONIENSIS Episcopus.
* CÆSENATENSIS Episcopus.
* COMACLENSIS Episcopus.
* FAVENTINUS Episcopus.
* FERRARIENSIS Episcopus.
* FICODENSIS Episcopus.
* FOROLIVIENSIS Episcopus.
* FOROPOPILIENSIS Episcopus.
* IMOLENSIS Episcopus.
* SASSINATENSIS Episcopus.
* TIFERNI METAURENSIS Episcopus.

XII.

Tertia Metropolis
MEDIOLANUM,
CUI SEXDECIM SUBSUNT EPISCOPATUS
in ditione Caroli Francorum R.

MEDIOLANENSIS Archiepiscopus Odelpertus.
ALBENSIS Episcopus . . . . .
ALBINGAUMENSIS Episcopus . . . . .
ALBINTIMILIENSIS Episcopus . . . . .
AQUENSIS Episcopus . . . . .
ASTENSIS Episcopus Eillulphus.
BERGOMENSIS Episcopus Tachipaldus.
BRIXIENSIS Episcopus Petrus.
CREMONENSIS Episcopus Stephanus.
DERTHONENSIS Episcopus Valerius.
EPOREDIENSIS Episcopus . . . . .
JANUENSIS Episcopus Dionysius.
LAUDENSIS Episcopus . . . . .

Digitized by Google

Novariensis Episcopus Atto.
Savonensis Episcopus . . . . .
Taurinensis Episcopus . . . . .
Vercellensis Episcopus Nottingus.

AN. CH. 811. Caroli Imp. II. Ludov. R. 31. Caroli R. 23.

Quarta Metropolis
FORUM-JULII,
CUI SUBSUNT UNDECIM EPISCOPATUS XIII.
in ditione Caroli Francorum R.

Foro-Juliensis Patriarcha Maxentius.
Bellunensis Episcopus . . . . .
Cenetensis Episcopus . . . . .
Comensis Episcopus Petrus.
Concordiensis Episcopus . . . . .
Feltrensis Episcopus . . . . .
Mantuanus Episcopus Gregorius.
Patavinus Episcopus Luitardus.
Tarvisinus Episcopus . . . . .
Tridentinus Episcopus Hildegarius.
Veronensis Episcopus Rotaldus.
Vicentinus Episcopus . . . . .

Quinta Metropolis XIV.
GRADUS,
CUI NOVEM SUBSUNT EPISCOPATUS
in ditione Caroli Francorum R.

Gradensis Patriarcha Fortunatus.
Æmoniensis Episcopus . . . . .
Equiliensis Episcopus . . . . .
Heracliensis Episcopus . . . . .
Justinopolitanus Episcopus . . . . .
Metamaucensis Episcopus . . . . .
Parentinus Episcopus Antonius.
Petinensis Episcopus . . . . .
Polanus Episcopus . . . . .
Tergestinus Episcopus . . . . .

Sexta Metropolis XV.
COLONIA,
CUI SEX SUBSUNT EPISCOPATUS
in ditione Caroli Francorum R.

Coloniensis Archiepiscopus Hildebaldus.
Bremensis Episcopus Willericus.
Leodiensis Episcopus Walcandus.
Mimigardevordensis Episcopus Gerfridus.
Mindensis Episcopus Herimbertus.
Osnaburgensis Episcopus Mengardus.
Ultrajectinus Episcopus Rixfridus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Septima Metropolis

MOGUNTIACUM,

CUI SUBSUNT UNDECIM EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

XVI. MOGUNTIACENSIS Archiepiſcopus Riculfus.
AUGUSTANUS Epiſcopus Hauto.
CONSTANTIENSIS Epiſcopus Egino.
CURIENSIS Epiſcopus Conſtantinus ſeu Conſtantius.
EYSTETTENSIS Epiſcopus Aganus ſive Agannus.
PADERBORNENSIS Epiſcopus Hadumarius.
SALINGESTADIENSIS Epiſcopus Hildegrimus.
SPIRENSIS Epiſcopus Freydo ſeu Fraydo.
STRASBURGENSIS Epiſcopus Recho.
VERDENSIS Epiſcopus Tanco.
VORMACIENSIS Epiſcopus Bernharius.
WIRCEBURGENSIS Epiſcopus Wolfgerus.

XVII. Octava Metropolis

SALISBURGUM,

CUI QUINQUE SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

SALISBURGENSIS Archiepiſcopus Arno.
CARANTANUS Epiſcopus Theodoricus.
FRISINGENSIS Epiſcopus Atto.
PATAVIENSIS Epiſcopus Hatto.
REGINOBURGENSIS Epiſcopus Adalwinus.
SABIONENSIS Epiſcopus Heinricus.

XVIII. Nona Metropolis

TREVIRI,

CUI TRES SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

TREVIRENSIS Archiepiſcopus Amalharius.
METENSIS Epiſcopatus vacat.
TULLENSIS Epiſcopus Unanimicus.
VIRODUNENSIS Epiſcopus Petrus.

XIX. Decima Metropolis,

SENONÆ,

CUI SEPTEM SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

SENONENSIS Archiepiſcopus Magno ſeu Magnus.
AURELIANENSIS Epiſcopus Theodulphus.
AUTISSIODORENSIS Epiſcopus Aaron.
CARNOTENSIS Epiſcopus Hieronymus.
MELDENSIS Epiſcopus Hildericus ſive Hildricus.

NIVERNENSIS

NIVERNENSIS Episcopus Galdo.
PARISIENSIS Episcopus Inchadus.
TRECENSIS Episcopus Bertulfus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Undecima Metropolis VESONTIO, CUI TRES SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R. XX.

VESONTIONENSIS Archiepiscopus Bernuinus.
BASILEENSIS Episcopus Heito.
BELLICENSIS Episcopus Rithfredus.
LAUSANNENSIS Episcopus Fredaricus seu Fredarius.

Duodecima Metropolis LUGDUNUM, CUI QUATUOR SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R. XXI.

LUGDUNENSIS Archiepiscopus Leidradus.
AUGUSTODUNENSIS Episcopus Aldericus.
CABILONENSIS Episcopus . . . . .
LINGONENSIS Episcopus Betto seu Becto.
MATISCONENSIS Episcopus Adalranus.

Decima-tertia Metropolis ROTOMAGUS, CUI SEX SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R. XXII.

ROTOMAGENSIS Archiepiscopus Willebertus.
ABRINCENSIS Episcopus . . . . .
BAJOCENSIS Episcopus Thiorus.
CONSTANTIENSIS Episcopus Hubertus.
EBROÏCENSIS Episcopus . . . . .
LEXOVIENSIS Episcopus . . . . .
SAGIENSIS Episcopus Patratus.

Decima-quarta Metropolis REMI, CUI SUBSUNT UNDECIM EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R. XXIII.

REMENSIS Archiepiscopus Wulfarius.
AMBIANENSIS Episcopus Jesse seu Jessæus.
ATREBATENSIS Episcopus Hildoardus.
BELLOVACENSIS Episcopus Ragimbertus.
CAMERACENSIS Episcopus Hildoardus.
CATALAUNENSIS Episcopus Adalelinus.
LAUDUNENSIS Episcopus Ostroldus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

NOVIOMENSIS Episcopus Wendilmarus.
SILVANECTENSIS Episcopus Ermeno.
SUESSIONENSIS Episcopus Rotardus.
TARUANNENSIS Episcopus Grimbaldus.
TORNACENSIS Episcopus Wendilmarus.

XXIV. Decima-quinta Metropolis

ARELATUM,

CUI, PRÆTER ARCHIEPISCOPATUM IMMINUTÆ AUCTORITATIS, sexdecim subsunt Episcopatus, in ditione Caroli Francorum R.

ARELATENSIS Archiepiscopus Joannes.
ARAUSICANUS Episcopus Bonifacius.
AVENIONENSIS Episcopus Humbertus.
CABELLIONENSIS Episcopus . . . . .
CARPENCTORAGTENSIS Episcopus Antonius.
DEENSIS Episcopus Vulfinus.
MASSILIENSIS Episcopus Honoratus.
TOLONIENSIS Episcopus . . . . .
TRICASTINENSIS Episcopus . . . . .
VASIONENSIS Episcopus . . . . .
VIVARIENSIS Episcopus Thomas.
AQUENSIS Archiepiscopus imminutæ auctoritatis . . . . .
ANTIPOLITANUS Episcopus . . . . .
APTENSIS Episcopus . . . . .
FORO-JULIENSIS Episcopus . . . . .
REÏENSIS Episcopus Riculphus,
SEGESTARICENSIS Episcopus Joannes.
VAPPINCENSIS Episcopus . . . . .

XXV. Decima-sexta Metropolis

VIENNA,

CUI TRES SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

VIENNENSIS Archiepiscopus Volferius.
GENAVENSIS Episcopus Walternus.
GRATIANOPOLITANUS Episcopus Radoldus.
VALENTINUS Episcopus Salvius seu Silvius.

XXVI. Decima-septima Metropolis

DARANTASIA,

CUI TRES SUBSUNT EPISCOPATUS in ditione Caroli Francorum R.

DARANTASIENSIS Archiepiscopus Eodebertus seu Rodoabertus.
AUGUSTENSIS Episcopus Gratus.
MAURIENNENSIS Episcopus Felinacius.
SEDUNENSIS Episcopus Theodulus.

Digitized by Google

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Duodeviceſima Metropolis XXVII.

EBREDUNUM,

CUI QUINQUE SUBSUNT EPISCOPATUS
in ditione Caroli Francorum R.

EBREDUNENSIS Archiepiſcopus . . . . .
DINIENSIS Epiſcopus . . . . .
GLANNATENSIS Epiſcopus . . . . .
NICAENSIS Epiſcopus . . . . .
SANICIENSIS Epiſcopus . . . . .
VINCIENSIS Epiſcopus . . . . .

Undeviceſima Metropolis XXVIII.

BURDIGALA,

CUI, PRÆTER ARCHIEPISCOPATUM IMMINUTÆ AUCTORITATIS,
ſexdecim ſubſunt Epiſcopatus,
in ditione Caroli Francorum R.

BURDIGALENSIS Archiepiſcopus . . . . .
AGINNENSIS Epiſcopus . . . . .
ECOLISMENSIS Epiſcopus Sidranius.
PETROCORICENSIS Epiſcopus Raymundus.
PICTAVIENSIS Epiſcopus Sigibrannus.
SANTONENSIS Epiſcopus . . . . .
ELUSANUS Archiepiſcopus imminutæ auctoritatis . . . . .
AQUENSIS Epiſcopus . . . . .
AUSCIENSIS Epiſcopus Salvinus ſeu Salvius aut Galvius.
BENARNENSIS Epiſcopus . . . . .
BIGORRITANUS Epiſcopus . . . . .
CONSORANENSIS Epiſcopus . . . . .
CONVENENSIS Epiſcopus . . . . .
LACTORENSIS Epiſcopus . . . . .
OLORONENSIS Epiſcopus . . . . .
PAMPILONENSIS Epiſcopus Oppilo.
VASATENSIS Epiſcopus . . . . .
VICO-JULIENSIS Epiſcopus . . . . .

Viceſima Metropolis XXIX.

TURONES,

CUI SUBSUNT UNDECIM EPISCOPATUS
in ditione Caroli Francorum R.

TURONENSIS Archiepiſcopus Joſephus.
ALETENSIS Epiſcopus Docmael.
ANDEGAVENSIS Epiſcopus Benedictus.
BRIOCENSIS Epiſcopus . . . . .
CENOMANENSIS Epiſcopus Franco.
CORENTINOPOLITANUS Epiſcopus . . . . .
DOLENSIS Epiſcopus . . . . .
LEONENSIS Epiſcopus Leonorius.

AN. CH. LEXOBIENSIS Episcopatus vacat.
811. NAMNETENSIS Episcopus Alanus sive Almannus.
CAROLI IMP. II. REDONENSIS Episcopus Aurisмundus.
LUDOV. R. 31. VENETENSIS Episcopus Isaac.
CAROLI R. 23.

Vicesima-prima Metropolis
BITURIGES,

XXX. CUI, PRÆTER ARCHIEPISCOPATUM IMMINUTÆ AUCTORITATIS, tres ac viginti subsunt Episcopatus in ditione Caroli Francorum R.

BITURICENSIS Archiepiscopus Ebroïnus.
ALBIGENSIS Episcopus Verdatus.
ANICIENSIS Episcopus Roricius.
ARVERNUS Episcopus Fridigisus.
CADURCENSIS Episcopus . . . . .
GABALITANUS Episcopus . . . . .
LEMOVICENSIS Episcopus Remigibertus.
RUTENENSIS Episcopus . . . . .
TOLOSANUS Episcopus Mantio.
NARBONENSIS Archiepiscopus imminutæ auctoritatis Nefridius.
AGATHENSIS Episcopus Stephanus.
AUSONENSIS Episcopatus caret Episcopo, regiturque à Nefridio Archiepiscopo Narbonensi.
BARCINONENSIS Episcopus Joannes.
BITERRENSIS Episcopus . . . . .
CARCASSONENSIS Episcopus Rogerius.
DERTUSANUS Episcopus . . . . .
GERUNDENSIS Episcopus Nifredus.
HELENENSIS Episcopus Ramnus.
LUTEVENSIS Episcopus Nebridius.
MAGALONENSIS Episcopus Ricuinus.
MAJORICENSIS INSULÆ seu DE MAJORICA Episcopus . . . . .
MINORICENSIS INSULÆ seu DE MINORICA Episcopus . . . . .
NEMAUSENSIS Episcopus Christianus.
UCECIENSIS Episcopus Elefantus.
URGELLENSIS Episcopus Sisebutus.

XXXI. In hoc Indice nonnulli notantur Antistites, quorum mentionem vel nondum vel extra suum locum arreptâ quapiam occasione fecimus, ideóque, cur à nobis hîc nominentur, rationem damus.

XXXII. In provincia Romana Spoletanum Episcopum dicimus Sigualdum, quia, teste Ughello, Pontificatum gerebat, cùm Carolus Magnus ex hac vita discessit. Episcopum quoque Sylvæ Candidæ dicimus Joannem, quia memoratur ab Annalistis Laureshamensi & Bertiniano ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum. De Amiternino Episcopatu nullum habemus verbum, quamvis Amiterninos quondam Episcopos floruisse non inficiemur. Sedem Episcopalem Furconio Aquilam Alexander Quartus Papa transtulit, & Berardum de Padula, qui priùs Furconiensis Episcopus appellabatur, Aquilanum Episcopum, ejúsque deinceps successores Aquilanos Episcopos vocari præcepit Apostolico Diplomate, quod in Italia Sacra [a] decimo Kalendas Martias anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo-septimo datum reperitur. Nulla ibi mentio fit vel Amiterni tunc eversi vel

[a] Tom. 1. Ital. Sacr. in Ep. Aquilano 1.

Epiſcopatûs Amiternini Forconienſi tunc uniti. *Cùm nos*, inquit Alexander, *terram Aquilæ de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuerimus eſſe de cetero civitatem, Epiſcopalem dignitatem concedentes eidem, Furconienſem Sedem cum omnibus ſuis juribus, dignitatibus & honoribus, præſertim cùm tua & dilectorum filiorum Archipresbyteri & Capituli quondam Furconienſis, nunc autem Aquilani, ad id vota concurrerint, ad Eccleſiam Sanctorum Maximi & Georgii de Aquila, quam Cathedralem deinceps eſſe decernimus, transferentes, conſtituendo ut de cetero loci Præſul non Forconienſis ſed Aquilanus Epiſcopus nominetur. Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ad prædictam civitatem Aquilanam accedas, téque de cetero nominans ac nominari faciens Epiſcopum Aquilanum.* Aquila in Aprutiis inter Amiternum & Furconium antiquiſſimas civitates, quæ luctuoſiſſimum à Longobardis excidium paſſæ ſunt, alto in monte ſita crevit ex ruinis utriuſque. Poſt illam cladem, cujus meminit Ughellus, exiſtimamus ambas Diœceſes, Amiterninam videlicet ac Furconienſem, ſimul ſic unitas fuiſſe, ut Epiſcopus Furconii Sedem haberet, Amiterni verò maneret Archipreſbyter, qui Furconienſi Epiſcopo ſubeſſet. Ut ita ſentiamus, ſuadet quæ Furconio Aquilam tranſlatio Sedis Epiſcopalis facta eſt, Amiterni mentione in Pontificio Diplomate nuſquam expreſsâ. Semper enim ad Aquilanam Diœceſim cum Furconio pertinuit atque etiamnum pertinet Amiternum, cui poſterioribus ſeculis inditum nomen Sancti Victorini * Martyris, Amiternini quondam Epiſcopi, de quo ſic Eccleſiaſticæ Tabulæ Nonis Septembris. *Romæ in ſuburbano, Beati Victorini Epiſcopi & Martyris, qui Sanctitate & Miraculis clarus, Sacerdotium Amiterninæ urbis, totius populi electione adeptus eſt: poſtmodum ſub Nerva Trajano apud Cutilias, ubi putentes & ſulphureæ emanant aquæ, cum aliis Dei ſervis relegatus, ab Aureliano Judice juſſus eſt ſuſpendi capite deorſum, quod cùm per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet, gloriosè coronatus, victor migravit ad Dominum, cujus corpus Chriſtiani rapientes, honorificâ ſepulturâ Amiterni condiderunt.* Archipreſbyter Amiterninus, poſtquàm Furconio Sedes Epiſcopalis Aquilam tranſlata eſt, Archipreſbyter Sancti Victorini de Amiterno ut anteà dictus eſt, hodie verò vocatur Archipreſbyter Sancti Blaſii. Quomodo Berardus de Padula, qui poſtremus Furconienſis Epiſcopus ac primus Aquilanus fuit, Archipreſbyterum Amiterninum jam factus Aquilanus Epiſcopus ſuſceperit, Ughellus appoſitè ſic exponit. *Archipresbyterum Sancti Victorini de Amiterno, qui nunc Sancti Blaſii vocatur, intra civitatem Aquilanam & liberè obedientiam præſtantem benignè recepit, nonnullis pactis ac conditionibus, ac præſertim ut ipſe ac ſucceſſores ejus Epiſcopi Aquilani eum defenderent ac conſervarent in ſua immemoriabili juriſdictione juxta Privilegia ipſius Archipresbyteri. Quæ omnia Berardus ſub ea conditione ſuſcepit, ut in publico habetur Inſtrumento.* Ex hoc textu non obſcurè patet Amiterninum Epiſcopatum à longo jam retrò tempore extinctum fuiſſe, nec aliud quidpiam ab Amiternino Archipreſbytero poſtulatum, quàm ut impoſterum iiſdem ſub Aquilano Epiſcopo, quibus anteà ſub Furconienſi, Privilegiis gauderet. Nobis igitur vitio verti non poteſt aut errori, quòd Amiterninam Diœceſim, quæ priùs eſt unita Furconienſi, ſub Carolo Magno innominatam relinquimus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

* *S. Victorinus.*

In provincia Mediolanenſi celebramus Eillulphum Aſtenſem Epiſcopum, Attonem Epiſcopum Novarienſem, & Nottingum Vercellenſem Epiſcopum. De Eillulpho plura ſcribemus anno ſequenti. De Nottingi ætate conſule, quæ Tomo priore per anteceſſum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-quartum [a] ſcripta ſunt. Epiſcoporum Novarienſium Catalogus accuratiorem hîc inveſtigationem poſtulat. Poſt Gratianum, quem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono temporibus Agathonis Papæ ſediſſe conſtat, abſque ullo Charactere Chronologico recenſentur ab Ughello [b], Probus, Laureolus, Leo, Ambroſius, Gratioſus, Benedictus, Petrus, Sicardus, Titus, Atto, Adelgeſius, quorum poſtremus anno Redemptoris

XXXIII.

[a] Num. 46.

[b] Tom. 4. Ital. Sacr. in Epiſc. Novarienſ.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

octingenteſimo quadrageſimo floruit. Arialdus in ſua Tabula, ut idem Ughellus obſervat, ab Attone incipit *notare annos, quibus quiſque Novarienſis Præſul in ea Sede floruit.* Attonem in Epiſcoporum Novarienſium Nomenclatura proximè ſequuntur Adelgeſius, Oddo, Ductherminus, & Notingus, cui Joannes Octavus Papa [a] literas ſcripſit datas XIV *Kalend. Novembris, Indictione* XIII, id eſt, decimo-quarto Kalendas Novembris, anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo-nono, Indictione decimâ-tertiâ jam à Kalendis Septembris inchoatâ. Ughellus, poſtquàm Arialdi Tabulam laudavit, annos Attoni viginti-novem cum tribus menſibus, annos Adelgeſio novemdecim, annos Oddoni tres ac triginta, annos Ductermino tres ac quadraginta, Notingo annos decem in Pontificatu tribuit. At hæc annorum ſumma non poteſt admitti, quia ſi ſuperſtes ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum quadrageſimum vixit Adelgeſius, ejúſque proximi ſucceſſores Oddo & Ductherminus annis ſex ac ſeptuaginta ſederunt, certè Notingus Epiſcopatum longè poſt Joannis Octavi Papæ mortem obtinere cœpit. A Joanne tamen Octavo, cujus obitus anno Redemptoris octingenteſimo octogeſimo-ſecundo conſignatur, epiſtolam accepit ſcriptam decimo-quarto Kalendas Novembris, Indictione decima-tertiâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo-nono, Indictione decimâ-tertiâ jam cœptâ, ut obſervatum eſt ſuprà, denuóque ad illum annum repetetur. Error, qui Chronologiam Novarienſium Epiſcoporum perturbat, commodiùs faciliúſque tolli non poteſt, quàm ſi Ductermino quadraginta reſcindantur anni, tréſque tantùm reſidui concedantur. Ab obitu enim Adelgeſii ad Epiſcopatum uſque Notingi ſupererunt anni duntaxat ſex ac triginta, poſitóque quòd Adelgeſius hominem exuerit Nonis Octobris anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo, Notingus Epiſcopatum ab anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto per decennium ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum octogeſimum-ſextum geret. Ex hac autem computatione colligimus Tito Attonem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſecundo, Attoni Adelgeſium anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo ſucceſſiſſe. Annum igitur in Epiſcopatu decimum-nonum agebat Atto, cùm Carolus Magnus Teſtamentum condidit.

[a] Ep. 224.

XXXIV. In provincia Gradenſi Parentinum Epiſcopum ponimus Antonium ſucceſſorem Dominici, quem Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [b] laudavimus.

[b] Num. 166.

XXXV. In provincia Senonenſi, Pariſienſem Epiſcopum Inchadum, Bertulfum Trecenſem Epiſcopum ponimus. De utroque hîc accuratiùs inveſtigandum. Deodefridi Pariſienſis Epiſcopi, cujus mentionem Tomo quinto fecimus, proximos hoſce ſucceſſores Tomo ſexto [c] recenſuimus, Erkanradum Seniorem, Ermanfredum, Inchadum, & Erkanradum Juniorem. Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo Deodefridus regnante Pippino Gorzienſe Privilegium ſuâ ſubſcriptione communivit. Ab illo Redemptoris anno ad hunc uſque lapſi ſunt quatuor ac quinquaginta. Pontificatum per iſtud interſtitium geſſerunt Deodefridus, Erkanradus Senior qui *tempore Caroli Magni* ſediſſe comprobatur, Ermanfredus cujus ſolum nomen ſupereſt, & Inchadus cujus memoriam parvum Paſtorale inſignis Eccleſiæ Pariſienſis ſub Carolo Auguſto ejúſque filio ac ſucceſſore Ludovico commendat. Extat in illo Paſtorali Charta, per quam Stephanus Comes & Amaltrudis ejus uxor, Inchado tunc Epiſcopatum gerente, munificos erga Pariſienſem Eccleſiam ſe præbent. Data eſt autem *in anno* X I *Imperii Domni noſtri Karoli Glorioſique Auguſti* XLIII *Regni ejus in Francia, &* XXXVI *in Italia ſub Indictione* III. E quatuor hiſce Characteribus ſani ſunt & benè cohærent inter ſe duo priores, annus videlicet undecimus Imperii Carolini & annus Regni in Francia quadrageſimus-tertius, qui deſignant annum Re-

[c] Ad an. 796. n. 137.

Digitized by Google

demptoris octingenteſimum undecimum. Depravati fuerunt duo poſteriores, qui nec cum prioribus nec inter ſe conveniunt. Emendari verò ſic debent, ut cum duobus, quos laudavimus, optimè comparentur. Erat igitur Epiſcopus Pariſienſis Inchadus, cùm Carolus Teſtamentum edidit de quo loquimur. Tranſeamus ad Trecenſes Epiſcopos. Sedebat Trecis Adelgarius anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo, ut Tomo ſuperiore ad illum annum [a] obſervavimus. In Trecenſium Epiſcoporum Catalogo, quem Nicolaus Camuzatus concinnavit, poſt Adelgarium Trecis hi ſedent Antiſtites, Oſulfus, Bertulfus, Sanctus Paulus, & Helias cujus obitus anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-ſexto conſignatur. Camuzatum ſecuti ſunt Chenutius, Severtius, Robertus, Deſguerroiſius, & Sammarthani. Solus ex his Auctoribus occurrit Severtius, qui ſingulis Pontificatibus Chronologicos Characteres apponat. At magno ſe vituperio dignum præſtat, quia nullam computi rationem reddit, annos quos vult pro lubitu notat, nec etiam cum recta convenit Chronologia cùm in tempore, quo ſedit Adelgarius, tum in anno quo Helias vitam finivit. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo quo mentionem Adelgarii fecimus, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſextum quo mortem Heliæ contigiſſe vetus Aſtronomus in vita Ludovici Pii teſtatur, nullum Characterem deprehendimus, quo Chronologia Trecenſium Epiſcoporum fulciri poſſit. Severtius nullo fretus Auctore Amingum audacter Epiſcopum agnoſcit *anno 800*, Adelgarium *ſub an. 810*, Sulfum ſive Oſulfum *circa an. 815*, Bertulfum *ad an. 820*, Sanctum Paulum *ſub an. 830*, ſubditque Heliam obiiſſe *an. 835*, Heliæ mortem in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſextum rejiciendam, cùm ad illum annum pervenerimus, ex vita Ludovici Pii jam laudata probabimus & ex veteribus Annaliſtis ſimul collatis. Aliæ difficultates hîc enodandæ. Camuzatus, licèt in Indice Bertulfum ab Oſulfo diſtinguat, in notis ad eundem Bertulfum non diſſimulat unum ex utroque ſibi conflandum videri. Duo profert argumenta, quibus opinionem ſuam tueatur. Ea vocabula, *Oſulfus vocatus Bertulfus*, quæ Oſulfum & Bertulfum unius tantùm loco habendos declarant, in quibuſdam Catalogis à ſe lecta teſtatur. Deinde Bodonem, cui vulgatus Index quadrageſimum locum in ordine Trecenſium Epiſcoporum tribuit, obſervat Epiſcopum dici triceſimum-nonum in Codice Sancti Lupi Trecenſis ante quadringentos annos conſcripto. Poſt dedicatoriam quoque epiſtolam expreſſiùs ita ſcribit. *Confecto hoc & abſoluto* ſacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ Diœceſis *promptuario, venit in manus meas Codex MS. Cœnobii Aremarenſis, ſequentem Trecenſium Epiſcoporum Catalogum continens, qui vulgatis ſyllabis non conſentit, in quibus plures Epiſcopi comprehenduntur: ſed quædam nomina in illos irrepſiſſe, mihi facilè perſuaſerim, ut Pauli quem Tricaſtinum Epiſcopum verius dixeris, Fredeberti (rectius Frodoberti) & Oſulphi, qui meo quidem judicio perperam inter dictos Præſules recenſentur. Frodobertus enim jure expungendus videtur, qui cùm Abbas Cellenſis fuerit & nominatiſſimus, à quibuſdam Elenchorum concinnatoribus, re non ſatis exactè perpensâ, in dictorum Præſulum ordine eſt collocatus, ſicut & ipſe Paulus dum ex Tricaſtino Epiſcopo ipſum Tricaſſinum effecerunt nominis cognatione decepti & deluſi, quod ſæpè accidit. Bertulphus autem dicebatur & Oſulphus, ipsáque vocabula conjunctim non ſeorſim legenda, ſicque extritis Paulo & Frodoberto, Bertulphóque & Oſulpho conjunctis, reliquus erit Bertulphus binominis.* Hanc Præfationem ſequitur ex Arremarenſi Codice ſeries Epiſcoporum Trecenſium, in qua recenſentur hoc ordine, qui ſub Carolo Magno & Ludovico Pio floruerunt, *Amingus, Adelgarius, Bertulfus, Helias, Adelbertus.* Arremarenſis ille Codex deſinit in Henrico Epiſcopo, qui, teſte eodem Camuzato, *Pontificiis inſignibus cohoneſtatus eſt anno milleſimo centeſimo quadrageſimo-ſecundo.* Multa de Sancto Frodoberto déque Monaſterii Cellenſis origine ſcripſimus Tomo tertio; Frodobertum laudavimus Abbatem, Epiſcopum nequaquam. De Oſul-

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

[a] Num. 137.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

fo quoque lubenter cum Camuzato convenimus, & Bertulfum cenſemus eundem cum Oſulfo. *Gombertum*, cujus nullum in Elenchis & Indicibus veſtigium ſupereſt, ait idem Camuzatus in manuſcriptis Chronicis nominari, quæ mentionem faciunt *cujuſdam Conventûs celeberrimi & frequentiſſimi, à Carolo apud Aquiſgranum indicti & habiti, ubi palàm complures auguſtiſſimas Reliquias à Conſtantino Orientis Imperatore miſſas religioſiſſimè oſtendit, & è ſcriniis eduxit* præſente Leone Papâ. Commentitiam indicat chartam, quam nos pſeudo-Aquiſgranenſem vocavimus Tomo ſuperiore, deſcriptámque ad annum Redemptoris octingenteſimum [a] abundè refutavimus. In illa Charta teſtes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, recenſentur unus & quinquaginta, penè omnes fictitii, atque inter hos *Gosbertus Epiſcopus Trecarum*, quem Camuzatus Gombertum appellat. Omiſſo iſto Goſberto ſeu Gomberto qui numquam fuit, Bertulfum Adelgario proximè ſubrogamus; eundémque Bertulfum, quem ab Oſulfo non diſtinguimus, ſuperſtitem exiſtimamus ad hunc annum, quo Carolus Magnus Theſauros ſuos Metropoliticis Regni ſui civitatibus diſtribuit. De ſucceſſore quæſtio moveri poteſt, nam Petrus Pithœus, qui longè ante Camuzatum Indicem Trecenſium Epiſcoporum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo texuit, Heliam præpoſuit Paulo, falſus tamen non defuiſſe, qui Paulum Heliæ præponerent; & Codex Arremarenſis, cui Camuzatus ultrò ſuffragatur, Bertulfo ſubrogat Heliam, Pauli nomine penitus expuncto. Re diligenter examinatâ Paulum in Catalogo Trecenſium Epiſcoporum retinemus, eúmque Heliæ non ſucceſſorem ſed deceſſorem arbitramur. Paulus Tricaſſimus à Paulo Tricaſtino diſtinguendus. Ambo floruerunt inſignes Epiſcopalibus Inſulis & ſanctitate. Paulus Epiſcopus Tricaſtinus vixit longè ante annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum, quo Francis Auguſtam Tricaſtinorum reliquáſque ditiones ſuas Oſtrogothi ceſſerunt. Bollandus [b] ſuſpicatur hunc eſſe Paulum, qui Concilio Valentino ſubſcripſit Gratiano Auguſto tertiùm & Equitio Viro Clariſſimo Conſulibus, anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto. Paulus Antiſtes Tricaſſinus Epiſcopatum multò ſeriùs ſub Carolo Magno & Ludovico Pio geſſit. Illa temporum diſcrepantia duos apertè Paulos diſtinguit. Paulus Tricaſtinus apud Auguſtam Tricaſtinorum colitur Kalendis Februarii, quievitque ſacrum ejus corpus in Eccleſia Cathedrali, donec cum Reliquiis aliorum Antiſtitum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-primo concrematum eſt ab Orthodoxæ Religionis hoſtibus. Audi Sammarthanos in Epiſcopis & Comitibus Sancti Pauli Tricaſtinenſis [c]. *Ipſa civitas Tricaſtina eum ſibi elegit Patronum; ac feſtum celebratur 1. Februarii: ſacrum corpus diu requievit in Eccleſia Cathedrali Tricaſtina thecis argenteis incluſum, unúmque ex ipſius brachiis ſeorſim à dicto corpore ſeparatum, cui feſtum ſolemne dedicatum fuerat: quod quidem ſacrum corpus anno 1561, die 24 Decembris, Novatores hæretici prædictam Eccleſiam violenter ingreſſi, profanatâ divi Confeſſoris memoriâ, cum Reliquiis Sanctorum Amantii & Euſebii concremarunt. Hæc notantur in Archivis Capituli ejuſdem Eccleſiæ.* Pauli Epiſcopi Tricaſſini corpus apud Trecas in Æde primaria cuſtodiri teſtantur Camuzatus & Deſguerroiſius, ille in prælaudato Promptuario quod edidit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo, hic in ſanctis Antiquitatibus Tricaſſinæ Diœceſis quas in lucem emiſit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo-ſeptimo, uterque longè poſt annum Chriſti milleſimum quingenteſimum ſexageſimum-primum, quo corpus Pauli Tricaſtini combuſtum eſt ab heterodoxis. En duo corpora valdè diſtincta, quæ duos oſtendunt Paulos eóſque in locis valdè diſſitis collocant. Tricaſtini ſuum colunt Kalendis Fibruarii, nullam ſui celebritatem faciunt Tricaſſini, ſic enim ſcribit Camuzatus. *Ejus*, id eſt, Sancti Pauli, *corpus in lignea theca conditum Tricaſſina Eccleſia ſumma cum veneratione cuſtodit, & tanquam ſacrum depoſitum piè religioséque colit & tuetur, nulla tamen annua ejus nomini dicata celebritas*

[a] Num. 30.

[b] D. 1. Febr.

[c] Num. 4.

celebritas agitur, fortè quia vitæ ejus Hiſtoria non extat. Eruditi viri quærunt hodie, cujus civitatis, utrum Tricaſſinæ an Tricaſtinæ, Pontifex fuerit Sanctus ille Paulus, quem Martyrologi Kalendis Februarii commendant. In vocibus, *Tricaſſina* & *Tricaſtina*, propter nimiam earum affinitatem variant manuſcripti Codices. Eccleſiaſticæ Tabulæ Kalendis Februarii ſic habent. *In Gallia, civitate Tricaſtinâ Sancti Pauli Epiſcopi, cujus vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur.* Baronius in notis ad illas Kalendas monet correctum errorem, qui priùs irrepſerat nomine civitatis Tricaſſinæ perperam admiſſo. Manet adhuc idem civitatis Tricaſſinæ ſeu Trecaſſinæ nomen in Adonis Martyrologio, ſic. *Eodem die*, id eſt, Kalendis Februarii, *Sancti Pauli Epiſcopi civitatis Trecaſſinæ, cujus & vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur.* Manet & oppidi Trecaſſini nomen ad eaſdem Kalendas in Uſuardi Martyrologio, ſic. *In oppido Trecaſſino, Sancti Pauli Epiſcopi, cujus & vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miraculis commendatur.* Pithœus, quæ vel Uſuardo, vel Adoni, vel utrique tribui debent, accepta ſcribit à Beda. *Kl. Febr. Natale S. Pauli Epiſcopi civitatis Tricaſſinæ, cujus & vita virtutibus claruit, & mors pretioſa miracalis commendatur. Beda. In vet. tamen Martyrol. ſcriptum eſt, Tricaſtinæ.* Genuinum Bedæ Martyrologium ex Codice Divionenſi publicavit Henſchenius [a]. In illa Bedæ lucubratione, Kalendis Februarii, nulla fit Sancti Pauli ſeu Tricaſſini ſeu Tricaſtini mentio, ſolúmque memoratur Natale Sanctæ Brigidæ ſic initio Februarii. *Kalendis. Natale Sanctæ Brigidæ Virginis.* Certè Beda, ſi meminiſſet Sancti Pauli, quæſtionem omnem amputaſſet. Obiit enim anno Chriſti ſeptingenteſimo tricesimo-primo, ut ex Annaliſta Nazariano ſæpè notavimus, id eſt, longè poſt ætatem Pauli Epiſcopi Tricaſtini, ac longè ante Pauli Epiſcopi Tricaſſini Pontificatum. Ideóque miramur repertos eſſe viros eruditos, qui Bedam de Paulo Epiſcopo Tricaſſino locutum crediderint. Uſuardus & Ado, quia non tantùm poſt Bedam ſed etiam poſt Paulum Epiſcopum Tricaſſinum vixerunt, eundem Paulum ſuis potuerunt adſcribere Martyrologiis, adſcripſerúntque ſi fides eſt exemplaribus in lucem editis ac ſuprà citatis. Lubentiſſimè tamen adſtipulamur Baronio, fatemúrque mendum irrepſiſſe in Martyrologia ſeu manuſcripta ſeu publicata, quæ Kalendis Februatii Sanctum Paulum exhibent Epiſcopum Tricaſſinum. Legendus ibi non Tricaſſinus ſed Tricaſtinus Epiſcopus. Huic emendationi plurimùm favet feſtum Beati Pauli, quod Tricaſtini Kalendis Februarii celebrant, Tricaſſini minimè. Quamvis autem Tricaſtinis Sanctum reſtituamus Paulum, quem Eccleſiaſticæ Tabulæ Kalendis Februarii memorant, Tricaſſinis alterum nolumus auferre Sanctum Paulum, cujus ut & aliorum Trecenſium Epiſcoporum, quorum Reliquias in Eccleſia Cathedrali cuſtodiunt, memoriam teſte Deſguerroiſio [b], die Dominicâ infra Octavam Aſcenſionis venerantur. Duos diſtinximus Paulos Epiſcopos, unum Tricaſtinum, alterum Tricaſſinum. Toto igitur tempore, quo Carolus Magnus apud Francos regnavit, Epiſcopatum Tricaſſinum quatuor hi tenuerunt Antiſtites, Amingus, Adelgarius, Bertulfus qui & Oſulfus, Sanctus Paulus. Hic eidem Carolo ſuperſtes vixit, ſucceſſorémque nactus eſt Heliam, de quo plura dicturi ſumus ſuis locis.

[a] Tom. 2. Act. SS. menſ. Martii.

[b] In Urſo Ep. ad a. 416.

In provincia Veſontionenſi, cùm Carolus Magnus Theſauros ſuos diviſit, Epiſcopum Lauſannenſem ponimus Fredaricum ſeu Fredarium, quem Sammarthani Præſulem agnoſcunt *ad an. 815*, deceſſorémque Paſchalis, qui, teſte Stumpffio, ſedebat anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo. XXXVI.

In provincia Rotomagenſi Conſtantienſem Epiſcopum ponimus Hubertum. In Catalogis enim illius Eccleſiæ poſt Leonem, quem ſediſſe diximus cùm Pippinus regnare cœpit, tres hi ſequuntur ſolis noti nominibus, Angulo, Hubertus, & Wilardus, tum Erlutinus de quo ſepè locuturi ſumus ſub Carolo Ludovici Pii filio. Ponimus & Sagienſem Epiſcopum Patratum, hic XXXVII.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23. XXXVIII.

enim locum in Catalogis obtinet Ragimfridum inter & Reginaldum, quorum ille Pontificatum anno Christi septingentesimo septuagesimo suscepit, hûc floruit sub Ludovico Pio.

In consignandis Metropolitæ Remensis Episcoporúmque suffraganeorum nominibus utimur Flodoardo, qui de Vulfario Metropolita Remensi comprovincialibúsque Episcopis ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum sic scribit [a]. *Hic* Vulfarius *Synodum invenitur habuisse anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo-quarto, in Ecclesia Noviomensi, regnante Ludovico filio Caroli, congregatis secum Coepiscopis suis, Hildoaldo, Ermenone, Jesse, Ragimberto, Grimbaldo, Rotardo, Wendilmaro, Ostroldo.* Id est, Vulfarius Synodum celebravit cum suffraganeis Episcopis, *Hildoaldo* sive Hildoardo Episcopo Atrebatensi & Cameracensi, *Ermenone* sive Herminio Silvanectensi Episcopo, *Jesse* seu Jessæo Episcopo Ambianensi, *Ragimberto* Bellovacensi Episcopo, *Grimbaldo* Episcopo Taruannensi, *Rotardo* Suessionensi Episcopo, *Wendilmaro* Episcopo Noviomensi & Tornacensi, *Ostroldo* Episcopo Laudunensi. Solus in hac Episcoporum enumeratione, qui Metropolitæ Remensi subsunt, desideratur Adalelinus Catalaunensis Episcopus. Vulfarium Remensem Archiepiscopum, Hildoaldum sive Hildoardum Atrebatensem & Cameracensem Episcopum, Ermenonem sive Herminium Episcopum Silvanectensem, Jessæum Ambianensem Episcopum, Grimbaldum Episcopum Taruannensem, & Adalelinum Catalaunensem Episcopum jam laudavimus. Cœperunt enim sedere, Vulfarius anno Redemptoris octingentesimo secundo, Hildoardus sive Hildoaldus anno Christi septingentesimo nonagesimo, Ermeno sive Herminius anno Redemptoris octingentesimo septimo, Jesse sive Jessæus anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, Grimbaldus anno Redemptoris octingentesimo primo, Adalelinus anno Redemptoris octingentesimo decimo. Supersunt adhuc innominati, Ragimbertus, Ostroldus, Wendilmarus, & Rotardus, quorum decessores Tomo superiore memoravimus. Adalmano successit Ragimbertus in Episcopatum Bellovacensem; Ostroldus in Episcopatum Laudunensem non Sigebaudo ut multi volunt, sed Weniloni secundo ut infrà probabimus; Pleoni Wendilmarus in Episcopatus Noviomensem & Tornacensem; Deodato Rotardus in Episcopatum Suessionensem.

[a] Lib. 2. c. 18

XXXIX.

In Arelatensi provincia laudamus Bonifacium Arausicanum Episcopum, eique locum tribuimus inter Salicum & Laudonem, quorum ille Concilium Narbonense cum aliis Episcopis anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo celebravit, hic eidem Bonifacio in Episcopatum anno Redemptoris octingentesimo undequadragesimo successit, ut Arausicanæ Schedæ testantur. Laudamus & Thomam Vivariensem Episcopum, quem Ludovicus Pius anno Imperii sui secundo sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto commendat, ut ostendemus suo loco. Columbus, postquàm locutus est de Longino, quem anno Christi septingentesimo vicesimo-septimo sedisse probavimus, agit proximè de Eribaldo & Arcontio, tum de Severino, quem agnoscit Episcopum anno Redemptoris octingentesimo quarto, deinde de Thoma, qui florebat XVII *Kal. Julii, anno* II *Imperii Domini Ludovici Augusti, Indict.* VIII. Sed Aribaldus & Arcontius Episcopi sunt incertorum temporum, nec idem Auctor dissimulat eos illo loco à se tantùm recenseri, ne Catalogus à Longino ad Severinum hiare credatur. Lege ad annum Redemptoris octingentesimum quintum [b], quæ scripta sunt accuratiùs de Severino, nomen enim illius abrasimus è Catalogo Vivariensium Episcoporum, quia non innotescebat aliunde quàm ex Anianensis Monasterii Charta supposititia. Post Longinum igitur qui regnante Theodorico Quarto floruit, fixus certúsque non occurrit Vivariensis Episcopus ante Thomam, qui Pontificatum gerebat anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, videtúrque priùs suscepisse, quàm Carolus Magnus Thesauros suos divideret.

[b] Num. 37.

Digitized by Google

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23. XL.

In provincia Darantaſienſi Gratum ponimus Auguſtenſem Epiſcopum, quia Carolo Auguſto & Leoni Tertio Papæ notus fuit, ſimúlque cum Theodulo tunc Epiſcopo Sedunenſi, quem ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum jam laudavimus, Reliquias Agaunenſium Martyrum in locum decentiorem tranſtulit. In Actis Grati, quæ citantur ab Ughello & à Sammarthanis, hi notantur Chronologici Characteres, omittuntur autem à Franciſco Auguſtino ab Eccleſia Epiſcopo Salutienſi, qui Gratum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo floruiſſe ſcribit. Apud hunc Auctorem Auguſtenſes Epiſcopi recenſentur, *anno 755 Lupus, anno 770 Gratus, anno 790 Jocundus, anno 877 Ratbonus.* Convenimus de Lupo, cujus mentionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſeptimum [a] fecimus, & de Ratbono ſeu Ratborno, qui Concilio Ticinenſi, ut ſuo loco dicemus, anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto ſubſcripſit; Epiſcopatum verò Grati, cui Jocundus poſtea ſucceſſit, in nonum ſeculum rejicimus Leone Papâ & Carolo jam Imperatore. Salutienſis Epiſcopi textus de Sancto Grato talis eſt in Chronologica Pedemontanæ Regionis hiſtoria [b]. *S. Gratus, natione Græcus, Lacedemonienſis, Athenis liberalibus diſciplinis optimiſque moribus excultus, Epheſum profectus, ibi Monaſticum habitum induit, ſed creatus Epiſcopus Auguſtenſis, Auguſtam veniens, brevi aſſiduis prædicationibus tum publicis tum privatis, populum variis erroribus reſperſum repurgavit. Reliquias Sancti Mauritii Martyris & Sociorum ſordido loco ad Rhodani fluminis ripam jacentes, divino admonitu in Auguſtenſi Monaſterio* (legendum exiſtimamus *in Agaunenſi Monaſterio*) *loco decentiore repoſuit, quarum pars Sedunum ab illius Civitatis Epiſcopo, pars Auguſtam ab ipſo Grato delata eſt. Dicitur etiam mentum capitis S. Jo. Baptiſtæ Præcurſoris Domini à Pontifice Romano dono acceptum in ſua Auguſtenſi Eccleſia, ubi adhuc hodie honorificè aſſervatur, collocaſſe. Obdormivit in Domino ſeptimo Idus Septembris, ante & poſt mortem Miraculis clarus.* Scripſit Epiſcopus Salutienſis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto. Ferdinandus Ughellus ſeptimo pòſt anno quartum Italiæ Sacræ Tomum publicavit, in quo Catalogum Auguſtenſium Epiſcoporum texuit, & in laudes Beati Grati ſic excurrit. *S. Gratus Lacedæmone illuſtri genere ortus, poſtquàm Athenis liberalibus diſciplinis fuit excultus, divinarum rerum deſiderio accenſus, Epheſum profectus, adhuc adoleſcens Monaſticum induit habitum, ubi brevi ad Regularis obſervantiæ & doctrinæ perfectionem pervenit, ut ceteros virtutibus omnibus anteiret, ac divinarum Scripturarum interpres eſſet, ad Concilium, quod tunc in Gracia celebrabatur, vocatus, ob doctrinæ præſtantiam in eo Magni cognomen adeptus eſt. Ab eodem Concilio ad Carolum Magnum Imperatorem pro Eccleſiaſticæ pacis reformatione legatus eſt, eâque feliciter perfunctus Romam ad Leonem III Pontificem ſe contulit. Obierat per id tempus Auguſtæ Prætoriæ Epiſcopus, quod cùm Gratus in Æde S. Mariæ ad Martyres orans didiciſſet, & Leoni narraſſet, invitus ab eodem Epiſcopus ſuffectus eſt. Auguſtam pervenit, populum in pluribus aberrantem doctrinâ & exemplo expurgavit, Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit, auxítque divinum cultum, Sanctorum Mauritii ſociorúmque ejus Reliquias ſordido in loco ad Rhodani fluminis ripas jacentes, divino monitu unà cum Sancto Theodulo Sedunenſi Epiſcopo in Agaunenſi Cœnobio repoſuit, partem aliquam Sedunum & Auguſtam detulit, & in Cathedrali honorificè recondidit ad altare in eorum nomine erectum, adhibito perpetuo cenſu pro quatuor Sacerdotibus, ut in eo ſacrum quotidie agerent. Referunt ejuſdem Grati Acta iis temporibus caput Sancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris in puteo apud Sebaſtem Samariæ urbem divinitus detectum fuiſſe, & vox audita ſolum Gratum Auguſtæ Epiſcopum inde extracturum. Summus Pontifex ab Hieroſolymitano Epiſcopo certior factus Gratum accerſit, qui cum Jocundo, quem adoleſcentulum excolendum ſuſceperat, & ſibi ſucceſſorem præviderat, Romam proficiſcitur; cauſam, ob quam accerſitus eſſet, edoctus, navim conſcendit, Ptolemaidem appulit, acceſſítque Sebaſtæ ad puteum, ſacrum caput aſpexit, & magna cum devotione & humilitate illud hauſit de jugi*

[a] Num. 10.

[b] Cap. 43.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

puteo. Romam repetiit, & ſacrum pignus Pontifici Maximo conſignat, ab eóque mentum à capite avulſum dono accepit, quod in ſua Cathedrali Eccleſia maximâ Cleri populíque lætitiâ collocavit. Hæc Acta Grati manuſcripta longè diverſa ab aliis, quæ tamen, ut loquitur Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, nullo fulciuntur teſtimonio veritatis de Tranſlatione Capitis Sancti Joannis Baptiſtæ. Cetera Gratus in vita & morte Miraculis clarus obdormivit in Domino, ſeptimo Idus Septembris. Sammarthani fratres anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto Galliam Chriſtianam quatuor in Tomos digeſſerunt, quorum ſecundus in Auguſtenſium Epiſcoporum Catalogo textum Ughelli de Grato penè ad verbum exhibet, omiſſis quæ ſpectant ad Inventionem & Tranſlationem Sancti Joannis Baptiſtæ. Poſt accuratum examen, quid de Grato ſentiamus, paucis accipe. Gratus, natione Græcus, Leoni Tertio Papæ & Carolo Magno propter inſignem eruditionem charus extitit; factus eſt Auguſtenſis Epiſcopus accedente Caroli, ut illorum temporum mos erat, vel juſſu vel conſenſu; Pontificatum iniit nono ſeculo jam inchoato; ſedebat anno Redemptoris octingenteſimo undecimo; fuit amicitiâ Theodulo Sedunenſi tunc Epiſcopo conjunctiſſimus; ambo Reliquias Agaunenſium Martyrum tranſtulerunt, obierúntque Ludovico Pio poſt patrem jam imperante. De utroque ſermonem ſub eodem Ludovico rurſum faciemus. Agemus & aliâ occaſione de Capite Sancti Joannis Baptiſtæ reperto in Oriente atque in Occidentem tranſlato. Sammarthani nobis adverſari non parum videntur in Agaunenſis Monaſterii præconio, quod Agaunenſium Abbatum Catalogo præpoſuerunt [a]. *Anno*, inquiunt, *circiter 880, Theodulo Sedunenſi Antiſtite, revelata ſunt S. Mauricii & ſociorum corpora, Grati Auguſtenſis & Protaſii Gebennenſis Epiſcoporum adjuvante operâ. Deinde cùm diſciplina Monaſtica excidiſſet depravatis moribus, Rex Francorum Ludovicus Monachos ejecit, & ab Alexandro 2 Papa impetravit, ut triginta-duo Canonici ſubſtituerentur, intercedente Adalongo Sedunenſi Epiſcopo & Abbate Sancti Mauritii.* Mendum in Characteres Chronologicos & in nomen Romani Pontificis irrepſit. Agaunenſium Martyrum corpora non *anno circiter 880* ſed *anno circiter 810* tranſlata ſunt. Interfuerunt Tranſlationi Theodulus Sedunenſis Epiſcopus & Gratus Epiſcopus Auguſtenſis, ut ex Actis ejuſdem Grati conſtat, in quibus nec Protaſii Gebennenſis Epiſcopi mentio fit, nec ulla pars Agaunenſium Reliquiarum Gebennam ſeu Genevam tranſlata memoratur; atque inde colligimus abradendum ex præcitato textu nomen Protaſii, maximè cùm in Nomenclatura Genevenſium Epiſcoporum, qui Gebennenſes etiam dicuntur, nullus apud eoſdem Sammarthanos occurrat Protaſius. Theodulo ſucceſſit in Epiſcopatum Sedunenſem Adalongus, à multis annis Abbas jam Agaunenſis. Eo ſedente atque intercedente, *Rex Francorum Ludovicus* Agaunenſes *Monachos ejecit*, quia priſcis à moribus deſciverant, *& à Papa impetravit, ut triginta-duo Canonici ſubſtituerentur.* Rex ille Francorum Ludovicus non alius eſt à Ludovico Pio, de quo ſic ipſimet Sammarthani in Adalongo Agaunenſis Monaſterii triceſimo-tertio Abbate. *33 Adalongus, ſub quo, Ludovico Pio Imp. poſtulante, pulſis Monachis Canonici cum eorumdem jurium privilegio ſtatuuntur.* Ergo Ludovicus Francorum Rex, ut Agaunenſibus Monachis Canonici ſubrogarentur, non poſtulavit *ab Alexandro 2 Papa*, qui Pontificatum ab anno Chriſti milleſimo ſexageſimo-primo ad annum Chriſti milleſimum ſeptuageſimum-tertium geſſit, ſed ab Eugenio 2, qui ſedere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, vitámque clauſit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo.

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt.

XLI. Quod attinet ad provincias Bituricenſem & Narbonenſem, quæ, propter imminutam Metropolitæ Narbonenſis auctoritatem, ſimul in unam coaluerunt provinciam, Præceptum habetur in Nemauſenſis * Eccleſiæ Tabulario datum, ut Sammarthani [b] notant, *anno XI Glorioſiſſimi Domni Caroli.* Nemauſenſis Epiſcopus tunc erat Chriſtianus, qui poſt Witeringum ex Con-

* *de Niſmes.*

[b] In Ep. Nemauſ. 10.

Digitized by Google

cilio Narbonenſi notum ſedit. Atque ex illo Nemauſenſium Epiſcoporum ordine liquet annum Caroli undecimum non eſſe numerandum à die quo Carolus aut in partem Regni poſt obitum Pippini patris, aut in Septimaniam ubi Nemauſus, & in alias Carolomanni fratris ditiones poſt ejus mortem ſucceſſit, ſed à die quo vocatus eſt Imperator, quia Witeringus Chriſtiani deceſſor anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo, id eſt, anno poſt obitum Pippini viceſimo-tertio, poſt Carolomanni mortem viceſimo, Concilium Narbonenſe cum aliis Præſulibus celebravit. Annus autem undecimus Imperii Carolini cum anno Redemptoris octingenteſimo undecimo comparatur. Quo anno ſeu cœperit ſeu deſierit ſedere Chriſtianus, haud compertum habemus. In feſto Sancti Andreæ conſecratus fuit Epiſcopus; factus etiam Abbas Sancti Ægidii; Baſilicæ ſuæ legavit Eccleſias & decimarias Sancti Andreæ *de Coſtebalain* & Sanctæ Mariæ *de la Garne* juxta Nemauſum. Præſulatum anno Redemptoris octingenteſimo undecimo geſſit, proximus cenſetur ſucceſſor Witeringi, cujus mentionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum in Concilio Narbonenſi fecimus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

XLII. CAROLUS AUG. PACEM CUM DANIS FIRMATA,

Indicta inter Carolum *Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax, propter hyemis aſperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantùm jurata ſervatur, donec redeunte veris temperie, & viis apertis, quæ immanitate frigoris clauſæ fuerunt, congredientibus ex utraque parte utriuſque gentis, Francorum ſcilicet & Danorum,* XII *Primoribus ſuper fluvium Egidoram, datis viciſſim ſecundùm ritum ac morem ſuum ſacramentis, pax firmatur.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis, quocum ceteri conveniunt. E Francis adfuerunt duodecim Comites, inter quos eminebat *Walach filius Bernhardi*, Caroli videlicet Imperatoris frater patruelis, Bernhardus enim Pippini Regis frater fuit. E Danis adfuerunt Hemmingi Regis fratres duo, *Hancwinc & Angandeo*, cum decem Danicæ gentis Magnatibus.

XLIII. TRES DIRIGIT EXERCITUS,

Imperator cum Hemmingo pace firmatâ, & placito generali ſecundùm conſuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni totidem exercitus miſit; unum trans Albim in Hilinones, qui & ipſos vaſtavit, & caſtellum Hobbuochi ſuperiore anno à Wilſis deſtructum in ripa Albis fluminis reſtauravit; alterum in Pannonias, ad controverſias Hunorum & Sclavorum finiendas; tertium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus proſperè geſtis incolumes regreſſi ſunt. Ita ſcribit idem Annaliſta.

XLIV.

Quæ primo loco contra Hilinones expeditio ponitur, eundem Annaliſtam diſtinguit ab Eginhardo, qui vitam Caroli Magni conſcripſit. Omnium bellorum, quæ Carolus Magnus geſſit, tria poſtrema, Boemanicum, Hilinonicum, & Danicum, ſic memorat Eginhardus. *Boemanicum quoque & Hilinonicum, quæ poſteà*, id eſt, poſt Saxonicum penitus confectum, ſive poſt annum Redemptoris octingenteſimum quartum, *exorta ſunt, diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Karoli junioris celeri fine completum eſt. Ultimum quoque contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde majori claſſe littora Galliæ atque Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum eſt. Quorum Rex Godefridus adeò vanâ ſpe inflatus erat, ut totius ſibi Germaniæ promitteret poteſtatem. Friſiam quoque & Saxoniam haud aliter atque ſuas provincias æſtimabat. Jam Abodritos vicinos ſuos in ſuam redegerat ditionem, jam eos ſibi vectigales fecerat. Jactabat enim ſe brevi Aquaſgrani, ubi Regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus quamvis vaniſſimis omnino fides abnuebatur, quin potiùs putaretur tale aliquid inchoaturus, niſi feſtinatâ morte fuiſſet præventus. Nam à proprio ſatellite interfectus, & ſuæ vitæ & belli à ſe inchoati finem acceleravit.* Annaliſta Laureshamenſis ab Eginhardo non diſſidet in bello Boemanico, quod biennio geſtum teſtatur. Anno enim Redemptoris octingenteſimo quinto ſic habet. *Miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Karolo in terram Sclavorum, qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum, nomine Lechonem occidit, & inde re-*

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 25.

greſſus in Vogeſum ſylvam ad patrem venit. Et anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, ſic. *Miſſa eſt & manus de Bajoaria & Alemania atque Burgundia, ſicut anno ſuperiore, in terram Behemannorum, vaſtatâque terræ non minimâ portione, abſque ullo gravi incommodo regreſſa eſt.* In aliis autem bellis plurimum diſcrepat, Danicum enim & Hilinonicum ſimul exorta ſcribit, & Danicum priùs extinctum quàm Hilinonicum affirmat. Anno Redemptoris octingenteſimo octavo Godefridum Danorum Regem in Abotritos irrupiſſe, & Hilinones cum Smeldingis ac Wilſis ad ejuſdem Godefridi partes tranſiiſſe ſic aſſerit. *Imperator, quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abotritos cum exercitu trajeciſſe, Karolum filium ſuum ad Albim cum valida Francorum & Saxonum manu miſit, jubens ut veſano Regi reſiſterent, ſi Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille ſtativis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclavorum caſtellis, cum magno copiarum ſuarum detrimento reverſus eſt. Nam licèt Thraſiconem Ducem Abotritorum popularium fidei diffidentem loco populiſſet, Godalaibum alium Ducem dolo captum patibulo ſuſpendiſſet, Abotritorum duas partes vectigales ſibi feciſſet, optimos tamen militum ſuorum & manu promptiſſimos amiſit, & cum eis filium fratris ſui, nomine Reginholdum, qui in oppugnatione cujuſdam oppidi cum plurimis Danorum Primoribus interfectus eſt. Filius autem Imperatoris Karolus Albim ponte junxit, & exercitum cui præerat in Hilinones & Smeldingos, qui & ipſi ad Godefridum defecerant, celerrimè tranſpoſuit, populatiſque circumquaque eorum agris, tranſitóque iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam ſe recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclavi qui dicuntur Wilſi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abotritis habere ſolebant, ſponte ſe copiis ejus conjunxerunt, ipsóque domum revertente, cum præda quam in Abotritis capere potuerunt & ipſi domum regreſſi ſunt.* Anno Redemptoris octingenteſimo decimo claſſem Danorum in Friſiam appuliſſe, & Godefrido Regi necem in Dania illatam ſic refert. *Imperator congregatis copiis, celerrimè ad Alaram fluvium contendit, caſtriſque juxta confluentem ejus, quo Wiſiræ flumine conjungitur, poſitis, minarum Godefridi Regis præſtolatur eventum. Nam Rex ille vaniſſimâ ſpe victoriæ inflatus, acie ſe cum Imperatore confligere velle jactabat. Sed dum Imperator in memorato loco ſtativa haberet, diverſarum rerum nuncii ad eum perferuntur. Nam & claſſem, quæ Friſiam vaſtabat, domum regreſſam, & Godefridum Regem à quodam ſuo ſatellite interfectum nunciatur.* Pacem mox Francos inter ac Danos ſubſecutam teſtatur, rerum enim illo anno geſtarum narrationem ſic claudit. *Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris ejus in Regnum ſucceſſit, ac pacem cum Imperatore fecit.* Anno autem Redemptoris octingenteſimo undecimo, quo pax eadem firmata eſt, duraſſe bellum cum Hilinonibus oſtendit in textu quem examinamus. *Imperator*, inquit, *cum Himmingo pace firmatâ, & placito generali ſecundùm conſuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni totidem exercitus miſit; unum trans Albim in Hilinones, qui & ipſos vaſtavit.* Annales igitur præcitati, quos Laureshamenſes vocare conſuevimus, & vita Caroli Magni per Eginhardum ſcripta multùm differunt in textibus ſuprà deſcriptis, nec utriuſque operis unus haberi debet Auctor Eginhardus.

XLV. TRANS ALBIM ADVERSÙS LINONES.

Qui dicuntur *Hilinones* in vulgatis editionibus Annalium Laureshamenſium, *Linones* appellantur in Codice Georgii Cardinalis de Armaniaco, necnon in Annalibus Fuldenſibus, Bertinianis, ac Metenſibus, & apud Adonem, apud Monachum Ecoliſmenſem, atque apud incertum Auctorem in vita Caroli; *Lanai* quoque & *Linai* in Chronico Moiſſiacenſi, breviùs *Lini* libro quarto Poëtæ Saxonici. Reinerus Reineccius ad illum Vatem hanc habet notatiunculam. *Ado Linones, Albert. Stad. Liniones, Helmoldus Linoges, Adamus Brem. Lingones dixere.* Helmoldus in Chronico Sclavorum, capite ſecundo libri primi *Lingones*, & capite duodequadrageſimo *Linos* ac *Linoges* ſcribit, docétque quanam in parte Germaniæ conſederint. Enumeraturus

enim populos, *qui inter Albiam & Odoram degunt*, orditur à Wilzis, quos, in Tholenzos, Redarios, Kyzinos, & Circipanos diſtinguit, atque ad Occidentalem plagam cis Odoram ſive Oderam collocat. Deinde ſermonem ad Linguones, Warnavos, & Obotritos, ita convertit. *Ultra illos*, id eſt, ultra Wilzos Occaſum versùs, *ſunt Linguones & Warnavi. Hos ſequuntur Obotriti, civitas illorum Mikelinburgk.* De Wilzis actum ſuprà, quos cis & ultra Panim fluvium habitaſſe conſtat. Wilzis versùs Occidentem contermini Linones, Linonibus Warnavi. Nomen hi ſumpſerunt ab amne Warnavo, qui Roſtochienſem agrum præterfluit, atque in mare Balticum egeritur. Erant igitur Linones tranſalbiani populi, quos ab Ortu Wilzi claudebant, ab Occaſu Warnavi, mare Balticum à Septemtrione. Nec audiri debet Reinerus Reineccius in Germanicarum Gentium appellationibus, ubi Linos cis Albim ponit in tractu Luneburgenſi, quaſi *nomen eorum* conſervarint *Lune & Luneburgum.*

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Franci non tantùm vaſtarunt agros Linonum, ſed & Caſtellum, quod à Wilſis anno ſuperiore captum dirutúmque fuerat, ad Albis ripam reparārunt. Hujus Caſtelli nomen variis modis, ut jam notavimus, ab antiquis Auctoribus enuntiatur, Hohbuochi, Hohbuchi, Hochuoki, Huobbuochi, Hochboki, & Obnoki. Non deſunt, qui Caſtellum illud in eo ſitum loco contendant, ubi hodiernum Hamburgum, quod tum primùm & nomen & formam urbis acceperit. Lege Petrum Lambecium in Originibus Hamburgenſibus. Imperator, ut propagandæ Fidei ſtudioſiſſimus erat, novam hanc civitatem Eccleſiâ ſtatim decorandam curavit. Septimus tunc annus agebatur, ex quo bellum confecerat Saxonicum, & pleroſque Saxonum Tranſalbianorum per Gallias diſperſerat. Laxatâ jam poſt ſeptennium captivitate, liberum in patriam reditum eis permiſit, & curam erudiendarum gentium Tranſalbianarum, quam penes vicinos Epiſcopos Bremenſem ac Verdenſem eſſe quondam voluerat, uni commiſit Amalario Gallicano Epiſcopo, quem illa de cauſa trans Albim direxit. Audi Ludovicum Pium in Diplomate, quod ſuo loco integrum ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quartum recitabimus. *Genitor noſter Glorioſæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam Eccleſiaſticæ Religioni ſubdidit, jugúmque Chriſti adusque terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans docuit, ubi inter has utraſque gentes Danorum ſive Wandalorum ultimam Saxoniæ partem ſuam & diverſis periculis temporalibus videlicet & ſpiritualibus interjacentem perſpiciens, Pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde poſtquàm terram Nordalbingorum, laxatâ captivitate, quam ob multam perfidiam, in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam, per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ecberto Comiti reſtituere præceperat, non jam vicinis Epiſcopis locum illum committere voluit. Sed ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Epiſcopum, Amalarium nomine, direxit, qui primitivam Eccleſiam ibidem conſecraret. Sed & eidem Eccleſiæ ſacras Reliquias ac plura Eccleſiaſtica munera piâ largitate ſpecialiter deſtinare curavit.* Quis ille ſit Amalarius, in controverſia ponitur. Amalarium interpretamur Archiepiſcopum Trevirenſem ſuperiore jam laudatum anno, quo Pontificales Infulas ſuſcepit. In notis ad Præceptum Ludovici Pii proximè citatum, Bollandus [a] Amalarium alium ab Archiepiſcopo Trevirenſi ſic diſtinguit. *Alius ab Amalario Trevirenſi anno 813 à Carolo Magno Conſtantinopolim miſſo. Certè hic non veniſſet Aquiſgranenſibus, quidam ex remotis, ſed notus ex vicinis Galliæ partibus.* At in Ludovici textu, nec vox *quidam* ignotum ſignificat, nec Carolus Epiſcopum mittit in Saxoniam Tranſalbianam ex partibus Galliæ remotis ab Aquiſgrano, ſed ex partibus Galliæ remotis à Saxonia Tranſalbiana. *Terram Tranſalbianorum*, inquit Ludovicus, *non jam vicinis Epiſcopis committere voluit. Sed, ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Epiſcopum, Amala-*

XLVI.

[a] D. 3 Febr. in prolegom. ad vit. S. Anſcharii §. 16.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

rium nomine, direxit. A Saxonia Transalbiana procul removetur Augusta Trevirorum in Galliis ad Mosellam sita. Nihil igitur vetat, quominùs res gestas Amalarii Trevirensis Archiepiscopi per annos ita digeramus. Amalarius anno Redemptoris octingentesimo decimo fit Archiepiscopus; anno Redemptoris octingentesimo undecimo mittitur in Saxoniam Transalbianam; anno Redemptoris octingentesimo duodecimo redit in Gallias, & ad encyclicas Caroli literas de cæremoniis Baptismi respondet, scripto libello, quem Alcuino ante aliquot annos mortuo multi perperam attribuunt; anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio Constantinopolim dirigitur; anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto reversus ex Oriente vitam mox claudit.

XLVII. IN PANNONIAM,

Alter Francorum exercitus, quia lis de finibus inter Hunnos & Slavos agebatur, in Pannoniam missus est. Copiarum Ducibus nihil consultius visum, quàm ut Aquisgranum ad Imperatorem Oratores ab utraque gente mitterentur. Illa de Legatione agemus infrà.

XLVIII. IN BRITANNIAM.

Tertius Francorum exercitus Britones, qui tumultuabantur, in officio continuit. Istius regionis Scriptores multas subjiciunt fabulas ex commentitiis Tilpini Chronicis, à quibus abstinemus.

XLIX. OSCA OBSIDETUR.

Eodem tempore Heribertus Oscam jussu Ludovici Regis obsedit. Astronomus ab obsidio Tortosæ, de quo nos anno superiore, sic transit ad obsidionem Oscæ. *Post anni instantis excursum*, Rex *exercitum ordinavit, & Oscam cum Misso patris Heriberto mittere statuit. Quò pervenientes qui missi fuerant, civitatem obsederunt, obvios quosque aut vivos comprehenderunt, aut in fugam coactos compulerunt. Sed dum circa urbem sedentes, ignaviori se quàm decuit studio resolvunt, imprudentes ac leves aliqui juvenum propiùs muros accedentes, verbis quidem eos, qui propugnaculis præsidebant, primùm lacessere, deinde missilibus incessere tentant. Oppidani porrò contemnentes præsentium paucitatem, absentium metientes feram occursionem, apertis portis prosiliunt. Pugnatum hinc inde est; cæsi sunt ab utraque parte, & tandem illi sese in civitatem receperunt, isti autem ad castra mansuri redierunt. Protractâ igitur obsidione, peractâ vastatione, & quacumque visa sunt contra inimicos agenda pro iræ satisfactione, ad Regem sunt reversi, qui eo tempore in sylvis venationum occupabatur studiis. Erat enim tempus autumni perextremum. Receptis ergo suis ab expeditione præmissa redeuntibus, Rex hyemem sequentem, in suis consistens, pacificè exegit.* Ad oram hujus textûs in vulgatis editionibus perperam notatur annus 809.

L. CAROLUS AUG. IT BONONIAM AD VIDENDAM CLASSEM.

Hactenus ea commemoravimus, quæ Carolus Imperator hoc anno per filios suos Ducésque gessit, quid autem ipse peregerit, ex veteribus Annalistis accipe. Codex Loiselianus ad hunc annùm sic habet. *Ipse interea* * *propter classem, quam anno superiore fieri imperavit, videndam, ad Bononiam civitatem maritimam, ubi eadem naves congregatæ erant, accessit. Earúmque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restauravit, & in summitate ejus nocturnum ignem accendit. Inde ad Schaldim fluvium veniens, in loco, qui Gand vocatur, naves ad eandem classem ædificatas aspexit. Et circa medium Novembrium Aquas venit.* Annalistæ Loiseliano consentaneus est Laureshamensis ad eundem annum, sic. *Ipse autem propter classem, quam anno superiore fieri imperaverat, videndam, ad Bononiam Gallicam; civitatem maritimam, ubi eadem naves congregatæ erant, accessit; turrimque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restauravit, & in summitate ejus nocturnum ignem accendit. Inde ad Schaldim fluvium veniens, in loco, qui Ganda vocatur, naves ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa medium Novembrem Aquas venit.* Eadem ad hunc annum scribunt, Ado, Regino, Monachus Ecolismensis, Annalista Bertinianus, & incertus Auctor in vita Caroli, nec vocari potest in dubium, quin idem Carolus hoc anno Bononiam se contulerit.

* corruptè in *ista.*

LI. TRIA EDIT CAPITULARIA.

Jacobus Sirmondus in elencho publicorum Conventuum, quos Carolus jam Imperator celebravit, ad annos Imperii Carolini undecimum ac duodecimum,

decimum, id eſt, ad hunc annum poſterúmque, ſic ſcribit. *Anno* XI *ſine loco, Capitularia duo Interrogationis. Item Capitula* VIII *cur exercitus deſerantur. Anno* XII, *Bononiæ in littore maris, Capitula* XI. *Quicumque liber &c. Capitula* XIII *pro juſtitiis faciendis.* Hæc omnia nobis ex Metenſi Codice communicavit Stephanus Baluzius. Ut autem Capitula, quæ ſpectant ad exercituum deſertionem, citiùs edita cenſemus, ſic & ea, quæ publicata ſunt Bononiæ, non anno Imperii Carolini duodecimo ſed undecimo quo Carolus Bononiam venit, aſſerimus promulgata. Cur de Capitulis ad exercituum deſertionem pertinentibus ita ſentiamus, explicuimus ante triennium. Capitulare verò Bononienſe uno prævertendum exiſtimamus anno, quia Carolus toto duodecimo Imperii ſui anno à Bononia marique procul abfuit. Hujus Capitularis, ex Codicibus Vaticano & Metenſi, talis profertur titulus. *Capitula, quæ Dominus Imperator conſtituit Bononiæ, quæ eſt in littore maris, anno Regni ſui* XLIV, *menſe Octobrio, Indictione ſextâ.* Sed hi Characteres ſimul convenire non poſſunt. Carolus hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo undecimo, menſe Octobri Bononiam pervenit. Utrumque ex antiquis conſtat Annaliſtis ſuprà citatis. Annus diſtinctiſſimè notatur. Menſis colligitur apertiſſimè, quia Carolus Bononiâ *veniens ad Schaldim fluvium, in loco qui Ganda vocatur, naves ad eandem claſſem ædificatas aſpexit, & circa medium Novembrem Aquas venit*, hoc utique anno, quo ſub finem menſis Septembris annum Regni ſui quadrageſimum-quartum numerare cœpit. At huic eidem anno, qui partim Indictioni quartæ, partim Indictioni quintæ illigatur, manifeſtiſſimè repugnat quæ præcitato Capitularis titulo ſexta ponitur Indictio, eâque deletâ quintam reſtituas neceſſe eſt. Ex his autem obſervationibus atque emendationibus liquet tria duntaxat ad hunc annum pertinere Capitularia, duo videlicet Interrogationis, & tertium, quod à loco ubi editum eſt, Bononienſe nuncupatur. De ſingulis per ordinem agemus.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Capitulare primum inſcribitur *Capitulare Interrogationis de iis, quæ Karolus Magnus pro communi omnium utilitate interroganda conſtituit.* Diſtribuitur in duodecim Capitula, quibus hæc Præfatio præponitur. *In primis ſeparare volumus Epiſcopos, Abbates, & Comites noſtros, & ſingulariter illos alloqui.* Sequuntur Interrogationes. I. *Quæ cauſæ efficiunt, ut unus alteri adjutorium præſtare nolit, ſive in marcha, ſive in exercitu, ubi aliquid utilitatis defenſione patriæ facere debet.* II. *Unde ille frequentiſſimæ cauſationes, in quibus unus alteri quærit quicquid parem ſuum viderit poſſidentem.* III. *De eo quod quilibet alterius hominem ad ſe fugientem ſuſcipit.* IV. *Interrogandi ſunt in quibus rebus vel locis Eccleſiaſtici laicis aut laici Eccleſiaſticis miniſterium ſuum impediunt. In hoc loco diſcutiendum eſt atque interveniendum in quantùm ſe Epiſcopus aut Abbas rebus ſecularibus debeat inſerere, vel in quantùm Comes vel alter laicus in Eccleſiaſtica negotia. Hîc interrogandum eſt acutiſſimè quid ſit quod Apoſtolus ait,* [*nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus,*] *vel ad quos ſermo iſte pertineat.* V. *Quid ſit quod unuſquiſque Chriſtianus in Baptiſmo promittat, vel quibus abrenuntiet.* VI. *Quæ ſectando vel negligendo ipſam ſuam renuntiationem vel abrenuntiationem irritam faciat.* VII. *Quòd ille benè in Deum non credit qui præcepta ejus impunè ſe contemnere putat, vel qui ea quaſi non ventura deſpicit quæ ille comminatus eſt.* VIII. *Quòd in nobis diſpiciendum eſt utrùm verè Chriſtiani ſumus. Quod in conſideratione vitæ vel morum noſtrorum facillimè cognoſci poteſt, ſi diligenter converſationem coràm diſcutere volnerimus.* IX. *De vita & moribus Paſtorum noſtrorum, id eſt, Epiſcoporum, qui populo Dei non ſolùm docendo ſed etiam vivendo exemplum bonum dare debent. Ipſis namque Apoſtolum dixiſſe credimus ubi dicit.* [*Imitatores mei eſtote, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*] X. *De vita eorum, qui dicuntur Canonici, qualis eſſe debeat.* XI. *De converſatione Monachorum, & utrùm aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos, qui Regulam Sancti Benedicti obſervant.*

LII.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

Inquirendum etiam, ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquàm traditio Regulæ Sancti Benedicti in has Parrochias peruenisſet. XII. *Iſta conſeruetis ſicut vobis decet & in vobis confido, Piiſſimi Pontifices, & in quantùm inueſtigare poſſum, vobis mittere ſeu ſcribere non dubito. Benè valete in Domino.*

Alterum hujus anni Capitulare tredecim conſtat Capitulis, inſcribiturque *brevis Capitulorum, quibus fideles noſtros Epiſcopos & Abbates alloqui volumus, & commonere de communi omnium noſtrum utilitate.* Quibus in rebus cum priore Capitulari conveniat, ad ipſa Capitula breviter notabimus.

LIII. LIV. Primum Capitulum. *Primò commemorandum eſt, quòd anno præterito tria triduana jejunia fecimus, Deum orando ut ille nobis dignaretur oſtendere in quibus converſatio noſtra coram illo emendari debuiſſet, quod nunc facere deſideramus.* Anno ſuperiore Carolus publicis calamitatibus domeſticiſque funeribus plurimùm indoluit, placandique Dei ſpem omnem in exercitiis pœnitentiæ collocavit.

LV. Secundum Capitulum. *Quærendum eſt in primis ab Eccleſiaſticis, id eſt, Epiſcopis & Abbatibus, ut illi nobis patefaciant de converſatione ſua qualiter vivere debeant, ut cognoſcere valeamus cui de illis aut bonum aut aliud aliquid refranati credere debeamus, & ut ſcire poſſimus in quantùm cuilibet Eccleſiaſtico, id eſt, Epiſcopo, vel Abbati, ſeu Monacho, ſecularibus negotiis ſe ingerere, aut quod propriè pertineat ad illos, qui dicuntur & eſſe debent Paſtores Eccleſiæ Patréſque Monaſteriorum, ut aliud ab eis non quæramus, quàm quod ipſis facere licet, & ut quiſlibet ex eis à nobis ea non quærat, in quibus eis conſentire non debemus.* Huic Capitulo in multis ſimile eſt quod in priore Capitulari quartum numeratur.

LVI. Tertium Capitulum. *Interrogare volumus ipſos Eccleſiaſticos, ut qui Scripturas Sanctas non ſolùm ipſi diſcere ſed etiam alios docere debent, qui ſint illi quibus Apoſtolus loquitur, [imitatores mei eſtote,] vel quis ille de quo idem dicit, [nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus,] aut qualiter Apoſtolus ſit imitandus, vel quomodo Deo militet.* Lege in ſuperiore Capitulari Capitula quartum & nonum.

LVII. Quartum Capitulum. *Iterum inquirendum ab eis, ut nobis veraciter patefaciant quid ſit quod apud eos dicitur ſeculum relinquere, vel in quibus internoſci poſſint hi qui ſeculum relinquunt ab his qui adhuc ſeculum ſectantur; utrùm in eo ſolo quòd arma non portant, nec publicè conjugati ſunt.*

LVIII. Quintum Capitulum. *Inquirendum etiam, ſi ille ſeculum dimiſſum habeat, qui quotidie poſſeßiones ſuas augere quolibet modo qualibet arte non ceſſat, ſuadendo de caleſtis Regni beatitudine, comminando de aterno ſupplicio inferni, & ſub nomine Dei aut cujuſlibet Sancti tam divitem quàm pauperem, qui ſimplicioris naturæ ſunt & minùs docti atque cauti inveniuntur, ſi rebus ſuis exſpoliant, & legitimos hæredes eorum exhæredant, ac per hoc pleroſque ad flagitia & ſcelera propter inopiam, ad quam per hoc fuerint devoluti, perpetranda compellunt, ut quaſi neceſſariò furta & latrocinia exerceat, cui paternarum rerum hæreditas, ne ad eum perveniret, ab alio prærepta eſt.*

LIX. Sextum Capitulum. *Iterum inquirendum quomodo ſeculum reliquiſſet qui cupiditate ductus propter adipiſcendas res quas alium vidit poſſidentem, homines ad perjuria & falſa teſtimonia pretio conducit, & Advocatum ſive Præpoſitum non juſtum ac Deum timentem, ſed crudelem ac cupidum ac perjuria parvipendentem inquirit, & ad inquiſitionem rerum non qualiter, ſed quanta adquirat.*

LX. Septimum Capitulum. *Quid de his dicendum, qui quaſi ad amorem Dei, & Sanctorum, ſive Martyrum, ſive Confeſſorum, oſſa & reliquias ſanctorum corporum de loco ad locum transferunt, ibique novas Baſilicas conſtruunt, & quoſcunque potuerint, ut res ſuas illuc tradant, inſtantiſſimè adhortantur. Ille ſiquidem vult ut videatur quaſi benè facere, séque propter hoc factum benè meritum apud Deum fieri, quibus poteſt perſuadere Epiſcopis. Palàm ſit hoc ideo factum ut ad aliam perveniat poteſtatem.*

Octavum Capitulum. *Miramur unde accidiſſet, ut is, qui ſe confitetur ſeculum reliquiſſe, neque omnino vult conſentire, ut ipſe à quolibet ſecularis vocetur, armatus homo cùm ſit, & propria velit retinere, & ad eos, qui nondum in totum ſeculum renuntiaverunt, hoc pertineat, ad Eccleſiaſticos verò quomodo juſtè pertineat, penitus ignoramus, niſi illi nobis inſinuaverint qui hæc quaſi licita uſurpare non dubitant.* AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31.

Nonum Capitulum. *Quid unuſquiſque Chriſto in Baptiſmo promittat, vel quibus cauſis abrenuntiet, ut quamvis unicuique Chriſtiano conſiderandum ſit, ſpecialiter tamen ab Eccleſiaſticis inquirendum, qui laicis ipſius promiſſionis & abrenuntiationis in ſua vita exemplum præbere debent. Hic diligentiſſimè conſiderandum eſt, & acutiſſimè diſtinguendum, quæ ſectando, vel qua negligendo, unuſquiſque noſtrum ipſam ſuam promiſſionem & abrenuntiationem vel conſervet vel irritam faciat. Et quis ſit ille Satanas, ſive adverſarius, cujus opera vel pompas in Baptiſmo renuntiavimus. Hic autem conſpiciendum eſt, ne perverſa unuſquiſque faciendo, illum quiſlibet noſtrum ſequatur, cui jamdudum in Baptiſmo renuntiavimus.* In ſuperiore Capitulari lege Capitula quintum & ſextum, quæ breviora quidem ſunt, at in eadem verſantur materia. CAROLI R. 23. LXI. LXII.

Decimum Capitulum. *In quo Canonum vel in cujus Sancti Patris Regula conſtitutum ſit, ut invitus quiſlibet aut Clericus aut Monachus fiat, aut ubi Chriſtus præcepiſſet aut quis Apoſtolus prædicaſſet, ut de nolentibus & invitis & vilibus perſonis Congregatio fieret in Eccleſia vel Canonicorum vel Monachorum.* LXIII.

Undecimum Capitulum. *Quam utilitatem conferat Eccleſiæ Chriſti, quòd is qui Paſtor vel Magiſter nec cujuſcunque venerabilis loci eſſe debet, magis ſtudet in ſua converſatione habere multos quàm bonos, & non tam * probis quàm multitudine hominum delectatur, plùs ſtudet ut ſuus Clericus vel Monachus benè cantet & legat, quàm juſtè & beatè vivat. Quamquam non ſolùm minimè in Eccleſia contemnenda ſit cantandi vel legendi diſciplina, ſed etiam omnimodis exercenda. Sed, ſi utrumque cuilibet venerabili loco accedere non poteſt, tolerabiliùs tamen nobis videtur ferendum imperfectione cantandi quàm vivendi. Et quamvis bonum ſit, ut Eccleſiæ pulchra ſint ædificia, præferendus tamen eſt ædificiis bonorum morum ornatus & culmen, quia, in quantùm nobis videtur, ſtructio Baſilicarum veteris legis quandam trahit conſuetudinem, morum autem emendatio propriè ad novum Teſtamentum & Chriſtianam pertinet diſciplinam. Quòd ſi Chriſtus & Apoſtoli, & qui Apoſtolos rectè ſecuti ſunt, in Eccleſiaſtica diſciplina ſunt ſequendi, aliter nobis in multis rebus faciendum eſt, quàm uſque modò feciſſemus, multa de uſu & conſuetudine noſtra auferenda, & non minus multa, quæ hactenus non fecimus, facienda.* LXIV. * tamèn

Duodecimum Capitulum. *Quâ Regulâ Monachi vixiſſent in Gallia, priuſquàm Regula Sancti Benedicti in ea tradita fuiſſet, cùm legamus Sanctum Martinum & Monachum fuiſſe & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multò ante Sanctum Benedictum fuit.* Cum hoc Capitulo confer undecimum prioris Capitularis. Tomo primo de multis egimus Regulis, quæ priùs in Galliis obſervari cœperunt, quàm Beatus Maurus illuc Benedictinam ex Italia deferret. Nec dubium, quin antiquis illis temporibus plerique Galliarum Epiſcopi modum vivendi Monachis intra ſuas Diœceſes commorantibus præſcripſerint. Qua de re fuſiùs diſſeremus aliâ occaſione ſub Ludovico Pio Auguſto. LXV.

Decimum-tertium Capitulum. *De Sanctimonialium & ancillarum Dei converſatione.* LXVI.

Capitulare Bononienſe complectitur undecim Capitula, quæ Carolus Imperator, cùm Bononiæ eſſet, conſtituit hoc anno, menſe Octobri, anno Regni ſui quadrageſimo-quarto jam inchoato, currente tunc Indictione quinta. Totum inſertum eſt libro tertio Capitularium & Appendici ſecundæ. LXVII.

Primum Capitulum eſt de libero homine in hoſtem bannito. *Quicumque liber homo in hoſtem bannitus fuerit, & venire contempſerit, plenum heribannum, id eſt, ſolidos* LX *perſolvat. Aut ſi non habuerit unde illam ſummam perſolvat,* LXVIII.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

ſemetipſum pro wadio in ſervitium Principis tradat, donec per tempora ipſe bannus ab eo fiat perſolutus. Et tunc iterum ad ſtatum libertatis ſuæ revertatur. Et, ſi ille homo, qui ſe propter heribannum in ſervitium tradidit, in illo ſervitio defunctus fuerit, hæredes ejus hæreditatem, quæ ad eos pertinet, non perdant, nec libertatem, nec de ipſo heribanno obnoxii fiant. Hoc Capitulum, ſeptémque proximè ſequentia eodem ordine reperiuntur in libro tertio Capitularium à Capitulo ſexageſimo-ſeptimo ad ſeptuageſimum-quartum.

LXIX. Secundum Capitulum eſt de heribanno exactando. *Ut non pro aliqua occaſione, nec pro wactа, nec de ſcara, nec de warda, nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannum Comes exactare præſumat, niſi Miſſus noſter priùs heribannum ad partem noſtram recipiat, & ei ſuam tertiam exinde per juſſionem noſtram donet. Ipſe verò heribannus non exactetur neque in terris neque in mancipiis ſed in auro & argento, palliis atque armis, & animalibus atque pecudibus, ſive talibus ſpeciebus, quæ ad utilitatem pertinent.* In hoc Capitulo wactam Spelmannus [a] vigilias ſive excubias interpretatur, & in aſſertionis ſuæ probationem hoc Præcepti à Ludovico Pio dati fragmentum allegat ex Archivis Eccleſiæ Narbonenſis. *In Marcha noſtra juxta rationabilem ejuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem exploratores & excubias, quas uſitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant.* Idem Auctor wactam à Germanico vocabulo *wacht* deducit, & in Capitulo proximè deſcripto, cujus textum citat, non wardam ſed wardeam legit; inferiùs tamen, cùm agit de voce *warda*, promiſcuè wardam & wardeam uſurpat pro præſidio, quod caſtellis & urbibus imponitur. *Scara* pars eſt exercitûs, ut alibi notavimus. *Heribergare* propriè eſt caſtra metari, & exercitum loco tuto ſeu munito ſuſcipere, Saxonibus enim *here* eſt exercitus, & *hergian* eſt munire ac defendere.

[a] In voc. *wacta.*

LXX. Tertium Capitulum eſt de his, qui Regales habent honores, & in hoſtem banniti ad condictum Placitum non venerunt. *Quicunque homo noſtros habens honores in hoſtem bannitus fuerit, & ad condictum Placitum non venerit, quot diebus poſt Placitum condictum veniſſe comprobatus fuerit, tot diebus abſtineat à carne & vino.*

LXXI. Quartum Capitulum eſt de his, qui ſine licentia de hoſte revertuntur. *Quicunque abſque licentia vel permiſſione Principis de hoſte reverſus fuerit, quod factum Franci Heriſliz dicunt, volumus ut antiqua conſtitutio, id eſt, capitalis ſententia, erga illum puniendum cuſtodiatur.*

LXXII. Quintum Capitulum eſt de his, qui beneficia Principum habent. *Quicunque ex his, qui beneficium Principis habent, parem ſuum contra hoſtes communes in exercitum pergentem dimiſerit, & cum eo ire aut ſtare noluerit, honorem ſuum & beneficium perdat.*

LXXIII. Sextum Capitulum eſt de non cogendo bibere in exercitu. *Ut in hoſte nemo parem ſuum vel quemlibet alterum hominem bibere roget. Et quicunque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo ſolâ aquâ utatur, quouſque ſe malè feciſſe cognoſcat.*

LXXIV. Septimum Capitulum eſt de Vaſſis, qui adhuc in Palatio ſerviunt, & tamen habent beneficia. *De Vaſſis Dominicis, qui adhuc intra caſam ſerviunt, & tamen beneficia habere noſcuntur, ſtatutum eſt, ut quicunque ex eis cum Domno Imperatore domi remanſerint, Vaſſallos ſuos caſatos ſecum non retineant, ſed cum Comite, cujus pagenſes ſunt, ire permittant.*

LXXV. Octavum Capitulum eſt de præparatione ad exercitum ſecundùm antiquam conſuetudinem. *Conſtitutum eſt, ut ſecundùm antiquam conſuetudinem præparatio ad hoſtem facienda indicaretur & obſervaretur, id eſt, victualia de marcha ad tres menſes, & arma atque veſtimenta ad dimidium annum. Quod tamen ita obſervari placuit, ut his qui de Rheno ad Ligerim pergunt, de Ligere inantea ad tres menſes computetur; & qui de Ligere ad Rhenum pergunt, inantea ad tres menſes victualia habere debeant. Qui autem trans Rhenum ſunt & ad Saxoniam*

pergunt, ad Albiam marcham esse sciant; & qui trans Ligerim manent, atque in Hispaniam proficisci debent, montes Pyrenæos marcham sibi esse cognoscant. AN. CH. 811.

Nonum Capitulum est de his, qui absque licentia Imperatoris domi remanent, & in exercitum non pergunt. *Quicunque liber homo inventus fuerit anno præsente cum Seniore suo in hoste non fuisse, plenum heribannum persolvere cogatur. Et, si Senior vel Comes eum domi dimisit, ipse pro eo eundem heribannum persolvat; & tot heribanni ab eo exigantur, quot homines domi dimisit. Et quia nos anno præsente unicuique Seniori duos homines domi dimittere concessimus, illos volumus ut Missis nostris ostendant, quia his tantummodo heribannum concessimus.* Hoc Capitulum est tricesimum-quintum in Appendice secunda. CAROLI IMP. II. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23. LXXVI.

Decimum Capitulum statuit, ut non nisi permissione Regali brunia vel gladius homini extraneo à quolibet detur aut vendatur. *Constitutum est, ut neque Episcopus, neque Abbas, aut Abbatissa, vel quilibet Rector Ecclesiæ, bruniam vel gladium sine nostro permissu cuilibet homini extraneo aut dare aut vendere præsumat, nisi tantùm Vasallis suis. Et, si evenerit, ut in qualibet Ecclesia vel sancto loco plures bruniæ habeant, quàm ad homines Rectoris ejusdem Ecclesiæ sufficiant, tunc Principem idem Rector Ecclesiæ interroget quid de his fieri præcipiat.* Hoc Capitulum in tertio Capitularium libro septuagesimum-quintum numeratur. LXXVII.

Undecimum Capitulum est de navigio mittendo. *Ut quandocunque navigium mittere volumus, ipsi Seniores in ipsis navibus pergant, & ad hoc sint præparati.* Hoc Capitulum est tricesimum-sextum Appendicis secundæ. LXXVIII.

Imperator Bononiâ, ubi Capitulare suprà descriptum mense publicavit Octobri, Gandam profectus est, atque inde Aquisgranum, quò pervenit *circa medium Novembrem* ut dictum suprà. *Obviarunt ei venienti Legati Hemmingi* Danorum *Regis Auvin & Hebbi munera & verba pacifica deferentes. Fuere etiam Aquis adventum ejus expectantes, qui de Pannonia venere, Canirauci Princeps Avarum, & Thudun, & alii Primores ac Duces Sclavorum circa Danubium habitantium, qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerunt, ad præsentiam Principis venire jussi erant. Interea Karolus filius Imperatoris, qui major natu erat, II Non. Decembris diem obiit, & Imperator Aquis hyemavit.* Ita scribit Annalista Laureshamensis in Codice Cardinalis Armaniaci. LXXIX. AUDIT LEGATOS DANORUM. ET SCLAVORUM. CAROLUS R. OBIT.

Vixit Carolus annos triginta-quinque. Rex dictus est per annos tres ac viginti. Feliciter adversùs Saxones, Sclavos, Sorabos, Bohemos, ac Danos dimicavit; bella Boemanicum & Hilinonicum celerrimè confecit; maximum sui desiderium patri reliquit; an uxorem duxerit, habetur incompertum; prolem non habuit, quod enim veteres Viromanduorum Comites ex eo quidam dicunt oriundos, id inter commentitia rejiciendum videtur. Hungariæ seu Pannoniæ regendæ præpositus fuit. *Nullus deinde, quoad Carolus* Magnus *imperavit, ex Regio sanguine Hungariæ præfuit, sed per Legatos ex Optimatum sententia administrata est, Religione Christianâ, quantum licuit, tutâ, & Sacerdotum diligentiâ tametsi nondum fundatis Ecclesiarum Cathedris conservatâ.* Hæc ad hunc annum Melchior Inchofer. LXXX. PANNONIÆ STATUS.

Carolus Junior, cujus mortem hîc deflemus, matre natus est Hildegarde, Thegano dictâ Hiltegardâ. Tres illi Reginæ filios hic Auctor [a] attribuit, *quorum unus vocabatur nomine patris sui Karolus, alter verò Pippinus qui erat Rex super Italiam, tertius verò vocabatur Ludewicus qui erat Rex super Aquitaniam.* Deinde Pippini & Caroli fratrum necnon Hiltegardæ matris obitum sic commemoravit [b]. *Anno Regni ejus*, nempe Caroli Senioris, *quadragesimo-secundo* sive anno Redemptoris octingentesimo decimo, *obiit Pippinus filius ejus, anno ætatis suæ* XXXIII. ut anno superiore dictum est. *Sequenti verò anno*, id est, hoc anno, *Karolus primogenitus ejus & Regina supradicta Hiltegarda obiit.* In Pippino & Carolo non est error. Est autem in Regina, constat enim Hiltegardam sive Hildegardem ante annos duodetriginta sublatam ex hac vita fuisse. Corrigendus Thegani textus, & Hiltegardæ loco LXXXI.

[a] Cap. 2.

[b] Cap. 5. ADELLUIDA AUG MORITUR RELICTO IN CUNIS THEODORICO FIL.

AN. CH. 811. reponenda eſt Adelluida, poſtrema Caroli Auguſti uxor, quæ vitam hoc anno cum morte commutavit relicto in cunis filio Theodorico. Ab eo tempore Carolus Imperator reliquam vitam tranſegit abſque conjuge.

LXXXII. LEGATI MITTUNTUR CONSTANTINOPOLIM AD FIRMANDAM PACEM.

Qui venerat ad pacem cum Græcorum Imperatore firmandam, *abſoluto atque dimiſſo* ſub hujus anni principium *Arſatio Spathario, hoc erat nomen Legato Nicephori Imperatoris, ejuſdem pacis confirmandæ gratiâ Legati Conſtantinopolim ad Imperatorem mittuntur, Hatto Epiſcopus Baſileenſis, & Hugo Comes Turonicus, & Aio Langobardus de Foro-Julii, & cum eis Leo quidam Spatharius natione Siculus, & Wilharius Dux Venetorum. Quorum alter ante annos decem Romam ad Imperatorem* Carolum, *cùm ibi eſſet, de Sicilia profugit; alter propter perfidiam honore ſpoliatus, Conſtantinopolim ad Dominum ſuum duci jubetur.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Pervenerunt Oratores Conſtantinopolim Michaele Curopalate jam imperante. Græcia enim hoc anno plures habuit Imperatores, quos pro re noſtra perſtringemus ex Theophane, qui tunc erat Conſtantinopoli, cunctáque præ oculis intuebatur. Nicephorus Imperator in pugna contra Bulgaros occiſus eſt *die viceſimâ-quinta menſis Julii, Indictione quartâ*, τῇ εἰκοστῇ πέμπτῃ τοῦ Ἰουλίου μηνὸς ἰνδικτιῶνι τετάρτῃ. Stauracius Nicephori filius, ipſiúſque in Imperio Collega, multis in prælio vulneribus affectus, ægréque Conſtantinopolim relatus, cùm & ipſe novas in ea civitate cædes moliretur, Imperiúmque Theophaniæ conjugi firmare vellet, ſpe prorſus excidit. Michael Curopalates Nicephori gener *hoc eodem anno* qui præditus fuit literâ Dominicali E, *die ſecundâ menſis Octobris, Indictione quintâ* jam inchoatâ, *feriâ hebdomadis quintâ, horâ primâ, ſalutatur Imperator à Senatu & militaribus Ordinibus in Hippodromo.* Τούτῳ τῷ ἔτει, μηνὶ Ὀκτωβρίῳ β'. ἰνδικτιῶνι ε'. ἡμέρᾳ ε'. ὥρᾳ α'. Μιχαὴλ ὁ ἀοσβέστατος Κουρπαλάτης ἀνηγορεύθη βασιλεὺς Ῥωμαίων ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ὑπὸ πάσης τῆς συγκλήτου, καὶ τῶν ταγμάτων. Sub initium ſui Principatûs Oratores Caroli Imperatoris ad Nicephorum miſſos lubenter audivit, atque eis in Franciam redeuntibus ſuos addidit, *qui de pace atque matrimonio cum Theophylacto ejus filio tractarent.* Ἀπέστειλεν δὲ καὶ πρὸς τὸν Καίσαρα βασιλέα τῶν Φράγγων καὶ εἰρήνης ἕνεκα συναλλαγῆς εἰς Θεοφύλακτον τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Qua de Legatione fuſiùs ad annum ſequentem.

AUDIUNTUR A MICHAELE IMP.

LXXXIII. FOLBERTUS MUNIFICUS ERGA MON. SITIVENSE.

Folbertus hoc anno, qui Caroli Regis quadrageſimus-tertius, Imperatoris undecimus numeratur, Aprili menſe, munificum erga Sitivenſe Monaſterium ſe præbet amiſsâ matre Ebertanâ. Sancto Bertino complura dat *bunaria* ſive arabilis terræ jugera, cum prato *Bratungala* dicto, & quicquid ab eo pendet *in Campania* Taruannenſis territorii. Tabulæ Donationis ita clauduntur. *Actum in Bagingatun in menſe Aprilio, anno* XLIII, *regnante Karolo Glorioſo Rege, & anno* XI *Imperii ejus. Signum Folberti, qui hanc Donationem fieri rogavit. Ego Gunthertus ſcripſi & ſubſcripſi.* Porrò Bagingatum, modò Bainctum, vicus eſt in Bononeſo ad radicem ardui montis, è quo Bononiam deſcenditur, ut teſtatur Malbrancus [a], qui tres Campanias in Morinis diſtinguit; unam, Hedinum inter & Monſtrolium; alteram, Ariam inter & Audomaropolim; tertiam, ſupra Renticam viâ quâ Taruannam itur ab Septemvio, & hac de poſtrema Campania Donationem Folberti cenſet intelligendam propter Bagingati ſeu Baincti viciniam.

[a] Lib. 5. c. 42.

TRIPLEX CAMPANIA IN MORINIS.

LXXXIV. ABBATES FABARIENSES.

Hoc anno, Nonis Maii migravit ex hac vita Wernherus Fabarienſis Abbas inſignis, cui ſucceſſit Guerdo. Meminit utriuſque Bucelinus in Chronologia Rhætiæ.

LXXXV. HARDUINUS PRESBYTER FONTANELL. OBIT.

[b] Ad an. 790. n. 84.

[c] Cap. 15.

Pervenit ad hunc annum Harduinus Fontanellenſis Preſbyter, cujus peregrinationem ad limina Apoſtolorum ante annos unum ac viginti retulimus [b]. Illius obitum Fontanellenſis Chronographus his conſignavit [c] Characteribus. *Depoſitus eſt ſenex & plenus dierum ſub anno Imperii Magni Imperatoris Caroli undecimo, Regni autem ejus, quod per quadraginta ſeptem annos tenuit, quadrageſimo-quarto, qui erat Dominicæ Incarnationis octingenteſimus*

undecimus; Indictione quartâ, tenente regiminis locum in Fontinella Cœnobio anno quinto Traſaro Abbate. Cum anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo undecimo conveniunt quarta Indictio & undecimus annus Imperii Carolini. Convenit & annus Regni Carolini quadrageſimus-quartus, ſi annus Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimus duodeſeptuageſimus quo Carolus regnare cœpit, annus Regni numeratur primus, & à proximis Kalendis Januariis ut annus Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimus undeſeptuageſimus ſic & annus Carolini Regni ſecundus inchoatur. Hoc enim computo eædem Kalendæ Januarii, quæ annum Dominicæ Incarnationis octingenteſimum undecimum aperiunt, aperiunt & annum Carolini Regni quadrageſimum-quartum. Similiter & menſis Januarius, quo Carolus ex hac vita ſublatus eſt, pertinet cùm ad annum Dominicæ Incarnationis octingenteſimum decimum-quartum, tum ad annum Carolini Regni ſeptimum ſupra quadrageſimum.

AN. CH. 811. CAROLI IMP. 11. LUDOV. R. 31. CAROLI R. 23.

AN CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

ANNUS

CHRISTI		812.		
CAROLI	IMP.	12.		
	REG.	44.	41.	39.
LUDOVICI REG.		32.	7.	
INDICTIO		5.		

I. IN Aſtenſium Epiſcoporum [a] Catalogo Ferdinandus Ughellus ſub Eilulpho Epiſcopo Dettoardum laudat Preſbyterum, qui multa bona Baſilicæ Sanctæ Mariæ & Sancti Secundi largitus eſt *anno ſexto Ludovici Pii, menſe Martio, Ind. 5.* Annum hunc interpretatur Incarnationis Dominicæ 812. *Hic enim*, inquit, *annus ſextus erat ab eo quo Carolus pater Regna inter filios partitus fuerat, Notariique dinumerare cœperant annos Imperii Ludovici, quamquam Hiſtorici ab anno 814, quo Carolus ipſe vitâ functus, Ludovici Imperii annos enumerare incipiant.*

[a] Tom. 4. Ital. Sacr. DETTOARDUS PRESBYTER ASTENSIS MUNIFICUS ERGA ECCLES. S. MARIÆ ET S. SECUNDI.

II. Hactenus in annis Ludovici connotandis uſi ſumus duobus tantùm Characteribus; unum ſumpſimus ab anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, quo Rex Aquitaniæ primùm à Carolo patre conſtitutus eſt; alterum ab anno reparatæ ſalutis octingenteſimo ſexto, quo ſpatioſius Regnum adeptus eſt Monarchiâ Francorum in tres partes ab eodem Carolo tum divisâ. Subſequentibus temporibus duos addemus Characteres, unum à ſuſcepto Imperatoris Titulo, alterum ab adita Francorum Monarchia. Ludovicus paucis ante patris obitum menſibus in conſortium Imperii vocatus eſt exeunte anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio; Monarchiam verò Francorum obtinuit exauctorato Italiæ Rege Bernardo, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo. Quænam è quatuor hiſce computationibus ſextum annum Ludovici per menſem Martium cum Indictione quinta comparare poſſit, inquirendum hîc accuratè. Prima non convenit; annus enim Chriſti ſeptingenteſimus octogeſimus-ſeptimus, quo Ludovicus annum ſextum Aquitanici Regni per menſem Martium adhuc numerat, eodem menſe Martio decimæ illigatur Indictioni, quintæ nequaquam; deinde illo anno Ludovicus Rex Aquitaniæ regnat procul à Italia ubi civitas Aſtenſis. Tertia quoque computatio rejicitur, quia ſive à die quo Ludovicus à patre conſors Imperatoriæ dignitatis factus eſt, ſive à die

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

quo patrem amiſit, initium petas Imperii quo potitus eſt, annus ſextus per menſem Martium cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono componitur, & duodecimâ conſignatur Indictione. Non poteſt etiam admitti poſtrema computatio, Bernardus enim, ut Annaliſta Laureshamenſis aliíque teſtantur, exauctoratur anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, Paſchali Solemnitate jam celebratâ, ſextúſque exinde annus per menſem Martium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto comparatur, illo autem anno menſe Martio currit Indictio ſecunda. Reſtat igitur ut ſecundam computationem ſequamur, annúmque ſextum Ludovici per menſem Martium numeremus à partitione Regni, quam Carolus Magnus inter filios ſuos anno Redemptoris octingenteſimo ſexto fecit, id eſt, ut annum Ludovici ſextum per menſem Martium componamus cum anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo, cui per eundem menſem Martium illigatur Indictio quinta.

III. Duplex ſupereſt ſcrupulus. Anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, cùm Carolus Magnus tribus ſuis filiis Carolo Pippino & Ludovico Regnum diviſit, Aſta, quæ Regibus Longobardorum paruerat & Longobardiæ pars habebatur, non videtur attributa Ludovico, ſed Pippino fratri, qui Longobardiæ ſive Italiæ Rex eodem prorſus tempore, quo Ludovicus Aquitaniæ Rex, à patre conſtitutus eſt, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo. Aſtam in Italia ſitam eſſe, Longobardorum Regibus morem geſſiſſe, atque etiam ad Pippini ſortem anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo pertinuiſſe non inficiamur. At longè diſpar altera fuit Franciæ partitio, quam veteres Annaliſtæ conſignant anno Redemptoris octingenteſimo ſexto. Tunc enim Carolus Imperator Regnum tres inter filios tantâ prudentiâ partitus eſt, ut auxilium invicem ſibi ferre poſſent. Eam ob cauſam multis in locis limes Regni Pippino priùs collati mutatus eſt. Ipſam partitionis Chartam conſule, quam ſuo loco integram ſuprà deſcripſimus [a]. Fragmenta tantùm hîc repetemus, quæ ſpectant ad regnum Ludovici. Carolus præter alia, *Saboiam, Moriennam, Tarentaſiam, montem Ciniſium, vallem Seguſianam uſque ad Cluſas, Lodewico dilecto filio* largitur. Partem quoque Regni *dilecto filio Karolo* concedit, *ita ut Karolus & Lodewicus viam habere poſſint in Italiam ad auxilium ferendum fratri ſuo, ſi ita neceſſitas extiterit, Karolus per vallem Auguſtanam quæ ad Regnum ejus pertinet, & Lodewicus per vallem Seguſianam.* Id verò ſic intelligendum eſt, ut ditio Ludovici trans vallem Seguſianam Aſtam uſque protendatur. Eâ ratione difficultas omnis evaneſcit. Aſtenſes annum ſextum Ludovici cum Indictione quinta, id eſt, cum anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo comparant, initio Regni ducto ab anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, quo ſubeſſe Ludovico primùm cœperunt Franciâ tres in partes à Carolo Auguſto tum divisâ.

[a] Ad an. 806. nn. 6. & ſeqq.

IV. Alter ſcrupulus petitur à menſe Martio. Factâ Regni partitione, Chartâque partitionis Romam ad Leonem Papam directâ, quid egerit Carolus, Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, aliíque ſic ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum teſtantur. *Imperator dimiſſo utroque filio in Regnum ſibi deputatum, Pippino ſcilicet & Ludovico, de villa Theodonis per Moſellam & Rhenum ſecundâ aquâ Noviomagum * navigavit; ibíque Quadrageſimale jejunium & ſacratiſſimam Paſchæ ſolemnitatem celebravit.* Hic textus rectè convenit cum obſervatione Labbei, qui Teſtamentum de partitione Regni factum ſcribit VIII *Idus Februarii, die Veneris*, anno enim Redemptoris octingenteſimo ſexto litera Dominicalis fuit D, & pridie Idus Aprilis celebratum eſt Paſcha. Porrò, ſi Regnum Ludovici repetitur ab octavo Idus Februarias anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi ſexti, ſive à die quo Teſtamentum de Regno inter filios dividendo conditum eſt à Carolo Auguſto, ſextus Ludovici Regis annus per menſem Martium nec cum Indictione quinta

* Nimégue.

quinta nec cum anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo convenit, ſed cum indictione quarta & anno Redemptoris octingenteſimo undecimo componitur. At Ughellus & Labbeus facilè conciliari poſſunt, abſque ullo Chartarum, quas conſuluerunt, detrimento. Teſtamentum à Carolo de partitione Regni factum eſt apud Theodonis villam octavo Idus Februarii, die Veneris, anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, currente tum literâ Dominicali D. Dimiſſi ſunt paulò pòſt in ſua Regna Pippinus & Ludovicus. Uterque ſacramentum fidelitatis à populis exegit, apud quos ex ultima Regni diviſione regnare tum cœpit, & quivis populus ab illo die, quo novum Regem agnovit, ejus annos deinceps numeravit. Aſtenſes ex eorum numero fuerunt, quos nova Francicarum ditionum partitio à Pippini Regno ad Regnum Ludovici tranſtulit. Hæc mutatio, quamvis à Carolo præſcripta ſit octavo Idus Februarii, non videtur antè facta, quàm Ludovicus è Theodonis villa profectus eſt in Regnum ſuum, & in publico Conventu cùm ab Aſtenſibus tum ab aliis populis, qui priùs alteri Regi parebant, Rex eſt ſalutatus. Hæc intercapedo non reliqui tantùm Februarii fuit, ſed etiam Martii ſi non integri ſaltem ex parte, nihilque vetat, quominus ineunte proximo menſe Martio poſt Regni partitionem à Carolo conſtitutam Aſtenſes Ludovicum nondum Regem ſuum dixerint, vel ignari rerum in Theodonis villa nuperrimè geſtarum, vel præſtolantes Conventum, in quo fideles novo Regi ſe futuros cum juramento polliceretur. Inde autem apertè liquet annum Redemptoris octingenteſimum duodecimum per menſem Martium, quocum Indictio quinta coincidit, ad annum Ludovici Regis adhuc ſextum pertinuiſſe. Sua ſtat igitur fides Aſtenſi Chartæ, quæ ſextum Ludovici Regis annum per menſem Martium cum Indictione quinta comparat, nec arguendus eſt Ughellus, qui tres illos Characteres, annum videlicet ſextum Ludovici Regis, menſem Martium, & Indictionem quintam, cum anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo componit.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

V. CAROLUS AUG. DAT PRÆCEPTUM PRO HISPANIS IN FRANCIÆ REGNO CIS RUBRICATUM COMMORANTIBUS.

Hoc anno, quarto Nonas Aprilis, Indictione quintâ, Carolus, cùm annum Imperii ſui duodecimum, Regni in Francia quadrageſimum-quartum, in Italia duodequadrageſimum adhuc currentem numerabat, pro Hiſpanis in Francorum Regno ſive in Hiſpaniæ citerioris parte cis Rubricatum ſita commorantibus hoc emiſit Præceptum. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Karolus Sereniſſimus Auguſtus, à Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, Berana, Ganſcelino, Giſclafredo, Odiloni, Ermengario, Ademaro, Laibulfo, & Erlino, Comitibus. Notum ſit vobis, quia iſti Hiſpani de veſtra miniſteria, Martinus Presbyter, Joannes, Quintila, Calapodius, Aſinarius, Egila, Stephanus, Rebellis, Ofido, Atila, Fredemirus, Amabilis, Chriſtianus, Elpericus, Homodei, Jacentus, Eſperandei, item Stephanus, Zoleiman, Marchatellus, Theodaldus, Paraparius, Gomis, Caſtellanus, Ardaricus, Waſco, Wigiſus, Witericus, Ranoidus, Suniefredus, Amancio, Cazerellus, Longobardus, Zate, milites, Odeſindus, Walda, Roncariolus, Mauro, Paſcales, Simplicio, Gabinius, Solomo Presbyter, ad nos venientes ſuggeſſerunt, quòd multas oppreſſiones ſuſtineant de parte veſtra & Juniorum veſtrorum. Et dixerunt, quòd aliqui pagenſes fiſcum noſtrum ſibi alter alterius teſtificant ad eorum proprietatem, & eos exinde expellant contra juſtitiam, & tollant noſtram veſtituram, quam per triginta annos ſeu amplius veſtiti fuimus, & ipſi per noſtrum donitum de eremo per noſtram datam licentiam retraxerunt. Dicunt etiam quòd aliquas villas, quas ipſi laboraverunt, laboratas illis eis abſtractas habeatis, & beboraniae illis ſuperponatis & ſaiones, qui per forciam ſuper eos exactant. Quamobrem juſſimus Johanni Archiepiſcopo, Miſſo noſtro, ut ad dilectum filium noſtrum Ludovicum Regem veniret, & hanc cauſam ei per ordinem recitaret. Et mandavimus illi, ut tempore opportuno illuc veniens, & vos in ejus præſentiam venientes, ordinare faciat quomodo aut qualiter ipſi Hiſpani vivere debeant. Propterea has literas fieri præcipimus, atque demandamus, ut neque vos, neque Ju-*

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

niores vestri, memoratos Hispanos nostros, qui ad nostram fiduciam de Hispania venientes, per nostram datam licentiam erema loca sibi ad laboricandum propriserunt, & laboratas habere videntur, nullum censum superponere praesumatis, neque ad proprium facere permittatis, sed quoadusque illi fideles nobis aut filiis nostris fuerint, quod per triginta annos habuerunt, per aprisionem quieti possideant & illi & posteritas eorum, & vos conservare debeatis. Et quicquid contra justitiam eis vos aut juniores vestri factum habetis, aut si aliquid eis injuste abstulistis, omnia in loco restituere faciatis, sicuti gratiam Dei & nostram vultis habere propriam. Et ut certius credatis, de annulo nostro subter sigillari jussimus. Guidbertus Diaconus ad vicem Ercanbaldi recognovit. Data IV *Nonas Aprilis, anno Christo propitio Imperii nostri* XII, *Regni verò in Francia* XLIV, *atque* XXXVIII *in Italia, Indictione quintâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Qui nominatur in hoc Præcepto Joannes Archiepiscopus, is est Joannes Archiepiscopus Arelatensis, de quo jam locuti sumus loquemúrque. *Saiones*, quorum mentio fit in eodem Diplomate, Ministri dicuntur, qui reos in judicium protrahunt, & mandata superioris potestatis exequuntur. Vocem illam Henricus Spelmannus à vocabulo Saxonico *Sazol* derivatam suspicatur *z* ut passim fieri solet in *i* verso. Est autem *Sazol* vel *Saiol* fustis seu baculus, qualem apparitores Curiarum in sui muneris indicium ferre consueverunt.

VI. PACE CUM GRÆCIS FIRMATA BASILEUS VOCATUR.

Carolus Imperator, cùm Aquisgrani esset, Oratores Michaelis Imperatoris Constantinopolitani suscepit, atque in patriam remisit pace Francos inter ac Græcos firmatâ. *Michael Imperator factus Legatos Imperatoris Karoli, qui ad Nicephorum missi fuerunt*, ut anno superiore dictum est, *in Constantinopoli suscepit & absolvit. Cum quibus & suos Legatos direxit, Michaelem Episcopum, & Arsaphium atque Theognostum Protospatharios, & per eos pacem à Nicephoro incœptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est, Græcâ linguâ, laudes ei dixerunt, Imperatorem & Βασιλέα eum appellantes; & inde revertendo Romam venientes in Basilica Sancti Petri eundem pacti seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt.* Ita scribit Annalista Laureshamensis in Codice Cardinalis Armaniaci. Consentanea quoque leguntur apud alios Annalistas, necnon apud Monachum Egolismensem & incertum Auctorem in vita Caroli. Græci Carolum, licèt Imperator à Romanis ante multos annos acclamatus fuisset, Imperatorem seu Βασιλέα nondum appellarant, eum Ῥῆγα seu Regem contenti dixisse veteri more. Theophanes differentiam declarat inter Ῥῆγα & Βασιλέα, cùm agit de Leone Papa, qui *πρόσφυγων τὸν ῥηγὰ τῶν Φράγγων Καρόλλῳ* anno posteró *ἔστεψεν αὐτὸν εἰς Βασιλέα Ρωμαίων*. Ut autem Græci Ῥῆγα, quem Latini Regem; sic & Latini Basileum vocarunt, quem Græci Βασιλέα. Vocem Græcam in præcitato textu retinuit Annalista Laureshamensis. *Laudes*, inquit, *ei* nempe Carolo *dixerunt, Imperatorem & Βασιλέα eum appellantes.* Annalista Loiselianus *Imperatorem & Basileum* scripsit. Idem alii præstiterunt Annalistæ, Fuldensis, Bertinianus, ac Metensis, necnon Regino in suo Chronico, & incertus Auctor in vita Caroli. Deinde Monachus Egolismensis *Basileum* etiam usurpavit, omisso Imperatoris vocabulo, quia Basileum & Imperatorem sciebat voces esse synonymas. Eginhardus haud dissimulavit Carolum Constantinopolitanis Imperatoribus, Nicephoro, Michaeli, & Leoni, valdè odiosum fuisse *propter susceptum à se Imperatoris nomen, quasi qui Imperium eis præcipere vellet.* Initæ pacis hanc fuisse legem arbitramur, ut Carolus ab Imperatoribus Constantinopolitanis Imperator haberetur vocaretúrque. Scriptores, quos supra citavimus, Carolum à Michaelis Oratoribus *Imperatorem & Basileum* appellatum simpliciter & sine addito testantur. Idque factum putamus, quia Michael Romanorum Imperatorem more Majorum se dicebat, nolebátque Carolum ejusdem Tituli participem fieri; Carolus verò, cui vetus Roma parebat, Romanorum Imperatorem potiori

Digitized by Google

ſe jure contendebat appellandum, quàm Michaelem qui novæ duntaxat Romæ ſeu Conſtantinopoli dominabatur. Theophanes non negat Carolum Romæ coronatum eſſe Romanorum Imperatorem, textu enim proximè citato aſſerit de Leone Papa, quòd *eum coronavit in Imperatorem Romanorum*, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς Βασιλέα Ῥωμαίων; tamen alibi cùm loquitur de prædictis Oratoribus Michaelis Imperatoris, eos ait directos *ad Carolum Imperatorem Francorum*, πρὸς τὸν Κάρουλλον Βασιλέα τῆς Φραγγίας. Hac arte Græci ſuos Imperatores, quos Romanorum Imperatores vocitabant, ſibi videbantur præferre Carolo, quem appellabant Francorum Imperatorem. Sopiendæ litis ergò conventum exiſtimamus, ut Michael Carolum, Carolus Michaelem viciſſim Imperatorem ſimpliciter & ſine adjuncto nuncuparet. Ceteros pacis articulos, qui dubio procul ad Venetiam & Dalmatiam ſpectant, ex Eginhardo & ex antiquis Annalibus eruemus. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo, quo Francos inter ac Græcos ab armis ceſſatum eſt, Venetiam ſeu Venetiæ partem, quam Pippinus Italiæ Rex paulò antequàm moreretur nuper ſubegerat, à Carolo Imperatore redditam veteres Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, aliíque teſtantur. Idque ſic accipiendum putamus, ut illo anno, quo, poſitis armis, à Francis, Græcis, ac Venetis agi de pace cœptum eſt, Carolus Venetiam ſe Venetis redditurum promiſerit, ſervatâque Metropoli Grado ceteras quas in eadem Venetia civitates occupaverat, Heracliam, Metamaucum & Equilium hoc reddiderit anno, quo Michael Græcorum Imperator pacem à Nicephoro deceſſore inceptam perfecit confirmavitque. Magna verò pars Dalmatiæ cum Iſtria & Liburnia manſit ſub poteſtate Caroli, qui, teſte Eginhardo, *in deditionem ſuſcepit Hiſtriam, & Liburniam, atque Dalmatiam exceptis maritimis civitatibus, quas, ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Joannes Lucius [a], cui lubentiſſimè ſuffragamur, exceptionem illam civitatum maritimarum intelligit *de civitatibus continentis Dalmatiæ, ſcilicet Jadrâ, Tragurio* *, *& Spalato*, quæ cum Inſulis nomen Dalmatiæ retinebant. Ut autem pactum illud, quod Franci cum Græcis ac Venetis pepigerunt, ab utraque parte ſanctius haberetur, Oratores Græci, cùm in patriam reverterentur, ejuſdem fœderis libellum in Baſilica Sancti Petri à Leone Romano Pontifice ſuſceperunt.

AN. CH. 112. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

VENETIAM REDDIT VENETIS.

ISTRIAM ET LIBURNIAM SERVAT CUM PARTE DALMATIÆ.

[a] Lib. 1. de Regn. Dalmat. & Croat. c. 15.

* *Tran.*

Carolus pace cum Græcis ac Venetis firmatâ, Legatiſque Michaelis in patriam dimiſſis, generalem Conventum, ut veteres Annaliſtæ teſtantur, Aquiſgrani ſolenniter habuit. In illo Conventu Capitulare pro juſtitiis faciendis in tredecim Capitula diſtinctum promulgavit. Jacobus Sirmondus ad hunc annum Imperii Carolini duodecimum celebrat duo Capitularia, ſic. *Anno* XII. *Bononiæ in littore maris Capitula* XI. *Quicumque liber &c. Capitula* XIII *pro juſtitiis faciendis.* At ad annum ſuperiorem, ut ſuo loco probavimus, Bononienſe pertinet Capitulare. Quapropter ſola tantùm pro juſtitiis faciendis hîc à nobis deſcribentur Capitula, quæ numero ſunt tredecim, tertio Capitularium libro ſub finem [b] cum hoc inſerta Titulo. *Item Capitula, quæ propter juſtitias intra patriam faciendas conſtituta ſunt.*

VII. EDIT DUO CAPITULARIA.

[b] Cap. 76. & ſeqq.

Primum Capitulum de cauſarum & litium terminis inſcribitur. *De termino cauſarum & litium ſtatuimus, ut ex quo bonæ memoriæ Domnus Pippinus Rex obiit, & nos regnare cœpimus, cauſæ vel lites inter partes factæ atque exortæ diſcutiantur, & congruo ſibi judicio terminentur. Priùs verò, id eſt, antè obitum prædicti Domni Pippini Regis, cauſæ commiſſæ vel omnino non moveantur, vel ſalvæ uſque ad noſtram interrogationem reſerventur.*

VIII.

Secundum Capitulum eſt de cauſis potentiorum. *Ut Epiſcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, ac ſe pacificare noluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neque illorum contentio alibi dijudicetur, ne propter hoc pauperum & minùs potentium juſtitiæ remaneant. Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiores cauſas ſine noſtra juſſione finire præ-*

IX.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

ſumat, ſed tantùm ad pauperum & minùs potentium juſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.

X. Tertium Capitulùm eſt de teſtibus. *Ut quandocunque teſtes ad rem quamlibet diſcutiendam quærendi atque eligendi ſunt, à Miſſo noſtro, & à Comite, in cujus miniſterio de re qualicumque agendum eſt, tales eligantur, quales optimi in ipſo pago inveniri poſſunt. Et non liceat litigatoribus per præmia falſos teſtes adducere, ſicut hactenus fieri ſolebat.*

XI. Quartum Capitulum eſt de Placito Centenarii. *Ut nullus homo in Placito Centenarii neque ad mortem neque ad libertatem ſuam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur. Sed iſta, aut in præſentia Comitis, vel Miſſorum noſtrorum, judicentur.*

XII. Cetera pertinent ad Miſſos Dominicos. Quintum. *Ut Miſſi noſtri diligenter inquirant & deſcribere debeant unuſquiſque in ſuo Miſſatico, quid unuſquiſque de beneficio habeat, vel quot homines caſatos in ipſo beneficio.* Sextum. *Quomodo eadem beneficia condricta ſunt, aut quis de beneficio ſuo alodem comparavit vel ſtruxit.* Septimum. *Ut non ſolùm beneficia Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, atque Comitum, ſive Vaſſorum noſtrorum, ſed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breve, ut ſcire poſſimus, quantùm etiam de noſtro in uniuſcujuſque legatione habeamus.* Octavum. *Volumus, ut propter juſtitias, quæ uſque modò de parte Comitum remanſerunt, quatuor tantùm menſibus in anno Miſſi noſtri Legationes ſuas exerceant; in hyeme, Januario; in verno, Aprili; in æſtate, Julio; in autumno, Octobrio. Ceteris verò menſibus unuſquiſque Comitum Placitum ſuum habeat & juſtitias faciat. Miſſi autem noſtri quatèr in uno menſe & in quatuor locis habeant Placita ſua cum illis Comitibus, quibus congruum fuerit ut ad eum locum poſſint convenire.* Nonum. *Ut quisquid ille Miſſus in illo Miſſatico aliter factum invenerit, quàm noſtra ſit juſſio, non ſolùm illud emendare ſtudeat, ſed etiam ad nos ipſam rem, qualiter ab eo inventa eſt, deferat.* Decimum. *Ut Miſſi noſtri cenſus noſtros perquirant diligenter, undecunque antiquitus ad partem Regis exire ſolebant; ſimiliter & freda. Et nobis renuntient, ut nos ordinemus, quid de his in futurum fieri debeat.* Undecimum. *Ut de rebus, unde cenſus ad partem Regis exire ſolebat, ſi ad aliquam Eccleſiam traditæ ſunt, aut reddantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit illum cenſum perſolvat.* Duodecimum. *Ut unuſquiſque Miſſorum noſtrorum in Placito ſuo notum faciat Comitibus, qui ad ejus Miſſaticum pertinent, ut in illis menſibus, quibus ille Legationem ſuam non exercet, conveniant inter ſe, & communia Placita faciant tam ad latrones diſtringendos quàm ad ceteras juſtitias faciendas.* Decimumtertium. *Ut Miſſi noſtri populum noſtrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant ſecundùm conſuetudinem jam ordinatam. Et ipſi aperiant & interpretentur illis hominibus, qualiter ipſum ſacramentum & fidelitatem erga nos ſervare debeant.* Carolus hoc ultimum edidit Capitulum, quia ſuperioribus annis duos amiſerat filios, quos in Regni conſortium adſciverat.

XIII. Stephanus Baluzius alterum hujus anni Capitulare nobis communicavit in novem diſtinctum Capitula pro Miſſis Dominicis ad exercitum promovendum.

XIV. Primum Capitulum. *Ut omnis liber homo, qui quatuor manſos veſtitos de proprio ſuo ſive de alicujus beneficio habet, ipſe ſe præparet, & ipſe in hoſtem pergat, ſive cum Seniore ſuo. Qui verò tres manſos de proprio habuerit, huic adjungatur unus qui unum manſum habeat, & det illi adjutorium ut ille pro ambobus ire poſſit. Qui autem duos manſos tantùm de proprio habet, jungatur illi alter qui ſimiliter duos manſos habeat, & unus ex eis, altero illi adjuvante, pergat in hoſtem. Qui etiam unum tantùm manſum de proprio habet, adjungantur ei tres qui ſimiliter habeant, & dent ei adjutorium, & ille tantum pergat; tres verò, qui illi adjutorium dederunt, domi remaneant.* Hoc Capitulum convenit cum ſecundo Capitulo Capitularis Aquiſgranenſis, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum ex Metenſi Codice deſcripſimus.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Secundum Capitulum. *Volumus atque jubemus, ut iidem Miſſi noſtri diligenter inquirant, qui anno præterito de hoſte bannito tranſiſſent ſuper illam ordinationem, quam modo ſuperiùs comprehenſo de liberis & pauperibus hominibus fieri juſſimus. Et quicunque fuerit inventus, qui nec parem ſuum ad hoſtem faciendum ſecundùm noſtram juſſionem adjuvit, neque perrexit, heribannum noſtrum pleniter rewadiet, & de ſolvendo illo ſecundùm Legem fidem faciat.*

Tertium Capitulum. *Quòd ſi fortè talis homo inventus fuerit, qui dicat quòd juſſione Comitis vel Vicarii aut Centenarii ſui hoc * quoque ipſe ſemetipſum præparare debeat, eidem Comiti vel Vicario aut Centenario vel quibuſlibet hominibus eorum dediſſet, & propter hoc illud iter dimiſiſſet, & Miſſi noſtri hoc ita verum eſſe inveſtigare potuerint, is, per cujus juſſionem ille remanſit, bannum noſtrum rewadiet atque perſolvat, ſive ſit Comes, ſive Vicarius, ſive Advocatus Epiſcopi atque Abbatis.* XV. XVI

* locus corruptus, fortè ſic reſtituendus. *Hoc quod ipſe per ſemetipſum præparare debeat.*

Quartum Capitulum. *De hominibus Comitum caſatis iſti ſunt excipiendi, & bannum rewadiare non jubeantur. Duo, qui cum uxore illius domi dimiſſi fuerunt, & alii duo, qui propter miniſterium ejus cuſtodiendum & ſervitium noſtrum faciendum remanere juſſi ſunt. In qua cauſa modò præcipimus, ut quanta miniſteria unuſquiſque Comes habuerit, totiens duos homines ad ea cuſtodienda domi dimittat, præter illos duos quos cum uxore ſua. Ceteros verò omnes ſecum pleniter habeat; vel, ſi ipſe domi remanſerit, cum illo, qui pro eo in hoſtem proficiſcitur, dirigantur. Epiſcopus verò vel Abbas duos tantùm de caſatis & laïcis hominibus ſuis domi dimittant.* XVII.

Quintum Capitulum. *De hominibus noſtris & Epiſcoporum & Abbatum, qui vel beneficia vel talia propria habent, ut ex eis ſecundùm noſtram juſſionem in hoſtem benè poſſit pergere, exceptis his, quos eis ſecum domi remanere permiſimus, ſi aliqui inventi fuerint, qui vel pretio ſe redemiſſent, vel dominis ſuis permittentibus domi remanſiſſent, bannum noſtrum, ſicut ſuperiùs dictum eſt, rewadient, & fidem faciant ac perſolvant. Domini verò eorum, qui eos domi remanere permiſerunt, vel Miniſteriales eorum, qui ab eis pretium acceperunt, ſimiliter bannum noſtrum rewadient, & fidem faciant, uſquedum nobis fuerit annuntiatum.* XVIII.

Sextum Capitulum. *Volumus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, in quibus locis hoc factum ſit quod ad nos pervenit, quòd quidam homines, poſtquam ſecundum noſtram juſſionem ſociis ſuis, qui in hoſtem perrexerunt, de ſtipendia ſua adjutorium fecerunt, jubente Comite vel Miniſterialibus ejus, propter ſe redimendum, pretium dederunt, ut eis domi remanere licuiſſet, cùm illi in hoſtem ire non deberent, quia jam ſociis ſuis conſtitutum à nobis adjutorium dederunt. Hoc fiat inveſtigatum & nobis nuntiatum.* XIX.

Septimum Capitulum. *Volumus, ut iſti Miſſi noſtri, qui hac Legatione fungi debent, ab his hominibus conjectum accipiant, qui in hoſtem pergere debuerunt & non perrexerunt. Similiter & à Comite vel Vicario vel Centenario qui ad hoc conſenſerunt ut illi domi remanſiſſent. Necnon & ab omnibus prædictum conjectum accipiant, qui anno præterito conſtitutam à nobis exercitalis itineris juſſionem irritam fecerunt.* XX.

Octavum Capitulum. *Iſtius Capitularii exemplaria quatuor volumus ut ſcribantur, & unum habeant Miſſi noſtri, alterum Comes in cujus miniſteriis hæc facienda ſunt, ut aliter non faciant, neque Miſſus noſter, neque Comes, niſi ſicut à nobis Capitulis ordinatum eſt. Tertium habeant Miſſi noſtri, qui ſuper exercitum noſtrum conſtituendi ſunt. Quartum habeat Cancellarius noſter.* XXI.

Nonum Capitulum. *Volumus, ut homines fidelium noſtrorum, quos nobiſcum ad ſervitium noſtrum domi reſervare juſſimus, in exercitum ire non compellantur; ſed aut ipſi domi remaneant, vel in ſervitio dominorum ſuorum. Neque heribannum rewadiare jubeantur illi homines, qui anno præterito nobiſcum fuerunt.* XXII.

Quid Carolus poſt Aquiſgranenſem Conventum egerit, antiqui docent Auctores. *Generali Conventu Aquis ſolenniter habito Bernardum filium Pippini,* XXIII.

AN. CH. 812.

nepotem ſuum, in Italiam miſit, & propter famam claſſis, qua de Africa & de Hiſpania ad vaſtandam Italiam ventura dicebatur, Walanem filium Bernardi patruelis ſui cum illo eſſe juſſit, quoadusque rerum eventus ſecuritatem noſtris adferret. Hac claſſis partim in Corſicam, partim in Sardiniam venit. Et ea quidem pars, qua ad Sardiniam eſt delata, penè tota deleta eſt. Ita ſcribit Annaliſtâ Loiſelianus, cui ceteri ſuffragantur. *Pax* paulò pòſt *cum Abulaz Rege Sarracenorum facta.* Chronographus Moiſſiacenſis illa de pace fuſiorem ſermonem ſic habet. *Eodem anno Abulaſer Rex Sarracenorum ex Spania audiens famam & opinionem virtutum Domni Karoli Imperatoris, Miſſos ſuos direxit poſtulans pacem facere cum eo. Quam ipſe Piiſſimus Imperator denegare noluit, ſed fecerunt pacem cum ipſo per tres annos.* Abulaz ſive Abulaſer vel Alhaca Rex erat Cordubenſis de quo ſæpè jam locuti ſumus. Pax item facta *cum Duce Beneventanorum Grimoaldo, & tributi nomine* XXV *millia ſolidorum auri à Beneventanis ſoluta,* ut Annaliſta Loiſelianus aliique teſtantur. Adeò felix fuit adventus Bernardi in Italiam cum exercitu. Walanes ſeu Walo vel Wala ſive Walach aut Walachus, quem Carolus Auguſtus in Italiam ire præcepit, ut conſilio Bernardum juvaret, Adelhardi Corbeïenſis tunc Abbatis frater erat germanus. In Hiſtoria de Sancti Viti Martyris Tranſlatione, cujus mentionem Bollandus in addendis ad ſecundam diem Januarii ſive ad vitam Sancti Adelhardi facit, ipſemet Adelhardus Italiæ Regnum poſt Pippini Regis obitum dicitur gubernaſſe, donec Bernardus Pippini filius adoleſceret. Ut Adelhardus Pippino, ſic Walanes Bernardo præcipuus fuit Conſiliarius. Uterque directus in Italiam à Carolo. Lege de Adelhardo, quæ Tomo ſuperiore ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum [a].

IN ITALIAM MITTIT BERNARDUM NEPOTEM.

PACEM INIT CUM CALIPHA CORDUBENSI, CUM GRIMOALDO DUCE BENEVENT.

[a] Num. 149.

XXIV.

CUM WILZIS,

Imperator, miſſo in Italiam Bernardo nepote, rebus Italicis ita conſuluit, ut Germanicas & Sclavicas minimè neglexerit. *Expeditio,* inquiunt veteres Annaliſtæ, Loiſelianus & alii, *facta ad Wilzos, & ab eis obſides accepti.* Chronographus Moiſſiacenſis rem eandem fuſiùs ſic exponit. *Anno* DCCCXII *miſit Karolus Imperator tres ſcaras ad illos Sclavos qui dicuntur Wilti. Unus exercitus ejus venit cum eis ſuper Abotridi, & duo venerunt obviam ei ad illam Marcham. Sed & illi Wilti dextras dederunt, & obſides obtulerunt, & promiſerunt ſe dare partibus Karoli Imperatoris.*

XXV.

CUM RR. DANIÆ.

Paulò pòſt, ut Annaliſtæ Loiſelianus ceteríque ſcribunt, *Harioldus & Reginfridus Reges Danorum miſſâ ad Imperatorem Legatione pacem petunt, & fratrem ſuum Hemmingum ſibi remitti rogant.* Hæc autem ut tibi clariora fiant, obſerva Hemmingum Danorum Regem, quem anno priore memoravimus, è vita ſub initium hujus anni migraſſe. *Cui cùm Sigifridus nepos Godofridi Regis & Anulo nepos Herioldi quondam Regis ſuccedere voluiſſent, neque inter eos, uter regnare deberet, convenire potuiſſet, comparatis copiis, & commiſſo prælio, ambo morientur. Pars tamen Anulonis adepta victoriam, fratres ejus Herioldum & Reginfredum Reges ſibi conſtituit, quam neceſſario pars victa ſecuta, eoſdem ſibi regnare non abnuit.* De Hemmingo, quem hi Reges ſibi reddi poſtulabant, anno proximo recurret ſermo.

XXVI.

LUDOVICUS R. POMPELONEM PROFICISCITUR.

Quid Ludovicus Aquitaniæ Rex hoc eodem anno geſſerit, vetus docet Aſtronomus, poſt obſidium enim Oſcæ, quod anno ſuperiori retulimus, hæc proximè ſubjungit. *Succedente æſtate, accito populi ſui generali Conventu, retulit eis ſibi delatum rumorem, quod quadam Vaſconum pars jam pridem in deditionem ſuſcepta, nunc defectionem meditata in rebellionem aſſurgeret, ad quorum reprimendam pervicaciam ire publica utilitas poſtularet. Hanc Regis voluntatem omnes laudibus proſequuntur; nec talia in ſubditis contemnenda, ſed potiùs ſeveriſſimè reſecanda teſtantur. Moto igitur & diſpoſito, prout oportuit, exercitu, Aquas villam pervenit, &, ut ad ſe venirent, qui infidelitatis inſimulabantur, juſſit. Sed illis venire detractantibus, ad eorum vicinia devenit, cunctâque eorum depopulari manu militari permiſit. Ad ultimum cunctis, qua ad eos*

pertinere videbantur, conſumptis, ipſi ſupplices venerunt, & tandem veniam perditis omnibus magno pro munere meruerunt. Superato autem penè difficili Pyrenæarum Alpium tranſitu, Pampalonam deſcendit; & in illis, quandiu viſum eſt, moratus locis, ea, quæ utilitati tam publicæ quàm privatæ conducerent, ordinavit. Sed quum per ejuſdem montis remeandum foret anguſtias, Vaſcones nativum aſſuetúmque fallendi morem exercere conati, mox ſunt prudenti aſtutiâ deprehenſi, conſilio cauti, atque cautelâ vitati. Uno enim eorum, qui ad provocandum proceſſerat, comprehenſo atque appenſo, reliquis penè omnibus uxores aut filii ſunt erepti, uſquequò eò noſtri pervenerunt, quò fraus illorum nullam Regi vel exercitui poſſet inferre jacturam. His geſtis, in propria Rex populúſque ejus Deo propitio conceſſit.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. RR. 32.

XXVII. PIUS ERGA CLERICOS ET MONACHOS.

Sequitur apud eundem Auctorem inſignis commendatio Regiæ pietatis, quâ Ludovicus erga Clericos ac Monachos fertur. *Regis quidem ab ineunte ætate, ſed tunc quammaximè, circa divinum cultum & Sanctæ Eccleſiæ exaltationem piiſſimus incitabatur animus; itaut non modò Regem, ſed ipſius opera potiùs eum vociferarentur Sacerdotem. Nam totius Aquitaniæ qui videbatur Clerus, antequàm ei crederetur, ut pote ſub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, miſſilium librationi, quàm divino cultui operam dare noverat. Regis autem ſtudio undecunque adductis magiſtris, tam legendi quàm cantandi ſtudium, necnon divinarum & mundanarum intelligentia literarum citiùs quàm credi poterat coaluit. Præcipuè tamen affectu illorum ducebatur, qui cuncta ſua pro Domini amore relinquentes, ſpeculativæ vitæ curabant fieri participes. Nam antequàm Aquitania ſub eo regeretur, collapſus erat in ea hujuſcemodi ordo: at ſub eo adeò convaluit, ut etiam ipſe fraternum avi Carlomanni imitari geſtiens memorabile exemplum* (locus hic eſt corruptus, expuncto *fraternum avi*, lege *fratris avi*, id eſt, propatrui, Ludovicus enim introducitur geſtiens imitari memorabile exemplum Carolomanni, qui propatruus ejus fuit ſeu frater avi Pippini) *ipſe quoque theoricæ vitæ culmina niteretur comprehendere. Sed hujus voti ne compos fieret, obicem ſe præbuit refragatio patris, vel potiùs divinæ voluntatis nutus, qui tantæ pietatis virum noluit ſub cura ſuæ ſolius ſalutis deliteſcere, ſed potiùs per eum & ſub eo multorum ſalutem adoleſcere. Et quidem multa, ut dictum eſt, ab eo ſunt in ejus ditione reparata, imò à fundamentis ædificata Monaſteria, ſed præcipuè hæc.*

MULTA ÆDIFICAT INSTAURATQUE MONASTERIA.

XXVIII. XXIX.

Enumeratio ſex ac viginti Monaſteriorum ſubjicitur hoc ordine.

I. *Monaſterium Sanctæ Mariæ & Sancti Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethleem vocabatur, [in cujus curia pater ejus Pippinus occidit Leonem, & ipſemet à Stephano Papa Romano in Regem honorificè conſecratus eſt in eadem Eccleſia.]* Quæ notis his [ ] includuntur, inſititia debent haberi, quia nec Ludovico Regi conveniunt, nec Hiſtoricæ veritati ſuffragantur. Pippinus enim Ludovici non pater ſed avus fuit; à Stephano Papa Tertio Rex inunctus eſt in Eccleſia Monaſterii San-Dionyſiani, quod ſitum eſt in agro Pariſienſi, atque à Cœnobio Ferrarienſi Diœceſeos Senonicæ non parum diſtat. De Pippini Regis inunctione conſule, ſi lubet, quæ Tomo quinto ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quartum [a]. Prætereà Ferrariæ nec pertinent ad Aquitaniam, cui Ludovicus à Carolo patre Rex datus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, nec in ea poſitæ ſunt Regni parte, quam idem Carolus in tripertita ditionum ſuarum diviſione Ludovico filio conſignavit anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, ut patet ex ipſa partitionis charta, quam ad illum annum [b] deſcripſimus examinavimúſque. Totum igitur textum, qui de Monaſterio Ferrarienſi proximè recitatus eſt, ex Actibus Ludovici Pii, quibus perperam inſertus fuit, haud temerè deleveris. Superioribus Tomis Ferrarienſe Monaſterium ejúſque Abbates ſæpè laudavimus. Conditum Cœnobium regnante Dagoberto Primo. Locum illum, ætate Caroli Magni, quatuor hi rexerunt Abbates, Ogerius, Conſtantius, Alcuinus, & Sigulfus qui Præfecturam poſt Alcuini mortem anno Redemptoris octingenteſimo quarto ſuſcepit.

[a] Num. 37.

[b] Nn. 6. & ſeqq.

AN. CH. 812. XXX.

II. *Monaſterium Sancti Filiberti.* Hoc Cœnobium ab Anſoaldo Epiſcopo Pictavienſi conditum fuit ſeptimo ſeculo in Aquitania ſecunda. Dictum eſt Herenſe * ab Hero Inſula, ubi ſitum in Diœceſi Pictavienſi. Primum Abbatem habuit Philibertum, à quo poſtèa nomen accepit Sancti Philiberti. Lege quæ de illius Monaſterii conditu ac nomine déque Sancto Philiberto dicta ſunt Tomis tertio [a] & quarto [b]. Nomina ſucceſſorum perierunt ad ætatem uſque Ludovici Pii Regis Aquitaniæ, huic enim ſynchronus vixit Arnulphus Abbas Herenſis, cujus obitus in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum incidit, ut Falco Trenorcienſis * Monachus in Chronico ſui Monaſterii teſtatur [c]. Hic Abbas, cùm Herus Inſula propter frequentes Danorum incurſiones haud ſatis tuta videretur, ex ejuſdem Ludovici munificentia Monaſterium *Deas* in pago Erbadellico Diœceſis quoque Pictavienſis erexit. Qua de re ſic ipſemet Ludovicus in ſuo Præcepto, quod integrum anno quo ſcriptum eſt Imperii ſexto, Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, recitabimus. *Notum ſit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, ſagacitati, qualiter Vir Venerabilis Arnulfus Abba ex Monaſterio Sancti Filiberti, quod eſt ſitum in Inſula Æri, propter incurſiones barbarorum, qui frequenter ipſum Monaſterium depopulantur, foras in pago, qui dicitur Erbadellicus, in loco cujus vocabulum eſt Deas, per noſtrum conſenſum atque adjutorium, novum Monaſterium adificaſſe.* Pagus Erbadellicus *, aliis Herbatilicus, Herbadilicus, Herbedilicus, Herbidilicus, & Arbatilicenſis, ut olim Aquitaniæ Diœceſisque Pictavienſis pars fuit, ſic & poſterioribus ſeculis ad Britanniam & Epiſcopatum Namnetenſem tranſiit cum vicino pago Ratiatenſi *. Lege Tomo primo, quæ dicta ſunt de Adelfio [d], qui Pictavienſis & Ratiatenſis Epiſcopus promiſcuè vocatur cùm à pago Pictavico tum à Ratiatenſi tractu pagi Pictavici. Lege & Tomo ſecundo [e], quæ de Sancto Amando relata ſunt ex Baudemundo ejus diſcipulo & ex Philippo Harvengio recentiori Auctore, quorum ille pagum Herbatilicum in Aquitania collocat, hic Aquitaniæ regioni collimitantem exhibet. Denique inter probationes Hiſtoriæ Trenorcienſis conſule Calixti Papæ Secundi Privilegium Abbati Franconi conceſſum in confirmationem poſſeſſionum ad Trenorcienſe Monaſterium in diverſis pertinentium Epiſcopatibus, *Claromontenſi, Cabillonenſi, Lugdunenſi, Matiſconenſi, Bituricenſi, Auguſtudunenſi, Namnetenſi, Pictavenſi, Turonenſi, Andegavenſi, Genevenſi, Anicienſi, Dienſi, Tricaſtrinenſi, Arauſienſi, Vaſionenſi, Viennenſi, Biſuntino.* In Namnentenſi Diœceſi reperies *Monaſterium Sancti Philiberti, Eccleſiam Sancti Vitalis * de Raas, Eccleſiam de Machicel, Sancti Martini de Paciaco, Sancti Liminii, Eccleſiam de Limoziveria, Sancti Columbani, Eccleſias de Corcoiaco, Eccleſias de Mores, Manſiones de Legiaco, de Tolvei, Eccleſias de Monaſteriis.* Inter Beneficia, quæ ſunt ad collationem Abbatis Trenorcienſis, in Epiſcopatu Namnetenſi tres hi Prioratus etiamnum recenſentur; *Prioratus Sancti Vitalis, Prioratus Sancti Philiberti de Grandi lacu, Prioratus de Machicolio.* Tria hæc Beneficia in Diœceſi Namnetenſi, ut ex præcitatis literis conſtat, à Calixto quoque Papa ponuntur. Prioratus Sancti Vitalis eſt Calixto *Eccleſia Sancti Vitalis de Raas* ſive de Ratiaco, id eſt, Eccleſia Sancti Vitalis in pago Ratiacenſi. Prioratus Sancti Philiberti de Grandi lacu eſt Calixto *Monaſterium Sancti Philiberti*, nec aliud haberi debet ab eo quod Arnulphus Herienſis Abbas extruxit in pago Herbatilico, dictum eſt enim primùm Deenſe à loco cui nomen *Deas*, deinde à Sancto Philiberto, cujus Reliquiæ illuc ex Hero Inſula ſub Ludouico Auguſto delatæ, nuncupationem accepit, addito pòſt ad diſtinctionem cognomine *de Grandi lacu* propter viciniam ſpatioſi lacûs, hodie corruptè de Grandi loco, unde vulgò Monaſterium Sancti Philiberti * de Grandi loco ſeu Grandilocenſe. Prioratus de Machicolio eſt Calixto *Eccleſia de Machicol*, Machicolium * autem hodierni Ducatûs Ratiacenſis primarium eſt oppidum. Notitiam Galliarum apud Hadrianum Valeſium conſule, ſi lubet, in Herio Inſula, & in pagis

* *Noirmoutier.*
[a] Ad an. 674. n. 6.
[b] Ad an. 685. n. 3.
* *de Tournus.*
[c] Num. 18.
* *d'Herbauge.*
* *le pays de Retz.*
[d] Ad an. 533. n. 41.
[e] Ad an. 589. n. 19.
* *Saint Vian en Retz.*
* *S. Filbert de Grandlieu.*
* *Machecou.*

pagis Herbatilico atque Ratiatenſi, obitérque nota eruditiſſimum hunc Auctorem à nobis non diſſidere in diſtinguendis Sanctorum Benedicti & Columbani Regulis, ſcribit enim Herienſe Monaſterium fuiſſe *Monachorum, ſtatuta Columbani primùm, deinde Benedicti ſequentium.* Atque hæc impræſentiarum dicta ſufficiant de Monaſteriis Herienſi & Deenſi, quibus Sancti Philiberti nomen eſt impoſitum, idémque præfuit Arnulfus Abbas Ludovico Pio cùm Aquitaniæ Rege tum Imperatore. AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

III. *Monaſterium Sancti Florentii.* Hoc Cœnobium, quod hactenus Glannenſe vocavimus, hodie Vetus * Sancti Florentii Monaſterium appellatur, ſitum eſt ad ſiniſtram Ligeris ripam in Andina Diœceſi nec procul à Namnetica. Lege quæ Tomo quarto ſcripſimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum [a]. Porrò cùm Ligeris Galliam Celticam ab Aquitanica dividat, locus ille, quia ſiniſtræ Ligeris ripæ impoſitus eſt, pertinet ad Galliam Aquitanicam, attribuitúrque Aquitaniæ ſecundæ, licèt in Epiſcopatu ſit Andegavenſi. Duo illius loci Abbates *Hilbodus & Frobertus* in Chronico Malleacenſi commendantur *Ludovici tempore*, ſive Regis ſive Imperatoris. Vixit Hilbodus ſive Hilboldus ad annum uſque Ludovici Auguſti undecimum, id eſt, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum, quo mortem illius conſignabimus. Deinceps eundem Hilboldum ſucceſſoreſque non à Glanna Glannenſes ut anteceſſores, ſed à loci patrono vocabimus Abbates Sancti Florentii, quoniam hæc appellatio ab ætate Ludovici Pii in uſu fuit. XXXI. * *S. Florent le Vieil.* [a] Num. 11.

IV. *Monaſterium Carroffi* *. De Carrofenſi Monaſterio in eadem Aquitania ſecunda & Diœceſi Pictavienſi egimus Tomo ſuperiore [b]. Tres antiquiſſimos Abbates illius loci ſub Ludovico Aquitaniæ Rege memoravimus Dominicum, Davidem, & Juſtum de quo plura poſt triennium ſub eodem Ludovico tunc Imperatore. XXXII. * *Charroux.* [b] Adan. 789. nn. 213. & ſeqq.

V. *Monaſterium Concas* *. Hoc Cœnobium in Aquitania prima pagóque Rutenenſi dirutum fuit à Saracenis, à Pippino reſtitui cœptum, à Carolo & Ludovico perfectum ac Reliquiis ditatum, ut Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum [c] obſervavimus. Nuper in manus noſtras venit illius Monaſterii Chartularium, quod Chartis conſtat duodeſeptuaginta ſupra quingentas. In pleriſque locus ille commendatur *ſacer Sanctæ Dei Eccleſiæ, qui eſt ſitus in pago Ruthenico, in Vicaria Farracenſe, ſuper alveum Dordonis, fundatus in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeu Sanctæ Mariæ Virginis & Sancti Petri Principis Apoſtolorum necnon & clavigeri, ubi Sanctus Vincentius & Sancta Fides conſiſtunt.* In Tabulis Eccleſiaſticis uterque Martyr prædicatur. Sanctus Vincentius quinto Idus Junii, ſic. *Agenni in Gallia, Paſſio Sancti Vincentii Levitæ & Martyris.* Sancta Fides pridie Nonas Octobris, ſic. *Agenni in Gallia, Natalis Sanctæ Fidei Virginis & Martyris, cujus exemplo Beatus Capraſius ad Martyrium animatus, agonem ſuum feliciter conſummavit.* Ambo ex Aginnenſi pago tranſlati ſunt in Ruthenenſem depoſitique in Cœnobio Conchenſi ſeu Conchacenſi, quod à Sancta Fide Monaſterium Sanctæ Fidis de Conchis appellatur in Gallia Chriſtiana, parique modo nonnulli Abbatum dicti reperiuntur Abbates Sanctæ Fidis, ut Iſernus in prædicto Chartulario, Chartâ centeſimâ ſexageſimâ-primâ. Publicatus eſt à Sammarthanis Abbatum Conchenſium Catalogus, initio ducto à ſuſcepta Monaſterii reſtauratione. Quatuor enim hi recenſentur Abbates antiquiſſimi. *S. Dado qui in Gaubabro requieſcit, Medraldus, Geofredus, Anaſtaſius.* Conchacenſis autem Monaſterii ſexta Charta Leutadum exhuber munificum erga illum locum, *ubi modò eſt Venerabilis Vir Madraldus* ſeu Medraldus *Abba*, & Donatio facta dicitur *in menſe Februario anno vigeſimo, regnante Domino noſtro Hlodoico Rege Aquitanorum;* id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo primo, quo Ludovicus annum Aquitanici Regni viceſimum per menſem Februarium adhuc numerabat. XXXIII. * *Conques.* [c] Num. 153.

AN. CH. 812. XXXIV. * *S. Maixent.* [a] Lib. 2. c. 37. [b] Ad an. 507. n. 9.

VI. *Monaſterium Sancti Maxentii* *. Hoc Cœnobium in Aquitania ſecunda & Diœceſi Pictavienſi nomen accepit à Sancto Maxentio, qui Clodoveo Magno ſynchronus vixit, ut ex Gregorio Turonenſi [a] probatum Tomo primo [b].

XXXV. * *Menat.* [c] Tom. 1. a. 508. n. 36.

VII. *Monaſterium Menate* *. Hoc Monaſterium in Diœceſi Aryernenſi, quæ pertinet ad Aquitaniam primam, celebre [c] jam erat, cùm Clodoveus Magnus ex Aquitania Wiſigothos expulit.

XXXVI. * *Manlieu.* [d] Tom. 3. a. 656. n. 35.

VIII. *Monaſterium Magni-loci* *. Hoc Cœnobium ſeptimo ſeculo in eadem Arvernenſi Diœceſi ſive in Aquitania prima conditum [d] fuit à Sancto Geneſio Arvernorum Epiſcopo.

XXXVII. * *Moiſſac.* [e] Ad an. 632. n. 6.

IX. *Monaſterium Muſciacum.* Hoc Cœnobium non differt ab eo quod vulgò Moſſiacum * dici ſolet, ſitúmque eſt in Diœceſi Cadurcenſi, quæ pars eſt Aquitaniæ primæ. De primordiis hujus Monaſterii diſputatum Tomo ſecundo [e].

XXXVIII. * *S. Savin.* * *la Garteмpe.*

X. *Monaſterium Sancti Savini* *. Hoc Monaſterium Vartimpæ * fluvio adſidet in Diœceſi Pictavienſi ſive in Aquitania ſecunda. Nobis unum videtur ex Cœnobiis, quæ Ludovicus à fundamentis excitavit; ut ædificetur jubet Carolus Magnus in Chronico Malleacenſi ſeu Sancti Maxentii; nihil autem vetat, quominùs idem Monaſterium conſtrui præcipiat Carolus, conſtruátque Ludovicus imperio patris obſecutus.

XXXIX. * *Maſſay.* [f] Tom. 2. Biblioth.

XI. *Monaſterium Maſciacum* *. Hoc Cœnobium in Diœceſi Bituricenſi ſive in Aquitania prima ſitum eſt. A Carolo quoque Magno conditum fertur. At aliud eruitur ex brevi Chronico illius loci quod ad annos Chriſti ſeptingenteſimum duodequadrageſimum & octingenteſimum decimum-quartum in editione Labbeana [f] ſic habet. DCCXXXVIII. *Initium Monaſterii Maſciacenſis ab Egone Comite.* DCCCXIIII. *Adventus Monachorum in Maſciaco.*

XL. * *Novaillé.* * *Mairé.* [g] Ad an. 519. n. 12. [h] Ad an. 587. n. 6.

XII. *Monaſterium Noviliacum* *. Sanctus Junianus, qui Beatæ Radegundi ſynchronus vixit, in Diœceſi Pictavienſi, ſive in Aquitania ſecunda, Mariacum * Monaſterium erexit, de quo locuti ſumus Tomis primo [g] & ſecundo [h]. Poſtquàm autem in eadem Diœceſi conſtructum fuit à Ludovico Noviliacum ſeu Nobiliacum, illuc Mariaco tranſlati ſunt Monachi cum Abbate. Deinceps appellati ſunt Noviliacenſes ſeu Nobiliacenſes cùm Abbates tum Monachi, qui priùs Mariacenſes Ut autem illam mutationem hiſce temporibus factam tibi faciliùs perſuadeas, obſerva beati Juniani corpus apud Mariacum jacuiſſe ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum triceſimum, qui Dedicatione Nobiliacenſis Eccleſiæ, ſacrarúmque exuviarum Tranſlatione celeberrimus fuit.

XLI. * *S. Carmery.*

XIII. *Monaſterium Sancti Theotfridi.* Hoc Cœnobium eſt in Aquitania prima Diœceſique Anicienſi. Dictum fuit primò Calminium ſeu Calmeliacum à conditore Sancto * Calminio ſeu Calmelio, qui florebat anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo. Direptum fuit à Saracenis, qui Theotfridum ſeu Theofredum illius loci tunc Abbatem lethalibus vulneribus affecerunt anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo. Reparatum poſteà fuit à Ludovico, noménque gerere cœpit prælaudati Martyris Theotfridi *.

* *S. Chaffre.*

XLII. * *S. Paixent.*

XIV. *Monaſterium Sancti* * *Paſcentii.* Illo de Cœnobio nihil à nobis lectum meminimus. Conditum arbitramur in Aquitania ſecunda, in Diœceſi Pictavienſi, nomen enim Paſcentii Pictavienſibus fuit familiare. Duos Paſcentios, longè antequàm Carolus Magnus naſceretur, Eccleſiæ Pictavienſis Epiſcopos vulgati repræſentant Indices, nullum ejuſdem nominis in reliqua Gallia.

XLIII. * *Donzére.*

XV. *Monaſterium Doſera* *, ſeu Duſera. Hujus Cœnobii primam erectionem à Principatu Theodorici Tertii repetit Aigradus in vita Sancti Anſberti Metropolitæ Rotomagenſis. *Venerabili*, inquit, *Patri Lantberto* Abbati Fontanellenſi *Theodoricus Rex, filius Clodovei Regis & Bathildis Reginæ, lar-*

gitus eſt patrimonium aliquod, cujus eſt vocabulum Duſera, quod ſitum erat ultra fluvium Rhodanum in regione, quæ propriè vocatur Provincia, eo videlicet modo, ut hoc prædium Monachis in Cœnobio Fontanellæ morantibus luminaria miniſtraret Eccleſiæ, in oleo & cæteris hujus rei neceſſariis. In quo loco prædictus Pater egregium condidit Cœnobium Monachorum, directis ex Cœnobio Fontanella Monachis, qui illud laudabile opus diligenter executi ſunt. Et de prædio parvo magnum hactenus extat Monaſterium Monachorum, & in illa regione ab aliis præcipuum. AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Lantbertus Abbas Fontanellenſis fuit ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octavum. Theodoricus, Clodovei Secundi Regis & Bathildis filius, poſt fratrem Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio regnare cœpit, vitámque ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum prorogavit. Ex annis, quibus Lantbertus Abbatiale munus iniit & Theodoricus Regiam Dignitatem ſuſcepit, apertè conſtat initia Duſerenſis Monaſterii nec conſignanda eſſe ante annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium, quo Theodoricus in Regnum Childerico fratri ſucceſſit, nec rejicienda poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octavum, quo Lantbertus ex Abbate Fontanellenſi factus eſt Metropolitanus Lugdunenſis. Aigradus Sancti Anſberti vitam, unde textum proximè citatum deſcripſimus, dicavit Hiltberto Abbati Fontanellenſi, cujus obitus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo coincidit. Ergo quæ ſequuntur, cùm ad Agarenorum ſeu Saracenorum irruptiones in Franciam multò recentiores pertineant, non Aigrado ſed ejus Interpolatori debent attribui. Duſera, cùm Aigradus ſcribit, *magnum extat Monaſterium Monachorum.* Subdit Interpolator, *quòd per multa annorum curricula ditioni Monaſterii Fontanellenſis ſubjectum erat, donec diviſione Regni, & diſcordiâ Principum, & incurſione nefandæ gentis Agarenorum, cum aliis venerabilibus locis, aliquanto depopulatum tempore, finem ſubjectionis fecit.* Hoc Cœnobium exiſtimamus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo dirutum à Saracenis, cùm in illorum poteſtatem nobiliſſimæ civitates ad Rhodanum, Avenio, Vivarium, Valentia, Lugdunum, devenerunt. Reparatum ac ditatum putamus à Carolo Magno, necnon & ab ejus filio poſt annum Redemptoris octingenteſimum ſextum, quo regionem illam ex nova Regni partitione gubernandam ſuſcepit. Ab hac inſtauratione Duſera ſuum habuit Abbatem, nec ampliùs Fontanellenſi ſubjacuit. Abbatum Duſerenſium Indicem ordiemur à Norfidio & Dextro, quorum ille à Carolo, hic à Ludovico Præceptum obtinuit. Integrum Diploma Ludovicianum poſt biennium recitabimus [a]. Interim hoc fragmentum accipe, quo Duſeram agnoſcas in Arauſico territorio ſitam, &, quæ de Norfidio ac Dextro præmiſimus, certa teneas & indubitata. *Comperiat,* inquit Ludovicus, *omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum ſolertia, qualiter Dexter Abbas ex Monaſterio Duſerenſi, quod eſt conſtructum in honore Sanctæ Mariæ Virginis & Sancti Petri & aliorum Sanctorum in territorio Arauſico, veniens ad nos, detulit nobis Præceptum Karoli Sereniſſimi Imperatoris, Genitoris noſtri, in quo continebatur qualiter ipſum locum, qui erat de proprietate ſoli ejus, ad eundem Monaſterium conſtruendum Norfidio Abbati vel ejus ſucceſſoribus conceſſerat, atque perpetuis temporibus ad habendum confirmaverat. Sed memoratus Abba & ejus Congregatio petierunt Celſitudinem noſtram, ut ipſas res cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum, ad ipſam Eccleſiam, ad eorum ſupplendas neceſſitates, ex noſtra auctoritate, pro mercedis noſtræ augmento confirmaremus.* &c. XLIV.

[a] Ad an. 814.

XVI. *Monaſterium Sollemniacum* *. Hoc Cœnobium in Diœceſi Lemovicenſi in Aquitania prima conditum fuit à Sancto Eligio nondum Epiſcopo, ut obſervatum Tomo ſecundo [b]. XLV.

* *Solegnac.*

[b] Ad an. 631. nn. 19. & ſeqq.

XVII. *Monaſterium puellare Sanctæ Mariæ*, de quo poſt quinquennium recurret ſermo.

AN. CH. 812. XLVI. [a] Ad an. 544. n. 98.

XVIII. *Monaſterium puellare Sanctæ Radegundis.* Hoc Monaſterium à Sancta Radegunde conditum fuit in Aquitania ſecunda, in civitate Pictavienſi. A loco dictum eſt Monaſterium Pictavienſe, nec aliter à nobis hactenus vocatum eſt. A fundatrice nomen etiam accepit Sanctæ Radegundis, ut & Sanctæ Crucis à fragmento ſalutiferæ Crucis illuc Conſtantinopoli delato. De nobiliſſimi hujuſce Monaſterii conditu locuti ſumus Tomo primo [a].

XLVII. XIX. *Monaſterium de Vera.*

XLVIII. XX. *Monaſterium de Utera.* Qui ſequitur textus, in editionibus Pithœana & Ducheſniana ſic interpungitur. *Monaſterium de Utera in pago Toloſano, Monaſterium Valada in Septimania, Monaſterium Aniana, Monaſterium Galuna, Monaſterium Sancti Laurentii, Monaſterium Sanctæ Mariæ quod dicitur in Rubine, Monaſterium Caunas, & cetera plurima, quibus veluti quibuſdam bychnis totum decoratur Aquitaniæ Regnum.* Sic autem interpungendus videtur [b]. *Monaſterium de Utera. In pago Toloſano, Monaſterium Valada. In Septimania, Monaſterium Anianæ,* &c. ut ſuprà. Licèt enim de Utera & Valada nihil occurrat, certum eſt Anianum & alia quatuor Monaſteria, quæ proximè commemorantur, ad Septimaniam pertinere, ad Diœceſes videlicet, Magalonenſem, Lutevenſem, Narbonenſem & Carcaſſonenſem, ut infrà probaturi ſumus. Sana eſt igitur hæc interpunctio. *In Septimania, Monaſterium Anianæ, Monaſterium Galunæ, Monaſterium Sancti Laurentii,* &c. Sana & iſta, quæ præcedit. *In pago Toloſano, Monaſterium Valada.* Nec Monaſterium *de Utera* pago Toloſano debet attribui.

[b] Catell. in Hiſt. Comit. Toloſan. lib. 1. c. 1.

XLIX. XXI. *In pago Toloſano Monaſterium Valada.* Pagus Toloſanus olim extra limites Aquitaniæ ponebatur in Septimania, párſque erat Galliæ Narbonenſis. Anno Chriſti quingenteſimo octavo tranſiit à Wiſigothis ad Francos, à Septimania & Gallia Narbonenſi tunc avulſus eſt, atque Aquitaniæ primæ attributus à Clodoveo Rege. Non poteſt in dubium vocari, quin ætate Caroli Magni pars Aquitanici Regni fuerit, filius enim Ludovicus, quem Aquitaniæ Regem conſtituerat, Toloſæ non ſemel Placitum generale ſeu Conventum generalem habuit, ut ſuis locis obſervavimus. Pagus tamen Toloſanus ſpecialem conſtituebat provinciam, quam Aquitania, Waſconia & Septimania circumcingebant. Hæc regionum diſtinctio colligitur ex Conſtituto, quod anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Ludovicus Pius apud Aquiſgranum fecit, Imperator enim Monaſteria recenſuit in Aquitania tredecim, quatuordecim in Septimania, quatuor in pago Toloſano, quinque in Waſconia, ſic. *In Aquitania, Monaſterium Sancti Philiberti, Monaſterium Sancti Maxentii,* &c. *In Septimania, Monaſterium Sancti Ægidii in valle Flaviana, Monaſterium Pſalmodium,* &c. *In Toloſano, Monaſterium Sancti Papuli, Monaſterium Suricinium,* &c. *In Waſconia, Monaſterium Cella fraxilii, Monaſterium Cimorra,* &c. Poſtquàm è Gallia trans Pyrenæos montes in Hiſpaniam ſummoti ſunt Saraceni, Pippino Francorum Regi parere cœpit omnis Septimania. Metropolitæ Narbonenſes abhine Toloſam ſibi denuò ſubjici poſtularunt. Bituricenſes reclamarunt Archiepiſcopi. Flagrante inter utroſque contentione, Diœceſis Toloſana, de qua lis erat, provinciam ab Aquitania & à Septimania diſtinctam conſtituit. Catello in Hiſtoria * Comitum Toloſanorum, Monaſterium Valada eſt Monaſterium Benerca ſeu Monaſterium Sancti Petri de Benerca *, hodie Prioratus de Benerca quatuor tantùm leucis à Toloſa remotus.

[c] Lib. 1. c. 1.

* *Benerque.*

L. XXII. *In Septimania, Monaſterium Anianæ.* De nomine, finibus, & civitatibus Septimaniæ, diſputatum Tomo primo [d]. Clodoveus Magnus in Septimania ſive in provincia Narbonenſi prima præter Toloſam & Ucetiam nihil obtinuit. Eandem Septimaniam poſteri ſæpè tentarunt nullo memorabili ſucceſſu. Pars igitur præcipua permanſit in poteſtate Wiſigothorum, donec occupata fuit à Saracenis, quos ultra Pyrenen in Hiſpaniam Pippi-

[d] Ad an. 531. n. 13.

nus Rex è Gallia ſummovit. Abhinc Francorum Reges integrâ potiti ſunt Septimaniâ. Carolus Pippini filius provinciam illam, quamvis extra limites veteris Aquitaniæ poſitam, Aquitanici Regni partem eſſe voluit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, cùm Ludovicum filium Regem Aquitaniæ dixit, idque liquet ex rebus geſtis ejuſdem Ludovici, qui generalem in Septimania Conventum anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo conſtituit, atque ex eadem Septimania ſuas in Hiſpaniam copias ſæpè contra Saracenos eduxit. Deinceps Narbo aliæque Septimaniæ civitates Aquitanicis annumeratæ ſunt. Situm eſt autem *Monaſterium Anianæ* in Diœceſi Magalonenſi, quæ pars eſt Septimaniæ. Vocatur Anianum * ab Aniano rivo, necnon Monaſterium Sancti Salvatoris ab Eccleſia in honorem Domini & Salvatoris noſtri conſtructa. Benedicto Abbati, cùm Ludovicus Aquitaniæ Rex eſſet, ſua debet incunabula, eáque refert ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſeptimum, ut ad illum annum Tomo ſuperiore probavimus.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

* *Aniane.*

XXIII. *Monaſterium Galunæ*, Pithœo *Galimæ*, fortè Gelonæ, id eſt, Gelonis, in Epiſcopatu Lutevenſi. LI.

* XXIV. *Monaſterium Sancti Laurentii.* Hoc Cœnobium in Narbonenſi Diœceſi poſitum docet Catellus libro primo Hiſtoriæ Linguodochianæ. LII.

XXV. *Monaſterium Sanctæ Mariæ, quod dicitur in Rubine.* Textus hic corruptus; expuncto *Rubine*, lege *Urbione*. Situm eſt hoc Monaſterium in Septimania, in Diœceſi Carcaſſonenſi, ad Urbionem ſive Orbionem * fluvium. A Saracenis ad Francos cum reliqua tranſiit Septimania Pippino tum Rege. Vocatur hodie Graſſa *. Lege Tomo quinto quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum [a]. LIII.

* *Orbieu.*

* *Graſſe.*

[a] Num. 100.

XXVI. *Monaſterium Cannas* *. Hoc quoque Monaſterium poſitum eſt in Diœceſi Carcaſſonenſi, ut obſervat Catellus in Hiſtoria Linguodochiana [b]. LIV.

* *Cannes.*

[b] Lib. 1.

Sex ac viginti Monaſteriis, quæ commemoravimus, per ordinem nominatis, Auctor addit inſtar coronidis *& cetera plurima, quibus veluti quibuſdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ Regnum.* Deinde quantùm apud Epiſcopos, imò apud laicos Regium hoc exemplum valeret, ita ſubjungit. *Hoc ejus exemplum non modò Epiſcopi multi, ſed & laici quamplurimi æmulati, collapſa reſtaurabant, & nova Monaſteria certabant inſtituere, quod cernere oculis eſt.* Etſi cunctam Ludovico laudem tribuat in erigendis aut inſtaurandis Aquitaniæ Septimaniæque Monaſteriis, ejuſdem tamen gloriæ particeps haberi debet Carolus Magnus, quem pleraque illorum Cœnobiorum ſuum vel conditorem vel inſtauratorem prædicant. In multis enim negotiis Ludovicus id tantùm peregit, quod pater præceperat fieri vel ſibi gratiſſimum fore præmonuerat. LV.

In tantam denique felicitatem res publica Aquitanici Regni profecerat, ut proficiſcente quolibet Rege, vel in Palatio reſidente, vix aliquis reperiretur ſe conquerens aliquid ab jure perpeſſum. Tribus enim diebus Rex per ſingulas hebdomadas rei judiciariæ intererat. Nam quadam tempeſtate Carolus *miſſo Archambaldo Commentarienſi Imperii, dum ei quædam ferenda filio referendáque commiſiſſet, & ille ordinationem hanc, ut viderat, rediens patri retuliſſet, adeò exultaſſe dicitur, ut præ nimia alacritate lachrymis fluxerit, & circumſtantibus, ô, inquit, ſocii, victos nos gratulemur ab hujus juvenis ſenili ſagacitate. Unde quia ſervus fuit Domini fidelis in commiſſo, prudens in augmentando ſibi tradito talento, conſtitutus eſt poteſtatem habens in cuncta patris-familias domo.* Laudandus ſanè Carolus, quòd glotiæ filii ſui non inviderit. Laudandus quoque Ludovicus, quòd & officium ſuum diligentiſſimè ſit executus, & modis omnibus, ne patri ſuſpectus videretur, prudentiſſimè caverit. *Per idem tempus*, inquit idem Aſtronomus, *mortuo jampridem Pippino Italiæ Rege, nuperrimè autem Carolo itidem fratre res humanas relinquente, ſpes univerſitatis potiunda in* LVI. TRIBUS DIEBUS PER SINGULAS HEBDOMADAS VACAT REI JUDICIARIÆ.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

NE PATRI SUSPECTUS FIAT PRUDENTER CAVET.

cum assurgebat. Missus enim pro quibusdam necessariis patrem consulturus Gerricus capis seu scriniis Reliquiarum *prælatus quum in Palatio moraretur præstolans perlatorum responsum, monitus est tam à Francis, quàm à Germanis, ut ad patrem Rex veniret, eique propter assisteret; videri sibi dicentes, quòd cùm pater jam in senilem vergeret ætatem, & acerbè ferret liberorum infortunatam defectionem, citam illius hæc portenderent corpoream solutionem. Quod Gerricus cùm Regi, Rex verò Consiliariis retulisset, quibusdam vel penè omnibus visum est salubre suggestum. Sed Rex altiori consilio, ne fortè per hoc se patri suspectum redderet, agere distulit. Hæc tamen Divinitas, pro cujus timore & amore facere noluit, ut sibi moris est amatores sui sublimius, quam cogitari potest, nobilitare, prudentiùs ordinavit*, ut anno proximo dicturi sumus.

LVII. EPISCOPI MUTINENSES. [a] In Episc. Mutinens.

Geiso seu Giso vel Gisio Mutinensis Episcopus, postquàm Ecclesiam sibi creditam benè sanctéque gubernasset, hoc circiter anno migravit è vita. Successit Adeodatus. Lege Ughellum Tomo secundo [a] Italiæ Sacræ.

LVIII. FRISINGENSES.

Certior est Frisingensium Episcoporum Chronologia, quæ mortem Attonis Hittonisque subrogationem hoc anno determinatè consignat. In hac sententia versantur Gewoldus & Bucelinus, nituntúrque manuscripto Frisingensium Episcoporum Catalogo, quem Gewoldus allegat in Hittone. Quæ de Gestis hujus Antistitis ibi commemorantur, alio describemus loco, sufficiet impræsentiarum notasse, quòd asseratur assumptus *in Cathedram Episcopalem Frisingensis Sedis anno Domini* DCCCXII.

LIX. STRASBURGENSES ET ALETENSES.

Hoc eodem anno vitam clausérunt in Galliis Recho seu Rato vel Ratto Strasburgensis Episcopus & Docmaël Episcopus Aletensis, ille anno sui Pontificatûs nono, hic vicesimo. Rechoni successit Utho, Docmaëli subrogatus est Heloga. De his consule Armoricam Sanctam in Episcopis Maclovienſibus, de illis Bruschium & Bucelinum cum Wimphelingio, apud quem *Uto scribitur fuisse amator virtutum, peritus, sapiens, & benè doctus; natus Argentinæ* seu Strasburgi *in platea, quæ ab ejus nomine in hodiernum diem appellatur Utengasse.*

LX. VOLFERIUS ARCHIEP. VIENNENSIS OBIT.

Obiit etiam in Galliis hoc anno Volferius seu Vulferius aut Vulferi Viennensis Archiepiscopus, teste enim Adone *rexit Ecclesiam Viennensem annis undecim*, ab anno videlicet octingentesimo primo. Quandiu Volferius sedit, Romanum Pontificatum gessit Leo Papa Tertius, Imperatoriam dignitatem Carolus. Epistolam Leonis ad Volferium Carolo Imperatore Boscius & Lievræus ita recitant. *Leo Episcopus servus servorum Dei, Volferio Viennensi Archiepiscopo & cunctis Episcopis per Viennensem provinciam constitutis. Petente inclyto ac triumphatore filio Karolo Augusto & Invictissimo Imperatore, more prædecessorum nostrorum, Galliarum Episcopis sua jura firmavimus, pro quo etiam Presbyterum tuum ad nos direxisti, ut tibi antiqua Privilegia roboraremus. Scias autem nos ab eorum institutionibus nolle deviare, &, quæ illi Ecclesiæ tuæ contulerunt, nos velle inconcussa servare. Et licèt Tarentasiæ Episcopus aliquibus oppidis videatur prælatus, tamen provincia Alpium Graiarum ditioni Viennensis Ecclesiæ submissa, sicuti à prædecessoribus nostris confirmatum est, manebit. Nec debet Episcopus supradictæ provinciæ humilitatis viam in subditione majoris contemnere, cùm constet eum gratiâ muneris aliquibus prælatum excellere. Quanta autem ab impiis passi sumus, te ignorare non dubitamus. Unde propter Beatum Petrum tu tuique nobis faveatis, ne malignorum iniquitas valeat, rogamus, & Apostolicâ Reverentiâ monemus. Data* XV *mensis Julii, Imperante Piissimo Augusto Karolo Imperatore, à Deo coronato.* Hæc epistola, quocumque Volferii Metropolitæ Viennensis anno scripta censeatur, commentitia nobis videtur, quia Darantasiensem Archiepiscopum post annum Redemptoris octingentesimum primum, quo Volferius Archiepiscopatum Viennensem suscepit, Metropolitam auctoritatis adhuc imminutæ supponit, vúltque Viennensi αὐτοκεφάλῳ subjectum permanere ex sententia Leonis Papæ Tertii nolentis à prædecessorum institutionibus deviare. Huic autem opinioni valdè refra-

SUPPOSITITIÆ AD EUM LEONIS PP. LITERÆ.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

gantur quæ ſcripta ſunt ad annos Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum & octingenteſimum undecimum. In Concilio Francofordienſi, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto celebratum legitur, circa quæſtionem quæ de Darantaſienſi Metropolita vertitur, utrum Archiepiſcopus primi generis ſive αὐτοκεφαλὸς an Archiepiſcopus ſecundi generis ſive auctoritatis imminutæ habendus ſit, octavo Canone Patres decernunt, ut *quidquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ*, ad quem *Legatio* facta eſt, *definitum fuerit, hoc teneatur*. Apoſtolicæ tunc Sedi præerat Hadrianus Papa. Quid hic aut ejus ſucceſſor Leo definierit, exploratum habemus ex Indice Metropoliticarum civitatum, quas anno Redemptoris octingenteſimo undecimo Carolus Imperator in ſuo Teſtamento complexus eſt, in hac enim enumeratione, quæ ſolas Metropoles αὐτοκεφαλὰς recenſet, haud omittitur Darantaſia. Suppoſititiæ ſunt igitur quæ circumferuntur Leonis Romani Pontificis ad Volferium Viennenſem Archiepiſcopum literæ. Volferio ſucceſſit Barnardus Abbas Ambroniacenſis, qui teſtibus, Boſcio, Chenutio, Sauſſayo, & Guichenono, tenuit Archiepiſcopatum annis ſex ac triginta, id eſt, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodequinquageſimum, ut ad illum annum fuſiùs probabimus.

BARNARDUS FIT ARCHIEP. VIENNENSIS.

In Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium hæc leguntur. *Anno 812 Verdatus epiſcopabat: Grimoaldus abbatiabat.* De Verdato Albigenſium Epiſcopo ſub initium hujus Tomi jam locuti ſumus [a]. Grimoaldus Abbas Caſtrenſis ad annos Redemptoris octingenteſimum duodecimum & octingenteſimum decimum-quintum commendatur inſigni hoc elogio. *Grimoaldus V. Abbas an. 812. & 815.*

LXI. VERDATUS EP. ALBIGENSIS.

[a] Ad an. 805. n. 22.

GRIMOALDUS ABB. CASTRENSIS.

Bellum atrox, urgénſque fames, peſtiſque cruenta
Cuncta vorant, Trini terna flagella Dei.
O fera corda hominum, quæ tantis acta procellis
Accumulant ſemper crimina criminibus.
Inter tot clades ſine damno Caſtra fuere,
Virtute Abbatis conciliante Deum.

LXII. ALANUS EP. NAMNET. BENEDICTUM HOMINEM GRÆCUM CUM SORORE AC SOCIIS BENIGNE SUSCIPIT.

Alanus Namnetenſis Epiſcopus Benedictum hominem Græcum apud Patras Achaïæ civitatem ordine Senatorio natum, Aveniam ejùs ſororem, novémque comites ad ſe venientes hoc anno benigniſſimè ſuſcepit. Hi relictâ patriâ mare Mediterraneum ac fretum Gaditanum emenſi, per Oceanum ad oſtium Ligeris, adverſóque deinde flumine Namnetas tandem pervenerunt. Audito, quid conſilii cepiſſent, Alanus Epiſcopus Aveniam congregationi Monialium in urbe Namnetenſi degentium adſcripſit, Benedictum ejúſque ſocios Gundeboldo Namnetenſi Comiti commendavit. Gundeboldus dedit illis Maceracum *, locum ſolitariæ vitæ percommodum ad Vicenoniam * fluvium in ultimis finibus Diœceſis Namnetenſis. Illic Benedictus Eccleſiam erexit decémque circùm cellulas, in quibus ipſe ſociique ſejunctim habitarunt. Lege Albertum [b] in Armorica Sancta, & Sauſſaium [c] in Martyrologio Gallicano.

* *Macerac.*
* *la Vilaine.*
[b] D. 22. Oct.
[c] D. 1. Oct.

LXIII. ABBATES BLANDINIENSES.

Obiit hoc anno Scoranus Abbas Blandinienſis, eíque ſucceſſor datus eſt à fratribus in exilio degentibus vir inſignis pietate Folradus, de quo conſule Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ.

LXIV. TEMPLA DEDICANTUR, BLEÏSTADIENSE,

Hoc eodem anno Riculfus Moguntiacenſis Archiepiſcopus Bleïſtadienſe Templum dedicavit. Nicolaus Serarius in rebus Moguntiacis [d] tres notat Characteres, annum videlicet Incarnationis Dominicæ cum Indictione ac die. *Anno*, inquit, IↃCCCXII, *Indict.* XIV. *menſe Junio*, VIII *Idus, prout ejus ipſius Templi, hodiernâ adhuc die, picturis loquuntur parietes.* Irrepſit nævus in Indictionem; expunctâ Indictione XIV, reſtituenda eſt V. Præterea idem Riculfus Eccleſiam Slitiſſæ dedicavit duodecimo Kalendas Octobris. Hujus rei vetus monumentum apud Chriſtophorum Browerum libro ſecundo [e] Fuldenſium Antiquitatum ſic extat. *Anno* DCCCXII. *dedicata eſt*

[d] Lib. 4. Archiep. 3.
[e] Cap. 12.

AN. CH. 812. ET SLITISSENSE. * *Slitz.*

Eccleſia in Slitiſſe, rogatu Baugolphi à Richolpho Venerabili Archiepiſcopo Moguntiacenſis Eccleſiæ, XII *Kalend. Octob. in honorem S. Margaretæ Virginis.* Slitiſſa * oppidum eſt Eccleſiæ Fuldenſis etiamnum clientelare intra montium fauces haud procul ab amne Fulda. Quòd autem Slitiſſenſis Eccleſiæ Dedicationem *rogatu Baugolphi* factam audis, id indicio eſt Baugolphum Abbatiali munere ſic excidiſſe, ut quam ſibi priùs exiſtimationem pepererat, imminutam quidem apud pleroſque, ſed nequaquam vel oblivioni datam vel penitus amiſſam ſenſerit, maximè cùm pòſt exauctorationem laudabiliter vixerit, partim in Cœnobio ſui nominis à ſe conſtructo, vulgò *Baugolffes-Munſter*, ubi ſepeliri voluit, partim in monte Fuldæ vicino, *Ugelsberge* vel *Hugesberg* olim appellato, ubi quoque fundamenta novi Cœnobii ſub nuncupatione Sancti Petri poſuit. Adde quòd adversùs Ratgarium Abbatem graves jam audiebantur Fuldenſium Monachorum querelæ, de quibus agemus anno proximo.

LXV. CAROLUS AUG. MUNIFICUS ERGA MON. INFERIORIS ALTAICHII.

Carolus Imperator ad Geroldi Comitis deprecationem hoc anno locum in Avaria ſive Hunia quaſi quadraginta manſorum Monaſterio Inferioris Altaichii conceſſit. Sunt autem apud Gewoldum nævi quidam in Characteribus Diplomati ſic appoſitis. *Datum 6. Cal. Decembr. anno, Chriſto propitio, Imperii noſtri duodecimo, Regni verò in Francia 44. atque 37 in Italia, Indictione quintâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.* Super loco nulla difficultas, Carolum enim illo tempore Aquiſgrani degiſſe veteres innuunt Annaliſtæ. Duodecimus annus Imperii per menſem Novembrem cum anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo convenit. At non ita convenit cum Indictione quinta & anno Caroli regnantis in Francia quadrageſimo-quarto, nam ſi principium Indictionis, ut fieri ſolet, petatur à Kalendis Septembribus, & initium Regni Carolini in Francia ſumatur ab obitu Pippini patris, anno duodecimo Imperii Carolini ſive anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo per menſem Novembrem ſexta jam currit Indictio numeratúrque annus Caroli regnantis in Francia quadrageſimus-quintus. Si quis tamen obſtinatiùs Indictionem quintam & annum Caroli Regis in Francia quadrageſimum-quartum ſervare contendat, neceſſe eſt ut menſem Novembrem mutet in alium qui Septembrem anteceſſerit, aut ſubterfugium accommodatâ quærat interpretatione, quia non deſunt Auctores, qui principium idem & Indictionis & anni ducant ſive à die Natali Domini, ſive à Kalendis Januariis, aut à Paſchate, annóſque Regis de quo ſermonem habent, non à die quo regnare cœpit, ſed ab initio anni ſubſequentis ordiantur, & talem computandi modum in quibuſdam Chartis ac Diplomatibus probent. Reſtat adhuc annus Caroli regnantis in Italia triceſimus-ſeptimus, quocum annus duodecimus Imperii ejuſdem Caroli, id eſt, annus Redemptoris octingenteſimus duodecimus comparari nullomodo poteſt, ſive ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto quo Carolus Longobardiam ſubegit, ſive ab anni proximè ſequentis initio principium Regni Carolini deſumatur. Hac obſervatione præmiſſâ ipſum Caroli Præceptum accipe. *In Nomine Patrûs & Filii & Spiritûs Sancti. Carolus Sereniſſimus Auguſtus à Deo coronatus, Magnus, Pacificus, Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Quicquid enim ob amorem Omnipotentis Dei ad loca Sanctorum venerabilium pro mercedis animæ noſtræ augmento concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnium fidelium noſtrorum magnitudini, præſentium ſcilicet & futurorum, quoniam nos in eleemoſyna noſtra ad deprecationem Geroldi Comitis fidelis noſtri concedimus atque confirmamus ad Monaſterium S. Mauritii, quod eſt ſitum in Ducatu Bajoariorum, in loco nuncupante Altaha, ubi Orulfus* ſive Urolfus *Rector præeſſe videtur, locum quendam in Avaria, ubi Rieloha fluvius Danubium ingreditur. Eſt autem æſtimatio illius loci quaſi 40 manſorum. Qui locus ſub omni integritate partibus memorati*

rati Monaſterii per hanc noſtræ auctoritatis largitionem vel confirmationem perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quilibet fidelium noſtrorum memorato Orulfo Abbati, vel ſucceſſoribus ejus, aut Monachis in memorato Monaſterio vitam degentibus, ullam inquietudinem aut calumniam aut diminorationem de prædicto loco ullo unquam tempore facere præſumat, ſed perpetuis temporibus per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum vel largitatis donum robuſtiſſimo jure pars ipſius Monaſterii teneat atque poſſideat. Et ut hæc Præceptio noſtra vel confirmatio noſtris vel futuris temporibus meliùs conſervetur, de annulo noſtro ſubtus ſigillare juſſimus. AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Inter Alcuini opera reperitur ſub epiſtolæ nomine libellus *de cæremoniis Baptiſmi* inſcriptus *Glorioſiſſimo & Excellentiſſimo Auguſto à Deo coronato Carolo Sereniſſimo.* Sed falsâ conjecturâ, quòd titulo careret Alcuino tributus fuit, cùm auctor reverà ſit Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus, ut ex Codice Petaviano ſe didiciſſe teſtatus eſt Jacobus Sirmondus in Notis ad librum, quem *de Ordine Baptiſmi* Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus exaravit. *Certè*, inquit Joannes Mabillonus [a] in Adnotatione ad epiſtolam quam Carolus Magnus Odilberto Archiepiſcopo Mediolanenſi ſcripſit, *quæ ſub ejus libri finem leguntur, Epiſcopo rectè non verò Alcuino conveniunt*, imò conveniunt Archiepiſcopo, cui ſubſunt Epiſcopi Suffraganei. *Dixiſtis*, ait Auctor libelli, *Sereniſſime Imperator, velle vos ſcire, qualiter nos & ſuffraganei noſtri doceremus populum Dei de Baptiſmi Sacramento.* Subdit Mabillonus nihil obſtare *quo minùs Alcuinus hunc librum ſcripſerit nomine Amalarii, qui graviſſimis negotiis occupatus Alcuino commiſerit provinciam nomine ſuo reſpondendi ad interrogata Imperatoris.* At hoc fieri nullomodo potuit, quia priùs obiit Alcuinus, quàm Amalharius in Trevirenſi Cathedra collocaretur. Stamus igitur pro Sirmondo, & prædictum librum exiſtimamus opus eſſe genuinum Amalharii, qui reverſus è Tranſalbianæ Saxoniæ partibus, hujuſcemodi lucubrationem hoc exararit anno poſteróque iter in Orientem ad pacem inter utrumque Imperatorem confirmandam ſuſceperit. Amalharium hoc anno reverſum è Tranſalbiana Saxonia non obſcurè docet Ludovicus Pius in Diplomate, cujus fragmentum anno priore jam deſcripſimus, res enim hoc biennio geſtas uno tenore ſic enarrat. *Genitor noſter Glorioſæ memoriæ Karolus, poſtquàm terram Nordalbingorum, laxatâ captivitate, quam, ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam, per ſeptennium*, ab anno videlicet Redemptoris octingenteſimo quarto ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum, *paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ecberto Comiti reſtituere præceperat, non jam vicinis Epiſcopis locum illum committere voluit. Sed ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quemdam Epiſcopum, Amalarium nomine, direxit, qui primitivam Eccleſiam ibidem conſecraret. Sed & eidem Eccleſiæ ſacras Reliquias ac plura Eccleſiaſtica munera, piâ largitate, ſpecialiter deſtinare curavit. Poſtmodum verò*, nempe hoc anno, Redemptoris octingenteſimo duodecimo, *captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eamdem Parochiam cuidam Presbytero, Heridac nomine, ſpecialiter commendavit, quem univerſæ Nordalbingorum Eccleſiæ, videlicet ne ad ritum relaberentur Gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc Gentibus videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari Epiſcopum, ut ipsâ occaſione vel auctoritate, ſummâ in ipſis terminis Gentium ſedulitate prædicandi Sancta multiplicaretur Eccleſia, dum vicinorum ipſius novitatis Epiſcoporum multa latitudinis cura non ſufficiebat diſcurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quamdam Cellam, Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret ſupplementum.* Qui revertente in Galliam Amalhario curam erudiendarum Gentium Tranſalbianarum hoc anno ſuſcepit Heridagus Preſbyter, à nonnullis primus Hamburgenſium Epiſcopus appellatur. Apud Nicolaum *Schaten* Epiſcopatus in Saxonia fundati ſic enumerantur. *Antiquiſſimus Oſnabrugenſis. Inde Paderbornenſis, Halberſtadienſis, Bremenſis, Verdenſis,*

LXVI.

[a] Tom. 1. vet. Analect.

AMALARIUS ARCHIEP. TREVIRENS. REDIT IN GALLIAM, SCRIBITQUE LIBRUM DE RITIBUS BAPTISMI.

HERIDAGUS PRESBYTER ERUDIT GENTES TRANSALBIANAS.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Mindenſis, Mimigardevordenſis ſeu Monaſterienſis, Hildeſienſis, fundati. His acceſſere Hamburgenſis & Schildrenſis, cœpti inchoatique à Carolo Magno; alterum Ludovicus Pius, alterum ceteri Imperatores, dum poſtremò Magdenburgum transferretur, Otto Magnus abſolvit. Deinde Eccleſiarum, Hildeſianæ, Hamburgenſis, & Schildrenſis, primi ſic recenſentur Epiſcopi; *Hildeſimenſi Guntherum, Hamburgenſi Heridagum, Schildrenſi Albertum præfecit Carolus.* At aliter ſe res habuit. Trium Eccleſiarum proximè nominatarum nullus ordinatus eſt Epiſcopus ſuperſtite Carolo. Guntherus ſeu Guntharius Aulicæ, cùm Carolus Cathedralem illic Eccleſiam in honorem Principis Apoſtolorum erigebat, concionatus eſt aliquandiu, deinde factus eſt Epiſcopus illius loci, nec inde Sedem niſi poſt Caroli mortem Hildeſiam tranſtulit, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum fuſiùs exponemus. Heridagus obiit Preſbyter, & ſublato ex hac vita Carolo curam Tranſalbianarum Gentium Ludovicus vicinis Epiſcopis, Bremenſi videlicet ac Verdenſi, rurſum commiſit, ut ad eundem annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum ex ipſius Ludovici Diplomate probaturi ſumus. Inchoavit quidem Carolus Eccleſiam Schildrenſem, ſed Epiſcopum ei non præfecit Albertum, qui ſedere Magdeburgi ſub Ottone Primo cœpit. Aliorum Epiſcopatuum, quos Carolus Magnus in Saxonia fundavit, primas origines ſuis locis aperuimus. Quem Auctor proximè citatus Mimigardevordenſem ac Monaſterienſem promiſcuè vocat, Monaſterienſem nondum diximus, quia ſeriùs hæc appellatio uſurpari cœpta. Nondum quoque meminimus Halberſtadienſis Epiſcopatûs, quia Hildegrimus, qui primus Salingeſtadienſis Epiſcopus, deinde & primus Halberſtadienſis fuit, integro decennio, Salingeſtadii ſedit, ab anno videlicet Redemptoris octingenteſimo decimo quo factus eſt Salingeſtadienſis Epiſcopus, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum, quo Sedem Epiſcopalem Salingeſtadio Halberſtadium tranſtulit. Salingeſtadienſis Epiſcopatus antiquior Aulicenſi prædicatur. *Aulicam*, inquit Krantzius [a], *aulici locum dixere, quòd crebriùs ibi Rex Glorioſiſſimus* Carolus, *quum eſſet in provincia reſideret. Circumſpiciens autem opus eſſe & his populis proprio Sacerdote, quòd longiùs abeſſet Salingeſtedenſis (nunc Halberſtadenſis) Epiſcopus, igitur Eccleſiæ ſuæ ibi exædificatæ Pontificem juſſit conſecrari Venerabilem Sacerdotem Guntherum, qui illam inibi rexit per reliqua Caroli Magni tempora uſque ad Ludovicum ejus filium, & Regni & Imperii ſucceſſorem.* Porrò cùm Salingeſtadienſis Epiſcopatus haud erectus ſit ante annum Redemptoris octingenteſimum decimum, quartóque pòſt anno Carolus ex hac vita migrarit, Aulicenſis Epiſcopatus hoc anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo videtur inſtitutus. Aulicæ nomen vetuſtius fuit, auditum enim ab illis temporibus, quibus Carolus necdum Imperator *moram fecit in Orientali Saxonia, quòd fidem quorumdam ſentiret vacillare, reſpicientium in Wandalorum arma auxiliaria, & caſtra firmavit inter duos rivos, in ea provincia confluentes*, id eſt, inter Salam & Leynam, nam Sala perennis rivulus in ſiniſtram Leynæ ripam egeritur, & ad confluentes extructa fuit Aulica, hodie Elzium *. *Ibi prima Cathedralis Baſilica futuro Epiſcopatui conſtructa eſt à Divo Carolo Magno in honorem Principis Apoſtolorum Sancti Petri, à qua Epiſcopatus primùm Aulicenſis Epiſcopatus dictus eſt.* Lege Bruſchium in Præfatione Catalogo Hildesheymenſium Epiſcoporum præfixa. Ut autem Salingeſtadienſis, ſic & Aulicenſis Epiſcopus provinciæ attributus eſt Mogunciacenſi. Rationem reddit Godefridus Henſchenius [b] in Commentario Sancti Sviberti primi Verdenſis Epiſcopi. Saxoniam enim, quam veteres Annales [c] anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo diviſam à Carolo produnt *inter Presbyteros & Epiſcopos, ſeu & Abbates, ut in ea baptizarent & prædicarent*, ait à Carolo ſeparatam duas in partes, id eſt, in Oſtphaliam & Weſtphaliam, medio inter utramque fluvio Viſurgi, duobúſque vicinis commiſſam Metropolitis Moguntino videlicet ac Colonienſi, quorum

[a] Lib. 1. Metrop. c. 10.

AULICENSIS ERIGITUR.

* *Elſen.*

[b] D. 30. April.

[c] Tom 2. Collect. Hiſt. Franc. pag. 21.

SAXONIA DUAS IN PARTES DIVIDITUR.

EPISCOPATUS SAXONIÆ.

ille Oſtphaliam ſeu Saxoniam Orientalem trans dexteram Viſurgis ripam, hic Weſtphaliam ſeu Saxoniam Occidentalem cis lævam Viſurgis ripam procuraret; additque hac ex partitione factum, ut Sedes Epiſcopales, quæ poſteris annis erectæ ſunt in Saxonia, ſi trans Viſurgim, Moguntiacenſi Metropolitæ, ſi cis eundem amnem, Colonienſi ſubjacuerint. Salingeſtadium igitur & Aulica, quia trans Viſurgim erant in Oſtphalia, partem conſtituerunt provinciæ Moguntiacenſis, & illarum Eccleſiarum Epiſcopi Moguntino Metropolitæ paruerunt. Idem Auctor [a] obſervat de Hildegrimo Salingeſtadienſi Epiſcopo, quòd Carolo ſuperſtite varias Werthinenſi Monaſterio poſſeſſiones emit, atque inter has *cortile in pago Brunnengao in villa Melenhem, anno* XII *Imperii Domni Carli*, id eſt, hoc anno, XV *Kal. Novembris*; item *jornales ſex in villa Menithinna, pago Ruracgauâ, imperante Domno Carlo.* Ceteras emptiones cum multis Donationibus, quia factæ ſunt utræque Ludovico jam Imperatore, poſt obitum Caroli rejiciemus, &, quantùm fieri poterit, ſingulas ſuis annis conſignabimus.

AN. CH. 812.

DUOBUS SUBEST METROPOLITIS.

[a] D. 26 Mart. in Commentar. prævio vitæ S. Ludgeri, n. 29.

HILDEGRIMUS EP. SALINGEST. MUNIFICUS ERGA WERTHINAM.

Carolus encyclicas literas Archiepiſcopis Regni ſui direxit, ut eorum ſcriptis certior efficeretur, qualiter & ipſi & illorum Suffraganei Preſbyteros Dei plebémque ſibi commiſſam inſtruerent de Baptiſmo Non poteſt in dubium vocari, quin exemplum talium literarum à Carolo quatuor hi Metropolitæ, Magno Senonenſis, Joannes Arelatenſis, Odilbertus Mediolanenſis, & Amalharius Trevirenſis acceperint. Literæ Caroli ad Odilbertum Mediolanenſem Archiepiſcopum inter Analecta vetera publicatæ ſunt à Mabillono. Similibus literis pulſati Magno Senonenſis Archiepiſcopus & Joannes Archiepiſcopus Arelatenſis Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum impulerunt ad ſcribendum librum *de ordine Baptiſmi*; nec alia ratio quærenda, cur illum librum, quem Codices, Virodunenſis, Divionenſis, & Vaticanus, Magnoni Metropolitæ Senonenſi inſcribunt, Corbeienſis inſcribat Joanni Arelatenſi Metropolitæ, ut Sirmondus in ſuis ad eundem librum Notis teſtatur. Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus pares quoque literas ſibi tranſmiſſas à Carolo ſic aſſerit initio ſui libelli. *Domine mi Chriſtianiſſime Imperator, miſiſtis ad ſervulum veſtrum inquiſitiones ſecundùm veſtram miſericordiam de ſacro Baptiſmate per ordinem interrogantes, cur unaquæque res agatur in Baptiſterio aut in ſcrutinio.* Et in fine ejuſdem operis addit Carolum ſcire voluiſſe non tantùm qualiter ipſe Archiepiſcopus ſed etiam qualiter ipſius Suffraganei docerent *populum Dei de Baptiſmi Sacramento.* Textum, quia brevis eſt, non piget denuò repetere. *Dixiſtis, Sereniſſime Imperator, velle vos ſcire, qualiter nos & Suffraganei noſtri doceremus populum Dei de Baptiſmi Sacramento.*

LXVII. CAROLUS AUG. AB ARCHIEPISCOPIS RESPONSIONES POSTULAT AD INTERROGATIONES DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

Literæ Caroli ad Odilbertum Mediolanenſem Archiepiſcopum ſic editæ ſunt. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Carolus Sereniſſimus Auguſtus, à Domino coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, gubernans Imperium quidem, & miſericordiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, Odiberto Archiepiſcopo in Domino ſalutem. Sæpiùs tecum, immo & cum ceteris Collegis tuis*, id eſt, cum ceteris Archiepiſcopis, *familiare colloquium de utilitate Sanctæ Dei Eccleſiæ habere voluiſſemus, ſi abſque moleſtia corporali id efficere potuiſſes. Sed quamvis Sanctitatem tuam in divinis rebus totâ intentione vigilare non ignoremus, omittere tamen non poſſumus, quin tuam devotionem Sancto incitante Spiritu noſtris apicibus compellamus atque commoneamus, ut magis ac magis in Sancta Dei Eccleſia ſtudiosè ac vigilanti curâ laborare ſtudeas in prædicatione ſancta & doctrina ſalutari, quatenus per tuam devotiſſimam ſolertiam verbum vitæ æternæ creſcat & currat, & multiplicetur numerus populi Chriſtiani in laudem & gloriam Salvatoris noſtri Dei. Noſſe itaque per tua ſcripta aut per teipſum volumus, qualiter & tu, & Suffraganei tui doceatis & inſtruatis Sacerdotes Dei & plebem vobis commiſſam de Baptiſmi Sacramento; id eſt, cur primò infans Catechumenus efficitur, vel quid ſit Catechumenus; deinde per ordinem omnia quæ aguntur. De*

LXVIII.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

ſcrutinio, quid ſit ſcrutinium. De Symbolo, quæ ſit ejus interpretatio ſecundùm Latinos. De credulitate, quomodo credendum ſit in Dominum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, & omnia quæ ſequuntur in eodem Symbolo. De abrenuntiatione Satanæ & omnibus operibus ejus & pompis. Quid ſit abrenuntiatio, & quæ opera ejus diaboli & pompa. Cur inſufflatur & cur exorcizatur. Cur Catechumenus accipit ſalem. Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo; cur ſcapulæ ſignantur, & quare pectus & ſcapulæ lavantur. Cur albis induitur veſtimentis; cur ſacro Chriſmate caput perungitur; & myſtico tegitur velamine; & cur Corpore & Sanguine Dominico confirmatur. Hæc omnia ſubtili indagine per ſcripta nobis, ſicut diximus, nunciare ſatage; & ſi ita teneas & prædices, aut ſi in hoc quod prædicas teipſum cuſtodias. Benè vale, & ora pro nobis.

LXIX. Quid ad ſingulas interrogationes Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus & Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus reſponderint, ex eorum ſcriptis per ordinem mox relaturi ſumus. Priùs autem obſerva prolixas à Jeſſæo Ambianenſi Epiſcopo ſuper eadem materia ſcriptas fuiſſe literas, quas Joannes Cordeſius Lemovicenſis Canonicus poſt Opuſcula Hincmari Remenſis Archiepiſcopi publicavit cum hac inſcriptione. *Sacris Sacerdotibus, & in Chriſto omnibus Diœceſi noſtræ dignè militantibus Jeſſe humilis Epiſcopus in Domino ſalutem.* Initio ſuæ ſcriptionis Jeſſe teſtatur à Diœceſi ſe abeſſe, inſinuátque gravibus ſe negotiis implicitum detineri. *Breviter*, inquit, *vobis, in quantum temporum adfuit ſpatium, qualiter à ſacri Baptiſmatis unda pervenire dcbeatur, ſcribendo perſtrinximus.* Ex hac periodo nonnulli ſciptam putant epiſtolam, cùm Jeſſe Conſtantinopoli Legationem obibat, de qua Tomo ſuperiore ad annos Redemptoris octingenteſimum ſecundum & octingenteſimum tertium diſſeruimus. At anno Redemptoris octingenteſimo octavo Jeſſe fuit è Miſſorum numero, qui Ravennam ab Imperatore Carolo directi ſunt vituperatíque poſtmodum à Leone Papa, quòd cùm illuc ad juſtitiam faciendam miſſi fuiſſent, non juſtitiam ſed damnum fecerunt. Ipſas literas, in quibus Pontifex valdè conquerebatur, integras ad illum annum recitavimus. In Caroli quoque comitatu plerumque moratus eſt Jeſſe, vel in Aquiſgranenſi Palatio, vel aliis in locis ab Ambianenſi Diœceſi longè diſſitis. Sive autem Legatione fungebatur, ſive in Comitatu Regis erat aut in Miſſatico, cùm abeſſet à ſua Diœceſi, ſcripſit de Baptiſmi cæremoniis eodem circiter tempore, quo ſuas Amalharius & Theodulphus lucubrationes exararunt.

LXX. Amalharius opus ſuum in capitula viginti & unum, Theodulfus in capitula duodevigenti, Jeſſæus in pauciores interrogationes ac reſponſiones diſtinxit. Tres hos Auctores ſimul ad ſingulas interrogationes Caroli conferemus, præmiſsâ Theodulfi Præfatione, quia non tantùm confirmat ea quæ de Magno ſeu Magnone Metropolita Senonenſi déque eodem Theodulfo dicta ſunt, ſed & ſingularem Caroli Auguſti commendationem ſic exhibet. *Reverentiſſimo atque cariſſimo fratri Magno Epiſcopo Theodulphus ſalutem. Præceptum tuum, vir venerabilis Magne, peregi, &, ſi non ſollerti efficaciâ, plenâ tamen obedientiâ. Præcepiſti enim mihi, immò per te caritas præcepit, ut quibuſdam quæſtionibus de ordine Baptiſmi à Domino & Glorioſo Imperatore Carolo tibi tranſmiſſis breviter & citò reſponderem. Coartantibus itaque me hinc brevitate, quâ cogebar brevi ſermone res magnas expedire, illinc temporis angustiâ, quâ citò quod juſſeras adimplere volebam, explevi quod juſſiſti. Quod opus ô utinam eſſet tam efficaciter expletum, quàm eſt libenter ſuſceptum. Quinquam ergo mihi ſpatiosè tractandi, & Patrum volumina revolvendi, quibuſdam occupationibus præpedientibus, facultas nulla ſuppeteret, & me ad juſſionem implendam caritas permoveret, de ſingulis, quæ mihi occurrere potuerunt, celeri curſu ſcripſi, & veſtræ fraternitati miſi, ut, ſi non habuerint reſponſa emolumentum, ſaltim obedientia habeat fructum. Quæſtiones interèa iſtæ, ut ego te noſſe certus ſum, à Regali Celſitudine non ſunt factæ neceſsitate diſcendi, ſed ſtudio docendi: nec ut*

Digitized by Google

ipſe his abſolutis de neſcitis valeat imbui, ſed ut alii de ſomno deſidioſi torporis ad rerum abſolvendarum utilitatem valeant excitari. Quippe cui hoc ſemper familiare eſt, ut exerceat Præſules ad Sanctarum Scripturarum indagationem, & ſanam ſobriámque doctrinam, omnem Clerum ad diſciplinam, Philoſophos ad rerum divinarum humanarúmque cognitionem, Monachos ad Religionem, omnes generaliter ad ſanctitatem, Primates ad conſilium, Judices ad juſtitiam, milites ad armorum experientiam, prælatos ad humilitatem, ſubditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam atque concordiam. His & his ſimilibus rebus ille virorum optimus, Deo ſibi propitio, Sanctæ Eccleſiæ faſtigium adcumulare non ceſſat, & admirabili in rerum Eccleſiaſticarum ſive civilium adminiſtratione ſtrenuus, & ſapientiæ fonte redundat, & virtutis exhibitione triumphat.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

LXXI. DE CATECHUMENIS.

Imprimis Carolus in ſuis ad Odilbertum Archiepiſcopum literis quærit, *cur primò infans Catechumenus efficitur, vel quid ſit Catechumenus.* Apud Amalharium, *interrogationum prima hæc conſiſtit, cur Infans Catechumenus fiat ante Baptiſmum*, & capitulum primum totum eſt *de Catechumenis*. Theodulfus capitulo primo docet, *cur Infans Catechumenus efficitur*; altero, *quid ſit Catechumenus*. Amalharius ſic habet. *Scimus, Excellentiſſime Imperator, omnes homines ſub jugo peccati teneri, ab ipſo articulo nativitatis ejus uſque ad ſecundam nativitatem, & veridicam eſſe ſententiam Pſalmiſtæ, qui inquit.* [*Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*] *Et hoc eſt propter inobedientiam primi hominis & ejus tranſgreſſionem, à quo ducimus originem carnalem. Et non poſſe nos reformari ad imaginem ejus, qui nos creavit, niſi per ſalutare Baptiſma, quod nondum accepimus, neque patet aditus Regni cælorum, niſi renaſcamur ex aqua & Spiritu Sancto. Sumus enim ante Baptiſma in tenebris ignorantiæ, in deſideriis carnis ambulantes facimus ea quæ non conveniunt. Vivimus ſecundùm veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, ideóque qui deſiderat ſecundùm novum hominem renovari, neceſſe eſt ut inſtruatur à Doctoribus Eccleſiæ, qualis ante Baptiſmum ſit, qualis poſt Baptiſmum ſit futurus per Dei gratiam, ut de tenebris peccatorum in lucem veritatis convertatur, relicto nomine falſorum Deorum colat unum Deum vivum & verum. Et poſtquàm hæc percipit à Catholico Doctore, Catechumenus dicitur, inſtructus, ſive auditor. Non poſſumus cognoſcere veritatem, antequàm ſciamus quid ſit falſum. Igitur oportet nos docere illum, à quo receſſerit peccando, & in quo errore permaneat. Et poſteà in quem oporteat credere, & fidem tenere per opera charitatis. Et ſicut Auguſtinus ait in libro de fide & operibus ſic catechizandos eos qui Baptiſmum petunt, ut non ſolùm audiant atque ſuſcipiant quid credere, verùm etiam qualiter debeant vivere. Sic promitti fidelibus vitam æternam, ut non etiam per fidem mortuam, quæ ſine operibus ſalvare non poteſt, ad eam ſe quiſque poſſe pervenire arbitretur, ſed per illam fidem gratiæ, quæ per dilectionem operatur. De qua inſtructione ſi quis vult, ſatis reperire poteſt in Auguſtino de catechizandis rudibus. Super parvulos orationem faciant, ut cæcitas cordis ab eis depellatur, dirumpantur laquei Sathanæ, quibus fuerant colligati, & idonei efficiantur per incrementa & miniſtrationem membrorum tantùm cognoſcere quæ dimittenda ſunt & quæ tenenda.* Theodulphus capitulo primo ſic habet. *Quòd modò Infantes Catechumeni efficiuntur, antiquus mos ſervatur. Quicumque enim ad Apoſtolos credentes baptizandi veniebant, inſtruebantur & docebantur ab eis, & inſtructi & docti de Sacramento Baptiſmatis & de ceteris Regulis fidei, accipiebant ſacroſanctum Myſterium Baptiſmatis. Unde ait Apoſtolus.* [*An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?*] .... *Sed & Dominus non utcumque ait, ite, baptizate; ſed* [*ite & docete omnes gentes, baptizantes eos.*] ..... *Infantes ergo & Audientes & Catechumeni fiunt, non quò in eadem ætate & inſtrui & doceri poſſint, ſed ut antiquus mos ſervetur, quo Apoſtoli eos, quos baptizaturi erant, primum docebant & inſtruebant, ſicut jam dictum eſt.* Et capitulo ſecundo. *Catechumenus autem audiens ſive inſtructus interpreta-*

AN. CH. 812.

tur, genus enim humanum audit & inſtruitur, antequam ad Baptiſmum veniat. &c. Jeſſe primam interrogationem Caroli cum altera de ſcrutinio ſimul complexus eſt, ideóque quid ad utramque ſcripſerit, dicemus infrà poſt ſubſequentem interrogationem de ſcrutinio.

LXXII. DE SCRUTINIIS.

Secundò, Carolus quærit *de ſcrutinio, quid ſit ſcrutinium.* Amalharius capitulis, ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, & duodecimo ſermonem habet de ſcrutinio. Capitulum ſecundum ſic orditur. *In ſcrutinio facimus ſignum Crucis ſuper pueros, ſicut invenimus ſcriptum in Romano Ordine, & genuflexionem, & admonitionem* *, *& docemus Orationem Dominicam patrinos & matrinas, ut & ipſi ſimiliter faciant, quos ſuſcepturi ſunt à ſacro Baptiſmate. Similiter docemus Symbolum, quod* &c. Proximis capitulis, agit de ſigno Crucis. Cur illud fiat in fronte, ſic docet capitulo tertio. *Sedes verecundiæ in fronte ſolet eſſe. Siquidem Judæi in fronte erubeſcunt credere in illum, quem norunt crucifixum, ut Paulus Apoſtolus ait.* [*Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.*] *Sed nos credimus per crucifixum ſalvari, de cujus nomine Judæi erubeſcunt, cujus nos nomine credimus muniri, atque ideo in fronte ſignum Crucis facimus, ubi ſedes verecundiæ eſt, ſicut jam diximus.* Et capitulo quarto rationem illius ritûs hanc reddit, ut *per tale ſignum recognoſcat contraria poteſtas principatum ſe perdere in iſtis, quos Deus vocavit ad gratiam Baptiſmi.* Deinde à quibus hoc ſignum in frontibus Catechumenorum fiat, ita ſubjungit. *Illud ſignum faciunt in frontibus eorum Presbyteri, acolyti, patrini, vel matrinæ.* Capitulo quinto cur ſepties ſcrutinium agatur ſic exponit. *Scrutinium ſit ante Paſcha ſepties, ſeptenario enim numero ſæpè univerſitas deſignatur, ſicut Joannes ſcribit ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia. Per has enim ſeptem Eccleſias omni Eccleſiæ ſcribit. Septies perſcrutantur, ſi ea fixâ mente teneant, quæ audierunt à Magiſtro. Et quodammodo quaſi tenebræ fugantur à Catechumeno, ut in profectu ſcrutinii illuminentur ipſi Cathecumeni, unde & in ſcrutinio acolytis plurimum miniſterium impenditur, qui accenſores ſunt luminum. Et ideo autumavimus nos in priore oratione dicere, omnem cæcitatem cordis ab eo expelles; & in iſta quæ poſita dicitur in ſcrutinio, æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam dicimus, ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ.* Capitulo ſexto rationem reddit cur fiat genuflexio. *Genuflexionem pro his facimus, ſicut Stephanus fecit inquiens.* [*Domine mi, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.*] *Similiter pro iſtis oramus, ut Deus illis non imputet, quod tamdiu erraverunt & jacuerunt in peccatis, ſed ſecundùm magnam miſericordiam ſuam eos ad Baptiſmi gratiam perducat.* Capitulo ſeptimo Dominicam Orationem per articulos explicat. *Orationem*, inquit, *Dominicam ſic docemus. Dominus docuit diſcipulos hanc Orationem, ne ſuperflua peterent, & ea quæ ad eorum ſalutem non pertinerent. Septem petitiones ſunt in hac Oratione Dominica, tres pertinent ad æternitatem, quatuor ad neceſſaria noſtra hujus temporis, quæ in iſto modo continentur.* [*Pater noſter qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum.*] *Te patrem Deum invocamus, qui voluiſti nos facere tibi filios adoptivos, & in animabus juſtis ſedem vis habere, ut ſanctitas nominis tui, quæ apud te eſt, maneat in noſtro pectore.* [*Adveniat Regnum tuum.*] *Deficiat quotidie Regnum diaboli, creſcátque tuum vel illo modo, ſicuti clamant in Apocalypſi.* [*Uſquequo Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?*] *Quod ita expoſitum videmus in libro Domni Bedæ. Non hoc odio inimicorum, pro quibus in hoc ſeculo rogaverunt, orant, ſed amore æquitatis, quo ipſi judici, ut prope poſiti, concordant, diem judicii quo peccati Regnum deſtruatur, & reſurrectionem extinctorum corporum advenire precantur. Nam & nos in præſenti cùm pro inimicis orare jubemur, dicimus tamen Domino orantes.* [*Adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.*] *Per cælum, ſpiritualem creaturam intelligimus; per terram, corporalem. Ita fiat, Deus pater, voluntas tua, ut ea, quæ animo cogitamus bona, perficere valeamus opere per corpus.* [*Panem noſtrum quoti-*

* admirationem

Digitized by Google

dianum da nobis hodie.] *Semper quandiu nos ſumus in hoc ſeculo, dignare miniſtrare nobis omnia neceſſaria.* [*Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*] *Quotidie enim peccamus, & ideo neceſſe eſt nobis dicere quotidie, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Te donante, Deus, molle ſit cor noſtrum, ut citò ignoſcamus, & tu ignoſcas.* [*Et ne nos inducas in tentationem.*] *Ne permittas nos à diabolo tentari, ut ſuperemur.* [*Sed libera nos à malo.*] *Id eſt, à peccatis quæ geſſimus.* Octavo capitulo dat ſimiliter explicationem Symboli, de qua nos inferiùs ad quartam interrogationem Caroli. Tandem duodecimo capitulo, quomodo fiat noviſſimum ſcrutinium, ex Ordine Romano ſic refert. *Iſtud ſcrutinium finitur Sabbato ante Paſcha. Ipſo die facimus ſeptimum ſcrutinium, ſicut in Romano Ordine invenitur ſcriptum, & legimus ſuper illos:* [*nec te latet, ſathana.*] Orationem illam integram accipe ex Ordine Romano in Sabbato Sancto. *Nec te latet, ſatana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem ſupplicii ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jeſu Chriſto filio ejus, & Spiritui Sancto, in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, ſpiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontémque Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem.* Theodulfus de ſcrutinio ſic loquitur octavo capitulo. *Qui verò illius ſunt ætatis, ut rationem credulitatis ſuæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrùm veraciter credant, an alicujus falſitatis in eis macula celetur, ne, dum aut timore aut favore terrenarum poteſtatum, aut adquiſitione quarumdam rerum, ad Baptiſmatis Sacramentum, ignorantibus Miniſtris Eccleſiæ, perveniunt, tradatur ſanctum canibus, & mittantur margaritæ ante porcos, & lupi oviná pelle veſtiantur. Hunc enim morem Eccleſia ſervare conſuevit, ut per aliquot dierum ſpatium hi, qui in ſollemnitate Paſchali baptizandi ſunt, ſcrutentur, ut inſtructis & doctis & ſimplici corde ad fidem veram venientibus vitæ Sacramenta impertiantur.* &c. Jeſſe duas ſuperiores interrogationes Caroli de Catechumeno & de ſcrutinio ſub hac una complexus eſt. *Catechumenus cur dicitur, & in qua lingua dicitur, & quo tempore vel ordine efficitur ſi neceſſitas non intervenerit, & quot perſonæ qualéſve ad illud miniſterium ſunt adhibendæ?* Subjecitque hanc reſponſionem penè totam ex Ordine deſcriptam Romano. *Catechumenum ab audiendo vel ab inſtruendo dictum fore legitur. Audit namque doctrinam percipiendæ fidei, inſtituitúrque qualiter ad ſacri Baptiſmatis lavacrum pervenire debeat, unde & auditor vel inſtructus interpretatur; Catechumenus enim Græcè, Latinè audiens ſive inſtructus dicitur. Fit enim hoc tempore vel iſto ordine. Tertiâ hebdomadâ in Quadrageſima, II feriâ, horâ tertiâ veniant ad Eccleſiam, & antequàm in Eccleſiam introeant, ſcribantur nomina infantum, & eorum qui eos ſuſcepturi ſunt, ab Acolyto, & tunc vocentur ipſi infantes ab Acolyto infra Eccleſiam, nominentur per ordinem ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuantur maſculi ſeorſum ad dexteram partem, fœminæ verò ſeorſum in læva, & tunc veniens Presbyter faciat in ſingulorum frontibus Crucem cum pollice, ita dicendo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Deinde ponat manum ſuper capita eorum, dicens Orationem hanc. Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & reliqua. Deinde vertens ſe ad fœminas faciat ſimiliter. Et poſteà benedicat ſal hoc modo. Exorcizo te, creatura ſalis, & reliqua.* Oratio ſuper capita & benedictio ſalis integræ ſunt in Ordine Romano. Oratio, ſic. *Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei Domine*

AN. CH. 812. CAROLI I MP. 12. LUDOV. R. 32.

januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui perceptâ medicinâ. Per &c. Benedictio, sic. *Exorcizo te creatura salis in nomine Dei Patris Omnipotentis, & in charitate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritûs Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare Sacramentum ad effugandum inimicum, quam tu, Domine, sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus &c.* Pergit Jesse. *Benedicto autem sale, mittat de ipso in ore infantum per singulos, ita dicendo. Tu ille accipe sal sapientiæ, propitiatus in æternum. Hoc expleto exeant foras Ecclesiam expectantes horam quando revocentur. Interim incipiat Chorus Antiphonam ad introitum eo die pertinentem. Quâ finitâ, dicat Sacerdos* juxta Ordinem Romanum. *Oremus. Da, quæsumus, Domine, electis nostris, ut sanctis edocti Mysteriis, & renoventur fonte Baptismatis, & inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur. Per, & reliqua. Finitâ hac oratione, sedeat in sede sua. Deinde dicat Diaconus. Catechumeni procedant. Et vocentur infantes ab Acolyto per nomina, & ordinem, ut scripti sunt, & statuantur sicut priùs. Postmodum verò admoneantur à Diacono dicente. Orate electi, flectite genua. Et postquàm oraverint, dicat. Levate, complete orationem vestram in unum, & dicite, Amen. Et respondeant omnes, Amen. Item dicat Diaconus. Signate illos, accedite ad benedictionem. Et signent ipsos infantes in frontibus eorum susceptores, viri vel fœminæ, id est, patrini vel matrinæ, de pollice, dicendo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Et imponat primùm manum super viros, postea super fœminas, dans orationem excelsâ voce his verbis,* ut sunt in Ordine Romano. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans ei Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, ut similiter custodiat & hunc famulum tuum N, & perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab his famulis Dei, quia istos sibi Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontémque Baptismalem vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ Crucis, quod nos frontibus eorum damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Post hæc vertens se ad fœminas faciat sicut suprà, & dicat,* ut est in Ordine Romano. *Deus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viventium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, te invoco, Domine, ut hanc famulam tuam N perducere digneris ad gratiam Baptismi tui. Ergo maledicte Diabole &c.* ut suprà. *Et iterum annunciet Diaconus dicens. Orate electi & reliqua. Et signent susceptores ut priùs, & sequatur Acolytus alius faciens per omnia, sicut ille primus fecit, & dicat, audi maledicte Satana, super viros primùm, deinde super fœminas separatim, & iterum dicat, Deus Abraham & Deus Isaac, & reliqua.* Satanas in Ordine Romano sic increpatur. *Audi, maledicte Satana, adjuratus per nomen æterni Dei & Salvatoris nostri filii ejus, cum tua victus invidia tremens gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum servo Dei N jam cælestia cogitanti, renunciaturo tibi ac sæculo tuo, & beatâ immortalitate victuro. Da ergo honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa cæli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, id est, sanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum*

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

num liberatus ſervus Dei N gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat ejus ſanctum nomen in ſecula ſeculorum. Amen. In eodem Ordine ſequitur hæc Oratio ſuper fœminas. *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Iſrael monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, te ſupplex deprecor, Domine, ut liberes hanc famulam tuam N, & perducere eam digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Ergo maledicte diabole* &c. ut ſuprà. *Item dicat Diaconus ut orent electi, & ſignent eos Suſceptores ut priùs. Poſt hæc tertius Acolytus faciat ſicut illi priores fecerunt dicendo orationem hanc, exorcizo te immunde ſpiritus, primùm ſuper viros, poſtmodum ſuper fœminas.* Integram orationem accipe ex Ordine Romano. Super viros. *Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte* &c. Super fœminas. *Exorcizo te, immunde ſpiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut exeas & recedas ab hac famula Dei N. ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte* &c. *Expletâ* oratione *iterum annuntiet Diaconus, ut orent electi &c. & faciant ſicut priùs. His omnibus expletis veniens Presbyter faciat Crucem in frontibus ſingulorum, ponétque manum ſuper capita eorum datâ oratione hac,* quam Ordo Romanus integram exhibet. *Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum & ſanctifica, da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui. Teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per* &c. *His verò conſummatis, iterum admoneantur à Diacono ita. Orate electi, flectite genua. Et poſt puſillum dicat. Levate, complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen. Signate illos, ſtate cum diſciplina & ſilentio. Poſt hæc revertatur Sacerdos ad ſedem ſuam, & Lectio legatur, & pſallatur Graduale pertinens ad ipſum diem. Poſteà verò taliter à Diacono admoneantur. Catechumeni recedant. Si quis Catechumenus eſt, recedat. Omnes Catechumeni recedant foras, & egrediantur electi, expectantes pro foribus, quouſque completa fuerit Miſſa. Deinde legatur Evangelium, & offerantur oblationes à Parentibus vel à Suſceptoribus infantum, & ponat ipſas Sacerdos ſuper Altare, dicátque orationem hanc ſecretè,* ut habetur in Ordine Romano. *Miſeratio tua, Deus, ad hæc percipienda Myſteria famulos tuos NN. quæſumus & provehat competenter, & devotâ converſatione perducat. Per &c. At ubi dixerit, Memento Domine famulorum famularúmque tuarum, recitentur nomina virorum ac mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt. Item infra * actionem, hanc igitur oblationem, recitentur nomina virorum electorum, & poſtquàm recitata fuerint, dicat* juxta Ordinem Romanum. *Hos, Domine, fonte Baptiſmatis innovandos Spiritûs tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari jubeas, diéſque noſtros in tua pace diſponas &c. Miſſâ finitâ communicent omnes præter ipſos infantes. Iterum denunciet Presbyter, ut in ipſa hebdomada, feriâ, quali voluerit, veniant omnes ad Eccleſiam, qualem eis denunciaverit. Venientes autem ad Eccleſiam condictam faciant ſcrutinium alterum per ordinem, ſicut priùs fecerunt. Similiter faciendum eſt de ſcrutinio tertio, quarto, vel quinto, in illis tribus hebdomadis, uſque in quarta feria ante Palmas. In eadem autem* IIII *feria ſequente veniant ad Eccleſiam, qualemcumque dixerit, & tunc faciant ſcrutinium ſextum per ordinem, ſicut illa quinque fecerunt, uſque ad locum, ubi dicit, ſignate illos, ſtate cum diſciplina & ſilentio, & legatur in aurium apertione Lectio Iſaiæ Prophetæ. Hæc dicit Dominus, audite audientes me, & comedite bonum, uſque, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Sequitur Reſponſorium. Venite, filii. Item alia Lectio ad Coloſſenſes. Fratres, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, uſque, gratias agentes Deo Patri per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sequi-*

* corruptè in fractione

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

tur Responsorium: Beata gens. Post hæc procedant quatuor Diaconi de Secretario cum quatuor libris Evangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris, cum thuribulis, & incenso, & ponant ipsa Evangelia in quatuor angulis Altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractet Presbyter his verbis. Aperturi vobis, filii charissimi, Evangelia, id est, gesta divina, prius ordinem insinuare debemus, quid est Evangelium, & unde descendat, & cujus in eo verba ponantur, & quare quatuor sunt qui hæc gesta scripserunt, vel qui sunt, & reliqua ad hæc pertinentia. Tunc iterum dicat. Ideo præmisimus, ne sine hujus ordinis ratione stuporem mentibus vestris relinqueremus, & quia ad hoc venistis, ut aures vobis aperiantur, ne sensus vester hebetando obtundatur. Hoc facto, iterum adnunciet Diaconus dicens, state cum silentio & audientes intendite. Tunc accipiens unus ex Diaconibus de angulo Altaris, qui est ad lævam primus, librum Evangelii, præcedentibus duobus candelabris cum thuribulis, ascendat ad legendum & legat. Initium Sancti Evangelii secundùm Matthæum, usque, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quo lecto suscipiat ab eo Subdiaconus Evangelium in linteo, & deferat in Secretarium. Deinde tractet Presbyter his verbis. Filii charissimi, ne mortalem vobis innectamus, exponere vobis cupimus, quam rationem figurámque unusquisque Evangelista in se contineat. Et exponat singulorum Evangelistarum rationem, & cur ita figurentur. Expletâ autem narratione Sacerdotis, iterum annunciet Diaconus, state cum silentio, audientésque intendite, & legatur Evangelium secundùm Marcum usque ad locum ubi dicit. Ego vos baptizo aquâ, ille verò baptizabit vos in Spiritu Sancto. Et similiter exponat Sacerdos de Marco, sicut de Matthæo. Post hæc iterum adnunciet Diaconus sicut suprà, & legat initium Sancti Evangelii secundùm Lucam, usque, parare Domino plebem perfectam. Et faciat Sacerdos verbum de Luca, sicut fecit de aliis. Iterum autem adnuncietur à Diacono ut suprà, & legat initium Sancti Evangelii secundùm Joannem, usque, plenum gratiæ & veritatis, & exponat Sacerdos de Joanne, sicut exposuit de aliis. Post hanc iterum verò expositionem, adnuntietur eis à Sacerdote Præfatio Symboli his verbis Ordinis Romani. *Dilectissimi nobis, accepturi Sacramenta Baptismatis, & in novam creaturam Sancti Spiritûs procreandi, fidem, quâ credentes justificandi estis, toto corde concipite, & animis vestris verâ conversatione mutatis ad Deum, qui mentium vestrarum illuminator est, accedite, suscipientes Evangelici Symboli sacramentum, à Domino inspiratum, ab Apostolis institutum. Cujus panca quidem verba sunt, sed magna Mysteria. Sanctus enim Spiritus, qui Magistris Ecclesiæ ista dictavit, tali eloquio talíque brevitate salutiferam condidit fidem, ut quod credendum vobis est sempérque profitendum, nec intelligentiam possit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum discite, & quod vobis, sicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis ascribite. Confessio itaque fidei, quam suscepistis, hoc inchoatur exordio. Quâ Præfatione expletâ, tunc accipiat Acolytus unum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, ponátque manum super caput ejus, dicátque Presbyter, adnuncia fidem illorum & qualiter confiteantur Dominum Jesum Christum, & dicat Symbolum decantando. Hoc finito faciat alius Acolytus super unam de fœminis. Deinde subsequatur Presbyter his verbis* Ordinis Romani. *Hæc summa est fidei nostræ,* &c. ut inferiùs ad quartam interrogationem de credulitate. *Postea adnuncietur à Diacono ut suprà, & tunc dicat Presbyter,* ut Ordo Romanus habet, *Orationem Dominicam ita. Dominus & Salvator noster Jesus Christus inter cetera sacra præcepta, discipulis suis petentibus, quemadmodum orare deberent, non solùm formam orationis concessit, verùm etiam quâ mente & puritate precarentur ostendit, ut in præsenti sacra hæc lectio demonstrabit. Tu autem, cùm orabis, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Cubiculum, quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretum, id est, ut à mala cogitatione pectus nostrum mysticâ fide clave claudamus, ac labiis clausis incorruptâ mente loquamur. Deus enim noster, fidei non vocis auditor est. Ergo unde sermo est, id est, sapientia Christus Dominus noster hanc Orationem nos de-*

Digitized by Google

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

cuit, ut ita oremus. Pater noſter, qui es in cœlis. Hæc libertatis vox eſt & plena fiduciâ. Ergo nobis his moribus eſt vivendum, ut & filii Dei, & fratres Chriſti eſſe poſſimus. Nam Patrem ſuum Dominum quâ temeritate dicere præſumit, qui ab ejus voluntate degenerat. Unde vos, dilectiſſimi, dignos exhibete adoptione divinâ, quoniam ſcriptum eſt. Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sanctificetur nomen tuum. Non quod Deus noſtris ſanctificetur orationibus, qui ſemper eſt ſanctus, ſed petimus, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis, ut qui in Baptiſmate ejus ſanctificamur, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeveremus. Adveniat Regnum tuum. Deus namque noſter eſt, quando non regnat, maximè cujus Regnum eſt immortale? Sed cùm dicimus, adveniat Regnum tuum, Regnum petimus advenire, à Deo nobis promiſſum, Chriſti Sanguine & Paſſione quæſitum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Id eſt, in eo fiat voluntas tua, ut quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra poſiti, irreprehenſibiliter faciamus. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hîc ſpiritalem cibum intelligere debemus. Chriſtus enim panis eſt noſter, qui dixit. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Quem quotidianum dicens, ita nos ſemper immunes præcipit eſſe peccati, ut digni ſimus cœleſtibus alimentis. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hoc pactum eſt, ſignificans non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri, niſi priùs nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, ſicut in Evangelio Dominus noſter dicit. Niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec vobis Pater veſter dimittet peccata veſtra. Et ne nos inducas in tentationem. Id eſt, ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat, pravitatis auctore. Nam dicit Scriptura. Deus enim intentator eſt malorum. Diabolus vero eſt tentator, ad quem evincendum Dominus dicit. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Sed libera nos à malo. Hoc ideo ait, quia dixit Apoſtolus. Neſcitis quid vobis oporteat orare. Unde Deus Omnipotens ita à nobis orandus eſt, ut quicquid humana fragilitas cavere non prævalet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu Sancto, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Diximus autem ſuperiùs, quæ vel quot perſonæ ad hoc opus, id eſt, ad faciendum ſcrutinium, *deputatæ ſunt, ſcilicet ſpecialiter quatuor ſunt perſonæ, ſecundùm numerum librorum quatuor Evangeliorum, unde paulò priùs mentio facta eſt, exceptis Subdiaconibus, reliquiſque Miniſtris, ac ceteris: Sunt enim ibi Suſceptores infantum, Acolyti, Subdiaconi, ac Presbyteri. Catechumenus enim Myſterium Fidei jam accipiens, ſignaculum Crucis in fronte portans, in Chriſtum ſe credere profitetur, ſed nondum lavacri undâ regeneratus Corpus & Sanguinem Domini meretur percipere. Unde benè Beatus Auguſtinus in ſermone Evangelico ex verbis Domini ad Nicodemum ait. Amen, Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei. Ipſis ergo ſe credit Jeſus, qui nati fuerint denuò. Ecce illi qui crediderant in eum, & Jeſus non ſe credebat eis. Tales ſunt omnes Catechumeni, ipſi jam credunt in nomine Chriſti, ſed Jeſus non ſe credit illis. Intendat & intelligat charitas veſtra, ſi dixerimus Catechumeno. Credis in Chriſtum? Reſpondet. Credo. Et ſignat ſe, jam Crucem Chriſti portans in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum. Manducas carnem filii hominis, & bibis ſanguinem filii hominis? Neſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe credit ei.*

LXXIII. DE SYMBOLI SIGNIFICATIONE.

Tertiò, quærit Carolus *de Symbolo, quæ ſit ejus interpretatio ſecundùm Latinos.* Ad illam interrogationem Amalharius ita reſpondet capitulo ſecundo. *Docemus Symbolum, quod ſignum in noſtra lingua vertitur vel cognitio. Quando dividebantur Apoſtoli per totum Orbem prædicationis causâ, dederunt illud prædicationis, ut ſi quis talia confiteretur, qualia ibi dicuntur, cognitionem daret ſe à Chriſti Apoſtolis ſive à ſucceſſoribus eorum didiciſſe.* Theodulfus capitulo ſexto, ſic. *Symbolum Latinè Indicium, vel Signum, vel Collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signum, quòd eo benè retento & intellecto fideles ab infidelibus diſcernuntur. Conlatio, quia in eo Apoſtoli omnem fidei*

AN. CH. 810. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

integritatem contulerunt. Quod autem pari fidei ſynceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes, Symbolum, id eſt, totius fidei Conlationem ediderunt. Diſceſſuri enim ab invicem normam futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab invicem diſcedentes diverſum aliquid vel diſſonum prædicarent. Decentiſſimum namque & utile erat, ut quibus erat anima una & cor unum in Domino, & quos Sancti Spiritûs afflatus vegetabat, unius etiam fidei confeſſio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. &c. Jeſſe, ſic. *Symbolum Græcè, Latinè ſignum vel cognitio interpretatur. Diſceſſuri Apoſtoli ad evangelizandum gentibus hoc ſibi prædicationis ſignum vel indicium poſuerunt.*

LXXIV. ET EJUS ARTICULIS.

Quartò, Carolus quærit *de credulitate, quomodo credendum ſit in Dominum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, & omnia quæ ſequuntur in eodem Symbolo.* Ad illam interrogationem Amalharius per articulos ita reſpondet octavo capitulo, quod inſcribitur de Symbolo. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem; in Dominum vivum & verum Patrem æternum æterni geniti; Omnipotentem, qui & peccatoribus reddet ſupplicia ſecundùm ſua merita, & juſtis præmia; Creatorem cæli & terræ, id eſt, & ſpiritualis creaturæ & corporalis. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus, & in Salvatorem unicum filium ejus, quia ſolus nos redemit pretioſo ſanguine ſuo, qui per Eſaiam dixit,* [*torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum;*] *natum in tempore noviſſimo ex Maria Virgine, paſſum pro noſtra ſalute ſub Pontio Pilato, id eſt, ſub Præſide Pilato qui de Pontî Inſula fuit. Crucifixus, in Cruce ſuſpenſus; mortuus, corporali morte, & ſepultus corpore triduo, deſcendit ad inferna animâ tantùm; tertiâ die reſurrexit à mortuis, corpore reſurrexit morte deſtructâ: aſcendit ad cælos Apoſtolis videntibus in formâ quâ venturus eſt ad judicium, aſcendit ad cælos qui nunquam defuit cæleſtibus ſedibus. Sedet ad dexteram Dei Omnipotentis, id eſt, regnat in Regno Patris ſui, in quo nihil ſiniſtrum manet & manebit. Inde venturus judicare vivos & mortuos; juſtos & peccatores, unumquemque ſecundùm facta ejus. Credo in Spiritum Sanctum, quo aliquo modo donum Dei dicitur, & amor Patris & Filii, ſive communicatio, in quo dono ſit remiſſio omnium peccatorum, ideóque qui blaſphemaverit in Spiritu Sancto, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Sanctam Eccleſiam Catholicam, univerſalem congregationem juſtorum, & unitatem * fidei credimus eſſe. Sanctorum communionem, in vinculo pacis unitatem Spiritûs ſervare credo. Remiſſionem peccatorum, quæ, ſicut diximus, ſit in dono Spiritûs Sancti. Carnis reſurrectionem; ſeptimam Sabbati credo juſtos recipere abſolutos de corpore terreno, & erunt in magno gaudio ſecundùm uniuſcujuſque manſionem, atque expectare octavum diem, in quo corpora ſua recipiant integra atque perfecta: impii ad ſupplicium, juſti ad vitam æternam.* Et Theodulphus capitulo ſeptimo, ſic. *Fides quæ in hoc Symbolo continetur, ita ab his, qui baptizandi ſunt, intelligi debet, ut credant in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem omnium viſibilium & inviſibilium, qui ſolus quia non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus. Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus, per quem omnia facta ſunt, verum Deum unigenitum, verúmque Dei Filium, non factum aut adoptivum, ſed genitum, & unius cum patre ſubſtantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec poteſtate eſſe poſſit inferior, tantúmque eſſe illum qui genitus eſt, quantus eſt ille qui genuit. Credant etiam eum natum de Spiritu Sancto ex Maria ſemper Virgine, id eſt, ut Spiritu Sancto cooperante verum ſibi corpus ex Virgine idem Dei Filius aſſumpſerit, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipſe factus ſit in humanitate hominis Matris Filius. Credant etiam eum deſcendiſſe ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui nunquam deſiit eſſe cum Patre, & hominem verum factum, ut humanum genus homo liberaret. Et ipſe, qui abſque initio æternitatem cum Patre & Spiritu Sancto poſſidet, in fine ſeculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſceperit, & Verbum caro factum ſit, aſſumendo humanitatem, non permutando divinitatem.*

* humanitatem

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Credant etiam eum pertuliſſe paſſionem & mortem, non in virtute divinitatis, ſed in infirmitate humanitatis, mortuum verâ carnis morte, reſurrexiſſe verâ carnis reſurrectione, & reſurrectione ſuâ ſpem nobis reſurrectionis contuliſſe, ita duntaxat, ut ſicut ille tertiâ die reſurrexit vivus à mortuis, ita & nos in fine ſeculorum reſurgamus in eadem quâ nunc vivimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore, quod de Virgine aſſumpſit, & paſſionem ſuſtinuit & reſurrexit, aſcendiſſe in cælum, & in eodem & nunc eſſe, & ad judicium venturum eſſe, & reſuſcitatis omnibus, dare aliis pro peccatis ſupplicii æterni ſententiam, aliis pro juſtitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant & in Spiritum Sanctum, Deum verum ex Patre Filióque procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantiâ, nec eſſe in hac Sancta Trinitate ullos gradus, quibus aliquis inferior ſuperiórve dici poſſit. Credant etiam Sanctam Eccleſiam Catholicam, id eſt, univerſalem, non in Sanctam Eccleſiam, ut credentes in Trinitatem. Credant ejuſdem Sanctæ Trinitatis domum eſſe Sanctam Eccleſiam, à cujus communione diſcedentes ſchiſmatici & hæretici vocantur, & æternâ damnatione puniuntur. In ejus verò communione permanentes, & membra Chriſti eſſe, & remiſſionem peccatorum percipere, & ad vitam æternam pertinere. Jeſſe, poſtquàm explicuit, quid ſit Symbolum, hæc de illo ſubjungit. *Continet credulitatem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ, ac omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum, quod Symbolum fidei & ſpei noſtræ non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus.* &c. Deinde, cùm agit de ſcrutinio, Preſbyterum introducit poſt decantatum Symbolum ſic alloquentem Catechumenos. *Hæc ſumma eſt fidei noſtræ, dilectiſſimi filii; hæc verba ſunt Symboli, non ſapientiæ humanæ ſermone facta, ſed veræ Divinitatis ratione diſpoſita. Quibus comprehendendis atque ſervandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hìc Dei Patris & Filii una æqualitas pronunciatur atque poteſtas. Hìc unigenitus Dei de Maria Virgine & Spiritu Sancto ſecundùm carnem natus oſtenditur. Hìc ejuſdem Crucifixio & Sepultura, ac die tertiâ Reſurrectio prædicatur. Hìc Spiritus Sanctus in eadem, quâ Pater & Filius, Deitate indiſcretus accipitur. Hìc poſtremò Eccleſiæ vocatio, peccatorum remiſſio, & carnis reſurrectio perdocetur. Quæ breviſſima plenitudo ita debet veſtris cordibus inhærere, ut omni tempore præſidio hujus confeſſionis utamini. Invicta eſt enim talium armorum poteſtas, & contra omnes vobis inſidias diaboli tanquam bonis Chriſti militibus profutura. Diabolus, qui hominem tentare non deſiſtit, munitos vos hoc Symbolo ſemper inveniat, ut devicto adverſario, cui renunciaſtis, gratiam Domini incorruptam & immaculatam uſque in finem, ipſo, quem confitemini, protegente, ſervetis, ut in quo peccatorum remiſſionem accipitis, in eo gloriam reſurrectionis habeatis. Ergo, dilectiſſimi, præfatum Symbolum Fidei Catholicæ in præſenti cognoviſtis, nunc euntes edocemini, nullo mutato ſermone. Potens eſt enim Dei miſericordia, quò & vos ad Baptiſmi fidem currentes perducat, & nos, qui vobis Myſteria tradimus, unà vobiſcum ad Regna cæleſtia faciat pervenire. Per eundem &c.* Theodulphus Capitulo ſeptimo ſub finem objectioni de parvulis, qui nec Symbolum, nec ejus expoſitionem ſcire poſſunt, ſic occurrit. *Quia ergo parvuli, necdum ratione utentes, hæc minimè capere poſſunt, oportet, ut cùm ad intelligibilem ætatem pervenerint, doceantur & fidei ſacramentis & confeſſionis ſuæ myſteriis, ut ea veraciter credant & diligenti curâ cuſtodiant. Confeſſionem ſuam planè diximus, quia, quamvis illi necdum loqui poſſint, pro illis & confitentur & loquuntur qui eos de lavacro fontis ſuſcipiunt. Nec immeritò dignum eſt, ut qui aliorum peccatis obnoxii ſunt, aliorum etiam confeſſione per myſterium Baptiſmatis remiſſionem originalium percipiant peccatorum.* Eidem quoque objectioni ſic occurrit Amalharius ultimo capitulo. *Quamvis parvuli per ætatem non poſſint intelligere ipſam converſationem* ſeu converſionem *ad Deum atque credulitatem, credimus tamen eos ad Dominum converti propter converſationis* ſeu converſionis *Sacramentum, ſicut legimus in Auguſtini epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum de parvulis requirentem, ubi dicit. Ipſa reſponſio ad celebrationem pertinet Sacramenti, ſicut de ipſo Apoſtolus.*

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

*Conſepulti, inquit, ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem, non autem ait, ſepulturam ſignificabimus, ſed prorſus ait, conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non niſi ejuſdem rei vocabulo nuncupavit. Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondentur, ita etiam fideles vocantur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cùm autem ſe homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit ſed intelligit, ejúſque voluntati conſonâ ejus voluntate coaptabitur. Hoc quandiu non poteſt, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adversùs contrarias poteſtates, & tantùm valebit, ut ſi ante rationis * uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum Sacramentum commendans Eccleſiæ charitatem, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſtiano adjutorio liberetur. Huc uſque Auguſtinus. Poteſt fieri, ut qui alieno peccato ſunt ligati, alienâ profeſſione ſolvantur.*

* majoris

LXXV. DE ABRENUNTIATIONE SATANÆ.

Quintò Carolus quærit *de abrenuntiatione ſatanæ & omnibus operibus ejus & pompis, quid ſit abrenuntiatio, & quæ opera ejus diaboli & pompæ.* Reſpondet Amalharius capitulo decimo-quinto, ſic. *Interrogamus illos, quos antè inſtruximus in fide, & quos poſteà ſcrutati ſumus, ſi adhuc permanſiſſent in his, quæ primitus didicerunt, & ſi ſe cæcos cognoviſſent, & modò proſperaſſe ad lumen, eò quòd perfectè, id eſt, ſepties illos ſcrutati ſumus, ſi abrenuntient, id eſt, contradicant ſathanæ, contrariæ poteſtati, & omnibus operibus, & omnibus pompis ejus. Dicimus illi, Contradic ſathanæ, cum Propheta David; obliviſcere populum tuum & domum patris tui; poſteà & omnibus operibus ejus, quæ ſunt, fornicatio, idolorum ſervitus, veneficia, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Quæ quamvis ad carnis voluptates pertineant, tamen opera ſunt ſathanæ, quorum ſuaſor & inveſtigator eſt occultus. Hæc ſunt, quæ regnant in diabolo ſine carne, ſuperbia, invidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, & reliqua. Quamvis ea Apoſtolus opera carnis dicat, tamen ſine carne regnant in diabolo, & ſunt quodammodo opera carnis, quia ſunt opera hominis. Et homo vivendo ſecundùm ſemetipſum, hoc eſt, ſecundùm hominem, factus eſt ſimilis diabolo, quia & ille ſecundùm ſeipſum vivere voluit; hæc opera ſathanæ dicimus, quorum aliquorum ſuaſor & inſtigator eſt, aliquorum caput & origo. Noviſſimè & omnibus pompis ejus, quæ ſunt, inanis jactantia hominis * terreni, canora muſica, in quibus ſæpè ſolvitur Chriſtianus & mollitur vigor, ſpectacula turpia, vel ſuperflua, & reliqua.* Theodulfus capitulo undecimo docet quid ſit abrenuntiare. *Abrenuntiare poni ſolet pro eo quod eſt ſpernere, rejicere, contradicere, ſive aliud quid quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt.* &c. Deinde capitulo doudecimo diſſerit de abrenuntiatione ſatanæ & omnibus operibus ejus atque pompis. *Septem principalia vitia, quibus diabolus genus humanum infeſtat, non incongruè opera ſatanæ dicere poſſumus. Quibus oppoñuntur ſeptem principales virtutes, quæ opera ſunt procul dubio ſalutaria. Nec minùs intereà pompis ejus abrenuntiatur, quæ utique opera ſunt ſatanæ, ſed ea quaſi diſcerni videntur à ceteris operibus ejus, quia in ejus ſuperbia, cujus ille auctor eſt, & quæ eum dejecit, quodammodo deſignatur. Pompæ igitur ejus ſunt, ambitio, arrogantia, vana gloria, & cetera hujuſcemodi, quæ de fonte ſuperbiæ procedere dinoſcuntur.* &c. Jeſſe de abrenuntiatione diaboli & pompis ejus ſic ſcribit. *Perducitur infans ad Baptiſmi ſacramentum, & interrogatur de credulitate Chriſti, & abrenunciatione diaboli; pompas autem, quas, diabolo nunciante & ſuadente, ſuſceperat homo, abrenunciat, ut rejectis diaboli operibus & vitiis veternoſis renovandus expolietur, qui pannis ſordidis & conſciſſis mundatur, induatur albis & novis veſtibus, currat cum deſiderio ad fontes. Pompæ diaboli ſunt vitia mortifera, quæ primo homini, ipſo conſentiente, immiſit, id eſt, ſuperbia, vana gloria, & cetera, quæ ad omnes homines pervenerunt.* &c.

* hominis

LXXVI. DE EXORCIZATIONE ET EXSUFFLATIONE DIABOLI.

Sextò, Carolus quærit, *cur* ſatanas *inſufflatur, & cur exorcizatur.* Amalharius exorcizationem exſufflationi præponit. Rectiùs, ſecundùm, interrogationem Caroli, Theodulfus exorcizationem exſufflationi ſubjungit. Agit

Amalharius *de exorcizatione* capitulo nono, ſic. *Exorcizatur, id eſt, adjuratur, ſive increpatur diabolus, ſub quo ſunt omnes, qui cum peccato naſcuntur, ut recedat à Dei creatura.* Deinde agit *de exſufflatione* capitulo decimo, ſic. *Exſufflatur itaque, quia tali dignus eſt ignominiâ deſertor antiquus.* Theodulfus loquitur de exſufflatione capitulo tertio, ſic. *In quorum etiam facie à Sacerdote per exſufflationem ſignum Crucis fit, ut & diabolus fugetur, & Chriſto via præparetur, ut qui inlecebroſâ perſuaſione ſuâ generis humani, quod in primordio ſui ſpiraculum vitæ acceperat, habitator erat, ejus virtute & ſacratiſſimo ſigno per miniſterium Sacerdotum exire cogatur, qui & in diſcipulos ſuos inſufflaſſe & ſpiritus immundos increpaſſe legitur.* Et capitulo quarto exſufflationi ſubjungit exorcizationem. *Unde & exorcizatur idem malignus ſpiritus, ut exeat & recedat ab illo plaſmate, quod jam dudum per peccatum primi hominis poſſidebat.* &c. Jeſſe, ſicut Amalharius, exorciſmum exſufflationi præmittit. *Exorciſmus*, inquit, *Græcè, Latinè conjuratio ſive increpatio dicitur. Increpatio. Nec te latet, ſatana, imminere tibi pœnas & reliqua*, id eſt, ut ex Ordine Romano jam retulimus, *imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem ſupplicii ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis angelis tuis æternus veniet interitus. Conjuratio ſimul & increpatio damnati & damnandi. Da honorem Deo vivo, da honorem Jeſu Chriſto, da honorem Spiritui Sancto, & recede ab hoc & ab hac famula Dei in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem.* &c. Ab exorciſmo ad exſufflationem ſic tranſit. *Exorcizatur malignus ſpiritus, ut relinquat Dei creaturam. Ideo enim & exſufflatur, non homo, ſed ſub quo ſunt omnes qui ſub peccato naſcuntur, quia ipſe eſt auctor mali & princeps peccatorum. Rectè enim exſufflatur & projicitur tanquam pulvis à facie venti, confuſus in ſua nequitia diabolus, ut eo fugato homo renovandus & vivificandus, calefactus flatu divino, perducatur ad gratiam Chriſti, & in illo Chriſto Deo noſtro dignus pateſiat introitus.* &c.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

LXXVII. DE SALE IMPOSITO ORI CATECHUMENI.

Septimò, quærit Carolus, *cur Catechumenus accipit ſalem.* Reſpondet Amalharius undecimo capitulo, ſic. *In ipſo ſcrutinio benedictum ſalem ori imponimus poſt primam orationem* (orationem illam ex Ordine Romano integram ſuprà recitavimus) *quâ dicitur. Omnipotens ſempiterne Deus reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, & reliqua, ut poſtquàm inſtructus fuerit à Magiſtro Eccleſiaſtico, recognoſcat verba ſua condita debere eſſe ſale ſapientiæ, ſicut Paulus Apoſtolus ſcribit ad Coloſſenſes.* [*Sermo veſter in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.*] Et Theodulfus capitulo quinto, ſic. *Hi, qui baptizandi ſunt, ſalem in ſacramento accipiunt, ut ejus guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque à ſapore Chriſti decipiantur, & ſint inſulſi & fatui.* &c. Jeſſe ſcribit ſal ori Catechumeni à Sacerdote imponi, *ut ſignificet ſale divinæ ſapientiæ fluxa ac voluptuoſa ejus peccata ab illo depelli, & omnia ejus eloquia condita eſſe ac perornata, Paulo atteſtante, qui ait.* [*Sermo veſter in gratia Dei ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.*] *Sal ergo in igne exilit. Nam quamvis ſit igneum, ignem tamen fugit, naturam enim ſequitur, quia ignis & aqua inimica ſunt ſibi. Benè autem baptizandis, & ab igne æterno elapſis, ſal tribuitur, ut relictâ vanitate, ex qua infideles liberos ſuos per ignem luſtrantes dæmonibus offerebant, ad aquam regenerationis perducti oblatique Deo ac conſecrati, infidelitate rejectâ, efficiantur filii Dei, & Chriſtum, qui eſt pax vera, ſuſcipiant dicente ipſo,* [*ſal habete in vobis,*] *id eſt, pacem; &,* [*vos eſtis ſal terræ.*] *Benè autem convenit, quòd Sacerdotes Dei, qui ſunt condimentum populi, ſal ad officium Chriſtianitatis adponunt, ut vitiis excluſis parvulos ſale ſapientiæ bonæ conditos Deo pacificos offerant.*

LXXVIII.

Octavò, Carolus quærit, *quare tangantur nares.* Tactus aurium videtur omiſſus amanuenſis oſcitantiâ. De tactu enim cùm narium tum aurium in

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

DE TACTU NARIUM ET AURIUM.

ſuis agunt reſponſionibus Amalharius & Theodulfus. Ille capitulo decimo-tertio, ſic. *Tangimus eorum aures & nares, & dicimus eis, epheta, in odorem ſuavitatis. Nares tangimus, ut admoneantur, quandiu ſpiritum vitæ hujus trahunt, ſemper in his perſeverent, quæ jam didicerunt, & adhuc diſcunt, ab ore Catholicorum virorum, & ideo ſputo Presbyteri tanguntur. Similiter dicimus de auribus, quaſi dicat Presbyter; fidem, quam ab iſto ore didiciſti, & quæ per aures intravit ad animam, quandiu ſpiritum vitæ hujus naribus trahis, ſemper tenere memento, ut dicere poſſis cum Paulo Apoſtolo.* [*Chriſti bonus odor ſumus.*] *Et iterum dicat auribus; aures iſtæ, Deo miſerante, ſemper apertæ ſint ad intelligenda verba diſciplinæ Dei; & dicere poſſit;* [*in obauditu auris obedivi tibi.*] Et Theodulfus capitulo nono, ſic. *Tanguntur de ſputo nares & aures, & dicitur, effeta. Nares, ut Chriſtum in odore unguentorum ſequantur..... Aures, ut audientes verba Dei, & facientes ea, ſimiles ſint ſecundùm Evangelium viro ſapienti, qui ædificat domum ſuam ſupra petram, & ſpiritali auditu ſemper ſpiritalia anſcultent..... In ſacro eloquio plerumque per membra corporis ſpiritales animæ virtutes intelliguntur. Quia ergo Divinitas hominem adſumens quoddam ex connexione duarum ſubſtantiarum in una Dei filii perſona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum à primis parentibus natum erat, inluminaret, non abs re ſputo aures tanguntur & nares, ut qui exſpuens linguam muti tetigerat, & ſputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat, nunc per miniſterium Sacerdotum, & auditum ſpiritalem his qui baptizandi ſunt tribuat, & rectè loquendi, id eſt, fidem veram confitendi, facultatem præbeat, & nares, quibus bonum odorem capiant, aperiat.* &c. Jeſſe quoque non narium modò ſed aurium etiam tactum ſic expreſſit. *De ſaliva tangitur ante Baptiſmum homo, ut poſtea ad Baptiſmum perducatur. Tanguntur autem nares & aures digito, ut dona Sancti Spiritûs hi, qui à via veritatis aberraverant, audiant, & corde percipiant, & percepta quam audierunt in fide perdurent, ut dicere poſſint,* [*in auditu auris obedivit mihi.*] *Unde & Dominus,* [*qui habet aures audiendi, audiat,*] *id eſt, qui habet intellectum intelligendi, intelligat, nam & Dominus ſurdum & mutum adprehendens de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas. Prima ſalutis janua eſt, infirmum, apprehendente Domino, ſeorſum de turba educere, id eſt, de converſatione gentili ad fidem provocare. Digitos in auriculas mittit, cùm ad ſuſcipienda & intelligenda, per dona Sancti Spiritûs, verba ſalutis, aures cordis aperit. Nares etiam tanguntur, ut, per invocationem Sancti Spiritûs odorem bonorum operum, rejectis operibus putrilibus & fœtidis, percipiant, & delectatione florum virtutum, adſpirante Domino, frui mereantur.* &c.

LXXIX. DE UNCTIONE AC LOTIONE PECTORIS ET SCAPULARUM.

Nonò, Carolus quærit, quare *pectus ungatur oleo*, item *cur ſcapulæ ſignantur, & quare pectus & ſcapulæ lavantur.* Multa de pectoris & ſcapularum unctione, nihil omnino de lotione ſcribunt Amalharius & Theodulfus. Audi Amalharium capitulo decimo-quarto. *Poſtea*, id eſt, poſt tactum narium & aurium, *tangimus de oleo ſancto ſcapulas & pectus, & dicimus eis. Abrenuntias ſatanæ? & cetera quæ ſequuntur. Per oleum namque miſericordiam Dei novimus ſignari. Sicut illud eſt Gregorii, quia Græcè ἔλαιος, Latinè miſericordia interpretatur. In ſcapulis ſive in humeris fortitudinem brachii terreni hominis ponimus. Brachia operantur, & manus, quæ in brachiis poſitæ ſunt, & ideò autumamus per ſcapulas deſignari fortia opera hominum, & per pectus, quodammodo conſiſtit cubiculum cogitationum, volumus deſignari bonas cogitationes. Oleo ſancto, id eſt, miſericordiâ Dei unguntur, ut ſciant ſemper deprecari miſericordiam Dei, ut dirigat corda & opera eorum in charitate Dei & patientia Chriſti, ut recognoſcant ſe non aliter bonum operari poſſe nèque velle niſi per miſericordiam Dei.* Audi & Theodulfum capitulo decimo. *His, qui baptizandi ſunt, pectus de oleo & ſcapulæ tanguntur, ut illius olei, Sancti videlicet Spiritûs, unctione liniti, de quo Apoſtolus ait,* [*ſicut unctio quæ docet nos de omnibus,*] *antè & retrò muniti, id eſt, contra omnia proſpera ſive adverſa ſint circumſpecti, & cæleſtium animalium imitatione antè & retrò pleni ſint oculis, id*

id eſt, in præteritum & futurum reſpicientes ſalutis ſuæ cuſtodiam non amittant. AN. CH. *Tangitur eis pectus, ut cum David dicere poſſint.* [*Et miſericordia ejus præveniet me.*] *Tanguntur ſcapulæ, ut cum eodem dicant.* [*Et miſericordia ejus ſubſequatur me.*] *Id eſt, anteriora ut benè velint, poſteriora ne fruſtrà velint.* &c. Jeſſe quoque nihil omnino ſcribit de lotione pectoris & ſcapularum; de unctione verò ſic. *Tangitur etiam de oleo ſancto pectus, ut immundo ſpiritui prohibeatur introitus. Scapulæ enim eodem ſignantur oleo, ut undique munitione Crucis firmetur, & ad gratiam Chriſti perductus participare mereatur & adhærere Chriſto Domino, qui unctus eſt oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Inter ſcapulas tangitur, ut conſecratus humerus cum ſcapulis totum ſe ſubjiciat poteſtati Dei & dominationi, cujus Principatus & Regnum ſuper humerum eſſe ejus oſtenditur, unde & Crucem ſuam ipſe portavit, habens nomen ſuper omne nomen. Námque & nos humerum & cervices inclinemus, credentes & adorantes illum, cui omne genu flectitur. Portemus enim Crucem, & ſequamur illum, quia jugum ejus & onus ſuave & leve eſt, ut audire credentes mereamur.* [*Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.*] *Perducamus ad rationem opera noſtra, ad fidem cum deſiderio currentes, quia in humero & ſcapulis opus, in pectore ratio intelligitur, fides enim, quæ capitur auditu, corde creditur, ore promittur* * *ad ſalutem, ſecreto mentis eſt conlocandâ, & ipſis eſt noſtri pectoris vitalibus committenda.* [*Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad fidem.*] &c.

812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

* promittitur

Amalharius, antequàm ulteriùs progrediatur, capitulo decimo-ſexto recapitulationem prædictorum ſic exhibet. *Is qui baptizandus eſt jam Catechumenus, id eſt, inſtructus, ut recognoſcat errorem priſtinum, & intelligat lucem veritatis, accepit ſalem ſapientiæ, ut turpiloquia declinaret. Adjuratus eſt diabolus, qui fuit in illo, cum ſigno Crucis, ut recedat à Dei famulo, & inde fit genuflexio ad Deum, ut Deus illum expellat à ſuo vocato. Orare pro ſeipſo jam doctus eſt in Oratione Dominica. Quomodo credere oporteat, jam audivit in Symbolo. Admonitus eſt per ſputum Presbyteri, ut quandiu ſpiritum vitæ hujus naribus trahit, fidem quam audivit per aures teneat. Poſt auditam fidem ungitur inter ſcapulam & pectus, ut Dei miſericordiâ cogitationes bonæ & opera corroborentur in eo, & recedat ab omni malo quod ad membra ſathanæ pertinet, & faciat bonum, & confiteatur ſe credere in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus, natum ex Patre ante omnia ſecula, factum ex muliere in tempore noviſſimo, & in Spiritum Sanctum, & reliqua. Sicque conjungitur ſacro fonte Baptiſmatis.* LXXX.

Decimò, Carolus quærit, *cur is*, qui baptizatur, *albis* poſt Baptiſmum *induitur veſtimentis.* Amalharius ad illam interrogationem ſic reſpondet capitulo decimo-nono. *Albis induitur veſtimentis, ut ſciat ſe inviolatum corpus poſſidere, & charitate Spiritûs Sancti illuſtratum cor ſe habere, ſive recognoſcat ſe juſtitiam & nuptialem veſtem habere. Per veſtimenta enim opera juſtitiæ intelliguntur, unde dicitur eis. Sacerdotes induantur juſtitiâ.* Et Theodulfus capitulo decimo-quarto, ſic. *Albis poſt Baptiſmum induimur veſtibus, ut munditiam teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione, ſervantes & noſtram innovationem, & Angelici ſplendoris decorem, & dentur nobis ſingulis ſtolæ albæ, ſpes videlicet immortalitatis & æternæ felicitatis.* &c. LXXXI. DE ALBIS VESTIBUS.

Undecimò, Carolus quærit, *cur ſacro Chriſmate caput perungitur.* Reſpondet Amalharius capitulo decimo-ſeptimo. *Poſt hoc ſalutare lavacrum linitur caput ejus ſacro Chriſmate, unde Sacerdotes & Reges unctos eſſe novimus in veteri Teſtamento. Ut intelligat baptizatus Regale ac Sacerdotale Myſterium ſe accepiſſe, quia illius corpori adunatus eſt, qui Rex ſummus & Sacerdos eſt verus, & Regnum ſperare debet perpetuum, & hoſtias immaculatæ converſationis Deo ſemper offerre.* Et Theodulfus capitulo decimo-quinto. *Ante adventum Chriſti, Reges ſolummodo unguebantur & Sacerdotes, qui etiam Chriſti vocabantur. Poſt adventum verò ejus, non jam ſolùm Reges & Sacerdotes, ſed omnis hac unctione conſecratur Eccleſia, quia conſtat eam eſſe Regnum & Sacerdotium, & filios* LXXXII. DE CAPITIS UNCTIONE

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

ejus Reges & Sacerdotes. Baptizatorum itaque capita Chriſmate liniuntur, ut in Regno & Sacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſtiani nominis prærogativam accipiant, & ejus membra, qui eos redemit, & eorum caput eſt, effici valeant. Jeſſe de eadem capitis unctione ſic ſcribit. *Baptizato facit Presbyter ſignum Crucis de Chriſmate cum pollice in verticem capitis. Sicut enim in Baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per unctionem ſanctificatio ſpiritûs adhibetur. Nam & in veteri Teſtamento Sacerdotes & Reges ungebantur, ſicut Aaron à Moyſe unctus eſt & David à Samuele. In capite ungitur, quia ex ipſo omnes ſenſus procedunt, & ipſe ſenſus capit. Nam mulier ſuper caput Jeſu unguentum fudit nardi piſtici, ut fidem Eccleſiæ & gentium oſtenderet per unctos chriſmate ſalutis.*

LXXXIII. ET VELAMINE.

Duodecimò, Carolus quærit, cur *myſtico tegitur velamine.* Ad hoc Amalharius capitulo duodeviceſimo. *Tegitur poſteà linteo, & hoc de veteri Teſtamento aſſumptum eſt: ſic enim ſcriptum eſt in Exodo. Filios quoque illius, ſcilicet Aaron, applicabis & indues tunicis lineis, cingéſque baltheo, Aaron ſcilicet ac liberos ejus, & impones eis mitram. Jam perceptâ gratiâ ſacri Baptiſmatis, non reconſidat viribus ſuis, ſed ſemper deprecetur, ut protectus ſit cæleſti auxilio, protectionem Domini præclaram volumus intelligere per linteum quo caput tegitur.* Et Theodulfus capitulo decimo-ſexto. *Quia Redemptor noſter Rex eſt..... & Sacerdos,..... decentiſſimum eſt, ut Sancta ejus Eccleſia, quæ utique corpus ejus eſt, & Regnum ſit & Sacerdotium, & nos in ea regenerati, qui ejus membra ſumus, Reges ſimus & Sacerdotes; Reges, ut & contra diabolum viriliter dimicemus, & adminiſtrationem vitæ noſtræ admirabili diſpenſatione gubernemus; & Sacerdotes, ut in Templo Dei ſancto, quod ſumus nos, altare fidei ædificantes, bonorum operum ei hoſtias pacificas offeramus..... Capita itaque eorum, qui regenerantur ex aqua & Spiritu Sancto, myſtico velamine teguntur..... ut hoc velamine & diadema Regium & Sacerdotalis capitis velamentum ſignificetur. Et quia per caput mens plerumque in ſacro eloquio accipi ſolet juxta illud,* [*reſpicite & levate capita veſtra,*] *mens renatorum & Regiæ dignitatis ornamenta & Sacerdotalis verticis habeat tegumentum, ut & contra vitia Sacerdotali velamine muniatur, & virtutum gemmis ſpiritaliter exornetur, & unctione ſacroſancti Chriſmatis liniatur.* &c. Jeſſe de eodem velamine capitis hæc habet. *Pannus ornatus ſuper caput baptizati ponitur. Sæpè enim nomine capitis mens ſolet intelligi; unde & in Apocalypſi circumamicti veſtimentis albis in capitibus ſuis coronas aureas habere dicuntur, id eſt, bonis operibus induti perenni memoriâ mentis gaudia ſuperna quærant. Jam tunc equus albus effectus, & ſeſſor ſuper illum habens arcum, id eſt, Eccleſiæ, quæ ſuper nivem gratiâ Baptiſmi dealbata eſt, Dominus præſidet, vexillum Crucis habens.*

LXXXIV. DE PERCEPTIONE EUCHARISTIÆ.

Denique Carolus quærit, *cur Corpore & Sanguine Dominico confirmatur.* Ad hanc interrogationem ſic Amalharius capitulo viceſimo. *Confirmatur poſteà Corpore & Sanguine Domini, ut ſciat per talia Myſteria diabolum expulſum ab ejus corde, ac Chriſtum inhabitare; itaut confidenter dicamus illi.* [*Omnes, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*] Et Theodulfus capitulo duodeviceſimo, ſic. *Morem accipiendæ Euchariſtiæ à Domino traditum Eccleſia tenet, ut cùm ex aqua & Spiritu Sancto quis renaſcitur, Corpore Domini paſcatur, & Sanguine ejus potetur, ut in Corpore Chriſti trajecto, & ille in Chriſto maneat, & Chriſtus in eo, ut iſtius cibi fortitudine roboratus, exemplo Heliæ veniat uſque ad montem Dei, Chriſtum videlicet, qui eſt mons domûs Domini præparatus in vertice montium, & ejus dono ad æternæ beatitudinis gloriam perascedat, ubi ſatietur in bonis deſiderium ejus,* &c. Jeſſe quoque, ſic. *Noviſſimè autem Corpore & Sanguine Chriſti confirmatur infans, ut ejus poſſit eſſe membrum, qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit, ipſo Domino atteſtante, qui dixit.* [*Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*] *Unde,* &c.

LXXXV. Ut Carolus in ſuis interrogationibus, ſic Amalharius & Theodulfus in reſponſionibus ad illas interrogationes nullam omnino mentionem fecerunt

merſionis in aquam. Fortè Carolus ab hac abſtinuit quæſtione, quia ſciebat duplicem obſervari merſionis ritum abſque ullo Catholicæ fidei diſpendio, cùm alii unam, alii tres in Baptiſmate merſiones uſurparent, utrique verò rationem ſuæ conſuetudinis redderent teſte Gregorio Magno[a], cujus hic eſt ſuper ea materia textus ad Leandrum Metropolitam Hiſpalenſem. *De trina verò merſione Baptiſmatis, nil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis, quia in fide nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem, quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizando ſemel in aquis mergere, quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in Baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari.* Jeſſe, licèt Carolus merſionis non meminerit, de trina merſione ſic loquitur. *Abrenunciatis operibus diaboli, & myſterio credulitatis accepto, mergitur infans in aqua, & baptizatur. Baptiſmus Græcè, Latinè tinctio interpretatur. Sub Trinitatis enim deſignatione fit, id eſt, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, dicente Domino ad Apoſtolos.* [*Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*] *Convenienti ergo ratione ſub trina merſione homo ad imaginem revocatur ſanctæ Trinitatis, qui ad eandem Deo cooperante in principio eſt creatus, & benè qui lapſus eſt in mortem tertio gradu delicti, id eſt, conſenſu, tertiò à lavacro receptus recuperetur ad vitam.* Similia repetit in recapitulatione, de qua nos infrà. Trinam autem merſionem ex ritu commendat Romano, ſic enim habet Ordo Romanus in Sabbato Sancto. *Acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos ſub trina merſione, tantùm ſanctam Trinitatem ſemel invocantes, ita dicendo. Et ego baptizo te in nomine Patris. Et mergit ſemel. Et Filii. Et mergit iterum. Et Spiritûs Sancti. Et mergit tertiò.* In fine prædictæ recapitulationis, Eccleſiæ Romanæ ritibus addictiſſimum ſe teſtatur his verbis. *Sequamur pro Baptiſmate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem.*

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32. CUR ABSTINET A QUÆSTIONE DE MERSIONE IN AQUAM.

[a] Lib. 1. ep. 41.

Carolus in ſuis interrogationibus & Amalharius in reſponſionibus ad illas interrogationes nullam quoque mentionem faciunt de Sacramento Confirmationis, de quo Theodulfus & Jeſſe loquuntur diſtinctiſſimè. Caroliní ſilentii cauſam ex diverſâ quoque locorum conſuetudine, quæ in fide nihil officit, petendam ſuſpicamur. Theodulfus autem capite decimo-ſeptimo ſic ait. *Preſbyteris baptizatos Chriſmate unguere licet, Spiritum verò Sanctum per manûs impoſitionem tradere non licet. Antiquus iſte mos ab Apoſtolis Eccleſiæ eſt traditus..... Hoc autem ſolis Pontificibus deberi, ut vel ſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm etiam lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Preſbyteris, ſive abſentibus ſive præſentibus Epiſcopis, baptizare & baptizatos Chriſmate unguere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paraclitum.* &c. Item Jeſſe, ſic. *Poſt hac confirmet eum Epiſcopus in fronte de Chriſmate. Ideóque manûs impoſitio fit, ut per benedictionem advocatus invitetur, Spiritus Sanctus ſuper eos deſcendat, juxta exemplum Apoſtolorum. Cùm audiſſent, inquit, diſcipuli, qui Hieroſolymis erant, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad illos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, necdum enim in quenquam illorum ſupervenerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Sciendum eſt, quòd Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de ſeptem fuerit, ſi enim Apoſtolus eſſet, ipſe manum imponere potuiſſet, ut acciperet Spiritum Sanctum, hoc enim ſolùm Pontificibus debetur. Nam*

LXXXVI. CUR NON LOQUITUR DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

AN. CH. 812. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32.

Presbyteri cùm baptizant, Chrismate baptizatos unguere licet, sed si ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis Episcopis debetur, quo tradant Spiritum Paraclitum baptizatis. Postquàm enim ascendit Dominus de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritus Sanctus tanquam columba descendit super eum.

LXXXVII. BAPTISMUS NON ITERANDUS.

Baptismum non iterari sic etiam docet Theodulfus capitulo decimotertio. *Nullatenus Baptismi Mysterium perfici potest, nisi sub invocatione Sanctæ Trinitatis, quia & Dominus ad Apostolos dixit.* [*Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*] ..... *Idcircò autem Baptismus non iteratur, quia & Christus non amplius quàm semel moritur. Peccata enim, quæ post Baptismum committuntur, pœnitentiæ lacrymis, eleemosynis, & cæteris bonorum operum exhibitionibus, non Baptismatis iteratione delentur.* &c.

LXXXVIII.

Opus suum Theodulfus hac clausit apostrophe, quam Sirmondus ex Codicibus, Virodunensi, Divionensi, & Vaticano publicavit. *Ecce, Vir Venerabilis, quod prudenter jussisti, humiliter implevi, deprecans Sanctitatem vestram, ut cùm de his interrogationibus altiores responsiones inveneritis, illis adhibitis istas non rejectatis, dummodo Apostolicâ auctoritate omnia sunt probanda, & quæ bona sunt retinenda.* Utrum Magnus Senonensis Archiepiscopus in breui libello, quem Carolo Imperatori, cujus jussu calamo manum admoverat, *de Mysterio Baptismatis* inscripsit, usus sit opere Theodulfi, nos latet. Nondum enim in lucem prodiit libellus ille, cujus exemplar manuscriptum penes eundem Sirmondum fuit, ut ipsemet in notis ad opuscula prælaudati Theodulfi testatus est.

LXXXIX.

Jesse suam epistolam insigni clausit recapitulatione, quam Baptisterii traditionem dixit. *Primò paganus postea Catechumenus fit. Accedens ad Baptismum renuntiat maligno spiritui, & omnibus damnosis ejus pompis. Exorcizatur, id est, conjuratur malignus spiritus, ut exeat, & excedat, dans locum Deo vero. Accepit Catechumenus salem, ut putrida & fluxa ejus peccata sapientiæ sale divino munere mundentur. Deinde Symboli Apostolici traditur ei fides, ut vacua domus, & à prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & præparetur habitatio Dei. Tunc fiunt scrutinia, ut experiretur sapiùs quàm firmiter post renunciationem satanæ sacra verba data fidei radicitus corde defixerint. Tanguntur & nares, ut quandiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo in sanctæ Crucis signo, ut diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ, & undique muniuntur; item in pectoris & scapulæ unctione signatur fidei firmitas & operum bonorum perseverantia; & in nomine Sanctæ Trinitatis trinâ submersione baptizatus, & rectè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis conditus est, per invocationem ejusdem Sanctæ Trinitatis ad eandem renovètur imaginem, & qui tertio peccati gradu, id est operatione, cecidit in mortem (cecidit homo per cogitationem, delectationem, & operationem) tertiò elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis, castitatem vitæ, & Angelici splendoris decorem. Tunc sacro Chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat diadema Regni & Sacerdotii dignitatem portare juxta Apostolum.* [*Vos estis genus Regale, offerentes vosmetipsos Deo vivo, hostiam sanctam & Deo placentem.*] *Sic Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit membrum, qui pro eo passus est & resurrexit. Novissimè per impositionem manûs à Summo Sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accepit, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ. Videtis quàm fideliter seu rationabiliter & prudenter hæc omnia nobis tradita sunt observanda.*

XC. CAROLUS EDIT DUO CAPITULARIA.

Cum epistola Jessæi publicatum est à Cordesio Capitulare admonitionis ad Presbyteros, at imperfectum, desinit enim in nono Capitulo nec integro.

XCI.

Primò omnium admonendi sunt de rectitudine fidei suæ, ut eam & ipsi teneant & intelligant, & sibi subjectis populis vivo sermone annuntient. Et unus-

quiſque eos quos habet in ſuo miniſterio cognoſcat, ſive viros, ſive fœminas, ut noverit ſingulorum confeſſiones & converſationem, quia pro omnibus redditurus eſt rationem Deo. AN. CH. 812.

Secundò, ut ipſi Sacerdotes talem oſtendant ſuam converſationem ſubjectis ſibi populis quæ imitabilis ſit, videlicet, ſicut Apoſtolus dixit, in caſtitate, in ſobrietate, ut non deſerviant gulæ, & cupiditati hujus ſeculi, ut, quod alios monent, obſervare in ſeipſis oſtendant, ut caveant ſe ab omni avaritia & cupiditate, quia multi diu noctúque laborant, ut adquirant temporalia, videlicet mancipia, vinum, & annonam cum uſura, à qua & Deus prohibet, & omnis Scriptura Divina, & Sancti Canones, necnon mulierum declinent conſortium, & ſecum habitare non permittant, ut auctoritas eſt Canonica. CAROLI IMP. 12. LUDOV. R. 32. XCII.

Tertiò, ut Orationem Dominicam, id eſt, Pater noſter, & Credo in Deum Omnipotentem, ſibi ſubjectis inſinuet, & ſibi reddi faciat tam viros & fœminas, quámque & pueros, id eſt, ut Orationem Dominicam & Symbolum, tam à viris & fœminis quàm & à pueris curet ediſci. XCIII.

Quartò, & ipſi Presbyteri à comeſſationibus & potationibus, ut Apoſtolus monet, ſe ſubtrahant. Nam quidam illorum cum quibuſdam vicinis ſuis..... uſque ad mediam noctem & eo amplius cum ipſis bibendo morantur; & qui religioſi & ſancti eſſe videntur, non quidem tunc ibi manent, ſed tamen ſaturati vel ebrii revertuntur ad Eccleſias ſuas, & neque in die neque in nocte officium Deo in Eccleſia ſibi credita perſolvunt, nonnulli verò in eodem loco, ubi ad convivium pergunt, dormiunt. XCIV.

Quintò, ut ipſi Presbyteri tales ſcolarios habeant, id eſt, ita nutritos & inſinuatos, ut ſi fortè eis contingat non poſſe occurrere tempore competenti ad Eccleſiam ſuam Officii gratiâ perſolvendi, id eſt, Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperas, ipſi Scolarii & ſignum in tempore ſuo pulſent, & officium honeſtè Deo perſolvant. XCV.

Sextò, ut diligenter reſciatis poſt ordinationem uniuſcujuſque Presbyteri, quantùm quiſque profecerit in ſuo miniſterio, quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt, poſt ordinationem verò de rebus, cùm debuerant Eccleſiis ſervire, emunt ſibi alodium, & mancipia, & ceteras facultates, & neque in ſua lectione aliquid profecerunt, neque libros congregaverunt, aut ea, quæ pertinent ad cultum Religionis, augmentaverunt, ſed ſemper convitiis, & contentionibus, & rapinâ vivunt. XCVI.

Septimò, ut domeſticos ſuos, id eſt, eos qui cum ipſis ſunt in ſua manſione, ſive ſcolarios, ſive alios ſervientes, diligentiſſimè prævidere ſtudeant ab omnibus vitiis, & maximè de ebrietatibus, & luxuriis, & variis immunditiis, nam ſicut dicit Apoſtolus, qui domeſticorum ſuorum curam negligit, aliorum non prodeſſe poterit converſationi. XCVII.

Octavò, ut hoſpitales ſint, quia multi, qui ſciunt hoſpitem ſupervenire ad Eccleſiam ſuam, fugiunt, ſed quod Apoſtolus jubet & cetera Scriptura Divina ſectari, ſequi illi è contrario fugiunt, & pauperibus ſubvenire metuunt. XCVIII.

Nonò, jubet Apoſtolus omnibus fidelibus, ut ſermo eorum in gratia ſit ſemper ſale conditus, id eſt, ut ea loquatur Chriſtianus quæ Religioni conveniunt, unde aliorum mentem condire poſſit, & à putredine peccatorum emundare..... Reliqua deſunt cùm apud Joannem Cordeſium, tum in ſchedis Jacobi Sirmondi, quas Stephanus Baluzius conſuluit. XCIX.

C. In Collectione Lothariana, quam Vitus Amerpachius ex Codice Teghernſeenſi publicavit, extat Capitulare tredecim in Capitula diſtinctum, quod vel hoc anno vel poſtero promulgatum putamus, cùm Carolus è tribus filiis, quos in Regni conſortium adſciverat, ſolum ſuperſtitem haberet Ludovicum, de quo locutus videtur Capitulo nono, ubi de Vaſſis Regalibus ita ſtatuit, *aut ad nos aut ad filium noſtrum caput teneant.* Integrum Capitulare deſcribemus, & difficiliora Capitula notis Amerpachianis illuſtrabimus.

AN. CH. 812. Primum Capitulum. *De ordinatione Eccleſiaſtica, & reſtauratione Eccleſiarum Dei, omnes generaliter habeant bonam providentiam.*

CI. Secundum Capitulum. *Ut pacem & concordiam habeant ad invicem fideles noſtri.*

CII. CIII. Tertium Capitulum. *Quomodo marcha noſtra ſit ordinata, & quæ per ſe fecerunt conſiniales noſtri ſpecialiter iſtis præteritis annis.* Amerpachius hoc loco repetendum, *providentiam habeant*, aut aliquid ſimile ſubintelligendum rectè monet.

CIV. Quartum Capitulum. *De Placito condicto ad marcham, neceſſe eſt, ut omnimodis ex omni parte, ſicut ordinatum fuerit, unuſquiſque conveniat.*

CV. Quintum Capitulum. *De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus noſtris, qui Seniores ſuos fugiunt pro damnáque eis facta habent.* Sic habet Codex Teghernſeenſis. Legit Amerpachius, *pro damniſque facta*, ſicque legendum cenſet, ut ſit ſenſus, *& quòd fugiunt, putant ſe ladere ſuos Superiores, aut fugiunt dolosè*, nec diſſimulat accuſativum caſum in Collectione Lotharianâ præpoſitioni *pro* ſæpè additum inveniri. Quapropter Baluzius *pro damna* ſic optimè retinet, *qui Seniores ſuos fugiunt pro damna quæ eis facta habent*, id eſt, pro damnis quæ Seniores eis fecerunt.

CVI. Sextum Capitulum. *De pravis Judicibus, Advocatis, Vicedominis, Vicariis, Centenariis, vel reliquis Actoribus malevolis non habendis.* In Codice Teghernſeenſi legitur *Auctoribus*, Amerpachius repoſuit *Actoribus*. Hanc emendationem Buſæus & Baluzius jam probarunt. Apud Lindenbrogium in formula Ceſſionis à die præſente ad Eccleſiam, id eſt in formula quæ numero decima-ſexta eſt inter formulas ſolemnes apud iſtum Collectorem, laudantur *Auctores Eccleſiarum*, ſed ut idem Lindenbrogius in ſuo Gloſſario teſtatur, *alibi hi ipſi Actores vocantur.*

CVII. Septimum Capitulum. *De liberorum hominum poſſibilitate, ut juxta qualitatem proprietatis* ſeu facultatum ſuarum *exercitare* ſeu militare vel exercitum juvare *debeant.*

CVIII. Octavum Capitulum. *Ut nullus conſentiat ſuis hominibus ad malefaciendum infra patriam, de eo* (id eſt, ideò) *quòd dicunt ſe non poſſe habere homines ad marcham defendendam, ſi eos benè diſtringunt.*

CIX. Nonum Capitulum. *De Vaſſis Regalibus, ut honorem habeant & per ſe, aut ad nos, aut ad filium noſtrum caput teneant.* Ita Codex Teghernſeenſis. At cùm Vaſſi Regales per ſe honorem habeant, & ab alio tamen teneant, Amerpachius ita legit, *honorem habeant per ſe, & aut ad nos, aut ad filium noſtrum caput teneant.*

CX. Decimum Capitulum. *De obſidibus, quòd benè non cuſtodiunt, & ab eis fugiunt.* In hoc Capitulo Carolus eos, quibus cura cuſtodiendorum obſidum demandata eſt, acriter redarguit, quòd ipſos obſides adeò negligenter cuſtodiunt, ut iidem obſides ab eis aufugiant.

CXI. Undecimum Capitulum. *De illis, qui neceſſitatem patiuntur, ut meliorem habeant conſolationem ad eorum*, id eſt, ad ſuam, *juſtitiam.*

CXII. Duodecimum Capitulum. *Ut per Placita non fiant banniti homines, excepto ſi aliqua proclamatio ſuper aliquem venerit, aut certè ſi Scabinus aut Judex non fuerit, & pro hoc condemnati illi pauperiores non fiant.*

CXIII. Decimum-tertium. *Ut Haribannum aut aliquid collectum pro exercitali cauſa Comites de liberis hominibus recipere aut requirere non præſumant, excepto ſi de Palatio noſtro aut filii noſtri Miſſus veniat, qui illum haribannum requirat.* Hoc Capitulum reperitur in lege Longobardorum, libro tertio, titulo ſexto [a], & à nobis jam deſcriptum fuit Tomo ſuperiore [b]. In illa Lege textus non habet *collectum*, ſed *conjectum*, nec intelligitur de alio Caroli filio quàm de Pippino Longobardiæ Rege jam conſtituto. Capitulare verò, de quo nunc agimus, nihil omnino complectitur, quod ad Longobardiam ſpeciatim pertineat. Quapropter non Longobardiæ modò ſed univerſæ Franciæ

[a] Cap. 2.
[b] Ad an. 781. n. 104.

præſcriptum videtur, atque ad ea rejiciendum tempora, quibus ſolus è tribus filiis, quos Carolus Reges dixerat, ſupererat Ludovicus, alioquin Carolus non filii ſui in ſingulari ſed filiorum ſuorum in plurali numero meminiſſet. AN. CH. 812.

Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, cujus librum *de ordine Baptiſmi* eum ſcriptis Amalharii Metropolitæ Trevirenſis & Jeſſæi Ambianenſis Epiſcopi ſuprà contulimus, Miciacum antiquum in Aurelianenſi Diœceſi Monaſterium à Benedicto Anianenſi reformandum curavit. Quapropter in Monachorum Indenſium literis, quas Ardonis lucubrationi ſubjectas apud Menardum & Bollandum reperies, idem Benedictus ſuo ſub regimine duodecim habet Monaſteria, atque in his *Sanctum Maximinum*, ſeu Cœnobium Sancti Maximini, quod & alio nomine Miciacum à loco nuncupatur, ut fuſiùs poſt biennium expoſituri ſumus. CXIV. MICIACUM MON. INSTAURATUR A BENEDICTO ANIANENSI.

AN. CH. 813.

ANNUS

CHRISTI		813.		
CAROLI	IMP.	13.		
	REG.	45.	42.	40.
LUDOVICI REG.		33.	8.	
INDICTIO		6.		

CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

CAROLUS, ut præcedentem hyemem, ſic & Paſchalem Feſtivitatem, quâ Moiſſiacenſis Chronographus annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium aperit, egit Aquiſgrani, primóque vere Legatos in Orientem ad firmandam cum Imperatore Conſtantinopolitano pacem direxit. Prælaudatus enim Chronographus annum priorem ſic claudit. *Piiſſimus Imperator eodem anno apud Aquis hyemavit, & ibi celebravit Paſcha.* Deinde res *anno* DCCCXIII geſtas ſic aggreditur. *Hoc anno ſedit Piiſſimus Karolus Imperator apud Aquis Palatium.* Et Annaliſta Loiſelianus, cui ceteri conſentiunt, ad hunc annum ſic ſcribit. DCCCXIII. *Imperator Aquiſgrani hyemavit, & incipiente verni tempore Amalharium Trevirenſem Epiſcopum & Petrum Abbatem Monaſterii Nonantulae propter pacem cum Michaele Imperatore confirmandam Conſtantinopolim miſit.* Ceterùm Amalharius, ahtequàm itineri ſe daret, Auſtrannum ordinavit Epiſcopum Virodunenſem in locum Petri nuperrimè mortui. *Fuit enim* Petrus *in Epiſcopatu per viginti-quinque annos*, ut Bertarius ſeu Bercarius Preſbyter in breviſſima teſtatur Hiſtoria Virodunenſium Epiſcoporum, quam Lucas Dacherius Tomo duodecimo ſui Spicilegii publicavit. Hanc Chronologiam ſic confirmat Hugo Flaviniacenſis. *Conceſſum eſt illi*, nempe Petro, *civitatem ingredi, & Epiſcopatu potiri anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVIII, *fuitque per viginti-quinque annos*, id eſt, ad hunc uſque annum DCCCXIII. *Poſt mortem illius*, inquit Bertarius, *elegerunt ſibi Epiſcopum de Regis Palatio, Auſtrannum Cantorem ipſius, virum ſtrennum. Superfuit quinque annis.* Hunc Auctorem Hugo Flaviniacenſis Abbas ſequitur, & Epiſcopatûs, quem Auſtrannus geſſit, initium in annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quintum ſic rejicit. *Poſt* Petri *mortem elegerunt ſibi Clerus & populus Epiſcopum de Regis Palatio anno* DCCCXV *Auſtrannum Cantorem ipſius, virum ſtrenuum. Et hic ſuperfuit annos quinque.* Sed aliter inſtituenda Virodunenſium Epiſcoporum Chrono- I. CAROLUS LEGATOS MITTIT CONSTANTINOPOLIM. PETRUS EP. VIRODUN. OBIT. SUCCEDIT AUSTRANNUS.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

logia. Poſt Petrum, in Virodunenſi Cathedra ſederunt, Auſtrannus, Herilandus, Hildinus, Atto. Mortuus eſt Petrus hoc anno, qui poſt natum Chriſtum numeratur octingenteſimus decimus-tertius. Obiit Atto Kalendis Januarii, quæ pertinebant vel ad annum Redemptoris octingenteſimum ſexageſimum-nonum in eorum opinione qui principium anni ducunt à Paſchali Solemnitate, vel ad annum Redemptoris octogenteſimum ſeptuageſimum in opinione cùm coætaneorum Auctorum qui ordiuntur annum à die Natali Domini, tum recentiorum qui annum ab iiſdem Kalendis Januarii nobiſcum auſpicantur. In Epiſcoporum Virodunenſium Catalogis à morte Petri ad Attonis uſque obitum, id eſt, ab hoc anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio ad annum Redemptoris vel octingenteſimum ſexageſimum-nonum vel octingenteſimum ſeptuageſimum certa non occurrit epocha. De anno, quo Petrus obiit, actum ſuprà. De morte Attonis ſic Bertharius. *Intentio ejus & labor ejus nimius in hoc exſtitit, ut iſta Eccleſia exaltaretur & pace frueretur, quod & fecit diebus vitæ Lotharii Junioris. Illo verò mortuo in menſe Auguſto, iſte etiam obiit Kalendis Januarii.* Vivebat tum Bertharius, ideóque potiorem ſibi conciliat auctoritatem, laudato enim Hildino, priuſquàm Attonis, qui proximè ſucceſſit, aggrediatur Geſta, tranſitionem hanc præmittit. *Deinceps quod oculis vidi liberiùs valeo litteris exequi.* Junior autem Lotharius, ut Annaliſtæ, Fuldenſis, Bertinianus, & Metenſis, cum Reginone teſtantur, anno Redemptoris octingenteſimo ſexageſimo-nono vitam terminavit. Atto igitur, qui, teſte Berthario, *fuit in Epiſcopatu per annos viginti & tres*, Epiſcopatum anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-ſexto ſuſcepit Lothario tunc Imperatore; & Hildinus deceſſor, qui teſte eodem Auctore *fuit in Epiſcopatu per viginti-quatuor annos*, ſedere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, imperante tum Ludovico Pio. Reſtant à Petri morte ad Hildini Pontificatum anni duntaxat novem, quos in duos Epiſcopatus Auſtranni videlicet & Herilandi ſic diſtinguimus, ut Auſtranno quinque, quatuor Herilando tribuamus. Super Auſtranni quinquennio nobiſcum conveniunt Bertharius & Hugo jam citati. Tota difficultas in Herilandi quadriennio conſiſtit. Herilandus, ſi vulgato Berthario fides eſt, *fuit in Epiſcopatu per viginti-quatuor annos*, in Hugonis autem Chronico mortuus fertur *expletis in Epiſcopatu annis ſeptem*. Inter utrumque Scriptorem hoc loco diſcrepantia reperitur annorum ſeptemdecim. Hugoni quia procul ab illa remotus eſt ætate, minùs fidendum. Vulgati verò Bertharii ſtare non poteſt opinio, quia Herilandus, ſi quatuor ac viginti ſedit annos, Epiſcopatum iniit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo octavo, & Auſtrannus ejus deceſſor ad Epiſcopales Infulas aſſumptus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio. Quod à vero quàm ſit alienum docet antecedentium Epiſcoporum Chronologia, Petri potiſſimùm, qui poſt ſubactam à Carolo Longobardiam geſſit Epiſcopatum *per viginti-quinque annos*, & Auſtrannum nactus eſt proximum ſucceſſorem. Irrepſit igitur mendum in editionem Bertharii, nec commodiùs faciliúſve tolli poteſt, quàm ſi *poſt quatuor annos ſui Epiſcopatûs* non autem *poſt viginti-quatuor annos*, ut edita ferunt exemplaria, mortuus aſſeratur Herilandus. Hac adhibitâ correctione, quinquennium Auſtranni numerabimus ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio quo Petrus obiit, ad annum Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum quo Pontificatum Herilandus adminiſtrare cœpit. Agemus[a] infrà de veteribus Epiſcopalium promotionum formulis ab ætate Clodovei Magni, qui primus è Francorum Regibus Chriſtianam Religionem ſuſcepit, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum, quo Ludovicus Pius edidit apud Attiniacum Capitulare, cujus ſecundum Capitulum inſcribitur *de Epiſcopis eligendis*. Ne quid autem ab ævi Carolini moribus & uſu remotum in textibus ſuprà citatis occurrere videatur, electionem

[a] Ad an. 822.

electionem Auſtranni ſic factam arbitrare. Vacante Virodunenſi Epiſcopatu, Virodunenſes, ſive, ut Hugo diſtinctiùs loquitur, *Clerus & populus*, unanimi conſenſu Auſtrannum Epiſcopum ſibi dari petierunt à Carolo, qui poſtulationem ſibi gratiſſimam lubentiſſimè ratam habuit. Bertharius paulò inferiùs de Hildini promotione ſimilia ſic ſcribit. *Defuncto iſto*, nempe Herilando, *abiit pars Cleri & plebis ad Ludovicum Imperatorem, & petierunt ſibi dari Hildinum de Alemannia virum bonum & ſanctum.* Porrò, cùm Auſtrannus Epiſcopales Infulas accepit, provinciæ Trevirenſis ſeu Belgicæ primæ ſtatus is erat. Amalharius Trevirenſem Archiepiſcopatum gerebat, habebátque Coepiſcopum Adalmatum; vacabat Epiſcopatus Metenſis; Eccleſiæ Tullenſi præerat Unanimicus. Auſtrannus igitur ab Amalhario Metropolita conſecratus eſt, aſſiſtentibus Adalmato & Unanimico. Paulò pòſt in Orientem profectus eſt Amalharius, eóque jam iter aggreſſo vitam clauſit Unanimicus Tullenſis Epiſcopus, ut infrà probabimus ex Flodoardo.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

II.

Interim Carolus Imperator, cùm adhuc Aquiſgrani degeret, conſilium de cogendis Synodis habuit, Chronographus enim Moiſſiacenſis, quem ſuprà citavimus, ſuam narrationem ſic perſequitur. *Hoc anno ſedit Piiſſimus Karolus Imperator apud Aquis Palatium, & habuit ibi conſilium magnum cum Francis, & decrevit quatuor Synodos fieri, id eſt, ad Moguntiam civitatem unam, alteram in Remis, tertiam Turonis, quartam Arelato civitate. Mandavítque, ut quidquid in unamquamque Synodum definiſſent, ad Placitum conſtituti Imperatoris renunciaſſent; quod ita factum eſt.* Omittit hic Chronographus Synodum Cabilonenſem, cujus non tantùm mentio fit apud alios Auctores, ſed & Canones, ut aliarum quatuor ab eodem Chronographo nominatarum, à variis Conciliorum Collectoribus per ordinem recitantur. Habitæ ſunt hæ Synodi per æſtatem, Arelatenſis *ſub die* VI *Idus Maias*, Remenſis *mediante menſe Maio*, Moguntina V *Idus Junii*, Turonenſis & Cabilonenſis licèt exhibeantur abſque nota menſis, haud videntur in aliam hujus anni partem rejiciendæ. Porrò cùm hæ quinque Synodi celebrabantur, Imperator Aquiſgrano digreſſus, ut indulgeret venationi, ſylvam adiit Arduennam, ſed morbo correptus Aquiſgranum ſtatim rediit, ibique menſe Septembri generalem Francorum Conventum habuit. Audi Annaliſtam Laureshamenſem. *Pons apud Moguntiacum menſe Maio incendio conflagravit. Poſt quod Imperator, cùm in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit, & convaleſcens Aquiſgrani reverſus eſt; ac deinde habito generali Conventu, evocatum ad ſe apud Aquaſgrani filium ſuum Ludovicum Aquitaniæ Regem excipiens, Coronam illi impoſuit, & Imperialis Nominis ſibi conſortem fecit, Bernhardumque nepotem ſuum ex Pippino filio Italiæ præfecit, & Regem appellari juſſit.* Ex Moiſſiacenſi Chronico ediſcimus habitum hunc menſe Septembri Conventum, in quo Carolus Canones prædictarum Synodorum coram ſe legi præcepit, & ex iiſdem Conciliis Capitulare decerpſit in ſex ac viginti diſtinctum Capitula, deinde Ludovicum filium Imperialis Nominis conſortem dixit. *Mandavit*, inquit Chronographus, *ut quidquid in unamquamque Synodum definiſſent, ad Placitum conſtituti Imperatoris renunciaſſent, quod ita factum eſt, & in ipſo anno menſe Septembri jandictus Karolus fecit Conventum magnum populi apud Aquis Palatium de omni Regno vel Imperio ſuo, & convenerunt Epiſcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituit Capitula numero* XXVI * *de cauſis, quæ erant neceſſaria Eccleſia Dei & Chriſtiano populo. Poſt hæc habuit conſilium cum præfatis Epiſcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & Majoribus natu Francorum, ut conſtitueret * filium ſuum Ludovicum Regem & Imperatorem.* Hæc rerum geſtarum ſeries fuit. Priùs igitur, quàm procedamus ad Conventum habitum menſe Septembri, ſermo nobis habendus eſt de quinque Synodis, quæ per æſtatem celebratæ ſunt. Annaliſta Loiſelianus, cui ceteri ſuffragantur, ad hunc annum ſic habet. *Concilia*

CAROLUS AUG. QUINQUE CURAT CELEBRARI CONCILIA.

* XLVI.

* conſtituerent

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. III. ARELATENSE.

juſſu ejus, nempe Caroli Auguſti, *ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt. Quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum eſt.* Spectatâ ratione temporis ordiemur ab Arelatenſi, cujus eſt talis præfatio.

Dum anno XLV *Inclyti & Orthodoxi Domini & Principis noſtri Caroli Imperatoris, ſub die* VI *Idus Maias, æra* DCCCLI, *unanimitatis noſtræ conventus in Arelatenſium urbe, in Baſilica Sancti Stephani Martyris primi adgregatus conſiſteret, atque unuſquiſque noſtrorum ex more, ſecundùm ordinationis ſuæ tempus, in locis debitis reſideret, rerum omnium Domino priùs devotiſſima gratiarum jura perſolvimus, pro eo quòd nos & alternæ viſionis contuitu jolari permiſit, & alternæ pacis oſculo confovendo ſtatuit : diffuſis cordibus, ſimulque & vocibus, precum murmura effundentes, ut ſicut nos alternorum oſculorum impenſione lætificos efficit; ita Sereniſſimum ac Religioſiſſimum prædictum Dominum noſtrum Carolum Imperatorem, cujus juſſu fraternitatis noſtræ cœtus eſt adunatus, fidei ſuæ conſervatione ſtabiliat, prærogatione juſtitiæ muniat, pacem ei locupletem reddat, impenſione miſericordiæ fulciat, virtutum fortitudine roboret, commiſſa ſibi Regni gubernacula diſcreto moderamine tenere concedat, ut commiſſos ſibi populos benignè regat, æquè diſponat, & jure pietatis modificet. His devotione promptiſſimâ actis, cœpit unionis noſtræ numeroſitas de rebus ſpiritalibus mutuâ collatione inter ſe ora diffundere, atque eventum rei expectatione manſuetiſſimâ præſtolari. Igitur cùm hæc attentiùs agerentur, venerabiles Miſſi Glorioſiſſimi ac Piiſſimi Domini noſtri, Joannes Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus necnon & Nebridius Narbonenſis Sedis Archiepiſcopus, ſurgentes ſteterunt in medio Concilii & dixerunt. Sanctiſſimi & Venerandiſſimi Sacerdotes, Glorioſus etenim ac Sereniſſimus Dominus noſter, ferventiſſimi amoris Chriſti igne ſuccenſus, & ſanctæ actionis ope perfunctus, utpote verus Chriſti diſcipulus & imitator, Eccleſiæ Dei ſtatum vigili inſtantiâ roborare diſponit, ſanctis Dei Baſilicis ſeſe munificum exhibet, malignâ contra ſe obſervatione agentibus animi liberalitate gratiſſimâ ac piæ miſerationis inſtantiâ ignoſcere conſuevit, ut qui in diverſis ſanctæ vitæ ſtudiis ſeſe exercendo præpollet, atque omnibus Dei Sacerdotibus obſecrans & obteſtans, ut Eccleſias, quas regendas ſuſceperunt, piâ prædicatione inſtruant, moribus ſanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent. Quocirca quoniam pro tot tantiſque beneficiis, quæ multimodâ devotione Eccleſia Dei vel gentibus prærogare ſtudet, quid illi unanimitas noſtra condignè reſpondeat, invenire non prævalet; id ſalutari providentiâ, quæ ſemper eſt utilis, (immò ſemper eſt utile quod veram pertinet ad ſalutem) decernit atque inſtituit, ut tam per omnes civitates ac loca, in quibus Sedes Epiſcoporum eſſe noſcuntur, quàm etiam per eorumdem Epiſcoporum diœceſes, cunctis diebus, quibus idem Dominus noſter in hac vita ſuperſtes extiterit, pro eo, vel pro cunctis ejus filiis vel filiabus, ſacrificiorum Deo libamina dedicentur, pia orationum vota ſolvantur, ac cum gratiarum actione ſuperno numini commendentur, ut deſideria in eis bona quotidie multiplicentur, adverſantium conamina virtutis divinæ dexterâ confringantur, indulgentia & gratia eis à ſua miſericordia conferatur, ut ſuæ potentiæ defenſione protecti, antiqui hoſtis decipulam evadant, & caritatis munere ac vitæ longævitate pollentes adire mereantur poſt tranſitum ſidereas manſiones. Qui cùm ſequenti die in eadem Eccleſia Sancti ac Beatiſſimi Stephani Martyris debitis in ſedibus locaremur, inter cetera, quæ ſubteriùs diſcreto Capitulorum ordine ſunt digeſta, non aliundè primum cœpimus habere ſermonem, quàm de noſtræ fidei puritate. Et quia initiandis ad beatam vitam hominibus hæc prima ſemper eſt via ſalutis, prævia quoque noſtris & inſtitutis pariter & præceptis, quæ per veram credulitatem in omni terrarum Orbe diffuſa expandatur, noſtræ collationis eloquiis prædicetur, prædicata veraciter teneatur, retenta in penetralibus noſtri pectoris illibata ſervetur.* In hac Præfatione duo tantùm nominantur Antiſtites, *Joannes Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Nebridius Narbonenſis Sedis Archiepiſcopus*, pleriſque Nefridius dictus; ceterorum, qui Concilio præſentes adfuerunt, in tota Synodo nulla fit memoria. Porrò, cùm Annaliſtæ ſuprà laudati præ-

dicta quinque Concilia *per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata* teſtentur, Epiſcopos omnes Galliarum vocatos ad illas Synodos arbitrare, totámque Galliam quinquepartitam conſtitue. Vetus Gallia Narbonenſis, ubi Narbo & Arelatum, tunc dividebatur in ſex provincias, quarum Metropoles, Narbo, Arelatum, Vienna, Aquæ Sextiæ, Ebredunum, & Darantaſia. Convocatos ad Arelatenſem Synodum exiſtimamus Præſules illarum provinciarum cum nonnullis ex Hiſpania citeriore, qui, quoniam in Regno Francorum tunc erant, attribuebantur provinciæ Narbonenſi, nec alia nobis occurrit ratio, cur Era, cujus uſus peculiaris Hiſpanis fuit, in præcitata Concilii Præfatione cum anno Regni Carolini componatur, Era videlicet octingenteſima quinquageſima-prima cum anno Caroli Regis quadrageſimo-quinto. In eadem Præfatione Carolus ejúſque liberi Deo commendantur uxoris nullâ mentione factâ, quia poſt Adelluidæ mortem ab anno Redemptoris octingenteſimo undecimo reliquam vitam tranſegit abſque conjuge. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Præfationem ſequuntur Canones ſex ac viginti; primus eſt de fide Catholica, ceteri pertinent ad Eccleſiaſticam diſciplinam. IV.

I. Canon. *Secundùm Divinas enim Scripturas & doctrinam quam à Sanctis Patribus accepimus, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius Deitatis atque ſubſtantiæ confitemur. In perſonarum diverſitate Trinitatem credentes, in Divinitate Unitatem prædicantes, nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus. Patrem à nullo factum vel genitum dicimus; Filium à Patre non factum ſed genitum adſerimus; Spiritum verò Sanctum nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Ipſum autem Dominum Jeſum Chriſtum, Dei filium, & creatorem omnium, ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitum, deſcendiſſe ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui numquam deſiit eſſe cum Patre. Incarnatus eſt enim ex Spiritu Sancto & Sancta Glorioſa Dei Genitrice Maria, & natus ex ipſa ſolus idem Dominus Jeſus Chriſtus, unus de Sancta Trinitate, animam & carnem, perfectum ſine peccato ſuſcipiens hominem, manens quod erat, aſſumens quod non erat, æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem, habens in una perſona duarum naturarum proprietatem (naturæ enim in illo duæ, Deus & homo, non enim duo Filii, & Dii duo, ſed idem una perſona in utraque natura) perferens paſſionem & mortem pro noſtra ſalute, non in virtute Divinitatis, ſed in infirmitate humanitatis. Deſcendit ad inferos, ut ſanctos, qui ibidem tenebantur, erueret; devictóque mortis imperio reſurrexit: aſſumptus deinde in cælos, venturus eſt in finem ad judicium vivorum & mortuorum. Cujus morte & ſanguine mundati peccatorum remiſſionem conſecuti ſumus, reſuſcitandi ab eo in die noviſſimo in ea quâ nunc vivimus carne, & in ea quâ ſurrexit idem Dominus forma, perceptur ab ipſo alii pro juſtitiæ meritis vitam æternam, alii pro peccatis ſupplicii æterni ſententiam. Hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ fides, hanc confeſſionem ſervamus atque tenemus. Quam quiſquis firmiſſimè cuſtodierit, perpetuam ſalutem habebit. Sanctæ enim fidei Myſterium oris noſtri confeſſione pandentes, ad Capitula, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam moréſque malè errantium componendos neceſſaria ſunt, unanimitatis noſtræ articulum flectere, & quæ opportuna ſunt, diſcretis Capitulis diffinire oportet.* V.

II. Canon. *Pro Excellentiſſimo atque Glorioſiſſimo Domino noſtro Carolo Rege, ſeu liberis ejus, omnes Epiſcopi, Presbyteri, ſeu Abbates, & Monachi, in unum collecti, in quantùm extremitas noſtra prævalet, Pſalmodiam, Miſſarum ſolemnia, atque Litaniarum Officia, Omnipotenti Deo devotiſſimè exolvere decrevimus.* In hoc Canone preces pro Carolo ejúſque liberis decernuntur, nequaquam pro uxore, quia non fuit conjugatus ab anno Redemptoris octingenteſimo undecimo, quo Adelluidam uxorem amiſit. VI.

III. Canon. *De Baptiſmo & Myſterio ſanctæ fidei, unuſquiſque Archiepiſcopus ſuos Suffraganeos diligenter ſtudioſéque admoneat, quatenus per ſtudium ſacræ lectionis imbuti, & de Myſterio ſanctæ fidei & de Sacramento Baptiſmatis unuſ-* VII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

quisque illorum in propria Parrochia perfectè studioséque Presbyteros & universum populum docere & instruere non negligat, quia ignorantia mater cunctorum est errorum, & maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum. [*Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.*] *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientiâ quàm operum disciplinâ.*

VIII. IV. Canon. *Ut laici Presbyteros absque judicio proprii Episcopi non ejiciant de Ecclesiis, nec alios immittere præsumant, quia quando Presbyteri ab Episcopis in Parrochiis ordinantur, necesse est, ut ab ipsis Episcopis diligenter instructi Ecclesias sibi deputatas accipiant, ne per ignorantiam, quod absit, etiam in ipsis divinis Sacramentis offendant, quia à Sanctis Patribus institutum est, ut quando ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium vel Baptismum celebrent.*

IX. V. Canon. *Ut laici omnino à Presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiæ, quia propter cupiditatem plerumque à laicis talibus Presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peragendum Sacerdotale officium sunt indigni.*

X. VI. Canon. *Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter Canonici vivere debeant, necnon & Monachi, ut secundùm ordinem Canonicum vel Regularem vivere studeant, ut ait Apostolus.* [*Unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat.*]

XI. VII. Canon. *Ut in Monasteria puellarum non nisi probatæ vitæ & ætatis provectæ viri ad quascumque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare: ad faciendas verò Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt. Aliàs autem nec Clericus nec Monachus juvenis ad puellarum Congregationem habebit accessum, nisi aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere.*

XII. VIII. Canon. *Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Canonicorum atque Monachorum seu etiam puellarum, nisi quantùm ratio permittit, & in eodem Monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possint.*

XIII. IX. Canon. *Ut unusquisque de propriis laboribus decimas, & primitias Deo offerat, sicut scriptum est.* [*Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.*]

XIV. X. Canon. *Providimus enim pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus Parrochiis, Presbyteri ad populum verbum faciant, & ut benè vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.*

XV. XI. Canon. *De incestis conjunctionibus, sicut à Sanctis Patribus institutum est, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint. Incestos verò, nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis fratris germanam uxorem acceperit; si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ suæ se societ; si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filia vel privignæ suæ concubitu pollnatur: vel si quid est hujusmodi, quod & hîc adnotare longum est, & in exitii barathrum negligentem quemlibet immergit.*

XVI XII. Canon. *De pacis bono atque concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur, inter Episcopos & Comites, inter Clericos & Monachos, & omnem populum Christianum, ut Beatus Apostolus docuit, dicens.* [*Sectamini castitatem & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.*] *Et idcircò quicquid illud est, quod nos ad veræ pacis studium & caritatis perfectionem provocat, totis viribus sectandum est: quicquid nos ab illa disjungit, ut venenum mortiferum à nobis cavendum est.*

XVII. XIII. Canon. *Ut Comites & Judices, seu reliquus populus, obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas, & munera pro judicio*

Digitized by Google

non recipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant judicia justorum, quia scriptum est. [*Justitia elevat gentem, injustitia verò miseros facit populos.*] *Et Psalmista.* [*Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*] AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

XIV. Canon. *Ut unusquisque tempore famis aut cujuslibet necessitatis, ad se pertinentes pro viribus suis gubernare studeat, quia scriptum est.* [*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*] *Et iterum.* [*Date & dabitur vobis; dimittite & dimittetur vobis.*] XVIII.

XV. Canon. *Ut pondera vel mensuræ ubique æqualia sint & justa, sicut scriptum est.* [*Æquus modius, & æquus sextarius.*] *Et iterum.* [*Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*] XIX.

XVI. Canon. *Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque causationes disceptationésque exerceantur, & penitus à rurali & servili opere cessetur, his solummodo peractis, quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur.* XX.

XVII. Canon. *Ut unusquisque Episcopus semel in anno circumeat Parrochiam suam. Noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideóque dum conspiciunt judices ac potentes pauperum oppressores existere, priùs eos Sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur, ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate coerceat.* XXI.

XVIII. Canon. *Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim Sacramenti est, & non ab aliis nisi à Sacerdotibus contingi debet. Quòd si fecerint, honore priventur.* XXII.

XIX. Canon. *Ut parentes filios suos, & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summoperè studeant; illi, quia eos genuerunt, & eis à Domino dati sunt: isti quia pro eis fidejussores existunt.* XXIII.

XX. Canon. *Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliâ ullâ possessione priventur.* XXIV.

XXI. Canon. *Ut de sepeliendis in Basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis Patribus constituta est.* XXV.

XXII. Canon. *Ut placita publica & secularia, neque in atriis Basilicarum, neque in ipsis Basilicis fiant, dicente Domino.* [*Domus mea Domus orationis vocabitur.*] XXVI.

XXIII. Canon. *Ne Comites, vel Vicarii, seu Judices, vel Centenarii, sub mala occasione vel ingenio res pauperum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argumento subripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum aut vendendum sit, id in publico coram Comite & Judicibus & nobilibus civitatis facere debebit.* XXVII.

XXIV. Canon. *Ut unusquisque Episcopus in sua Parrochia Presbyteros vel Diaconos diligenter inquirat, & fugitivos omnes Clericos ad loca sua redire jubeat, & propriis Episcopis aut Rectoribus quærentibus reddat.* XXVIII.

XXV. Canon. *Ut si quis beneficium de rebus Ecclesiæ habet ad tecta ejusdem Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvet.* XXIX.

XXVI. Canon. *Ut qui publico crimine convicti sunt, rei publicè judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundùm Canones.* XXX.

Canonibus Arelatensis Concilii suprà descriptis additur hic epilogus. XXXI.
Hæc igitur, inquiunt Patres, *sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quambrevissimè adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus Clementiam, ut si quid hîc minus est, ejus prudentiâ suppleatur; si quid secus quàm se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divinâ opitulante Clementiâ perficiatur.*

Ex his Canonibus, sex inserti sunt Capitularibus, quintus, duodecimus, XXXII.
decimus-tertius, & decimus-septimus Additioni tertiæ, decimus-nonus & vicesimus-primus libro secundo, ut patet ex Capitulis Additionis tertiæ sexagesimo-tertio tribúsque proximè sequentibus, & ex duobus ultimis libri secundi.

asserit. *In Concilio autem Rhemensi, quod temporibus Caroli Magni est celebratum, calix vitreus vetitus est, idque laudabiliter, ob periculum, quod immineret materiæ fragili. De his habes can. ut calix, de consecrat. distinct. 1.* Dolemus à Baronio non fuisse consultum Remense Capitulum, in quo certè nihil eorum reperisset, quæ memorantur apud Gratianum. Ut autem hic Baronium, sic & Baronius fefellit Locrium, cujus etiam gravior evasit error, quia Remense Concilium, quod Baronius *temporibus Caroli Magni celebratum* dixerat, post biennium ab obitu ejusdem Caroli, sive in annum Redemptoris octingentesimum decimum-sextum sic rejecit. *Anno 816 in Concilio Remensi statuitur, ne deinceps calice vitreo inter celebrandum quisquam utatur. Vide Martyrol. Rom. 7. Aug. & Baronii Not.as.* Nullius igitur auctoritatis hoc loco videntur Gratianus ejúsque asseclæ. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 31.

Septimum Capitulum. *Baptisterii & Catechumenorum ventilata est ratio, ut Sacerdotes plenius intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerent Christianum.* XL.

Octavum Capitulum. *Lecti sunt Sancti Canones, ut quisque Canonicus legem vitámque suam minimè ignoraret, quod omnimodis non expedit, sicut in Decretali legitur Innocentii.* XLI.

Nonum Capitulum. *Lecta est Regula Sancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minùs scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se & suos secundùm eandem Regulam custodire valerent atque gubernare.* XLII.

Decimum Capitulum. *Lectæ sunt sententiæ libri Pastoralis Beati Gregorii, ut Pastores Ecclesiæ intelligerent, quomodo ipsi vivere & qualiter sibi subjectos deberent admonere, quoniam, teste eodem Beato Gregorio, aliter admonendi sunt Prælati, atque aliter subditi.* XLIII.

Undecimnm Capitulum. *Diversorum ibi sententiæ relatæ sunt Patrum, ut audientes in omnibus, quæ suprà inserta leguntur, tam prælati, quàm subditi, in Dei laudibus roborati, de his quæ audierant, fructum boni operis contenderent reddere.* XLIV.

Duodecimum Capitulum. *Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentiæ, ut Sacerdotes certiùs intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.* XLV.

Decimum-tertium Capitulum. *Ventilata est ratio principalium vitiorum, ut unusquisque diversitatem illorum sciret, & ab illis, Domino auxiliante, se intelligeret custodire & aliis prædicare.* XLVI.

Decimum-quartum Capitulum. *Ut Episcopi diligentiùs operam dent, lectioníque divinæ incumbant, id est, Canonicis libris, & opusculis Patrum, & verbum Dei omnibus prædicent.* XLVII.

Decimum-quintum Capitulum. *Ut Episcopi Sermones & Homiliæ Sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundùm proprietatem linguæ prædicare studeant.* XLVIII.

Decimum-sextum Capitulum. *Ut Episcopi & Presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.* XLIX.

Decimum-septimum Capitulum. *Ut Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed paupéres & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio ibi divina personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Domini secundùm Apostolum.* [*Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laudem Dei facite.*] L.

Decimum-octavum Capitulum. *Episcopi & Dei ministri non debent comessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis.* [*Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.*] *Moderatè enim cibum & necessarium potum sumant, ut juxta Apostolum sobrii sint, parati ad servitium Domini.* LI.

Decimum-nonum Capitulum. *Ut Episcopi & Judices judicia discernant, quia sunt quædam judicanda modò, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est* LII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

enim. [*Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*] *Et illius memores sint.* [*In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.*]

Vicesimum Capitulum. *Ut Presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat transmigrare.*

LIII. Vicesimum-primum Capitulum. *Ut quicumque Presbyter per pretium gradum & Ecclesiam acquisierit deponatur.*

LIV. LV. Vicesimum-secundum Capitulum. *Ut à Sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis concedatur, præter illam quæ in Nicæna Synodo permittitur, id est, matrem aut sororem, vel eas tantùm personas, à quibus omnes suspiciones effugiant.*

LVI. Vicesimum-tertium Capitulum. *Ut in victu vel vestitu vel conversatione Abbatum, qui Monachos habere cernuntur, Dei voluntas & Domini Imperatoris impleatur.*

LVII. Vicesimum-quartum Capitulum. *Ut præpositi & Vicedomini secundùm Regulas vel Canones constituantur.*

LVIII. Vicesimum-quintum Capitulum. *Ut Monachi & Canonici pariter consilium habeant, qualiter Deo militare, animásque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur diabolo.*

LIX. Vicesimum-sextum Capitulum. *Ut Monachi & Canonici tabernas ad edendum vel bibendum non ingrediantur, sicut in Conciliis Laodicensi & Africano legitur esse interdictum.* Concilium Laodicense statuit Capitulo vicesimo-quarto, *quòd non oporteat sacro ministerio deditos à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium & Monachorum ingredi tabernas.* Et Concilium Africanum, seu potiùs Canonum ex diversis Africæ Conciliis Collectio, quæ centum ac quinque Canones complectitur, Canone septimo statuit, *ut Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.*

LX. Vicesimum-septimum Capitulum. *Ut in civitatibus & Monasteriis non major numerus servientium Deo mittatur, quàm possibilitas eis ministrandi fuerit.*

LXI. Vicesimum-octavum Capitulum. *Ut cupiditatis & avaritiæ malum nullatenus sectetur, sicut Carthaginiense interdicit Concilium.*

LXII. Vicesimum-nonum Capitulum. *Ut Monachi ad placita secularia nullatenus vadant.*

LXIII. Tricesimum Capitulum. *Ut nemo Sacerdotum, vel Monachorum, negotiis illicitis se implicet, quomodo scriptum est.* [*Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*]

LXIV. Tricesimum-primum Capitulum. *Ut discretio servanda sit inter pœnitentes, qui publicè & qui absconsè pœnitere debent.*

LXV. Tricesimum-secundum Capitulum. *Ut turpia lucra & usuras minimè exerceant.*

LXVI. Tricesimum-tertium Capitulum. *De Monasteriis puellarum considerandum est, & Domini Imperatoris misericordia imploranda, ut victum & necessaria à sibi prælatis consequi possint Sanctimoniales, & vita illarum & castitas secundùm fragilitatem sexûs diligenter provisa tueatur.*

LXVII. Tricesimum-quartum Capitulum. *Ut viduæ non sint in deliciis, sed secundùm Apostolum sub potestate Episcopi vivant sicut decet.*

LXVIII. Tricesimum-quintum Capitulum. *Ut diebus Dominicis secundùm Domini Præceptum nulla opera servilia quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam Donationes in publico facere præsumat, neque mercata exerceat.*

LXIX. Tricesimum-sextum Capitulum. *Ut quicumque, per cupiditatem & malum ingenium, aliorum res sibi acquisierint, & pro ipsis rebus Ecclesiæ illis in precaria*

caria reddiderint, & in poſtmodum datoribus diſplicuerit, pars Eccleſiæ quod ſuum eſt habeat, & illi quæ ſua ſunt abſque ullius contradictione recipiant. Poſt hæc verò, qui hoc malum perpetrati ſunt, ſecundùm modum culpæ pœnitentiam agant, & deinceps res aliorum cupidè & procaciter recipere non præſumant, niſi tantùm quòd pro ſola eleemoſyna eas Deo dare voluerint, vel etiam ipſas, quas donant, in nomine ſuo & filiorum ſuorum, in precariam recipere voluerint. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Triceſimum-ſeptimum Capitulum. *Ut ſi quilibet hominum res Eccleſiæ per mendacia, vel mala ingenia, in precariam ſibi acquirere & habere voluerit, & poſt factas precarias eadem mendacia ad aures ejuſdem Rectoris Eccleſiæ delata fuerint, ipſa Eccleſia res ſuas, quæ ei mendaciter abſtractæ fuerint, pleniter abſque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille verò, qui res ſuas per eadem mendacia propter cupiditatem ipſius precariæ eidem Eccleſiæ tradidit, ſimili modo in ſuam recipiat dominationem.* LXX.

Triceſimum-octavum Capitulum. *Ut decimæ pleniter dentur.* LXXI.

Triceſimum-nonum Capitulum. *Ut nullus homo munera pro Placito requirat, aut accipere præſumat.* LXXII.

Quadrageſimum Capitulum. *Ut pro Domino Imperatore ſuâque nobiliſſima prole orationes & oblationes ſuper has, quæ hactenus pro ipſis Deo Omnipotenti oblatæ ſunt, augeantur, ut eos ſuis temporibus in præſenti ſeculo cum omni felicitate cuſtodiat, & in futuro cum ſanctis Angelis ſuis piâ miſeratione gaudentes efficiat.* LXXIII.

Quadrageſimum-primum Capitulum. *Ut Dominus Imperator ſecundùm ſtatutum bonæ memoriæ Domini Pippini miſericordiam faciat, ne Solidi, qui in Lege habentur, per quadraginta Denarios diſcurrant, quoniam propter eos multa perjuria, multáque falſa teſtimonia reperiuntur.* LXXIV.

Quadrageſimum-ſecundum Capitulum. *Ut in ſua eleemoſyna firmiter ſtatuat, ne quilibet in ſuum pergentibus ſervitium ullatenus prohibere audeat manſionem, neque aliis quibus neceſſitas incumbit.* LXXV.

Quadrageſimum-tertium Capitulum. *Ut ejus magnificum cuncto Imperio ejus ſuis & futuris temporibus firmetur Capitulum, ſive ab anno* XXX, *à quo adhuc teſtes haberi poſſunt, ſeu etiam ab illo, à quo feliciſſimum Regnum ejus ſumpſit exordium, qualiter omnes lites & jurgia in ſua miſericordia terminum habere potuiſſent, quoniam pro talibus multa perjuria multæque diſſenſiones oriuntur in populo.* LXXVI.

Quadrageſimum-quartum Capitulum. *Ut de falſis teſtibus ejus ſimili modo piiſſimum firmetur Capitulum, qualiter & hoc quod ille Bononiæ ſtatuit firmiſſimum habeatur, & adhuc quærantur, quatenus in ſua piiſſima miſericordia, ſi qua neceſſaria ſunt, augeantur, ne propter eorum falſa teſtimonia iniquáque perjuria, tot damna tótque injuriæ oriantur.* LXXVII. Ante biennium [a] Capitulare Bononienſe deſcripſimus undecim diſtinctum Capitulis, in quibus nihil occurrit omnino de falſis teſtibus. Synodus igitur Remenſis ad peculiare quoddam alludit Edictum, quod Carolus Bononiæ tunc ediderit, vel anno Redemptoris octingenteſimo, cùm *littus Oceani Gallici* perluſtraret, ut ad illum annum veteres ſcribunt Annaliſtæ.

[a] Ad an. 811. nn. 67. & ſeqq.

Olim Gallia Belgica, cùm Comatæ tertia pars eſſet, quatuor habebat Metropoles, Moguntiacum, Coloniam, Trevirim, ac Remos. Poſteà, cùm pars ejuſdem Belgicæ Germanis Rhenum tranſgreſſis ceſſiſſet, è quatuor provinciis, quibus tota Belgica priùs conſtabat, factæ ſunt duæ Germanicæ, Moguntina videlicet & Colonienſis. Ut autem Remenſe Concilium è reſiduis provinciis Belgicis Trevirenſi ac Remenſi convocatum eſt, ſic & Moguntiacenſe congregatum eſt è provinciis Germanicis Moguntina & Colonienſi, necnon è Bojoarica ſeu Saliſburgienſi. Tres enim in ipſa Synodi Præfatione nominantur Archiepiſcopi, Hildebaldus, Richolfus, & Arno, cum Bernhario Epiſcopo. Hildebaldus Colonienſis eſt Archiepiſcopus, &, ut Archicapellanus Sacri Palatii, primo loco ponitur. Richolfus Eccleſiæ Moguntiacenſi Metropolitanæ præſidet. Arno Metropolitanus eſt LXXVIII. MOGUNTINUM.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Salisburgiensis præestque toti Bojoariæ vicinæque Karantaniæ. Bernharius Wormacienſis eſt Epiſcopus. Actum ſæpiùs de quatuor hiſce Præſulibus. Præfatio Synodi talis eſt. *In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Gloriosissimo & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto, veræ Religionis Rectori ac Defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ, unà cum prole sua, ejusque fidelibus, vita & salus, honor & benedictio, cum victoria sine fine mansura. Almificæ Reverentiæ vestræ patefacimus nos humillimi famuli ac Missi vestri, Hildebaldus scilicet Sacri Palatii Archiepiscopus, Richolfus, & Arno Archiepiscopi, seu Bernharius, unà cum reliquis Coepiscopis, atque Abbatibus, & cetero Clero, quia venimus secundùm jussionem vestram in civitatem Maguntiam, ibique pariter adunati primitus cum Litaniis triduanum celebravimus jejunium, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua Conventum & Actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, & Christiano populo proficientem ad salutem & vitam perpetuam, vobisque ad æternum honorem & gloriam. Tum verò consedentes in claustro Basilicæ Sancti Albani Martyris Christi, consonâ voce gratias egimus Deo Patri Omnipotenti, quia Sanctæ Ecclesiæ suæ tam pium ac devotum in servitio Dei concessit habere Rectorem, qui suis temporibus sacræ sapientiæ fontem aperiens, oves Christi indesinenter sanctis reficit alimentis, ac divinis instruit disciplinis, Christianumque populum indefesso labore amplificare conatur, hilaritérque Christi honorat Ecclesias, ac de fauce diri draconis multorum animas studet eripere, & ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ revocare, atque ad gaudia paradisi & ad Regna cælestia omnes communiter invitare, sanctâ sapientiâ suâ devotissimóque studio ceteros Reges transcendens. Incipientes igitur in nomine Domini communi consensu & voluntate tractare pariter de statu veræ Religionis, ac de utilitate & profectu Christianæ plebis, convenit nobis, de nostro communi Collegio Clericorum seu laicorum, tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima autem turma consederunt Episcopi cum quibusdam Notariis, legentes atque tractantes sanctum Evangelium, necnon Epistolas & Actus Apostolorum. Canones quoque ac diversa Sanctorum Patrum opuscula, Pastoralémque librum Gregorii, cum ceteris sacris dogmatibus, diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum sanâ doctrinâ & exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratiâ Dei, perficere & conservare potuissent. In alia verò turma consederunt Abbates ac probati Monachi, Regulam Sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia denique turma sederunt Comites & Judices in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniúmque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes. In his itaque omnibus primò decrevimus, unicuique personæ vel sexui congruum honorem impendere, secundùm dictum Beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ, ubi ait.* [*Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Jesu Domino nostro.*] *Hinc Paulus ad Timotheum scripsit dicens.* [*Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate.*] *Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, ut Sacerdotes Ecclesiæ Dei jure legitimo & inconvulso honorarentur, de quibus Dominus ait.* [*Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit.*] *Et Apostolus ad Hebræos. Obedite, inquit, Præpositis vestris & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Nam de reverentia Ecclesiarum dicit Dominus.* [*Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.*] *De his tamen omnibus valdè indigemus vestro adjutorio, atque sanâ doctrinâ, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus Capitulis, à vestra auctoritate firmentur, si tamen*

veſtra pietas ita dignum eſſe judicaverit, & quicquid in eis emendatione dignum AN. CH.
reperitur, veſtra magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare, ut ita emendata 813.
nobis omnibus & cunctæ Chriſtianæ plebi ac poſteris noſtris proficiant ad vitam CAROLI
& ſalutem & ad gloriam ſempiternam, vobiſque inde merces, honor, & laus, IMP. 13.
& benedictio ac beatitudo permaneat in omnes æternitates ſeculi. Amen. Sequun- LUDOV.
tur Canones ſex & quinquaginta, quorum nonnullos, ubi commodè id R. 33.
fieri poterit, in epitomen redigemus.

Primus, ſecundus, & tertius, ſunt de fide Catholica firmiter tenenda; LXXIX.
de ſpe habenda in Deum; de caritate ab omnibus ſervanda.

Quartus eſt de Baptiſmo. *Sacramenta itaque Baptiſmatis volumus, ut ſicut* LXXX.
ſanctâ veſtra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in ſingulis Parro-
chiis ſecundùm Romanum ordinem inter nos celebrentur, jugitérque conſerventur,
id eſt, ſcrutinium ad ordinem Baptiſmatis, ſicut in Decretis Leonis Papæ ſub duobus
continetur Capitulis. In Capitulo XI, *duo tempora, id eſt, Paſcha & Pentecoſte, ad*
baptizandum à Romano Pontifice legitima præfixa ſunt. Item Capitulo XII, *non*
interdicta licentia, quâ in Baptiſmo tribuendo quolibet tempore periclitantibus ſub-
venitur. Et Siricius. Si in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri undâ Baptiſmatis,
omni volumus celeritate ſuccurri. In hoc Canone Patres alludunt ad antiquiſ-
ſimam Decretorum Collectionem, in qua *tituli Decretorum Papæ Leonis I,*
numero XLIX, repræſentantur; XI ſic, *quòd duo tantùm tempora, id eſt, Paſ-*
cha & Pentecoſte, ad baptizandum à Romanis Pontificibus præfixa ſunt; XII ſic,
quòd omni tempore hi, qui neceſſitate mortis urgentur, debeant baptizari. Allu-
dunt & ad ſcripta Siricii Papæ, qui capitulo ſecundo ſuarum ad Himerium
literarum ſic habet; *his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri undâ Ba-*
ptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri.

Quintus. *Ut pax & concordia ſit atque unanimitas in populo Chriſtiano,* LXXXI.
quia unum Deum patrem habemus in cælis, & unam matrem Eccleſiam, unam fi-
dem, unum Baptiſma. Ideo in una pace & unanimitate concorditer vivere debe-
mus, ſi ad unam & veram hæreditatem Regni cæleſtis cupimus pervenire, quia
non eſt diſſenſionis Deus ſed pacis, ut ipſe ait. [*Beati pacifici, quoniam filii Dei*
vocabuntur.]

Sextus. *Propter iſtius itaque pacis concordiam conſervandam, placuit nobis de* LXXXII.
orphanis & pauperibus, qui debitè vel indebitè dicuntur amiſiſſe hæreditatem paterni
vel materni juris ad ſe legibus pertinentem; ſi alicubi inventi fuerint, quos patres
vel matres propter traditiones illorum exhæredes fecerunt, aliorum ſcilicet ſuaſio-
nibus aut petitionibus vel aliquo ingenio; omnino volumus atque decrevimus emen-
dari, quantùm ad nos vel ad noſtram pertinet poteſtatem juxta voluntatem Dei
& veſtram ſanctam admonitionem & conſiderationem. Quòd ſi fortè extra offi-
cium noſtrum alicubi inventum fuerit, admonere veſtram Clementiam audeamus,
ut emendetur.

Septimus. *Propter proviſiones pauperum, pro quibus curam habere debemus,* LXXXIII.
placuit nobis, ut nec Epiſcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices,
nullúſque omnino ſub mala occaſione vel malo ingenio res pauperum vel minùs po-
tentum nec emere nec vi tollere audeat. Sed ſi quis ex eis aliquid comparare vo-
luerit, in publico placito coram idoneis teſtibus & cum ratione hoc faciat. Ubi-
cumque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per juſtio-
nem veſtram.

Octavus. *Ut Epiſcopi poteſtatem habeant res Eccleſiaſticas providere, regere,* LXXXIV.
gubernare, atque diſpenſare ſecundùm Canonum auctoritatem, volumus; & ut laici
in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias Dei, viduas & orpha-
nos defenſandos, & ut obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem ſervandam.
Et Epiſcopi conſentientes ſint Comitibus & Judicibus ad juſtitias faciendas, & ut
nullatenus per aliquorum mendacium, vel falſum teſtimonium, neque per perju-
rium, aut per præmium, lex juſta in aliquo depravetur.

Nonus eſt de vita Canonicorum. *In omnibus igitur, quantùm humana per-* LXXXV.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

mittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, observantes Divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel Magistri eorum compositè agere præsumant in unoquoque Episcopatu; & ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel * qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis Magistris exhibeant.

* vel ponitur conjunctivè

LXXXVI. Decimus inter alia hæc habet de vita Clericorum. *Clerici convivia privata non tantùm pudica sed & sobria colant; usuris nequaquam incumbant, neque turpium occasiones lucrorum, fraudésque cujusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant, secularia officia negotiáque abjiciant: honorum gradus per ambitionem non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos & conjurationes caveant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant. Non vagis oculis, non infrani linguâ aut petulanti, tumidóque gestu incedant: sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu inceßúque ostendant. Obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur; viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant: contubernia fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam: neque ullo jactantiæ studio se attollant. Postremò in doctrina, in lectionibus, in Psalmis, Hymnis & Canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim debent esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere: scilicet ut dum scientiæ operam dant, Doctrinæ gratiam populis administrent.*

LXXXVII. Undecimus est de vita Monachorum. *Abbates autem censuimus ita cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi, qui in præsenti Synodo aderant, palàm nobis omnibus promiserunt; id est, secundùm doctrinam Sanctæ Regulæ Benedictinæ, quantùm humana permittit fragilitas. Ac deinde decrevimus, sicut Sancta Regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur; quia illi Præpositi sæpè in elationem incidunt & in laqueum diaboli.*

LXXXVIII. Duodecimus est etiam de Monachis. *Ut ad secularia Placita nullatenus veniant, neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui, & cùm necessitas exigit, tunc per jußionem & consilium Episcopi illuc vadat, nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi movere præsumat: sed quicquid quærendum vel etiam respondendum sit, per Advocatos suos hoc faciat. Abbates & Monachi usque ad interrogationem silentium habeant, & cùm interrogantur, cum humilitate & reverentia respondeant: alias querelas omnino devitent. In eorum claustro permaneant, nullúsque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab Abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent, neque bibant, sine permißione Abbatis, nec ad convivia secularia vadant.*

LXXXIX. Decimus-tertius est de sacris virginibus. *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem Sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, canonicè vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris permaneant, neque foras exitum habeant. Sed & ipsæ Abbatissæ in Monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia & consilio Episcopi sui.*

XC. Decimus-quartus est de negotio seculari Clericis & Monachis interdicto. *Ministri autem altaris Domini, vel Monachi, nobis placuit ut à negotiis secularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia secularia, de his tamen pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis libido, non solùm in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali. Quicquid plus justo appetit homo, turpe lucrum est; munera injustè accipere, vel etiam dare, pro aliquo seculari quæstu pretio aliquem conducere, contentiones & lites vel rixas amare, in placitis secularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum aut viduarum, conductores aut procuratores esse secularium rerum; turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum secularem*

Digitized by Google

diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens propoſito ſuo quærere, in deliciis vivere velle, gulam & ebrietatem ſequi, pondera injuſta vel menſuras habere, negotium injuſtum exercere. Nec tamen juſtum negotium eſt contradicendum propter neceſſitates diverſas, quia legimus Sanctos Apoſtolos negotiatos eſſe, & in Regula Sancti Benedicti præcipitur prævidere, per quorum manus negotium Monaſterii tranſeat. Canes & aves ſequi ad venandum, in omnibus quibuſlibet ſit cauſis, ſuperfluum eſſe. Ecce talia, & his ſimilia Miniſtris Altaris Domini, necnon & Monachis omnino contradicimus, de quibus dicit Apoſtolus. [*Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.*] AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Decimus-quintus eſt de imitatione Apoſtolica, & allatis Sanctorum Hieronymi atque Auguſtini ſententiis exponit hunc Apoſtoli textum. *Imitatores mei eſtote*, &c. CXI.

Decimus-ſextus ex Apoſtolo & ex beato Gregorio in libro Paſtorum, docet quid ſit mundum relinquere, *ſeculi* videlicet *voluptatibus contraire.* XCII.

Decimus-ſeptimus eſt de armis omittendis. *Nos autem, qui relinquimus ſeculum, id modis omnibus obſervare volumus, ut arma ſpiritalia habeamus, ſecularia dimittamus. Laicis verò, qui apud nos ſunt, arma portare non præjudicemus, quia antiquus mos eſt, & ad nos uſque pervenit.* XCIII.

Decimus-octavus eſt de fictis virtutibus & veris vitiis diſcernendis. XCIV.

Decimus-nonus ſtatuit, *ut plures non mittantur in Monaſteria Canonicorum vel Monachorum, aut etiam puellarum, quàm ſufferri poſſit.* XCV.

Viceſimus eſt de Monaſteriorum locis & ædificiis providendis. *Dignum ac neceſſarium eſt, ut Miſſi per quæque loca directi, ſimul cum Epiſcopis uniuſcujuſque Diœceſis, perſpiciant loca Monaſteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, ſimilitérque puellarum, ſi in apto & congruo loco ſint poſita, ubi commodum neceſſarium poſſit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monaſterii, ſicut in Sancta Regula dicitur. Monaſterium autem ita debet conſtitui, ut omnia neceſſaria infra Monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vel Clericis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædificia Monaſteriorum ſupradicti Miſſi, & cum eis Epiſcopi, per diverſa loca prævideant, ſi apta ſint, & congruenter ſanctæ profeſſioni compoſita: vel ſi clauſtrum firmum habeant, in quo ſalvari poſſint animæ in eis commorantium ſub diſciplina canonica vel regulari. Ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Epiſcopus loci ipſius faciat emendari, ita ut condignam profeſſioni eorum cuſtodiam habeant Canonici vel Monachi atque Nonnanes, ne detur eis occaſio malefaciendi, quod abſit.* XCVI.

Viceſimus-primus eſt de Canonicis. *Præcipimus, ut unuſquiſque Epiſcopus ſciat per ſingula Monaſteria, quantos quiſque Abbas Canonicos in Monaſterio ſuo habeat: & hoc omnino ambo pariter provideant, ut ſi Monachi fieri voluerint, regulariter vivant; ſin autem, canonicè vivant omnino.* XCVII.

Viceſimus-ſecundus eſt *de Clericis vagis, ſeu de acephalis, id eſt, de his, qui ſunt ſine capite, neque in ſervitio Domini noſtri, neque ſub Epiſcopo, neque ſub Abbate, ſed ſine canonica vel regulari vita degentes*, &c. *Tales omnino ubicunque inventi fuerint, præcipimus ut Epiſcopi ſine ulla mora eos ſub cuſtodia conſtringant canonica, & nullatenus eos ampliùs ita errabundos & vagos ſecundùm deſideria voluptatum ſuarum vivere permittant. Sin autem Epiſcopis ſuis canonicè obedire noluerint, excommunicentur uſque ad judicium Archiepiſcopi regionis illius. Si autem nec ille eos corrigere valuerit, tunc omnino ſub vinculis conſtringantur uſque ad Synodum, ut ibi eis judicetur, utrùm ad judicium Domini noſtri, aut ad iſtam magnam Synodum adferantur ſub cuſtodia publica.* XCVIII.

Viceſimus-tertius ſtatuit *de Clericis, ut hi, qui hactenus inventi ſunt, ſive in Canonico ſive in Monachico ordine, tonſurati ſine eorum voluntate, ſi liberi ſunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate, vel cum licentia Domini ſui.* XCIX.

Viceſimus-quartus eſt *de Clericis adeuntibus Imperatorem*, déque illis *hoc placet omnibus modis obſervare, quod in ſacris Canonibus conſtitutum eſt.* C.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Viceſimus-quintus eſt *de officio prædicationis. Si fortè Epiſcopus non fuerit in domo ſua, aut infirmus eſt, aut aliâ aliquâ causâ exigente non valuerit, numquam tamen deſit diebus Dominicis, aut feſtivitatibus, qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus poſſit.*

Viceſimus-ſextus decernit, *ut Presbyteris per Monaſteria puellarum opportuno tempore liceat Miſſarum ſolemnia celebrare, & iterum ad proprias Eccleſias redire.*

C I. Viceſimus-ſeptimus eſt de Chriſmate diligenter cuſtodiendo. *Presbyteri*

C II. *ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficii, do-*

C III. *nare inde præſumant. Quòd ſi fecerint, honore priventur.*

C IV. Viceſimus-octavus præcipit, ut *Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis.*

C V. Viceſimus-nonus ſtatuit, *ut laici Presbyteros non ejiciant de Eccleſiis, neque conſtituant ſine conſenſu Epiſcoporum ſuorum.*

C VI. Triceſimus decernit, *ut laici omnino munera injuſta non exigant à Presbyteris propter commendationem Eccleſiæ cuiquam Presbytero.*

C VII. Triceſimus-primus eſt de fugitivis Clericis. *Ut unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parrochia diligenter Presbyteros vel Clericos inquirat unde ſint, &, ſi aliquem fugitivum invenerit, ad ſuum Epiſcopum redire faciat.*

C VIII. Triceſimus-ſecundus docet quid ſit Litania, quid Exomologeſis. *Litaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter Litanias autem & Exomologeſes hoc differt, quòd Exomologeſes pro ſola peccatorum confeſſione agantur: Litaniæ verò indicantur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo miſericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum ſub una deſignatione habetur.*

C IX. Triceſimus-tertius eſt de Litania majore. *Placuit nobis, ut Litania major obſervanda ſit à cunctis Chriſtianis, diebus tribus, ſicut legendo reperimus, & ſicut ſancti Patres noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati, cinere & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit.*

C X. Triceſimus-quartus eſt de Quatuor Temporibus obſervandis. *Conſtituimus ut quatuor Tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, id eſt, in menſe Martio hebdomadâ primâ: & feriâ* IV *&* VI *& Sabbato veniant omnes ad Eccleſiam, horâ nonâ cum Litaniis ad Miſſarum ſolemnia. Similiter in menſe Junio hebdomadâ ſecundâ, feriâ* IV *&* VI *& Sabbato jejunetur uſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in menſe Septembrio hebdomadâ tertiâ; & in menſe Decembrio hebdomadâ, quæ fuerit plena ante Vigiliam Natalis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.*

C XI. Triceſimus-quintus eſt de indicto jejunio. *Quòd ſi quis indictum jejunium ſuperbiendo contempſerit, & obſervare cum ceteris Chriſtianis noluerit, in Gangrenſi Concilio præcipitur ut anathematizetur, niſi emendare ſe ſtudeat.* Gangrenſis autem Concilii Canon undeviceſimus talis eſt; εἴ τις τῶν ἀσυμφώνων χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸν κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, παραλύοι, ἀποκοπτόμενος ἐν αὐτῷ πλείου λογισμοῦ, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis eorum, qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporea tradita in commune jejunia & ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.*

C XII. Triceſimus-ſextus eſt de Feſtivitatibus anni. *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus. Hoc eſt, diem Dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſervari decrevimus. Diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha. In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionem Sanctæ Mariæ, Dedicationem Sancti Michaelis, Natalem Sancti Remigii, Sancti Martini, Sancti Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ. Et illas Feſtivitates Martyrum vel Confeſſorum obſervare decrevimus, quorum in unaquaque Parrochia ſancta corpora requieſcunt. Similiter etiam Dedicationem Templi.*

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Triceſimus-ſeptimus eſt de diebus Dominicis. *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decrevimus obſervari, & à ſervili opere abſtinere, & ut mercatus in eis minimè ſit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur.* CXIII.

Triceſimus-octavus eſt de decimis. *Admonemus atquè præcipimus, ut decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipſe ſibi dari conſtituit, quia timendum eſt, ut quiſquis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne fortè Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua.* CXIV.

Triceſimus-nonus eſt de aſylo Eccleſiarum. *Reum confugientem ad Eccleſiam nemo abſtrahere audeat, nec inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei & Sanctorum ejus conſervetur, ſed Rectores Eccleſiarum pacem & vitam ac membra ejus obtinere ſtudeant, tamen legitimè componat, quod iniquè fecit.* CXV.

Quadrageſimus præcipit, *ut in Eccleſiis, aut in domibus Eccleſiarum, vel atriis, placita ſecularia minimè fiant.* CXVI.

Quadrageſimus-primus eſt de antiquis Eccleſiis, ut honorem ſuum non perdant. *Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis nec aliis poſſeſſionibus priventur, ita ut novis Oratoriis tribuantur.* CXVII.

Quadrageſimus-ſecundus eſt de Beneficiis Eccleſiaſticis. *Quicumque beneficium Eccleſiaſticum habent, ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas, omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant.* CXVIII.

Quadrageſimus-tertius vetat, ne Preſbyter ſolus Miſſam cantet. *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus vobiſcum, vel ſurſum corda admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cùm alius nemo cum eo ſit?* CXIX.

Quadrageſimus-quartus eſt de oblatione & pace in Eccleſia facienda. *Oblationem quoque & pacem in Eccleſia facere, jugiter admoneatur populus Chriſtianus, quia ipſa oblatio ſibi & ſuis magnum remedium eſt animarum, & in ipſa pace vera unanimitas & concordia demonſtratur.* CXX.

Quadrageſimus-quintus eſt de Symbolo & oratione Dominica. *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & Orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum. Volumúſque ut diſciplinam condignam habeant qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio ſive in alia caſtigatione emendentur. Propterea dignum eſt ut filios ſuos donent ad Scholam, ſive ad Monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in ſua lingua hoc diſcat.* CXXI.

Quadrageſimus-ſextus *magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus* præcipit *cavere; & qui hoc vitare noluerit, excommunicandum eum eſſe* decernit *uſque ad emendationem congruam.* CXXII.

Quadrageſimus-ſeptimus præcipit, *ut unuſquiſque compater, vel proximi, ſpiritales filiolos ſuos catholicè inſtruant.* CXXIII.

Quadrageſimus-octavus *Canticum turpe atque luxurioſum circa Eccleſias agere omnino* contradicit, *quod & ubique vitandum eſt.* CXXIV.

Quadrageſimus nonus fœminas in domibus Clericorum manere non patitur. *Omnibus igitur Clericis fœminas ſecum in domibus ſuis habere ultra licentiam Canonum firmiter ſit contradictum.* CXXV.

Quinquageſimus eſt de Præpoſitis, Advocatis, Vicedominis, Judicibus, Centenariis, Tribunis & Vicariis. *Omnibus igitur Epiſcopis, Abbatibus, cunctóque Clero omnino præcipimus, Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos ſive Defenſores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falſitatem amantes, ſed Deum timentes, & in omnibus juſtitiam diligentes. De Judicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis, ſeu Vicariis, dignum eſſe cenſemus, ut, ſi mali fuerint, de miniſterio ſuo abjiciantur.* CXXVI.

Quinquageſimus-primus ſtatuit, ut *deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre, ſine conſilio Principis, vel Epiſcoporum, & Sanctæ Synodi licentia.* CXXVII.

AN. CH. 813. Quinquageſimus-ſecundus decernit, ut *nullus mortuus infra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici.*

CXXVIII. CXXIX. Quinquageſimus-tertius eſt de inceſtuoſis. *Ut Epiſcopi inceſtuoſos pariter inveſtigare ſtudeant omnino præcipimus. Et, ſi pœnitere noluerint, de Eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.*

CXXX. Quinquageſimus-quartus ſtatuit, *ut in quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur, ubi autem poſt interdictum factum fuerit, ſeparetur.*

CXXXI. Quinquageſimus-quintus decernit, ut *nullus proprium filium vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat; nec filiolam nec commatrem ducat uxorem; nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur.*

CXXXII. Quinquageſimus-ſextus eſt de damnatis nuptiis. *Si quis uxorem viduam duxerit, & poſteà cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit; aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari & diſjungi præcipimus, nec unquam ampliùs conjugio copulari, ſed ſub magna diſtrictione fieri.*

CXXXIII. Hiſce Canonibus inſtar Epilogi ſubjicitur hæc clauſula. *Facta eſt autem hæc Synodus in civitate Moguntia, in clauſtro Baſilicæ Sancti Albani Martyris, anno Domini* DCCCXIII. *& Imperii Domini Caroli Imperatoris anno* XIII. *Indictione* VI. *v Idus Junii, ubi ſederunt Epiſcopi* XXX. *Abbates verò* XXV. Dolemus ſubſcriptiones cùm Epiſcoporum tum Abbatum deſiderari, utrorumque enim nomina Catalogos multarum Eccleſiarum plurimùm illuſtrarent. Congregata Synodus è tribus provinciis, Moguntina, Colonienſi, & Saliſburgienſi. Sub Archiepiſcopo Moguntino undecim erant Epiſcopi Suffraganei, ſex ſub Colonienſi, ſub Saliſburgienſi quinque. Prædictarum igitur provinciarum tres duntaxat erant Archiepiſcopi cum Epiſcopis duobus ac viginti. Pertinebat ad provinciam Colonienſem, nec à Moguntiaco longis itineribus diſtabat Aquiſgranum, ubi Carolus generalem Francorum Conventum tunc celebrabat. E Regio Comitatu Moguntiam nonnulli fortè venerunt Epiſcopi, quorum Diœceſes extra provincias ſuprà nominatas erant ſitæ vel in Gallia vel in Italia. Locum quoque cum Epiſcopis in Synodo potuerunt habere Chorepiſcopi, cùm reverà Epiſcopi eſſent, obirentque Epiſcopalia munera, ut de Adalmato, Herilando, & Thegano legimus, quorum operâ uſi ſunt Amalharius & Hettius Trevirenſes Archiepiſcopi, quia propter publicas Legationes à ſua Diœceſi frequenter aberant. Quod ad Abbates attinet, viginti-quinque Synodo interfuerunt Moguntinæ; dolemus etiam ſubſcriptiones illorum periiſſe, nam ſi proſtarent, ſingulorum nomina Monaſteriáque ſciremus. Erant in tribus prædictis provinciis Cœnobia copioſo ſanè numero, nec mirum, ſi Moguntiam ad Synodum, cùm longè plures eſſent, viginti-quinque perrexerint Abbates.

CXXXIV. Ex Canonibus Moguntinis unus ac triginta inſerti ſunt libris Capitularium ſecundo ac quinto & additioni tertiæ iiſdem Capitularibus adjectæ. Canoni quinto reſpondet Capitulum decimum-quintum additionis tertiæ. Canonibus, ſexto, ſeptimo, triceſimo-ſexto & quadrageſimo-primo, paria ſunt Capitula libri ſecundi, triceſimum-primum, triceſimum-ſecundum, triceſimum-quintum & triceſimum-ſextum. Canonibus octavo, nono, viceſimo, viceſimo-primo, viceſimo-ſeptimo, quatuórque ſubſequentibus, item triceſimo-tertio duobúſque proximis, necnon triceſimo-ſeptimo tribúſque ſequentibus, & quadrageſimo-ſecundo quatuórque proximis, item quadrageſimo-octavo, quinquageſimo-tertio, tribúſque ſubſequentibus conformia ſunt Capitula libri quinti, centeſimum decimum-quartum, centeſimum decimum-quintum, ſeptuageſimum-octavum aliáque viginti-tria, uſque ad primum ſupra centeſimum. Præterea Canoni octavo ut ſimillimum eſt Capitulum centeſimum decimum-quartum libri quinti, ſic & Capitulum decimum-ſextum additionis tertiæ.

Concilio

Concilio Moguntiacenſi ſubjicimus Cabilonenſe quartum, cujus hæc eſt Præfatio. *Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, & imperante Sereniſſimo atque Inclyto Auguſto Carolo, convenimus Epiſcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunenſis in urbem Cabilonenſem, & de quibuſdam rebus, in quibus nobis emendatio neceſſaria videbatur, quædam Capitula, quæ ſubter inſerta ſunt, eidem Domino Imperatori præſentanda, & ad ejus ſacratiſſimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudente examine ea, quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur; ſicubi minùs aliquid egimus, illius ſapientiâ ſuppleatur.* Gallia Lugdunenſis non provinciam modò Lugdunenſem ubi Cabilo, ſed & alias quatuor provincias, Rotomagenſem videlicet, Turonicam, Senonicam & Veſontionenſem complectebatur. An ex illis quinque provinciis Epiſcopi & Abbates Cabilonem ad celebrandam Synodum pervenerint, in dubium meritò vocari poteſt, quia Turonis habitum quoque Concilium, in quo provinciæ Turonenſis Antiſtites cum ſuo Metropolita ſediſſe nemo non exiſtimabit. Idcircò, quamvis in Præfatione ſuprà deſcripta *Epiſcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunenſis in urbem Cabilonenſem* convenisse perhibeantur, Epiſcopos & Abbates provinciæ Lugdunenſis tertiæ ſeu Turonenſis excipiendos arbitramur. Vocati ſunt igitur ad Synodum Cabilonenſem Epiſcopi & Abbates ex provinciis, Lugdunenſi, Rotomagenſi, Senonenſi & Veſontionenſi. Quatuor hæ provinciæ Monaſteriis abundabant, complectebantúrque Diœceſes quatuor ac viginti. Quot ex iis Epiſcopi, quot Abbates convenerint, Acta Concilii non indicant. Conditi ſunt autem Canones ſex & ſexaginta, quorum pleroſque redigemus in epitomen.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CXXXV. CABILONENSE,

Primus Canon ſtatuit, ut Epiſcopi legant Sacras Scripturas, Canones, & Paſtorale Sancti Gregorii. *Decrevimus juxta Sanctorum Canonum conſtitutionem, & ceterarum Sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Epiſcopi aſſidui ſint in lectione, & ſcrutentur Myſteria verborum Dei, quibus in Eccleſia doctrinæ fulgore ſplendeant, & verborum Dei alimentis animas ſibi ſubditas ſatiare non ceſſent, & cum David quotidie Domino dicant.* [*Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*] *Ita videlicet, ut illas Scripturas notiſſimas habeant, quæ canonicæ appellantur, & earum ſenſum per Patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant, & librum Beati Gregorii Papæ de cura Paſtorali, & ſecundùm formam ibi conſtitutam & vivant & prædicent.* CXXXVI.

Secundus decernit, *ut* Epiſcopi *ea, quæ legendo perſcrutantur, opere compleant, & ſint ſubditis norma vivendi, ita videlicet, ut & verbis & exemplis populo ad æternam patriam pergenti ducatum præbeant.* CXXXVII.

Tertius ſtatuit, *ut* Epiſcopi, *ſicut Dominus Imperator Carolus præcepit, ſcholas conſtituant, in quibus & literaria ſolertia diſciplinæ, & Sacræ Scripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino,* [*vos eſtis ſal terræ;*] *& qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrinâ non ſolùm diverſis hæreſibus, verùm etiam Antichriſti monitis, & ipſi Antichriſto reſiſtatur.* CXXXVIII.

Quartus ſtatuit, *ut* Epiſcopi *humilitatem atque Religionem & in vultu, & in opere, & in habitu, & in ſermone demonſtrent; ut benè agentes & habitu & vultu demulceant; malè agentibus verò ipſo ſuo viſu terribiles ſint, juxta illud quòd in Tabernaculo Dei boum & leonum effigies expreſſæ fuiſſe memorantur; & Dominus in Evangelio, & aſtutiam ſerpentis, & ſimplicitatem columbæ habendam percenſet.* CXXXIX.

Quintus ſtatuit, *ut juxta Apoſtoli vocem Sacerdotes irreprehenſibiles ſint & moribus ornati. Et à turpibus lucris & uſuris non ſolùm ipſi abſtineant, verùm etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtituant.* CXL.

Sextus fideles ad res ſuas Eccleſiæ dandas nec cogi nec circumveniri patitur. *Oblatio namque ſpontanea eſſe debet. Eccleſia verò Sancta non ſolùm fideles ſpoliare non debet, quin potiùs inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, vidua, orphani, & ceteri neceſſitatem patientes, à Sancta Eccleſia, ut putà à pia matre & omnium gubernatrice ſubſidium accipiant, quia res Eccleſiæ, quibus Epiſcopi,* CXLI.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

non ut propriis, ſed ut commendatitiis uti debent, pretia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viventium.

CXLII. Septimus *conſtituit, ut Epiſcopi, ſive Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoſlibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione non ſolùm acceperunt, ſed potiùs ſubripuerunt, pœnitentiæ canonicæ ſive regulari, ut putà turpis lucri ſectatores ſubjaceant. Hi verò, qui vanis promiſſionibus illecti, vel quibuſlibet machinationibus perſuaſi, mentis inopes effecti, rerum ſuarum domini eſſe neſcientes, comam depoſuerint, in eo quod cœperunt perſeverare cogantur. Res namque quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non ſolùm acceptæ ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur, qui dementiâ parentum & avaritiâ incentorum exhæredati eſſe noſcuntur. Si verò neſcientibus Epiſcopis aut Abbatibus, miniſtri eorum, quilibet videlicet in Clero, hoc feciſſe convincuntur, Epiſcopi & Abbates deſidiâ, illi verò rapacitate & avaritiâ judicentur. Hoc verò quod quiſque Deo juſtè & rationabiliter de rebus ſuis offert, firmiter Eccleſia tenere debet.*

CXLIII. Octavus ſtatuit, *ut ſi quando Sacerdotes fruges, vel quoſdam reditus terræ congregant & protelant, non ideo hoc faciant, ut cariùs vendant & theſauros congregent, ſed ut pauperibus tempore neceſſitatis ſubveniant.*

CXLIV. Nonus præcipit, ut Epiſcopi ab omnibus ſenſuum illecebris abſtineant. *Ab omnibus oculorum auriumque illecebris Sacerdotes abſtinere debent: & canum, accipitrum, falconum, vel ceterarum hujuſmodi rerum curam parvipendere: & hiſtrionum, ſive ſcurronum, & turpium ſeu obſcœnorum jocorum inſolentiam, non ſolùm ipſi reſpuant, verùm etiam fidelibus reſpuenda percenſeant.*

CXLV. Decimus ſtatuit, *ut ſobrietatem Sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent.*

CXLVI. Undecimus eſt de publicis judiciis. *Ut Epiſcopus ad forum, neque ubi publicè negotia judiciaria exercentur, non pergat ſua cauſa ſuffragaturus; niſi fortè ut aut pauperibus oppreſſis ſuccurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei Judices admoneat, ut juxta Domini præceptum juſta judicent judicia. Hoc & de Abbatibus, & de Presbyteris, & Diaconibus, & maximè Monachis, obſervandum eſt. Si verò eorum, qui in Clero ſunt, propria cauſa agenda eſt, cum licentia Epiſcopi & Advocato pergat, & ſua cauſa cum juſtitia ſuffragetur.*

CXLVII. Duodecimus ſtatuit, *ut neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Monachi villici fiant.*

CXLVIII. Decimus-tertius eſt de inhibendo juramento quod ab ordinandis exigebatur. *Dictum eſt interea de quibuſdam fratribus, quòd eos quos ordinaturi ſunt jurare cogant, quòd digni ſint, & contra Canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo qui eos ordinat, & Eccleſiæ in qua ordinantur. Quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes unà inhibendum ſtatuimus.*

CXLIX. Decimus-quartus eſt de Epiſcopis Parrochias ſuas peragrantibus. *Cavendum ſanè eſt, ne cùm Epiſcopi Parrochias ſuas peragrant, quandam non ſolùm erga ſubditos ſed erga ſocios tyrannidem exerceant: nec (quod abſit) cum caritate, ſed quadam judiciariâ invectione ſtipendia ab eis exigant. Obſervandum etiam modis omnibus eſt, ut ſi quando eis peragranda Parrochiæ neceſſitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potiùs quàm in depradandis & ſpoliandis hominibus, & ſcandalizandis fratribus, operam dent. Et ſi quando eis ad peragendum miniſterium ſuum à fratribus aut à ſubditis aliquid accipiendum eſt, hoc ſummoperè obſervare debent, ne quem ſcandalizent aut gravent. Tanta ergo in hac re diſcretio tenenda eſt, ut & verbi Dei prædicator ſumptus, ubi proprii deſunt, à fratribus accipiat, & iidem fratres illius potentiâ non graventur, exemplo Apoſtoli Pauli, qui, ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat.*

CL. Decimus-quintus eſt de Archidiaconis. *Dictum eſt etiam, quòd in pleriſque locis Archidiaconi ſuper Presbyteros Parrochianos quandam exerceant dominationem,*

& ab eis cenſus exigant, quod magis ad tyrannidem quàm ad rectitudinis ordinem pertinet. Si enim Epiſcopi, juxta Petri Apoſtoli ſententiam, non debent eſſe dominantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo, multò minùs iſti hoc facere debent, ſed contenti ſint regularibus diſciplinis, & teneant propriam menſuram; & quod eis ab Epiſcopis injungitur, hoc per Parrochias ſuas exercere ſtudeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præſumentes.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Decimus-ſextus eſt de balſamo ad Chriſma conficiendum & de luminaribus Eccleſiæ. *Quidam fratres dixerunt conſuetudinis antiquæ fuiſſe in eorum Eccleſiis, ut pro balſamo emendo ad Chriſma faciendum, ſive pro luminaribus Eccleſiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios Presbyteri darent. Unde omnes uno conſenſu ſtatuimus, ut ſicut pro dedicandis Baſilicis & dandis ordinibus nihil accipiendum eſt, ita etiam pro balſamo ſive luminaribus emendis nihil Presbyteri Chriſma accepturi dent. Epiſcopi itaque de facultatibus Eccleſiæ balſamum emant, & luminaria ſinguli in Eccleſiis ſuis concinnanda provideant.* CLI.

Decimus-ſeptimus eſt de abolendo cenſu annuo, quem Preſbyteri dabant Epiſcopis. *Inventum eſt, quòd in quibuſdam locis Presbyteri duodenos vel quaterdenos denarios Epiſcopis in cenſum annis ſingulis darent, quod penitus abolendum eſſe decernimus.* CLII.

Decimus-octavus eſt de Epiſcopis & Comitibus. *Dictum eſt nobis, quòd in quibuſdam locis Epiſcopi & Comites ab inceſtuoſis & ab his qui decimas non dant, wadios accipiant, & à Presbyteris pro quibuſdam negligentiis, & inter ſe pecuniam dividant. Quod penitus abolendum decrevimus, ne fortè avaritiæ locus detur. Et conſtituimus, ut inceſtuoſi juxta canonicam ſententiam pœnitentiâ multentur. Qui verò decimas poſt crebras admonitiones & prædicationes dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos conſtringi nolumus propter periculum perjurii.* CLIII.

Decimus-nonus eſt de decimis. *Queſti ſunt præterea quidam fratres, quòd eſſent quidam Epiſcopi & Abbates, qui decimas non ſinerent dari Eccleſiis, ubi illi coloni Miſſas audiunt. Proinde decrevit ſacer iſte conventus, ut Epiſcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad ſuum vel fratrum ſtipendium habent, decimas ad Eccleſias deferri faciant; familiæ verò ibi dent decimas ſuas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Miſſas audiunt.* CLIV.

Viceſimus eſt de Epiſcopis & Comitibus. *Si inter omnes fideles pax & concordia habenda eſt, multò magis inter Epiſcopos & Comites, eſſe debet, qui poſt Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter ſe concordare debent, ut alterutrum ſibi, ad Dei ſervitium peragendum & miniſterium ſuum explendum, non ſolùm non noceant, quin potiùs adminiculo ſint.* CLV.

Viceſimus-primus eſt de judiciis. *Comitibus verò & judicibus hoc ſummoperè obſervandum eſt, ut juſtè judicent, & nequaquam in judicio munera ſeu perſonas accipiant. Sed & miniſtros, quos Vicarios & Centenarios vocant, juſtos habere debent, ne fortè eorum avaritiâ aut rapacitate populus gravetur, & amiſſis facultatibus in paupertatem redigatur. Teſtes verò probatiſſimi & pauci de pluribus eſſe debent tales, de quorum fide non dubitetur.* CLVI.

Viceſimus-ſecundus eſt de Abbatibus & Monachis, ut ſecundùm Regulam vivant. *De Abbatibus verò & Monachis idcircò hic pauca ſcribimus, quia penè omnia Monaſteria Regularia in his regionibus conſtituta ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ſe vivere fatentur: quæ Beati Benedicti documenta per omnia demonſtrant, qualiter eis vivendum ſit. Inquiratur ergo diligenter, ubi ſecundùm ipſum ordinem vivitur, & ubi ab ipſo ordine digreſſum eſt, ut juxta ejuſdem beati viri inſtitutionem vivere certent, qui ſe, ut ita viverent, cum atteſtatione profeſſi ſunt.* CLVII.

Viceſimus-tertius decernit *ſecundùm inſtitutionem, Presbyterorum, Diaconorum, & ceterorum graduum inferiorum ordinationes ſtatutis temporibus fieri debere.* CLVIII.

Viceſimus-quartus *de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, & Monachis interfectis, quærendum* ſtatuit *à Domino Imperatore, cui illius homicidii pretium exſolvendum ſit.* CLIX.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 31.

Vicesimus-quintus est de renovando antiquo publicæ pœnitentiæ more. *Pœnitentiam agere juxta antiquam Canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur: ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ multetur pœnitentiâ, & secundùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.*

CLX. Vicesimus-sextus statuit, ut Ecclesiæ inter hæredes non dividantur. *Perlatum ad nos est, quòd inter hæredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut unius Altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant Presbyteros; quod sine discordia & simultate nullomodo geri potest. Unde nobis visum est, quod hujuscemodi Ecclesia inter hæredes dividi non debeant, & si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas Sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullomodo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio Ecclesia illa Sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi sunm ministerium peragere possit.*

CLXI.

CLXII. Vicesimus-septimus est de Confirmatione. *Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis & ter ab Episcopis, ignorantibus eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est eandem Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minimè debere.*

CLXIII. Vicesimus-octavus est de gradibus, in quibus matrimonia jungenda sunt. *Interrogaverunt nos quidam de affinitate propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia jungenda sint. Quibus nos ad Canones currere præcipimus, & quod in eis continetur, hoc ab eis in negotio, sicut & in ceteris, observari debere.*

CLXIV. Vicesimus-nonus est de iisdem gradibus. *Sanè qua in proprio viro, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est.* [*Erunt duo in carne una.*]

CLXV. Tricesimus est de his, qui legitima servorum matrimonia dirimunt. *Dictum nobis est, quòd quidam legitima servorum matrimonia potestativâ quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelicum.* [*Quod Deus conjunxit, homo non separet.*] *Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum.*

CLXVI. Tricesimus-primus est de fœminis, quæ filios suos fraudulenter ad confirmandum tenent. *Dictum etiam nobis est, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, ut à viris suis separentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidiâ, aut fraude aliquâ, coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, à viro tamen suo non separetur.*

CLXVII. Tricesimus-secundus est de his, qui pleniter peccata non confitentur. *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, animâ videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficilè vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione, aut quod est gravius, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel cetera hujusmodi animæ pestes tantò periculosius ladunt, quantò subtilius serpunt.*

CLXVIII. Tricesimus-tertius est de confessione peccatorum. *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò Sacerdotibus confitenda esse per-*

cenſent: quod utrumque non ſine magno fructu intra Sanctam ſit Eccleſiam. Ita dumtaxat ut & Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus, [delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi: dixi confitebor adverſùm me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei;] & ſecundùm inſtitutionem Apoſtoli, confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem ut ſalvemur. Confeſſio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namque ſalutis & ſanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ inviſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Triceſimus-quartus eſt de perſonarum acceptione in pœnitentiæ judicio cavenda. *Quia igitur, Apoſtolo teſte, non eſt perſonarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda eſt, multò magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus Sacerdotum unquam, aut gratiâ, aut odio alicujus perſonæ, ſecus judicet, quàm quod in Canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundùm Sanctarum Scripturarum auctoritatem & Eccleſiaſticam conſuetudinem rectius viſum fuerit.* CLXIX.

Triceſimus-quintus eſt de his, qui deliciis indulgent in pœnitentia. *Multi, quod non ſine dolore dicendum eſt, in pœnitentia non tam peccati remiſſionem, quàm temporis conſtituti expectant expletionem. Et, ſi carnium & vini uſus eis interdictus eſt, mutatâ non voluntate ſed ejuſdem cibi aut potûs perceptione, in tantùm deliciis ſuis indulgent, ut delicioſius, his interdictis, aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoſcantur. Spiritalis autem abſtinentia, quæ in pœnitentibus potiſſimùm vigere debet, & quorumdam ciborum ac potionum perceptiones & deſiderium fugere debet. Ille, inquam, ille magis parſimoniæ ſervire cenſendus eſt, qui ſibi non ſolùm quarumdam rerum perceptiones ſed delectationes corporis penitus interdicit.* CLXX.

Triceſimus-ſextus eſt de his, qui ex induſtria peccant. *Sed nec hoc prætereundum putavimus, quòd quidam ex induſtria peccantes, propter eleemoſynarum largitionem, quandam ſibi promittunt impunitatem. Eleemoſyna enim extinguit peccata juxta illud. [Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccatum.] Sed ea, quæ aut neceſſitate, aut caſu, aut qualibet ſunt fragilitate. Ea verò, quæ ex induſtria, aut cujuſlibet libidinis explendæ causâ idcirco fiunt, ut eleemoſynis redimantur, nequaquam eis redimi poſſunt, quia qui hoc perpetrarunt, vitantur Deum mercede conducere, ut eis impunè peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, ut eleemoſynas faciat; ſed ideo eleemoſynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.* CLXXI.

Triceſimus-ſeptimus eſt de lectione Canonum. *Cùm igitur omnia Concilia Canonum, quæ recipiuntur, ſint à Sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea ſit eis vivendum & prædicandum, neceſſarium duximus, ut ea, quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus ſcribitur, hæc ab eis crebrò legantur, & benè intelligantur, & in populo prædicentur.* CLXXII.

Triceſimus-octavus eſt de pœnitentia. *Modus autem pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum Canonum inſtitutionem, aut per Sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem, ſicut ſuperiùs dictum eſt, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum ſunt certi errores, incerti auctores.* CLXXIII.

Triceſimus-nonus ſtatuit, *ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, quâ non pro quibuſlibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemniis fundantur. Antiquitus hunc morem igitur Sancta Eccleſia tenet, ut & in Miſſarum ſolemnitatibus, & in aliis precibus, Domino ſpiritus quieſcentium commendet, dicente Beato Auguſtino*, &c. CLXXIV.

Quadrageſimus eſt de Preſbyteris degradatis. *Dictum eſt nobis, Presbyteros propter ſuam negligentiam canonicè degradatos ſeculariter gradu amiſſo vivere,* CLXXV.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 13.

& pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Unde ſtatuimus, ut, gradu amiſſo, agendæ pœnitentiæ gratiâ, in Monaſterio aut canonico aut regulari mittantur. Si verò hoc fieri cauſa qualibet prohibuerit, ubicumque ſint, pœnitentiam agere non deſiſtant. Si autem amiſſo gradu ſeculariter vivere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab Eccleſiæ communione ſeparentur.

CLXXVI. Quadrageſimus-primus ſtatuit, ut *Presbyter proprio loco dimiſſo ad alium migrans nequaquam recipiatur, niſi ſuæ migrationis cauſam dixerit, & ſe innocenter vixiſſe in Parrochia, in qua ordinatus eſt, ſub teſtibus probaverit. Literas etiam habebit, in quibus ſint nomina Epiſcopi & civitatis plumbo impreſſa; quibus cognitis, & talibus inventis, quibus fides adhiberi poſſit, recipiatur.*

CLXXVII. Quadrageſimus-ſecundus Eccleſias Preſbyteris ſine conſenſu Epiſcopi dari vel auferri prohibet. *Inventum eſt, quòd multi arbitrii ſui temeritate, & quod eſt gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuſlibet abſque conſenſu Epiſcoporum Eccleſias dant vel auferunt. Unde oportet, ut canonicâ Regulâ ſervatâ nullus abſque conſenſu Epiſcopi cuilibet Presbytero Eccleſiam det. Quam ſi juſtè adeptus fuerit, hanc non niſi gravi culpâ ſuâ & coram Epiſcopo canonicâ ſeveritate amittat.*

CLXXVIII. Quadrageſimus-tertius eſt de ordinationibus. *Sunt in quibuſdam locis Scoti, qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe, & multos negligentes, abſque licentia dominorum ſuorum ſive magiſtrorum, Presbyteros & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæreſim, & multis erroribus ſubjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno conſenſu decrevimus.*

CLXXIX. Quadrageſimus-quartus eſt de Preſbyteris. *Superiùs ſcripſimus Presbyteros villicos eſſe non debere: & nunc eis in tabernis bibere, cancellarios publicos eſſe, nundinas inſolenter peragrare, Romam ſive Turonum abſque licentia Epiſcopi ſui adire, penitus decrevimus inhibendum.*

CLXXX. Quadrageſimus-quintus eſt de peregrinationibus. *Nam & à quibuſdam, qui Romam, Turonúmve, & alia quædam loca ſub prætextu orationis inconſultè peragrant; plurimùm erratur. Sunt Presbyteri, & Diacones, & ceteri in Clero conſtituti, qui negligenter viventes, in eo purgari ſe à peccatis putant, & miniſterio ſuo fungi debere, ſi præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant ſe impunè aut peccare aut peccaſſe, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi cenſûs gratiâ, ſub prætextu Romani ſive Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt; & quod ſolâ cupiditate faciunt, orationum ſive ſanctorum locorum viſitationis causâ ſe facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero ſunt illi, qui circumquaque vagantes, illò ſe pergere mentiuntur, vel quia tantùm ſunt vecordes, ut putent ſe ſanctorum locorum ſolâ viſione à peccatis purgari, non attendentes quod ait Beatus Hieronymus. [Non Hieroſolymam vidiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe, laudandum eſt.] De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter ſint emendanda, ſententia expectetur. Qui verò peccata ſua Sacerdotibus, in quorum ſunt Parrochiis, confeſſi ſunt, & ab his agendæ pœnitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum, inviſere deſiderant, horum eſt devotio modis omnibus collaudanda.*

CLXXXI. Quadrageſimus-ſextus eſt de diſcretione adhibenda in perceptione Euchariſtiæ. *In perceptione Corporis & Sanguinis Dominici magna diſcretio adhibenda eſt. Cavendum eſt enim, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino. [Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Si verò indiſcretè accipiatur, timendum eſt illud, quod ait Apoſtolus. [Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.] Juxta ejuſdem ergo Apoſtoli documentum, probare ſe debet homo, & ſic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abſtinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animámque*

Digitized by Google

ſuam, præparet ſe ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo David, qui niſi ſe faſſus fuiſſet abſtinuiſſe ab opere conjugali ab heri & nudius tertius, panes propoſitionis nequaquam à Sacerdote accepiſſet. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Quadrageſimus-ſeptimus eſt de Euchariſtia percipienda in Cœna Domini. *In Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt, percipienda ſit, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat, cùm etiam pœnitentes eâdem die ad percipienda Corporis & Sanguinis Dominici Sacramenta reconciliat.* CLXXXII.

Quadrageſimus-octavus eſt de unctione infirmorum. *Secundùm Beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* CLXXXIII.

Quadrageſimus-nonus eſt de locis, in quibus Miſſæ celebrandæ ſunt. *In quibus locis, & quo apparatu, Miſſarum ſolemnia, exceptis Baſilicis, celebrari debeant, & utrùm celebrari debeant, in Concilio Laodicenſi ita ſcribitur.* [*Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel à Presbyteris.*] Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς γίνεσθαι ἢ ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων; Canone quinquageſimo-nono, ξ'. CLXXXIV.

Quinquageſimus eſt de die Dominico. *Diei interea Dominici obſervatio & veneratio plurimùm negligitur. Unde oportet, ut authenticâ conſtitutione illius venerandæ diei obſervatio juxta Imperium Domini Imperatoris ſtatuatur.* CLXXXV.

Quinquageſimus-primus Prælatos monet ſeu Clericos ſeu laicos, quomodo debeant erga ſibi ſubditos agere. *Quia ergo conſtat in Eccleſia diverſarum conditionum homines eſſe, ut ſint nobiles & ignobiles, ſervi, coloni, inquilini, & cetera hujuſcemodi nomina, oportet ut quicumque eis prælati ſunt, Clerici ſive laici, clementer erga eos agant, & miſericorditer eos tractent, ſive in exigendis ab eis operibus, ſive in accipiendis tributis & quibuſdam debitis: ſciántque eos fratres ſuos eſſe, & unum ſecum habere patrem Deum, cui clamant,* [*pater noſter, qui es in cælis;*] *& unam matrem Sanctam Eccleſiam, quæ eos intemerato ſacri fontis utero genuit. Diſciplina igitur eis miſericordiſſima & gubernatio opportuna adhibenda eſt: diſciplina, ne indiſciplinatè vivendo auctorem ſuum offendant; & gubernatio, ne in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo deſtituti fatiſcant.* CLXXXVI.

Quinquageſimus-ſecundus eſt de Abbatiſſis. *Talem ſe debet Abbatiſſa exhibere ſubditis in habitu, in veſte, in omni convictu, ut eis ad cæleſtia Regna pergentibus ducatum præbeat. Sciat etiam ſe pro his, quas in regimine accepit, in conſpectu Domini rationem redditurum.* CLXXXVII.

Quinquageſimus-tertius nihil præſcribit, obſervat autem placuiſſe Synodo, ut admonitiunculæ breviter *eis* ſcriberentur *Sanctimonialibus, quæ ſe Canonicas vocant, quoniam hæ, quæ ſub Monaſticæ Regulæ norma degunt, totius vitæ ſuæ ordinem in eadem, quam profitentur, Regula ſcriptum habent.* Quapropter qui proximè ſequuntur duodecim Canones, ad ſola Canonicarum Monaſteria ſpectant. CLXXXVIII.

Quinquageſimus-quartus ſtatuit, ut *Abbatiſſa diligentem habeat curam de Congregatione ſibi commiſſa, & provideat ut in lectione, & in officio, & in Pſalmorum modulatione ipſæ Sanctimoniales ſtrenuæ ſint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem in conſpectu Domini reddituræ, & ſtipendia Sanctimonialibus præbeat neceſſaria, ne forte per indigentiam cibi aut potûs peccare compellantur.* CLXXXIX.

Quinquageſimus-quintus ſtatuit, ut *Abbatiſſa cum viris, Clericis ſive laicis, horis incompetentibus non loquatur: ſed quicquid cum maſculis, Clericis ſive laicis, de rebus neceſſariis peragere debet, à prima hora uſque ad veſpertinam peragat; & hoc non cum ſingulis, ſed coram pluribus.* CXC.

Quinquageſimus-ſextus ſtatuit, ut *à Veſpera uſque ad Primam, neque Abbatiſſa, neque aliqua Sanctimonialium, cum quibuſlibet maſculis ullum colloquium habeant, niſi fortè talis fuerit occaſio, quam evitare non poſſint; &, ſi neceſſitas incubuerit, id coram teſtibus facere debebunt.* CXCI.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

CXCII. Quinquageſimus-ſeptimus eſt de Abbatiſſa foras pergente. *Abbatiſſa, quæ in civitate Monaſterium habet, nequaquam de Monaſterio egrediatur, niſi per licentiam Epiſcopi ſui, aut qui ejus vicem obtinet: niſi fortè aut Imperialis Juſſio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minimè permittat. Et ſi quando foras pergit, de Sanctimonialibus, quas ſecum ducit, curam & vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia ſive occaſio. Sed & cùm pergit, in Monaſterio talem vice ſuâ conſtituere debet, quæ de Sanctimonialium animabus curam & vigilantiam habeat.*

CXCIII. Quinquageſimus-octavus præcipit, ut *habeat etiam Abbatiſſa ſtudium, aut in ædificando ea quæ ad Sanctimonialium neceſſitatem pertinent, aut in reſtaurando.*

CXCIV. Quinquageſimus-nonus decernit, ut *Sanctimoniales in Monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium in legendo, & in cantando, in Pſalmorum celebratione ſive oratione; & horas Canonicas, Matutinam videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpertinam, Completoriam pariter celebrent: & omnes, exceptâ quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad collationem veniant.*

CXCV. Sexageſimus ſtatuit *non debere Presbyteros ampliùs in Monaſterio puellari immorari, niſi donec Miſſarum ſolemnia celebrent, aut aliquid ibi de Dei ſervitio & ſuo miniſterio expleant.*

CXCVI. Sexageſimus-primus ſtatuit *non debere Sanctimoniales in propriis manſionibus cum aliquibus maſculis, Clericis ſive laicis, conſanguineis ſive extraneis, bibere ſive comedere: ſed, ſi quando id agendum eſt, in auditorio agatur; &, ubi auditorium deeſt, fiat. Et cum nullo maſculo eis colloquium habere liceat, niſi in auditorio, & ibi coram teſtibus.*

CXCVII. Sexageſimus-ſecundus ſtatuit, ut *Sanctimoniales, niſi fortè Abbatiſſâ ſuâ pro aliqua neceſſitate incumbente illas mittente, nequaquam de Monaſterio egrediantur. Hæ verò, quæ famulos aut famulas non habent ad exercenda negotia, ad mediam portam Monaſterii perveniant, & ibi coram teſtibus negotium ſuum exerceant.*

CXCVIII. Sexageſimus-tertius ſtatuit, ut *nullus Vaſſus Abbatiſſæ, nec miniſter aliquis, nec Clericus, nec laicus, clauſtra Ancillarum Dei ingrediatur, niſi fortè quando neceſſitas operandi incumbit.*

CXCIX. Sexageſimus-quartus eſt de Portaria. *Portaria non eligatur, niſi quæ ætate matura ſit, & teſtimonium habeat bonum, & vitæ probabilis ſit.*

CC. Sexageſimus-quintus præcipit, ut *quicquid* in his Canonibus ſeu Capitulis *minus eſt, ab Epiſcopo ſuo Abbatiſſa perquirat, & illi in omnibus obediens ſit, ſecundùm canonicam inſtitutionem, ſicuti juſtum & rectum eſt.*

CCI. Sexageſimus-ſextus præcipit, *ut ab omnibus indeſinenter orationes fiant pro vitæ incolumitate, pro ſalute animæ & corporis Domini Imperatoris prolíſque ejus, pro ſtatu Regni, pro remiſſione peccatorum, & cæleſtis Regni collatione: ita dumtaxat, ut ſemper magis ac magis per incrementa temporum talis creſcat obſervatio.*

CCII. Illis Canonibus inſtar epilogi Patres hanc clauſulam ſubjiciunt. *Hæc itaque panca de pluribus, quæ neceſſaria perſpeximus, cum magna brevitate, Domini Imperatoris prudenti judicio præſentanda adnotavimus. Ceterùm quid generaliter in omnibus & ab omnibus ſequendum ſit, quídve vitandum, qualiterve intra Sanctam Eccleſiam ſit vivendum, qui plenius noſſe deſiderat, Sanctarum Scripturarum prata percurrere non deſiſtat.*

CCIII. Ex Canonibus Synodi Cabilonenſis inſerti ſunt quinque libro Capitularium ſecundo, quindecim additioni tertiæ iiſdem Capitularibus adjectæ. Canonibus, quinto, decimo-octavo, quadrageſimo-ſexto, quinquageſimo-primo, & quinquageſimo-ſecundo, paria ſunt Capitula libri ſecundi, triceſimum-ſeptimum cum ſequenti, & quadrageſimum cum duobus proximis. Similiter Canonibus viceſimo-quinto, viceſimo-ſexto, viceſimo-ſeptimo, triceſimo, triceſimo-ſecundo, triceſimo-tertio, triceſimo-quarto, triceſimo-quinto, triceſimo-ſexto, duodequadrageſimo, quadrageſimo-ſecundo, quadrageſimo-tertio, quadrageſimo-ſeptimo, duobúſque ſequentibus, conformia ſunt additionis tertiæ Capitula, viceſimum-tertium, viceſimum-quintum,

quintum, viceſimum-ſextum, viceſimum-octavum, viceſimum-nonum, triceſimum-primum, octóque proximè ſequentia cum quadrageſimo-primo. AN. CH. 813.

Actum eſt eâdem ætate Concilium Turonenſe tertium, cujus hæc eſt Præfatio. *Quantùm Piiſſimi Imperatoris noſtri excellens animus divinæ ſapientiæ fulgore ſit irradiatus ad gubernandum præſentium rerum ſtatum, ipſius Imperii ſibi à Deo dati liquidò teſtantur negotia: quæ quantâ ſint induſtriâ adminiſtrata, quantâque prudentiâ ordinata, qui ſapiens ac intelligens eſt, facilè perſpicere poteſt, & eò præcipuè quòd hic toto animo invigilat, inveſtigando quæ ad pietatem & veram religionem pertinent, quorum fructus hominem in bono beatitudinis collocat. His igitur intentus pios ac religioſos Dei Sacerdotes, Eccleſiæ gubernacula in Regno ſibi divinâ largitate collato tenentes, ſaluberrimis exhortationibus admonuit, ut operam darent & actibus eminerent, quibus & ſe benè operando, & ſibi commiſſos verbis & exemplis inſtruendo regerent. Diffinitum itaque de locis & tempore, quando & ubi coadunari fuerit opus, & quod à tanto Principe nobis injunctum eſt, ad ſtatuta loca convenimus. Siquidem urbe Turonis congregati Epiſcopi, Abbates, & Venerabilis Clerus, pro parvitate noſtra pauca, quæ ad tantum opus pertinere animadvertimus, & quæ ſecundùm Canonicam Regulam emendatione indigent, diſtinctè per Capitula adnotavimus Sereniſſimo Imperatori noſtro oſtendenda.* Hoc Turonenſe Concilium non ex provincia tantùm Turonenſi, ſed ex tribus etiam Aquitanicis congregatum cenſebit, quiſquis aliorum quatuor, ex ceteris Galliarum provinciis hac eâdem ætate convocatorum, meminerit. Turonis autem, ubi ſuperſtes Joſephus Metropolita, ſi Joannes *Maan* Chronologiam Turonenſium Archiepiſcoporum benè aſſequitur, Canones unus ac quinquaginta conditi ſunt. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCIV. TURONENSE;

Primus cunctos admonet, ut obedientes ac fideles ſint Imperatori, Deúmque pro illo aſſiduè orent. CCV.

Secundus præcipit, *ut omnes Epiſcopi ſtudiosè operam divinæ dent lectioni, Sanctum Evangelium & Epiſtolas Beati Pauli Apoſtoli non ſolùm crebrò lectitent, ſed etiam quantùm poſſint, memoriæ ſtudeant commendare, Sanctorúmque Patrum opuſcula ſuper eadem expoſita devotè frequentent. Similiter & de ceteris libris canonicis faciant.* CCVI.

Tertius ſancit, ut *nulli Epiſcopo liceat Canones, aut librum Paſtoralem à Beato Gregorio Papa editum, ſi fieri poteſt, ignorare; in quibus ſe debet unuſquiſque, quaſi in quodam ſpeculo, aſſiduè conſiderare.* CCVII.

Quartus ſtatuit, ut *ſollicitè ſtudeat unuſquiſque Epiſcopus gregem ſibi commiſſum ſacrâ prædicatione, quid agere quidve vitare debeat, informare. Et ipſe Epiſcopus vitâ, habitu, formâ, & converſatione ſanctâ, ſuis ſit ſubjectis exemplum.* CCVIII.

Quintus decernit, ut Epiſcopus parcâ contentus ſit menſâ, eique ſacram lectionem adhibeat. CCIX.

Sextus ſtatuit, ut *peregrini & pauperes convivæ ſint Epiſcoporum, cum quibus non ſolùm corporali, ſed & ſpiritali reficiantur alimento.* CCX.

Septimus ſtatuit, ut *ab omnibus, quæcumque ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri poſſe credatur (quod de aliquibus generibus muſicorum aliiſque nonnullis rebus ſentiri poteſt) Dei Sacerdotes* abſtineant, *quia per aurium oculorúmque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi ſolet. Hiſtrionum quoque turpium, & obſcænorum inſolentias jocorum, & ipſi animo* effugiant, *ceteríſque Sacerdotibus effugienda* prædicent. CCXI.

Octavus ſtatuit, ut Epiſcopi à *ſecularibus & turpibus jocis*, & venationibus *ferarum vel avium* abſtineant. CCXII.

Nonus ſtatuit, ut Epiſcopi ſui veſtigia in bonis moribus Preſbyteri conſectentur & Diaconi. CCXIII.

Decimus ſtatuit, ut Epiſcopi pauperum curam habeant, & res Eccleſiaſticas cautè diſpenſent, *illiſque ita utantur, non ut propriis, ſed ut ſibi ad diſpenſandum commiſſis.* CCXIV.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCXV. CCXVI. CCXVII. Undecimus ſtatuit, ut liceat Epiſcopis præſente Clero theſaurum Eccleſiæ pauperibus, *ſecundùm canonicam inſtitutionem, juxta quod indiguerint*, erogare.

Duodecimus ſancit *Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc eſt, ante* XXX *ætatis annum, ſed priuſquàm ad conſecrationem Presbyteratûs accedat, maneat in Epiſcopio diſcendi gratiâ officium ſuum tamdiu, donec poſſint & mores & actus ejus animadverti: & tunc, ſi dignus fuerit, ad Sacerdotium promoveatur.*

Decimus-tertius ſtatuit, *ut unuſquiſque Epiſcoporum Parrochiam ſuam diligenter perſcrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius Parrochia in ſuam commigrans, officium celebrare præſumat ſine literis commendatitiis, ſicut olim multis in locis actum eſſe repertum eſt.*

CCXVIII. Decimus-quartus eſt de Preſbyteris à titulis minoribus ad majores migrantibus. *De titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum ſit: ſed in eo permaneat, ad quem ordinatus eſt. Quòd ſi inventus fuerit contra ſtatuta id facere, eâdem feriatur ſententiâ, quâ Epiſcopus, ſi de minore ad majorem transmigraverit Sedem.*

CCXIX. Decimus-quintus ſancit, ut deponatur Preſbyter, qui alterius Eccleſiam pretio ſit adeptus, & ut nullus ex Clericis aut laicis *cuilibet Presbytero præſumat dare Eccleſiam ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.*

CCXX. Decimus-ſextus ſtatuit, *ut decimæ, quæ ſingulis dabuntur Eccleſiis, per conſulta Epiſcoporum à Presbyteris ad uſum Eccleſiæ & pauperum ſummâ diligentiâ diſpenſentur.*

CCXXI. Decimus-ſeptimus ſancit, *ut quilibet Epiſcopus habeat Homilias, continentes neceſſarias admonitiones, quibus ſubjecti erudiantur: id eſt, de fide Catholica, prout capere poſſint, de perpetua retributione bonorum & æterna damnatione malorum, de reſurrectione quoque futura & æterno judicio, & quibus operibus poſſit promereri beata vita quibuſve excludi. Et ut eaſdem Homilias quiſque apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam, quo facilius cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.*

CCXXII. Decimus-octavus eſt de Baptiſmo. *Epiſcoporum ſit magna ſollicitudo, Presbyteris ſuis tradere Baptiſmi Sacramentum, & quid in eodem renuntiandum quídve credendum ſit. Renuntiatur ergo diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur & ſunt, homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his ſimilia, quæ nimirum diabolico inſtinctu priùs cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perpetrentur. Pompæ verò ejuſdem ſunt, ſuperbia, jactantia, elatio, vana gloria, faſtus, & alia quamplurima, quæ ex his oriri videntur.*

CCXXIII. Decimus-nonus ſancit Preſbyteros omnino admonendos eſſe, *ut cùm ſacra Miſſarum ſolemnia peregerint, atque communicaverint, pueris aut aliis quibuſlibet perſonis adſtantibus corpus Domini indiſcretè non tribuant.*

CCXXIV. Viceſimus Preſbyteris injungit, *ne ſacrum Chriſma foras conclave dimittant, ubi à quolibet attingi poſſit. Nam criminoſos eodem chriſmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi poſſe à multis putatur.*

CCXXV. Viceſimus-primus ſtatuit, *ne* Preſbyteri *tabernas ingrediantur comedendi bibendíve causâ. Quòd ſi poſt hæc ſtatuta facere præſumpſerint, Canonicâ* decernit *ſententiâ feriendos.*

CCXXVI. Viceſimus-ſecundus ſancit *Epiſcopis & Presbyteris diligenti cautelâ pertractandum, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abſtinentia indicatur, quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus & indiſcretè hæc judicia proferuntur. Ideo neceſſarium* videtur Patribus, *cùm omnes Epiſcopi ad ſacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potiſſimùm ſit ſequendus.*

CCXXVII. Viceſimus-tertius eſt de vita Canonicorum in Epiſcopiis converſantium. *Canonici & Clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus ut*

Digitized by Google

in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimúlque in uno AN. CH.
reficiantur refectorio, quò facilius poſſint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, 813.
ac de vita & converſatione ſua admoneri & doceri: victum & veſtimentum juxta CAROLI
facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari, IMP. 13.
ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur; dimiſſóque Eccleſiaſtico officio incipiant LUDOV.
indiſciplinatè vivere, & propriis deſervire voluptatibus. R. 33.

Viceſimus-quartus eſt de Canonicis ſub Abbate viventibus in Monaſteriis. CCXXVIII.
Simili modo & Abbates Monaſteriorum, in quibus Canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicitè ſuis provideant Canonicis, ut habeant clauſtra & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimúlque reficiantur, horas Canonicas cuſtodiant, victum & veſtitum juxta quod poterit Abbas habeant, quò facilius ad Dei ſervitium poſſint conſtringi, ſintque Abbates ſibi ſubditis benè vivendo duces & prævii, viámque demonſtrent, quâ rectè radiendo ad meliorem vitam pervenire valeant.

Viceſimus-quintus eſt de Monaſteriis Benedictinis. *Monaſteria Monachorum,* CCXXIX.
in quibus olim Regula Sancti Benedicti Patris conſervabatur, ſed nunc fortè qualicumque negligentiâ ſubrepente remiſſius ac diſſolutius cuſtoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur ut ad priſtinum revertantur ſtatum, & Abbates eorumdem in eodem habitu & vita, quâ ipſa Regula præcipit eos incedere, vivere ſtudeant: quoniam aliqua ſunt Monaſteria, in quibus jam pauci ſunt Monachi, qui prædicti Patris Regulam ſuis Abbatibus promiſſam habeant: quippe cùm ipſi Abbates magis Canonicè quàm Monachicè inter ſuos converſari videntur.

Viceſimus-ſextus eſt de puellaribus Monaſteriis. *In Monaſteriis puellarum* CCXXX.
multa inveniri poſſunt, quæ emendatione indigent. Nam quædam Abbatiſſarum negligentiùs, quàm oporteat, vivere dicuntur, & ob hoc earum vita & converſatio à multis diffamatur: ſed & talium actus ſubditam familiam imitari velle credendum eſt. Victus etiam ac veſtimenta, aliáque nonnulla neceſſaria, quæ jure ab Abbatiſſis præparari debuerant, abſtracta ſibi eadem conqueritur familia.

Viceſimus-ſeptimus ſancit, *ut juvenes viduæ citò nequaquam velentur, uſ-* CCXXXI.
quedum probetur illarum religio, & bona ab eis nota ſit converſatio.

Viceſimus-octavus eſt de virginibus ante annos XXV ſine neceſſitate non CCXXXII.
velandis. *Virginibus quoque ſacrum velamen accipiendum decreta Patrum interdicunt ante XXV annos, niſi fortè aliquâ cogente neceſſitate, pro qua licitum eſt hæc ſtatuta mutare, ut in Canonibus, ſi requiratur, inveniri poterit.*

Viceſimus-nonus eſt de puellarium Monaſteriorum aditu Clericis ac lai- CCXXXIII.
cis interdicto. *Presbyteris, Diaconibus, ceteriſque Clericis, infra clauſtra Monaſteriorum puellarum non ſit conceſſum habitare. Neque enim intrent Monaſteria, niſi tempore quo Miſſarum ſolemnia celebranda ſunt, vel alia qualibet Eccleſiaſtica officia peragenda; quibus peractis ſtatim egrediantur, ne ibi poſtea aliquam moram faciant. Similiter & aliis hominibus eadem Monaſteria importunè frequentare cupientibus, omnis aditus præcludatur.*

Triceſimus ſancit, ut *Abbatiſſa abſque ſui Epiſcopi licentia foras egredi non* CCXXXIV.
habeant poteſtatem, niſi cùm ad Piiſſimum Imperatorem proficiſci voluerint.

Triceſimus-primus ſtatuit, ut *in Monaſteriis Canonicorum, Monachorum,* CCXXXV.
ſeu puellarum, major hominum numerus non admittatur, quàm facultas Monaſterii poſſit ſufferre.

Triceſimus-ſecundus decernit, ut *omnes homines, & maximè Chriſtiani,* CCXXXVI.
ſtudeant inter ſe pacem, unanimitatem & concordiam habere; odium verò & diſcordiam longè à ſe propellere.

Triceſimus-tertius eſt de modo, quo Comites, Judices, & reliquus po- CCXXXVII.
pulus erga Epiſcopos, & Epiſcopi erga illos gerere ſe debent. *Comitibus, Judicibus, reliquóque populo expedit, ut ſuis ſint Epiſcopis conſentientes, & obedientes propter Dei amorem ſuique gradus honorem, & ſemper ab eis utile quærant conſilium, illorúmque ſalubria non ſpernant monita, ſed intentâ cordis aure audiant. Similiter verò & Epiſcopi prædictas perſonas humiliter ſuſcipiant, honori-*

AN. CH. 813. *ficéque erga eos in omnibus agant: & ſic ſeſe mutuis ſtudeant ſubleviare conſolationibus.*

CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Triceſimus-quartus ſancit admonendos eſſe ſummopere Comites & Judices, *ne viles & indignas perſonas coram ſe permittant ad teſtimonium accedere, quoniam multi ſunt, qui pejerare pro nihilo ducunt, in tantùm ut pro unius diei ſatietate, aut pro quolibet parvo pretio, ad juramentum conduci poſſint, animáſque ſuas perjurio perdere minimè formident.*

CCXXXVIII.

CCXXXIX. Triceſimus-quintus vetat, ne Chriſtianus *pro quolibet placito vel judicio à qualibet perſona munera* exigat aut accipiat.

CCXL. Triceſimus-ſextus ſtatuit, *ut unuſquiſque omni tempore ſuam familiam & ad ſe pertinentes inopes alere ac vegetare ſtudeat.*

CCXLI. Triceſimus-ſeptimus ſancit, exceptis diebus Dominicis & tempore Paſchali, flexis genibus orandum eſſe.

CCXLII. Triceſimus-octavus injungit Sacerdotibus, ut admoneant fideles, quomodo ad Eccleſiam convenire, atque in ea verſari debeant.

CCXLIII. Triceſimus-nonus *placita ſecularia in Eccleſiis, vel in atriis Eccleſiarum, à Comitibus Vicariiſque uſque modo multis in locis habita, ne ultrà fiant*, interdicit.

CCXLIV. Quadrageſimus prohibet, *ne mercata & placita uſquam fiant die Dominicâ, quâ oportet omnes Chriſtianos à ſervili opere in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.*

CCXLV. Quadrageſimus-primus eſt de criminoſis, qui Sacerdotali admonitione non corriguntur, ſeculari potentiâ coërcendis. *Inceſtuoſi, parricidæ, homicidæ multi apud nos, heu proh dolor! reperiuntur: ſed aliqui ex illis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, quos oportet per ſecularis potentiæ diſciplinam à tam prava conſuetudine coerceri, qui per ſalutifera Sacerdotum monita noluerunt revocari. Quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi, hoc parvipendentes in eiſdem perdurarunt criminibus. Quamobrem veſtra decernat manſuetudo, quid de talibus deinceps agendum ſit.*

CCXLVI. Quadrageſimus-ſecundus injungit Sacerdotibus, ut fideles populos admoneant, *magicas artes incantationéſque quibuſlibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre: non animalibus languentibus claudicantibúſve, vel etiam moribundis quicquam mederi: non ligaturas oſſium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodeſſe: ſed hæc eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.*

CCXLVII. Quadrageſimus-tertius homines omnes admonet, *ne per ſingula verba quaſi ad confirmationem ſuæ aſſertionis, nomen Domini in vanum aſſumant.*

CCXLVIII. Quadrageſimus-quartus eſt de ſublevandis pauperibus, qui à potentioribus opprimuntur. *Propter diverſas occaſiones res pauperum multis in locis valdè attenuatæ ſunt: eorum ſcilicet dicimus, qui liberi eſſe noſcuntur, & ſub poteſtate potentiorum ſunt conſtituti: quorum ſi negotia & cauſas Clementia Piiſſimi Principis noſtri diligenter inveſtigari juſſerit, reperientur quamplurimi diverſis occaſionibus ad ultimam paupertatem jam redigi.*

CCXLIX. Quadrageſimus-quintus præcipit, ut *menſuræ & pondera juſta ubique* habeantur.

CCL. Quadrageſimus-ſextus eſt de nonis & decimis ſolvendis, & de tectis Eccleſiarum ac Monaſteriorum inſtaurandis. *Nonas ac decimas, quas qui res Eccleſiaſticas tenent, ſolvere Rectoribus Eccleſiarum ordinati ſunt ad luminaria & ſtipendia Clericorum, multis in locis abſtractas eſſe vidimus. Quod ſæpè jam Miſſis veſtris in publicis indicavimus placitis. Sed inde hactenus aut parvum aut nullum conſecuti ſumus effectum. Similiter & de reſtauratione tectorum nobis neceſſitas incumbit indicare, quia non tantùm domus Monaſteriorum, ſed & ipſa Eccleſia, propter tectorum inopiam, ruinæ minantur.*

CCLI. Quadrageſimus-ſeptimus ſancit, ut jejunia, *quando generaliter pro aliqua neceſſitate indicuntur*, ab omnibus cuſtodiantur & obſerventur.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Quadrageſimus-octavus eſt de vitanda crapula & ebrietate.

Quadrageſimus-nonus ſtatuit admonendos eſſe dominos ſubditorum, *ut circa ſuos piè & miſericorditer agant: nec eos qualibet injuſtâ occaſione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſtè tollant; nec ipſa debita, quæ à ſubditis reddenda ſunt, impiè ac crudeliter exigantur.*

Quinquageſimus ſancit, *ut ſi non frequentiùs, vel ter laici homines in anno communicent, niſi forte quis majoribus quibuſlibet criminibus impediatur.*

CCLII. CCLIII. CCLIV. CCLV.

Quinquageſimus-primus eſt de iis, qui ob traditiones Eccleſiæ à parentibus factas exhæredati dicebantur. *Diligenter tractare & inquirere pariter cœpimus in Conventu noſtro, ſicut pia Sereniſſimi Principis noſtri nobis injunxit admonitio, de illis hominibus, qui exhæredati eſſe dicuntur; ſi aliquis eſſet, qui noſtris temporibus voluiſſet dicere, ſe à quolibet noſtrûm illis privari rebus, quas pater ejus, aut mater, aut frater, vel aliquis propinquorum ad Eccleſias Dei dediſſet, & in ejus nomine iterum precaria à Rectoribus Eccleſiarum acciperetur. Sed in eodem Conventu noſtro neminem reperimus, qui de hac re adversùs nos conqueri voluiſſet. Nam penè nullus eſt, qui res ſuas ad Eccleſias donet, niſi de rebus Eccleſiaſticis, aut tantùm quantùm donavit, aut duplum, aut triplum uſu fructuario accipiat; & quibus ille tunc, vel quantis filiis aut propinquis, à Rectoribus impetraverit, poſt diſceſſum ejus eâdem conditione, quâ ille tenebat, poſteri ejus ſibi vindicent. Hic uſus & hæc ratio apud nos uſque modo de talibus tenebatur. Nam & nobis viſum eſt, prædictis hæredibus hanc dare optionem, ut ſi voluiſſent traditiones parentum ſuorum conſequi, de qua illi jam erant per legem excluſi, Rectoribus Eccleſiarum ſe commendarent, & hæreditatem illam in beneficium, unde ſe adjuvare ac ſuſtentare poſſent, acciperent.*

CCLVI.

Inſtar epilogi ſequitur hæc clauſula. *Hæc nos in Conventu noſtro ita ventilavimus, ſed quomodo deinceps Piiſſimo Principi noſtro de hîs agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati ſumus.*

CCLVII.

Ex Canonibus Turonicis inſerti ſunt tres libro Capitularium ſecundo, ſexdecim additioni tertiæ iiſdem Capitularibus ſubjectæ. Canonibus, ſeptimo ſeptémque ſubſequentibus, necnon decimo-ſexto, viceſimo-ſeptimo, triceſimo-tertio, duobúſque proximis, item triceſimo-nono, quadrageſimo-ſecundo & quadrageſimo-tertio, conformia ſunt additionis prædictæ Capitula, quadrageſimum-ſecundum cum duobus proximis, quadrageſimum-ſextum cum ſequenti, quadrageſimum-nonum cum tribus ſubſequentibus, quinquageſimum-quartum, quinquageſimum-quintum, quinquageſimum-ſeptimum, quinquageſimum-octavum, & ſexageſimum cum duobus proximis. Similiter Canonibus, quadrageſimo-primo, quadrageſimo-nono & quinquageſimo, paria ſunt libri ſecundi Capitula, quadrageſimum-tertium duóque ſubſequentia.

CCLVIII. ET IN CONVENTU AQUISGRANENSI CANONES EORUMDEM CONCILIORUM REFERRI.

Chronographus Moiſſiacenſis Cabilonenſem Synodum prætermiſit, alias quatuor laudavit, adjecitque mandatum à Carolo, ut quicquid in unaquaque definitum eſſet, ad Placitum poſteà referretur. *Hoc*, inquit, *anno ſedit Piiſſimus Karolus Imperator apud Aquis Palatium, & habuit ibi Conſilium magnum cum Francis: & decrevit quatuor Synodos fieri, id eſt, ad Moguntiam civitatem unam, alteram in Remis, tertiam Turonis, quartam Arelato civitate. Mandavítque ut quidquid in unamquamque Synodum definiſſent, ad Placitum conſtituti Imperatoris renunciaſſent; quod ita factum eſt.* Ad illud Imperatoris mandatum Patres Arelatenſis Concilii reſpexerunt hac clauſulâ. *Hæc ſub brevitate, quæ emendatione digna perſpeximus, quambreviſſimè adnotavimus, & Domino Imperatori præſentanda decrevimus, poſcentes ejus Clementiam, ut ſi quid hîc minus eſt, prudentiâ ſuppleatur: ſi quid ſecus, quàm ſe ratio habet, ejus judicio emendetur: ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus adjutorio divinâ opitulante clementiâ perficiatur.* Patres Synodi Moguntiacenſis in fine ſuæ Præfationis ad Imperatorem. *Valdè indigemus veſtro adjutorio, atque ſanâ doctrinâ, qua & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis ſubter perſtrinxi-*

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

mus Capitulis, à veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe judicaverit, & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare. Similiter Patres Concilii Cabilonenſis in fine ſuæ Præfationis. *De quibuſdam rebus, in quibus nobis emendatio neceſſaria videbatur, quædam Capitula, quæ ſubter inſerta ſunt eidem Domino Imperatori præſentanda, & ad ejus ſacratiſſimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudente examine ea quæ rationabiliter decrevimus confirmentur; ſicubi minùs aliquid egimus, illius ſapientiâ ſuppleatur.* Et in epilogo. *Hæc panca de pluribus, quæ neceſſaria perſpeximus, cum magna brevitate, Domini Imperatoris prudenti judicio præſentanda adnotavimus.* Item Patres Concilii Turonenſis hac clauſulâ. *Hæc nos in Conventu noſtro ita ventilavimus, ſed quomodo deinceps Piiſſimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati ſumus.*

CCLIX. EX IISDEM CONCILIIS EXCERPIT CAPITULARE.

Canones, quos prænominatæ quinque Synodi condiderunt, præſente Carolo ſimul collati ſunt apud Aquiſgranum in generali Francorum Conventu, ſic enim ad hunc annum Loiſelianus aliique ſcribunt Annaliſtæ. *Conſtitutionum, quæ in ſingulis* Conciliis *factæ ſunt, collatio coram Imperatore in illo Conventu habita. Quas qui noſſe voluerit, in ſupradictis quinque civitatibus invenire poterit, quanquam & in Archivo Palatii exemplaria illarum habeantur.* Hac peractâ collatione, Carolus ex iiſdem Conciliis excerpſit Capitulare, quod in ſex ac viginti diſtinctum Capitula Jacobus Sirmondus ex Codice Metenſi publicavit.

CCLX. Primum Capitulum. *Ut unuſquiſque Archiepiſcopus ſuos ſuffraganeos diligenter ſtudioſéque admonere ſtudeat, ut unuſquiſque ſuos Presbyteros pariter inveſtigare non negligat, Baptiſmatis Sacramenta qualiter agant, & hoc eos ſtudioſè doceant, ut ordinabiliter fiat.* Lege Canones, Arelatenſem tertium, Remenſem ſeptimum, Moguntiacenſem quartum, duodeviceſimum Turonenſem.

CCLXI. Secundum Capitulum. *Ut laici Presbyteros non ejiciant de Eccleſiis, nec alios mittere præſumant.* Confer Canones, Arelatenſem quartum, Moguntinum undetriceſimum, quadrageſimum-ſecundum Cabilonenſem, & decimum-quintum Turonenſem.

CCLXII. Tertium Capitulum. *Ut laici omnino non audeant munera exigere à Presbyteris propter commendationem Eccleſiæ cuique Presbytero.* Conſule Canones, Arelatenſem quintum, & Moguntinum triceſimum.

CCLXIII. Quartum Capitulum. *Providendum neceſſe eſt, qualiter Canonici vivere debeant, necnon & Monachi, ut ſecundùm ordinem Canonicum & Regularem vivere ſtudeant.* Hoc Capitulum eſt epitome Canonis Arelatenſis ſexti.

CCLXIV. Quintum Capitulum. *De Monaſteriis puellarum, ut Presbyteros opportuno tempore ad Miſſarum ſolemnia liceat advenire, & iterum ad proprias Eccleſias redire.* Vide Canones Arelatenſem ſeptimum, viceſimum-ſextum Moguntiacenſem, ſexageſimum Cabilonenſem, & viceſimum-nonum Turonicum.

CCLXV. Sextum Capitulum. *Ut plures non mittantur in Monaſteria Canonicorum, atque Monachorum, ſeu puellarum, quàm ſufferri poſſit.* Lege Canones, Arelatenſem octavum, viceſimum-ſeptimum Remenſem, undeviceſimum Moguntinum, & triceſimum-primum Turonenſem.

CCLXVI. Septimum Capitulum. *De decimis admonendis.* Lege Canones, Arelatenſem nonum, & duodequadrageſimum cùm Remenſem tum Moguntinum.

CCLXVII. Octavum Capitulum. *De inceſtuoſis omnino inveſtigandum, ut ab Eccleſia expellantur, niſi pœnitentiam egerint.* Excerptum eſt hoc Capitulum ex Canone Moguntiacenſi quinquageſimo-tertio.

CCLXVIII. Nonum Capitulum. *Ut pax ſit & concordia inter Epiſcopos, & Comites, & reliquos Clericos, & Monachos, & laicos.* Sumptum eſt hoc Capitulum ex Canone duodecimo Arelatenſi, quocum confer viceſimum Cabilonenſem & triceſimum-ſecundum Turonicum.

Decimum-Capitulum. *Ut Comites & Judices, ſeu reliquus populus, obedientes ſint Epiſcopo, & invicem conſentiant ad juſtitias faciendas, & munera pro judicio non accipiant, nec falſos teſtes.* Hoc Capitulum eſt epitome Canonis Arelatenſis decimi-tertii. AN. CHR. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCLXIX.

Undecimum Capitulum. *Ut unuſquiſque propter inopiam famis ſuos familiares & ad ſe pertinentes gubernare ſtudeat.* Lege Canones, Arelatenſem decimum-quartum & triceſimum-ſextum Turonenſem.

Duodecimum Capitulum. *Ut unicuique Epiſcoporum liceat de theſauro Eccleſiæ pauperibus erogare ad nutrimentum ſecundùm Canones, cum teſtibus.* Hoc Capitulum excerptum eſt ex undecimo Canone Turonenſi. CCLXX. CCLXXI.

Decimum-tertium Capitulum. *Ut pondera & menſuræ ubique æqualia ſint & juſta.* Verba ſunt Canonis Arelatenſis decimi-quinti, quocum confer quadrageſimum-quintum Turonenſem. CCLXXII.

Decimum-quartum Capitulum. *De officio prædicationis, ut juxta quod benè vulgaris populus intelligere poſſit, aſſiduè fiat.* Vide Canones, Remenſem decimum-quintum & Moguntinum viceſimum-quintum. CCLXXIII.

Decimum-quintum Capitulum. *Ne Dominicis diebus mercatum fiat, neque placitum; & ut his diebus nemo ad pœnam vel ad mortem judicetur, & de operibus cavendis admoneatur.* Cum hoc Capitulo confer Canones, Arelatenſem decimum-ſextum, triceſimum-ſeptimum Moguntiacenſem, & quadrageſimum Turonicum. CCLXXIV.

Decimum-ſextum Capitulum. *Ut unuſquiſque Epiſcopus interim circumeat Parrochiam ſuam docendo & admonendo, & quæque ſunt neceſſaria emendare ſtudeat, & ſi quid emendare nequiverit, ad prædictum placitum proferat.* Lege decimum-ſeptimum Canonem Arelatenſem. CCLXXV.

Decimum-ſeptimum Capitulum. *Ut Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ vel maleficii donare præſumant. Quòd ſi fecerint, honore priventur.* Ipſiſſima verba ſunt viceſimi-ſeptimi Canonis Moguntini, quocum confer Canones, duodeviceſimum Arelatenſem & viceſimum Turonicum. CCLXXVI.

Decimum-octavum Capitulum. *De fide unuſquiſque compater, vel parentes, vel proximi, filios ſuos ſpiritales Catholicè inſtruant, ita ut coram Deo ratiocinare debeant.* Lege Canones, undeviceſimum Arelatenſem, & quadrageſimum-ſeptimum Moguntinum. CCLXXVII.

Decimum-nonum Capitulum. *Ut Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimâ nec aliâ ullâ poſſeſſione priventur, ita ut novis tribuatur Eccleſiis.* Adi Canones, viceſimum Arelatenſem, & quadrageſimum-primum Moguntinum. CCLXXVIII.

Viceſimum Capitulum. *Ut mortui non ſepeliantur in Eccleſia, niſi Epiſcopi, vel Abbates, vel fideles & boni Presbyteri.* Sumptum eſt hoc Capitulum ex quinquageſimo-ſecundo Canone Moguntino. CCLXXIX.

Viceſimum-primum Capitulum. *Ut placita in domibus vel atriis Eccleſiarum minimè fiant.* Conſule Canones, viceſimum-ſecundum Arelatenſem, quadrageſimum Moguntinum, & undequadrageſimum Turonenſem. CCLXXX.

Viceſimum-ſecundum Capitulum. *Ut Comites vel Vicarii, ſeu Judices aut Centenarii, ſub mala occaſione vel ingenio res pauperum non emant, nec vi tollant: ſed quiſquis hoc comparare voluerit, in publico placito coram Epiſcopo hoc faciat.* Conſule Canones, viceſimum-tertium Arelatenſem & ſeptimum Moguntinum. CCLXXXI.

Viceſimum-tertium Capitulum. *Ut unuſquiſque in ſua Parrochia Presbyteros vel alios Clericos diligenter inquirat, & fugitivos ad loca ſua redire faciat, & ad proprium Epiſcopum ſuum.* Lege Canones viceſimum-quintum Arelatenſem & triceſimum-primum Moguntinum. CCLXXXII.

Viceſimum-quartum Capitulum. *Ut quiſque Beneficium Eccleſiaſticum habet, ad tecta Eccleſia reſtauranda vel ipſas Eccleſias omnino adjuvet.* Sumptum eſt hoc Capitulum ex Arelatenſi Canone viceſimo-quinto. CCLXXXIII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Viceſimum-quintum Capitulum. *Ut qui publico crimine convicti ſunt rei, publicè judicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundùm Canones.* Hoc Capitulum omnino convenit cum ultimo Canone Arelatenſi.

CCLXXXIV. CCLXXXV.

Viceſimum-ſextum Capitulum. *Ut Presbyteri benè vivere ſtudeant, & ita populum doceant.* Hoc Capitulum expreſſis quidem verbis in prædictarum Synodorum Canonibus haud invenitur, at ſimile quid primo Canone Cabilonenſi legitur de Epiſcopis, his enim injungitur, ut Sanctas Scripturas, Canones Synodicos, & librum Sancti Gregorii de cura Paſtorali legant, ac *ſecundùm formam ibidem conſtitutam & vivant & prædicent.*

CCLXXXVI.

In Codice Gandavenſi, quem Sirmondus conſuluit, ſequuntur alia duo Capitula, quorum nullum ſupereſt veſtigium in prælaudatis quinque Synodis. Unum eſt de Preſbyteris, qui Confeſſiones revelare dicebantur; alterum de tumultibus, quos faidoſi homines excitabant. Primum ſic publicatum eſt. *Ut hoc inquiratur, ſi de partibus Auſtriæ verum eſt, quod dicitur, an non, quòd Presbyteri de Confeſſionibus accepto pretio manifeſtent latrones.* Secundum, ſic. *Ut inquiratur diligenter de faidoſis hominibus, qui ſolent incongruas commotiones facere, tam in Dominicis diebus, quámque & aliis ſolemnitatibus, ſicuti & in feriaticis diebus. Hoc omnino prohibendum eſt, ne facere præſumant.* Neutrum Aquiſgranenſi tribuimus Capitulari, quod editum eſt hoc anno, utrumque enim deſideratur cùm in Codice Metenſi tum in Synodis ſuprà memoratis.

CCLXXXVII.

Obſervat etiam Sirmondus Capitula quartum & quintum, quæ ſuprà ex Codice Metenſi deſcripta ſunt, in Gandavenſi prolixiùs recitari. Quartum, ſic. *Providendum omnimodis ac diligenter exquirendum, qualiter Canonici vivant, necnon & Monachi, ut unuſquiſque eorum ſecundùm ordinem canonicè ac regulariter vivant & non ſimiliter. Id eſt, ut refectoria & dormitoria unà ſimul obſerventur, quemadmodum jamdudum in Capitulis noſtris injunctum habemus.* Quintum, ſic. *De Monaſteriis puellarum, ut Presbyteris certo tempore ad Miſſarum ſolemnia celebranda liceat ad eas in Eccleſia convenire, & mox ad proprias redire Eccleſias. Ceteri verò Clerici vel laici ſimiliter obſervent, ut nequaquam in eadem Monaſteria ingredi audeant, niſi neceſſitatis cauſa ipſius Monaſterii compulerit. Hoc tamen cum ſumma providentia Epiſcopi vel Abbatiſſa fiat. Similiter & hoc pleniter obſervandum ſit, ut fœmina per domos Clericorum minimè diſcurrant.*

CCLXXXVIII.

Chronographus Moiſſiacenſis teſtatur habitum menſe Septembri Conventum Francorum, in quo Carolus prædictarum Synodorum Canones relegi præcepit, Capitulare condidit proximè deſcriptum, filiúmque Ludovicum Imperatorii Nominis conſortem fecit. *Mandavit*, inquit, *ut quidquid in unamquamque Synodum definiſſent, ad Placitum conſtituti Imperatoris renunciaſſent, quod ita factum eſt; & in ipſo anno menſe Septembri jamdictus Karolus fecit Conventum magnum populi apud Aquis Palatium de omni Regno vel Imperio ſuo. Et convenerunt Epiſcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituit Capitula numero* XXVI *de cauſis, quæ erant neceſſariæ Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo. Poſt hæc habuit conſilium cum præfatis Epiſcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & Majoribus natu Francorum, ut conſti-*
conſtituerent *tueret* *filium ſuum Ludovicum Regem & Imperatorem.* Scimus in vulgatis exemplaribus legi *Capitula numero* XLVI, nupérque manuſcriptis è codicibus publicatum eſſe Capitulare, quod in Capitula XLVI diſtinguitur. At quiſquis textum Moiſſiacenſis Chronici cum Capitulis XXVI quæ ſuprà recitavimus, & Capitulis XLVI quæ deſcribemus infrà, ſtudiosè contulerit, deprehendet Chronographum non de Capitulari quod Capitulis ſex & quadraginta conſtat, ſed de Capitulari quod Capitulis ſex ac viginti circumſcribitur, locutum eſſe, & Characterе X in L mutato numerum XXVI in XLVI perperam abiiſſe. Ratio patet evidentiſſimè. Chronographus enim illa Capitula, ſeu XXVI ſeu XLVI fuerint, conſtituta dicit *de cauſis, quæ erant neceſſariæ Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo.* Capitulare autem, quod

Capitulis

Capitulis viginti-ſex abſolvitur, totum eſt de cauſis *Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo* neceſſariis, concinnatum eſt enim ex Canonibus Synodorum noviſſimè celebratarum, ut ex ſingulorum Capitulorum collatione cum Canonibus iiſdem ſuperiùs facta liquet. Longè aliud eſt Capitulare, quod in Capitula ſex & quadraginta protrahitur, de cauſis *Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo* neceſſariis nihil diſtinctè ſtatuit, Francis omnibus non eſt commune, verſatúrque potiſſimum in pœnis, quas homicidii, latrocinii, raptûs, aliorúmque criminum reis, Judex ſecularis ex Edicto Regio conſtituit. Ne quid gratis à nobis dictum putes, hoc etiam Capitulare dabimus eodem prorſus modo, quo nuper ex Codicibus Metenſi ac Navarrico publicatum eſt in abſolutiſſima Capitularium Collectione, quam tandem ab eruditiſſimo Stephano Baluzio poſt longam virorum literatorum expectationem feliciter confectam gaudemus. Voces in hoc Capitulari ſunt complures obſcuræ. Multas alibi jam explicuimus. His adde *wargengum* octavi Capituli & *geldos* Capituli viceſimi-tertii; wargengum, veteribus Ripuariis wargum, vagum ſive expulſum, id eſt, proſcriptum; & geldos mulctas interpretamur.

AN. CH. 813.

LONGE DISTINCTUM AB ALIO CAPITULARI INCERTI ANNI ET INCERTI LOCI.

I. In primo Capitulo de cauſis Eccleſiæ, & de illis Dei ſervis, qui ibidem deſerviunt, ſic habemus quomodo & alii Franci habent. De banno Dominico ſimiliter ſicut alii Franci habent. CCLXXXIX.

II. Qui Francum occiderit, ſolidos ſexcentos componat ad opus Dominicum, & pro fredo ſolidos ducentos componat. CCXC.

III. Qui hominem ingenuum occiderit, ſolidos ducentos componat, & exinde in dominico tertiam partem componat. CCXCI.

IV. Qui lidum occiderit, ſolidos centum componat, & exinde dominico tertiam partem componat. CCXCII.

V. Qui ſervum occiderit, ſolidos quinquaginta componat. Exinde in dominico, ſicut diximus, tertiam partem componat. CCXCIII.

VI. Si quis Comes in ſuo Comitatu occiſus fuerit, in tres weregildos, ſicut ſua nativitas eſt, componere faciat. CCXCIV.

VII. Si quis Miſſum Dominicum occiderit, quando in Miſſaticum directus fuerit, in tres weregildos, ſicut ſua nativitas eſt, componere faciat. CCXCV.

VIII. Si quis Wargengum occiderit, ſolidos ſexcentos in dominico componat. CCXCVI.

IX. Si quis hominem ingenuum ad ſervitium requirit, cum duodecim hominibus de ſuis proximis parentibus in Sanctis juret, & ſe ingenuum eſſe faciat, aut in ſervitium cadat. CCXCVII.

X. Qui per hantradam hominem ingenuum dimittere voluerit, in loco qui dicitur ſanctum, ſuâ manu duodecimâ ipſum ingenuum dimittere faciat. CCXCVIII.

XI. Qui per chartam aut per hantradam ingenuus eſt, & ſe ille foris de eo miſerit, tunc ille leodis in dominicum veniat, & ſuis peculiariis traditum jamdicto domino non fiat. CCXCIX.

XII. Qui per chartam ingenuus eſt, ſic debet in omnia pertinere ſicut alii Franci. CCC.

XIII. Qui de mundeburde aliquid habuerit, ad illum ſeniorem, qui eum ingenuum dimiſerat, ſua peculia revertere faciat. CCCI.

XIV. De quali cauſa quod ſacramentum promiſerit, & ad Placitum non juraverit, ipſam cauſam reddere faciat. CCCII.

XV. Qui propter alium hominem wadium adbramivit, & ipſe homo eum damnum incurrere dimittit, ille qui ſuum wadium adbramivit, de ſuo omnia componat, ſuper noctes ſeptem ille, qui precatur adbramire, duplum componere faciat. CCCIII.

XVI. Qui hominem Francum ſine culpa ligaverit, ſolidos duodecim componat, & in fredo dominico ſolidos tres. CCCIV.

XVII. Qui per capillos Francum priſerit, ſolidos duodecim, & in dominico ſolidos quatuor. Et qui ei ſanguinem ſine culpa effuderit, ſolidos duodecim componat, & in fredo dominico ſolidos quatuor. CCCV.

AN. CH. 813. *XVIII. Si quis hominis Franci caſam infregerit, ſolidos duodecim componat, & in fredo dominico ſolidos quatuor.*

CCCVI. CCCVII. *XIX. Si quis hominis Franci curtem infregerit, ſolidos ſex componat, in dominico ſolidos quatuor, ſuam manum aut ſuum pedem aut ſuum oculum pro quarta parte de ſua leode, & in fredo dominico ſemper de unaquaque re ſolidos quatuor.*

CCCVIII. *XX. De ingenuo homine in emendatione ſua ſolidos octo, niſi, ſicut ſuperiùs diximus, in fredo dominico ſolidos quatuor.*

CCCIX. *XXI. De lido in emendatione ſolidos quatuor, in fredo dominico ſolidos quatuor.*

CCCX. *XXII. De ſervo in emendatione ſolidos duos, in fredo dominico ſolidos quatuor.*

CCCXI. *XXIII. Quicquid involavit, novem geldos componere faciat, & de unoquoque latrocinio in dominico fredo ſolidos quatuor.*

CCCXII. *XXIV. De quicquid in caſa furaverit, in wirdira ſolidos ſeptem. De warnione, in wirdira ſolidos ſeptem. De ſpadato caballo ſolidos ſeptem. De ſervo ſolidos ſeptem. De ſpata ſeptem. De jumento ſolidos quatuor. De bove ſolidos duos. De vacca ſolidos duos. De porcis & verrecibus & animalibus juvenibus, & de capris, tertiam partem quantùm valet in wirdira.*

CCCXIII. *XXV. Quicquid in amore in alterum furatum habent, in duos geldos componere faciat, in wirdira uncias duas, in fredo ſolidos quatuor. Et quicquid in mashan furaverit, duos geldos componere faciat, in wirdira vncias duas, in fredo dominico ſolidos quatuor.*

CCCXIV. *XXVI. Quicquid in amore Freſiones injuſtè tulerint, per aliud tantùm componere faciat in fredo ſolidos quatuor.*

CCCXV. *XXVII. Quicquid ad Saxones contra rectum tulerint, cum alio tantùm eum emendare faciat in fredo ſolidos quatuor.*

CCCXVI. *XXVIII. Si quis infra pagum latronem comprehenderit, & ante illum Comitem eum non adduxerit aut ante ſuum Centenarium, ſolidos ſexaginta componat.*

CCCXVII. *XXIX. Si quis latronem viderit cum furto ambulantem, & cognitum non fecerit, in fredo dominico ſolidos quatuor componere faciat.*

CCCXVIII. *XXX. Si quis in Sanctis Reliquiis ſe perjuraverit, manum ſuam perdat, aut eam redimat quartâ parte de ſua leode in dominico.*

CCCXIX. *XXXI. Quicquid contra rectum fecerit, cum ſolidis quatuor in fredo dominico componere faciat.*

CCCXX. *XXXII. Si quis cum armis bannitus fuerit, & non venerit ibi, ſolidos quatuor in fredo dominico componere faciat.*

CCCXXI. *XXXIII. Si quis cum caballo bannitus fuerit, in fredo dominico ſolidos quatuor componere faciat.*

CCCXXII. *XXXIV. Si quis wactam aut wardam dimiſerit, quando ille Comes ei cognitum fecerit, in fredo dominico ſolidos quatuor componere faciat.*

CCCXXIII. *XXXV. Si quis ſcluſam dimiſerit, quando ſuus Comes ei commendat facere, in fredo ſolidos quatuor componere faciat. Quando rumpit, & eam emendare noluerit, ſolidos quatuor in dominico componere faciat.*

CCCXXIV. *XXXVI. Quiſquis audit arma clamare, & ibi non venerit, in fredo dominico ſolidos quatuor componere faciat.*

CCCXXV. *XXXVII. Si quis ad pontem publicum bannitus fuerit, & ibi non venerit, ſolidos quatuor in fredo componat.*

CCCXXVI. *XXXVIII. Si quis Comes ad placitum ſuum hominem bannit, & ibi non venerit, in fredo ſolidos quatuor componat.*

CCCXXVII. *XXXIX. Si quis viam publicam clauſerit, in fredo dominico ſolidos quatuor componat.*

CCCXXVIII. *XL. Si quis Francus homo habuerit filios duos, hæreditatem ſuam de ſilva & de terra eis dimittat, & de mancipiis, & de peculio. De materna hæreditate ſimiliter in filiam veniat.*

Digitized by Google

XLI. De ingenuis hominibus, quomodo aut qualiter ad Placitum per bannum debeant venire. Ingenuus, ſi per Comitem aut per Miſſum ſuum bannitus fuerit infra Comitatum de maxima cauſa, ſuper noctes quatuordecim ad Placitum veniat. Si minor cauſa extiterit, ſuper noctes ſeptem ad Placitum veniat. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCCXXIX.

XLII. Si quis de lido ſuo pro aliqua cauſa in ratione fuerit inventus, ſuper noctes quatuordecim ipſum lidum ad Placitum adducat, ſi ſenior ſuus in ipſo Comitatu eſt. Si in alio Comitatu eſt, ipſe lidus ſuum ſeniorem ad Placitum adducat ſuper noctes viginti-quinque. Si in tertio Comitatu eſt, ſuper noctes quadraginta-duas. Si in alio Ducatu, ſuper noctes octuaginta-quatuor cum ſuo ſeniore veniat ad ipſum Placitum. CCCXXX.

XLIII. De raptu. Si quis ingenuus cum lidis raptum fecerit, cum uno wadio & una manu emendare ſtudeat. CCCXXXI.

XLIV. Si quis hominem in mordro occiderit, tunc exeat ad judicium, aut ſuus ſenior per ſacramentum eum liberet. CCCXXXII.

XLV. Si cujus puellam ſponſatam alius priſerit, ſolidos ducentos componere faciat, in fredo ſolidos ſexaginta. CCCXXXIII.

XLVI. Si fur de ſeptem latrociniis comprobatus fuerit, exiet ad judicium. Si ibi incenderit, tradant eum ad mortem. Et poſtquàm ad judicium ambulaverit, ſi ibi non incenderit, tunc liceat ſuo ſeniori wadio ſuo adhramire & pro eo emendare ac de morte liberare. CCCXXXIV.

Hoc Capitulare nobis incerti cùm anni tum loci videtur. Chronographus autem Moiſſiacenſis, poſtquàm diſſeruit de Capitulari, quod collatis priùs Canonibus Synodorum nuperrimè celebratarum Carolus Imperator apud Aquiſgranum hoc anno promulgavit, agit de Ludovico Aquitaniæ Rege, quem idem Auguſtus in eodem Francorum Conventu conſortem Imperialis nominis fecit. Rem, ut geſta eſt, in literas ſic retulit, qui tunc vivebat Theganus [a]. *Imperator, cùm jam intellexiſſet appropinquare ſibi diem obitûs ſui (ſenuerat enim valdè) vocavit filium ſuum Ludewicum ad ſe cum omni exercitu, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Loco-poſitis; habuit grande colloquium cum eis Aquiſgrani Palatio, pacificè & honeſtè ammonens, ut fidem erga filium ſuum oſtenderent, interrogans omnes à maximo uſque ad minimum, ſi eis placuiſſet, ut nomen ſuum, id eſt, Imperatoris, filio ſuo Ludewico tradidiſſet. Illi omnes reſponderunt, Dei eſſe admonitionem illius rei. Quo facto, in prima die Dominica ornavit ſe cultu Regis, & coronam capiti ſuo impoſuit, incedebátque clarè veſtitus & ornatus, ſicut eum decuerat. Perrexit ad Eccleſiam, quam ipſe à fundamentis conſtruxerat, pervenítque ante altare in eminentiori loco conſtructum ceteris altaribus, & conſecratum in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti: ſuper quod coronam auream aliam, quàm ipſe geſtabat in capite ſuo, juſſit poni. Poſtquàm diu oraverunt ipſe & filius ejus, locutus eſt ad filium ſuum coram omni multitudine Pontificum & Optimatum ſuorum, ammonens eum imprimis Omnipotentem Deum diligere & timere, ejus præcepta ſervare in omnibus, Eccleſias Dei gubernare & defendere à pravis hominibus, ſororibus ſuis & fratribus, qui erant natu juniores, & nepotibus & omnibus propinquis ſuis indeficientem miſericordiam ſemper oſtendere præcepit; deinde Sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, ſuperbos & nequiſſimos homines in viam ſalutis coactos dirigere, Cœnobiorum conſolator & pauperum eſſe. Fideles miniſtros & Deum timentes conſtitueret, qui munera injuſta odio haberent. Nullum ab honore ſuo ſine cauſa diſcretionis ejiceret, ſemetipſum omni tempore coram Deo & omni populo irreprehenſibilem demonſtraret. Poſtquàm hæc verba & alia multa coram multitudine filio ſuo oſtenderat, interrogavit ſi obediens voluiſſet eſſe præceptis ſuis. At ille reſpondit; libenter obedire, & cum Dei adjutorio omnia præcepta, quæ mandaverat ei pater, cuſtodire. Tunc juſſit eum pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat ſuper altare, elevaret, & capiti ſuo imponeret ob recordationem omnium præceptorum, quæ mandaverat ei pater. At ille juſſionem patris implevit. Quo facto, audientes Miſſarum ſolemnia ibant ad Palatium. Suſtinuit enim filius patrem eundo & redeundo,* CCCXXXV.

[a] Cap. 6. LUDOVICUS PIT IMP.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

quamdiu cum eo fuerat filius. Non poſt multos dies magnificis donis honoravit eum pater ſuus, & dimiſit eum ire in Aquitaniam. Antequam diviſi eſſent, amplexantes ſe & oſculantes propter gaudium amoris flere cæperunt. Ille perrexit in Aquitaniam, & Dominus Imperator tenuit Regnum & nomen ſuum honorificè ſicut dignum erat. Aſtronomus Thegano coætaneus, qui vitam & actus Ludovici conſcripſit, eundem Ludovicum *totâ æſtate* in patris comitatu fuiſſe, deinde *Imperii diademate* coronatum, ac *menſe* tandem *Novembri* reverſum in Aquitaniam ſic teſtatur. *Imperator Carolus conſiderans ſuum in ſenectutem adclinem devexum, & verens, ne fortè ſubtractus rebus humanis confuſum relinqueret Regnum, quod erat donante Deo nobiliter ordinatum: ſcilicet ne aut externis quateretur procellis, aut inteſtinis vexaretur ſciſſionibus, miſit ad filium, eúmque ab Aquitania evocavit. Quem venientem clementer ſuſcepit, totâ æſtate ſecum tenuit, de his quibus eum indigere putavit inſtruxit: qualiter videlicet ſibi vivendum, regnandum, Regnum ordinandum, & ordinatum tenendum foret, monuit, & tandem Imperiali eum diademate coronavit, & rerum ſummam penes eum futuram eſſe Chriſto favente innotuit, & hoc peracto negotio reditum ad propria conceſſit. Qui menſe Novembri, à patre regrediens, Aquitaniam repetiit.* Ab hoc Auctore non diſcrepat Chronographus Moiſſiacenſis, Conventum enim Francorum habitum Aquiſgrani menſe Septembri, ibique Capitulare, de quo ſuprà, ſcribit priùs editum quàm Ludovicus Imperator à patre conſtitueretur. *In ipſo anno, menſe Septembri, jamdictus Karolus fecit Conventum magnum populi apud Aquis Palatium de omni Regno vel Imperio ſuo. Et convenerunt Epiſcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituit Capitula* ſuprà deſcripta *de cauſis quæ erant neceſſariæ Eccleſiæ Dei & Chriſtiano populo. Poſt hæc habuit conſilium cum præfatis Epiſcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & Majoribus natu Francorum, ut conſtitueret* * *filium ſuum Ludovicum Regem & Imperatorem. Qui omnes pariter conſenſerunt, dicentes hoc dignum eſſe, omníque populo placuit. Et cum conſenſu & acclamatione omnium populorum Ludovicum filium conſtituit Imperatorem ſecum, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus, VIVAT IMPERATOR LUDOVICUS. Et facta eſt lætitia magna in populo in illa die. Nam & ipſe Imperator benedixit Dominum, dicens.* [*Benedictus es, Domine Deus, qui dediſti hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.*] *Docuit autem eum pater, ut in omnibus præceptum Domini cuſtodiret, tradidítque ei jus Regni, commendavítque ei filios ſuos, Drocone, Theuderico, & Hugone. Et cùm omnia perfeciſſet, dimiſit unumquemque, ut abirent in locum ſuum. Ipſe autem reſedit in Aquis Palatium.* Error in vulgata irrepſit [a] exemplaria, ibi enim in plurali numero legitur, *conſtituerent*, cum relatione ad Epiſcopos, Abbates, Comites, aliósque Proceres in Aquiſgranenſi ſedentes Conventu. *Habuit conſilium cum præfatis Epiſcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & Majoribus natu Francorum, ut conſtituerent filium ſuum Ludovicum Regem & Imperatorem.* In ſingulari numero reſtituimus, *conſtitueret*, cum relatione ad ipſummet Carolum Auguſtum, qui filium ſuum Ludovicum conſtitueret Imperatorem. Iſtius emendationis duplex apud eundem Chronographum occurrit ratio. In proxima enim periodo ſcribit de Carolo, quòd *Ludovicum filium ſuum conſtituit Imperatorem ſecum.* Et ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum rem omnino ſimilem de Ludovico, qui filium ſuum Lotharium conſtituit Imperatorem, ſic enarrat. *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Paſcha. Et in ipſa æſtate juſſit eſſe ibi Conventum populi de omni Regno vel Imperio ſuo, apud Aquis Sedem Regiam, id eſt, Epiſcopos, Abbates, ſive Comites, & Majores natu Francorum. Et manifeſtavit eis myſterium conſilii ſui, quod cogitaverat, ut conſtitueret unum de filiis ſuis Imperatorem.*

* conſtituerent

[a] Tom. 3. Collect Hiſt. Franc. pag. 146.

DCCXXXVI. Carolus non tantùm cui voluit Imperiale nomen contulit, ſed etiam totius Regni ſeu ditionum Francicarum novam partitionem inter Ludovicum

filium & Bernardum nepotem fecit, huic Italiam, illi reliquam conceſſit Franciam cum Imperatoria dignitate. *Habito generali Conventu*, inquit Annaliſta Loiſelianus, *evocatum ad ſe apud Aquaſgrani filium ſuum Ludovicum Aquitaniæ Regem, coronam illi impoſuit, & Imperialis nominis ſibi conſortem fecit, Bernardumque nepotem ſuum, filium Pipini filii ſui, Italiæ præfecit, & Regem appellari juſſit.* Eadem ab aliis repetuntur Annaliſtis, Laureshamenſi, Fuldenſi, Bertiniano ac Metenſi, necnon à Reginone, à Monacho Egoliſmenſi & ab incerto Auctore in vita Caroli. Quæ quidem ſic accipi volumus, ut Carolus Bernardum nepotem adſciviſſe cenſeatur in conſortium Regni Longobardici ſive Italici, Ludovicum filium in conſortium reliqui Regni Francici, quantumcumque in Galliis tránſque Rhenum fluvium ac Pyrenæos montes eſſet, Carolus enim, ut ex Thegano jam notavimus, dimiſſo in Aquitaniam Ludovico filio Imperatore *tenuit Regnum & nomen ſuum honorificè, ſicut dignum erat*; id eſt, nec abdicavit ſe Regno, nec Imperatoris titulum abjecit, ſed ad obitum uſque gaviſus eſt Imperatoriâ dignitate, totámque Franciam gubernavit partitione filium inter ac nepotem quantumvis factâ. Ludovicus autem in Diplomatibus annos Imperii ſui numerare nonnumquam ab illo cœpit die, quo conſors Imperialis Nominis à Carolo dictus eſt, ſæpiùs ab ejuſdem patris obitu ſive à quinto Kalendas Februarias anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-quarti. Multis exemplis duas has epochas infrà diſtinguemus. Porrò cùm Bernardum Italiæ Regem conſtitutum audis, Ducatus Romanum ac Beneventanum in ejus Regno ne comprehendas. Super Ducatu Romano nulla difficultas, nam quandiu ſub poteſtate Francorum fuit, ei paruit Regi, qui nomen Imperatoris & Auguſti geſſit. Ducatûs Beneventani ſors obſcurior. Anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, cùm Carolus Auguſtus Regnum Francorum inter filios ſuos, Carolum, Pippinum, & Ludovicum, diviſit, Ducatum Beneventanum procul dubio complexus eſt ſub Italiæ ſeu Longobardiæ Regno, quod Pippino rebus in ea regione præclarè geſtis inſignem nominis famam adepto conceſſit, atque ad illum annum ita cenſuimus. At hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-tertio, cùm Regnum inter Ludovicum filium & Bernardum nepotem partitus eſt, Ducatum Beneventanum reliquit Ludovico, quem ut Imperatoriæ dignitatis, ſic & Ducatuum Romani ac Beneventani, necnon & omnium ditionum, quas extra fines Italiæ poſſidebat, hæredem dixit. Ut de Beneventano Ducatu ſic ſtatueret, ætas Bernardi tum junioris & Grimoaldi Ducis Beneventani promptus ad res novas animus impulerunt. Ludovicus Auguſtus, cui Regnum multò ſpatioſius attribuebatur, nemini non videbatur potiori quoque quàm Bernardus terrori Grimoaldo futurus. Opinionem noſtram plurimùm confirmabunt, quæ poſt Caroli mortem anno proximo de Ludovico Auguſto & Grimoaldo Duce commemorabimus. Bernardus non erat in Avi comitatu, cùm Rex ab eo declaratus eſt. Accepto hujus rei nuncio, Adelhardus Abbas Corbeienſis, qui Longobardiam ab obitu Pippini Regis adminiſtrabat, *accepit ei*, nempe Bernardo, *uxorem, & conſtituit ſecundùm juſſionem Principis*, id eſt, Caroli Auguſti, *ſuper omne Regnum*, ut in vetere libello de conſtructione novæ Corbeiæ ſcriptum reperies. Si Bucelino fides eſt in Chronologia Rhætiæ, Guerdo Fabarienſis Abbas, cùm Bernardus Italiæ Rex ab avo conſtitutus eſt, in aula Caroli verſabatur. Bernardo in Bojoariam, quæ Pippino patri quondam paruerat, nihil juris conceſſum, quicquid in contrarium ſcribat Brunnerus [a]. Anno proximo Lotharius Ludovici Auguſti filius natu maximus à patre Rex Bojoariæ conſtituetur florente tunc in Italia Bernardo Rege.

AN. CH. 813. CAROLI I IMP. 13. LUDOV. R. 33. BERNARDUS FIT R. ITALIÆ.

[a] Lib. 6. n. 4.

Roaldi Veronenſis Epiſcopi duo circumferuntur Diplomata, quorum hæc ſunt initia. *In Nomine Domini Jeſu Chriſti, regnante Domno Karolo in Italia anno Pietatis ejus quadrageſimo-primo, & Bernardo Glorioſo Rege primo, ſub die octavo Kal. Julii, Indictione ſextâ feliciter. Rotaldus ultimus ſervus ſer-*

CCCXXXVII. CHARTÆ COMMENTITIÆ REJICIUNTUR.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

vorum Dei, Sancta autem Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Sanctorum Canonum &c. *In Nomine Domini Jeſu Chriſti, regnante Domino Carolo in Italia anno Pietatis ejus quadrageſimo-primo, & Bernardo Glorioſo Rege primo ſub die ſexto-decimo Kal. Octob. Indictione ſextâ feliciter. Rotaldus ultimus ſervus ſervorum Dei, Sancta autem Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Notum omnium fidelium Magnitudini* &c. Ughellus [a] utrumque conſignat hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-tertio, quo Bernardus ab avo Carolo Rex Italiæ conſtitutus eſt. At annus ejuſdem Caroli regnantis in Italia quadrageſimus-primus apertiſſimè refragatur, annus enim Redemptoris octingenteſimus decimus-tertius partim anno Caroli regnantis in Italia triceſimo-nono, partim quadrageſimo illigatur, nequaquam quadrageſimo-primo. Migravit ex hac vita Carolus proximo menſe Januario, cùm annum Italici Regni quadrageſimum adhuc numerabat. Annus igitur ejus in Longobardico Regno quadrageſimus-primus cum anno Bernardi Regis primo nec per menſem Junium nec per menſem Septembrem comparari poteſt. Deinde quiſquis Theganum, Aſtronomum, & Chronographum Moiſſiacenſem, ſupr laudatos, attentè legerit, nuſquam ſibi perſuadebit ſcitum hoc anno Veronæ octavo Kalendas Julii, quòd apud Aquiſgranum Carolus Imperator Bernardum nepotem ſuum Regni Longobardici conſortem jam feciſſet. Eodem enim tempore, quo Ludovicus à Carolo patre dictus eſt Imperator & Auguſtus, ab eodem avo Carolo Bernardus licèt abſens Italiæ Rex eſt renuntiatus. Teſte autem Thegano Ludovicus *non poſt multos dies* à ſuſcepto Imperatoris titulo rediit in Aquitaniam, & teſte Aſtronomo in ejus vita *menſe Novembri* dimiſſus eſt à patre, nec ab hac computatione recedit Chronographus Moiſſiacenſis, nam *menſe Septembri Conventum magnum in Aquu* priùs habitum ſcribit. Denique fidem alterius Diplomatis non parum elevat nomen *Guidonis Cardinalis S. Romanæ Eccleſiæ*, quod in ipſo contextu necnon inter ſubſcriptiones nominibus Epiſcoporum præponitur contra morem illorum temporum, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum probavimus.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Rotald. Ep. Veron. 44.

CCCXXXVIII. PAX CUM DANIS FIRMATUR.

Omiſſis igitur illis Rotaldi Veronenſis Epiſcopi Diplomatibus, rejectiſque nonnullis Epiſcopis quorum nomina non aliunde innoteſcunt, intermiſſam rerum à veteribus Annaliſtis ad hunc annum memoratarum narrationem reſumemus. Ex Aquiſgranenſi Conventu, de quo ſuprà, directi ſunt Oratores Francorum & Saxonum, qui pacem cum Danis paciſcerentur. Res feliciter ceſſit. Francos inter ac Danos pax eſt firmata, Harioldus & Reginfridus Danorum Reges Hemmingum fratrem ſuum, quem anno priore ſibi remitti popoſcerant, à Carolo redditum receperunt. Lege veteres Annaliſtas. Hi varios quoque te docebunt eventus domeſticorum bellorum prædictos inter Reges ac filios Godofridi quondam Regis, qui paulò pòſt hoc eodem anno Regnum ſibi compararunt.

CCCXXXIX. MAURI VINCUNTUR.

Quid interim Mauri poſtpoſitâ pace quam anno priore pepigerant, hoc anno geſſerint, audi ex Annaliſta Loiſeliano. *Mauri de Corſica ad Hiſpaniam cum multa prædâ redeuntibus, Hermingarius Comes Emporitanus in Majorica inſidias poſuit, & VIII naves eorum cepit, in quibus quingentos & eò amplius Corſos captivos invenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tuſciæ civitatem & Nicæam provinciæ Narbonenſis vaſtaverunt. Sardiniam quoque adgreſſi, commiſſóque cum Sardis prælio pulſi ac victi, & multis ſuorum amiſſis receſſerunt.* Poſtrema ſunt hujus Annaliſtæ verba, quo plurimùm uſi ſumus ab obitu Caroli Majoris-domûs, cognomento pòſt Martelli, ſive ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo. Hic Auctor ætatem ſuam ad annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum bis prodit. Semel ſic. *Stella Mercurii XVI Kal. Aprilis viſa eſt in Sole quaſi parva macula nigra, tamen paululum ſuperiùs medio centro ejuſdem ſideris, quæ à nobis VIII dies conſpicitur, ſed quando primùm * intravit vel exivit, nubibus impedientibus minimè adnotare*

* primam

potuimus. Iterum ſic. *Hic Georgius eſt Abba in monte Oliveti, & cui patria Germania eſt, qui etiam proprio vocatur nomine Engelbaldus.* Lege quæ dicta ſunt ad illum annum [a], necnon Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum [b]. In dubium certè vocari non poteſt, quin hic Annaliſta temporibus Caroli Magni floruerit, annóque Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio ſuam terminarit lucubrationem, quâ plurimùm uſi Monachus Egoliſmenſis & incertus Auctor in vita Caroli, necnon Annaliſtæ, Laureshamenſis, Bertinianus, ac Metenſis, cum Reginone. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

[a] Num. 1. [b] Num. 4.

Annaliſtæ Loiſeliano ſuccedet deinceps Laureshamenſis, qui res hoc ipſo geſtas anno ſic abſolvit. *At Michael Imperator Bulgaros appetens bello, haud proſperis ſucceſſibus utitur: ac proinde domum reverſus, depoſito diademate Monachus efficitur. In cujus locum Leo Papæ Patritii filius Imperator conſtituitur. Crumas Rex Bulgarorum, qui Nicephorum Imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaelem de Mœſia fugaverat, ſecundis rebus elatus, cum exercitu uſque ad ipſam Conſtantinopolim acceſſit. Quem mœnibus urbis obequitantem Leo Imperator eruptione factâ incautum excepit, ac graviter vulneratum fugiendo ſibi conſulere, ac in patriam turpiter redire coëgit.* Hic textus à Monacho Egoliſmenſi & ab incerto Auctore in vita Caroli necnon ab Annaliſta Bertiniano deſcriptus fuit. Quamvis autem totus ſit de rebus cùm Bulgaricis tum Conſtantinopolitanis, ad noſtrum videtur aliquatenus inſtitutum pertinere, quia Legatos à Carolo Conſtantinopolim miſſos Amalharium Trevirenſem Archiepiſcopum & Petrum Abbatem Nonantulanum ſuſcepit remiſitque Leo Imperator Michaeli jam ſubrogatus. Michael habitum Monaſticum capillis detonſis induit. Poſterâ die, Julii menſis undecimâ, Indictione ſextâ, feriâ ſecundâ, in magnæ Eccleſiæ ambone coronatus eſt Leo. Sic enim hic commendatur à Theophane. Τῇ δὲ ια τοῦ Ιουλίου μηνὸς, ἕκτῃ ἰνδικτιῶνι, ἡμέρᾳ δευτέρᾳ, τῇ ἐπαύριον, στεφθεὶς ὑπὸ Νικηφόρου Πατριάρχου ἐν τῇ ἁγίᾳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. Currebat littera Dominicalis B. CCCXL. IMPP. CONSTANTINOPOLITANI.

Tomo ſeptimo Conciliorum, inter epiſtolas Leonis Tertii Papæ, tres inveniuntur, hoc anno ſcriptæ, una [c] ſeptimo Idus Septembris, altera [d] tertio Idus Novembris, poſtrema [e] ſeptimo Kalendas Decembris. In unaquaque Leo Carolum de Græcorum rebus certiorem facit. In prima ſcribit Siciliam & Ducatum Neapolitanum trepidaſſe conſpectâ Maurorum claſſe, qui minores quaſdam Græcorum Inſulas circùm poſitas devaſtarunt. In ſecunda monet pacem ad annos decem à Græcis initam eſſe cum iiſdem Mauris, qui Caliphæ ſubjacebant Arabico, ſeque Cordubenſis tanquam perduellis hoſtes acerrimos profitebantur; deinde ex viri Chriſtiani relatione ſubjungit eorumdem Maurorum naves centum *Junio menſe tranſactâ ſexta Indictionis*, id eſt, hujus anni, prope Sardiniam periiſſe; ſub finem Georgium Patritium Sicilienſem, quòd Caroli literis per hominem Papæ Româ ſibi delatis reſponſum non ipſi Carolo ſed Pontifici inſcripſerit, benignè reddit excuſatum, aſſerendo illum non auſum epiſtolam ad eum dirigere *ſine conſultu Leonis Imperatoris ſui*, atque ut id Carolo minùs diſpliceat, addit rogatum ſe à Georgio, ut ipſum reſponſum legeret, & exemplar poſteà Carolo transferendum curaret, nihil autem horum à ſe factum, nec ad legendum apertas à ſe quas obſignatas tranſmittit Patritii literas, nec quid illæ contineant à ſe ſciri præter id quod didicit ex ore Miſſi ſui, per quem è Sicilia delatæ ſunt. In tertia epiſtola multa de tumultu Conſtantinopolitano ſcribit incerto rumore. Ex his obiter obſerva Mauris plures imperare Caliphas; duos ceteris longè potentiores eſſe; unum qui in Arabia, alterum qui in Hiſpania Regiam Sedem habet; utrumque Sardiniæ inhiare. Obſerva quoque Chronographiam Theophanis in hoc anno deſinere, quo Leo Imperium aſſumpſit, licèt Auctor aliquot annis, ut Henſchenius in Commentario illius vitæ prævio teſtatur, ſub eodem Leone Auguſto ſuperſtes vixe- CCCXLI.

[c] Ep. 5. [d] Ep. 4. [e] Ep. 6.

AN. CH. 813. rit. Scribebat igitur Theophanes, cùm Roma ſub poteſtate Francorum adhuc eſſet, nec aliud his inſinuavit verbis, quæ licèt aliàs allegata rurſum hoc repetenda loco ducimus, γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγγων.

CCCXLII. JOANNES PAPIENSIS EP. OBIT. [a] Tom. 1.

Hoc anno migravit in cælum Sanctus Joannes Papienſis Epiſcopus, cujus memoria celebris eſt in Tabulis Eccleſiaſticis ſexto Kalendas Septembris. Agemus anno ſequenti de ſucceſſore. Lege Catalogum Papienſium Epiſcoporum in Italia Sacra [a].

CCCXLIII. EPISCOPI CURIENSES. LEONENSES.

Moritur hoc eodem anno Conſtantius ſive Conſtantinus Curienſis Epiſcopus, vir ſummæ auctoritatis & apud Carolum Auguſtum gratiæ, cui Remigius, aliis Remedius, ſufficitur teſte Bucelino in Chronologia Rhætiæ. Moritur & Leonorius Leonenſis Epiſcopus, eique ſuccedit in Epiſcopatum Liberalis, ut habet Index Leonenſium Epiſcoporum in Armorica Sancta.

CCCXLIV. TULLENSES.

Ad hunc annum pervenit Unanimicus Tullenſis Epiſcopus. Datus eſt ei ſucceſſor Frotharius, lis autem mota ſuper ordinatione, quia tunc in provincia Trevirenſi ſeu Belgica prima numerus Epiſcoporum ad conſecrationem Epiſcopi requiſitus deerat, Amalhario enim Metropolitâ Conſtantinopolim profecto, Sedibúſque Metenſi ac Tullenſi vacantibus ſoli ſupererant Adalmatus & Auſtrannus, ille Coepiſcopus Trevirenſis, hic Epiſcopus Virodunenſis ordinatus nupertimè. Vulfarius, quia provinciæ Remenſis ſeu Belgicæ ſecundæ Metropolitanus erat, in hoc caſu jus ordinationis ſibi devolutum dixit, ipsúmque conſecravit Frotharium, ut colligimus ex hoc Flodoardi [b] textu. *Nec ſuæ tantùm Diœceſeos*, nempe Remenſis, *quin etiam Trevericæ vobis Archiepiſcopum Amalarium cum Adalmato ipſius Coepiſcopo & Herilando, juſſione Imperatoris Magni Karoli, ab eodem ſcilicet Vulfario Metropolitano convocatum ad ordinationem Epiſcopalem cujuſdam Frotharii præfatæ Treverenſis Eccleſiæ Presbyteri, eidem paruiſſe reperimus.* Flodoardus, utpote Remenſis Eccleſiæ Preſbyter & Canonicus, eandem Remenſem Eccleſiam, ultrà quàm par eſt, ob Frotharii conſecrationem multùm extollit. Amalharium Trevirenſem Archiepiſcopum tanquam imminutæ auctoritatis Archiepiſcopum vicino Remenſi Metropolitæ αὐτοκεφάλῳ ſubjicit. Id autem nullo nititur fundamento, nam Carolus ante biennium, cùm αὐτοκεφάλας Francicarum ditionum Metropoles in ſuo Teſtamento recenſuit, duas in Gallia Belgica, Treviros videlicet in Belgica prima, Remos in Belgica ſecunda collocavit. Vulfarius igitur Remenſis Metropolitanus Frotharium Tullenſem Epiſcopum non ideo conſecravit, quòd Trevirenſis Metropolis, cui Tullum ſubjicitur, Remenſi Metropoli ſubderetur, ſed quòd abſente Amalhario Trevirenſi Metropolitâ Sedéque Metenſi vacante ſufficiens Epiſcoporum numerus ad Epiſcopi conſecrationem in Trevirenſi provincia ſuper non eſſet. Obiter quoque notabis lapſum eſſe Flodoardum, cùm inter Epiſcopos Trevirenſis provinciæ, quando Frotharius ad Tullenſem Epiſcopatum aſſumptus eſt, nominavit Herilandum, qui ſeriùs ſedere cœpit. Herilandi loco Auſtrannum repone, quem Herilando præponit Bertharius Auctor certè ſuppar, poſtquàm enim de Herilando ejúſque ſucceſſore Hildino locutus eſt, ætatem ſuam hac probat tranſitione, *deinceps quòd oculis vidi, liberiùs valeo literis exequi.* Procul autem ab illis temporibus abfuit Flodoardus. Præterea, ne quid hic tacitum omittamus, obſerva Frotharium, quem Flodoardus *Treverenſis Eccleſiæ Presbyterum* vocat, in Tullenſi Diœceſi priùs Abbatem Sancti Apri fuiſſe, quàm Tullenſem ad Epiſcopatum promoveretur.

[b] Lib. 2. c. 18.

CCCXLV. DUO DISTINGUUNTUR CHOREPISCOPORUM GENERA.

Qui Flodoardo Trevirenſis Archiepiſcopi Coepiſcopus eſt Adalmatus, ab aliis Chorepiſcopus & Suffraganeus vocatur. Ex hac obſervatione duo diſtinguimus genera Chorepiſcoporum, quorum alii verè ſunt Epiſcopi, alii verò Preſbyteri. Primi generis exiſtunt Adalmatus & Agobardus, ambo eodem tempore Chorepiſcopi, ille Amalharii Archiepiſcopi Trevirenſis, hic Leidradi Lugdunenſis Archiepiſcopi. De Adalmato teſtis eſt Flodoar-

dus

dus jam citatus. De Agobardo teſtis eſt Ado, poſtquàm enim mortem Caroli retulit, quam nos anno ſequenti conſignabimus, hæc de Archiepiſcopis Viennenſi ac Lugdunenſi proximè ſubjungit. *Bernardus Viennenſis Epiſcopus erat, & Leidraaus Lugdunenſis, qui, initio Imperii Ludovici Imperatoris, Sueſſionis Monaſterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejuſdem Eccleſiæ Chorepiſcopus, conſentiente Imperatore & universâ Gallorum Epiſcoporum Synodo, Epiſcopus ſubſtitutus eſt.* Adoni ſuffragatur Hugo Flaviniacenſis, ſic. *Leidradus in initio Imperii Ludovici Imperatoris Sueſſionenſe Monaſterium petiit, & in loco ejus Agobardus ſubſtituitur ejuſdem Eccleſiæ Chorepiſcopus, conſentiente Imperatore & omni Gallicanorum Epiſcoporum Synodo.* Multi duas in Agobardo res improbabant, quòd ordinatus fuiſſet Chorepiſcopus, & ex Lugdunenſis Eccleſiæ Chorepiſcopo fieret Archiepiſcopus ejuſdem Eccleſiæ, Leidrado tum ſuperſtite; ſive enim Chorepiſcopi Titulum gereret ſub Archiepiſcopo Leidrado, ſive poſt ipſius Leidradi ſeceſſum Archiepiſcopus diceretur, aiebant ſacris prohibitum Canonibus, ne duo ſimul in una civitate ſederent Epiſcopi. Chorepiſcopum, qualis erat Agobardus, verum agnoſcebant Epiſcopum, utpote ordinatum à tribus Epiſcopis. Ideóque prælaudati Chronographi non diſſimulant repertos eſſe quoſdam, qui volentes Agobardum defendere, palàm aſſererent eum *à tribus Epiſcopis in Sede Lugdunenſi jubente Leidrado fuiſſe ordinatum.* Quod addit Ado de duobus Epiſcopis in una civitate non conſtituendis & de ſucceſſore non eligendo, cenſetur id extra cauſam prolatum, quia Leidradus Agobardum nec in Sede Lugdunenſi juſſit ordinari, nec ſibi ſucceſſorem elegit. Agobardus à tribus Epiſcopis ordinatus eſt, non ut ſimul in Lugdunenſi Cathedra cum Leidrado ſederet, ſed ut ejuſdem Leidradi Lugdunenſis Archiepiſcopi ſive abſentis ſive morbo vel negotiis impediti vices ageret. Nec quandiu Leidradus Archiepiſcopatum geſſit, duo fuerunt Archiepiſcopi Lugdunenſes, at Leidradus extitit Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Agobardus ejuſdem Leidradi Lugdunenſis Archiepiſcopi Chorepiſcopus ſeu Vicarius fuit. Quod ad Archiepiſcopalem Dignitatem attinet, Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus Agobardum ſibi ſucceſſorem nec elegit nec eligere potuit, quia tunc abſque juſſione vel conſenſu Regis in Francia nullus fiebat Epiſcopus, nec illud Ado & Hugo jam citati diffitentur, ſcribunt enim Agobardum anteà Chorepiſcopum Leidrado ſubſtitutum fuiſſe Archiepiſcopum *conſentiente* Ludovico *Imperatore.* Fruſtrà igitur adversùs Agobardum hæc ab Adone ſubjunguntur. *Canonica auctoritas eſt, in una civitate duos Epiſcopos non eſſe, nec vivente Epiſcopo ſucceſſorem ſibi debere eligere. Ac idcirco illâ quacunque cauſâ Regulæ Eccleſiæ præteriri in tanto ordine fixæ non debent.* Eruditiſſimus Joannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter parte tertiâ de ſacris Eccleſiæ Ordinationibus quartam Exercitationem totam habet de Chorepiſcopis, & capite quinto Chorepiſcopos primi generis, quales Adalmatum & Agobardum dicimus, in Germania complures agnoſcit, Epiſcopos videlicet illos, qui *pro partibus infidelium* ordinantur, & Germanicorum Epiſcoporum vicibus funguntur. Talem nos anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto Monaſterii Weſtphalorum, cùm illic pro ſancienda pace Conventus habebatur, Aconitanum vidimus Epiſcopum vices obeuntem Monaſterienſis Epiſcopi, nempe Celſiſſimi Ducis Ferdinandi à Bavaria, qui Colonienſis erat Archiepiſcopus, necnon & Epiſcopus Leodienſis, Monaſterienſis, Paderbornenſis, atque Hildesheymenſis. Eodem tempore Sereniſſimus Archidux Auſtriæ Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi Tertii Cæſaris frater, Epiſcopus erat Patavienſis, Straſburgenſis, Halberſtadienſis, & Olomucenſis. Item Illuſtriſſimus Comes Franciſcus Wilhelmus *de Warttenberg*, quem Electoralis Collegii Oratorem in eodem Monaſterienſi Conventu novimus, erat Epiſcopus Oſnaburgenſis, Mindenſis, ac Verdenſis, & Coadjutor Ratiſponenſis. Archidux Auſtriæ ſolâ inſignitus erat Tonſurâ. De Colonienſi Electore non

AN. CH. 813. CAROLI I MP. 13. LUDOV. R. 33.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

constabat an esset Subdiaconus. Comes verò Warttenbergius in Episcopum consecratus fuerat. Tres hi tot Ecclesiarum Titulares Episcopi per singulas suas Diœceses urebantur Chorepiscopis seu Suffraganeis ut hodie vocant. Hujus usûs triplex dabatur ratio, plures Episcopatus uni viro collati, Diœceses ab invicem procul remotæ, defectus unctionis Episcopalis. Ætate Caroli Magni deerant hæ rationes constituendorum Chorepiscoporum, nam qui Titulares erant Episcopi, nec Episcopali carebant consecratione, nec plures simul Episcopatus tenebant. Quapropter ad veteres Chorepiscopos, Adalmatum & Agobardum, magis accedunt Suffraganei Lugdunenses octo, quorum Indicem Jacobus Severtius in fine Tomi primi, qui totus est de Metropolitis Lugdunensibus, cum hoc texuit titulo. *Nonnulli Reverendi Episcopi, Suffraganei Reverendissimorum Archiepiscoporum Lugdunensium, quos tutò nanciscì licuit, saltem ab elapso nuper seculo.* Postremus omnium Robertus *Berthelot* Archiepiscopus Damascenus Claudii *de Beliévre* & Dionysii Simonis *de Marquemont* Archiepiscoporum Lugdunensium consecratorum Suffraganeus fuit. Inter modernos tamen Chorepiscopos seu Suffraganeos & antiquos Chorepiscopos insignis occurrit differentia: Moderni Chorepiscopi Titulos gerunt Ecclesiarum in partibus infidelium; Robertus Berthelotus Archiepiscoporum Lugdunensium Chorepiscopus seu Suffraganeus, de quo suprà, Damascenus est Archiepiscopus in Syria. Veteres autem Chorepiscopi dicebantur ipsarúmmet Ecclesiarum, quibus serviebant, Chorepiscopi; Trevirensis Chorepiscopus Adalmatus sub Amalhario Trevirensi Archiepiscopo, Lugdunensis Chorepiscopus Agobardus sub Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi. Flodoardus jam citatus *Trevericæ urbis Archiepiscopum Amalarium cum Adalmato ipsius Coepiscopo* laudat. Ab Adone jam quoque allegato commendantur *Leidradus Episcopus Lugdunensis & Agobardus ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus.* Quos autem antiqui Chorepiscopos primi generis appellarunt, Suffraganeos hodie nuncupamus. Adalmatum, quem Trevirensem Chorepiscopum fuisse diximus, Amalharii Trevirensis Archiepiscopi Suffraganeum vocat Christophorus Browerus in Annalibus Trevirensibus [a]; & Agobardus, qui fuit Adoni *Lugdunensis Ecclesiæ Chorepiscopus*, Jacobo Severtio *Suffraganeus* est *Lugdunensis* in ultimo paragrapho rerum à Leidrado decessore gestarum. Atque inde ut Chorepiscoporum sic & Suffraganeorum duplicem obiter acceptionem observa. Sunt enim in altera significatione Suffraganei, quotquot Archiepiscopo subsunt Episcopi. Sic Archiepiscopum Lugdunensem Suffraganei venerantur Episcopi quatuor, Æduensis, Lingonensis, Cabilonensis, & Matisconensis; Archiepiscopum Trevirensem tres Episcopi Suffraganei, Metensis, Tullensis, ac Virodunensis. Ætate Caroli Magni Suffraganeus in hac significatione jam sumebatur, in Synodo enim apud Arelatum hoc ipso anno Caroli Augusti decimo-tertio Patres Canone tertio sanciunt, ut *unusquisque Archiepiscopus suos Suffraganeos diligenter studioséque admoneat, quatenus* &c.

[a] Lib. 8. n. 23. in marg.

CCCXLVI. Chorepiscopi secundi generis licèt Episcopi villani reperiantur dicti, non fuerunt Episcopi, sed tantùm Presbyteri & Episcoporum Vicarii. Occasionem instituendi tales Chorepiscopos ex multiplicatione & dilatatione prædicationis Evangelicæ sumpserunt Episcopi. Cùm enim hi nec in oppidis nec in pagis vicisve, sed in solis duntaxat civitatibus instituerentur, lapsu temporis, ubi multitudo fidelium ex urbibus in oppida pagósque sese diffudit, Episcopalia munera per tot loca vix exercere potuerunt. Quapropter visum est in præcipuis oppidis seu pagis creare Vicarios Episcoporum sive Chorepiscopos, qui propter Diœcesis commodum nonnullis Episcopalibus prærogativis gauderent. Hujuscemodi Chorepiscopi nimiâ pòst ambitione tumidi res haud paucas, quæ solis competebant Episcopis, agendas suscepe-runt. Ut eos aut in officio continerent aut abolerent, diutissimè laborarunt Episcopi. Lege superiori Tomo, quæ dicta sunt ad annum Redemptoris

Digitized by Google

octingenteſimum tertium [a]. Tunc habita Synodus Reginoburgenſis, in qua tres Sanctiones adversùs Chorepiſcopos editæ; prima, ut Chorepiſcopi de miniſterio Epiſcopali nihil præſumerent; altera, ut in poſterum Chorepiſcopi non fierent; tertia, ut quæ geſta fuerant à Chorepiſcopis, haberentur irrita. Tres hæ Sanctiones in Capitularibus à Carolo Magno memorantur Capitulo centeſimo octogeſimo-ſeptimo libri ſeptimi. Singulæ quoque in iiſdem repetuntur Capitularibus; prima, Capitulo trecenteſimo viceſimo-ſeptimo libri ſeptimi; ſecunda, Capitulo centeſimo undeviceſimo libri ſexti; tertia, Capitulo trecenteſimo viceſimo-quarto libri ſeptimi. Præter hæc Capitula, de quibus à nobis actum eſt ad prædictam Synodum Reginoburgenſem, in iiſdem Capitularibus alia de Chorepiſcopis ſecundi generis occurrunt, quæ placet hîc ad validiorem confirmationem ſubjicere. Capitulum ducenteſimum octogeſimum-quartum libri ſexti ſic habet. *Hominum Confirmatio; Eccleſiarum, Altarium, Virginum, Chriſmatum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum Conſecrationes, à Chorepiſcopis acta, ab Epiſcopis canonicè ordinatis ſunt reformandæ canonicéque peragendæ; quia Chorepiſcopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt. Non enim ea tribuere valuerunt quæ non habuerunt. Nequaquam enim talis Ordinatio vel Conſecratio reiteratio eſſe à prudentibus & rectè ſapientibus videtur, ſed irrita talis Ordinatio & Confirmatio ac Conſecratio indubitanter fore agnoſcitur. Si quis autem Chorepiſcoporum aliquid ex prædictis agere tentaverit, non acta, ſed imperfecta atque irrita erunt; & ipſe omni Eccleſiaſtico irrevocabiliter careat gradu.* Capitulum CCCV libri ſeptimi, ſic. *In ſingulis Epiſcoporum Parrochiis Presbyteri eorúmque Miniſtri non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuis propriis Chriſma petant vel accipiant, nec alio unquam tempore, juxta ſanctos Canones, vel ſecundùm morem Romanum, niſi in Cœna Domini Sanctum Chriſma conficiatur. Quibus etiam diebus Presbyteris vel eorum Miniſtris Canonicè diſpenſandum eſt, ſed non aliis tradendum niſi ſolummodo Presbyteris vel Diaconis aut Subdiaconis benè fidelibus. Indignum enim eſt, ut alii illud accipiant, niſi illi qui hoc in tradendo uſuri ſunt. Similiter & hoc ſtatutum eſt, ut à Chorepiſcopis, qui juxta ſanctorum Canonum Decreta locum* LXX *diſcipulorum, id eſt, Presbyterorum tenent, vel ab ipſis Presbyteris, nec Virginum Conſecratio, nec Sancti Spiritûs traditio, nec Eccleſiarum vel Altarium Conſecratio, vel illa, quæ ſolis Epiſcopis debentur, fiant. Nam ſi à duobus Epiſcopis Epiſcopus non poteſt conſecrari, quomodo ille Epiſcopus erit, aut aliquid de Epiſcopali Miniſterio, niſi quantùm Presbyter, cujus locum in Eccleſia tenet, agere poterit? Omnia ergo, quæ iſti præſumptuoſi de Epiſcopali Miniſterio egerint, irrita eſſe comprobantur, & effectu carere, atque per omnia tam ab Apoſtolica Sede quàm & omnium Epiſcoporum Decreto irrita eſſe, & potiùs nocumenta quàm aliqua adjumenta ſunt judicata ac ſæpiùs interdicta. Ideóque ne fiant omnino ſub anathematis vinculo interdicimus, atque qui ab eis ſunt polluti potiùs quàm ſanctificati, in meliorem ſtatum canonicè, id eſt, à tribus ordinatis Epiſcopis ut reformentur jubemus, quia reformatio non eſt iteratio, ſed Eccleſiaſtica & Canonica perfectio.* Denique in eadem materia verſatur Capitulum ejuſdem libri trecenteſimum decimum-tertium, cujus initium in exemplaribus Capitularium vitiosè ſic effertur. *Si quis ab Epiſcopo, & non à Chorepiſcopo, qui non Epiſcopus ſed Vicarius Epiſcopi, priuſquàm prohibiti eſſent & erant & dicebantur, fuerit confirmatus, reiterari talis Confirmatio non debet. Nam* &c. Rectè verò ſic apud Iſaac Epiſcopum Lingonenſem. *Si quis non ab Epiſcopo, ſed à Chorepiſcopo qui non eſt Epiſcopus ſed Vicarius Epiſcopi, priuſquàm prohibiti eſſent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet. Nam Chorepiſcopi ante Apoſtolicam atque Synodalem prohibitionem, non ex numero Apoſtolorum, ſed ex ſeptuaginta Diſcipulorum, ut ſacri Canones teſtantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum Paraclitum tradidiſſe novimus. Sed quia olim, ut dictum eſt, jam dicti Chorepiſcopi prohibiti ſunt, ideo modò nihil ſunt, nec Spiritum Paraclitum ullo unquam tempore tradere potuerunt, nec modò poſſunt.* Huc uſque Iſaac Titulo undecimo,

AN. CHR. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

[a] Nn. 64. & ſeqq.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Canone triceſimo. In exemplaribus autem Capitularium appoſitè hæc additur clauſula. *Quapropter non apparet iteratum, quod olim Canonicè non agnoſcitur patratum.* Ex eo enim, quod quiſpiam, qui ſe priùs à Chorepiſcopo vel ante vel poſt Synodum Reginoburgenſem confirmatum dicebat, ab Epiſcopo poſteà confirmatus eſt, haud infertur iteratio Confirmationis, quia Chorepiſcopus in ordine Preſbyterorum poſitus quempiam confirmare non potuit. De Chorepiſcopis recurret ſermo. Hæc impræſentiarum ſufficiant.

CCCXLVII. [a] Cap. 14. AARON EP. AUTISSIOD. MORITUR.

In Autiſſiodorenſium Epiſcoporum Hiſtoria [a] ſic Aaron Epiſcopus commendatur. *Aaron Epiſcopus ſedit annos* XVII. *De hoc conſtat, quòd proficiſcente Romam Carolo Magno ſub Leone Papa ad decus Imperii roborandum cum ipſo pariter profectus eſt, atque in ipſa expeditione Abbatiam Sancti Mariani à præfato Imperatore obtinuit. Hic idem Pontifex ciborium ſuper altare Sancti Stephani auro argentóque mirificè compoſuit. Obiit Idibus Februarii, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Gervaſii*, hoc utique anno, quia promotus eſt ad Epiſcopatum itérque in Italiam cum Carolo ſuſcepit anno Redemptoris octingenteſimo, ut probavimus Tomo ſuperiore. Succeſſit Angelelmus, cujus encomium Auctor ejuſdem Hiſtoriæ ſic orditur. *Angelelmus Epiſcopus, natione Bajoarius, ex patre Obtelmo & matre Hogarde, ſedit annos* XVII. *Hic cùm eſſet vir ſummæ ſimplicitatis & charitatis, Presbyter ordinatus & Baſilicæ Sanctorum Gervaſii & Protaſii Abbas præſtitutus eſt. Sanè decedente Aaron Pontifice, Jeremias* (Jeremiæ loco Magnonem reponendum oſtendemus infrà) *Senonenſis Archiepiſcopus juſſu Caroli Imperatoris Autiſſiodorum veniens, in Eccleſia Sancti Germani Cleri & populi collegit cœtum, ibi generali conſenſu accedente, hic idem Angelelmus ab omnibus electus eſt Epiſcopus & ordinatus.* Jeremiâ expuncto Magnonem reſtituendum aſſerimus, quia poſt Aquiſgranenſem Conventum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo celebratum Ludovicus Pius Magno ſeu Magnoni Senonenſium Metropolitæ literas ſcripſit, quas ſuo loco recitabimus integras; & præcitatus Auctor Angelelmum, cùm in illo Aquiſgranenſi Conventu Regulæ pro Canonicis & Canoniſſis necnon pro Monachis & Monialibus inſtitutæ ſunt, Epiſcopum jam fuiſſe ſic teſtatur. *Hujus*, id eſt, Angelelmi Epiſcopi, *tempore, Ludovicus Imperator facto generali Conventu Canonicis Regularem vitam impoſuit, atque ob tutelam Religionis clauſtri cuſtodiam inſtituit, ac diverſas competentéſque officinas eorum uſibus ordinavit.* Aſſumpto Pontificatu qualem Angelelmus ſe geſſerit, exponit idem Auctor. *Suſcepto*, inquit, *Pontificali miniſterio totum ſe in divinum tranſtulit ſervitium, in orationibus aſſiduus, in lachrymis frequens, in eleemoſynis præcipuus, ac penè ſuo tempore ſingularis, fertur enim interdum amore largitatis ægritudinem ſimulaſſe, ut abſque ullius contradictione, quæ habere poterat, in uſus pauperum erogaret.*

SUCCEDIT ANGELELMUS.

MUNIFICUS ERGA SUAM ECCLESIAM.

Eccleſiam Sancti Stephani non ſimplici largitate ditavit, Altare ſenioris Eccleſiæ tabulis argenteis ubique compegit, Altare quoque Sanctæ Mariæ nihilominùs tabulâ argenteâ decoravit, ante Altare Sancti Stephani tres coronas argenteas præcipui ponderis præparavit, in circuitu Altaris decem candelabra maxima & argentea conſtituit, calicem argenteum optimum cum patena condonavit ac ſuo nomine præſignavit, ſed & Crucem permaximam inibi collocavit, quam auro argentóque vultu Salvatoris decentiſſimè decoravit, Altare argenteâ tabulâ ornatum ante eam ſtatuens. Eandem Eccleſiam ſignis quatuor maximis & ſonoris decoravit, fecit & capſam præcipui operis auro argentóque elegantiſſimè comptam, ubi capſam beatiſſimi Amatoris, Autiſſiodorenſis quondam Epiſcopi, *cum multis Sanctorum pignoribus condidit. Tapetia etiam optima ad ſedilia Baſilicæ exornanda plurima contulit.* Cetera proſequemur inferiùs ex eadem Autiſſiodorenſium Epiſcoporum Hiſtoria.

CCCXLVIII. JOANNES EP. CARPENTORACT. FELINACIUS EP. MAURIENNN.

In Gallia Chriſtiana commendatur à Sammarthanis hoc anno Joannes Epiſcopus Carpentoractenſis, & ab Epiſcopo Salutienſi memoratur in Hiſtoria Chronologica Regionis Pedemontanæ Felinacius Mauriennenſis Epiſcopus.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCCXLIX.

Ad hunc eundem annum referuntur incunabula celeberrimi quondam Monaſterii, cui nomen Cella Sancti Georgii in Diœceſi Conſtantienſi. Gabriel Bucelinus locum illum in Germania Sacra [a] ſic commendat. *Fundari cæpit egregium Cœnobium, ſi vetuſtiſſimo mſ. fides, A. C. 813 apud villam Neharteskirchung ab Hezilone & Heſſone Viris Illuſtribus, in allodio illius, abſolutúmque eſt ſub A. C. 824 rudi primùm opere, donec paulatim in magnum ſplendorem excreſceret, viris deinceps ſanctiſſimis feliciſſimum, qui obſcuriſſimam naturâ Herciniam Firmamenti inſtar illuſtrem reddiderunt.* Hoc encomium, quia tempora longè diverſa complectitur, duas in partes à nobis dividi debet. Prior ad hunc annum ſpectat, quo fundamenta Monaſterii jacta primùm ſunt in villa Walda; poſtèrior pertinet ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum, quo Cœnobium illud è villa Walda in pagum Baram tranſlatum eſt. Hezilo ſive Hezelo, cujus progenitores Sanctum Georgium ſingulariter adamarunt, *ſingulariùs & impenſius* hunc Martyrem *in tantùm recoluit, ut in villa ſua nomine Walda ei Monaſteriolum fieri deſideraret, eò quòd dilecti progenitores ſui ibi ex majori parte terræ commendati fuiſſent, qui ibidem conſtruxerant eidem Martyri Oratorium ſatis aptè & benè, prout in villa ſolet, Reliquiis Sanctorum, libris, ceteríſque utenſilibus, ſimúlque prædiis & familiâ ditatum. Ad hoc cùm toto mentis deſiderio anhelaret, aſtruit ſibi Heſſonem, hominem curialem, potentem, prædiis benè locupletem, cui par in animo inſederat cupido, ſimul de allodio ſuo, aliquid honoris Deo conferendi. Communicato ergo conſenſu expoſuerunt ſibi invicem diligentiùs ſaluberrima conſilia. Ille quidem, quid de villa Walda cogitaſſet; iſte verò, de bono, quod de hæreditate ſua conferre deſideraſſet. Itaque conventum eſt omnino inter ipſos, concordíque conſenſu & conſilio amborum comprobatum, ut in honore Sancti Georgii, in Walda fieret Monaſterium, in quo ſecundùm Regulam Sancti Benedicti viveretur, quam nulli unquam liceret aliquâ aliâ Regulâ tranſmutare. Eandem autem villam, quia idem Hezelo uxori ſuæ Bertha in dotem, ejuſque proli * in proprietatem, jamdudum allegaverat, & idcircò exinde ſecundùm ſuam voluntatem agendi nondum liberam poteſtatem habebat, accepto cognatorum partímque amicorum ſuorum conſilio, placuit ei prædia fratris ſui nuper defuncti, quæ ad ipſum hæreditario jure deſcenderant, de quibus quidvis conſtituendi vel agendi liberam poteſtatem ipſe ſolus habebat, quaſi in concambio pro Walda filio ſuo unico Hermanno (uxore ſuâ ſupradictâ Berthâ jam defunctâ) per manum fidejuſſoris conſtituere, dictúſque eſt dies & locus, quando hæc conſtitutio fieri deberet.* Anno igitur Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio, Indictione ſextâ, menſe Januario, apud villam nomine Nerharteskirchung, Hezelo in fide Comitis Manegoldi tradidit Waldam cum omnibus appendiciis ſuis, ut Monaſterium ibi conſtitueretur. *Heſſo eodem in loco, eâdem die, proprietates ſuas hæreditarias ferè omnes in manus & in fidem ſæpedicti Hezilonis contradidit eâ conditione, ut eidem Monaſterio in omni ditione manciparentur. Paria fieri de ſuo allodio vir quidam militaris, Eduart nomine, ab Adelberto de Ocolneſwanc poſtulavit, cujus fidei illud ibidem eodem die commendavit.* Poſteà in Oratorio Sancti Georgii circa Nonas Martias rogati, ab Hezilone Manegoldus Comes, ab Heſſone Hezilo, & ab Eduardo Adalbertus, ut conſtitutionem menſe Januario factam exequerentur, *Deo & Sancto Georgio in perpetuam proprietatem dediderunt, Comes quidem Waldam cum omnibus appendiciis ſuis, uterque verò ſidefponſor ſupradictus proprietates Heſſonis & Eduardi, in ſervitium Monachorum, qui futuri forent in Monaſterio ſuperiùs dicto, adhuc conſtruendo. Quibus ita ritè peractis itum eſt ad Reverendiſſimum Abbatem Wilhelmum, quem Dominus Deus plebi ſuæ exemplum veræ religionis præpoſuerat, operariúmque ferventiſſimum in vineam ſuam conduxerat. Hunc ergo multis & magnis precibus ambo ſæpedicti rogaverunt, poſtulaverunt, & exoraverunt, ut intromitteret ſe ad hoc Monaſterium condendum, conſtruendum, & ordinandum.* Hæc omnia leguntur in Annalibus Suevicis, parte ſecundâ, libro ſecundo, capite ſecundo.

[a] Part. 2. CELLA S. GEORGII CONDITUR IN SYLVA HERCINIA.

* prolem

AN. CH. 813. CCCL. EPISCOPI CONSTANTIENS. AD RHENUM.

Hoc eodem anno vitam terminavit Egino Conſtantienſis Epiſcopus, ut ex brevi Chronico Monaſterii San-Gallenſis & ex Hermanno Contracto liquet. Succeſſit Wolfleoh, ſeu Wolfoleus vel Wolflerus, Monachus antèa San-Gallenſis. Non deſunt, qui Wolfoleum ex San-Gallenſi Monacho San-Gallenſem Abbatem, deinde Conſtantienſem Epiſcopum ex Abbate San-Gallenſi factum ſcribant. At Werdonem Abbatem San-Gallenſem vixiſſe ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum, eique Gotzbertum ſeu Goſbertum in munus Abbatiale tunc ſucceſſiſſe conſtat ex Ratperto, cujus auctoritas ceteris ob antiquitatem præſtat.

CCCLI. WILLELMUS GELLONENSIS MONACHUS OBIT.

Ad hæc poſtrema Caroli Magni tempora referendus eſt felix ad Deum tranſitus beati Willelmi, quem ex Illuſtri Comite Gellonenſem Monachum anno Redemptoris octingenteſimo octavo factum diximus. *Conſilio fratrum*, inquit Ordericus [a], *Abbas ſervilia ei opera omnino prohibuit, ſed orationi & ſanctæ meditationi vacare præcepit, idoneámque Cellam ei deputavit. Sic diu exercitatus in activa, incepit requieſcere in vita ſpeculativa, & poſt Marthæ ſervitium frequénſque miniſterium, delectabatur cum Maria in perenni theoriâ. Tandem Guillelmus perfectus virtutibus, ſpiritu prophetiæ donatur, & divinis oraculis vita ejus declaratur. Obitûs ſui diem Abbati & fratribus prædixit, multíſque vicinis ſcripto eam ſignificavit, & Carolo Regi delegavit nuncium, & ſignum quod fieret dum moreretur manifeſtiſſimè indicavit. Tandem omnibus ritè conſummatis, migravit B. Guillelmus* V *Kal. Junii, Angelis gaudentibus & terrigenis plorantibus.* Obitûs diem reticuit Ardo, notavit Ordericus; neuter annum indicavit; uterque verò Carolum Auguſtum Willelmo ſuperſtitem aſſeruit. Hæc de Beato Willelmo Gellonenſi, quem plerique cum aliis Willelmis confundunt.

[a] Lib. 6. ſub init.

CCCLII. CAPITULARE DE JUSTITIIS FACIENDIS.

Extat in Collectione Baluziana Capitulare hujus anni, diſtinctum in viginti Capitula de juſtitiis faciendis, & concinnatum ex Legibus, Salica, Romana, & Gundobada, ut hæc docet Præfatio. *Karolus Sereniſſimus Imperator Auguſtus, à Deo coronatus, Magnus, & Pacificus, cum Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibúſque fidelibus Chriſtianæ Eccleſiæ cum conſenſu conſilióque conſtituit ex lege Salica, Romana, atque Gundobada, Capitula iſta in Palatio Aquis, ut unuſquiſque fidelis juſtitias ita faceret, quæ & ipſe manu propriâ firmavit Capitula iſta, ut omnes fideles manu roborare ſtuduiſſent.* Sequuntur Capitula.

CCCLIII. Primum eſt de cura & ſollicitudine Epiſcoporum. *Ut Epiſcopi circumeant Parrochias ſibi commiſſas, & ibi inquirendi ſtudium habeant de inceſtu, de patricidiis, fratricidiis, adulteriis, cenodoxiis, & aliis malis, quæ contraria ſunt Deo, quæ in Sacris Scripturis leguntur, quæ Chriſtiani devitare debent. Et infra illorum Parrochias Eccleſiæ quibus neceſſe eſt emendandi curam habeant. Similiter noſtras à nobis in beneficio datas quàm & aliorum, ubi Reliquiæ præeſſe videntur. Et ut Monachi per verbum Epiſcopi & per regimen Abbatis & per bona illorum exempla regulariter vivant, prout loca locata ſunt. Et ut Præpoſitus & hi qui foras Monaſteria ſunt, ne venatores habeant, quia jam frequenter juſſimus Monachis, ne foras Monaſteria habitaſſent.*

CCCLIV. Secundum eſt de Eccleſiis, viduis, & pupillis. *Ut Eccleſiæ, viduæ, pupilli, per bannum Regis pacem habeant. Sin aliter, in præſentiam noſtram hoc veniat, ſi fieri poteſt. Sin autem, Miſſi noſtri inveſtigent illud quomodo geſtum ſit.*

CCCLV. Tertium eſt de jumentis. *Ut jumenta pacem habeant ſimiliter per bannum Regis.*

CCCLVI. Quartum eſt de his qui beneficia Regalia habent. *Ut hi, qui beneficium noſtrum habent, benè illud immeliorare in omni re ſtudeant. Et ut Miſſi noſtri hoc ſciant.*

CCCLVII. Quintum eſt de Vicariis & Centenariis. *Ut Vicarii noſtri vel Centenarii à ſervo Regis mancipia ne emant. Et ut ipſi Vicarii de hæreditate foris hæredibus, ſi extiterit, ad opus noſtrum recipiatur, ne illud fraudetur.*

Sextum eſt de ingenuis, ſi inteſtati deceſſerint. *De his, qui à literarum conſcriptione ingenui fuerint, ſi ſine traditione mortui fuerint, hæreditas eorum ad opus noſtrum recipiatur. Nec Comes, nec Vicarius illud ſibi ſociet, ſed ad opus noſtrum revocetur. Similiter volumus, ut banni noſtri de illis unde cenſa exigunt, ut ipſa cenſa ad opus noſtrum vel ubi nos jubemus veniant.* AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCCLVIII. CCCLIX.

Septimum eſt de hæreditate contentioſa. *De hæreditate inter hæredes, ſi contentioſè egerint, & Rex Miſſum ſuum ad illam diviſionem tranſmiſerit, decimum mancipium & decima virga hæreditatis fiſco Regis detur.*

Octavum eſt de lupariis. *Ut Vicarii luparios habeant, unuſquiſque in ſuo miniſterio duos. Et ipſi de hoſte pergendi & de Placito Comitis vel Vicarii ne cuſtodiant *, niſi clamor ſuper eum veniat. Et ipſi certare ſtudeant de hoc ut perfectum exinde habeant, & ipſa pelles luporum ad noſtrum opus dentur. Et unuſquiſque de illis, qui in illo miniſterio Placitum cuſtodiunt, detur eis modium unum de annona.* CCCLX. * cuſtodiat

Nonum eſt de exercitu. *De hoſte pergendi, ut Comiti in ſuo Comitatu per bannum unumquemque hominem per ſexaginta ſolidos in hoſtem pergere bannire ſtudeat, ut ad Placitum denuntiatum ad illum locum ubi jubetur veniant. Et ipſe Comes prævideat quomodo ſint parati, id eſt, lanceam, ſcutum, aut arcum cum duabus cordis & ſagittis duodecim. De his uterque habeant. Et Epiſcopi, Comites, Abbates, hos homines habeant, qui hoc benè prævideant, & ad diem denuntiati Placiti veniant, & ibi oſtendant quomodo ſint parati. Habeant loricas, vel galeas, & temporalem hoſtem, id eſt; æſtivo tempore.* CCCLXI.

Decimum eſt de diſpenſa Regis & Optimatum. *Ut Regis ſpenſa in carra ducatur, ſimul Epiſcoporum, Comitum, Abbatum, & Optimatum Regis farinam, vinum, baccones, & victum abundanter, molas, dolatorias, ſecures, taretros, fundibulas, & illos homines qui exinde benè ſciant jactare. Et Marſcalci Regis adducant eis petras in ſaumas viginti, ſi opus eſt. Et unuſquiſque hoſtiliter ſit paratus, & omnia utenſilia ſufficienter habeant. Et unuſquiſque Comes duas partes de herba in ſuo Comitatu defendat ad opus illius hoſtis, & habeat pontes bonos, naves bonas.* CCCLXII.

Undecimum eſt de carceribus & patibulis. *Ut Comites, unuſquiſque in ſuo Comitatu, carcerem habeant. Et Judices atque Vicarii patibulos habeant.* CCCLXIII.

Duodecimum eſt de pœna hominum boni generis iniquè agentium. *Ut homines boni generis, qui infra Comitatum iniquè vel injuſtè agunt, in præſentiam Regis ducantur, & Rex ſuper eos diſtrictionem faciat carcerandi, exiliandi, uſque ad emendationem illorum.* CCCLXIV.

Decimum-tertium eſt de latrone ad mortem judicato. *Ut Vicarii munera ne accipiant pro illis latronibus, qui ante Comitem judicati fuerint ad mortem. Quòd ſi hoc perpetraverint, tale judicium ſuſtineant ſicut & latro judicatus fuit. Quia poſtquàm Scabini eum dijudicaverint, non eſt licentia Comitis vel Vicarii ei vitam concedere. Sed ſi bannus ei judicatus fuerit, & banno peracto ſtet in eo interim uſquedum Comiti & eo qui clamorem vel cauſam ad eum habuit, & tunc ſit foris banno.* CCCLXV.

Decimum-quartum eſt de Advocatis Epiſcoporum & Abbatum. *Ut Epiſcopi & Abbates Advocatos habeant. Et ipſi habeant in illo Comitatu propriam hæreditatem. Et ut ipſi recti & boni ſint, & habeant voluntatem rectè & juſtè cauſas perficere.* CCCLXVI.

Decimum-quintum eſt de iis qui ſe pro furto in ſervitium tradere volunt. *Ut Vicarii eos, qui pro furto ſe in ſervitium tradere cupiunt, non conſentiant, ſed ſecundùm juſtum judicium terminetur.* CCCLXVII.

Decimum-ſextum eſt de ſeniore non dimittendo. *Quòd nullus ſeniorem ſuum dimittat, poſtquàm ab eo acceperit valente ſolidum unum, excepto ſi eum vult occidere, aut cum baculo cædere, vel uxorem aut filiam maculare, ſeu hæreditatem ei tollere.* CCCLXVIII.

Decimum-ſeptimum eſt de arcu habendo in exercitu. *Quòd nullus in hoſte baculum habeat, ſed arcum.* CCCLXIX.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Decimum-octavum eſt de foreſtis Dominicis. *De foreſtis, ut foreſtarii benè illas defendant, ſimul & cuſtodiant beſtias & piſces. Et ſi Rex alicui intus foreſte feramen unum aut magis dederit, ampliùs ne prendat quàm illi datum ſit.*

CCCLXX. CCCLXXI.

Decimum-nonum eſt de villicis Regiis. *Ut villicus bonus, ſapiens, & prudens, in opus noſtrum eligatur, qui ſciat rationem Miſſo noſtro reddere, & ſervitium perficere, prout loca locata ſunt, ædificia emendent, nutriant porcos, jumenta, animalia, hortos, apes, anſeres, pullos, vivaria cum piſcibus, vennas, molina, ſtirpes, terram aratoriam ſtudeant ſemare. In foreſtis manſum Regale, & ibi vivaria cum piſcibus, & homines ibi manent. Et plantent vineas, faciant pomaria, & ubicunque invenient utiles ullos homines, detur illis ſilva ad ſtirpandum, ut noſtrum ſervitium immelioretur. Et ut fœminæ noſtræ, quæ ad opus noſtrum ſunt ſervientes, habeant ex partibus noſtris lanam & linum, & faciant ſarcillos & camiſiles, & perveniant ad cameram noſtram per rationem per villicos noſtros aut Miſſos eorum ad ſe tranſmiſſos.*

CCCLXXII.

Viceſimum eſt de eo, qui parem ſuum adjuvare noluit. *Et ſi quis è fidelibus noſtris contra adverſarium ſuum pugnam aut aliquod certamen agere voluit, & convocaverit ad ſe aliquem de comparibus ſuis ut ei adjutorium præbuiſſet, & ille noluit, & exinde negligens permanſit, ipſum beneficium quod habuit auferatur ab eo, & detur ei qui in ſtabilitate & fidelitate ſua permanſit.*

CCCLXXIII. [a] D. 17. Mart. PSEUDO-DIPLOMATA, PRO MON. NEOSTADIENSI,

Apud Henſchenium [a] occurrit pſeudo-Diploma, quod hoc anno Carolini Regni vel potiùs Imperii decimo-tertio conceſſum fertur pro Monaſterio Neoſtadienſi Diœceſis Wirceburgenſis. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Carolus ſuperná favente Clementiá Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum. Sapientia Dei Sanctam Eccleſiam duobus gladiis munitam atque tutam eſſe voluit, ſcilicet gladio ſpirituali atque materiali, quapropter gladio materiali nobis divinitus collato, prout Dominus donavit, eam gubernare, defendere & honorare non ceſſamus. Inde eſt quòd præſentibus ſcriptis omnibus poſt nos venturis intimamus, qualiter Eccleſia per nos conſtructa, Newenſtadt ſcilicet ſive Rorenlacha dicta, noſtro rogatu à ſorore noſtra Gertrude optimis villis & plurimá familiá ſit dotata. Nam eadem ſoror noſtra cæleſtem ſponſum ſitiens, omnémque mundi pompam mente & corpore relinquens, de omnibus, quæ hæreditario jure poſſidebat, in Theutonicis partibus Eccleſias vicinas fecit eſſe hæredes. Fuerant autem villæ, Steinfelt & Cella nominatæ, non longiùs uno milliari à noſtro Monaſterio ſequeſtratæ. Has igitur, ut diximus, noſtro rogatu unà cum viris & mulieribus inibi manentibus, Parrochiam cum decimis, omnia ob æternæ vitæ præmium ſuper altare Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in noſtra præſentia donavit propriâ manu. &c. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnacionis* DCCCXIII. *Indictione* V. *anno Regni noſtri* XIII. *Signum Caroli Glorioſi Regis. Acta ſunt hæc in Eccleſia Newenſtadienſi.* Lege quæ de Monaſterii Neoſtadienſis origine dicta ſunt Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undeſeptuageſimum [b] & Tomo ſexto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſextum [c]. Obſerva quoque duobus è Diplomatibus, quæ prodierunt ex Archivo Neoſtadienſi, noſtrámque ſententiam oppugnant, unum à nobis jam refutatum eſſe ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum [d], & alterius, quod proximè deſcripſimus, examen rejectum eſſe in hunc annum quo datum dicitur. Nullam Carolo Magno ſororem fuiſſe, quæ Gertrudis appellaretur, non ſemel probavimus. Situm in Diœceſi Wirceburgenſi Neoſtadium. Illuc haud profectus hoc anno Carolus, qui pedem Aquiſgrano non movit, præterquàm ut *in Arduenna venaretur.* Ea de re conſuli poteſt Annaliſta Laureshamenſis. In Carolinis literis præter formulam tunc uſitatam indicatur annus Incarnationis Dominicæ, iſque conſignatur octingenteſimus decimus-tertius, quocum non Regni ſed Imperii Carolini decimus-tertius annus comparatur. At Carolus in earumdem literarum apice non Imperator ſed *Patricius Romanorum* vocatur, & quod iiſdem literis apponitur Caroli ſignum non Imperatoris ſed *Regis* eſſe dicitur.

[b] Num. 19.

[c] Num. 20.

[d] Nn. 114. & ſeqq.

Digitized by Google

citur. Annus autem Caroli Regis decimus-tertius illigatur anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, illóque anno Carolus non adiit Neoſtadium, nam Papiæ Natalem Domini, Paſcha Romæ, Pentecoſten Mediolani celebravit, medióque menſe Julio morabatur adhuc Papiæ, unde digreſſus Wormaciam rectà venit, ibíque Placitum habuit, atque inde contendit ad villam Cariſiacum ubi hyemem egit. Locupletes totius itineris teſtes ſunt veteres Annaliſtæ, quos ad illum annum produximus. Indictio quinta poſt Kalendas Septembres eidem anno convenit, at Carolus Indictionis notâ priùs non uſus eſt quàm Imperator acclamaretur, annus autem Imperii Carolini decimus-tertius, quocum annus Redemptoris octingenteſimus decimus-tertius componitur, partim Indictione ſextâ, partim ſeptimâ conſignatur. Hæc ſatis ſupérque ſufficiunt, ut prædicto Diplomati fides abrogetur. Adde tamen, ſi lubet, ipſum Diplomatis initium, caret enim formulâ quæ tunc uſurpabatur à Carolo, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, & illius loco aliam, quæ multò ſeriùs in uſu cœpit eſſe, ſic exhibet, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.*

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Ex eadem formula commentitium quoque deprehenditur Caroli Præceptum, quod hoc ipſo anno pro divite Augia datum ſic habetur apud Martinum Magerum capite quinto [a] Advocatiæ armatæ, necnon apud Hermannum Coringium in Cenſura [b] Diplomatis Ludoviciani pro Cœnobio Lindavienſi. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Carolus divinâ favente gratiâ Imperator Auguſtus. Si Sanctorum Monaſteriorum loca, ne labantur, frequenter ſuſtentamus, ſuſtentando ditamus, non ſolùm Deum per hoc nobis placamus, ſed etiam noſtri totius Regni ſtatum corroboramus. Quapropter omnium præſentium ac futurorum comperiet Induſtria, qualiter Ulmam noſtram Regalem villam pro animæ noſtræ ac parentum noſtrorum remedio ad Monaſterium quod conſtructum eſt in Inſula, quæ in Alemanniæ partibus ſita Sintleoheſuna nuncupatur, ubi Venerabilis Præſul Hetto ſpirituali turmæ præeſt, cum omnibus appendiciis ſuis & locis adjacentibus tradimus atque transfundimus, ut fratres ibidem regulariter ſubſiſtentes, & divino operi die noctúque jugiter inſudantes, dum à noſtris ſumptibus lacriter procurantur, aſſiduis eorum precibus Deum nobis propitium facere dignentur. Utque prædictus Hetto cum fratribus ſuis, Monachis videlicet atque Clericis, in præfata Inſula, exterioribus curis remotis, Deo ſervire liberiùs atque ſecuriùs inſiſtere valeat, cum ipſius Abbatis deſiderio ſuorúmque Monachorum rogatu, Adelbertum cognatum noſtrum in ſupradicta Ulma Advocatum ac Defenſorem conſtituimus, & eundem, quia quales futuri homines ſint ignoramus, ne Statuta noſtra vel quiſquam ſuorum ſucceſſorum tranſgrediatur, in præſenti cum juramento tenaciter obligamus. Hac de cauſa noſtræ placuit Providentiæ, eodem Adelberto defuncto, in præſentia Abbatis ſuorúmque ſucceſſorum ac fratrum, videlicet Monachorum, hac perpetuâ poteſtate, ut ſapientum uſi conſiliis ex his, quos inter potentes ſeculi noverint & invenerint meliores & æquitatis amatores, eligant huic loco, ſicut & in cæteris locis ſuis, competenter Advocatos & Defenſores, eo tamen tenore, ut quandocunque ſui commiſſi prævaricator, aut in rebus vel hominibus, quod vulgò Balmund dicitur, exiſtat, ſtatim ſine morâ, ſine judicio Advocatiam perdat. Qui Advocatus & omnes ſui ſucceſſores, quale ſervitium in præfata villa Ulma ab Augenſi Abbate ejuſdémque Miniſtrii deinceps percepturi, vel qualem juſtitiam ipſi Abbatibus ſint facturi, breviter hîc determinavimus. Statuimus ergo & præcipimus, ſi præſens Adelbertus Advocatus vel quiſquam ſuorum ſucceſſorum in prædicta villa placitare voluerit, quando vel qualiter aut quoties hoc fiat, in Abbatis arbitrio pendeat, & ab eo diſponatur, ut non cum pluribus quàm cum triginta equis ad placitandum veniat, & tale ſervitium, quale tunc reperitur, & quod prædictæ militum & equorum multitudini congruat & ſufficiat, eidem Advocato prælibato Abbas decenter & honeſtè exhibeat. Et ut hoc nunc & in futuro cunctis pateat, Regali noſtro imperio ſancimus & confirmamus, ut nullus Advocatus in præfata villa majus ſervitium ab Augenſi Abbate vel ſuis Miniſtris quaſi ex debito exi-*

CCCLXXIV. PRO MON. AUGIENSI, [a] Num. 431. [b] Cap. 10.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

gat, aut ad libitum ſibi ſtatuat ipſe, ſive quaſi ex jure ultra ſtatutum quicquam uſurpare ſibi vel vendicare audeat. Inſuper ſtatuimus atque jubemus; quicquid placitando acquirit, tertiâ parte ſibi retentâ, duas Abbati reddat, & nullum Advocatum vel exactorem præter ſe ſine Abbatis permiſſione conſtituat. Addimus, quòd nihil privati muneris vel ſervitii in eadem villa, vel à quolibet locorum illuc pertinentium, ſive à Cellariis, quaſi ex debito & ſtatuto ſibi jure exigat, ac manſiones vel pernoctationes uſpiam frequentare audeat. Quod ſi præſens Advocatus vel quiſquam ſuorum ſucceſſorum hæc noſtra Statuta tranſgrediatur, ſine judicio & abſque ſpe recuperationis jubemus ut Advocatiâ ſtatim privetur, & alter fidelior ac juſtitiæ amantior ſano conſilio in ejus locum ſubrogetur. Et ut hoc ſcriptum noſtrum atque decretum ab omnibus firmiùs obſervetur & obnixiùs, annuli noſtri ſigno ſigillique impreſſione firmari juſſimus. Dat. anno Salutis 813. Uthujus Diplomatis initium in formula cujus uſus recentior, ſic & finis peccat in Charactere Chronologico qui ſeriùs ab Era Salutis ſeu Chriſtiana cœpit uſurpari. Utrumque jam ſæpiùs inculcatum. Quamvis autem hoc pſeudo-Præceptum rejiciamus, erga Monaſterium Augienſe nihil Carolinæ munificentiæ detractum volumus. Simili modo licèt Ludovicianum pro Cœnobio Lindavienſi Diploma reprobemus, in quo, ſicut in pſeudo-Augienſi, celebris mentio fit ejuſdem Adelberti, non ideo fidem denegamus antiquæ traditioni, quæ puellare Monaſterium ad lacûs Podamici partem dexteram, ubi etiamnum *Nunnenhorn* & *Nunnenbach* à Nonnis ſic appellata, poſtremis Caroli temporibus conditum aſſerit, imminentibúſque pòſt bellis tranſlatum in proximam Inſulam, cui primùm ut & urbi, deinde Cœnobio nomen inditum eſt Lindaugiæ, quod in Lindaviam & Lindavium poſterioribus ſeculis abiit. Illo de nomine déque Adelberto Comite fuſiùs agemus, cùm pſeudo-Ludovicianum ſeu pſeudo-Lindavienſe Diploma recitabimus examinabimúſque.

CCCLXXV. [a] Lib. 3. c. 6. PRO MON. S. DIONYS.

Chartis pſeudo-Neoſtadienſi & pſeudo-Augienſi ſubjiciemus pſeudo-Dionyſianam, quam Jacobus Dubletus Antiquitatibus [a] Dionyſianis ad hunc annum ſic inſeruit. *Carolus Sereniſſimus Auguſtus, à Deo coronatus, Magnus ac Pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, quin etiam per miſericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Optimatibus, ceteríſque Regni noſtri Proceribus, ſalutem in vero ſalutari. Minimè decet Regiam Sublimitatem beneficia, quæ à Deo Omnipotente eſt conſecuta, oblivioni tradere, ſed potiùs rationi convenit, & eſt æquum, per aliquam erga Sanctorum loca bonorum operum exhibitionem, aliquod reddere teſtimonium. Quapropter cognoſcat Magnitudo ſeu Nobilitas veſtra, quòd evocatis nobis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Principibus, ac Regni noſtri Proceribus, in Generali Concilio, in Monaſterio ter Beati Dionyſii peculiaris Patroni noſtri, multis de cauſis & rationibus celebrato, ſed præcipuè quia ejuſdem Sanctiſſimi Martyris præcellentiſſimi ſociorúmque ejus Ruſtici & Eleutherii meritis & interceſſionibus, nos ad ſumma Regni Imperiique faſtigia conſcendiſſe confidimus & fatemur, ſed & quamplurima vitaſſe pericula, ac inimicorum noſtrorum ſuperaſſe tela, infinitas & victorias de ipſis illorum Sanctorum protectionum alis evecti reportaſſe credimus. Igitur ob id ad honorem Dei & tantorum Dominorum noſtrorum reverentiam, tale fieri decrevimus Præceptum, quod volumus in perpetuum eſſe manſurum, videlicet quòd omnes Franciæ Reges, omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, tam præſentes quàm & futuri, ob amorem Domini Dei & noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti, honorem ac reverentiam deferant venerandæ Matri Eccleſiæ Domini Dionyſii peculiaris Protectoris noſtri, ac venerabili Abbati ejuſdem ſancti & ſacri loci, eámque, ut caput omnium Eccleſiarum Regni noſtri, ab omnibus ejuſdem Regni noſtri Chriſticolis venerari, & eundem Abbatem ſuper omnes Prælatos Primatem haberi & teneri volumus ac deſideramus. Prohibemus inſuper ne ſucceſſores noſtri Franciæ Reges alibi quàm in Eccleſia ſæpefati Domni Dionyſii ſint coronati, nec Archiepiſcopi & Epiſcopi confirmati, aut ad ſacram Beati Petri Sedem recepti*

& damnati, abſque aſſenſu & conſilio Abbatis. Poſt verò multa eidem Eccleſiæ bona per nos oblata ac conceſſa Privilegia, ego Karolus Francorum Rex depoſito de capite meo Regni Diademate & Sanctorum Martyrum Altari ſuperpoſito, talia, cunctis qui aderant audientibus, dixi. Sanctiſſime Domine Dionyſi, his Regni Franciæ Regiis inſignibus & ornamentis libenter me ſpolio, ut deinceps ejus Regale habeas, teneas, atque poſſideas dominium, & in ſignum rei quatuor modò aureos tibi offero bizanctos, ut omnes tam præſentes quàm & futuri ſciant & agnoſcant, quòd à Deo ſolo & à te Regnum Franciæ teneo, tuóque ac tuorum ſociorum fretus auxilio & ſuffragantibus meritis illud ancipiti gladio defendo; obſecrans atque obteſtans omnes ſucceſſores noſtros Reges, ut annuatim ſimile faciant, & in oblatione ſubmittendo ac tangendo caput illos quatuor ſupradictos byſancios offerant, non proinde aſtricti humanæ ſervituti, ſed potiùs divinæ, quæ ſumma libertas appellari debet, quippe Deo ſervire ſit regnare, ſed etiam omnes Regni noſtri Proceres & Optimates, pro qualicumque domo ſua eidem Eccleſiæ memoratæ quatuor ſingulis annis aureos perſolvant nummos, pro illius augmento ab ædificio Dagoberti Regis Excellentiſſimi uſque ad Crucifixum; ſimiliter omnes homines ſervituti addictos emancipans, & eos in perpetuum faciens liberos tam præſentes quàm & futuros, qui libenter eoſdem quatuor aureos nummos daturi ſunt, quos Beati Dionyſii Francos proinde vocari volo & appellari jubeo. His ergo tam dignè per me, in honorem Dei & Matris Eccleſiæ præcellentiſſimorum Martyrum Dominorum meorum expletis, necnon pro animæ meæ remedio & Regni ſtabilitate ac filiorum incolumitate, palàm omnibus dico, quòd à vobis nunc exeundi copiam peto, Regnúmque Franciæ relinquo, ut poſt Deum ſitis illius ſemper cuſtodes ac Domini. Si quis autem contra hoc meæ Regiæ Majeſtatis Præceptum aliquid attemptare præſumpſerit, anathema ſit, reúſque divinæ Majeſtatis & humanæ cenſeatur, ſciátque ſe in diſtricto ac tremendo ſuperni Judicis examine rationem redditurum, & Sanctos Martyres, Dionyſium, Ruſticum & Eleutherium, adverſarios habiturum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & ab omnibus certior credatur, manu propriâ eam ſubter ſignare decrevi, & ſigilli mei charactere ſigillari juſſi. Actum in Monaſterio Sancti Dionyſii, in Dei Nomine feliciter, anno Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo decimo-tertio, præſentibus quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Caroli Sereniſſimi Auguſti & Francorum Glorioſiſſimi Regis, ſignum Turpini Remenſis Archipræſulis, ſignum Gosberti Bithuricenſis Archiepiſcopi, ſignum Joannis Lugdunenſis Archiepiſcopi, ſignum Imberti Senonenſis Archiepiſcopi, ſignum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi, ſignum Nicolai Viennenſis Archiepiſcopi, ſignum Neſcii Toloſani Archiepiſcopi, ſignum Severini Pictavenſis Antiſtitis, ſignum Stephani Lemovicenſis Epiſcopi, ſignum Erkauradi Pariſiacæ urbis Epiſcopi, ſignum Achilleæ Alexandriæ Antiſtitis, ſignum Gerotini Papiæ Epiſcopi, ſignum Walchandi Leodienſ. Epiſcopi, ſignum Candulfi Metenſ. Epiſcopi, ſignum Theodulfi Aurelian. Epiſcopi, ſignum Anſelmi Mediolanenſis Epiſcopi, ſignum Wolfoldi Cremonenſis Epiſcopi, ſignum Hilduini Abbatis Monaſterii Sancti Dionyſii, ſignum Floriani Abbatis Montis Caſſini.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Quiſquis hoc Diploma legerit, arguet commentitium, ſolámque lectionem ad abſolutiſſimam refutationem ſufficere procul dubio pronuntiabit. Tria nihilominùs proponemus argumenta. Primum à loco ſumetur, alterum à formula Præcepti, tertium à ſubſcriptionibus. CCCLXXVI.

Diploma datum dicitur *in Monaſterio Sancti Dionyſii*. Sed toto hoc anno Carolus ab agro Pariſienſi, ubi ſitum Sancti Dionyſii Cœnobium, procul abfuit. Hyemem, cujus prior pars, quæ Kalendas Januarias anteceſſit, ad annum præcedentem, poſterior ad hunc annum pertinuit, integram tranſegit Aquiſgrani cum proximo vere, nec ampliùs ex illo loco receſſit, excepto quòd in Arduenna venationem poſt menſem Maium exercuit; at contracto pedum dolore, mox ut convaluit, reverſus eſt Aquiſgranum, ibique & Conventum celebravit, & vitam hyeme ſubſequente clauſit quinto Kalendas Februarias. Id teſtantur antiqui cùm Annaliſtæ tum Biographi, qui, CCCLXXVII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

per annos, illius Geſta digeſſerunt, & à nobis ſuprà ſunt allegati. Præterea iidem Auctores nullam faciunt mentionem Concilii San-Dionyſiani, quod in Diplomate ſuprà deſcripto *Generale* nuncupatur *evocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Principibus ac Regni Proceribus*; memorant autem alia quinque Concilia, quæ per æſtatem habita ſunt, Arelate, Remis, Moguntiæ, Turonis, & Cabilone. Sub idem tempus, cùm hæ quinque Synodi celebrabantur, Imperator Aquiſgrano digreſſus, ut indulgeret venationi, ſylvam adiit Arduennam, ſed morbo correptus Aquiſgranum ſtatim rediit, ibique menſe Septembri Generalem Francorum Conventum habuit, in quo multa præclarè admodum geſſit. Canones prædictarum quinque Synodorum ſimul conferri præcepit, peractâ collatione decerpſit ex iiſdem Conciliis Capitulare ſex ac viginti diſtinctum Capitulis, Ludovicum filium Imperialis Nominis conſortem proclamavit, Bernardum nepotem quamvis abſentem Italiæ Regem conſtituit, Oratoréſque pacem cum Danis pacturos direxit. Soluto Conventu Ludovicum in Aquitaniam remiſit *menſe*, ut Aſtronomus aſſerit, *Novembri, ipſe autem*, teſte Chronographo Moiſſiacenſi, *reſedit in Aquis Palatium*, ibique, *dum hyemaret*, ut Annaliſta Laureshamenſis ſcribit, v *Cal. Feb. rebus humanis exceſſit.* Hoc igitur anno, nec cis Arduennam ſylvam, nec in Monaſterium San-Dionyſianum agri Pariſienſis venit.

CCCLXXVIII. Porrò, ſi Carolus toto hoc anno in Auſtraſia moratus eſt, nec acceſſit ad Cœnobium Sancti Dionyſii, certè corruunt quæcumque circumferuntur ab eo geſta in Æde San-Dionyſiana. Dubletus tamen hujuſcemodi fabulis adeò delectatus videtur, ut eas non tantùm capite ſexto libri tertii retulerit cum integro Diplomate ſuppoſititio, ſed etiam vernaculo ſermone donatas, ut ab omnibus legi poſſent, capite tertio libri quarti repetierit. Quis Baſilicam San-Dionyſianam caput unquam dixit omnium Eccleſiarum quæ ſunt in Regno Francorum? quis Abbatem Monaſterii San-Dionyſiani tanquam *ſuper omnes* Francici Regni *Prælatos Primatem* coluit? Hæc valdè ſunt injuria ceteris Eccleſiis intra Franciam conſtitutis, illarúmque Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, imò Sedi Apoſtolicæ ipſique Romano Pontifici Leoni Tertio, quia tunc Roma Ducatúſque Romanus ad Regnum Francorum pertinebant. Præterea quis credat ſancitum unquam fuiſſe, ut qui ritè in Franciæ Regno deſignatus eſſet Archiepiſcopus aut Epiſcopus, is ab Apoſtolica Sede nec admitti nec rejici poſſet *abſque aſſenſu & conſilio Abbatis* San-Dionyſiani? Hæc ſanctio, dum inſinuat in Francia, nec Archiepiſcopum nec Epiſcopum eſſe ordinandum inconſulto Romano Pontifice, ſuppoſititii Diplomatis concinnatorem oſtendit ætate Caroli recentiorem. Denique quis à Carolo ſtatutum exiſtimet, ut qui poſt eum Reges in Francia regnaturi eſſent, non alibi quàm in Eccleſia Sancti Dionyſii coronarentur? Quàm alienus ab hoc eſſet conſilio Carolus, probat coronatio Ludovici, quæ vertente hoc ipſo anno juſſu ejuſdem Caroli facta eſt in Aquiſgranenſi Baſilica Beatiſſimæ Virginis, ut ſuperiùs obſervatum eſt ex Thegano [a].

[a] Cap. 6.

CCCLXXIX. Quod ad ſubſcriptiones attinet, numero ſunt viginti. Pleræque commentitiis quoque Chartis Aquiſgranenſi & Sueſſionenſi, quas ad annos Redemptoris octingenteſimum & octingenteſimum quartum refutavimus, ſubjectæ reperiuntur. De ſingulis breviter hîc inquirendum, ne deinceps Archiepiſcoporum Epiſcoporúmque Catalogi nominibus fictitiorum Præſulum augeantur.

CCCLXXX. Primo loco ponitur *ſignum Caroli Sereniſſimi Auguſti & Francorum Glorioſiſſimi Regis.* At hoc anno Carolus Monaſterium San-Dionyſianum agri Pariſienſis non adiit.

CCCLXXXI. Secundo loco ponitur *ſignum Turpini Remenſis Archipræſulis.* Hic Turpinus ſive Tilpinus, ut jam notavimus ad Chartas pſeudo-Aquiſgranenſem & pſeudo-Sueſſionenſem, quibus ſubſcripſiſſe dicitur, obiit anno Redempto-

ris octingenteſimo, menſe Septembri. Poſt Interpontificium bienne ſubrogatus eſt Vulfarius, qui Pontificatum ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum tenuit. AN. CH. 813. CAROLI I MP. 13. LUDOV. R. 33.

Tertio loco ponitur *ſignum Gosberti Bituricenſis Archiepiſcopi*. Habetur ejuſdem Goſberti ſignum in duabus pſeudo-chartis proximè nominatis, ad quas obiter annotavimus nullum ætate Caroli Bituricis Archiepiſcopum ſediſſe, qui vocaretur Goſbertus. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo quo Carolus regnare cœpit, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum quo vitam clauſit, in Bituricenſi Cathedra collocati ſunt Ermenarius, Deodatus, Ermembertus, Segolenus, David, Stephanus, Ebroinus, quorum poſtremus quinque duntaxat annis Infulas geſſit, vitámque clauſit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto. CCCLXXXII.

Quarto loco ponitur *ſignum Joannis Lugdunenſis Archiepiſcopi*. Habetur & ejuſdem Joannis ſignum in prædictis duabus pſeudo-chartis. At Leidradus ordinatus eſt Lugdunenſis Archiepiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono, nec Archiepiſcopatum dimiſit ante obitum Caroli. CCCLXXXIII.

Quinto loco ponitur *ſignum Imberti Senonenſis Archiepiſcopi*. In Charta pſeudo-Aquiſgranenſi legitur *Haimbertus Archiepiſcopus Senonenſis*, in Charta pſeudo-Sueſſionica *ſignum* invenitur *Ainberti Senonenſis Archiepiſcopi*. Fortè pſeudo-Diplomatum concinnator exprimere voluit Raimbertum ſeu Rambertum aut Reymbertum, qui Senonenſem Archiepiſcopatum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum primum geſſit. At qui ſucceſſit ei Magnus ſeu Magno ſedit annis Redemptoris, octingenteſimo quarto & octingenteſimo decimo-tertio, ſuperſtéſque Carolo Magno vixit, ut dicemus infrà. CCCLXXXIV.

Sexto loco ponitur *ſignum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi*. Notantur ejuſdem Arnulphi nomen & ſignum in prædictis duabus pſeudo-chartis. Error autem exinde patet, quòd toto tempore, quo Carolus Francis præfuit, haud ſedit Turonis Archiepiſcopus, cui nomen eſſet Arnulfus; & Joſephus, qui Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſecundo ſuſcepit, ad Imperium Ludovici Pii pervenit. CCCLXXXV.

Septimo loco ponitur *ſignum Nicolai Viennenſis Archiepiſcopi*. In prædictis pſeudo-chartis laudatur etiam hic Nicolaus. Archiepiſcoporum autem Viennenſium Catalogus aliter eſt inſtituendus. Urſio, qui ſedebat anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto, cùm Francofordienſe [b] Concilium celebrabatur, vitam ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum primum prorogavit. Proximus ſucceſſor Volferius Archiepiſcopales Infulas geſſit annis undecim, tum Barnardus de quo plura ſub Ludovico Pio. CCCLXXXVI. [b] Can. 8.

Octavo loco ponitur *ſignum Neſcii Toloſani Archiepiſcopi*. Qui Natius in Charta pſeudo-Aquiſgranenſi vocatur, in pſeudo-Sueſſionenſi ut & in hac pſeudo-Dionyſiana nuncupatur Neſcius. Eos jam refutavimus, qui regnante Carolo Præſulem Eccleſiæ Toloſanæ dicunt Archiepiſcopum, aut Antiſtitum Toloſanorum Catalago Firminum & Natium ſeu Neſcium intrudunt, unum ex Anianenſi pſeudo-Diplomate, alterum ex Tabulario Monaſterii San-Dionyſiani. Atricho Toloſanus Epiſcopus Narbonenſem Synodum cum aliis Præſulibus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo celebravit, huic proximè ſucceſſit Mantio, qui Carolo Magno ſuperſtes vixit. CCCLXXXVII.

Nono loco ponitur *ſignum Severini Pictavenſis Epiſcopi*. Ejuſdem quoque Severini nomen in aliis pſeudo-chartis occurrit. At ætate Caroli Pictavienſem Diœceſim hi rexerunt [c] Epiſcopi, Benedictus, Joannes, Bertrandus, & Sigibrandus de quo plura ſub Ludovico Pio. CCCLXXXVIII. [c] Vid. Tom. 6. a. 789. n. 230.

Decimo loco ponitur *ſignum Stephani Lemovicenſis Epiſcopi*. Hujus Stephani ſignum habetur etiam in pſeudo-charta Sueſſionenſi, ſed ad annum Redemptoris octingenteſimum quartum [d] jam monuimus Lemovicenſes In- CCCLXXXIX. [d] Num. 14.

AN. CH. 813. CAROL. I. IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCCXC.

fulas tunc fuiſſe penes Remigibertum, de quo recurret ſermo poſt obitum Caroli Magni.

Undecimo loco ponitur *ſignum Erkauradi Pariſiaca urbis Epiſcopi.* Sed hoc anno Pariſiis ſedet Inchadus, cujus memoriam parvum Paſtorale inſignis Eccleſiæ Pariſienſis ſub Carolo Auguſto ejúſque filio ac ſucceſſore commendat, ut ante biennium ad Teſtamentum ejuſdem Caroli jam notavimus [a]. Duo diſtinguuntur Erkauradi ſive Erkanradi Pariſienſes Epiſcopi. Medii ſederunt inter utrumque Ermanfredus & Inchadus. Hunc Epiſcopum ad annum undecimum Imperii Carolini ſive ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum jam agnovimus ex vetere Charta. Proximè ſucceſſurus eſt Erkauradus Junior, at ſeriùs, Imperii ſummâ poſt Caroli mortem ad Ludovicum devolutâ.

[a] Ad an. 811. n. 36.

CCCXCI. Duodecimo loco ponitur *ſignum Achilleæ Alexandriæ Antiſtis.* Ejuſdem Achillis ſive Achilleæ nomen in Chartis pſeudo-Aquiſgranenſi & pſeudo-Sueſſionica reperitur, in illud non inquirimus, quia procul à Francia diſtat Alexandria.

CCCXCII. Decimo-tertio loco ponitur *ſignum Gerotini Papiæ Epiſcopi.* Qui Gerotinus hîc appellatur, in aliis pſeudo-chartis dicitur Geroïnus. At Joannes qui Petro Secundo ſucceſſerat, Epiſcopatum ab anno Redemptoris octingenteſimo primo ad hunc uſque annum per annos duodecim tenuit, ut ex Ughello [b] retulimus ſuprà. Succeſſori nomen fuit Sebaſtianus, de quo ſermonem inſtituemus anno ſequenti.

[b] Tom. I. Ital. Sacr.

CCCXCIII. Decimo-quarto ponitur *ſignum Walchandi Leodienſ. Epiſcopi.* Hoc de Walchando Leodienſium Epiſcopo non ſemel jam locuti ſumus ſæpiúſque loquemur infrà ſub Ludovico Pio.

CCCXCIV. Decimo-quinto loco ponitur *ſignum Candulfi Metenſ. Epiſcopi.* Metæ poſt Angelramni mortem longo laboraverunt interpontificio. *Ceſſavit Epiſcopatus ann.* XXVII. *& menſ.* III, ut legitur in veteri Codice Sancti Symphoriani Metenſis. Obiit Angelramnus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo. Id multis argumentis probatum ſuo loco. Vacat igitur hoc anno Metenſis Epiſcopatus, ſeriúſque conferetur Gundulfo, qui primum in Epiſcoporum Metenſium Catalogo locum poſt Angelramnum tenet, & à pſeudo-diplomatis concinnatore mutatus in Candulfum videtur.

CCCXCV. Decimo-ſexto loco ponitur *ſignum Theodulfi Aurelian. Epiſcopi.* Hoc de Theodulfo, Aurelianenſium Epiſcopo, ut ſuprà de Walchando Leodienſium Antiſtite obſerva, quòd Epiſcopatum Carolo Rege ſuſcepit, eique vixit ſuperſtes. Mirum ſanè tot inter Francorum Præſulum ſubſcriptiones quas hactenus retulimus, duas tantùm, Walchandi ſcilicet ac Theodulfi, reperiri, quæ rectè cum hoc componantur anno, quo Præceptum à Carolo datum fertur, in quod inquirimus.

CCCXCVI. Decimo-ſeptimo loco ponitur *ſignum Anſelmi Mediolanenſis Epiſcopi.* Sed Odelpertus hujus Anſelmi deceſſor huic anno ſuperfuit, obiitque quinto Kalendas Maias, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, ut ad illum annum dicturi ſumus.

CCCXCVII. Duodeviceſimo loco ponitur *ſignum Wolfoldi Cremonenſis Epiſcopi.* Sed & Stephanus hujus Wolfoldi deceſſor vitam poſt hunc annum clauſit Bernardo Italiæ jam Rege.

CCCXCVIII. Undeviceſimo loco ponitur *ſignum Hilduini Abbatis Monaſterii Sancti Dionyſii.* Tomo ſecundo [c] Seculi tertii Benedictini tres extant libri de virtutibus & miraculis Sancti Dionyſii, quos Monachus San-Dionyſianus ætate Caroli Calvi compoſuit. Secundus hoc habet initium. *Regimen præfati ſæpenumero Monaſterii* San-Dionyſiani *poſt Waltonem Hilduinus emeruit.* Walto factus eſt Abbas San-Dionyſianus anno Redemptoris octingenteſimo ſexto. Quot annos Abbatiali munere functus ſit, nemo prodit. Ejus obitus, ut Mabillonus obſervat, in Necrologio San-Gallenſi notatur III. *Kal. Aprilis*, in At-

[c] Ad an. 784. In S. Fulrad.

Digitized by Google

gentogilenſi, cui magis fidendum, v *Kal. Aprilis* his verbis. *Obiit Walo Abbas Beati Dionyſii.* Utrùm hoc anno ſuperſtes in vivis extiterit. haud liquet. Certè Hilduinus Abbas erat anno ſequenti, Kalendis Decembris, ut patet ex Diplomate, quod legitur datum *Kalend. Decembris, anno, Chriſto propitio, primo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indict. octavâ.* AN. CH. 813. CARLOI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CCCXCIX.

Viceſimo loco ponitur *ſignum Floriani Abbatis Montis Caſſini.* Hujus quoque Floriani nomen ac ſignum appoſita ſunt aliis pſeudodiplomatibus, de quibus ad annos Redemptoris octingenteſimum & octingenteſimum quartum inquiſivimus. At illis temporibus Caſinenſis Abbas erat Giſulfus, qui Præfecturam Abbatialem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto ſuſcepit, eámque geſſit ad annum uſque quartum Ludovici Pii Auguſti, ſive ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, quo vitam cum morte commutavit.

Hæc ſunt ſuppoſititii Diplomatis indicia certiſſima. Si quis autem cauſam cudendarum tot fabularum diligentiùs ſcrutari velit, caput undeviceſimum pſeudo-Turpini de Geſtis Caroli Magni conſulat. Ibi multa reperiet ad commendationem Eccleſiæ Compoſtellanæ conficta, quæ ſimili pòſt commento tranſlata ſunt ad San-Dionyſianam. Hic pſeudobiographus caput quintum ſuarum nugarum ſic orditur. *De auro, quod Carolo Reges & Principes Hiſpaniæ dedere, Beati Jacobi Baſilicam tunc per tres annos in illis oris commorans augmentavit, Antiſtitem & Canonicos ſecundùm Beati Iſidori Epiſcopi & Confeſſoris Regulam inſtituit, eámque tintinnabulis, palliſque, libris, ceteriſque ornamentis decenter ornavit.* Caput duodeviceſimum ſic claudit. *Terras & provincias Hiſpaniæ pugnatoribus & gentibus ſuis, illis ſcilicet, qui in illa manere volebant, tunc Carolus dimiſit, terram Navarrorum & Baſclorum Britannis, & terram Caſtellanorum Francis, terram Nagere & Caſaraugſtam Græcis & Apulis, qui in noſtro exercitu ſunt, & terram Arraginis Picardis, & terram Alandaluſ juxta maritima Teutonicis, & terram Portugallorum Dacis & Flandris dedit. Terram Galliciæ Franci inhabitare noluerunt, quoniam aſpera eis videbatur. Nemo poſteà fuit, qui auderet in Hiſpania Carolum impugnare.* Deinde caput undeviceſimum ſic aggreditur. *Tunc dimiſſis majoribus exercitibus Carolus in Hiſpania Beati Jacobi limina adiit, & quos in illa patria habitantes reperit Chriſtianos amplificavit, illos verò, qui ad perfidiam Saracenorum reverſi fuerant, aut gladio peremit, aut in Galliam exules miſit. Tunc conſtituit per civitates Antiſtites, & Presbyteros, & adunato in urbe Compoſtella Epiſcoporum & Principum Concilio, inſtituit amore Beati Jacobi, quòd cuncti Præſules & Principes & Reges Chriſtiani, Hiſpani ſcilicet & Galliciani, præſentes & futuri, Epiſcopo Sancti Jacobi obedirent; apud Iriam Præſulem minimè inſtituit, quia illam pro urbe non reputavit, ſed villam ſubjectam Sedi Compoſtellenſi eſſe præcepit. Tunc in eodem Concilio, ego Turpinus Rhemenſis Archiepiſcopus Beati Jacobi Baſilicam, & altare cum quadraginta Epiſcopis Caroli rogatu Calendis Junii honorificè dedicavi. Et ſubjugavit Rex eidem Eccleſiæ totam terram Hiſpanicam & Gallicianam, dedítque ei in dote præcipiens, ut unuſquiſque poſſeſſor domûs totius Hiſpaniæ & Galliciæ quatuor nummos annuatim ex debito daret, & ab omni ſervitute, Rege præcipiente, liberi eſſent. Et conſtituitur die illo, ut illa Eccleſia ampliùs vocitetur Sedes Apoſtolica, eò quòd ibi Jacobus Apoſtolus requieſcat, & in ea Epiſcoporum totius Hiſpaniæ crebrò Concilia teneantur, & Epiſcopales Virgæ & Regales Coronæ per manus Epiſcopi ejuſdem urbis ad decus Apoſtoli Domini præbeantur. Et, ſi fides in aliis urbibus, peccatis populorum exigentibus, vel Dominica præcepta defecerint, ibi conſilio ejuſdem Epiſcopi reconcilientur, & meritò in Eccleſia illa venerabili fides reconciliari & ſtabiliri decernitur. Et, ſicut per Beatum Joannem Evangeliſtam, Beati Jacobi fratrem, in Orientali parte apud Epheſum Chriſti fides & Apoſtolica Sedes inſtituitur; ſic per Beatum Jacobum in Occidentali parte Regni Dei apud Galliciam fides eadem & Apoſtolica Sedes conſtituitur. Hæ ſunt procul dubio Sedes, Epheſus ſcilicet, quæ eſt ad dexteram in Regno terreno Chriſti, &* CD. PRO ECCLESIA COMPOSTELLANA.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Compoſtella, quæ eſt ad ſiniſtram. Quæ videlicet Sedes his duobus fratribus filiis Zebedæi in diviſione provinciarum contigerunt, quia ipſi petierant à Domino, ut unus ad dexteram in Regno ejus ſederet, & alius ad lævam. Tres Apoſtolicas Sedes principales præ omnibus Sedibus in Orbe meritò Religio Chriſtiana venerari præcipuè conſuevit, Romanam ſcilicet, & Gallicianam, & Epheſinam. Sicut enim tres Apoſtolos, Petrum ſcilicet, & Jacobum, & Joannem, præ omnibus Apoſtolis Dominus inſtituit, quibus ſua ſecreta pleniùs ceteris, ut in Evangeliis patet, revelavit; ſic per eos tres has Sedes præ omnibus coſmi Sedibus reverendas conſtituit. Et meritò hæ Sedes dicuntur principales, quia ſicut hi tres Apoſtoli dignitatis gratiâ ceteros præceſſerunt Apoſtolos, ſic loca illa ſacroſancta, in quibus prædicaverunt & ſepulti fuere, dignitatis excellentiâ totius Orbis Sedes præcedere debent. Jure Roma Sedes Apoſtolica prima præponitur, quia eam Princeps Apoſtolorum Petrus prædicatione ſuâ & proprio ſanguine & ſepulturâ dedicavit. Compoſtella quoque Sedes ſecunda meritò dicitur, quia Beatus Jacobus inter ceteros Apoſtolos præcipuâ dignitate & honore & honeſtate major poſt Beatum Petrum extitit, & in cælis Primatum ſuper illos tenet, priùs Martyrio laureatus, eam ſuâ prædicatione olim munivit, ſepulturâ ſuâ ſacratiſſimâ conſecravit, & Miraculis adhuc perluſtrat, & indeficientibus beneficiis indeſinenter ditare non ceſſat. Tertia Sedes ritè Epheſus dicitur, quia Beatus Joannes Evangeliſta in ea Evangelium ſuum (ſcilicet, In principio erat verbum) eructavit, coadunato Epiſcoporum Concilio, quos ipſe per urbes diſpoſuerat, quos etiam in Apocalypſi ſua Angelos vocat, eámque doctrinâ ſuâ, & Miraculis, & Baſilicâ, quam in ea ædificavit, inſuper propriâ ſepulturâ conſecravit. Si ergo aliqua judicia, aut divina, aut humana, in aliis Sedibus Orbis ſuâ difficultate terminari fortè nequeant, in his tribus ſedibus tractari & definiri legitimè & juſtè debent. Itaque Gallicia in primis temporibus à Saracenis expetita, virtute Dei & Beati Jacobi & auxilio Caroli conſtat honeſta uſque in hodiernum diem in fide Orthodoxa. Dubletus [a] ultimum hunc textum San-Dionyſianis Antiquitatibus inſeruit, ut San-Dionyſiano pſeudodiplomati, quod in eadem materia verſabatur, potiorem auctoritatem conciliaret. At ut San-Dionyſianum Diploma, ſic & Compoſtellanum ipſa lectio commentitium ſatis oſtendit. Omiſſis populorum nominibus quæ ſeriùs audiri cœperunt, omiſsâ Paſtoralium Virgarum & Regalium Coronarum diſtributione quæ tota pendet ab Epiſcopo Compoſtellano, omiſsâ quoque provinciarum Hiſpanienſium partitione quam Carolus ſuos inter milites facit; inſtar omnium argumentorum, quæ contra prædictam narrationem produci poſſunt, hoc unum eſto, quòd Carolus *per tres annos* in Hiſpania commoratur. Id enim quàm alienum ſit à vero veteres docent cùm Annaliſtæ tum Biographi, qui Geſta Caroli per annos accuratiſſimè digeſſerunt, annotarúntque quibus in locis Paſchalem Solemnitatem & diem Natalem Domini per ſingulos annos celebravit.

[a] Lib. 4. c. 3.

CDI. FULDENSIUM MONACHORUM SUPPLEX AD CAROLUM IMP. ADVERSUS ABBATEM LIBELLUS.

Ad hæc poſtrema Caroli tempora referendus videtur ſupplex libellus, quem adverſùs Ratgarium Abbatem ſuum Monachi Fuldenſes obtulerunt in viginti Capitula ſic diſtinctum apud Chriſtophorum Browerum libro tertio [b] Antiquitatum Fuldenſium.

[b] Cap. 12.

CDII.

I. In primis petimus Pietatem tuam, Clementiſſime Imperator, quòd liceat nobis, Orationum, Pſalmodiæ, & Vigiliarum modum tenere, quem Patres noſtri habuerunt, pro amicis noſtris viventibus atque defunctis; id eſt, quotidianam precem pro te, Domine Auguſte, & pro liberis tuis, & pro omni populo Chriſtiano, quam mane, quando in unum convenimus, & Capitulum de Regula coram fratribus legebatur, exurgentes poſt lectionem, ter Verſum [*Deus, in adjutorium meum intende*] *adjunctâ* [*Gloria Patri*] *cantantes, flexis genibus Pſal.* L *cecinimus, ſimul cum Verſibus & Collecta. In ſecunda quoque feria uniuſcujuſque ſeptimanæ, orationem pro omnibus eleemoſynas nobis tribuentibus, id eſt, eundem Pſalmum* L, *quem tota Congregatio juxta corpus B. Martyris ſimul proſtrata cantavit cum Oratione Dominica & Verſibus. Pro defunctis ergo fratribus noſtris commemorationem illam,*

illam, quam quotidie bis habuimus, id eſt, poſt Matutinam celebrationem & Veſpertinam, quæ eſt, Antiphona videlicet [*Requiem æternam*] *& prima pars Pſalmi* [*Te decet Hymnus Deus*] *Verſus & Collecta. In Kalendis verò omnium menſium, unam Vigiliam & L Pſalmos. Pro Sturmi quoque Abbate & Fundatoribus Monaſterii iſtius, in anniverſaria obitûs die, unam Vigiliam & unum Pſalterium per ſingulos annos.* In hoc articulo Monachi Fuldenſes quotidianam laudant precem pro Domino Auguſto & ejus liberis, nec ullam Auguſtæ vel Reginæ mentionem faciunt, unde colligimus ſupplicem hunc libellum poſt Adelluidæ mortem porrectum eſſe Carolo, cùm vitam duceret abſque uxore poſt annum Redemptoris octingenteſimum undecimum. Deinde Fuldenſis tumultus ad Imperium uſque Ludovici Pii perduravit, idque argumento eſt apud Carolum paulò antequàm moreretur, queſtos eſſe Monachos Fuldenſes, alioquin enim ipſe Monaſterio pacem reddidiſſet, quam poſteà Ludovicus filius feliciter reſtituit. Nec in dubium vocari poteſt, quin libellus, de quo nunc agimus, oblatus ſit Carolo. Heiſtolphus enim Moguntiacenſis Archiepiſcopus, ut Ægilem proximum Ratgarii ſucceſſorem ad muneris æquitatem & curam erigeret, ultimum hujus libelli capitulum, in quo viva effigies Abbatis exhibetur, illi recitavit cum hac Præfatione. *Talem te filiis tuis patrem exhibere contende, qualem tibi & fratribus tuis tecum paulo antè fieri poſtulabas. Cujus petitionis & optionis exemplar, à vobis hoc modo dictatum ac ſcriptum Carolo præſignabatur Auguſto.*

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

II. Quòd Presbyteris concedatur Miſſas ſapiùs celebrare, & quòd ſpatia eis ad hoc dentur, ſicut à Majoribus noſtris dabantur. Quódque illi ad ſacrum ordinem eligantur, qui eruditi ſint verbo, & ſanctâ converſatione probati: & nec fures, nec ſcelerati, & qui Sacerdotii juris penitus ignari ſunt. CDIII.

III. Ut Sanctorum honor & feſtivitas non deteſtetur, ſed in Vigiliis & Miſſis eorum digna commemoratio fiat, & quod in his feſtivitatibus, quibus major veneratio convenit, fratribus ab opere ad lectiones & pſalmodiam vacare liceat, ſicut apud Majores noſtros licitum eſt: id eſt, in feſtivitate S. Mariæ & XII Apoſtolorum, S. Stephani & S. Laurentii, & ceterorum, quorum memoria apud Eccleſias Germaniæ celebres ſunt, necnon & eorum, quorum corpora in his regionibus habentur. CDIV.

IIII. Quòd communicationem fracti panis ante cibum quotidie ſumere non reſpuatur, ſecundùm exempla præcedentium Patrum. De Eulogiis actum [a] Tomo I. ſub Theodorico, Childeberto & Clotario Regibus, agendúmque infrà ſub Ludovico Pio ex Aquiſgranenſi Abbatum Collatione, cujus hic eſt Canon duodeſeptuageſimus. *Ut Eulogiæ fratribus à Presbyteris in refectorio dentur.* CDV.

[a] Ad an. 530. n. 9.

V. Quòd infirmorum major cura ſit & miſeratio, ſenum videlicet & debilium; neque penuriâ victûs affligantur, neque veſtitûs paupertate conterantur; & nec ineptiis aliquibus vexentur, ita ut nec baculum eis pro ſuſtentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando habere, quia cæcus & claudus non poſſunt ſine ſuſtentatione baculi benè incedere, nec decrepitus ſine formula genua flectere. Hoc rogamus, ut tales propter faſtidium de Monaſterio non ejiciantur, ne fortè in Cellis ſub laicis conſtituti, ſine confeſſione & neceſſario vitæ viatico moriantur. CDVI.

VI. Quòd omnibus ad Monaſterium vitæ hujus amore venientibus pietas congrua impendatur, & nec infirmi, neque ſeniores, neque delicati duritiâ aufugentur, ſed omnes cum miſericordia ſuſcipiantur, & ſolatium, quod petierint, honeſtè infirmitati eorum impertiatur. CDVII.

VII. Quòd nullus ante probationem ſuſcipiatur, neque corpori Monaſterii ſocietur; ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem, ſe Monaſterio ſociare voluerit; & receptus inhoneſto ſuo more conturbet fratres. CDVIII.

VIII. Ut nullus propter pecuniam vel poſſeſſionem terrenam fictis ſuaſionibus ſedulus, & blanditiis deceptus, poſtquàm in Monaſterium ſuſceptus fuerit, & non CDIX.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CDX. CDXI.

habens quod ſibi promittebat, triſtitiâ & pœnitentiâ ſeculi pereat, ſed veritas unicique ore proferatur, & opere impleatur.

IX. Quòd nullus vi Monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, ſive liber ſit ſive ſervus, quia tales in Monaſterium ſuſcepti, auctores ſunt ſcelerum & executores vitiorum.

X. Quòd victum & veſtitum, ſicut Majores noſtri conſtituerunt, habere liceat: quia primus Abbas noſter Sturmis in Monaſterio S. Benedicti per annum converſans, hinc poſteà rediens, ſecundùm electionem S. Bonifacii habitum eorum & victum dyndicantis, nobis iſtum conſtituit, cujus rei plures adhuc teſtes ſuperſunt. Lege quæ de Sancti Sturmionis itinere in Italiam ſcripta ſunt Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undequinquageſimum [a]. Martyrio coronatus eſt Sanctus Bonifacius anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto, menſe Junio. Migravit in cælum Sanctus Sturmio ſeu Sturmius aut Sturmis exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono, ſive anno poſt Sancti Bonifacii Martyrium vicesimo-quinto jam inchoato. Paucos, qui Sturmium ſuſceperint ex Italia redeuntem, vel eo priùs reverſo Bonifacium adierint, exiſtimamus ad ultima Caroli tempora perveniſſe, complures autem, qui probè noverint quis eſſet Monachorum Fuldenſium habitus Sturmione ſuperſtite.

[a] Nn. 32. 33.

CDXII. *XI. Quòd commune Magiſterium à Decanis & Præpoſito omnibus fratribus fiat, quia hæ diviſiones, quæ modò factæ ſunt, occaſiones ſunt ſcandalorum, diſſenſionum, & contradictionum. Credimus enim propter pacis charitatiſque cuſtodiam expedire, ſecundùm priorem Conſtitutionem communiter fratribus Decanos omnes conſtitui, ut communis cura cautelam præbeat, & dilectionem impendat.*

CDXIII. *XII. Ut ædificia immenſa atque ſuperflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris diſpereunt, ſed omnia juxta menſuram & diſcretionem fiant; fratribus quoque, ſecundùm Regulam, certis horis vacare lectioni liceat, & item certis operari*, id eſt, ſecundùm Regulam Benedictinam capite duodequinquageſimo.

CDXIV. *XIII. Quòd peregrinorum ſuſceptio & lavatio in eis pedum non negligatur, ſed ſecundùm Regulam & ſecundùm priorum noſtrorum conſuetudinem, quandocunque venerint, miſericorditer ſuſcipiantur, & ab omnibus fratribus lavatio pedum eis exhibeatur.* Lege caput quinquageſimum-tertium Regulæ Benedictinæ.

CDXV. *XIIII. Quòd hoſpitalitas antiqua non obliviſcatur, ſed omnibus hoſpitibus congruus honor & omnis humanitas exhibeatur. Quando autem plures advenerint, ut in Miſſa Sancti Bonifacii, conſolatione undique factâ, ab his, qui Cellæ providunt, omnibus refectio præbeatur.*

CDXVI. *XV. Ut privata negotia, & ſecularia beneficia, & diviſio poſſeſſionum atque agrorum in ipſo Monaſterii loco non fiant, quia inde exoriuntur jurgia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inimicitiæ, diſſenſiones, invidiæ, furtivæ comeſſationes, & ebrietates, & penè omnia mala, & ſaluti noſtræ contraria. Sed omnes agri atque cellæ in communi omnium fratrum ſiant, & omnes homines, qui in eodem Monaſterii loco habitant, ab uno veſtiario veſtitum accipiant, prout Præpoſitus ſive Cellarius diſpenſaverint, nec mercimonia aliqua ab aliquibus ibi ventilentur, ſed ſint omnia omnibus communia.*

CDXVII. *XVI. Ut ipſa Monaſterii miniſteria per fratres ordinentur, id eſt, piſtrinum, hortus, bratiarium, coquina, agricultura, & cetera miniſteria, ſicut apud deceſſores noſtros fuerunt, quia devotiùs & digniùs per fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum aut ſervum malevolum.* Lege Aquiſgranenſem Abbatum Collationem Canone quarto. Porrò bratiarium, ſive ut alii vocant braxatorium, eſt officina conficiendi potûs, qui ex hordeo fricto, aquato, coctóque, velut Cereris vinum, indiſcriminatim Cereviſia, Ceria, Celia, & Zythum à nonnullis appellatur, ſiti non magis ſedandæ quàm robori & ſalubritati quærendæ, præſertim ubi tritici polline & lupulo ſalictario benè

temperatur. Nomen trahit à bratio, quod priſcis Germanis hordeum de madido torrefactum. Illius vocis, licèt barbaræ, tamen ut & potûs antiquiſſimum uſum ex vetuſtis membranis eruit Chriſtophorus Browerus, quem conſule in notis ad articulum proximè deſcriptum. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CDXVIII.

XVII. Quòd malitioſa & furioſa mentis homines, & ad cuncta flagitia perpetranda promptiſſimi, non colligantur intra Monaſterium, ſicut factum eſt de illo homicida Clerico qui Monachum interfecit, qui contra omnium fratrum voluntatem & conſenſum locatus eſt in Monaſterio, quia timemus ne fortè cognati ipſius Monachi diabolicâ ſuaſione in ultionem ejus inflammentur, & homicidium augeatur; quódque ipſi, qui propter ſcelera ſua & improbitates inter ſeculares eſſe non poterant, in vicina Monaſterii loca gregatim non collocentur, quia furto Monaſteria depradant, & proxima quæque loca latrociniis infeſtant.

XVIII. Quòd ipſe Abbas corrigatur, ne inſtitutis S. Bonifacii detrahat, dicens quòd Decreta ejus Synodus damnaverit; & quòd Majores & cetera Monaſteria non reprehendat, quaſi regulariter non vivant. CDXIX. A qua notatus Synodo Bonifacius, haud patet. Suſpicamur eos, qui Bonifacium deprimebant, objeciſſe potiſſimùm, quòd causâ quondam cecidiſſet in diſputatione de Baptiſmo. Lege Tomum quintum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum. In Bojoaria Sacerdos formâ ſolitâ ſed vitiatâ Latinitate baptizavit, dicens. *Baptizo te in Nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta.* Quos ille baptizavit, rebaptizandos exiſtimavit Bonifacius, aliter ſenſerunt Virgilius & Sidonius, qui perrexerant in Bojoariam Evangelii propagandi causâ, ſeque in ipſius Bonifacii diſciplinam tradiderant. Hi rem totam per literas ad Zachariam Papam retulerunt. Romanus Pontifex Bonifacio ſtatim reſcripſit, ut abſtineret à rebaptizandis, quos baptizando Preſbyter non errorem introduxiſſet aut hæreſim, ſed, pro ſola ignorantia, Romanæ locutionis linguam infregiſſet. Epiſtolam ſuo loco [a] recitavimus integram, quâ Bonifacius acceptâ ſententiæ Sedis Apoſtolicæ mox acquievit. Nullum quidem ea de controverſia verbum deinceps reperitur factum, ſed hoc ſilentio prohiberi non potuit, quominus id quod olim geſtum fuerat, Ratgarius ejúſque fautores ſuis publicarent ſermonibus, ut inſtitutis Sancti Bonifacii detraherent, quamvis illa diſputatio de Baptiſmo ad inſtitutionem Monachorum & ad Regularem diſciplinam Fuldenſis Monaſterii nullomodo ſpectaret.

[a] Tom. 5. a. 746. n. 11.

XIX. Ut Crucis gloriatio in ſingulis diebus Dominicis fiat ante Miſſam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca Monaſterii Crucem ſequentibus, Hymnos & Antiphonas cantantibus, ſicut apud Majores noſtros uſus erat, in diebus Dominicis, Paſſionis & Reſurrectionis Domini gloriam celebrari. Et quòd in diebus jejuniorum ab Epiſcopo decretis Crucem portare & Litanias facere liceat. CDXX.

XX. Hoc igitur, quod maximè nobis neceſſarium eſſe judicavimus, pra omnibus optabamus, id eſt, unitatem & concordiam cum Abbate noſtro habere, ſicut cum anterioribus noſtris Abbatibus habuimus, & miſericordiam & familiaritatem pietatem & modeſtiam in illo ſentire. Et, ut eſſet benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, mœſtorum conſolator, laborantium adjutor, benevolorum auxiliator, benè certantium hortator, laſſorum refocillator, cedentium ſuſtentator, cadentium reſtaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, & nullum zeli vel livoris dolo perſequeretur, fierétque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obſtinatus in conſilio, ſed hilaris facie, latus mente, diſcretus in opere, conſentiens in utilitate. Et quando aliquis de fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, non ſtatim tyrannicâ vindictâ illum excruciaret, ſed miſericordi diſciplinâ corrigere feſtinaret, converſúmque clementer ſuſciperet, nec pravâ ſuſpicione denuò illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret. CDXXI.

Sequitur epilogus. *Hæ & talibus, Domine Imperator, apud priores noſtros Abbates uſi ſumus, & de hoc iſtum Abbatem ſapiſſimè rogavimus, ſed uſque in præſentem diem impetrare non potuimus.* CDXXII. Carolus Imperator, ne tumultum componeret, morte præpeditus fuit. Hoc igitur diſſidium poſt oblatum

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33. CDXXIII. VARIA PRODIGIA.

ſupplicem libellum perduravit aliquandiu, donec ſub Ludovico Pio Rargarius Abbatiale munus abdicavit, ut ſuo loco dicemus utriuſque partis jure priùs examinato.

Mortem Caroli, quam proximo menſe Januario conſignabimus, varia præceſſerunt hoc anno portenta, quæ ſic ab Eginhardo in ejus vita commemorantur: *Porticus, quam inter Baſilicam & Regiam operosâ mole conſtruxerat, die Aſcenſionis Domini ſubitâ ruinâ uſque ad fundamenta conlapſa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipſe per decem annos ingenti labore & opere mirabili è ligno ita conſtruxit, ut perenniter durare poſſe videretur, ita tribus horis,* hoc utique anno, menſe Maio, ut ex Annaliſta Laureshamenſi jam obſervavimus, *fortuitu incendio conflagravit, ut præter quod aquâ tegebatur, ne una quidem haſtula ex eo remaneret. Acceſſit ad hoc creber Aquenſis Palatii tremor, & in domibus, ubi converſabatur, aſſiduus laquearium crepitus. Tacta etiam de cælo, in qua poſteà ſepultus eſt, Baſilica, malúmque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis diſſipatum, & ſupra domum Pontificis, quæ Baſilicæ contigua erat, projectum eſt. Erat in eadem Baſilica, in margine coronæ, quæ inter ſuperiores & inferiores arcus interiorem Ædis partem ambiebat, epigramma ſynopide ſcriptum, continens, quis auctor eſſet ejuſdem Templi, cujus in extremo verſu legebatur, KAROLUS PRINCEPS. Notatum eſt à quibuſdam, eodem quo deceſſit anno, paucis ante mortem menſibus, eas, quæ PRINCEPS exprimebant, literas ita eſſe deletas, ut penitus non apparerent.*

CDXXIV. CAPITULARIA AQUISGRAN.

Tomo ſuperiore Carolum Auguſtum ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum laudavimus, quòd Miſſos per provincias ad faciendam juſtitiam direxerit. Sex quoque Capitula recitavimus à Sirmondo ſelecta ex longè pluribus, quæ Miſſis Dominicis tunc data ſunt. Integrum Capitulare quod Capitula viginti-tria complectitur, in Collectione Baluziana nuperrimè prodiit ex manuſcriptis Codicibus Vaticano & Metenſi. Primum Capitulum eſt *de fidelitate, jusjurandum ut omnes repromittant.* Quatuor proximè ſequentia jam deſcripta ſunt [a], nec hîc videntur à nobis repetenda. Sextum eſt *de legibus mundanis.* Septimum *de perjuriis.* Octavum *de homicidiis.* Nonum *de adulteriis & inlicitis cauſis tam per Epiſcopia & Monaſteria virorum & puellarum quámque inter ſeculares homines.* Decimum *de illis hominibus, qui noſtra beneficia habent deſtructa & alodes eorum reſtauratos; ſimiliter & de rebus Eccleſiarum.* Undecimum *de illis Saxonibus, qui beneficia noſtra in Francia habent, quomodo aut qualiter habeant condricta.* Duodecimum *de oppreſſione liberorum hominum pauperum, qui in exercitu ire debent, & à Judicibus ſunt oppreſſi.* Decimum-tertium, *ut omnes præparati ſint benè, quandocunque noſtra Juſſio venerit.* Decimum-quartum *de navigiis præparandis circa littora maris.* Decimum-quintum *de liberis hominibus qui circa maritima loca habitant, ſi nuntius venerit ut ad ſuccurrendum debeant venire, & hoc neglexerint, unuſquiſque ſolidos viginti componat, medietatem in Dominico, medietatem ad populum; ſi ictus fuerit, ſolidos quindecim componat ad populum & fredo Dominico.* Decimum-ſextum *de Legationibus ad nos venientibus & de Miſſis à nobis directis.* Decimum-ſeptimum *de his quos volumus ut pacem habeant & defenſionem per Regna Chriſto propitio noſtra.* Duodeviceſimum *de illis hominibus, qui juſtitiam noſtram adnuntiantes occiſi ſunt.* Undeviceſimum *de decimis & nonis atque juſtitia Eccleſiarum Dei, ut omnes dare & emendare ſtudeant.* Hoc quoque Capitulum Tomo priore deſcripſimus ex Sirmondo, cui *caſticia* vox eſt obſcurior quàm *juſtitia* Baluzio. Quid de caſticia ſeu caſticio ſentiremus, eodem explicuimus loco. Sequitur viceſimum Capitulum *de banno Domni Imperatoris Karoli, quod per ſemetipſum conſuetus eſt bannire, id eſt, de mundoburdo Eccleſiarum & viduarum & orphanorum & minùs potentium, atque de rapto, & de exercitali Placito inſtituto, ut hi, qui iſta inruperint, bannum Dominicum omnino componant.* Viceſimum-primum. *Ut omnes habeant bonos Vicedominos & Advocatos.* Viceſimum-ſecundum. *Ut diligenter inquirant,*

[a] Ad an. 802. nn. 12. & ſeqq.

inter Epiſcopos, Abbates, ſive Comites, vel Abbatiſſas, atque Vaſſos noſtros, qualem concordiam vel amicitiam ad invicem habeant per ſingula miniſteria, aut ſi aliqua diſcordia inter ipſos eſſe videtur, & omnem veritatem in eorum ſacramento nobis exinde renuntiare non negligant. Viceſimum-tertium. *De omni re inſuper totum undecunque neceſſe fuerit, tam de juſtitiis noſtris, quámque juſtitiis Eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & ceterorum hominum, inquirant & perficiant; & quodcunque ad emendandum invenerint, emendare ſtudeant in quantùm melius potuerit; & quod per ſe emendare non potuerint, in præſentiam noſtram adduci faciant.* AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

Pleraque horum Capitulorum breviata ſunt ex Capitulis alterius Capitularis, quod in unum & quadraginta diſtinctum Capitula prælaudatus Capitularium Collector ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum ex Bibliotheca Thuanea ſic evulgavit. CDXXV.

*I. Sereniſſimus & Chriſtianiſſimus Domnus Imperator Karolus elegit ex Optimatibus ſuis prudentiſſimos & ſapientiſſimos viros, tam Archiepiſcopos quàm & reliquos Epiſcopos, ſimúlque & Abbates venerabiles, laicóſque religioſos, & direxit in univerſum Regnum ſuum, & per eos cunctis ſubſequentibus ſecundùm rectam Legem vivere conceſſit. Ubi autem aliter quàm rectè & juſtè in Lege aliquid eſſet conſtitutum, hoc diligentiſſimo animo exquirere juſſit & ſibi innoteſcere, quod ipſe donante Deo meliorare cupit. Et nemo per ingenium ſuum vel aſtutiam præſcriptam Legem, ut multi ſolent, vel ſibi ſuam juſtitiam marrire audeat vel prævaleat, neque Eccleſiis Dei, neque pauperibus, nec viduis, nec pupillis, nullique homini Chriſtiano. Sed omnes omnino ſecundùm Dei præceptum juſtâ viverent ratione * in juſto judicio, & unuſquiſque in ſuo propoſito vel profeſſione unanimiter abſque turpi lucri negotio pleniter obſervaſſent, Sanctimoniales ſub diligenti cuſtodia vitam ſuam cuſtodirent, laici & ſeculares rectè legibus ſuis uterentur abſque fraude maligna, omnes in invicem in caritate & pace perfectè viverent, & ut ipſi Miſſi diligenter perquirerent ubicunque aliquis homo ſibi injuſtitiam factam ab aliquo reclamaſſet, ſicut Dei Omnipotentis gratiam ubi cupiant cuſtodire & fidelitatem ſibi promiſſam conſervare, itaut omnino in omnibus ubicunque, ſive in ſanctis Eccleſiis Dei, vel etiam pauperibus, pupillis, & viduis, atque cuncto populo, Legem pleniter atque juſtitiam exhiberent ſecundùm voluntatem & timorem Dei. Et, ſi tale aliquid eſſet quod ipſi per ſe cum Comitibus provincialibus emendare & ad juſtitiam reducere nequiviſſent, hoc abſque ulla ambiguitate cum brebitariis ſuis*, id eſt, cum brevibus ſive inventariis, *ad ſuum referrent judicium, & per nullius hominis adulationem vel præmium, nulliúſque conſanguinitatis defenſione, vel timore potentum, recta juſtitia impediretur ab aliquo.* In hoc Capitulo *marrire juſtitiam* idem eſt ac deviare à juſtitia, Metaphorâ ductâ à viatoribus, qui, cùm à recta deviant via, marrire iter dicuntur etiamnum à Lemovicibus, ut in ſuis ad Capitularia notis obſervat egregius ipſorum Capitularium Collector, Tutelæ natus in provincia Lemovicenſi. CDXXVI. * rationem juſto

II. Præcepítque ut omnis homo in toto Regno ſuo, ſive Eccleſiaſticus, ſive laicus, unuſquiſque ſecundùm votum & propoſitum ſuum, qui antèà fidelitatem ſibi Regis nomine promiſiſſent, nunc ipſum promiſſum hominis Cæſari faciant. Et ii, qui adhuc ipſum promiſſum non perfecerunt, omnes uſque ad duodecimum ætatis annum ſimiliter facerent. Cetera prætermittimus, quia ſunt depravata. Capitulo præfigitur Titulus *de fidelitate promittenda Domno Imperatori.* Quæ ſuperiùs deſcripta ſunt, Titulum illum ſatis implent conveniúntque cum hoc primo Capitulo præcedentis Capitularis. *De fidelitate, jusjurandum ut omnes repromittant.* CDXXVII.

III. Placuit, ut unuſquiſque ex perſona propria ſe in ſancto Dei ſervitio ſecundùm Dei præceptum & ſecundùm ſponſionem ſuam pleniter conſervare ſtudeat ſecundùm intellectum & vires ſuas, quia ipſe Domnus Imperator non omnibus ſingulariter neceſſariam poteſt exhibere curam & diſciplinam. CDXXVIII.

IV. Secundò, ut nullus homo neque cum perjuris neque aliis ullo ingenio vel fraude, per nullius unquam adulationem vel præmium, neque ſervum Domni Im- CDXXIX.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

peratoris, neque terminum, neque terram, nihilque quod jure poteſtative permaneat, nullatenus contradicat, neque abſtrahere audeat vel celare. Et ut nemo fugitivos fiſcales ſuos, qui ſe injuſtè & cum fraude liberos dicunt, celare neque abſtrahere cum perjurio vel alio ingenio præſumat.

V. Ut ſanctis Eccleſiis Dei, neque viduis, neque orphanis, neque peregrinis fraudem vel rapinam vel aliquid injuriæ quis facere præſumat. Ratio ſubjicitur, quam vitiosè ſic editam reperies. *Quia ipſe Dominus Imperator poſt Domini & Sanctorum ejus, quorum & protector & defenſor eſſe conſtitutus eſt.* Ita verò reſtituendam arbitrare. *Quia ipſe Domnus Imperator, poſt Dominum & Sanctos ejus, illorum & protector & defenſor conſtitutus eſt.*

CDXXXI. *V I. Ut beneficium Domni Imperatoris deſertare nemo audeat, propriam ſuam alodem exinde conſtruere.* Vide Capitulum decimum ſuperioris Capitularis.

CDXXXII. *V I I. Ut hoſtile bannum Domni Imperatoris nullus prætermittere præſumat, nullúſque Comes tam præſumptuoſus ſit, ut illum de his qui hoſtem facere debiti ſunt exinde vel aliqua propinquatis defenſionem vel cujus muneris adolationem dimittere audeant.* Poſterior pars hujus Capituli ſic videtur corrigenda. *Nullúſque Comes tam præſumptuoſus ſit, ut ullum de his qui hoſtem facere debent, exinde per aliquam propinquitatis defenſionem vel muneris adulationem dimittere audeat.*

CDXXXIII. *V I I I. Ut nullum bannum vel præceptum Domni Imperatoris nullus omnino in nullo marrire præſumat, neque opus ejus ſtricare vel impedire vel minuere, vel in alio contrarius fieri voluntati vel præceptis ejus. Et ut nemo debitum ſuum vel cenſum marrire auſus ſit.* Quid autem ſit *marrire*, diximus ſuprà.

CDXXXIV. *I X. Ut nemo in Placito pro alio rationare uſum habeat defenſionem alterius injuſtè, ſive pro cupiditate aliqua minùs rationare valente, vel pro ingenio rationis ſuæ juſtum judicium marrire, vel rationem ſuam minùs valente opprimendi ſtudio. Sed unuſquiſque pro ſua cauſa vel cenſu vel debito rationem reddat, niſi aliquis ſit infirmus, aut rationes neſcius, pro quibus Miſſi vel priores qui in ipſo Placito ſunt, vel Judex qui cauſam hujus rationis ſciat, rationetur cum Placito, vel ſi neceſſitas ſit talem perſonam largiatur, ut rationetur qui omnibus probabilis ſit, & qui in ipſa benè noverit cauſa. Quod tamen omnino fiat ſecundùm convenientiam priorum vel Miſſorum qui præſentes adſunt. Quod & omnimodis ſecundùm juſtitiam & legem fiat ádque præmium & mercedem; vel aliquo mala adulationis ingenio vel defenſione propinquitatis ut nullatenus juſtitiam quis marrire prævaleat. Et ut nemo aliquid alicui injuſtè conſentiat, ſed omni ſtudio & voluntate omnes ad juſtitiam perficiendam præparati ſint. Hæc enim omnia ſuprà dicta Imperiali ſacramento obſervari debent.*

CDXXXV. *X. Ut Epiſcopi & Presbyteri ſecundùm Canones vivant, & ita ceteros doceant.* Lege Capitulum ſecundum ſuperioris Capitularis.

CDXXXVI. *X I. Ut Epiſcopi, Abbates, atque Abbatiſſæ, qui ceteris prælati ſunt, cum ſumma veneratione ac diligentia ſubjectis ſibi præeſſe ſtudeant, non potentivâ dominatione vel tyrannide ſibi ſubjectos premant, ſed ſimplici dilectione cum manſuetudine & caritate vel exemplis bonorum operum commiſſum ſibi gregem ſollicitè cuſtodiant.*

CDXXXVII. *X I I. Ut Abbates, ubi Monachi ſunt, pleniter cum Monachis ſecundùm Regulam vivant, atque Canones diligenter diſcant & obſervent. Similiter Abbatiſſæ faciant.* Ad hoc Capitulum accedit, quod in priore Capitulari tertium eſt numero, totúmque ad Abbates ſpectat.

CDXXXVIII. *X I I I. Ut Epiſcopi, Abbates, atque Abbatiſſæ, Advocatos atque Vicedominos Centenariósque legem ſcientes, & juſtitiam diligentes, pacificósque, & manſuetos habeant, qualiter per illos Sancta Dei Eccleſia magis præceptum vel merces adcreſcat, quia nullatenus neque Præpoſitos neque Advocatos damnoſos & cupidos in Monaſteria habere volumus, à quibus magis blaſphemia vel detrimenta oriantur. Sed tales ſint, quales eos Canonica vel Regularis inſtitutio fieri jubet, voluntati Dei ſubditos, & ad omnes juſtitiam perficiendi ſemper paratos, legem pleniter obſervantes abſque fraude maligna, juſtum ſemper judicium in omnibus exer-*

centes, Præpoſitos veſtros tales quales Sancta Regula fieri docet. Et hoc omnino obſervent, ut nullatenus à Canonica vel Regulari norma diſcedant, ſed humilitatem in omnibus habeant. Si autem aliter præſumpſerint, Regularem diſciplinam ſentiant. Et, ſi ſe emendare noluerint, à præpoſito removeantur, & qui digni ſunt in loca eorum ſubrogentur. Ad hoc Capitulum reſpicit viceſimum-primum prioris Capitularis. AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

XIV. Ut Epiſcopi, Abbates, atque Abbatiſſæ, Comitéſque, unanimiter invicem ſint conſentientes legem ad judicium juſtum terminandum cum omni caritate & concordia pacis, & ut fideliter vivant ſecundùm voluntatem Dei, ut ſemper ubique & propter illos & inter illos juſtum judicium perficiatur; pauperes, viduæ, orphani, & peregrini, conſolationem atque defenſionem ab eis habeant, ut & nos per eorum bonam voluntatem magis præmium vitæ æternæ quàm ſupplicium mereamur. CDXXXIX.

XV. Abbates autem & Monachi omnimodis volumus & præcipimus, ut Epiſcopis ſuis cum omni humilitate & obedientia ſint ſubjecti, ſicut Canonica Conſtitutio mandat. Et Monachi ab Epiſcopo provinciæ ipſius corripiantur. Quod ſi ſe non emendent, tunc Archiepiſcopus eos ad Synodum convocet. Et, ſi neque ſic ſe correxerint, tunc ad noſtram præſentiam ſimul cum Epiſcopo ſuo veniant. Hoc Capitulum habet inſuper multa de Eccleſiis & Baſilicis, ſed non abſque ſtyli depravatione, quam nemo facilè correxerit. *Omnes Eccleſiæ atque Baſilicæ in Eccleſiaſtica defenſione & poteſtate permaneant. Et de rebus ipſius Baſilicæ nemo auſit ſit in diviſione aut in ſorte mittere. Et quod ſemel offeritur non revolvatur * & ſanctificat & vindicet. Et, ſi autem aliter præſumpſerit, perſolvatur, & bannum noſtrum componat.* CDXL. * locus corruptus

XVI. De ordinatione eligenda, ut Domnus Imperator jam olim ad Francorum bannum conceſſit, ut Epiſcopi Abbatibus, ita etiam nunc & firmavit, eo tamen tenore, ut neque Epiſcopus neque Abbas in Monaſterio viliores meliori plùs diligat, & eum ſibi propter conſanguinitatem ſuam vel aliquam adulationem melioribus ſuis præferre ſtudeat, & talem nobis ducit ordinandum, cùm meliorem eo habet occultatum & oppreſſum. Quod nequaquam fieri volumus, quia inriſio & deluſio noſtra hoc fieri videtur. Sed tales in Monaſteriis nutriantur ad ordinandum, quibus & nobis merces & profectus adcreſcat commendatoribus ſuis. CDXLI.

XVII. Monachi autem ut firmiter ac fortiter ſecundùm Regulam vivant, quia diſplicere Deo novimus, quiſquis in ſua voluntate tepidus eſt, teſtante Johanne in Apocalypſi. [*Utinam calidus eſſes aut frigidus! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*] *Secularem ſibi negligentiam nullatenus uſurpent. Foris Monaſterio nequaquam progrediendi licentiam habeant, niſi maximâ cogente neceſſitate, quod tamen Epiſcopus, in cujus Dioceſi erunt, omnino procuret, ne foris Monaſterio vagandi uſum habeant. Sed, ſi neceſſitas ſit ad aliquam obedientiam aliquem foris pergere, & hoc cum conſilio & conſenſu Epiſcopi fiat, & tales perſonæ cum teſtimonio foris mittantur, in quibus nulla ſit ſuſpicio mala, vel à quibus nulla opinio mala oriatur. Foris verò peculium vel res Monaſterii ſui Abbas cum Epiſcopi ſui licentia & conſilio ordinet, qui prævideat, non Monachum, niſi alium fidelem. Quæſtum verò ſecularem vel concupiſcentiam mundanarum rerum omnibus modis devitent, quia avaritia vel concupiſcentia hujus mundi omnibus eſt evitanda Chriſtianis, maximè tamen his, qui mundo & concupiſcentiis abrenuntiaſſe videntur. Lites & contentiones nequaquam neque infra neque foris Monaſterio movere præſumant. Qui autem præſumpſerint, graviſſimâ diſciplinâ Regulari corripiantur, ut taliter ceteri metum habeant talia perpetrandi. Ebrietatem & comeſſationem omnino fugiant, quia inde libidine maximè pollui omnibus notum eſt. Nam pervenit ad aures noſtras opinio perniciosiſſima, in fornicatione & abominatione & immunditia multos jam in Monaſteriis eſſe deprehenſos.* Proximam omittimus periodum, quia nonnulla deſunt vocabula. Senſus tamen ex phraſi quamvis imperfecta ſatis colligitur. Damnantur Monachi luxuriæ dediti, quibus infenſiſſimum ſe Carolus in fine Capituli ſic prodit. *Rogamus & conteſtamur ut certiſſimè amplius ex his diebus omni cuſtodiâ* CDXLII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

ſe ex his malis conſervare ſtudeant, ut nunquam amplius tale quid ad noſtras aures perveniat. Et hoc omnibus notum ſit, quia nullatenus injuſta mala in nullo loco amplius in toto Regno noſtro conſentire audeamus, quanto minus inter eos quos caſtitatis & ſanctimoniæ emendationis eſſe cupimus. Certè ſi amplius quid tale ad aures noſtras pervenerit, non ſolum in eos, ſed etiam & in ceteros qui talia conſentiant, talem ultionem faciemus, ut nullus Chriſtianus, qui hoc audierit, nullatenus tale quid perpetrare amplius præſumpſerit.

CDXLIII. *XVIII. Monaſteria puellarum firmiter obſervata ſint, & nequaquam vagari ſinantur, ſed cum omni diligentia conſerventur; neque litigationes vel contentiones inter ſe movere præſumant, neque in nullo Magiſtris & Abbatiſſis inobedientes vel contraria fieri audeant. Ubi autem Regulares ſunt, omnino ſecundùm Regulam obſervent. Non fornicationi deditæ; non ebrietati, non cupiditati ſervientes, ſed omnimodis juſtè & piè vivant. Et ut in clauſtra vel Monaſterium earum vir nullus intret, niſi ad Miſſam tantùm, & ſtatim exeat. Et ut nemo alterius filiam ſuam in Congregationem Sanctimonialium recipiat abſque notitia vel conſideratione Epiſcopi, ad cujus Dioceſim pertinet locus ille, & ut ipſe diligenter exquirat qualiter in Sancto Dei ſervitio permanere cupiat, & ſtabilitatem ſuam ibidem firmare vel profeſſionem. Ancillæ autem aliorum hominum, vel tales fœminæ, quæ ſecundùm morem converſationis in ſancta Congregatione vivere nolunt, omnes pleniter de Congregatione ejiciantur.*

CDXLIV. *XIX. Ut Epiſcopi, Abbates, Presbyteri, Diaconi, nullúſque ex omni Clero, canes ad venandum, aut accipitres *, falcones, ſeu ſparvarios habere præſumant, ſed pleniter ſe unuſquiſque in ordine ſuo Canonicè vel Regulariter cuſtodiant. Qui autem præſumpſerit, ſciat unuſquiſque honorem ſuum perdere. Ceteri verò tale exinde damnum patiantur, ut reliqui metum habeant talia ſibi uſurpare.* Tomo ſuperiore [a] jam recitavimus Capitulum, quo ſancitur, *ut Epiſcopi, & Abbates, & Abbatiſſæ, cuplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.*

* acceptores

[a] Ad an. 789. n. 154.

CDXLV. *XX. Ut Abbatiſſæ unà cum Sanctimonialibus ſuis unanimiter ac diligenter infra clauſtra ſe cuſtodiant, & nullatenus foris clauſtra ire præſumant. Sed Abbatiſſæ cùm propter * ... aliquas de Sanctimonialibus dirigere, hoc nequaquam abſque licentia & conſilio Epiſcopi ſui faciant. Similiter & cùm ordinationem aliquam in Monaſteriis agere debeant, vel aliquas in Monaſterio receptiones facere, & hoc cum Epiſcopis ſuis pleniter anteà retractent, & quod ſalubrius vel utilius fieri diſponat, Epiſcopi Archiepiſcopo annuntient, & cum ejus conſilio quæ agenda ſunt perficiantur.*

* deeſt aliquid

CDXLVI. *XXI. Ut Presbyteros ac ceteros Canonicos, quos Comites ſuis in miniſteriis habent, omnino eos Epiſcopis ſuis ſubjectos exhibeant, ut Canonica Inſtitutio jubet, & de his Epiſcopis ſuis pleniter ſub ſancta diſciplina eos erudire ſint conſentientes, ſicut noſtram gratiam vel ſuos honores habere deſiderant.*

CDXLVII. *XXII. Canonici autem pleniter vitam obſervent Canonicam, & in domo Epiſcopali vel etiam in Monaſterio cum omni diligentia ſecundùm Canonicam diſciplinam erudiantur. Nequaquam foris vagari ſinantur, ſed ſub omni cuſtodia vivant, non turpis lucri cupidi, non fornicarii, non fures, non homicidæ, non raptores, non litigioſi, non iracundi, non elati, non ebrioſi, ſed caſti corde & corpore, humiles, modeſti, ſobrii, manſueti, pacifici, ut filii Dei digni ſint ad ſacros ordines promoveri. Non per vicos neque per villas ad Eccleſiam vicini vel terminantes ſine magiſterio vel diſciplina, qui Sarabaiti, ſeu Sarabaitæ [b], dicuntur, luxuriando vel fornicando vel etiam cetera iniqua operando quæ conſentiri abſurdum eſt.*

[b] Cap. 1. Reg. Benedict.

CDXLVIII. *XXIII. Presbyteri Clericos, quos ſecum habent, ſollicitè prævideant, ut Canonicè vivant, non inanis luſibus, vel conviviis ſecularibus, vel canticis luxurioſis uſum habeant, ſed caſtè & ſobriè vivant.*

CDXLIX. *XXIV. Si quis autem Presbyter ſive Diaconus poſt hoc in domo ſua ſecum mulieres extra Canonicam licentiam habere præſumpſerit, honore ſimul & hereditate privetur * uſque ad noſtram præſentiam.*

* Edit. privetur ſuisque

XXV.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

XXV. Ut Comites & Centenarii omnes ad juſtitiam faciendam compellant, & juniores tales in miniſteriis ſuis habeant, in quibus ſecuri confidant, quia legem atque juſtitiam fideliter obſervent; pauperes nequaquam opprimant; fures, latroneſque, & homicidas, adulteros, maleficos, atque incantatores, vel augurlatrices, omneſque ſacrilegos nullâ adulatione vel præmio nulloque ſub tegimine celare audeant, ſed magis prodere, ut emendentur & caſtigentur ſecundùm legem, ut Deo largiente omnia hac mala à Chriſtiano populo auferantur. CDL.

XXVI. Ut Judices ſecundùm ſcriptam legem juſtè judicent, non ſecundùm arbitrium ſuum. CDLI.

XXVII. Præcipimus ut in omni Regno noſtro neque dives neque pauper peregrinis hoſpitia denegare audeant, id eſt, ſive peregrinis propter Deum ambulantibus per terram, ſive cuilibet iteranti propter amorem Dei & propter ſalutem animæ ſuæ, tectum & focum & aquam nemo illi deneget. Si autem amplius ei aliquis boni facere voluerit, à Deo ſibi ſciant retributionem optimam ut ipſe dixit. [*Qui autem ſuſceperit unum parvulum propter me, me ſuſcipit.*] *Et alibi.* [*Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.*] In hoc Capitulari Carolus frequenter appellatur Imperator, ejus tamen ditiones, ſemper Regni, numquam Imperii nomine deſignantur; Capitulo primo, *in univerſum Regnum*; Capitulo ſecundo, *in Regnum*; Capitulo decimo-ſeptimo, *in toto Regno*; Capitulo viceſimo-ſeptimo, *in omni Regno*; Capitulo triceſimo, *in Regno*; Capitulo quadrageſimo, *in univerſo Regno*. Hujus obſervationis rationem ſæpè dedimus inculcavimúſque, quòd Carolus cunctas ditiones ſuas ut Rex, ne vicum quidem ut Imperator obtineret. CDLII.

XXVIII. Huic Capitulo inſtar tituli rectè præfigi poteſt quod in ſuperiore Capitulari decimum-ſextum eſt Capitulum *de Legationibus* ad Imperatorem *venientibus & de Miſſis* ab eodem Imperatore *directis*. Abſtinemus à deſcribendo textu, quia valdè corruptus eſt in exemplaribus. Capituli ſenſus eſt, *ut Comites & Centenarii omnibus* quibus id curæ incumbit, *omnino præcipiant prævidere*, quatenus & Legati ad Imperatorem venientes & Miſſi ab Imperatore directi *nullam* in via *moram patiantur.* CDLIII.

XXIX. Hujus quoque Capituli textus eſt depravatus, ſenſus tamen is videtur eſſe, ut eos pauperes, quibus Imperator *in ſua eleemoſyna* conceſſit quod *pro banno* ſolvere debebant, *Judices, Comites, & Miſſi* Dominici *pro conceſſo* non conſtringant. CDLIV.

XXX. De his quos vult Domnus Imperator Chriſto propitio ut pacem ac defenſionem habeant in Regno ſuo. Ii ſunt qui ad ſuam Clementiam feſtinant aliquid nuntiare cupientes, ſive ex Chriſtianis, ſive ex paganis; aut propter inopiam vel propter famem ſuffragantiam quærunt, ut nullus eos ſibi ſervitio conſtringere vel uſurpare audeat, neque alienare, neque vendere, ſed ubi ſponte manere voluerint, ſub defenſione Domni Imperatoris ibi habeant ſuffragia in ſua eleemoſyna. Pœna ſubjicitur in tranſgreſſores, ſed ſtylo tam depravato, ut vix corruptius quidquam legi poſſit. Exemplaria ſic habent. *Si quis hoc tranſgredere præſumpſerit, ſciat ſe exinde damnum pati vitam præſumptuoſus diſpoſitum juſſa Domnum Imperator.* Lege Capitulum decimum-ſeptimum ſuperioris Capitularis. CDLV.

XXXI. Ut his, qui juſtitiam Domni Imperatoris annuntiant, nihil læſionis vel injuriæ quis machinari præſumat, neque aliquid inimicitiæ contra eos movere. Qui autem præſumpſerit, bannum Dominicum ſolvat. Vel ſi majoris debiti reus ſit ad ſuam præſentiam perduci juſſum eſt. Ad eandem materiam ſpectat duodeviceſimum Capitulum prioris Capitularis. CDLVI.

XXXII. Hoc Capitulum benè longum eſt de cavendis homicidiis, de compoſitione occiſorum, & de pœnitentia homicidarum. Tituli loco præfigi poteſt ſuperioris Capitularis octavum Capitulum *de homicidiis.* CDLVII.

XXXIII. Inceſtuoſum ſcelus omnino prohibemus. Si quis autem nefandâ fornicatione contaminatus fuerit, nullatenus ſine diſtrictione gravi relaxetur, ſed taliter ex hoc corripiatur, ut ceteri metum habeant talia perpetrandi, ut auferatur CDLVIII.

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

*penitus immunditia à populo Christiano, & ut reus ex hoc per pœnitentiam * satisfaciat pleniter, sicut ei ab Episcopo suo disponatur, & eadem fœmina in manus parentum sit constituta usque ad judicium nostrum. Si autem reus judicium Episcopi ad suam emendationem consentire noluerit, tunc ad nostram præsentiam perducatur.* Postea Carolus inculcat memoriam *exempli, quod de incesto factum est, quod Fricco perpetravit in Sanctimoniali Dei.*

* Edit. *pœnitentia admittat*

CDLIX. *XXXIV. Ut omnes pleniter benè parati sint quandocunque jussio nostra vel annuntiatio advenerit. Si quis autem tunc se imparatum esse dixerit & præterierit mandatum, ad Palatium perducatur; & non solùm ille, sed etiam omnes qui bannum vel præceptum nostrum transgredere præsumant.* Hujus Capituli prima

CDLX. periodus in superiore Capitulari decimum-tertium constituit Capitulum. *XXXV. Ut omnes omnino Episcopos & Presbyteros suos omni honore venerentur in servitio & voluntate Dei, & ne incestis nuptiis & seipsos & ceteros maculare audeant, conjunctiones facere non præsumant, antequam Episcopi & Presbyteri cum senioribus populi consanguinitatem conjungentium diligenter exquirant. Et tunc cum benedictione jungantur. Ebrietatem devitent, rapacitatem fugiant, furtum non faciant; lites & contentiones atque blasphemia sive in conviviis sive in complacito omnino devitentur, sed cum caritate & concordia vivant.*

CDLXI. *XXXVI. Et ut omnes omnino ad omnem justitiam exsequendam Missis nostris sint consentientes; & usum perjurii omnino non permittant, quia hoc pessimum scelus Christiano populo auferri necesse est. Si quis autem post hoc in perjurio probatus fuerit, manum dexteram se perdere sciat; tamen hæreditate propriâ priventur usque ad nostrum judicium.* In vulgatis exemplaribus perperam legitur; *manum dextera semper dereſciat;* locum illum sic restituimus, *manum dexteram se perdere sciat.* Hanc emendationem variæ comprobant Sanctiones, quarum mentionem Tomo superiore fecimus ad annos octavi seculi septuagesimum-nonum [a], octogesimum [b], & octogesimum-primum [c]. In hoc enim simul conveniunt, ut *qui perjurium fecerit, manum perdat.* Capitulum quoque septimum superioris Capitularis est *de perjuriis.*

[a] Num. 11.
[b] Num. 5
[c] Num. 86.

CDLXII. *XXXVII. Ut hos, qui parricidia, vel fratricidia fecerint, avunculum, patruum, vel aliquem ex propinquis occiderint, & judicium Episcoporum, Presbyterorum, ceterorúmque judicum obedire & consentire noluerint, ad salutem animæ suæ justúmque judicium solvendum Missi nostri & Comites in Italia custodiâ coarctent, ut salvi sint, nec ceterum populum coinquinent, usquedum in nostra præsentia perducantur, & de res proprias suas interim nihil habeant.*

CDLXIII. *XXXVIII. Similiter & his fiat, qui inlicitis & incestis conjunctionibus reprehensi sunt correpti, & nec se emendare volunt, neque Episcopis neque Presbyteris suis obtemperare, & bannum nostrum præsumunt contemnere.*

CDLXIV. *XXXIX. Ut in forestes nostras feramina nostra nemo furari audeat, quod jam multis vicibus fieri contradiximus, & nunc iterum bannimus firmiter, ut nemo amplius faciat, sicut fidelitatem nobis promissam unusquisque conservare cupiat, ita sibi caveat. Si quis autem Comes, vel Centenarius, aut Vassus noster, aut aliquis de Ministerialibus nostris, feramina nostra furaverit, omnino ad nostram præsentiam perducantur ad rationem. Ceteris autem vulgis qui ipsum furtum de feraminibus fecerit, omnino quod justum est componat, nullatenusque eis exinde aliquid relaxetur. Si quis autem hoc scierit alicui perpetratum, in ea fidelitate conservata, quam nobis promiserunt & nunc promittere habent, nullus hoc celare audeat.*

CDLXV. *XL. Novissimè igitur ex omnibus decretis nostris nosse cupimus in universo Regno nostro Missos nostros nunc directos, sive inter Ecclesiasticos viros, Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, Canonicos, omnes Monachos, sive Sanctimoniales, qualiter unusquisque in suo ministerio vel professione nostra bannum vel decretum habeat conservatum, vel ubi civibus ex his dignum sit ex bona voluntate sua gratias agere vel adjutoria impendere, vel ubi aliquid adhuc sit necessitatis emendare. Similiter autem laicos & in omnibus ubicunque locis. Si de mundeburde*

*Sanctarum Eccleſiarum, vel etiam viduarum, & orphanorum, ſeu minimùm potentium, atque rapina, necnon de exercitali placito inſtituto, & ſuper ipſis cauſis, qualiter præcepto vel voluntati noſtræ ſint obedientes, vel etiam qualiter bannum noſtrum habeant conſervatum, qualiterque ſuper omnia unuſquiſque certamen habeat in ſancto ſervitio ſeipſum cuſtodire. Et, ſi hæc omnia bona & benè ſunt ad Dei Omnipotentis laudem, ei gratias referamus ut dignum eſt. Ubi autem aliquid malum eſſe credimus, ſic ad emendandum omni ſtudio & voluntate certamen habeamus, ut cum Dei adjutorio hoc ad emendationem perducamus, & ad noſtram æternam mercedem & omnium fidelium noſtrorum. Similiter & de Comitibus vel Centenariis Miniſterialibus noſtris, inter * omnia eos ſupradicta noſſe cupimus feliciter.*

AN. CH. 813. CAROLI IMP. 13. LUDOV. R. 33.

* Edit. inter nos omnia

XLI. Hoc Capitulum eſt admonitio de ſymbolo fidei. *Ammonemus vos in primis, ut credatis unum Deum Patrem Omnipotentem & Filium & Spiritum Sanctum. Hic eſt unus Deus & verus, perfecta Trinitas & vera Unitas. Deus, creator omnium bonorum noſtrorum, Credite Filium Dei pro ſalute mundi hominem factum, natum de Spiritu Sancto & Virgine Maria. Credite, quòd pro noſtra ſalute mortem paſſus eſt, & tertiâ die ſurrexit à mortuis, aſcendit in cælos, ſedet ad dexteram Dei. Credite eum venturum ad judicandos vivos & mortuos, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua. Credite unam Eccleſiam, id eſt, Congregationem bonorum hominum per totum Orbem terræ. Et ſcitote, quia illi ſoli ſalvi eſſe poterunt, & illi ſoli ad Regnum Dei pertinent, qui in iſtius Eccleſiæ Sedis & communione & caritate perſeverant.*

CDLXVI.

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

ANNUS

CHRISTI		814.			
CAROLI	IMP.	14.			
	REG.	46.	43.	40.	
LUDOVICI	IMP.	1.			
	REG.	34.	9.		
BERNARDI	REG.	1.			
INDICTIO		7.			

I. CAROLI AUG. OBITUS.

ANNO Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, Carolus Imperator quinto Kalendas Februarii migravit ex hac vita, cùm annum ab obitu Pippini patris quadrageſimum-ſextum, à morte Carolomanni fratris quadrageſimum-tertium, à ſubacta Longobardia quadrageſimum, à ſuſcepto Imperatoris & Auguſti nomine decimum-quartum, à nativitate ſua ſexageſimum-ſeptimum numeraret. Quid Theganus [a] hoc loco ſcripſerit, imprimis obſerva. *Sequenti*, inquit, *anno, qui eſt annus Regni ejus* XLVI. *menſe Januario, accepit Dominum Imperatorem febris poſt balneum. Cúmque per ſingulos dies laboribus ingraveſceret, nihil comedens neque bibens, niſi modicum aquæ ad recreationem corporis, ſeptimo die poſtquàm laborare cæpit, juſſit familiariſſimum Pontificem ſuum Hiltibaldum venire ad ſe, ut ei Sacramenta Dominici Corporis & Sanguinis tribueret, ut exitum ſuum confirmaret. Quo facto, laboravit in infirmitate diem illum & noctem ſequentem. In craſtinum verò luce adveniente, ſciens quod facturus erat, extensâ manu dexterâ, virtute quâ poterat ſi-*

[a] Cap. 7.

annos Regnorum ſuorum in Francia & Italia numerare, vel Regem Francorum ac Longobardorum ſe dicere non deſtitit. AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1. III. FUNUS.

Caroli funus ceteris accuratiùs deſcripſit Monachus Egoliſmenſis. *Domnus Piiſſimus & Glorioſiſſimus Imperator Carolus, dum Aquiſgrani hyemaret, anno* LXXI *ætatis ſuæ, Regni autem* XLVII, *ſubactæ autem Italiæ* XLIII, *ex quo verò Imperator & Auguſtus appellatus eſt, anno* XIIII, *quinto-decimo Cal. Febr. rebus humanis exceſſit, ſepultus Aquis in Baſilica Sanctæ Dei Genitricis quam ipſe conſtruxerat Corpus ejus aromatizatum eſt, & in ſede aurea ſedens poſitum eſt in curvatura ſepulchri, enſe aureo accinctus, Evangelium aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis humeris in cathedra, & capite honeſtè erecto ligato aureâ cathenâ ad diadema. Et in diademate lignum Sanctæ Crucis poſitum eſt. Et repleverunt ſepulchrum ejus aromatibus, pigmentis, & balſamo, & muſco, & theſauris multis in auro. Veſtitum eſt corpus ejus veſtimentis Imperialibus, & ſudario ſub diademate facies ejus operta eſt. Cilicium ad carnem ejus poſitum eſt, quod ſecretò ſemper induebatur, & ſuper veſtimentis Imperialibus pera peregrinalis aurea poſita eſt, quam Romam portare ſolitus erat. Sceptrum aureum, & ſcutum aureum, quod Leo Papa conſecraverat, ante eum poſita ſunt dependentia, & clauſum & ſigillatum eſt ſepulchrum ejus. Nemo autem referre poteſt quantus planctus & luctus pro eo fuerit per univerſam terram; etiam inter paganos plangebatur quaſi pater orbis. Maximus verò planctus inter Chriſtianos fuit, & præcipuè per univerſum Regnum ejus. Oleo autem ſancto inunctus ab Epiſcopis, & viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritum ſuum, obiit in pace anno* DCCCXIIII *ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In hoc textu veterem Eccleſiæ Traditionem habes, quæ poſt Unctionem Euchariſtiam infirmis ætate Caroli dabat, ut in Adelhardi Corbeienſis Abbatis obitu fuſiùs à nobis exponetur. Quòd attinet ad Chronologicos Characteres, quos Egoliſmenſis Monachus ſimul conglobavit, de annorum numero, quibus Carolus aut vixit aut poſt Pippinum patrem regnavit diſputatum ſuprà. Mirari verò ſubit cur prædictus Monachus & incertus Auctor in vita Caroli, necnon Annaliſtæ Laureshamenſis ac Fuldenſis, eundem Carolum ex hac vita diſceſſiſſe ſcribant *anno ſubactæ Italiæ* XLIII, cùm tamen iidem Auctores, necnon Annaliſtæ Nazarianus ac Petavianus, aliique Scriptores Regnum Longobardorum extinctum dicant anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, factâ Papiæ deditione poſt Paſcha. Patet enim ex hoc computo Carolum in Italia regnaſſe annos triginta-novem & aliquot menſes, ac vitâ functum anno poſt ſubactam Italiam quadrageſimo, non autem quadrageſimo-tertio, vel, ut adhuc vitioſiùs in Annalibus Bertinianis habetur, duodequinquageſimo. Minor eſt diſcrepantia ſuper annis Dominicæ Incarnationis & Imperii Carolini. Ado in ſuo Chronico ſic habet. *Imperator Carolus, vir in omni diſpoſitione Imperii ſtrenuus, dilatato Imperio, & pace Francis uſquequaque compoſitâ, anno Incarnationis Domini* DCCCXIII, *Aquiſgrani moritur, & ſepelitur* XIII *anno, poſtquàm Imperator acclamatus eſt.* Alii Carolum ex hac vita ſublatum aiunt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, Imperii decimo-quarto. Ambæ opiniones in unam recidunt. Ado annum orditur à Paſcha, ceteri à Natalitiis Domini. Porrò ſi principium anni petitur à Paſchali Solemnitate, Carolus in die Natali Domini coronatur Imperator currente anno Redemptoris octingenteſimo, vitámque claudit menſe Januario, anno pòſt decimo-tertio, ſive anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio nondum finito, atque hic eſt Adonis computus. At alii annum incipiunt à die Natali Domini, in eâque ſententiâ Carolus acclamatur Imperator ineunte anno Redemptoris octingenteſimo primo, moritúrque menſe Januario, anno ut Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, ſic & Imperii decimo-quarto jam inchoato. In noſtra computatione nulla difficultas, annum auſpicamur à Kalendis Januarii, Carolus fit Imperator menſe Decembri, anno Redemptoris octingenteſimo, obit menſe Januario, anno

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP I. BERN. R. I.

Imperii decimo-quarto, Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, Indictione, ut Theganus notat, ſeptimâ. Dies, quo Carolus ex hac vita diſceſſit, à Monacho Egoliſmenſi notatur XV Kalendas Februarias. In eadem verſatur opinione Chronographus Moiſſiacenſis. Alii, quibus potior fides habenda, diem V ante eaſdem Kalendas unanimi ponunt conſenſu.

IV. STATURA,

Carolus, ut Eginhardus teſtatur, *corpore fuit amplo atque robuſto, ſtaturâ eminenti, quæ tamen juſtum non excederet modum, nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem ejus conſtat habuiſſe menſuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus, ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchrâ, facie lætâ & hilari, unde forma auctoritas ac dignitas tam ſtanti quàm ſedenti plurima adquirebatur. Quamquam cervix obeſa & brevior, ventérque projectior videretur, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas. Inceſſu firmo, totâque corporis habitudine virili: voce clarâ quidem, ſed quæ minùs corporis formæ conveniret. Valetudine proſperâ, præter quòd antequàm decederet, per quatuor annos crebrò febribus corripiebatur, ad extremum uno etiam pede claudicaret. Et tunc quidem plura arbitratu ſuo quàm medicorum conſilio faciebat, quos penè exoſos habebat, quòd ei in cibis aſſa, quibus aſſuetus erat, dimittere, & elixis adſueſcere ſuadebant.*

V. EXERCITIA,

Aſſiduè exercebatur equitando ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac arte Francis poſſit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cujus adeò peritus fuit, ut nullus ei juſtè valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquiſgrani Regiam extruxit, ibíque extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit, & non ſolùm filios ad balneum, verùm etiam Optimates & amicos aliquando, ſatellitúmque & cuſtodum corporis turbam invitavit, ita ut nonnunquam centum vel eò amplius homines unà lavarentur.

VI. VESTIMENTA,

Veſtitu patrio, id eſt Francico utebatur, ad corpus camiſiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur. Deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia; tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat, & ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus & gladio ſemper accinctus, cujus capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat. Aliquoties & gemmato enſe utebatur, quod tamen non niſi in præcipuis feſtivitatibus, vel ſi quando exterarum gentium Legati adeſſent, faciebat. Peregrina verò indumenta quamvis pulcherrima reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur, excepto quòd Romæ ſemel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante, longâ tunicâ & chlamide accinctus, calceis quoque Romano more formatis induebatur. In feſtivitatibus veſte auro textâ & calcicamentis gemmatis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus ejus parum à communi ac plebeio diſcrepabat.

VII. VICTUS,

In cibo & potu temperans, ſed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicunque homine nedum in ſe ac ſuis plurimùm abominabatur. Cibo enim non adeò abſtinere poterat, ut ſæpè quereretur noxia eſſe ſuo corpori jejunia. Convivabatur rariſſimè, & hoc præcipuis tantùm feſtivitatibus, & tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter aſſam, quam venatores verubus inferre ſolebant, quâ ille libentiùs quàm ullo alio cibo veſcebatur. Inter cænandum aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei Hiſtoriæ & antiquorum Regum geſta. Delectabatur & libris Sancti Auguſtini, præcipuéque his qui de Civitate Dei prætitulati ſunt. Vini & omnis potûs adeò parcus in bibendo erat, ut ſuper cœnam rarò plus quàm ter biberet. Æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens, ac ſemel bibens, depoſitis veſtibus ac calciamentis, velut noctu ſolitus erat, duabus aut tribus horis quieſceret. Noctibus ſic dormiebat, ut ſomnum quater aut quinquies non ſolùm expergiſcendo ſed etiam ſurgendo interrumperet. Cùm calciaretur & amiciretur, non tantùm amicos admittebat, verùm etiam ſi Comes Palatii litem aliquam eſſe diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere jubebat, & velut pro tri-

bunali ſederet, lite cognitâ ſententiam dicebat. Nec hoc tantùm eo tempore, ſed etiam quicquid eâ die cujuſlibet officii agendum, aut cuiquam miniſtrorum injungendum erat, expediebat. AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

VIII. ERUDITIO.

Erat eloquentiâ copioſus & exuberans, poterátque quicquid vellet apertiſſimè exprimere. Nec patrio tantùm ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit ut æquè illâ ac patriâ linguâ orare eſſet ſolitus. Græcam verò melius intelligere quàm pronunciare poterat. Adeò certè facundus erat, ut etiam didaſcalus appareret. Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earúmque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus. In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audivit, in ceteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum item Diaconum de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecumque doctiſſimum præceptorem habuit. Apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimùm & temporis & laboris impertivit. Diſcebat & artem computandi, & intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſimè rimabatur. Tentabat & ſcribere, tabuláſque & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſuefaceret. Sed parum proſperè ſuccеſſit labor præpoſterus, ac ſerò inchoatus.

IX. PIETAS.

Religionem Chriſtianam, quâ ab infantiâ fuerat imbutus, ſanctiſſimè & cum ſumma pietate ac veneratione coluit. Ac propter hoc plurimæ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani extruxit, auróque & argento & luminaribus, atque ex ære ſolido cancellis & januis adornavit. Ad cujus ſtructuram cùm columnas & marmora aliunde habere non poſſet, à Româ & Ravennâ devehenda curavit. Eccleſiam mane & veſpere, item nocturnis horis & ſacrificii tempore, quoad eum valetudo permiſerat, impigrè frequentabat. Curabátque magnoperè ut omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honeſtate, Ædituos creberrimè commonens, ne quid indecens aut ſordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vaſorum ex auro & argento veſtimentorúmque Sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in ſacrificiis celebrandis, ne janitoribus quidem, qui ultimi Eccleſiaſtici Ordinis ſunt, privato habitu miniſtrare neceſſe fuiſſet. Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſimè emendavit. Erat enim utriuſque admodùm eruditus, quamquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſummiſſim & in commune cantaret. Circa pauperes ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemoſynam vocant, devotiſſimus, ut qui non in patria ſua ſolùm & in ſuo Regno eam facere curaverit, verùm trans maria in Syriam & Ægyptum, atque Africam, Jeroſolymis, Alexandriæ atque Carthagini, ubi Chriſtianos in paupertate vivere comperérat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere ſolebat. Ob hoc maximè tranſmarinorum Regum amicitias expetens, ut Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat præ ceteris ſacris & venerabilibus locis apud Romam Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam in auro quàm in argento, necnon & gemmis ab illo congeſta eſt, multa & innumera Pontificibus munera miſſa. Nec ille toto Regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quàm ut urbs Roma ſuâ operâ ſuóque labore veteri polleret auctoritate, & Eccleſia Sancti Petri non ſolùm per illum tuta ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra XLVII *annorum,* nempe incompletorum, *quibus regnaverat, ſpatium, quater tantùm illò votorum ſolvendorum ac ſupplicandi causâ profectus eſt,* ut probatum Tomo ſuperiore.

X. DONATIONES FACTÆ SEDI APOSTOLICÆ.

Donationem Apoſtolicæ Sedi à Pippino patre factam non ſemel amplificavit, atque inde maximam pietatis laudem promeruit. Quid ſingulis vicibus conceſſerit, ſigillatim ſuis locis expoſuimus, haud tamen alienum à propoſito noſtro videtur hîc eadem de re generatim atque universè loqui, ut quemadmodum Tomo quinto Pippininam ad annum Chriſti ſeptingeteſimum quinquageſimum-quintum, ſic & Carolinam Donationem ſuis tandem limitibus circumſcribamus. Ac primùm Carolus anno Chriſti ſeptin-

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

gentesimo septuagesimo-quarto Donationem Pippini patris confirmavit; pleraſque civitates, quas Deſiderius Longobardorum Rex ſpretâ Pippini Donatione retinuerat, Eccleſiæ Romanæ reſtituendas curavit, addiditque Ducatum Spoletanum, ita tamen ut in eodem Ducatu Sabinenſe territorium ſibi Franciſque reſervarit. Hæc autem Donatio, quantùm ad eundem Ducatum attinet, effectum non eſt ſortita. Carolus alterâ vice, anno videlicet Chriſti ſeptingentesimo octogesimo-primo, Sabinenſe territorium Eccleſiæ Romanæ conceſſit, ultróque Romanus Pontifex factâ quaſi permutatione deceſſit jure in reliquum Ducatum Spoletanum vi prioris Donationis obtento. Tertiâ vice, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo Carolus Apoſtolicæ Sedi dedit in Tuſcia Caſtellum Felicitatis, Urbevetum, Balneum Regis, Ferenti Caſtrum, Viterbium, Martam, Tuſcaniam, Populoniam, Soanam, & Roſellas; in Campania Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam. His ita conſideratis, facile eſt Donationem Carolinam à Pippinina diſtinguere. Pippininæ limites fuerunt, quos alibi diximus [a], Muſo fluvius versùs Eurum, Sculteuna & Padus amnes Zephyrum versùs, mons Appenninus Auſtrum versùs, Tartarus & Padus cum Adriatico mari versùs Aquilonem. Auſtralior erat Donatio Carolina, quæ partem cùm Campaniæ ad Vulturnum uſque flumen, tùm Ducatûs Tuſcani ad promontorium uſque Populonienſe complectebatur cum territorio Sabinenſi in Ducatu Spoletano. Ambæ Donationes ſimul haud jungebantur, inter utramque Francis ex Ducatu Tuſcano in Spoletanum atque inde in Beneventanum libera fuit via, nec id abſque prudenti conſilio factum, ut Carolus Beneventanos, ſi ſeditio timeretur, in officio vi contineret; Græcorum, ſi quid contra Longobardiæ Regnum molirentur, veſanam retunderet audaciam; & Eccleſiæ Romanæ Romaniſque, ſi res poſtularet, auxilio eſſet ac præſidio.

[a] Tom. 5. ad an. 755. n. 22.

XI. Anaſtaſius ſingulas Caroli Donationes haud delineat, eas à Pippinina non diſtinguit, hanc quoque auctam à Carolo ſub Hadriano Papa repreſentat *per deſignationem confinium*, ut loquitur, *à Lunis cum Inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, inde in Vercelo, deinde in Parma, deinde in Rhegio, & exinde in Mantua, atque monte Silicis, ſimúlque & univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Hiſtriam, necnon & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum.* Quibus in rebus peccet, ex ſequentibus obſervationibus accipe.

XII. Primò, Carolinam Donationem versùs occaſum malè protendit uſque ad Lunæ portum & Macram fluvium Liguriæ ac Tuſciæ terminum, cùm in Diplomate Ludovici Pii nihil notetur occidentalius urbe Populoniâ, & Carolus anno Redemptoris octingenteſimo ſexto in ditionum ſuarum partitione meminerit Ducatus Tuſcani ſeu Tuſciæ, cujus partem occidentalem non ſpernendam ſibi ſuiſque poſteris ſervaverat.

XIII. Secundò, Anaſtaſius Carolinæ ſeu potiùs Pippininæ Donationi limitem occidentalem inter Appenninum montem & Padum amnem perperam conſtituit Parmam ac Regium & trajecto Pado Mantuam, nam Carolus anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, cùm teſtamentum ſuum conderet, Mutinam, quæ Parmâ & Regio eſt orientalior, complexus eſt in ſuo Regno, cujus fines ultra Mutinam extendit *uſque ad terminos Sancti Petri* ſeu ditionis Apoſtolicæ, hoc eſt, ut explicuimus alibi, uſque ad Sculteunam, qui medius fluit inter Mutinam quam Carolus extincto Regno Longobardico in ſua poteſtate ſemper tenuit, & Bononiam quam Pippinus in ſuâ Donatione comprehendit, ut Stephanus Pontifex in ſuis ad Pippinum literis [b], & Ludovicus Pius in ſuo Diplomate docent.

[b] Cod. Car. Magn. ep. 8.

XIV. Tertiò, Anaſtaſius in Carolinâ ſeu potiùs in Pippininâ Donatione malè complectitur Iſtriam & provincias Venetiarum, quas ad Dravum uſque fluvium olim protenſas viri doctiſſimi fruſtrà ſuadent, nam in Donatione Pippinina

Pippinina nihil Borealius fuit Tartaro amne & Adriâ urbe, ut ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum probavimus ex Diplomate Ludovici Pii, variiſque poſteà locis confirmavimus, quoties de provincia Veneta, de Foro-Julii, de Iſtria ſermo haberi debuit. AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

Quartò, Anaſtaſius Ducatum Spoletanum includit in Donatione Carolina, ipſe autem Carolus in Teſtamento, quod condidit anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, Ducatum illum complexus eſt inter ditiones quas ad filios ſuos hæreditario jure devolvi volebat. XV.

Quintò, Anaſtaſius in Donatione Carolina poſuit quoque Ducatum Beneventanum. Ideò nonnulli limitem Orientalem Carolinæ Donationis ad Cerbalum & Silarum uſque fluvios protendunt. Opinionem ſuam confirmare nituntur authoritate tum Eginhardi, qui Beneventanorum & Græcorum confinia ponit in inferiori Calabria, tum Monachi Egoliſmenſis, apud quem Carolus *in poteſtate ſua omnem terram de monte Gargano* tenuiſſe dicitur uſque in Hiſpaniam. Non negamus Beneventanis & Græcis eos fuiſſe fines quos Eginhardus aſſignavit, non inficiamur anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo Francos ad montem Garganum & Sipontum uſque victores penetraſſe, fatemur etiam Aragiſo Duci Beneventano pleraſque civitates ablatas, & Eccleſiæ Romanæ traditas à Carolo, ſed cùm earum urbium, ut ex Diplomate Ludovici Pii conſtat, à quo perſtringuntur, nulla ſit vel Apennino monte Borealior vel Orientalior Capuâ, certè neceſſe eſt aſſerere versùs ortum nec Pippininam Donationem ultra Muſonem fluvium, nec Carolinam ultra Capuam & Vulturnum amnem patuiſſe. XVI.

Sextò, Anaſtaſius Corſicam Inſulam, quam Ludovicus Pius Apoſtolicæ Sedi contulit, in Donatione Carolina perperam complexus eſt. Poſt triennium agemus de Donatione Ludovici Pii. XVII.

Carolus, ut ejus elogium ex Eginhardo perſequamur, *barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, ſcripſit, memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii ſermonis. Menſibus etiam juxta patriam linguam nomina impoſuit, cùm ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim propriis appellationibus inſignivit, cùm priùs non amplius quàm vix quatuor venterum vocabula poſſent inveniri. Et de menſibus quidem Januarium Wintermanoht, Februarium Hormunc, Martium Lenzinmanoht, Aprilem Oſtermanoht, Maium Winnemanoht, Junium Prahmanoht, Julium Heuvimanoht, Auguſtum Aranmanoht, Septembrem Wintumanoht, Octobrem Windummemanoht, Novembrem Herbiſtmanoht, Decembrem Helmanoht appellavit. Ventis verò hoc modo nomina impoſuit, ut Subſolanum vocaret Oſtroniwint, Eurum Oſtſundroni, Euroauſtrum Sundoſtroni, Auſtrum Sundroni, Auſtroafricum Sundweſtroni, Africum Weſtſundroni, Zephyrum Weſtroni, Corum Weſtnordroni, Circium Nordweſtroni, Septentrionem Nordroni, Aquilonem Nordoſtroni, Vulturnum Oſtnordroni.* XVIII.

Regnum Francorum, quod, poſt patrem Pippinum, magnum quidem & forte ſuſceperat, ita nobiliter ampliavit, ut penè duplum illi adjecerit. Nam cùm priùs non amplius quàm ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum & Ligerim Oceanúmque ac mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ quæ inter Saxoniam & Danubium Rhenúmque & Salam fluvium, qui Toringos, & Sorabos dividit, poſteà à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur, & prater hac Alamanni atque Bojoarii ad Regni Francorum poteſtatem pertinerent; ipſe per bella memorata primò Aquitaniam & Waſconiam, totúmque Pyrenæi montis jugum, & uſque ad Hiberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertuſæ civitatis mœnia Balearico mari miſcetur: deinde Italiam totam, quæ ab Auguſta Prætoria uſque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum conſtat eſſe confinia, decies centum & eò ampliùs paſſuum millibus longitudine porrigitur; tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & ejus, quæ à Fran- XIX. POTENTIA,

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

cis incolitur, duplum in lato habere putatur, cùm ei longitudine poſſit eſſe conſimilis. Poſt quam, utramque Pannoniam, & appoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas, ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit; deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios, Oceanúmque ac Danubium poſitæ, linguâ quidem penè ſimiles, moribus verò atque habitu valdè diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret. Inter quas ferè præcipui ſunt Welatabi, Sorabi, Abodriti, Bocmani. Cum his namque bello conflixit; ceteras, quarum multò major eſt numerus, in deditionem ſuſcepit. Apud Monachum Egoliſmenſem tenuiſſe dicitur *in poteſtate ſua omnem terram à monte Gargano uſque in Cordubam civitatem Hiſpaniæ.* Sed manifeſtus eſt error, & Cordubæ loco reſtitui debet Dertuſa, quæ ſiniſtræ Iberi ripæ adſidet, neque enim Carolus ultra illum amnem unquam imperavit. *Auxit* autem *gloriam Regni ſui, quibuſdam Regibus & gentibus per amicitiam ſibi conciliatis. Adeò namque Adefonſum Galliciæ atque Aſturicæ Regem ſibi ſocietate divinxit, ut is, cùm ad eum vel literas vel Legatos mitteret, non aliter ſe apud illum quàm proprium ſuum appellari juberet. Scotorum quoque Reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per ſuam munificentiam inclinatos, ut eum numquam aliter quàm Dominum ſéque ſubditos ac ſervos ejus pronunciarent. Extant epiſtolæ ab eis ad illum miſſæ, quibus hujuſmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron Rege Perſarum, qui, exceptâ Indiâ, totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium qui in toto Orbe terrarum erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolúmque illum honore ac munificentiâ ſibi colendum judicaret. Ac proinde, cùm Legati ejus, quos cum donariis ad ſacratiſſimum Domini ac Salvatoris mundi Sepulchrum locúmque Reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei Domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolùm quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, ut illius poteſtati adſcriberetur, conceſſit. Et revertentibus Legatis ſuos adjungens, inter veſtes & aromata, & ceteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona tranſmiſit, cùm ei ante paucos annos eum, quem tunc ſolum habebat, roganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Conſtantinopolitani, Nicephorus, Michael, & Leo, ultrò amicitiam & ſocietatem ejus expetentes, complures ad eum miſere Legatos. Cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen, & ob hoc ei, quaſi qui Imperium eis præripere vellet, valdè ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cujuſlibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia. Unde & illud Græcum extat proverbium.* Τὸν Φραγγὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς.

FAMA APUD EXTERAS GENTES,

XX. ÆDIFICIA,

Cùm tantus in ampliando Regno & ſubigendis exteris nationibus exiſteret, & in ejuſmodi occupationibus aſſiduè verſaretur, opera tamen plurima ad Regni decorem & commoditatem pertinentia diverſis in locis inchoavit, quædam etiam conſummavit. Inter quæ præcipua non immeritò videri poſſunt, Baſilica Sanctæ Dei Genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum paſſuum longitudinis, nam tanta eſt ibi fluminis latitudo. Qui uno tamen antequàm decederet anno, incendio conflagravit, nec refici potuit propter feſtinatum ejus deceſſum, quanquam in ea meditatione eſſet, ut pro ligneo lapideum reſtitueret. Inchoavit & Palatia operis egregii, unum haud longè à Moguntiaco juxta villam cui nomen eſt Ingelheim, alterum Noviomagi ſuper Vahalem fluvium, qui Batavorum Inſulam à parte meridiana præterfluit. Præcipuè tamen Ædes ſacras ubicumque in toto Regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, Pontificibus & Patribus, ad quorum curam pertinebat, ut reſtaurarentur imperavit, adhibens curam ut imperata perficerent. Molitus eſt & claſſem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ & de Gallia & Germania Septentrionalem influunt Oceanum. Et quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum aſſiduâ infeſtatione vaſtabant, per omnes portus & oſtia fluminum, quà na-

Digitized by Google

ves recipi poſſe videbantur, ſtationibus & excubiis diſpoſitis, ne quà hoſtis exire potuiſſet, tali munitione prohibuit. Fecit idem à parte meridiana in littore provinciæ Narbonenſis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore uſque Romam contra Mauros nuper piraticam exercere aggreſſos. Ac per hoc nullo gravi damno vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis, diebus ſuis affecta eſt, præter quòd Centumcellæ civitas Hetruriæ per proditionem à Mauris capta atque vaſtata eſt, & in Friſia quædam Inſulæ Germanico littori contiguæ à Nordmannis depredatæ ſunt. Talem eum in tuendo & ampliando ſimúlque ornando Regno fuiſſe conſtat. AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

Per omne vitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omnium amore atque favore & domi & foris converſatus eſt, ut nunquam ei vel minima injuſtæ crudelitatis nota à quoquam fuiſſet objecta. Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam, adeò ut eorum multitudo non ſolùm Palatio verùm etiam Regno non immeritò videretur oneroſa. Ipſe tamen præ magnitudine animi hujuſcemodi pondere minimè gravabatur, cùm etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaret. XXI. AMOR ERGA PEREGRINOS,

Liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tam filii quàm nepotes primò liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Tum filios, quamprimùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit. Filias verò lanificio aſſuescere, colóque ac fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honeſtatem eruditi juſſit. Ex iis omnibus duos tantùm filios & unam filiam priuſquàm moreretur amiſit; Karolum, qui major natu erat, & Pippinum, quem Regem Italiæ præfecerat, & Rotdrudim, quæ filiarum ejus primogenita, & Conſtantino Græcorum Imperatori deſponſata erat. Quorum Pippinus unum filium ſuum Bernardum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertraidem, ac Thedradam ſuperſtites reliquit. In quibus Rex pietatis ſuæ præcipuum documentum oſtendit, cùm filio defuncto nepotem patri ſuccedere, & neptes inter filias ſuas educari feciſſet. Mortes filiorum ac filiæ pro magnitudine, quâ excellebat, minùs patienter tulit, pietate videlicet, quâ non minùs inſignis erat, compulſus ad lacrymas. Nunciato etiam ſibi Adriani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, ſic flevit, ac ſi fratrem aut chariſſimum filium amiſiſſet. Erat enim in amicitiis optimè temperatus, ut eas & facilè admitteret, & conſtantiſſimè retineret, colebátque ſanctiſſimè quoſcunque hac affinitate ſibi conjunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, ut nunquam domi poſitus ſine ipſis cœnaret, nunquam iter ſine illis faceret. Adequitabant ei filii, filiæ verò ponè ſequebantur, quarum agmen extremum ex ſatellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. In hoc textu Eginhardus ſolos commendat liberos, quos Carolus ex Hildegarde ſuſcepit, quia ceteri ſpe privati ſunt hæreditatis erciſcundæ. XXII. CURA IN ERUDIENDIS LIBERIS. AMICITIA ERGA ADRIANUM PP.

Quas Carolus & quando duxerit uxores, quos ex ſingulis & quando liberos ſuſceperit, quando mortem earumdem conjugum nonnullorúmque liberorum defleverit, ſuis diſtinctè locis expoſuimus. Reliquit quinque filios, Pippinum ex Himiltrude, Ludovicum ex Hildegarde, Drogonem atque Hugonem ex Regina, Thedericum ex Adelluida; filias ſeptem, Rothaidem ex Himiltrude, Bertam & Giſlam ex Hildegarde, Thedradam Argentogilenſem Abbatiſſam & Hiltrudem ex Faſtrada, Rothildem ex Mathalgarde, Adeldrudem ex Gerſuinda. Reliquit & ex filio Pippino jam mortuo Bernardum nepotem, & quinque neptes ſuprà nominatas; necnon etiam ex Ludovico filio tres nepotes, Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, neptéſque de quibus infrà. Porrò de filiabus hæc addit Eginhardus. *Cùm pulcherrimæ eſſent, & ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut ſuorum aut exterorum nuptum dare voluit. Sed omnes ſecum uſque ad obitum ſuum in domo ſua retinuit, dicens ſe earum contubernio carere non poſſe. Ac propter hoc, licèt aliàs felix, adverſæ fortunæ malignitatem expertus eſt. Quod tamen ita diſſimulavit, ac ſi de eis nunquam alicujus probri ſuſpicio orta vel diſperſa fuiſſet.* XXIII. UXORES ET LIBERI.

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1. XXIV. XXV.

Inde redarguas Auctorem Chronici Laureshamenſis, qui vivente Carolo filiam ejus Immam ab ipſomet Eginhardo poſt illatum ſtuprum ductam in uxorem comminiſcitur, in præcitato quidem textu turpe quid Eginhardus, ut de Rotrude & Berta diximus, inſinuat à filiabus Caroli perpetratum, ſed filiam ei fuiſſe nomine Immam non indicat, deinde filias ejus ad obitum uſque patris innuptas permanſiſſe teſtatur.

Æquè rejicienda eſt fabula de annulo, cui tantam fraude magicâ vim fuiſſe nonnulli tradunt, ut mulierem, ſub cujus lingua latebat, etiam mortuam Carolus deperierit. Sanè nihil eſt vitii, quod in tanto Imperatore reprehendas, niſi quòd anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo, cùm annos tres ac viginti vix natus eſſet, Bertâ matre ſuadente Himiltrudem uxorem legitimam repudiavit, ut filiam Deſiderii Regis Longobardorum contra fas ſibi ſociaret, ſed anno proximo eandem Deſiderii filiam à ſe dimiſit Bertâ id quantumvis ægrè ferente, ac per annos tres & quadraginta, quibus ſuperſtes fuit, nullâ luxuriæ labe coinquinatus reperitur. Pleroſque neotericorum ſæpè vituperavimus, quòd minùs honorificè, quàm par erat, de Caroli & Himiltrudis conjugio eorúmque filio Pippino ſcripſerint. Argumenta, quibus uſi ſumus, haud repetemus. Unum duntaxat addemus ex antiquis Litaniis, quas Joannes Mabillonus ſecundo veterum Analectorum Tomo nupertimè publicavit. Ibi fauſta optantur Adriano Papæ; Carolo Regi; quatuor ejus filiis, Pippino, Carolo, alteri Pippino, ac Ludovico; necnon & Faſtradæ Reginæ, ſervato hoc ſupplicationum ordine. *Adriano Summo Pontifici* [1] *& Univerſali Papæ, vita. Karolo Excellentiſſimo, & à Deo coronato, Magno, & Pacifico, Regi* [2] *Francorum & Langobardorum, ac Patricio Romanorum, vita & victoria. Pipino & Karolo Nobiliſſimis filiis ejus, vita. Pipino Regi* [3] *Langobardorum, vita. Chlodovico Regi* [4] *Aquitanorum, vita. Faſtradanæ Reginæ, ſalus & vita.* Scriptæ ſunt igitur hæ Litaniæ, Faſtrædanâ ſeu Faſtradanâ vel Faſtradâ jam Reginâ, & Carolo, altero Caroli Regis filio, nondum Rege conſtituto, id eſt, nec ante annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-tertium quo Faſttada Carolo Regi nupſit, nec poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum quo Carolus Rex Carolum alterum filium Regem Neuſtraſiæ præfecit, ſed intra ſex illos annos, qui poſt Faſtradæ nuptias priùs effluxerunt, quàm Carolus Rex Carolum filium Regem Neuſtraſiæ renuntiarit. Pippinus Caroli Regis & Himiltrudis Reginæ filius in patrem fratréſque ſeriùs conjuravit, nec ante annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-tertium truſus eſt in Prumienſe Monaſterium, ubi tonſo capite reliquam vitam degit. Qui poſt Pippini relegationem ſcripſerunt, Himiltrudem ejus matrem vocarunt concubinam, ipsúmque Pippinum dixerunt natum ex concubina. Judicium æquus ferat Lector. An Himiltrudis, cui Carolus, *Dei voluntate & conſilio, conjugio legitimo ex præceptione genitoris* copulatus fuit, ut Stephanus Quartus Papa ſuis in literis [a] teſtatur, à poſteris haberi debet concubina, quia filium peperit adipiſcendi Regni ſpe poſteà privatum in pœnam admiſſi criminis? An ipſe Pippinus, cui non tantùm quandiu mater vixit, ſed etiam totis annis viginti, quibus, poſt ejuſdem matris mortem, educabatur in ſpem Regni quandoque potiundi, Regióque in Palatio præcipuum inter fratres locum utpote natu maximus obtinebat, nihil vitii circa Natales objectum eſt, poſterioribus ſeculis aſſeri debet natus ex concubina, quia propter reatum conjurationis in patrem ac fratres initæ, ſpe dejectus eſt hæreditatis erciſcundæ? Certè Pippinus in præcitatis Litaniis deſignatur hæres patris cum fratribus futurus. Primo ſiquidem loco poſt patrem nominatur; anteponitúrque filiis Hildegardis, Carolo videlicet quocum in eodem memoratur Verſiculo, Pippino & Ludovico qui ſeriùs in aliis recenſentur. Obſervandúmque maximè, quòd idem Pippinus filius Himiltrudis & Carolus Hildegardis filius, quamvis in conſortium Regiæ Dignitatis nondum vocati, præferuntur alteri Pippino

[1] *Pontifex & Univerſalis*

[2], [3], [4], *Rex*

[a] Ep. 45 Cod. Carol.

& Ludovico junioribus fratribus ad Regium jam Titulum evectis. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo hi Reges appellati, Pippinus Longobardiæ, Ludovicus Aquitaniæ. Nec dubium quin à patre ſeniores inter filios Pippinum & Carolum reliquæ Francorum ditiones forent dividendæ. Rex anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo mentem ſuam ſatis aperuit, æquivoco enim filio in conſortium Regni per Neuſtraſiam adſcito, Auſtraſiam, & ſi quid aliud ceteris filiis nondum aſſignarat, Pippino natu maximo viſus eſt reſervare. Pluribus verbis non eſt opus, ut ex Litaniis poſt Himiltrudis Reginæ mortem ſcriptis, cùm Pippinus ejus filius in Regio Comitatu patris adoleſcebat, intelligas nec ipſam Himiltrudem concubinam fuiſſe, nec Pippinum ejus filium ex concubina natum eſſe, ſive in bonam ſive in malam partem nomen accipias concubinæ, cujus duplicem aliàs ſignificationem expoſuimus, cùm ex antiquarum Synodorum lectione duo concubinarum genera diſtingueremus. In iiſdem Litaniis quædam occurrunt Angelorum nomina, *Orihel, Raguel, Tobihel*, ſive, ut alii ſcribunt, *Uriel, Raguel, Tubuel*, quæ *non Angelorum ſed nomina dæmonum* vocata ſunt à Patribus Concilii Romani ſub Zacharia Papa, ut Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum [a] notavimus. At hic error, qui nos à deſcribendis Litaniis deterruit, auctoritatem non elevat, quam protulimus, ut Carolus Rex, Himiltrudis Regina, illorúmque filius à calumnia vindicarentur.

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

[a] Num. 17.

XXVI. Inter Auctores, qui conjugalem caſtitatem introductione concubinarum à Carolo fœdatam ſcripſerunt, annumerari debet Cæſar Baronius alioquin egregius ejuſdem Caroli Panegyriſtes. *Si animæ*, inquit [b], *ſicut & corporis ſpectes formam, planè ex his quæ de ipſo ſcripta ſunt ab eo*, id eſt ab Eginhardo, *tum ab aliis ejus temporis Scriptoribus, dignum virtutum exemplar intueberis, Religionis verò omnibus abſolutum numeris ſimulachrum, cui nec, meâ ſententiâ, qui præceſſerunt, vel poſteà ſucceſſerunt Imperatores penitus æquari valeant; ſed nec in moribus etiam haberet æqualem, niſi ipſe conjugalem caſtitatem concubinarum introductione fœdaſſet. Sed poſterior maculas iſtas pœnitentia jugis abſterſit, dum carnem ſuam, ſenilem licèt, cilicino ſuper nudum corpus inhærente jugiter indumento attrivit. Porrò egregiarum ipſius virtutum merito Eccleſia Gallicana ejus diem Natalem celebrat, habéntque inter Sanctos recenſitum Aquiſgranenſis Eccleſia tabulæ. Sub Frederico Imperatore poſt annos centum ſexaginta-ſex, Paſchalis, Papa dictus, in numerum Sanctorum adſcripſit, cui rei geſtæ aſſervari Diploma in Aquiſgranenſi Eccleſia tradunt. Verùm quod Paſchalis ille haud legitimus Pontifex fuit, ſed ſchiſmaticus, ejuſmodi canonizatio haud recepta eſt ab Eccleſia Romana, ob quam cauſam nec nomen ejus illatum eſt in Eccleſiæ Romanæ Martyrologium. Verùm quòd non reperiantur legitimi Pontifices illud Diploma abolevisſe, aut impugnaſſe, aut prohibuiſſe, res ſic tacitâ permiſſione ſive tolerantiâ perſeverat, ut ſcilicet in propria Eccleſia ubi ſepultus fuit in Galliis coleretur; ita quidem Canonum præcipui interpretes declararunt. Ceterùm propagatus poſteà noſcitur ejus cultus in aliis Eccleſiis Belgii atque Germaniæ, in quibus idem Carolus Sanctitatis titulo celebratur ac colitur, quibus favent ſcripta plurium rerum Francorum Hiſtoricorum.*

[b] Tom. 9. hoc an. n. 63.

XXVII. Joannes Bollandus, cùm agit de publica Sancti Caroli veneratione, Breviaria complurium Eccleſiarum à ſe viſa teſtatur, in quibus quinto Kalendas Februarii Carolus Imperator officio novem vel trium ſaltem Lectionum colitur. Citat & Wandelbertum aliòſque Martyrologos, apud quos eodem die nomen Caroli conſignatum reperitur. Denique ex Breviariis Mindenſi & Rotomagenſi publicas precationes, eo quoque die recitari ſolitas deſcribit. Unam, quam apud Caniſium Tomo ſexto Antiquæ Lectionis & apud Vaſſorium in Annalibus Eccleſiæ Noviomenſis [c] etiam invenies, ſic. *Deus, qui ſuperabundanti fœcunditate bonitatis tuæ Beatum Karolum Magnum Imperatorem & Confeſſorem tuum, depoſito carnis velamine Beatæ Immortalitatis gloriâ ſublimaſti, concede propitius, ut quem ad laudem & gloriam Nominis tui*

SANCTITAS.

[c] Lib. 3. c. 14.

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

honore Imperii exaltaſti in terris, pium ac propitium interceſſorem ſemper habere mereamur in cœlis. Per Dominum &c. Alteram, ſic. *Deus, qui Beatum Carolum Confeſſorem tuum de terreno Regno ad cœleſtis Regni gloriam tranſtuliſti, ejus quæſumus meritis & interceſſione, Regis Regum Jeſu Chriſti filii tui facias nos eſſe conſortes. Per eundem Dominum* &c. Nuper Chriſtianus Niſanius, homo Lutheranus, Bilfeldiæ in Comitatu Ravenſbergico Prædicans & Superintendens, ut vocant, librum ſatis grandem atque in quatuordecim titulos ſeu tractatus digeſtum edidit cum hac inſcriptione. *Oſtenſio Hiſtorico-Theologica, quòd Carolus Magnus in quamplurimis fidei articulis non fuerit formaliter Papiſta.* Toto libro Scriptor probare contendit Carolum Magnum non fuiſſe ex integro Romano-Catholicum, ſed in pleriſque fidei capitibus eam Religionem coluiſſe, & in Saxoniam antiquitus introduxiſſe, quam poſt Lutherum & Auguſtanam Confeſſionem modò Lutherani ex Lutheri doctrina profitentur. Putidiſſimum hoc commentum qui refutaret, ſtatim Neuhuſii repertus eſt in Diœceſi Paderbornenſi Nicolaus *Schaten* eruditiſſimus Societatis Jeſu Sacerdos, è cujus calamo prodiit *Carolus Magnus, Romanorum Imperator & Francorum Rex Romano-Catholicus, libris* IV *explicatus & vindicatus, adversùs Chriſtianum Niſanium, Lutheranum Bilfeldiæ Prædicantem & Superindentem, ceteroſque horum temporum heterodoxos.* Opus hoc Auctor meritò convenientérque inſcripſit Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principi Ferdinando Furſtembergio, Epiſcopo Paderbornenſi, Coadjutori Monaſterienſi, Sacri Imperii Principi, qui Monumenta Paderbornenſia nuperrimè in lucem emiſerat, in iiſque Francorum res geſtas per Weſtphaliam & Saxoniam complexus, non tantùm introduxerat Carolum Magnum domitorem Saxoniæ & primorum Epiſcopatuum in illa regione conditorem, ſed etiam ex omni Annalium memoria palàm oſtenderat non aliam ab eodem Carolo Magno Religionem, quàm Catholicam per Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, & Apoſtolicos viros ab eo evocatos, eſſe traditam doctámque, qualem exinde per omnes ad Lutherum ætates Saxonia coluit. Adversùs calumniam, quâ Lutheranus Scriptor memoriam Sancti Caroli læſum iri putavit, hæc indicaſſe ſufficiat.

XXVIII. ORIGINES QUORUMDAM MONASTERIORUM.

Inſtar Appendicis ad tanti Principis Geſta, de quibus non hoc tantùm Tomo ſed duobus etiam præcedentibus actum eſt, origines quorumdam ſubjiciemus Monaſteriorum, quas certis annis conſignare non licuit; addemus & Capitulare, cujus incerta quoque eſt epocha. In Chronico Sancti Maxentii, quod vulgò Malleacenſe dicitur, ad annum Chriſti milleſimum quadrageſimum-ſextum hæc leguntur. *Monaſterium Sancti Benedicti Nantolii ſimiliter à Domino Caſtri Rufiaci in iſtis diebus cœptum eſt.* Stat etiamnum in Diœceſi Pictavienſi Monaſterium Nantolienſe *, cujus inſtaurator quidem Dominus Caſtri Rufiaci, conditor verò Carolus Magnus, ut obſervat Corlæus in Hiſtoria [a] Civitatis & Comitum Inculiſmenſium, nec ab eo diſſentiunt Sammarthani Tomo quarto Galliæ Chriſtianæ. *Conſtruitur*, inquiunt, *à Domino Caſtri Ruffiaci anno 1046 ex Chron. Malleacenſi, à Carolo autem Magno fundatur in loco, qui Foſſa dicitur ad Aurei & Argenti confluentes.* Corlæus ut Nantolium, ſic & Beaniam * Monaſteriis accenſet, quæ condita ſunt à Carolo Magno. Subſiſtit etiamnum Beanienſe Monaſterium in Diœceſi Santonica. Chopinus libro ſecundo [b] de Monaſteriis eundem quoque Carolum laudat, quòd Sanctæ Magdalenæ Cœnobium in Caſtro * Dunenſi Diœceſisque Carnotena conſtruxerit. Bruſchius & Bucelinus Wildſburgum Ordinis Benedictini Monaſterium in Epiſcopatu Eyſtettenſi celebrant. Carolus ſive *Rex* ut Bruſchius [c] ſcribit, ſive *Imperator* ut Bucelinus [d] aſſerit, eodem in loco, ubi Pippinus ejus pater Sacellum Sancti Nicolai quondam erexerat, Cœnobium Wildſburgenſe condidit Gerocho tunc Eyſtettenſi Pontificé, qui geſſit Epiſcopatum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo ad annum Chriſti octingenteſimum ſextum. Prædictorum ſuæ

* *Nanteuil en Valée.*

[a] Lib. 1. c. 5.

* *Beigne.*

[b] Tit. 2. n. 20.

* *Chaſteaudun.*

[c] In Ep. Eyſtettenſi 2.

[d] Part. 2. Germ. Sacr.

Digitized by Google

tem Monaſteriorum Abbates ignorantur, qui temporibus Caroli Magni proximiſque ſeculis vixerunt. In Notis Baluzianis ad Capitularia Ludovici Pii, legitur Abbatum Caſtrelli Malaſci ſeu Caſtelli Malaſci, ſive Malaſti Catalogus, in quo vetuſtiſſimi ſub eodem Ludovico Auguſto recenſentur Abbates, Olomundus & Vilafredus. Situm eſt hoc Cœnobium in Diœceſi Carcaſſonenſi, vocatur hodie Monaſterium Montis-Olivi *. Tempus fundationis & nomen conditoris apud Sammarthanos in controverſia ponuntur, ipſam originem aliis ad Carolum Magnum, aliis ad Rogerium primum Comitem Carcaſſonenſem referentibus. At totam litem dirimit Index Abbatum jam citatus, nam Rogerius Comes vixit longè ſeriùs Olomundo Abbate, qui Monaſterium à primo conditu rexit, ſuperſtéſque hoc anno, ſexto Idus Decembris, anno Ludovici Auguſti ſecundo & Indictione octavâ jam inchoatis, commendatur in Præcepto Ludoviciano, quod in Appendice veterum Actorum poſt prælaudatas ad Capitularia Notas ex Archivo Monaſterii Montis-Olivi publicatum ſic reperitur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſupernâ nos gratiâ muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum ſagacitas, quia Vir Venerabilis Olomundus Abbas ex Monaſterio, quod nuncupatur Malaſti, quod eſt ſitum in territorio Carcaſſenſe ſuper fluvium Duranum, conſtructum in honore Sancti Joannis Baptiſtæ, obtulit obtutibus noſtris quandam auctoritatem Domni & genitoris noſtri Karoli piæ recordationis Sereniſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, qualiter idem Olomundus ipſum Monaſterium novo conſtruxiſſet opere, & propter ejus defenſionem vel propter pravorum hominum illicitas infeſtationes in manu ejuſdem Domni Imperatoris unà cum Monachis ibi degentibus ſe commendavit, ut ſub ejus tuitione licuiſſet eis cum rebus & hominibus eorum quietè vivere ac reſidere, & deprecatus eſt Clementiam noſtram, ut prædictum Monaſterium unà cum Cellula, quæ nuncupatur Sancti Martini, prædictò Monaſterio ſubjecta, quæ eſt ſita in eodem pago ſuper rivulum Lampiſ, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Martini Confeſſoris, cum rebus, hominibus, & adjacentiis, ſive terminis ſuis, ſub noſtra ſuſciperemus defenſione & immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultûs libenter aurem accommodare placuit, & hoc noſtræ auctoritatis Præceptum, immunitatis atque tuitionis gratiâ, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quiſlibet ex Judiciaria poteſtate in Eccleſias, vel loca, aut agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti Monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidet, vel qua etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines Monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper terram ipſius commanentes injuſtè diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat, & quicquid de rebus præfati Monaſterii fiſcus ſperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia Monachorum ibidem Deo famulantium perpetuò proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus ipſos Monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proléque noſtra, atque ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi, ejuſque clementiſſimâ miſeratione per immenſum conſervandi, Domini immenſam Clementiam jugiter exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur & diligen-*

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

* *Montolieu.*

AN. CH. 814. CAROLI IMP. 14. LUDOV. IMP. 1. BERN. R. 1.

tius conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. Datum VI *Idus Decembris, anno, Chriſto propitio, ſecundo Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione octavâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Qui Præceptum hoc in annum ſequentem rejiciunt, non ſatis advertunt octavam Indictionem, quam Kalendæ Septembres aperuerunt, cùm hoc anno per menſem Decembrem convenire, eodémque Decembri menſe numerari ſecundum Ludovici Imperatoris annum initio Imperii ducto à menſe Octobri quo Ludovicus Imperialis Nominis conſors à Carolo patre factus fuit.

XXIX. CAPITULARE CAROLINUM.

In Collectione Baluziana legitur abſque ullo Charactere Chronologico Carolinum Capitulare, quod editum eſt ex ſchedis Jacobi Sirmondi, conſtátque Capitulis undeſexaginta, vel undeſexaginta potiùs Titulis Capitulorum anteà conditorum in aliis Capitularibus, præſertim in Aquiſgranenſi, quod apud Anſegiſum Abbatem initium libris Capitularium dedit.

XXX.

Primum Capitulum hoc eſt. *Ut eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides & vita & ſcientia ab Epiſcopo diſcutiatur.* Secundum. *Ut fugitivi Clerici & peregrini à nullo recipiantur ſine commendatitiis literis.* Tertium. *Ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri Clerici mulierem extraneam in domo ſua non habeant.* Quartum. *Ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causâ.* Quintum. *Ut ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur.* Sextum. *Ut mulieres ad Altare non ingrediantur.* Septimum. *Ut Canonici libri tantùm legantur in Eccleſia.* Octavum. *Ut nullus per pecuniam ordinetur.* Nonum. *Ut Monachus vel Clericus ad ſecularia negotia non tranſeat.* Decimum. *Ut Clerici de civitate ad civitatem non tranſmigrent.* Undecimum. *Ut nullus abſolutè ordinetur.* Duodecimum. *Ut Clerici & Monachi in ſuo propoſito permaneant.* Decimum-tertium. *Ut Clerici inter ſe negotium habentes à ſuo Epiſcopo dijudicentur, non à ſecularibus.* Decimum-quartum. *Ut Clerici & Monachi inſidias contra Paſtorem ſuum non faciant.* Decimum-quintum. *Ut loca quæ ſemel Deo dedicata ſunt ut Monaſteria ſint, maneant perpetuò Monaſteria, nec poſſint ultrà fieri ſecularia habitacula.* Decimum-ſextum. *Ut nullus Presbyter contra ſuum Epiſcopum ſuperbire audeat.* Decimum-ſeptimum. *Ut Clerici Eccleſiaſtici ordinis, ſi culpam incurrerint, apud Eccleſiaſticos judicentur, non apud ſeculares.* Duodeviceſimum. *Ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat. Si ſpeciem aliam, eandem ſpeciem, quantùm dederit, accipiat.* Undeviceſimum. *Ut ante viginti-quinque annos ætatis nec Diacones ordinentur nec Virgines conſecrentur.* Hæc novemdecim Capitula ſumpta ſunt ex totidem Capitulis, ſecundo, tertio, quarto, decimo-quarto, decimo-ſexto, decimo-ſeptimo, viceſimo, viceſimo-primo, viceſimo-ſecundo, viceſimo-quarto, viceſimo-quinto, viceſimo-ſexto, viceſimo-octavo, viceſimo-nono, triceſimo-primo, triceſimo-ſeptimo, triceſimo-octavo, triceſimo-nono, & quadrageſimo-ſexto, Capitularis Aquiſgranenſis, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [a] ſuperiore Tomo retulimus.

[a] Nn. 1. & ſeqq

XXXI.

Viceſimum Capitulum. *Ut Virgines Deo ſacratæ ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant, nec paſſim vagando Eccleſiæ ladant exiſtimationem.* Sumptum eſt ex ejuſdem Capitularis Aquiſgranenſis Capitulo quadrageſimo, quod inſcribitur *de Virginibus Deo dicatis*, & apud Jacobum Sirmondum in Tomo ſecundo Conciliorum Gallicanorum ſic habetur. *In Concilio Africano præcipitur, ut Virgines Deo ſacratæ à gravioribus perſonis diligenti cuſtodiâ ſerventur. Ut Virgines ſacræ, cùm parentibus, à quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, ab Epiſcopo cuſtodiantur. Ubi autem Epiſcopus abſens eſt, providentia gravioribus fœminis commendetur, ut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagando Eccleſiæ ladant exiſtimationem.* Lege in Collectione Hadriani Papæ, quam ſæpè laudamus, Canonem undecimum Concilii Africani inſcriptum *de Virginibus.*

Viceſimum

Viceſimum-primum Capitulum. *Ut falſa nomina Martyrum non venerentur.* Viceſimum-ſecundum. *Ut nec uxor à viro dimiſſa alium accipiat vivente viro ſuo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.* Viceſimum-tertium. *Ut Eccleſiaſtica jejunia ſine neceſſitate rationabili non ſolvantur.* Viceſimum-quartum. *Ut nullatenus Presbyter ante trigeſimum ætatis ſuæ annum ordinetur.* Viceſimum-quintum. *Ut nulli Sacerdotum liceat ignorare Sanctorum Canonum inſtituta.* Viceſimum-ſextum. *Ut nullus Epiſcopus ad Clericatûs officium ſervum alterius ſine Domini ſui voluntate promovere præſumat.* Sex illa Capitula ſumpta ſunt ex totidem Capitulis prædicti Capitularis Aquiſgranenſis, ex quadrageſimo-ſecundo, quadrageſimo-tertio, quadrageſimo-octavo, quinquageſimo, quinquageſimo-quinto, & quinquageſimo-ſeptimo. AN. CH. 814. XXXII.

Viceſimum-ſeptimum Capitulum. *Ut Epiſcopi & reliqui Sacerdotes Canones benè intelligant, & ſecundùm Canonicam inſtitutionem vivant.* Concilii Francofordienſis, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto conſignavimus, Canon viceſimus ſtatuit, *ut Epiſcopum Canones & Regulam non liceat ignorare;* & quinquageſimus-tertius, *ut nulli Epiſcoporum & Sacerdotum liceat ſacros Canones ignorare.* XXXIII.

Viceſimum-octavum Capitulum. *Ut Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas Parrochias Presbyteros, eorum fidem, Baptiſma, & Miſſarum celebrationes, & ut fidem rectam teneant, & Baptiſma Catholicum obſervent, & Miſſarum preces benè intelligant, & ut Pſalmi dignè ſecundùm modulationes verſuum modulentur.* Hoc Capitulum idem eſt cum ſeptuageſimo Capitularis Aquiſgranenſis. XXXIV.

Viceſimum-nonum Capitulum. *Ut fides Catholica ab Epiſcopis & Presbyteris diligenter legatur & omni populo prædicetur. Et Dominicam Orationem ipſi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quiſque ſciat quid petat à Deo.* Triceſimum. *Ut omnis populus Chriſtianus fidem Catholicam & Dominicam orationem memoriter teneat.* Hæc duo Capitula ſumpta ſunt partim ex Capitulari Aquiſgranenſi, partim ex Capitulari Theodulfi ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſeptimum [a] à nobis recitato. Capitulum ſexageſimum Capitularis Aquiſgranenſis apud Sirmondum ſic habet. *Primò omnium admonemus, ut fides Catholica ab Epiſcopis & Presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur, quia hoc primum Præceptum eſt Domini Dei Omnipotentis in Lege.* [*Audi, Iſrael, quia Dominus tuus Deus unus eſt.*] *Et ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute noſtra.* Et viceſimum-ſecundum Theodulfi Capitulum tale eſt. *Commonendi ſunt fideles, ut generaliter omnes à minimo uſque ad maximum orationem Dominicam & Symbolum diſcant: & dicendum eſt eis, quòd in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lavacro fontis illius ſuſcipiatur, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi Symbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minimè perduxit.* XXXV.

[a] Nn. 66. & ſeqq.

Triceſimum-primum Capitulum. *Ut inter Epiſcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique ſeu majores ſeu minores perſonas, pax ſit, & concordia, & unanimitas, quia nihil Deo ſine pace placet.* Eſt epitome Capituli quod in Aquiſgranenſi Capitulari numeratur ſexageſimum-primum. XXXVI.

Triceſimum-ſecundum Capitulum. *Ut Abbates Canonici Canones intelligant, & Canones obſervent, & Clerici Canonici ſecundùm Canones vivant.* Triceſimum-tertium. *Ut Abbates Regulares & Monachi Regulam intelligant, & ſecundùm Regulam vivant.* Triceſimum-quartum. *Ut Abbatiſſæ Canonicæ & Sanctimoniales Canonicæ ſecundùm Canones vivant, & clauſtra earum ordinabiliter compoſita ſint.* Triceſimum-quintum. *Ut Abbatiſſæ Regulares & Sanctimoniales in Monachico propoſito exiſtentes Regulam intelligant & regulariter vivant, & clauſtra earum rationabiliter diſpoſita ſint.* Hæ quatuor Capitula, ut XXXVII.

AN. CH. 814. Abbatum, ſic & Abbatiſſarum duo diſtinguunt genera; unum Canonicum, alterum Monaſticum, de quibus ſæpè nobis jam fuit erítque rurſum ſermo.

XXXVIII. Triceſimum-ſextum Capitulum. *Ut Eccleſia Dei ſuum habeat honorem. Simul & Altaria ſecundùm ſuam dignitatem venerentur. Et non ſit domus Dei & Altaria ſacra pervia canibus. Et ut ſecularia negotia vel vaniloquia in Eccleſiis non agantur.* Potiſſima pars eſt Capituli ſeptuageſimi-primi in Capitulari Aquiſgranenſi.

XXXIX. Triceſimum-ſeptimum Capitulum. *Ut Presbyteri, & Diaconi, vel reliqui Clerici, arma non portent, ſed magis confidant in defenſione Dei quàm in armis.* Poſtrema pars eſt Capituli ſeptuageſimi in eodem Capitulari Aquiſgranenſi.

XL. Triceſimum-octavum Capitulum. *Ut quibus data eſt poteſtas judicandi juſtè judicent, non in muneribus quia munera excæcant corda prudentium. Et ut Judices jejuni cauſas judicent & diſcernant.* Triceſimum-nonum. *Ut omnes caveant perjurium, non ſolùm in ſanctis Evangelio, vel Altari, ſeu in Sanctorum Reliquiis, ſed & in communi loquela. Et ut qui in Sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate & timore Dei. Et qui ſemel perjuratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hæc, nec in ſua cauſa nec in alterius jurator exiſtat.* Hæc duo Capitula ſumpta ſunt ex ſexageſimo-ſecundo & ſexageſimo-tertio Capitularis Aquiſgranenſis.

XLI. Quadrageſimum Capitulum. *Ut nemo ſit, quì arioles ſciſcitetur, vel ſomnia obſervet, vel ad auguria intendat. Nec ſint malefici, nec incantatores, nec pythones *, nec cauculatores, nec tempeſtarii, vel obligatores. Et ubicunque ſunt, emendentur vel damnentur.* Quadrageſimum-primum Capitulum. *Ut obſervationes, quas ſtulti faciunt ad arbores vel petras vel fontes, ubicunque inveniuntur, tollantur & deſtruantur.* Hæc duo Capitula ſumpta ſunt ex ſexageſimo-quarto Capitularis Aquiſgranenſis.

* Pythones

XLII. Quadrageſimum-ſecundum Capitulum. *Ut homicidia infra patriam, nec causâ ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi, non faciant. Et non occidatur homo niſi Lege jubente.* Quadrageſimum-tertium. *Ut furta & injuſta connubia & inlicita cauſæ prohibeantur.* Quadrageſimum-quartum. *Ut æquales menſuras & rectas, & pondera juſta & æqualia omnes habeant. Et qui antèà dedit tres modios, modò det duos.* Quadrageſimum-quintum. *Ut mangones, & cociones, & nudi homines qui cum ferro vadunt, non ſinantur vagari & deceptiones hominibus agere.* Quadrageſimum-ſextum. *Ut opera ſervilia diebus Dominicis non agantur. Et ut dies Dominica à veſpera ad veſperam celebretur.* Hæc quinque Capitula ſumpta ſunt ex ſexageſimo-ſeptimo, ſexageſimo-octavo, ſeptuageſimo-quarto, ſeptuageſimo nono, & octogeſimo-primo prædicti Capitularis Aquiſgranenſis.

XLIII. Quadrageſimum-ſeptimum Capitulum. *Ut omnes fidelitatem promittant Domno Imperatori.* Lege Capitulum ſecundum Capitularis Noviomagenſis, quod anno Redemptoris octingenteſimo ſexto conſignavimus.

XLIV. Quadrageſimum-octavum Capitulum. *Ut Comites & Judices confiteantur quâ Lege vivere debeant, & ſecundùm ipſam judicent.*

XLV. Quadrageſimum-nonum Capitulum. *Ut beneficia Domni Imperatoris & Eccleſiarum conſiderentur, ne fortè aliquis alodem ſuum reſtaurans beneficia deſtruat.* In eadem materia verſantur Capitula quintum & ſextum Capitularis, quod anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo editum eſt Aquiſgrani *propter juſtitias infra patriam faciendas.*

XLVI. Quinquageſimum Capitulum. *Ut beneficia Saxonum in Francia conſiderentur qualiter condirecta ſint.*

XLVII. Quinquageſimum-primum Capitulum. *Ut liberi homines pauperes à nullo injuſtè opprimantur.* In antiquiori additione, quam Carolus anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo Legi Salicæ fecit, ſextum Capitulum, quod ſuperiore Tomo [a] retulimus, tale eſt. *De oppreſſione pauperum liberorum hominum,*

[a] Ad an. 780. n. 7.

ut nulli fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra juſtitiam oppreſſi, ſed diligenter inquiratur eorum cauſa. AN. CH. 814.

Quinquageſimum-ſecundum Capitulum. *Ut omnes parati ſint, quandocunque Domni Imperatoris juſſio venerit.* XLVIII.

Quinquageſimum-tertium Capitulum. *Ut Miſſi ad Domnum Imperatorem venientes & ab eo directi honorabiliter ſuſcipiantur.* Conſule primum librum Legis Longobardicæ, Titulo decimo-tertio, cujus hæc eſt inſcriptio, *ne quis ad Regem venientibus injuriam faciat.* XLIX.

Quinquageſimum-quartum Capitulum. *Ut hii, qui in mundeburde Domni Imperatoris ſunt, pacem & defenſionem ab omnibus habeant.* L.

Quinquageſimum-quintum Capitulum. *Ut inquiratur ſi aliquis homo propter juſtitiam Domni Imperatoris annuntiando occiſus ſit, vel aliquid mali paſſus ſit.* LI.

Quinquageſimum-ſextum Capitulum. *Ut hii, qui per beneficium Domni Imperatoris Eccleſiaſticas res habent, decimam & nonam dare & Eccleſiarum reſtaurationem facere ſtudeant.* LII.

Quinquageſimum-ſeptimum Capitulum. *Ut bannus, quem per ſemetipſum Domnus Imperator bannivit, ſexaginta ſolidos ſolvatur. Ceteri verò banni, quos Comites & Judices faciunt, ſecundùm Legem uniuſcujuſque componantur.* LIII.

Quinquageſimum-octavum Capitulum. *Ut omnes bonos & idoneos Vicedominos & Advocatos habeant & Judices.* LIV.

Quinquageſimum-nonum Capitulum. *Ut Miſſi noſtri, undecunque neceſſe fuerit, tam de Juſtitiis Eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & ceterorum hominum inquirant & perficiant, & quodcunque ad emendandum invenerint, emendare ſtudeant in quantùm melius potuerint. Et quod per ſe emendare nequiverint, in præſentiam noſtram adduci faciant.* LV.

Quo tempore Carolus Magnus ex hac vita diſceſſit, *Ludowicus Imperator,* ut Aſtronomus in ejus vita ſcribit, *Concilium populo generale quaſi quodam indixerat præſagio, in Purificatione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco cujus vocabulum eſt Theotuadus* *. *Defuncto autem patre pia recordationis miſſus eſt Rampo ad eum ab eis qui ſepulturam ejus curarunt, liberis ſcilicet & Proceribus Palatinis, ut & mortem ejus maturè cognoſceret, adventúmque ſuum nullo modo comperendinaret. Qui quum Aurelianam deveniſſet ad urbem, Theodulfus ejuſdem urbis Epiſcopus, vir undecumque doctiſſimus, cauſam ejus adventûs præſenſit, & velociſſimè miſſo perlatore Imperatori innoteſcere ſtuduit, hoc tantummodo ei ſuggerendum jubens, utrùm præſtolaretur venientem in urbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad urbem. Quam cauſam ille protinus commentatus agnovit, & ipſum venire ad ſe juſſit. Inde alium atque alium hujuſce rei triſtes ſuſcipiens nuncios, poſt quintum diem ab eodem loco pedem movit, & cum tanto, quantum paſſa eſt anguſtia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quammaximè Wala, ſummi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne fortè aliquid ſiniſtri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citiſſimè ad eum venit, & humilliſſimâ ſubjectione ſe ejus nutui, ſecundùm conſuetudinem Francorum, commendans ſubdidit. Poſt cujus ad Imperatorem adventum æmulati eum omnes Francorum Proceres certatim gregatímque ei obviam ire certabant. Tandémque ad Hariſtallium, proſpero itinere pervenit, & die triceſimo, poſtquàm ab Aquitania promovit, Palatio Aquiſgrani pedem feliciter intulit. Moverat autem ejus animum jamdudum, quanquam naturâ mitiſſimum, illud quod à ſororibus in contubernio exercebatur paterno, quo ſolo domus paterna inurebatur nævo. Cui incommodo mederi volens ſimul & cavens, ne quod per Odilonem & Hiltrudem olim acciderat, reviviſceret ſcandalum, miſit Walam & Warnarium, necnon & Lantbertum, ſed & Ingobertum, qui Aquaſgrani venientes talibus, ne accidere poſſent, cautelâ proſpicerent, & quoſdam ſtupri immanitate & ſuperbiæ faſtu reos Majeſtatis cautè ad adventum uſque ſuum adſervarent. Nam aliqui eorum cùm ſupplices veniam inter iter agendum poposciſſent, emeruerunt. Simul & præcipiens ut populus ibidem* LVI.

* Doüé en Anjou.

LUDOVICUS IMP. EX AQUITANIA VENIT AQUISGRANUM.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

*consistens absque metu semet ibidem operiretur venturum. At verò Warnarius Comes, insciò Walâ & Ingoberto, accito nepote Lantberto, Hodoinum jam dicto obnoxium crimine, ad se venire mandavit quasi comprehendendum, & Regiæ vindictæ objectandum. Cujus ille insidias, ut pote admordente acriter conscientiâ, monitus prævidit, & quia declinare detrectavit, & ipse experiri meruit, & ipsi Warnario ultimam cladem importavit. Nam ad eum, sicut ille mandaverat, veniens, & ipsum Warnarium confecit, & Lantbertum cruris læsione non parvo tempore debilem reddidit, & ad ultimum ipse confossus gladio interiit. Quæ quum nuntiata Imperatori fuissent, animum illius ad vindictam * exitium flexit amici in tantùm ut * alius quidam reus talium, qui penè jam Imperatoris clementiâ veniâ dignus videbatur, luminum amissione mulctaretur. Venit ergo Imperator Aquasgrani Palatium & à propinquis, atque multis Francorum millibus cum multo favore est receptus Imperatórque secundò declaratus. Quibus expletis, studiosis sepulturæ paternæ gratias egit, ac propinquis luctûs acerbitate confectis, consolationis congruæ contulit levamen. Sed & quod deerat inferiis genitoris promptissimè supplevit. Nam recitato paterno Testamento, nihil relictum est paternorum bonorum, quin secundùm ejus sectionem partiretur. Nihil enim ab eo intestatum est relictum. Sed quod Ecclesiis Metropolitanorum distribuendum censuit, subdivisit superscriptione nominum, quarum partes fuere viginti & una. Quod autem ornatui Regio conducebat, posteriori reliquit ætati. Statuit etiam quid, secundùm morem Christianorum, filiis, filiorúmque filiis & filiabus, necnon & servis ancillísque Regalibus, sed & in commune omnibus pauperibus distribueretur. Quæ cuncta Dominus Imperator Ludowicus, ut scripta relegit, executione operis complevit. His peractis, Imperator omnem cœtum fœmineum, qui permaximus erat, Palatio excludi judicavit præter panciſſimas, quas famulatui Regali congruas existimavit. Sororum autem quæque in sua, quæ à patre acceperat, concessit. Quæ autem necdum tale quid consecuta erant, ab Imperatore meruerunt, & ad imperata sese verterunt.*

* misericordiam
* ut Tullius quidam talium

LVII. THESAUROS PATRIS SUI DIVIDIT.

Addunt Theganus & Nithardus nonnulla, quæ non debent hîc omitti. Theganus [a] sic scribit. *Ludewicus in primis cum maxima festinatione jussit ostendere sibi omnes thesauros patris in auro, in argento, in gemmis pretiosissimis, & in omni suppellectili. Dedit sororibus suis partem earum legalem, & quicquid remanserat dedit pro anima patris. Maximam partem thesauri misit Romam temporibus beati Leonis Papæ, & quicquid super hoc remanserat, Sacerdotibus & pauperibus, advenis, viduis, orphanisque omnia distribuit, nihil sibi reservans præter unam mensam argenteam, quæ triformis est in medio, quasi tres clypei in unum conjuncti, ipsam sibi retinuit ob amorem patris, & tamen eam alio pretio redemit, quod pro patre tradidit.* Nithardus [b] sic. *Lodhwicus initio Imperii susceptæ pecuniam ingenti numero à patre relictam trifariam dividere jussit, & unam partem in causam funeris expendit, duas verò inter se & sorores suas à patre justo matrimonio susceptas divisit, quas & instanter à Palatio ad sua Monasteria abire præcepit. Fratres quoque adhuc tenerâ ætate, Drogonem, Hugonem, & Theodericum, participes mensæ effecit, quos & in Palatio unà secum nutriri præcepit; & Bernardo nepoti suo, filio Pippini, Regnum Italiæ concessit.* Hic Auctor ut in textu proximè citato *sorores* Ludovico tribuit *à patre justo matrimonio susceptas*, quæ propter Natalium suorum decus ab aliis distingui debeant, sic & ipsum Ludovicum *filiorum* Caroli *justo matrimonio susceptorum novissimum* appellat [c]. Cave autem ne tales te locutiones fallant, & proles Caroli, quæ natæ non sunt ex Hildegarde, continuò spurias arbitreris. Distinguenda sunt duo concubinarum genera, & ut illa concubina, quæ vera est uxor, injusta tamen uxor vocatur, sic & ejusdem concubinæ matrimonium dicitur injustum, discernitúrque à matrimonio, quod justum appellatur, quia contrahitur à muliere, cui nomen concubinæ nullomodo competit, licèt reverà ut hoc sic & illud justum sit matrimonium, & ut hæc mulier sic & illa concubina sit uxor justa. Lege quæ Tomo superiore scripta sunt ad annos Christi septingentesimum septuagesimum tertium [d], & octingentesimum tertium [e].

[a] Cap. 8.
[b] Lib. 1.
[c] Lib. 1.
[d] Num. 12.
[e] Nn. 49. & seqq.

Digitized by Google

E mulieribus, quæ Carolo prolem pepererunt, nulla nominari debet concubina, quocumque modo concubinam interpreteris; Hildegardis enim aliæque omnes legitimo conjugii nexu Carolo ſociatæ fuerunt. Scribit Nithardus tres noviſſimos Caroli filios, Drogonem videlicet, Hugonem, & Theodericum, *adhuc tenerâ ætate* fuiſſe, cùm patrem amiſerunt. Idque maximè obſervandum eſt adversùs pleroſque Scriptores, qui conſtituunt eos ætate grandiores, natóſque contendunt ante Hildegardis aut Faſtradæ mortem, ut de calumnia, quam inurunt Carolo, dubium eſſe non poſſit. AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

LVIII. AUDIT LEGATOS DIVERSARUM GENTIUM.

Annaliſta Laureshamenſis, quo potiſſimùm deinceps uſuri ſumus, res à Ludovico poſt patris mortem geſtas ſic orditur. *Ad ſuſcepti Regni adminiſtrationem curâ conversâ, primò Legationes gentium, quæ ad patrem venerant, auditas abſolvit. Alias ſimili modo ad patrem ante quidem miſſas, ad ſe verò venientes ſuſcepit. Inter quas præcipua fuit Legatio de Conſtantinopoli miſſa. Nam Leo Imperator, qui Michaeli ſucceſſerat, dimiſſo Amalhario Epiſcopo* Trevirenſi *& Petro Abbate* Nonantulano, *qui ad Michaelem quidem miſſi ad ſe venerant, Legatos ſuos Chriſtophorum Spatharium & Gregorium Diaconum, cum eis ad Dominum Karolum, & per eos deſcriptionem ac confirmationem pacti ac fœderis miſit. Quibus ſuſceptis atque dimiſſis, Dominus Ludovicus Legatos ſuos, Nortbertum Rhegienſem Epiſcopum & Richwinum Pictavenſem Comitem ad Leonem Imperatorem ob renovandam ſecum amicitiam & prædictum pactum confirmandum miſit.* Ex hoc textu liquet Leonem non malè ab Eginhardo recenſeri inter Conſtantinopolitanos Imperatores, qui miſſis ad Carolum Legationibus amicitiam ejus ac ſocietatem expetierunt, licèt Carolus morte præventus Legatos à Leone directos haud ſuſceperit. *Ludewicus*, ait Theganus [a], *eos benignè ſuſcipiens, & dona eorum cum gratiarum actione accipiens, & colloquium familiare interim, quouſque cum eo erant, habebat. Non poſt multos autem dies magnis honoribus decoravit eos, & dimiſit ire ad propria, & ante eos miſit Miſſos ſuos præparare eis quicquid deſiderabant ad opus eorum, quouſque forent in Regno.* Quod attinet ad Legatos, quos paulò pòſt in Orientem direxit; Nordbertus, qui primo loco nominatur, Regienſis Epiſcopus fuit in Inſubria, ſeditque poſt Adelmum, quem Ughellus ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum perveniſſe perperam ſcribit.

[a] Cap. 9.

LIX. GENERALEM CELEBRAT CONVENTUM.

Ludovicus, auditis ac dimiſſis exterarum gentium Oratoribus Aquiſgrani generalem Francorum Conventum habuit, de quo ſic Chronographus Moiſſiacenſis. *Anno* DCCCXIV. *Ludovicus Imperator reſedit apud Aquis Palatium, & ibi celebravit Paſcha* decimo-ſexto Kalendas Maii. *Et in ipſo anno venerunt ad eum Epiſcopi, Abbates, & Comites, & Duces, & loquutus eſt cum eis de cauſis neceſſariis, & ad utilitatem Sanctæ Eccleſiæ.* Huic Conventui accepta referimus, quæ Ludovicus in commodum Eccleſiæ ac populi mox peregit. *Eodem anno*, inquit Theganus [b], *juſſit ſupradictus Princeps renovare omnia Præcepta, quæ ſub temporibus Patrum ſuorum geſta erant Eccleſiis Dei, & ipſe manu propriâ ea cum ſubſcriptione roboravit.* Præterea, ut in Annalibus Laureshamenſibus legitur, *habito Aquiſgrani generali populi ſui Conventu, ad juſtitias faciendas & oppreſſiones popularium relevandas Legatos in omnes Regni ſui fines miſit.* Aſtronomus in vita Ludovici prælaudatis Annalibus ſic adſtipulatur. *Eodem anno generalem Conventum Aquiſgrani habuit, & per univerſas Regni ſui partes fideles ac creditarios à latere ſuo miſit, qui æqui juris tenaces exiſtentes perverſa corrigerent, omnibúſque jus congruum æquo libramine penderent.* Quo de negotio plura ſic Theganus [c]. *Eodem tempore ſupradictus Princeps miſit Legatos ſuos ſupra omnia Regna ſua inquirere & inveſtigare, ſi alicui aliqua injuſtitia perpetrata eſſet, &, ſi aliquem inveniſſent qui hoc dicere vellet, & cum veriſſimis teſtibus hoc probare potuiſſet, ſtatim cum eis in provinciam ejus venire præcepit. Qui ingreſſi invenerunt innumeram multitudinem oppreſſorum aut ablatione patrimonii aut exſpolitatione libertatis, quod iniqui Miniſtri, Comites & Loco-poſiti, per malum ingenium exercebant. Omnia ſupradictus Prin-*

[b] Cap. 10.

[c] Cap. 13.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

ceps deſtruere juſſit acta, quæ impiè in diebus patris ſui per iniquorum Miniſtrorum ingenia facta fuerant. Patrimonia oppreſſis reddidit, injuſtè ad ſervitium inclinatos abſolvit, & omnibus Præcepta juſſit facere, & manu propria cum ſubſcriptione confirmavit. Huc etiam ſpectat quod addit Aſtronomus in ejus vita. *Saxonibus atque Friſonibus jus paternæ hæreditatis, quod ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria Clementia reſtituit. Quod alii liberalitati, alii improvidentiæ aſſignabant, eò quòd hæ gentes, naturali feritati aſſuefactæ, talibus habenis deberent coerceri, ne ſcilicet effrænes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eò ſibi arctiùs eos vinciri ratus, quò eis beneficia largiretur, non eſt ſpe ſuâ deceptus. Nam poſt hæc eaſdem gentes ſemper ſibi devotiſſimas habuit.*

LX. BERNARDUM R. ITALIÆ AD SE VENIENTEM SUSCIPIT REMITTITQUE IN ITALIAM.

Rerum hoc anno geſtarum narrationem Chronographus Moiſſiacenſis ſic abſolvit. *Venit ad eum*, nempe Ludovicum, *Barnardus filius Pipini Rex Longobardorum, ſuſcepitque eum benigniter Dominus Imperator Ludovicus, ac remuneratum remiſit ad propria. Diſpoſuit & Marchas ſuas undique. Nam & præſidia poſuit in littore maris, ubi neceſſe fuit. Et ipſo anno apud Aquis hyemavit.* De Bernardi Regis adventu in comitatum Imperatoris déque ejus reditu in Italiam ad hunc primum annum Ludovici Auguſti conveniunt, Annaliſta Lureshamenſis, Aſtronomus, & Theganus. At hic addit nonnulla, quæ Hiſtoricæ veritati non videntur adeò conſentanea. Laureshamenſis Annaliſta ſic habet. *Ludovicus Bernhardum Regem Italiæ nepotem ſuum ad ſe evocatum muneribus donavit, & in Regnum remiſit.* Huic Annaliſtæ conformis eſt Aſtronomus. *Bernardum*, inquit, *nepotem ſuum jamdudum Regem Italiæ ad ſe evocatum, & obedienter parentem, amplis muneribus donatum, ad proprium Regnum remiſit.* Bernardum à Ludovico evocatum fuiſſe ex Italia, eúmque patrui voluntati paruiſſe non inficiamur, ſed negamus ad tantam inclinatum demiſſionem, ut ſponte cum ſacramento fidelem Ludovici vaſſúmque ſe fore promitteret. Thegani [a] tamen hæc eſt aſſertio. *Venit Bernhardus filius fratris ſui Pippini, & tradidit ſemetipſum ei ad Procerem, & fidelitatem ei cum juramento promiſit. Suſcepit eum libenter Dominus Ludovicus, & magnis eum ac honorificis donis honoravit, & permiſit iterum ire in Italiam.* Multis in locis Theganus Bernardo parùm æquum ſe præbet, ídque alibi jam notavimus notabimúſque.

[a] Cap. 12.

LXI. PACEM FIRMAT CUM GRIMOALDO DUCE BENEVENT.

Ludovicus Auguſtus, ut Annaliſta Laureshamenſis proſequitur, *cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo & pater, ſcilicet ut Beneventani tributum annis ſingulis* VII *millia ſolidorum darent*, ſive, ut Aſtronomus in ejus vita ſcribit, *Grimoaldum non quidem venientem, ſed Miſſos ſuos mittentem pacto & ſacramentis conſtrinxit, ut ſingulis annis ſeptem millia ſolidorum auri arcæ publicæ inferret.* Audiendus & ea de re Theganus [b]. *Venerunt*, inquit, *Legati Beneventanorum, qui omnem terram Beneventi ſuæ poteſtati tradiderunt, & multa millia aureorum per annos ſingulos ad cenſum tradere promiſerunt; quod ita perfecerunt uſque in hodiernum diem*; id eſt, ad annum uſque Ludovici Auguſti viceſimum-tertium, Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſextum, quo Theganus opus ſuum terminavit.

[b] Cap. 11.

LXII. HERIHOLTUM REG. E DANIA PULSUM SUSCIPIT.

Interim bellum redintegratur in Dania. *Heriholtus & Reginfridus Reges Danorum, qui anno ſuperioriore à filiis Godefridi victi & Regno pulſi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & Reginfridus & unus de filiis Godefridi qui major natu erat interfectus eſt. Quo facto, Heriholtus rebus ſuis diffidens ad Imperatorem venit, & ſe in manus illius commendavit. Quem ille ſuſceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare juſſit, quo ei, quemadmodum petierat, auxilium ferre poſſet.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis, cui conſentit Aſtronomus in vita Ludovici.

LXIII. FILIOS LOTHARIUM ET PIPPINUM RR. CONSTITUIT.

Nec hoc loco prætermittendum, quod iidem ſcribunt Auctores de filiis, quos patre Carolo ſuperſtite Ludovicus ex Hirmingarde ſuſcepit, duo enim ex iis hoc anno Reges inſtituti ſunt, Lotharius apud Bojoarios, Pippinus apud Aquitanos. Rem illam breviſſimè ſic attingit Annaliſta Laureshamenſis.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

Tunc Imperator *duos ex filiis ſuis, Lotharium in Bajoariam, Pipinum in Aquitaniam miſit.* Paulò fuſior eſt Aſtronomus in eadem materia, facitque mentionem Ludovici, qui prædictorum Lotharii & Pippini frater fuit natu minimus. *Eodem etiam anno duorum ſuorum filiorum, Lotharium in Bajoariam, Pippinum in Aquitaniam miſit, tertium verò Ludowicum adhuc puerilibus conſiſtentem in annis ſecum tenuit.* Profectionem illam Lotharii in Bojoariam, & Pippini in Aquitaniam, exeunte hoc anno contigiſſe facilè ſuadent multa, quæ priùs iidem Scriptores geſta recitant ab Imperatore Ludovico Aquiſgranum ex Aquitania poſt compertam Caroli patris mortem profecto. Chronographus Moiſſiacenſis id perperam in menſem Julium anni proximi ſic rejicit. *Anno* DCCCXV *Ludovicus Imperator* III *Kalend. Auguſti habuit Conſilium magnum in Aquis, & conſtituit duos filios ſuos Reges, Pipinum, & Clotarium ſuper Bagoaria. Et decrevit in ipſa Synodo Domnus Imperator Ludovicus, ut in univerſo Regno ſuo Monachi regulariter viverent ſecundum Regulam, & Canonici ſecundùm Canonum auctoritatem. Mandavit etiam Miſſis & Comitibus ſuis, ut juſtitias facerent in Regno ſuo, & ſi aliqui homines injuſtè privati fuiſſent de hæreditate parentum per cupiditatem Comitum aut divitum, ut reddere facerent. Necnon & ſi aliqui homines injuſtè in ſervitutem redacti erant, ut iterum acciperent libertatem.* Hic Auctor multa, quæ diverſis annis Aquiſgrani geſta ſunt, ad unum eundémque Conventum ibi celebratum refert. Pertinent ad hunc annum, quæ ſcribit de Lothario & Pippino Regibus, déque Miſſis ac Comitibus ad faciendas juſtitias in varias Regni provincias directis; ſpectant autem ad annos Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum & octingenteſimum decimum-ſeptimum, quæ ſcribit de Canonicis ac Monachis. Lege quæ de Legatis per univerſas Regni partes à Ludovico miſſis, ut oppreſſis patrimonia libertatémque redderent, ad hunc annum jam deſcripta ſunt ex Annaliſta Laureshamenſi, ex Thegano, & ex Aſtronomo. Varia ſuis locis Diplomata proferemus, quæ primum Pippini Regis annum cum ſecundo Ludovici Auguſti comparandum docent. Atque inde liquet Lotharium & Pippinum exeunte hoc eodem anno Reges à patre dictos fuiſſe. Nec ſcrupulum tibi moveant Aſtronomus ac Nithardus, ubi Ludovicum Aquitaniæ Regem per annos ſeptem ac triginta conſtituunt. Ille ſic in fine vitæ. *Aquitaniæ quidem præfuit per annos triginta-ſeptem.* Hic verò ſic in fine libri primi. *Rexit Aquitaniam per annos* VII *&* XXX. Ab utroque Ludovicus Aquitaniæ Rex agnoſcitur ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, quo Regni diviſionem ante triennium factam, ſic mutavit, *ut*, teſte Nithardo [a], *Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuwicus autem Bajoariam, Lodharius verò poſt diſceſſum ejus univerſum Imperium haberet, cui & unà ſecum Imperatoris nomen habere conceſſit.* Alteram hanc partitionem laudat Aſtronomus, cúrque Ludovicus *Imperator filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & eſſe voluit, & duorum filiorum ſuorum Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam miſit*, hanc rationem reddit, *ut ſcilicet ſciret populus, cujus deberet poteſtati parere.* Poſterior hæc Regni diviſio priore multò celebrior fuit. Annaliſta Laureshamenſis de priore ſic ad hunc annum ſcribit. *Ludovicus duos ex filis ſuis, Lotharium in Bajoariam, Pipinum in Aquitaniam miſit.* De poſteriore ſic poſt triennium. *Filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii ſui ſocium ſibi conſtituit. Ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Quamvis autem hic Auctor in priore Regni partitione, quæ ſub exitum hujus anni facta eſt, Lotharium & Pippinum Reges haud vocet, eos tamen ab illo tempore Reges appellatos fuiſſe vetera probant Diplomata, quibus fides non poteſt abrogari. Quapropter annum proximum, ut Ludovici Auguſti ſecundum, ſic & primum Lotharii ac Pippini Regum dicemus, ita tamen ut eidem Ludovico præter Imperatoriam dignitatem Regium quoque Titulum, quem ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo gerere cœpit, ad annum

[a] Lib. 1.

Digitized by Google

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I. LXIV. EDIT PRÆCEPTA,

usque Redemptoris octingentesimum decimum-septimum per annos septem ac triginta cum Astronomo & Nithardo attribuamus, imò ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum, quia quandiu vixit, instar Caroli patris summâ rerum potitus est, licèt filios suos à multis annis in consortium Regii nominis adsciviſſet.

Apud Petrum Franciscum Chiffletium inter probationes Historiæ Trenorciensis extat Præceptum pro Monasterio Duserensi in Arausicano territorio, apud Joannem Besly um in tractatu de Regibus Aquitaniæ occurrit aliud pro Monasterio Sancti Severini prope Burdigalam. Utrumque hoc anno à Ludovico Augusto datum est Aquisgrani, priusquàm Lotharium ac Pippinum filios Regiis decoraſſet Titulis. Diploma pro Cœnobio Duserensi pridie Kalendas Junii sic editum est.

PRO MON. DUSERENSI,

*In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Comperiat intereà omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter Dexter Abbas ex Monasterio Duserensi, quod est constructum in honore Sanctæ Mariæ Virginis & Sancti Petri & aliorum Sanctorum in territorio Arausico, veniens ad nos, detulit nobis Præceptum Karoli Serenissimi Imperatoris, Genitoris nostri, in quo continebatur, qualiter ipsum locum, qui erat de proprietate soli ejus, ad eundem Monasterium construendum Norsidio Abbati vel ejus successoribus concesserat, atque perpetuis temporibus ad habendum confirmaverat. Sed memoratus Abba & ejus Congregatio petierunt Celsitudinem nostram, ut ipsas res cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum, ad ipsam Ecclesiam, ad eorum supplendas necessitates, ex nostra auctoritate, pro mercedis nostræ augmento confirmaremus, & tale Præceptum eis fieri juberemus, per quod memoratas res, & alias, quæ à Deum timentibus ad eundem sanctum locum conlatæ sunt, quietè habere, atque perpetuis temporibus absque alicujus contrarietate possidere valerent. Quorum petitionem denegare noluimus, sed in omnibus ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter per Donationem Domni & Genitoris nostri vel ceterorum fidelium possidere videtur in quibuslibet pagis & territoriis, quicquid ibidem conlatum fuit, vel quæque deinceps in jure ipsius sancti loci, aut per nos, aut per alios, volnerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas * faciendas, aut fidejussores tollendos, vel homines ipsius Ecclesiæ, tam ingenuos quámque & servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos; nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Et quicquid de rebus præfati Monasterii fiscus sperare posset, totum nos pro eterna remuneratione jam dicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione supradictus Abba vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum, licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge prolèque nostrâ & stabilitate totius Imperii nostri, à Deo nobis concessi vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus melius inconvulsa conservetur, manu propriâ subscripsimus, & de annulo nostro subter sigillare jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Helisachar recognovi & subscripsi. Data pridie Kalendas Junias, anno primo, Christo propitio, Imperii nostri, Indictione* VII. *Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Et quinto Idus Julii Præceptum pro Monasterio Sancti Severini sic emissum est. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Notum*

* parcias

sit

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia placuit nobis pro mercedis noſtræ augmento ad Monaſterium Sancti Severini prope urbem Burdegalenſium villam quæ dicitur Miſcaria in pago Santonico ſuper fluvium Garumnam ſitam cum omnibus appenditiis ſuis, ad ſupplementum fratrum in ipſo Monaſterio conſiſtentium reddere, atque ut perpetuis temporibus quietè illam pars prædicti Monaſterii habere valeat per has noſtræ auctoritatis literas confirmare. Proinde hoc Præceptum noſtrum fieri eis juſſimus, per quod cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ præſentibus & futuris notum facimus, ut prædictam villam cum omnibus appenditiis ſuis vel adjacentiis, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, quicquid ibidem jure pertinere videtur totum & integrum vel inexquiſitum per hanc noſtram auctoritatem ad ipſum Monaſterium agnoſcant à nobis eſſe redditum atque confirmatum. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quilibet de prædictis rebus, quas nobis præfato Monaſterio reddere atque confirmare placuit, aliquid abſtrahere, aut injuſtè minuere, aut aliquam contrarietatem facere, vel injuſtam reſultationem inferre tentet; ſed liceat ipſas res memoratas Eccleſiæ poſſidere, atque pro omnibus temporibus ad ſtipendium fratrum ibidem Deo famulantium perficere. Et nullus eam exinde ullo unquam tempore abſtrahere nitatur, ſi Dominum vult habere propitium. Nullus unquam Judex publicus in prædictis rebus ad cauſas audiendas vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, vel ſidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ diſtringendos, aut ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ingredi audeat, vel exagitare præſumat, ita ut hæ futuris temporibus ſalvæ & illæſæ per noſtram defenſionem omni tempore perſiſtere valeant. Hæc verò auctoritas ut noſtris futuriſque temporibus meliùs credatur, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & à noſtris inviolabiliter cuſtodiatur, manu propriâ ſubſcripſimus, & de anulo noſtro juſſimus ſigillari. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Dat. 5. Idus Julii, anno 1, Chriſto propitio, Imperii noſtri, Indictione 7. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen. PRO MON. S. SEVERINI PROPE BURDIGALAM,

Ex his Ludovici Auguſti Præceptis liquet Diplomatum inchoandorum formulam ab eodem Ludovico mutatam fuiſſe, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum octavum [a] per anteceſſum jam obſervavimus, cùm oſtenderemus nec Carolum nec Ludovicum eâ uſum formulâ, *in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis*; ſed à Carolo uſurpatam illam, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; à Ludovico hanc, *in Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Hæc eadem formula reperitur etiam initio Diplomatis, quod ab Hieronymo Lopeſio publicatum eſt in Hiſtoria [b] Burdigalenſis Eccleſiæ, videtúrque ſatis appoſitè referendum hoc loco, cùm in multis ad Monaſterium quoque Sancti Severini pertineat, nec ullo muniatur Charactere, qui ſeriùs emiſſum probet. *In Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quid conferimus beneficii, & neceſſitates Eccleſiaſticas ad petitiones Sacerdotum noſtro relevamus juvamine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam & ad æternam felicitatem obtinendam profuturum liquidò credimus. Noverit interea ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium, tam præſentium quàm futurorum, quòd Vir Venerabilis Sicharius Burdigalenſis Archiepiſcopus adiens noſtram præſentiam detulit obtutibus noſtris Immunitatem Domini & Genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ Sereniſſimi Auguſti, in qua continebatur, qualiter ipſam ſedem, quæ eſt in honorem Sancti Andreæ & Sancti Jacobi Apoſtolorum cum Monaſteriis ſibi ſubjectis, quæ dicuntur, Blavia, quod eſt in honorem Sancti Romani conſtitutum, ubi ipſe Sanctus pro tempore requieſcit, ſitum in eodem pago Burdigalenſi ſuper fluvium Garonam, necnon & Sancti Severini, ubi etiam requieſcit ipſe, conſtructum in ſuburbio ipſius civitatis, cum omnibus appenditiis & aſſentiis eorum, quæ non ſolùm idem Genitor noſter, verùm etiam prædeceſſores ejus Reges, ipſamque Sedem ſub uno nomine & defenſione cum Cellulis ſibi ſubjectis, & rebus vel hominibus ad ſe pertinentibus vel aſpi-*

[a] Num. 18.

[b] Cap. 9.

PRO ECCLESIA BURDIGAL.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

cientibus conſiſtere feciſſent, & eorum Immunitatum authoritatibus ab inquietudine judiciariæ poteſtatis eadem immunita atque defenſa fuiſſet Eccleſia. Sed pro ejus firmitate poſtulavit à nobis prafatus Sicharius Archiepiſcopus, ut Patrum ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum morem ſequentes, hujuſmodi noſtræ Immunitatis Præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipſius ſancti loci circa ipſam Eccleſiam fieri cenſeremus. Cujus petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & hoc noſtræ authoritatis Præceptum, circa ipſam Eccleſiam Immunitatis atque authoritatis gratiâ pro divini cultûs amore & animæ noſtræ remedio fieri decrevimus. Per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex Judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quàm futuris, in Eccleſias, aut agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſdam pagis vel territoriis intra ditionem Imperii noſtri, juſtè & legaliter memorata tenet Eccleſia, vel ea deinceps in jura ipſius Eccleſiæ divina pietas volverit augere, ad cauſas audiendas, vel * *fauda* *freda * aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos ſuper terram ipſius permanentes injuſtè diſtringendos, nec ullas redemptiones aut illicitas occaſiones requirendas noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ ſuprà memorata ſunt, exigere præſumat. Sed liceat memorato Pontifici & cuilibet ſucceſſori res prædictæ Eccleſiæ cum Cellulis ſibi ſubjectis & rebus vel hominibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, Immunitatis noſtræ defenſione, remotâ totius Judiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate noſtra, & conjugis, & prolis, ſeu etiam totius Imperii à Deo nobis collati & ejus clementiſſimâ miſeratione per in immenſum conſervandi, unà cum Clero & populo ſibi ſubjecto, Dei immenſam clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatis rebus Eccleſiæ jus fiſci exigere poterit, totum nos perpetuâ renunciatione conceſſimus Eccleſiæ iſti, ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendia Clericorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus noſtris diligentiùs conſervetur, manu noſtrâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.*

LXV. Tribus hiſce Præceptis alia duo cum eadem inchoandorum Diplomatum formula ſubjiciemus, hoc ipſo anno Aquiſgrani data, unum pro Monaſterio San-Dionyſiano Kalendis Decembris, alterum pro Eccleſia Narbonenſi quarto Kalendas Januarii. Primum in antiquitatibus San-Dionyſianis [a] ſic recitatur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & neceſſitates Eccleſiaſticas ad petitiones ſervorum Dei noſtro relevamus juvamine, atque Imperiali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Ideóque comperiat omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ tam Epiſcoporum [1] quàm Abbatum [2] ſive Comitum [3] tam præſentium quàm & futurorum ſagacitas ſeu induſtria, quia obtulit obtutibus noſtris Hildoinus Abba ex Monaſterio Sancti Dionyſii, quod eſt ſitum in territorio Pariſiaco, ubi ipſe Sanctus Dionyſius & comites ejus corpore requieſcunt, Immunitatem Domni & Genitoris noſtri bonæ memoriæ Caroli Piiſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, quòd non ſolùm idem Genitor noſter, verùm etiam & prædeceſſores ejus Reges videlicet Francorum, ſub ſuo nomine & defenſione, cum Monaſteriis virorum & puellarum eidem Monaſterio Sancti Dionyſii ſubjectis, & rebus, vel hominibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus, conſiſtere fecerant, & Immunitatum [4] auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ poteſtatis munitum atque defenſum fuiſſet Monaſterium; ſed pro rei firmitate poſtulavit nobis prædictus Hildoinus Abba, ut paternum ſeu prædeceſſorum noſtrorum morem ſequentes, hujuſcemodi noſtræ Immunitatis Præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipſius ſancti loci circa ipſum Monaſterium fieri cenſeremus. Cujus petitioni libenter adſenſum præbuimus, & hoc noſtræ auctoritatis Præceptum erga ipſum Monaſterium Immunita-*

[a] Lib. 1. c. 7. PRO MON. S. DIONYSII.

[1] *Epiſcopis*
[2] *Abbatibus*
[3] *Comitibus*
[4] *Immunitatum*

Digitized by Google

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

tis atque tuitionis gratiâ, pro reverentia Sancti Dionysii Patroni nostri & animæ nostræ remedio, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus unquam Episcopus vel quislibet ex judiciaria potestate, in cellulas, aut in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis, territoriis, vel pagis, infra ditionem Imperii nostri juste & legaliter memoratum tenet vel possidet Monasterium, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris eidem conlata fuerint Monasterio, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, nec ullas reddibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exactare præsumat; sed liceat prædicto Abbati suisque successoribus res prædicti Monasterii Sancti Dionysii cum Cellulis sibi subjectis & rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remotâ totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis, ac prolis, seu etiam totius Imperii à Deo nobis conlati & ejus clementissimâ miseratione per immensum conservandi, unà cum Congregationibus ad regendum commissis Domini immensam Clementiam jugiter exorare; & quicquid de præfati rebus Monasterii jus fisci exigere poterit, in integrum in usus Congregationis ibidem Deo famulantis & luminaria ipsius Monasterii concinnanda, vel in alimonia pauperum proficiat in augmentum. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris tam Episcopis quàm Abbatibus necnon & Comitibus diligentiùs ac veriùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Hludovici Serenissimi Imperatoris. Ego Helisiachar recognovi. Data Kalend. Decembris, anno, Christo propitio, primo Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indict. octavâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Annum Imperii Ludoviciani primum cum Indictione octava per mensem Decembrem conjungimus, initio ejusdem Imperii ducto à die quo Carolus Ludovici pater ex hac vita migravit. Qui Præceptum hoc Hilduinus Abbas postulavit obtinuitque, Waltoni nuper in administrationem Monasterii San-Dionysiani successerat. Alterum Ludovici Præceptum ex Archivis Narbonensibus à Catello [a] publicatum est in Catalogo Metropolitarum Narbonensium, deinde à Sammarthanis [b] editum est in Gallia Christiana. Utrobique nullo, si diem & locum exceperis, Charactere munitur; nec annum exhibet Ludovici Augusti, nec Indictionem. Laudatur à Besso in Historia Ducum Narbonensium [c], ibique dicitur emissum anno Ludovici Augusti primo, Incarnationis Dominicæ octingentesimo decimo-quinto. Huic Auctori super anno Ludovici lubenter adstipulamur, quia, teste Thegano [d], Ludovicus eodem anno, quo patri successit, *jussit renovare omnia Præcepta, quæ sub temporibus Patrum suorum gesta erant Ecclesiis Dei, & ipse manu propriâ ea cum subscriptione roboravit.* At annum primum Ludovici Augusti per mensem Decembrem cum hoc anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto in hoc Præcepto ut & in superiori componimus. Hac observatione præmissâ, ipsum Diploma nunc accipe. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, supernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Ideircò notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris tam præsentibus quàm & futuris, quia Vir Venerabilis Nifridius * Narbonensis urbis Archiepiscopus adiens obtutibus nostris deprecatus est mansuetudinem Culminis nostri, & Matrem Ecclesiam ipsius civitatis, quæ est in honore Sanctorum Justi & Pastoris, vel Sanctæ Mariæ semper Virginis, cum Monasterio Sancti Pauli Confessoris, ubi ipse Sanctus corpore requiescit, quod est constructum haud procul ab eadem urbe, cum omnibus moderno tempore sibi sub-*

[a] Lib. 5. Hist. Occitan.

[b] Tom. 1. in Archiep. Narbon. 16.

[c] Cap. 9. in fin.

[d] Cap. 10.

* Sammarth. *Nibridius*

ET PRO ECCLESIA NARBON.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

jectis sub nostra defensione & Immunitatis tuitione consistere faceremus. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam eorumdem Sanctorum aurem accommodare libuit, & hoc nostræ auctoritatis Immunitatisque Præceptum erga eandem Ecclesiam facere, per quod decernimus atque jubemus, ut nemo ex Judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus nostris in Ecclesias, aut loca, vel agros, aut reliquas possessiones, quas præsenti tempore possidet, vel ea quæ deinceps in jure atque potestate ipsius Ecclesiæ divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda & tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà enumerata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Præsuli suisque successoribus sub nostra defensione quietè residere, & nostro parere Imperio, & quicquid jus fisci inde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem servientibus Deo proficiat in augmentis, quatenus Rectores ipsius Ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus cum Clero & populo sibi subjecto, pro nobis & conjuge prolèque nostra, ac totius Imperii à Deo nobis per immensam Domini misericordiam commissi salute alacriter exorare delectet. Et ut hæc authoritas nostræ Præceptionis à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris verius credatur & diligentius conservetur, eam manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici Piissimi Augusti. Durandus Diaconus ad vicem Elisachar recognovit. Data quarto Calend. Januarias, anno Christo propitio, Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen. In hoc Præcepto, si qui legitur à Bessio, primus apponatur annus Ludovici Augusti cum Indictione per mensem Decembrem currente, postrema periodus sic est restituenda. *Data quarto Calend. Januarias, anno Christo propitio primo, Indictione octavâ, Aquisgrani* &c. ut suprà.

LXVI. AULICENSIS EPISCOPATUS TRANSFERTUR HILDESIAM.

Hoc eodem anno, quo Carolus Magnus obiit, Sedes Episcopalis Aulicâ Hildesiam translata est. Aulica & Hildesia duobus ab invicem milliariis dissident. Aulica sita est in loco ubi Sala rivulus in sinistram Leynæ ripam influit; Hildesia fluvio adlidet, qui vocatur ab incolis *Innerste*, & dexteram ejusdem Leynæ ripam infra Aulicam subit. Hanc Episcopatûs translationem sic exponit Bruschius in Præfatione Catalogo Hildesheymensium Episcoporum præfixa. *Cœpit Episcopatus ille non Hildesiæ, sed apud Elzum vel Regiam Aulam*, sive Aulicam, *amœnissimum quendam pagum in concursu Salæ ac Lynii pisculentissimorum fluviolorum situm. Ibi prima Cathedralis Basilica futuro Episcopatui constructa est, à Divo Carolo Magno in honorem Principis Apostolorum Sanctæ Petri, à qua Episcopatus primùm Aulicensis Episcopatus dictus est. Translatus est autem tandem ab Imperatore Ludovico Pio Caroli Magni filio ex Regia ista Aulæ trans flumen Lynense in locum, quem à cælitus missa nive Hildesschneolim, nunc verò parum immutatâ voce Hildesheym appellamus. Ibi conditum est ab eodem Optimo Imperatore primum Templum Divæ Virgini sacrum, & hîc cœpit Episcopus Guntharius à Carolo Magno anteà electus, primus Hildesheymensis appellari, qui anteà Aulicensis dictus erat. Factúmque id est anno Dominicæ Incarnationis 814.* Et paulò pòst. *Guntharius vel Guntherus eligitur & constituitur primus Episcopus Hildesianæ Ecclesiæ ab Imperatore Ludovico Pio, anno Domini 814, quo obiit Carolus Magnus primus hujus Episcopatûs fundator.* Quod ad rationem nominis à nive derivatam attinet, illam Krantzius in sua Metropoli [a] fabulis sic accensèt. Ludovicus Imperator, *quâ potuit fieri, instantiâ jussit moliri nova ibi*, nempe Hildesiæ, *Templi novi fundamenta, in honorem Divæ Virginis consecrandi. In quem locum mox translata est Aulicensis Ecclesia, ut deinde à novo loco diceretur Hildesemensis. Nominis autem rationem à nive quidam comminiscuntur, ut ibi Templum firmaretur, quo solo loco nix visa est terram operuisse. Sed illam fabulam traductam arbitror à Romano Divæ Virginis Mariæ, nunc Majoris, quondam Nivis, Templo. Utcumque fuerit de nomine, certum est Aulicensem Ecclesiam nunc esse Hildesemensem.*

[a] Lib. 1. c. 10.

AN. CH. 814.

Idem Ludovicus Imperator univerſam Tranſalbianorum Saxonum ſeu Nordalbingorum Eccleſiam, cujus curam Carolus patet ante biennium Heridago Preſbytero ad illius gentis Epiſcopatum deſtinato commiſerat, vicinis Epiſcopis, Bremenſi videlicet ac Verdenſi commendavit, tranſtulitque ad Indenſe Monaſterium Cellam Rotnacenſem, quam eidem Heridago Presbytero Carolus in ſupplementum delegarat. Hæc fuſiùs enarrantur in ipſius Ludovici Diplomate ſuper Miſſione Sancti Anſcharii, quod integrum reperies apud Petrum Lambecium in probationibus Originum Hamburgenſium, & apud Godefridum Henſchenium in Commentario [a] prævio vitæ [b] ejuſdem Sancti Anſcharii. *Captivis*, inquit Ludovicus, *optatam ad patriam*, id eſt, ad Tranſalbianam Saxoniam, *undique confluentibus, genitor noſter gloriosæ memoriæ Karolus eamdem Parochiam cuidam Presbytero, Heridac nomine, ſpecialiter commendavit, quem univerſa Nordalbingorum Eccleſia, videlicet ne ad ritum redaberentur Gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc Gentibus videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari Epiſcopum, ut ipsâ occaſione vel auctoritate, ſummâ in ipſis terminis Gentium ſedulitate prædicandi ſancta multiplicaretur Eccleſia, dum vicinorum ipſius novitatis Epiſcoporum multa latitudinis cura non ſufficiebat diſcurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quamdam Cellam, Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret ſupplementum. Sed quia conſecrationem jam dicti viri velox ex hac luce tranſitus pii genitoris noſtri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, quem Divina Clementia in Sedem Regni ejus aſciverat, cùm in multis Regni diſponendis negotiis inſiſterem, hoc quoque prædicti patris mei ſtudium Regni in finibus peractum minùs cautè attenderem, ſuadentibus quibuſdam jam dictam Cellam ad Indam Monaſterium contuli, vicinam verò Parochiam vicinis Epiſcopis interim commendavi.* In editione Lambecii, poſtrema periodus, Indenſis Monaſterii Cellæque ad illud collatæ ſuppreſsâ mentione, ſic profertur. *Ego autem, quem Divina Clementia in Sedem Regni ejus aſciverat, cùm in multis Regni negotiis inſiſterem, hoc quoque prædictum patris mei ſtudium, velut Regni in finibus, minùs cautè attenderem, prædictam Parochiam vicinis Epiſcopis interim commendavi.* Bremæ ſedebat Willericus, Verdæ Tanco. Duobus hiſce vicinis Epiſcopis poſt Caroli Magni mortem commiſſa denuò Tranſalbiana Saxonia. De Willerico recurret ſermo. Tanconi ſucceſſit Iſengerus, tum Heligandus qui florebat anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-primo.

LXVII. ECCLESIÆ TRANSALBIANÆ CURA VICINIS EPISCOPIS DENUO COMMITTITUR.

[a] §. 16.
[b] D. 3. Feb.

LXVIII.

Inter Monaſteria, quæ Ludovicus Rex Aquitaniæ, necdum Imperator, curæ Benedicti Anianenſis Abbatis commiſit, annumeratur Maſciacum in Diœceſi Bituricenſi. Conſtat tamen ex illius loci Chronographo, Monachos ante hunc annum illic haud fuiſſe collocatos. Textus Chronici talis [c] eſt. *Anno à Chriſti Incarnatione* DCCCXIIII. *Adventus Monachorum in Maſciaco.* Lege quæ ſcripſimus ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum, ut Ardonem in vita Benedicti conciliaremus cum eodem Chronographo, apud quem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodequadrageſimum ponitur *initium Monaſterii Maſciacenſis ab Egone Comite*, & ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum *adventus Monachorum in Maſciaco.* Priùs igitur quàm Meroveicum genus deficeret, cœptum eſt ab Egone Comite Monaſterium Maſciacenſe, longóque pòſt intervallo cùm totum ædificium penè confectum eſſet, evocatus eſt à Ludovico tunc Aquitanorum Rege Benedictus, qui neceſſaria quæque Monaſterio prævideret, eodémque tandem anno, quo Carolus Magnus obiit, introducti primùm Monachi, quibus Abbatem præfecit Benedictus, ut Ardo in illius vita teſtatur his verbis. *Rurſus ei* Rex Ludovicus *aliud contulit Monaſterium, quod in territorio Bituricenſi ſitum eſt, illícque quadraginta fermè poſuit Monachos, conſtituítque Abbatem.*

[c] Tom. 1. Biblioth. Labb.

ABBAS MASCIACO MON. PRÆFICITUR.

LXIX.

Idem Benedictus, ordinato Maſciacenſibus Monachis Abbate, ſtatim profectus eſt in Alſatiam, ut Maurum Monaſterium priſtino ſplendori reſtitue-

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

ret. At cùm locus hic ab Aquisgrano longiùs abesset, Ludovicus Imperator novum mox ei præparavit Monasterium, quod sex duntaxat milliariis à Palatio distaret. De utroque sub hæc tempora sic Ardo. *Post obitum quoque Serenissimi Imperatoris Caroli, cùm filius ejus Ludovicus, Rex Aquitanorum, Imperii curam suscepisset, Franciæ cum partibus ire jussit, eique in Alsat Maurum Monasterium designavit, ubi plures vitæ suæ sequaces ex Anianæ Monasterio collocavit. Et quoniam magnum à Palatio distat spatium locus præfatus, nec congruo occurrere tempore cùm vocabatur poterat, & quia Imperatori multis pro causis erat necessarius, placuit Imperatori, ut non longè à Palatio provideret locum aptum sibi, in quo cum paucis quiescere posset, sicque præfecto Abbate fratribus Mauro degentibus ipse cum nonnullis Imperatoris voluntati obtemperaturus accessit. Vallis autem erat vicina, quæ à Palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat, quæ viri Dei placuit oculis, ibique Imperator jussit construere miro opere Monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem vallis nomine. In dedicatione verò Ecclesiæ adfuit Imperator, eámque de suis copiosissimè ditavit fiscis, Immunitatémque jussit, atque per scripturam, ut triginta ibidem Deo fratres Christo famulantes persisterent Monachi, statuit, qua de re, ut numerus impleretur, Venerabilis Abbas de notis Monasteriis lectos jubet venire fratres, quos suo instrueret exemplo, essentque aliis documentum salutis, quousque instinctu divinæ gratiæ sæculari pompâ relictâ, æterno Regi militare desiderantes ex eadem provincia in eorum subrogarentur ordinem.*

MAURUM MON. REFORMATUR.

INDA MON. ERIGITUR.

LXX. In hoc textu *Maurum Monasterium*, quod ponitur *in Alsat*, sive in Alsatia, non aliud est à Cœnobio, quod ut à Sancto Leobardo conditore ac primo Abbate, Sancti Columbani discipulo, Cella Leobardina seu Cella Leobardi, vulgò *Lewartzell*, sic & à Mauro quinto illius loci Abbate Maurum Monasterium & Mauri-monasterium vulgò *Maurs-Munster* appellatur in Episcopatu Argentoratensi seu Strasburgensi. Series Abbatum à primo conditu ad Maurum usque non est interrupta. Vivebat Maurus anno Christi septingentesimo vicesimo-quinto. De proximis successoribus nihil auditur. Qui Ludovico Pio Imperium adepto percharus fuit Celsus Abbas, is Mauri-Monasteriensis Abbas institutus videtur à Benedicto Abbate Anianensi prælaudato. Sub Abbate Mauro numerus Cœnobitarum ad unum & triginta excrevit. Quot extiterint sub Abbate Celso Monachi, nemo prodit. Lege Jodocum Coccium [a] in Dagoberto redivivo, & Gabrielem Bucelinum in Monasteriologia Imperii Germanici.

CELSUS AUB MAURI-MON.

[a] Cap. 6.

LXXI. Inda, cujus quoque mentio fit in eodem textu, celebre Colonienſis Diœcesis Monasterium nomen traxit à rivo, qui partem Juliacensis agri prætelapsus in Ruram egeritur. Inter alia loca, quæ Ludovicus Augustus Monachis Indensibus contulit, annumeratur Rotnacum seu Rodnacum vel Rotornacum aut Roturnacum, recentioribus Renæsa & Ronsa *. Locus hic non procul abest à dextra Schaldis ripa, duobúsque tantùm milliariis distat Aldenardâ, quæ Borealior est adsidétque Schaldi. Baldericus [b] testatur erectum à Sancto Amando Monasterium Canonicorum in vico Rotnaco. Carolus Magnus, cùm novum in Transalbiana Saxonia Episcopatum instituere vellet, illud Monasterium dedit Heridago Presbytero, quem primum istius regionis Episcopum fore destinabat. Sed Ludovicus Pius post patris obitum curam Ecclesiæ Transalbianæ rursum vicinis commisit Episcopis, & Cellam Rotnacensem Indensi Monasterio subjecit. Ad hanc mutationem obstupescit Baldericus. *In vico*, inquit, *Rotnasce est Monasterium Canonicorum à Sancto Amando in honore eorumdem Apostolorum* Petri & Pauli *constructum, ubi Martyr Dei pretiosus Ermes quiescit. Hoc autem demiramur, quòd hunc locum tam antiquum & tam opulentum Ludovicus Pius Endensi* sive Indensi Cœnobio *subjacendum donavit.*

* *Ronsa.*

[b] In Chron. Camerac. l. 2. c. 44.

ROTNACUM ATTRIBUITUR INDÆ MON.

LXXII. Indenses Monachi, cùm duodecim recensent Monasteria, quæ sub Benedicti regimine fuerunt, enumerationem Mauro & Indâ sic claudunt, ut

Digitized by Google

decem ſuperſtite in vivis Carolo Magno, alia duo poſt ejuſdem Caroli mortem, ſub Benedicti moderamine poſita liquidò demonſtrent. *Hic eſt*, inquiunt, *Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni Regno Francorum Regulam Sancti Benedicti inſtauravit. Hic habuit ſub regimine ſuo Monaſteria duodecim, id eſt, Anianam, Gellonem, Caſam-Novam, Inſulam Barbaram, Menatem, Sanctum Savinum, Sanctum Maximinum, Maſſiacum, Cromatiacum, Cellam-Novam in Toloſano, Monaſterium Maurum in Aliſatz, Indam ex juſſu Imperatoris ob illius ac diſcipulorum ejus uſum ædificatum & de fiſcis Regalibus ditatum. In his omnibus ex doctrina ſua Monachos & Rectores miſit.* In Epiſcopatu Magalonenſi Monaſterium Sancti Salvatoris ſive Anianum erexit, ut dictum Tomo ſuperiore [a], rexitque locum illum cum Abbatis titulo, donec aliò vocatus omnem adminiſtrationem refudit in Georgium, cui moribundus literas ſcripſit ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum recitandas. Ut Anianenſi, ſic & Gellonenſi præfuit Monaſterio, quod à Willelmo Comite Toloſano conditum in Diœceſi Lutevenſi ſub initium [b] hujus Tomi probavimus. Caſam-Novam, Monaſterium ab Illuſtri Viro Ulfario in Albigenſi Diœceſi conſtructum accepit ab ipſomet conditore, duodecim ferè Monachos illuc miſit, quibus & Abbatem præfecit, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum [c] retulimus ex Ardone. Monaſterii quoque Barbarenſis à Leidrado Lugdunenſi Metropolita reparati curam geſſit, dottec onus regiminis ad Campionem tranſtulit, de quo plura poſt biennium dicturi ſumus, interim lege quæ præmiſſa ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum ſeptimum [d], atque obſerva pagum Lugdunenſem, ubi Inſula Barbara & Barbarenſe Monaſterium, ad ſortem Ludovici tunc pertinuiſſe ex diviſione Regni, quam Carolus Auguſtus anno Redemptoris octingenteſimo ſexto fecit. Idem Benedictus, Ludovico Aquitaniæ Rege, Menatum & Sanctum Savinum, duo Cœnobia, unum in Arvernica Diœceſi, alterum in Pictavienſi, ſuſcepit regenda, &, Ardone teſte, ſuum utrique Abbatem præpoſuit. Habuit & ſuo ſub regimine Sanctum Maximinum ſeu Cœnobium Sancti Maximini. Porrò cùm in Gallia duplex Sancti Maximini Monaſterium celebretur, unum prope Treviros, alterum prope Aurelianum, & Trevirenſe procul ab Aquitania ſive à Regno Ludovici diſtet, Aurelianenſe verò, quod ſiniſtræ Ligeris ripæ adſidet, ad Aquitaniam pertineat, cave ne Monachos Indenſes de Trevirenſi locutos ſuſpiceris. In Aurelianenſi Diœceſi Miciacum Monaſterium, cui poſteà Sancti * Maximini nomen inditum fuit, ex Clodovei Magni munificentia conditum eſt anno Chriſti duodequingenteſimo. Percelebres habuit Abbates ſexto ſeculo, Sanctum Euſpicium, Sanctum Maximinum Seniorem cujus nomen hodie gerit, Sanctum Avitum, Sanctum Theodemirum, Sanctum Maximinum Juniorem, ſed horum ſucceſſores deſiderantur uſque ad Dutreſindum ſeu Drucecindum quem Benedictus Anianenſis Miciaco præfecit. De Maſciaco nihil repetemus; Abbatis, quem hoc anno Benedictus illi loco dedit, nomen ignoratur. Quod in editione Menardi & Bollandi Cromatiacum dicitur, in notis prædicti Menardi vocatur Cormeriacum, Cormariacum in editione Ducheſnii [e] & capite nono Ruderum Barbarenſium, nec differt à Cormarico celebri Diœceſis Turonenſis ad Andriam * fluvium Monaſterio, cujus loci Monachos Benedictus tam per ſe quàm per ſuos diſcipulos illis erudivit temporibus, quibus Alcuinus ejúſque ſucceſſor Fredegiſus Abbates & Cormaricenſes & Sam-Martiniani fuerunt, ut diximus ad annum Redemptoris octingenteſimum quartum, quo Fredegiſus in utriuſque Cœnobii regimen Alcuino ſucceſſit; quin & Benedictum exiſtimamus eidem auctorem fuiſſe Fredegiſo, ut adminiſtratione Monaſterii Sam-Martiniani, quod Canonicorum erat, ipſe contentus eſſet utpote Canonicus Abbas, & peculiarem Abbatem, qui ſecundùm Sancti Benedicti Regulam viveret, Monachis Cormaricenſibus imponi pateretur. De Cella-

AN. CH. 814.

BENEDICTO ABB. ANIANENSI DUODECIM COMMITTUNTUR MONASTERIA.

[a] Ad an 797. nn. 30. & ſeqq.

[b] Ad an. 804. nn. 43. & ſeqq.

[c] Num. 92.

[d] Num. 10.

* *Saint Meſmin.*

[e] Tom. 3. Collect. Hiſt. Franc.

* *l'Indre.*

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

Nova, quam Indenſes Monachi ſitam teſtantur in pago Toloſano, nihil aliud legimus. Atque hæc ſufficiant de Monaſteriis decem, quorum curam Benedictus Anianenſis geſſit Ludovico Aquitaniæ Rege necdum Imperatore. Quod attinet ad alia duo, Maurum videlicet in Epiſcopatu Straſburgenſi & Indam in Diœceſi Colonienſi, actum de illis ſuprà, Ludovico regimen Imperii poſt patris obitum jam adepto. Quapropter Ægidium Gelenium redargue, qui pridie Idus Februarias in Faſtis Colonienſibus aſſerit Benedictum *temporibus & auctoritate Caroli Magni & Ludovici Pii ſeptennio Indenſibus præfuiſſe.* Cœptum eſt enim Monaſterium Indenſe Carolo jam mortuo, ut obſervatum ſuprà. Ceterùm Ludovicus quantâ Benedictum in exiſtimatione ſub hoc tempus habuerit, anno pòſt duodeviceſimo, Imperii ſui decimo-nono, Redemptoris octingenteſimo tricesimo-ſecundo, in Præcepto pro Monaſterio San-Dionyſiano ſic oſtendit. *Mox ut divina dignatio nos paternâ ſede ſuſceptâ Imperialibus ſceptris inniti voluit, piæ intentionis noſtræ ſollicitudo exequi procuravit, ut religio, decor, & omnis honeſtas à Domno & Genitore noſtro divæ memoriæ Karolo cœpta & inſtituta liquidò & veraciter, remota omni ſimulatione, in propriis quibuſque maneret & vigeret ordinibus. Unde ad Monaſticæ inſtitutionis normam corrigendam duos religioſos & venerabilis vitæ viros Benedictum & Arnulfum Abbates conſtituimus, qui per noſtrum à Deo gubernandum & conſervandum Imperium ſeduli huic negotio ſtudioſè inſiſterent.* Arnulfus is nobis videtur Herenſis Abbas, cujus mentionem ante biennium jam fecimus [a].

[a] Ad an. 812. n. 30.

LXXIII. ANGILBERTUS CENTULENSIS ABB. OBIT.

Angilbertus Centulenſis Abbas duobus duntaxat ac viginti diebus Carolo Magno ſuperſtes vixit, obiitque hoc eodem anno, duodecimo Kalendas Martii, quo die nomen ejus celebratur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. Joannes de Capella, qui Chronicon Abbatum Centulenſium concinnavit anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-ſecundo, mortem ac ſepulturam ejuſdem Angilberti ſic commemoravit. *Viginti duobus diebus elapſis poſt mortem dicti Caroli Magni, anno* DCCCXIV, XII *Kal. Martii, S. Angilbertus migravit à ſeculo, & illis* XXII *diebus durantibus, die & nocte ſemper & continuè exiſtens in orationibus de nece & morte Domini ſui, plorans & jejunans humiliter Sacramenta Eccleſiaſtica & neceſſaria requirens & ſuſcipiens, omnibus ſuis fratribus in ſignum humilitatis & paupertatis ſepulturam Eccleſiaſticam ante portam magnæ Eccleſiæ requiſivit, ut per omnes intrantes pedibus conculcaretur. Et ibidem requievit ejus ſanctiſſimum corpus* XXVIII *annis, & ſuper ejus tumulum diſcipuli ejus inſcripſerunt & in epitaphium compoſuerunt Verſus ſequentes.*

Extulit egregiè quem mundo gratia vitæ,
Angilbertus in hoc membra locat tumulo.
Uſque viam Domini tenuit quò corpore vixit,
Et modò cæleſti ſpiritus arce nitet.
Promeruit cælum, pietatis jura tenendo,
Et Templum Sancti Richarii renovans.
Quicquid amat Dominus, cum toto corde relegit,
Pauperibus largus, debilibus medicus.
Contulit Eccleſiæ multum famulando decorem
Et famulis Chriſti ſe dedit in famulum.
Eccleſiæ regimen coluit virtutis amore,
Pro quibus æternum lætus habet brævium.
Martii bis ſenis ſucceſſit morte Kalendis,
Et Domino ſtatum reddidit, aſtra petens.
REX requiem Angilberto da Pater atque pius REX.
LEX Legum vitam æternam illi da, quia tu LEX.
LUX lucem ſemper concede illi, quia tu LUX.
PAX pacem illi perpetuam dona, quia tu PAX.

In

In Chronico Centulenſi & in Sancti Angilberti vita quidam ſunt apud Hariulfum nævi. Utrobique Angilbertus obiiſſe dicitur *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXIV. *Indictione* VI. *die* XII *Kalendas Martii*. Utrobique reponenda eſt Indictio VII, quæ per menſem Februarium currebat anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto. In Chronico Nithardus Abbas Angilberto patri proximè ſuccedit, ejúſque Abbatiali munere liber ſecundus ita clauditur. *Poſt ejus*, id eſt, Angilberti, *ſanctum tranſitum filius ejus Nithardus, quem de Regis filia Berta ſuſceperat, Centulenſibus jure Abbatitio prælatus eſt, paucíſque diebus in regimine expletis, interemptus prælio præſentis luminis caruit viſu; ſepultúſque juxta proprium genitorem quievit in pace, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto cum Patre & Spiritu Sancto in ſecula ſeculorum. Amen.* Vitam ſuam ad tempora longè poſteriora perduxit Nithardus, qui quatuor libros Hiſtoriarum Carolo Calvo Regi dicavit. Itaque textum proximè recitatum abjudicamus Hariulfo, & Angilberti ſepulturâ ſecundum Chronici Centulenſis librum exiſtimamus terminandum cum hac clauſula, quæ paulò ſuperiùs in editis exemplaribus occurrit. *Quievit* Angilbertus *in loco ſuprà ſcripto per annos* XXVIII. *regnante Auguſto Hludogvico annis* XXVI. *Chriſti autem Domini noſtri Regno nullam metam capiente per omnia ſecula. Amen.* Angilberto in munus Abbatiale ſucceſſit Hericus, à quo tertium ſui Chronici librum ſic orditur Hariulfus. *Anno ſacræ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCXIV. *Ind.* VII. *dum felix Francia ſub Glorioſiſſimi Cæſaris Hludogvici moderamine omni venuſtate floreret, obtinuit beneficio ipſius Principis Hericus Abbas regimen Monaſterii Beati Richarii. Notetur autem deſcriptio, quia eodem quidem, quo Sanctiſſimus Angilbertus Abbas obiit anno, ſed non eâdem Indictione hic Hericus Abbatiæ Centulenſi prælatus eſt, ſiquidem menſe Septembri die* XXIV *Indictiones mutantur.* At ut Angilbertus non Indictione ſextâ ſed ſeptimâ migravit ex hac vita, ſic & Hericus non Indictione ſeptimâ ſed octavâ Præfecturam Centulenſis Monaſterii ſuſcepit, ſi tamen non eâdem, quâ deceſſor obiit, ſubrogatus eſt Indictione, Concilio enim interfuit Noviomenſi, quod Flodoardus hoc anno celebratum teſtatur, ut mox probaturi ſumus. Atque inde obiter obſerva proximum Angilberti ſucceſſorem haud alium ab Herico fuiſſe, de cujus munere ſtudioſiùs adhuc inquiremus ad annum Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum, quia Senonenſis Archiepiſcopus illo anno conſtitutus eſt Hieremias, quem Monaſterii Centulenſis Abbatem priùs extitiſſe nonnulli perperam contendunt.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I LXXIV.

SUCCEDIT HERICUS.

Vulfarius Metropolitanus Remenſis à Flodoardo [a] ſic commendatur. *Hic Synodum invenitur habuiſſe anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo decimo-quarto, in Eccleſia Noviomenſi, regnante Ludovico filio Caroli, congregatis ſecum Coepiſcopis ſuis, Hildoaldo, Ermenone, Jeſſe, Ragimberto, Grimbaldo, Rotardo, Wendilmaro, Oſtroldo; & Chorepiſcopis, Waltario, Sperno; necnon & Abbatibus, Adalardo, Nantario, Fulrado, Ericho, Hilderico, Remigio, Ebone, Sigbaldo; & cetero Clero, Presbyteris & Diaconibus; convocatis etiam Comitibus, Gunthardo, Rotfrido, Giſleberto, Othero. His hominibus reſidentibus, ſententia ventilata eſt inter Wendilmarum & Rotardum Epiſcopos de terminis Parochiarum ſuarum, & requiſitum ac definitum eſt, quod hac loca trans fluvium Iſaram in pago Noviomenſi pertinere deberent ad Parochiam Eccleſiæ Noviomenſis; id eſt, Varina, Urbs campus, Trapiacus, Jeruſalem, Harbaudianiſva, ſive Eccleſia Sancti Leodegarii, cum reliquis villis ad has Eccleſias convenientibus. Cetera verò loca trans ſupradictum fluvium in prædicto pago omnia pertinere deberent ad Parochiam Sanctæ Eccleſiæ Sueſſionicæ. Hæc diligentiſſimè inveſtigata conſenſerunt ſupraſcripti Epiſcopi & Chorepiſcopi, Abbates, Presbyteri, & Diaconi; & pars Eccleſiæ Noviomenſis, Clerici & laici; & pars Eccleſiæ Sueſſionicæ, ſimiliter Clerici & laici; & uno animo unóque conſenſu confirmare decreverunt.* Synodo præter Metropolitanum octo interfuerunt Epiſcopi, Hildoaldus,

LXXV. SYNODUS NOVIOMENSIS.

[a] Lib. 2. c. 18.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

ſive Hildoardus Epiſcopus Atrebatenſis & Cameracenſis, Ermeno ſive Herminius Silvanectenſis Epiſcopus, Jeſſe ſeu Jeſſæus Epiſcopus Ambianenſis, Ragimbertus Bellovacenſis Epiſcopus, Grimbaldus Epiſcopus Taruannenſis, Rotardus Sueſſionenſis Epiſcopus, Wendilmarus Epiſcopus Noviomenſis & Tornacenſis, Oſtroldus Epiſcopus Laudunenſis. Interfuerunt Chorepiſcopi duo, Waltarius & Spernus, quos Vulfarii Metropolitæ Remenſis & Jeſſæi Ambianenſis Epiſcopi Chorepiſcopos fuiſſe ſuſpicamur, quia Vulfarius & Jeſſæus ob negotia publica ſæpiùs diutiùſque quàm ceteri ſuis à Diœceſibus abfuerunt. Interfuerunt Abbates octo, Adalardus Abbas Corbeienſis in Diœceſi Ambianenſi, Ericus Abbas Centulenſis in eadem Diœceſi, Hildericus Abbas Lobienſis in Diœceſi Cameracenſi, Nantarius Abbas Sitivenſis in Diœceſi Taruannenſi, Fulradus Abbas Sancti Quintini in Diœceſi Noviomenſi, Ebo qui poſteà Remenſis Archiepiſcopus fuit, Remigius & Sigbaldus.

LXXVI. Tunc prædictus Abbas Fulradus novam Sancti Quintini Baſilicam latiori ambitu conſtruebat. Hoc ipſo anno, quo Carolus Magnus obiit, opus cœptum Theodulfus Epiſcopus Aurelianenſis Auctor coævus his teſtatur Verſibus [a].

[a] Lib. 2. Carm. 7.

NOVA S. QUINTINI BASILICA CONSTRUITUR.

Cùm denis luſtris ternos minùs inclytus annos
Rex ageret Karolus ſceptra tenendo pia.
Rebus & humanis exemptus culmina Regni
Linqueret ingentis, Rex Ludovice, tibi.
Dátque octingentis Chriſti Incarnatio felix
Addere curriculis quatuor atque decem.
Condere cæpit opus hujus venerabilis aulæ
Abbas Fulradus nobilitate cluens.
Námque huic Hieronymus, Carolus pater extitit illi,
Qui propriæ ſpecimen gentis ad alta tulit.
Bella gerens pacemque tuens, qui culmina Regni
Ad prolem miſit auxiliante Deo.

LXXVII. Claudius Hemeræus in Auguſta Viromanduorum Illuſtrata negat ædificationem inchoatam eſſe anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, vúltque tum præſertim operas architectorum incaluiſſe. *Quàm rectè enim*, inquit, *Carolum appellaremus Monaſterii fundatorem, qui nondum incœptâ molitione fatis conceſſiſſet?* At Carolus à poſteris fundator dici potuit ob conceſſas opes, quibus ad opus poſteà conficiendum uſus eſt Fulradus. Fortè perhonorificum hunc titulum à Carolo Magno Pippini Regis filio non temerè transferes ad Carolum Calvum ſuperioris Caroli nepotem, qui cognomento Magnus æquè ac avus à pleriſque prædicatur, & memoratus videtur in necrologio, quod Hemeræus *ad 5. Non. Octob.* ſic allegat. *Eo die obiit Glorioſus Rex Carolus conſtructor hujus Eccleſiæ, qui dedit nobis Fontanas cum appenditiis, & plurima Eccleſiæ ornamenta.* Carolum Magnum Pippini filium, cujus obitum menſe Januario conſignavimus, menſe Octobri mortuum nemo dixit. Id autem omnes aſſerunt de Carolo Calvo, quamvis de die nonnihil apud eos controverſiæ ſuperſit. Prætereà Hemeræo non poſſumus aſſentiri, cùm Fulradum Abbatem San-Quintinienſem, qui Noviomenſi Concilio interfuit, eundem facit cum Fulrado Abbate San-Dionyſiano, qui vivere deſierat ante annos triginta.

LXXVIII. ARCHIEP. MEDIOLAN. [b] Tom. 4. Ital. Sac. [c] Tom. 1. EPISCOPI PAPIENSES, SPOLETAN. [d] Tom. 4. BRIXIENS.

Odelpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus obiit hoc anno, quinto Kalendas Maii. Sepultus fuit in Ambroſiana Baſilica. Succeſſit in Archiepiſcopatum Anſelmus. Lege Ughellum [b]. Apud eundem Auctorem [c] Sebaſtianus hoc anno Papienſis Epiſcopus conſtituitur, floret & Sigualdus Spoletanus Epiſcopus. Item [d] moritur Petrus Epiſcopus Brixienſis, eique ſuccedit Rampertus.

LXXIX. PATAVINI.

In Patavinorum Epiſcoporum Catalogo, quem Robertus in altera parte Appendicis ad Galliam Chriſtianam texuit, Luitardus Patavinus Epiſcopus

annos ſedet quindecim, ab anno Redemptoris, ut interpretamur, ſeptingenteſimo nonageſimo-nono ad hunc uſque annum quo Carolus Magnus obiit. Succeſſit in Epiſcopatum Dominicus, Doneſmundo [a] & Ughello [b] notus, ignotus Roberto. AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

In Provincia Moguntiacenſi, Riculfus Metropolita Moguntinus & Freydo Spirenſis Epiſcopus vitam hoc eodem anno clauſerunt. Bruſchius, Eiſengreinius, Bucelinus, aliique quadriennem Freydonis Pontificatum hoc anno terminant, eique ſucceſſorem tribuunt Benedictum qui ſedit annos octo. Par de Riculfo non eſt Nomenclatorum conſenſus. Ejus mortem anno præcedenti conſignant Bruſchius & Democharis, hoc anno Sammarthani, hoc vel proximo Serarius indeterminatè, difficultatem fugiunt Robertus & Bucelinus. Opinio Bruſchii ſtare non poteſt, quia Lullus Riculfi deceſſor obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-tertio, vetúſque Codex, quem Serarius libro quarto [c] rerum Moguntiacarum laudat, Riculfo tribuit annos in Pontificatu ſeptem ac viginti. Ne verò vitam ejuſdem Riculfi ad ſequentem uſque annum prorogemus, vetat Haiſtulphus ſucceſſor, qui *bis ſenis annis* Eccleſiam Moguntiacenſem gubernavit, &, ut Serarius [d] poſt diutinam dubitationem vacillationémque tandem affirmat, *mortuus eſt anno 826, v Kalendas Januarias.* Hoc igitur anno vivere deſiit Riculfus Metropolita Moguntinus. Sepultus fuit in Cœnobio Sancti Albani, ſucceſſorémque nactus eſt Haiſtulphum Abbatem anteà Weiſſenburgenſem. Lege quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum octavum [e], quo Bernharius Weiſſenburgenſis Abbas ad Epiſcopatum Wormacienſem promotus eſt, & Haiſtulphus Monaſterii Weiſſenburgenſis adminiſtrationem cum Abbatis titulo ſuſcepit. Eâque permotus obſervatione lubenter aſſentire Bruſchio & aliis, qui *Monachum Inſtituti Benedictini* ſtatuunt Haiſtulphum, hic enim ex Monacho Weiſſenburgenſi factus eſt Abbas illius loci, deinde Moguntiacenſis Archiepiſcopus. At eos, à quibus Fuldenſis vel Monachus vel Abbas prædicatur, procul explode. Browerus in primo Fuldenſium Antiquitatum libro [f], cùm ſtudioſiùs inquirit, quinam ex Fuldenſibus Abbatibus Archiepiſcopi Pontificium in Sede Moguntina tenuerunt, Haiſtulphum ſive Haiſtolfum in horum numero collocat. *Haiſtolfus*, inquit, *ſeculo Chriſti inchoante octavo ſub* DCCCXIII *in Moguntinam Sedem ex Fuldenſi provectus*, &c. Octavi ſeculi loco nonum & anni DCCCXIII loco annus DCCCXIV rectiùs ſcriberentur. At hæc miſſa facimus, feſtinanter enim pergimus ad alia, quæ majoris ſunt momenti. Browerus ſibi non conſtat. Nam quarto earumdem Antiquitatum libro, cùm ſeriem Abbatum Fuldenſium texit, inter eos Haiſtulpho locum non præbet. Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono Baugolphum Sturmioni ſubrogat. Anno pòſt viceſimo-tertio, ſive anno Redemptoris octingenteſimo ſecundo, textum hunc ex Annalibus Fuldenſibus allegat de Baugolpho exauctorato & Ratgario ſuffecto. DCCCII. *Baugolfus Abbas Fuldenſis Cœnobii, relictâ quam habuit poteſtate, Ratgarium ſucceſſorem accepit.* Addit Ratgarium annis præfuiſſe quindecim, idque ſcribit auctoritate fretus eorumdem Annalium, in quibus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum hæc leguntur. DCCCXVII. *Ratgarius Abbas Fuldenſis Cœnobii accuſatus à fratribus & convictus deponitur.* In hac Abbatum Fuldenſium Nomenclatura nullus occurrit Haiſtulphus. Hæc ratio nonnullos impulit, ut Haiſtulphum non Abbatem Fuldenſem ſed Monachum illius loci dicerent. At Rabanus hanc quoque deſtruit opinionem in epiſtola, quâ libros de Inſtitutione Clericorum eidem Haiſtulpho Moguntiacenſi tunc Archiepiſcopo dicat, nullam enim in ea mentionem Fuldæ facit, quam certè non debuit oblivíſci, ſi Haiſtulphus Monaſterii Fuldenſis alumnus quondam fuit. Factus eſt igitur Haiſtulphus Moguntiacenſis Archiepiſcopus ex Abbate Weiſſenburgenſi, quis autem ei ſucceſſerit in Præfecturam Monaſterii, manet inquirendum,

[a] Hiſt. Mant. p. 2.
[b] Tom. 5. LXXX. SPIRENSES.
[c] In Archiep. 3. ARCHIEP. MOGUNTINI.
[d] Lib. 4. in Archiep. 4.
[e] Num. 53.
[f] Cap. 17.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I. ABBATES WEISSENBURGENSES.

Catalogus Abbatum Weiſſenburgenſium, ut ſæpè queſti ſumus, multùm mendoſus eſt atque interturbatus, cùm apud Bruſchium, tum apud Bucelinum. Utrique tamen notus eſt Odgerus ſive Odogarius vel Otgarius Abbas Weiſſenburgenſis, cui poſteà delatæ ſunt Infulæ Moguntiacenſes. In Albo Caſtro ſeu Weiſſenburgo decimus-quartus Abbas ſic à Bruſchio commendatur, *14. Odgerus vel Odogarius Abbas & Epiſcopus Moguntinus anno 844*; decimus-tertius ſic à Bucelino, *13. Odgerus ſive Odogarius, inde ad Archiepiſcopalem Moguntiæ Cathedram extractus.* Bucelinus Bruſchio clarior eſt, & diſtinctiùs notat Odogarium ex Abbate Weiſſenburgenſi conſtitutum fuiſſe Metropolitam Moguntiacenſem. Porrò, cùm Odogarius ſive Otgarius Haiſtulpho, quem Eccleſiæ Moguntiacenſi duodecim duntaxat annis præfuiſſe conſtat, in Archiepiſcopatum proximè ſucceſſerit, non alius quærendus videtur qui munus Abbatiale poſt eundem Haiſtulphum geſſerit in Cœnobio Weiſſenburgenſi, donec ad Sedem aſſumeretur Archiepiſcopalem. Quis Abbas Weiſſenburgenſis poſt Odogarium fuerit, inveſtigabimus ſuo loco. Satis eſt hîc errorem indicaſſe Bruſchianum, qui Odogarium ſimul & Abbatem Weiſſenburgenſem & Metropolitam Moguntinum agnoſcit *anno 844.* Illo enim anno Archiepiſcopus quidem Moguntiacenſis erat, & Archiepiſcopatûs adminiſtrati duodeviceſimum jam annum numerabat Odogarius; at, ex quo Dignitatem Archiepiſcopalem ſuſceperat, abdicarat Abbatialem.

LXXXI. AMALARIUS ARCHIEP. TREVIRENSIS OBIT.

Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus, quem ſub initium hujus anni reverſum ex Oriente diximus, hoc eodem anno mortuus videtur. De illius Legatione & obitu Philippus Labbeus ita ſcribit in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Eâ Legatione perfunctus Amalarius obiit anno 814, ut Annales Francici teſtantur, & in Sede Trevirenſi nactus eſt Hetti ſucceſſorem.* Joannes Maſenius Labbeum ſequitur in Annotatione decima-ſexta ad Annales Trevirenſes Chriſtophori Broweri laudátque probatiſſimos *Annales Trevirorum, quos ante annos trecentos Balduinus Archiepiſcopus ex Archivo principali magnâ curâ colligi juſſit.* In his Annalibus Hetti moritur *poſt* XXXVII *annos ſui Sacerdotii, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quinquageſimo.* Annos Pontificatûs interpretare triginta-ſeptem incompletos, Amalharius enim non obiit ante hunc annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum. Browerus, quia duos Amalarios, unum Archiepiſcopum Trevirenſem, alterum Auctorem librorum de Eccleſiaſtico Officio, ſimul confundit, Amalharii Trevirenſis Archiepiſcopi mortem in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum perperam rejicit. Ut illum multò citiùs mortuum oſtendamus, præter ea quæ jam protulimus, alia ſuis locis argumenta producemus ex Actis proximi ſucceſſoris. Qui Præſulatum longè diuturniorem quàm oportet Amalhario tribuunt, eum tribus uſum Chorepiſcopis volunt, Adalmato, Herilando, & Thegano. Cùm autem annum Ludovici Imperatoris primum, Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum non exceſſerit, de Geſtis verò Ludovici ſcripſerit Theganus anno ejuſdem Auguſti viceſimo-tertio, Redemptoris octingenteſimo triceſimo-ſexto, prædictos tres Chorepiſcopos operam duobus Archiepiſcopis præſtitiſſe credimus, Adalmatum Amalhario, Hettio Herilandum & Theganum, cujus hæc poſtrema ſunt verba in opere prælaudato. *Iſte eſt annus* XXIII *Regni Domini Lodewici Piiſſimi Imperatoris, quem conſervare & protegere diu in hoc ſeculo feliciter commorantem, & poſt hæc diſcurrentia tempora perducere dignetur ad ſocietatem omnium Sanctorum ejus, ille qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.*

LXXXII. QUIBUS REBUS INCLARUIT.

Tria hæc de Amalhario Trevirenſi Archiepiſcopo conſtantiſſimè poſſunt aſſeri; quòd Tranſalbianam Saxoniam erudierit, quòd Auctor ſit libelli Alcuino ſuppoſiti *de cæremoniis Baptiſmi*; quódque Legatus in Orientem à Carolo Auguſto pro pace confirmanda directus fuerit. Cetera, quæ circumferuntur, ſunt commentitia. In Annalibus Trevirorum à Joanne Maſenio

Digitized by Google

laudatis, Amalarius dicitur *Cardinalis Romanus*. Id commenti profectum eſt ex fictitiis Liudgeri Mimigardevordenſis Epiſcopi literis de canonizatione Sancti Swiberti, quas apud Surium [a] poſt vitam ejuſdem Sancti Swiberti reperies. Iſta enim ibi leguntur. *Facta ſunt hæc pridie Nonas Septembris, præſentibus ibidem, Victoriosiſſimo Carolo ſempérque Auguſto Romanorum Imperatore & Francorum Rege, venerabilibúſque Patribus Cardinalibus & Archiepiſcopis, Bernardo Oſtienſi, & Fortunato Trevirorum, Theodoro Sabinenſium, Nicolao Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, Euſtochio Sanctæ Praxedis, Bonifacio Tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Presbyteris Cardinalibus; Gerbaldo Leodienſi, Volquino Normenſium Epiſcopis; & præſertim Felice Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo, cujus induſtriâ & piâ inſtantiâ Sanctus Leo Werdam navigavit, & Sanctum Swibertum in Divos retulit, cum multis aliis Prælatis & Proceribus.* Literas illas jam refutavimus [b], ſpeciatímque Fortunatum ſive Amalarium cognomento Fortunatum, qui poſt Wazzonem Archiepiſcopus Trevirorum fuit, obſervavimus in Trevirenſi Cathedra nondum ſediſſe, quando Leo Romanus Pontifex ad Carolum Auguſtum ex Italia venit. Amalharii Trevirenſis Archiepiſcopi nomine cuſi ſunt ſæpiùs quatuor libri *de Eccleſiaſtico Officio* necnon liber *de Ordine Antiphonarii*. Sed Auctor utriuſque operis calamo manum admovit, Amalario Trevirorum Archiepiſcopo jam mortuo. Dedicatoriam Epiſtolam ad Ludovicum Imperatorem, quam libris de Eccleſiaſtico Officio præfixit, fauſtis clauſit acclamationibus, inter quas hæc invenitur; *Judith Orthodoxa, Nobiliſſima atque Prudentiſſima Auguſta ſalus per multos annos*; Judith autem, ut Annaliſta Laureshamenſis docet, Ludovico nupſit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono, illóque anno Trevirorum Archiepiſcopus erat Hettius, ut ex prædictis liquet, atque etiam ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum fuſiùs ac clariùs exponetur. Et in Prologo libri de Ordine Antiphonarii, Auctor ait miſſum ſe *Romam à Sancto & Chriſtianiſſimo Imperatore Hludovico ad Sanctum & Reverendiſſimum Papam Gregorium*, id eſt, ad Gregorium Papam Quartum, qui longè poſt Amalarii Trevirenſis Archiepiſcopi mortem ſedere cœpit, anno videlicet Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo, ut idem Annaliſta Laureshamenſis teſtatur.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

[a] D. 1. Mart.

[b] Adan. 805. nn. 2. & ſeqq.

In Annalibus Trevirorum à Maſenio allegatis hæc de ſucceſſore Amalharii ſubjiciuntur. *Poſt Fortunatum Trebirorum*, id eſt, poſt Amalharium, cognomento Fortunatum, Trevirorum Archiepiſcopum, *Hetti præfuit Abbas Mediolacenſis*. Fuit igitur Hetti ſive Hettius Mediolacenſis Abbas annis decem, priuſquàm ad Archiepiſcopales Infulas aſſumeretur. Quis autem ei ſucceſſerit in Abbatiale munus, antiqua non produnt monumenta.

LXXXIII. SUCCEDIT HETTIUS.

In Armorica Sancta Iſaac Venetenſis Epiſcopus ſub hujus anni finem moritur, eique datur ſucceſſor Wihelokus. At inter utrumque Sammarthani rectè reponunt Kermaricum ex membrana Monaſterii Rotonenſis ab Andrea Ducheſnio ſic publicata [c]. *Covoionus*, ſeu Covoius aut Convoion, *ex Cambliciaco * vico origine clarâ editus, ob facundiæ affluentiam & caſtitatis prærogativam, Venetenſis Diaconi arcem exhortante Kermarico ejuſdem urbis Pontifice meruit aſcendere*, id eſt, Archidiaconatum Venetenſem gerere meruit. Eo tempore, quo Kermaricus Epiſcopatum ſuſcepit, triceſimum ætatis annum pene attigerat, obiit enim octogenarius, vixitque ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum ſexageſimum-ſeptimum. Per gradus Eccleſiaſticos ab eodem Kermarico promotus eſt ad Presbyteratum, ut in illius vita ſcriptum reperitur.

LXXXIV. EPISCOPI VENETENSES.

[c] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

* *Cambſac.*

COVOIONUS ARCHIDIACONUS.

In Abbatum Blandinienſium Catalogo, quem Sanderus in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ texuit, Gero alodium ſuum aliáque nonnulla Monaſterio Blandinienſi dat hoc anno ſub Folrado Abbate. Sed idem Folradus Abbas perperam Privilegium à Nicolao Papa dicitur obtinuiſſe temporibus Caroli Magni, nam Nicolaus Primus Papa Pontificatum

LXXXV. ABBATES BLANDINIENSES.

AN. CH. 814. multò ſerius obtinere cœpit. Agemus iterum de Folrado ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum.

LXXXVI. FABARIENSES. Apud Buccelinum in Chronologia Rhætiæ moritur hoc anno Guerdo Fabarienſis Abbas, eique ſuccedit in adminiſtrationem Monaſterii Gebenus. Apud eundem Auctorem in Monaſteriologia Imperii Germanici claret hoc anno Guntramus Abbas Murbachienſis, qui Leoni Tertio Papæ & Ludovico Pio Auguſto gratiſſimus fuit.

MURBACHIENS.

LXXXVII Adelhardus Abbas Corbeïenſis, poſtquàm ea peregit, quæ anno ſuperiore ex libello de conſtructione novæ Corbeïæ inſcripto commemoravimus, relictâ Bernardi Regis aulâ *perrexit Romam non ſolùm orationis causâ ſed etiam ut cum venerabili viro Leone Papa conferret de neceſſitate Regia & plebis. Ubi cùm moraretur, atque ſimul de profectu adoleſcentis gauderent, ſubitò venit nuncius pennigero volatu, afferens epiſtolam luctuoſam nimis de morte Karoli Imperatoris. Quâ perlectâ, mœſtus nimis Venerabilis Pater illo de loco abſceſſit, ſtatimque ad proprium Monaſterium perrexit.* At paulò pòſt hoc eodem anno, Ludovici Auguſti primo, pulſus eſt in exilium, nam teſte Paſchaſio Ratberto *per ſeptennium* exulavit, ſuóque Monaſterio reſtitutus eſt anno Redemptoris, ut Annaliſta Laureshamenſis aſſerit, octingenteſimo viceſimo-primo. Bernhardo Caroli Magni patruo quinque liberi fuerunt, tres mares Adelhardus, Wala, Bernarius; fœminæ duæ, Gundrada & Theodrada. Quanta illi apud Carolum in exiſtimatione fuerint, docet Paſchaſius Radbertus. *Erant*, inquit, *quinque unius viri ſemine propagati, quorum trium Imperator Auguſtus familiari uſus conſilio, unà ſecum fundabili quadraturâ Francorum Imperium ſatis admodum diſpoſitum regebat Reipublicæ augmentatum.* Adelhardus Abbas erat Corbeïenſis, Wala clariſſimus inter laicos, Bernarius Corbeïenſis Monachus. Gundrada ſororum natu major vitam agebat in aula Regia, Theodrada natu minor Sueſſionenſis erat Abbatiſſa. *Factum eſt* autem, *cùm Imperator Carolus diem vitæ feciſſet extremum, & Ludovicus proles ejus Auguſtus ſucceſſiſſet in Regnum, ut diaboli agente invidiâ, in eo,* id eſt in Adelhardo Abbate, *veritas prævorum rurſus ſolitis agitaretur inſidiis.* In hac periodo prælaudatus Auctor ſolius meminit Adelhardi, quia vitam illius ſcribebat, inferiùs verò non diſſimulavit Walam etiam & Bernarium exulaſſe cum Gundrada, ſolámque Theodradam in Sueſſionenſi Monaſterio, cui præerat Abbatiſſa, relictam fuiſſe. Nihil timendum erat à piiſſima familia. Ludovico tamen abſenti ſuſpectam Walæ potentiam quidam malevoli reddiderunt poſt Caroli patris obitum. Id Aſtronomus in ipſius Ludovici vita teſtatum reliquit, cur enim Ludovicus ex Aquitania voluerit Aquiſgranum cum numeroſo comitatu ſtatim proficiſci, rationem hanc attulit. *Timebatur quammaximè Wala, ſummi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne fortè aliquid ſiniſtri contra Imperatorem moliretur.* Longè alium ſe præſtitit Wala, teſte enim eodem Aſtronomo *citiſſimè ad eum venit, & humillimâ ſubjectione ſe ejus nutui, ſecundùm conſuetudinem Francorum, commendans ſubdidit.* Quin & ceteris Optimatibus, ut idem facerent, exemplo fuit. *Poſt cujus ad Imperatorem adventum*, inquit idem Auctor, *æmulati eum omnes Francorum Proceres, certatim gregatímque ei obviam ire certabant.* Actus tamen eſt in exilium Wala cum fratribus Adelhardo & Bernario ac ſorore Gundrada. De ſingulis quid Paſchaſius Radbertus Corbeïenſis tunc Monachus in Adelhardi vita ſcripſerit, per ordinem accipe.

EXULAT ADELHARDUS ABB. CORBEÏENSIS;

LXXXVIII. Adelhardus *erat major natu, ætate ac gratiâ Domino conſecratus, maturior conſilio, eximior omnibus ſanctitate. Sapientiâ probus mitteretur, quaſi unus ex ignobilibus, ad Heri Inſulam. Miſſus verò illuc omni humano privatus honore, ſed cæleſti interim undique vallo fulcitur.* In Hero Inſula conſtructum fuit à Sancto Philiberto Monaſterium, quod à Saracenis everſum & inſtauratum à Carolo Magno contendit Petrus Franciſcus Chiffletius in Hiſtoria Trenorcienſi *. De illius Cœnobii conditu actum Tomo tertio [a]. Philibertus Abbas Gem-

* de Tournus.

[a] Adan. 674 n. 6.

meticenſis è ſuo Monaſterio pulſus Anſoaldum Pictavienſem Epiſcopum adiit, ejúſque opibus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto Cœnobium erexit in Hero Inſula, ibique poſt varia itinera, de quibus Tomo quarto locuti ſumus, in Domino feliciter obdormivit. De ſucceſſoribus ad tempora uſque Ludovici Pii Auguſti nihil occurrit. Octavo ſeculo Saraceni ſæpiùs in Franciam irruperunt. Herenſe Monaſterium ab illis anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo dirutum putat Chiffletius. Hæc clades, ſi contigit, in alium annum conjici non debet. At Aquitanici maris Inſulas à Saracenis occupatas non legimus. Levia ſunt argumenta, quæ cùm ex vetere Charta tum ex Ademari Chronico proferuntur, ut Carolus Magnus Herenſis Monaſterii reſtaurator habeatur. Ademarus ſic habet. *Nortmanni anno ſequenti*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo, *cùm timerent Saxoniam intrare, reflexis navibus ad mare Aquitanicum appellunt, & Herio Inſulam incendunt menſe Junio, & deſtituta eſt à generali Monachorum habitatione. Ibi fecerat Dominus Imperator Carolus Monaſterium Sancti Philiberti.* Scripſit Ademarus undecimo ſeculo, procul abfuit ab ætate Caroli Magni, de quo perperàm aſſeruit, quòd in Herio Inſula Monaſterium Sancti Philiberti fecerit. Hoc enim Cœnobium erectum eſt, longè antequàm Carolus Magnus naſceretur, à quo factum dici non poteſt, ſed aut inſtauratum ut Chiffletius opinatur, aut auctum ac locupletatum ut exiſtimamus quia priùs in ruinis fuiſſe non conſtat. Certè nullam everſionis mentionem egit Carolus in Charta, per quam Herenſibus Monachis decimo-ſexto Kalendas Junias, anno Imperii ſui primo, Indictione nonâ conceſſit, ut illorum Advocato, quoties de tuendis Monaſterii rebus ageretur, acceſſus ad omnia Regni Tribunalia Comitiáque pateret. Adde illam Caroli Chartam non eſſe Magni ſed Calvi qui Magnum avum habuit. Uterque quidem Carolus primum annum Imperii ſui per menſem Maium cum Indictione nona conjunxit, quia per menſem Maium Indictio nona cum annis noni ſeculi primo & ſeptuageſimo-ſexto convenit, quorum ille primus annus Caroli Magni Imperatoris, hic primus annus Caroli Calvi Imperatoris fuit. Sed in eadem Charta ſunt alii Characteres, qui Carolum Calvum deſignant, Magnum nequaquam. Subſcriptio talis eſt. *Ego Auducher Notarius ad vicem Gozleni recognovi & ſubſcripſi. Datum* XVI *Kalendas Junii, Indictione* VIIII, *anno* XXXVI *Regni Domni Karoli Imperatoris in Francia, & Imperii ejus anno primo.* Auducher ſive Auduchar vel Audachar Notarius ad Gozleni ſeu Gauſleni vel Gauzleni vicem Diplomata non Caroli Magni ſed Caroli Calvi recognovit. Exemplum habet Philippus Labbeus in elogio Caroli Calvi, ſic. *Audachar Notarius ad vicem Gauſleni r. Data Kalend. Auguſti, Indictione* X. *anno* XXXVIII *Regni D. Karoli Imp. in Francia, & in ſucceſſione Lotharii VIII, & Imperii II. Actum Monaſteriolo.* Id eſt, Kalendis Auguſti, Indictione decimâ, anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, Caroli Calvi Imperatoris anno ſecundo, poſt Ludovicum patrem regnantis anno triceſimo-octavo jam inchoato, poſt occupatum Lotharii Regnum anno octavo. Character, qui ſumitur à ſucceſſione Lotharii, nullomodo referri poteſt ad Carolum Magnum, cujus ætate nullus in Francia Rex fuit, qui Lotharius appellaretur, ſed ad Carolum Calvum, qui ſtatim ac Lotharium Regem nepotem ſuum ex fratre mortuum reſcivit, ejus Regnum invaſit exeunte anno Redemptoris octingenteſimo ſexageſimo-nono. Apud Labbeum in encomio Caroli Calvi jam laudato multa commemorantur Diplomata, quibus varii Notarii, Hildeboldus, Gammo, Audachar, Adalagarius, & Hebroardus, ad vicem Goſleni ſeu Gauzleni vel Gauſleni ſubſcribunt ſub eodem Carolo Calvo cùm Rege tum Imperatore. Ergo Charta, quam Auducher ſive Audachar ad vicem Goſleni menſe Maio, anno Caroli Imperatoris primo, Indictione nonâ recognovit, in annum primum Caroli Calvi Imperatoris, id eſt, in annum Redemptoris octingente-

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

simum septuagesimum-sextum rejici debet. Præterea in eadem Charta qui ponitur annus tricesimus-sextus Regni Carolini in Francia, non potest intelligi de Carolo Magno, cujus annus à Pippini patris obitu tricesimus-sextus per mensem Maium nec cum anno Imperii primo nec cum Indictione nona convenit, sed cum anno Imperii quarto & Indictione duodecima, quibus illigatur annus Redemptoris octingentesimus quartus. At in Carolo Calvo, qui post patrem in Francia mense Junio anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo regnare cœpit, & exeunte anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-quinto coronatus est Imperator, annus Regni in Francia tricesimus-sextus per mensem Maium cum anno Imperii primo & Indictione nona, sive cum anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-sexto rectè comparatur. Ut avum & nepotem æquivocos distinguamus, diversis hîc utimur agnominibus Magni & Calvi, quamvis utrique Carolo agnomen Magni sciamus attributum, avo quidem usitatissimè, nepoti verò rarius. Cùm autem avum vel in hoc loco vel in aliis Magnum agnominamus, cave ne putes illi, dum viveret, agnomen Magni jam inditum fuisse. Joannes Mabillonus Tomo secundo veterum Analectorum in observationibus ad opera Smaragdi, prævalido probat argumento, nec Carolo, de quo loquimur, agnomen Magni, nec ejusdem Caroli filio Ludovico agnomen Pii, quamdiu hi vixerunt, datum esse. Smaragdus Abbas, qui Monasterio Sancti Michaelis in pago Virodunensi præesse cœpit regnante Carolo, vitámque clausit Ludovico tunc Augusto, Commentarium edidit in Donatum Carolo jam Imperatore. Capite operis vicesimo-primo, de quatuor nominum speciebus ita scripsit. *Ergo, si placet, sic ista quatuor proprietatum nominum species jam hodie apud nos teneantur, ut dicamus prænomen, IMPERATOR, & sit illi proprium dignitatis, quod nulli alio in suo convenit Regno; dicamus, KAROLUS, & sit illi proprium quod accepit in Baptismo; dicamus, FRANCUS, & sit illi appellativum in genere suo; dicamus, PRUDENS, & sit agnomen appellativum accidens ei extrinsecus.* Mabillonus duos Corbeiensis Bibliothecæ Codices consuluit, numeris consignatos quingentesimo vicesimo-quarto & quingentesimo vicesimo-quinto. Ex posteriori Codice descripsit textum quem proximè citavimus, observavitque exemplum in priori Codice, qui Ludovico tunc Imperatore scriptus est, à Librario traductum esse ad eundem Ludovicum hoc modo. *Dicamus prænomen, IMPERATOR, & sit illi proprium dignitatis, quod nulli alio in suo convenit Regno; dicamus, CHLOVWICUS, & sit illi proprium quod accepit in Baptismo; dicamus, FRANCUS, & sit illi appellativum in genere suo; dicamus, PRUDENS, & sit illi agnomen appellativum accidens ei extrinsecus.* Deinde ex hac lectionis varietate collegit, *neque Carolo superstiti agnomen tribui solitum Magno, neque Ludovico cognomen Pio.* Visa sunt hæc nobis haud omittenda. Redeamus ad Adelhardum Abbatem, quem hoc anno Ludovicus Imperator, ut suprà dictum est, in exilium misit. Arnulfus Abbas erat Herensis Monasterii, cùm Adelhardus illuc ablegatus est. Qualem hic ibi vitam duxerit, quantis virtutibus enituerit, ostendit Paschasius Radbertus in ejus vita. Corbeienses interim Abbatem elegerunt alterum Adelhardum, virum quoque sanctissimum, quocum prior Anachoreticam vitam ducere statuerat, ideóque ambo simul Beneventum usque profecti quondam fuerant, ut habet libellus inscriptus de constructione novæ Corbeiæ.

LXXXIX. Ejus quoque fratres, WALA,

Exulavit etiam Adelhardi frater Wala, de quo sic Paschasius Radbertus. *Wala virorum clarissimus, qui ei,* nempe Adelhardo fratri, *successit postea Monachorum pater eximius, tunc temporis,* cùm videlicet Adelhardo irrogatum est exilium, *primus inter primos, & cunctis amabilior unus; nimiâ familiaritate Regi inhærens, & maximâ Præfecturæ dignitate subvectus; in Senatu clarior cunctis, in militia verò, prudenti animo fortior universis. Quem tanta laus sequebatur in omni vita negotio, ut longè plùs censeretur amore posse, quàm omnimodis fastus,*

faſtus, & tyrannis reliquorum. Erat enim juſtitiæ cuſtos, & decus honeſtatis, oppreſſorum quoque juſtus oppreſſor. Hiſce virtutibus ceterorum invidiam Procerum in ſe ſuámque familiam concitavit, ut inſinuatum ſuprà. Spoliatus igitur honoribus, & ex aula pulſus, adiit Corbeïam, ibíque Monachum induit, ac toti Congregationi, quæ deflebat abſentiam Abbatis Adelhardi, non exiguo fuit ſolatio. Paulò pòſt enim hæc in eadem Adelhardi vita ſubjiciuntur. *Corbeïa tunc multorum quoque ore jamdiu laudata, mœrens ac flens, cùm de tanto viduata Patrono lugeret, in conſolationem ſui meruit ſuſcipere Walam clariſſimum virum inter reliquos quos habebat nobiles velut tyronem Chriſti, quem poſteà poſt deceſſum fratris vice Chriſti gaudens ſibi exultat Patrem habere. O providentia Dei & parati oculi diſcurrere in omnem terram, attingens à fine uſque ad finem fortiter, diſponénſque omnia ſuaviter, quàm incomprehenſibilia ſunt opera & judicia tua univerſa! qui cæcitate humanâ uteris inæſtimabili lucis conſilio, flagellas enim ad tempus filios, quos coronare diſponis. Inde igitur eſt, mi Pater Omnipotens, quòd Bernarius noſter Lirinum remittitur: Wala verò tuus in Corbeïa, ut dixi, tyro recipitur. Qui deponens militiæ cingulum, ut te totum veſte ſanctitatis indueret, arripuit primùm tyrocinia paradiſi, ut conſummaret in ſe menſuram Chriſti.* In libello de conſtructione novæ Corbeïæ, novus Abbas veteris Corbeïæ, cui nomen etiam Adelhardus, hunc Walam familiariſſimum habuiſſe legitur. AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

XC. ET BERNARIUS,

Bernarius trium fratrum natu minimus in exilium quoque miſſus eſt. Ut Adelhardo & Walâ fratribus, ſic & Gundradâ ſorore junior erat. Nam Paſchaſius Radbertus, poſtquàm de Adelhardo, Wala & Gundrada locutus eſt, ſermonem ad Bernarium Monachum Corbeïenſem & Theodradam Sueſſionenſem Abbatiſſam ſic convertit. *Reliqui verò duo videlicet Bernarius noſter, & Theodrada ſoror ejus Deo devota, quæ jam reddito fructu nuptiarum ſecundum caſtimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Jeſu cum Maria domi ſedebant; illa quidem Sueſſione Sanctimonialium regens vitam, iſte verò Chriſti diſcipulatûs nobiſcum habens formam; utrique tamen ad unum bravium ſuperna vocationis currere feſtinabant.* Paſchaſius Radbertus, qui Corbeïenſis Monachus erat, cùm Bernarium Chriſti diſcipulatûs formam ſecum habuiſſe ſcripſit, eundem Bernarium Monachum quoque Corbeïenſem fuiſſe ſignificavit. Deinde illius exilium ſic perſtrinxit. *Bernarius noſter Lirinum remittitur.* Eodem igitur tempore, quo Corbeïenſis Abbas Adelhardus in Herenſe Monaſterium & Wala è Regio Comitatu in Cœnobium Corbeïenſe retruſi ſunt, Bernarius Corbeïenſis Monachus illorum frater è Corbeïenſi Monaſterio relegatus eſt ad Lerinenſe, cui tunc præerat vel Leotmundus Abbas de quo plura inferiùs, vel Leotmundi deceſſor cujus nomen ignoratur.

XCI. AC SOROR GUNDRADA.

Tribus prædictis fratribus duæ ſorores erant, Gundrada & Theodrada. Illa, ut ex eodem Auctore liquet, in exilium quoque acta eſt. Adelhardo & Walæ *inhærebat ex latere ſoror, nomine Gundrada, ſexu diſpar, ſed virtutibus procul dubio compar, fratribus aſſiduitate præſens; ſiquidem virgo familiarior Regi, nobilium nobiliſſima, quæ inter Venereos Palatii ardores & juvenum venuſtates, etiam inter mulcentia deliciarum, & inter omnia libidinis blandimenta, ſola meruit, ut credimus, reportare pudicitiæ palmam, & potuit, ut dicitur, carnis ſpurcitias illæſo calle tranſire. Pudicitiæ, inquam, ſceptra ſecum tenuit, quia prorſus ſibi locupletius fore credidit integritatem ſervaſſe carnis, quàm roſeos caſtitatum flores violare. Eſt autem pudicitia virtus, quâ feliciter, ut probatur, coronari meruit, velut Tertullianus facundiſſimus ait, flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis; ac deinde; quanquam rara, inquit, nec facilè perfecta, víxque perpetua. Hujuſcemodi igitur Chriſti famula inter omnia caſtitatis diſcrimina delegit expetere campum certaminis, & meruit triumphum victrix obtinere pudoris.* Et inferiùs. *Porrò prafata Gundrada ad Sanctam Radegundem quondam Reginam mittitur, idcircò ut cui communicaverat ex parte florens inter*

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. I. BERN. R. I.

Palatii diſcrimina, imitaretur virtutum ejus inſignia, & cum ea die noctúque Deum exorans, de ſe ſuíſque interim conſolationem obſecrando reciperet. Pictavium igitur ablegata eſt Gundrada, ſive ad Sanctam Radegundem, id eſt, ad puellare Monaſterium, quod olim Sancta Radegundis Clotarii Primi Regis uxor in civitate Pictavienſi conſtruxerat.

XCII. THEODRADA MANET IN SUO MON.

Theodrada Sueſſionenſis Abbatiſſa, tot exulum ſoror, *Deo devota, quæ jam reddito fructu nuptiarum ſecundum caſtimoniæ gradum arripuerat,* in ſuo manſit Monaſterio, *Quaſi innocens*, ait Paſchaſius Radbertus, *ſub ſancta profeſſione Sueſſione relinquitur.* Ejus fratres ac ſoror haud nocentiores, quorum exilium invidia non culpa procuravit.

XCIII. ROMANI PARANT INSIDIAS LEONI PP.

Exeunte hoc anno paratæ ſunt iterum Romæ contra Leonem Papam inſidiæ. *Carolo*, inquit Sigonius [a], *ex humanis rebus ſubſtracto, cujus metu omnis facilè in officio continebatur Italia, Principes Romani rurſus conjurationem Leonis Pontificis interimendi fecerunt, quâ per indicem ad Leonem delatâ, omnes digni ultimo ſupplicio judicati ſunt.* Quid ſecutum ſit, exponemus anno proximo, cujus initio totum illud negotium in notitiam Ludovico Imperatori venit, cùm degeret Aquiſgrani, nec adhuc in Saxoniam profectus eſſet.

[a] Lib. 4. de Regno Ital.

XCIV. LEIDRADUS DIMISSO ARCHIEPISCOPATU LUGDUNENSI FIT MONACHUS.

Ad hunc quoque annum pertinent, quæ de Leidrado & Agobardo Lugdunenſibus Archiepiſcopis ab Adone poſt obitum Caroli Magni proximè commemorantur. *Imperator Carolus, vir in omni diſpoſitione Imperii ſtrenuus, Aquiſgrani moritur & ſepelitur. Bernardus Viennenſis Epiſcopus erat, & Leidradus Lugdunenſis, qui initio Imperii Ludovici Imperatoris, Sueſſionis Monaſterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejuſdem Eccleſiæ Chorepiſcopus, conſentiente Imperatore & univerſâ Gallorum Epiſcoporum Synodo, Epiſcopus ſubſtitutus eſt. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eundem Venerabilem Agobardum à tribus Epiſcopis in Sede Lugdunenſi jubente Leidrado fuiſſe ordinatum. Sed canonica auctoritas eſt, in una civitate duos Epiſcopos non eſſe, nec vivente Epiſcopo ſucceſſorem ſibi debere eligere. Ac idcircò ullâ quacumque causâ Regulæ Eccleſiæ prateriri in tanto ordine fixæ non debent.* Per univerſam Gallorum Epiſcoporum Synodum, cujus hic Ado meminit, Epiſcopos intellige Galliarum, qui præſentes apud Aquiſgranum hoc anno generali Francorum interfuerunt Conventui de quo ſuprà [b]. Leidradus igitur hoc anno Lugdunenſem Archiepiſcopatum abdicavit, & Sueſſione Monaſticam vitam in Sancti Medardi Monaſterio profiteri cœpit. Agobardus autem in Archiepiſcopatum ſucceſſit ex Chorepiſcopo factus Archiepiſcopus. Fruſtrà ſe torquet Severtius, ut Adonis textum opinionémque tueatur. Numquam una civitas duos ſimul Epiſcopos contra Canones habere dicta eſt, cùm quis Epiſcopus ordinatus eſt deceſſore Monaſticen amplexo. Quapropter Leidrado, qui Lugdunenſi Archiepiſcopatu ſponte dimiſſo Monachum induit, Agobardus legitimè ſubrogatus eſt. Similia magno numero ſuperiùs occurrerunt nec inferiùs deerunt exempla. Quot annos Leidradus in Monaſterio vixerit, manet incompertum, obiit quinto Kalendas Januarias, ut notat Severtius ex Obituum libro [c] Lugdunenſis Eccleſiæ.

SUCCEDIT AGOBARDUS.

[b] Hoc an. n. 59.

[c] Fol. 163.

Digitized by Google

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

ANNUS			
CHRISTI		815.	
LUDOVICI	IMP.	2.	
	REG.	35.	10.
BERNARDI	REG.	2.	
LOTHARII	REG.	1.	
PIPPINI III.	REG.	1.	
INDICTIO		8.	

I. LUDOVICUS AUG. EMITTIT DIPLOMATA,

LUDOVICUS Imperator ipſis Kalendis Januarii, quæ principium anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto fecerunt, ſingularem teſtatus eſt pietatem erga pleroſque Chriſtianos Hiſpaniarum, qui ſolum lubentiſſimè verterant, ſeque receperant in Franciam, ne diutiùs acerbiſſimo Saracenorum jugo premerentur. In illius rei fidem ex Archivis Eccleſiæ Narbonenſis à Petro Pithœo publicatum eſt Diploma, quod poſteà Cæſar Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, Andreas Ducheſnius in Collectione coætaneorum Auctorum, Stephanus Baluzius in Tomo primo Capitularium recudi fecerunt.

II. PRO HISPANIS CHRISTIANIS IN FRANCIAM CONFUGIENTIBUS.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ & Hiſpaniæ conſiſtentibus. Sicut nullius veſtrûm notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum jugum, quod eorum cervicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Sarracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hereditario jure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania, atque in ea portione Hiſpaniæ, quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit, ſeſe, ad habitandum contulerunt, & à Sarracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes, noſtro dominio liberâ & promptâ voluntate ſe ſubdiderunt; ita ad omnium hominum notitiam pervenire volumus, quòd eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſervare decrevimus, eo videlicet modo, ut ſicut ceteri liberi homines cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in Marcha noſtra, juxta rationabilem ejuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem, exploraciones & excubias, quod uſitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant, & Miſſis noſtris aut filii noſtri, quos pro rerum opportunitate illuc in partes miſerimus, aut Legatis, qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubvectionem eorum veredas donent. Alius verò cenſus ab eis neque à Comite neque à Junioribus & Miniſterialibus ejus exigatur. Ipſi verò pro majoribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, depradationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invaſiones, & undecunque à vicino ſuo aut criminaliter aut civiliter fuerint accuſati, & ad Placitum venire juſſi, ad Comitis ſui mallum omnimodis venire non recuſent. Ceteras verò minores cauſas more ſuo, ſicut hactenus feciſſe noſcuntur, inter ſe mutuò definire non prohibeantur. Et, ſi quiſpiam eorum in partem, quam ille ad habitandum ſibi occupaverat, alios

Digitized by Google

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

homines undecunque venientes attraxerit, & ſecum in portione ſua, quam adpriſionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum ſervitio abſque alicujus contradictione vel impedimento, & liceat illi eos diſtringere ad juſtitias faciendas, quales ipſi inter ſe definire poſſunt. Cetera verò judicia, id eſt, criminales actiones, ad examen Comitis reſerventur. Adpriſionem interpretare eam partem terræ incultæ, quam ipſi ex conceſſione Regum vel Comitum excolendam ſumpſerant. *Et, ſi aliquis ex his hominibus, qui ab eorum aliquo attractus eſt, & in ſua portione collocatus, locum reliquerit, locus tamen qui relictus eſt, à domino illius, qui eum priùs tenebat, non recedat. Quòd ſi illi propter lenitatem & manſuetudinem Comitis ſui, eidem Comiti, honoris & obſequii gratiâ, quippiam de rebus ſuis exhibuerunt, non hoc eis pro tributo vel cenſu aliquo computetur, aut Comes ille vel ſucceſſores ejus hoc in conſuetudinem præſumant, neque eos ſibi vel hominibus ſuis aut manſionaticos parare, aut veredas dare, aut ullum cenſum vel tributum aut obſequium, præter id quod jam ſuperiùs comprehenſum eſt, præſtare cogat: ſed liceat tam iſtis Hiſpanis, qui præſenti tempore in prædictis locis reſident, quàm his qui adhuc ad noſtram fidem de iniquorum poteſtate fugiendo confluxerint, & in deſertis atque in incultis locis per noſtram vel Comitis noſtri licentiam confidentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta ſupradictum modum ſub noſtra defenſione atque protectione in libertate reſidere, & nobis ea, quæ ſuperiùs diximus, tam cum Comite ſuo quàm cum Miſſis ejus, pro temporum opportunitate, alacriter atque fideliter exhibere. Noverint tamen iidem Hiſpani ſibi licentiam à nobis eſſe conceſſam, ut ſe in vaſſaticum Comitibus noſtris more ſolito commendent, &, ſi beneficium aliquod quiſpiam eorum ab eo cui ſe commendavit, fuerit conſecutus, ſciat ſe de illo tale obſequium ſeniori ſuo exhibere debere, quale noſtrates homines de ſimili beneficio ſenioribus ſuis exhibere ſolent. Idcirco has noſtræ auctoritatis literas eis dare decrevimus, per quas decernimus atque jubemus, ut hæc noſtræ liberalitatis & manſuetudinis Conſtitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris inviolabiliter conſervetur. Cujus Conſtitutionis in unaquaque civitate, ubi prædicti Hiſpani habitare noſcuntur, tres deſcriptiones eſſe volumus, unam quam Epiſcopus ipſius civitatis habeat, & alteram quam Comes, & tertiam ipſi Hiſpani qui in eodem loco converſantur. Exemplar verò earum in Archivo Palatii noſtri cenſuimus reponendum, ut ex illius inſpectione, ſi quando, ut fieri ſolet, aut ipſi ſe reclamaverint, aut Comes, vel quiſlibet alter contra eos cauſam habuerit, definitio litis fieri poſſit. Hanc quippe Conſtitutionem, ut per diuturna tempora à fidelibus Sanctæ Eccleſiæ Dei & noſtris & veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Domini Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. Datum Kalend. Januarias, anno, Chriſto propitio, primo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indict.* VIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In controverſiam vocari poſſunt dies & annus, quibus emiſſum eſt hoc Diploma. In omnibus editionibus dicitur *datum Kalend. Januarias.* Haud levis eſt ſuſpicio mendi, prætermiſſo per incuriam die, qui poni debuit ante Kalendas, quiſquis ille fuerit à capite Kalendarum Januariarum ad ipſas Kalendas, nam dies quo quid ſcriptum dicitur, non in quarto caſu, *Kalendas Januarias*, ſed in ſexto ſic exprimi ſolet, Kalendis Januariis, pridie Kalendas Januarias, tertio Kalendas Januarias, & ſic de ceteris retrogradiendo ad caput earumdem Kalendarum, quod in diem decimum-quartum Decembris incidit. Si placet hæc animadverſio, prædictum Diploma pertinet ad menſem Decembrem ſuperioris anni, quocum Indictio etiam octava convenit. In editione Pithœana deſideratur annus Imperii Ludoviciani; Baronius in margine poſuit annum ſecundum; Duchenius annum illum à margine in textum tranſtulit. Annum primum rectè repoſuit Baluzius, quia Ludovicus quamvis à patre Carolo dictus ſit Imperator labente anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio, tamen ſæpè ſuis in Diplo-

natibus annos Imperii ſui numeravit ab ejuſdem patris obitu, ſive à quinto die ante Kalendas Februarias anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-quarti. Non longè petemus exempla, quibus hanc aſſertionem probemus. In manuſcripto Codice Viennenſi, quem Dominus Antonius *de Vyon d'Heronval* pro ſua ſingulari benevolentiâ nobis utendum dedit, extant tria Ludovici Præcepta, quæ licèt Aquiſgrani diverſis cùm annis Imperii tum Indictionibus obſignata ſint, ad hunc unum nihilominùs annum pertinent. Primum datum eſt decimo-quarto Kalendas Februarias, anno Imperii primo, Indictione octavâ; alterum quarto Idus Junias, anno Imperii ſecundo, Indictione pariter octavâ; tertium decimo-tertio Kalendas Januarias, anno quoque Imperii ſecundo, Indictione nonâ. Primum & ſecundum emiſſa ſunt antequàm Ludovicus Aquiſgrano proficiſceretur in Saxoniam, tertium poſtquàm Aquiſgranum è Saxonia reverſus eſt. Ut autem primum & ſecundum Indictione notantur octavâ, tertium verò nonâ, quia Indictiones inchoantur menſe Septembri; ſic primum anno Imperii primo, ſecundum & tertium anno Imperii ſecundo conſignantur, quia quinto Calendas Februarii, ſive eodem quo Carolus deceſſit die, mutatur annus Imperii Ludoviciani.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

III. Priùs autem quàm illa recitemus Diplomata, quæ ſpectant ad Eccleſiam Viennenſem, ſeries rerum geſtarum poſtulat, ut deſcribamus aliud, quod iiſdem, quibus ſuperius, Kalendis, Indictione, ac loco, ſic emiſſum eſt. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris. Qualiter quidam homo fidelis noſter, nomine Johannes, veniens in noſtra præſentia, in manibus noſtris ſe commendavit, & petivit nobis ſuâ apriſione quicquid genitor noſter ei conceſſerat ac nos, & quicquid ille occupatum habebat, aut apriſione fecerat, vel deinceps occupare aut prendere poterat, ſive filii ſui cum hominibus eorum, & oſtendit nobis exinde auctoritate quod genitor noſter ei fecit. Nos verò alia ei facere juſſimus, ſive melioravimus. Et concedimus eidem fideli noſtro Johanni, in pago Narbonenſe, villare Fontes, & villare Cello Carboniles, cum illorum terminis & pertinentiis, cultum & inultum, ab integrè, & quantùm ille in villa Fontejonceſa, vel in ſuis terminis, ſive in aliis locis vel villis, ſive villares occupavit, ſive apriſionem fecit unà cum ſuis hominibus, vel deinceps facere poterit, tam ille quàm filii ſui, omnia per noſtrum donitum habeant ille & filii ſui, & poſteritas illorum, abſque ullo cenſu vel alicujus inquietudine. Et nullus Comes nec Vicarius, nec Juniores eorum, nec ullus Judex publicus, illorum homines, qui ſuper illorum apriſione habitant, aut illorum proprio, diſtringere nec judicare præſumant, ſed Johannes & filii ſui & poſteritas illorum, illi eos judicent & diſtringant. Et quicquid per legem judicaverint, ſtabile permaneat, &, ſi extra legem fecerint, per legem emendent. Et hæc auctoritas noſtra firma permaneat, dum ille & filii ſui & poſteritas illorum ad nos & ad filios noſtros aut ad poſteritatem illorum fideles extiterint. Et ut credatis, de anulo noſtro impreſſione ſignari juſſimus. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. Data Kal. Januarias anno Chriſto propitio primo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* VIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Diploma prælaudatus Capitularium Collector ex Narbonenſis Eccleſiæ Chartulario inter Acta vetera poſt Notas ad Capitularia publicavit [a], & in iiſdem Notis haud in vanum ſuſpicatus eſt Joannem illum, cujus mentionem Ludovicus Auguſtus in ſuo Præcepto facit, Hiſpanorum in Francia commorantium Oratorem fuiſſe, qui publicam omnium cauſam egerit apud Imperatorem, nec ſuam privatim omiſerit. Quis eſſet hic Joannes, quantâque conſpicuus gloriâ multis ab annis coruſcaret ob victos in pago Barcinonenſi Saracenos Carolo nondum Imperatore, vetus docet ipſius Caroli Præceptum, quod inter eadem Acta [b] ſic editum ex Narbonenſi Chartulario reperies. *In Nomine Patris & Filii & Spi-*

[a] Act. 25.

[b] Act. 19.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

ritûs Sancti. Karolus Sereniſſimus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum. Notum ſit omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vel cunctis fidelibus noſtris tam præſentibus quámque futuris. Rectum eſt, Regalis poteſtas illis tuitionem impertiat, quorum neceſſitas comprobatur. Igitur cognoſcat Almitas veſtra, qualiter Johannes ad nos veniens obtulit & oſtendit nobis epiſtolam, quam dilectus filius noſter Ludovicus ei fecerat, & per ipſum ad nos direxit. Et invenimus in ipſa epiſtola inſertum, quòd Johannes ipſe ſuper hæreticos ſive Sarracenos infideles noſtros magnum certamen certavit in pago Barchinonenſe, ubi ſuperavit eos in locum, ubi dicitur ad Ponte, & occidit jam dictos infideles, & cepit de ipſis ſpolia, aliquid exinde dilecto filio noſtro obtulit, equum optimum & brunia optima & ſpatam Indiam cum theca de argento parata; & petierat in pago Narbonenſe villare heremum ad laborandum quem dicunt Fontes. Ille verò dedit ei ipſum villare, & direxit eum ad nos. Et cùm ad nos veniſſet cum ipſa epiſtola, quam filius noſter ei fecerat, in manibus noſtris ſe commendavit, & petivit à nobis jam dictus fidelis noſter Johannes, ut ipſum villare, quod filius noſter ei dederat, concedere feciſſemus. Nos verò concedimus ei ipſum villare, & omnes ſuos terminos & pertinentias ſuas ab integrè, & quantum ille cum hominibus ſuis in villa Fontejoncoſa occupavit vel occupaverit, vel de heremo traxerit, vel infra ſuos terminos, ſive in aliis locis, vel villis, ſeu villare occupaverit, vel apriſione fecerit cum hominibus ſuis. Hæc omnia concedimus ei per noſtrum donum, ut habeat ille & poſteritas ſua abſque ullo cenſu aut inquietudine, dum nobis aut filiis noſtris fideles extiterint. Quatenus verò auctoritas firmior habeatur, de anulo noſtro ſubter ſigillavimus. Gilabertus ad vicem Radoni recognovit & ſubſcripſit. Data in menſe Martio anno XXV *&* XVIII *Regni noſtri. Actum Aquiſgrani Palatio noſtro in Dei Nomine feliciter. Amen.* Nævus eſt in Characteribus Chronologicis. Annus enim Carolini Regni poſt Pippini Regis obitum viceſimus-quintus per menſem Martium cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio convenit, annus verò Regni Carolini poſt ſubactam Longobardiam duodeviceſimus per eundem menſem Martium cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſecundo componitur. Deinde Carolus Aquiſgrani per menſem Martium nec anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſecundo, nec anno ſequenti degit. Auctores haud pauci vitam Caroli per annos digeſſerunt, & diligenti ſtudio ſingulis annis notarunt, ubi *Natalem Domini & Paſcha* celebrarit. Hos ſi conſulueris, advertes Carolum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quintum Aquiſgrani menſe Martio non eſſe commoratum. Per illa tempora, *Barcinona civitas*, ut Annaliſta Laureshamenſis [a] aſſerit, *in limite Hiſpanico ſita, alternante rerum eventu, nunc Francorum nunc Saracenorum ditioni ſubjiciebatur.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio tranſiit à Francis ad Saracenos, rediit ad Francos anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſeptimo. Carolus eodem anno, quo Barcinonem recepit, in Saxonia Natalem Domini celebravit, necnon & proximum Paſcha, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum pertinuit; cis Rhenum verò reverſus hyemavit Aquiſgrani, nec in Saxoniam denuò profectus eſt ante Paſcha ſubſequentis anni, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi nonageſimi-noni. Lege veteres Annaliſtas Loiſelianum & Laureshamenſem. Rerum illis annis geſtarum ſerie ſtudioſiùs inſpectâ, Saracenos, qui Barcinonem nuper amiſſam ægerrimè ferebant, exiſtimamus in agrum irrupiſſe Barcinonenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo, atque in fugam actos fuiſſe à Ioanne bellicoſo viro, qui proximo menſe Martio Carolum apud Aquiſgranum convenerit, currente tunc anno Chriſti* DCCCXCIX, *Regni Carolini in Francia* XXXI, *in Longobardia* XXV. *Expunctis igitur è præcitato Diplomate Chronologicis illis numeris* XXV *&* XVIII, *hoſce* XXXI *&* XXV *ſic repone. Data in menſe Martio anno* XXXI *&* XXV *Regni noſtri.*

[a] Ad an. 797.

Digitized by Google

Inter eadem Acta Præceptum legitur [a] hoc anno, Ludovici Auguſti primo adhuc currente, ſexto Idus Januarias, Indictione octavâ, pro Miciacenſi Monaſterio ſic emiſſum. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus Divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vel Vicedominis, Vicariis, Centenariis, Telonariis, Actionariis, & omnibus rem publicam procurantibus, præſentibus ſcilicet & futuris. Notum ſit, quia Dutreſindus Abbas ex Monaſterio Sancti Maximini Miciacenſis & omnis ejus Congregatio petierunt Celſitudinem noſtram, ut licentiam haberent, ad eorum ſupplendas neceſſitates, tres naves per Ligerim, Carum, Vincenam, Sartam, Meduanam, Taunucum, ſeu Lidum, Hylarium, ſive per cetera flumina pro quibuſlibet præfati Monaſterii neceſſitatibus diſcurrunt, necnon & de carris, ſaumariis, navigiis, ſeu de omni commercio, undecunque fiſcus teloneum exigere poterat. Cujus precibus ob amorem Dei & venerationem ipſius Sancti annuere, & hoc noſtræ auctoritatis Præceptum firmitatis gratiâ erga ipſum Monaſterium pro mercedis noſtræ augmento, ſicut petierunt, conceſſimus. Idcircò hoc Præceptum noſtrum fieri juſſimus, per quod jubemus atque præcipimus, ut nemo fidelium noſtrorum, nec quiſlibet exactor judiciariæ poteſtatis, de carris, vel ſagmariis, ſeu navigiis, vel de quolibet commercio, undecunque videlicet fiſcus teloneum exigere poteſt, nullum teloneum accipere vel exigere præſumat. Naves verò tres, quæ ſive per flumen Ligeris, ſive per cetera flumina, ob utilitatem & neceſſitatem ipſius Monaſterii diſcurrunt, ad quaſcumque civitates, caſtella, aut portus, vel cetera loca acceſſum habuerint, nullus ex eis aut ex hominibus qui eas prævident, ullum teloneum, aut ripaticum, aut pontaticum, aut portaticum, aut ſalutaticum, aut ceſſitaticum, aut cœnaticum, aut laudaticum, aut tranaticum, aut pulveraticum, aut ullum occurſum, vel ullum cenſum, aut ullam redibitionem accipere vel exigere audeat, ſed licitum ſit abſque alicujus illicita contrarietate vel detentione, per hanc noſtram auctoritatem, naves tres, & homines qui eas prævidere debent, & quæ deferunt, per univerſum Imperium noſtrum liberè ac ſecurè ire & redire. Et, ſi aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint, aut vendiderint, nihil ab eis prorſus, ut dictum eſt, exigatur. Hæc verò auctoritas ut pleniorem obtineat vigorem, & à fidelibus noſtris certiùs credatur & diligentiùs conſervetur, de annuli noſtri impreſſione ſubter ſigillari juſſimus. Datum* VI *Idus Januarii, anno Chriſto propitio primo Imperii Domni Ludovici Sereniſſimi Auguſti, Indictione* VIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Præcepto nominantur octo fluvii. Ligeris, olim Liger vocatus, ceteros in Oceanum devolvit. Sarta Lido à læva ſuſcepto ſtatim in ſiniſtram Meduanæ ripam ſupra civitatem Andegavum egeritur, Meduana verò præterlapſus Andegavum dexteram Ligeris ripam ſubit. Alios Ligeris recipit à læva, Carum infra Turonos, Vincenam ſeu Vigennam ad Condatenſem vicum tertiâ ſupra Salmurium leucâ. De Hylario & Taunuco nihil legimus, ſunt hæc vocabula vel corrupta vel antiquata. Fluvii non ignobiles in ſiniſtram Ligeris ripam exonerantur Anger vulgò *l'Indre* & Tœdus vulgò *le Toüé*, ille ſupra confluentes Vigennæ, hic paulò infra Salmurium. Ludovicum de aliis fluminibus locutum vix fas eſt ſuſpicari.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. I. IV.

[a] Act 16. PRO MON. MICIACEN- SI.

Primum Diploma pro Eccleſia Viennenſi tale eſt. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Actionariis, M[illegible] noſtris diſcurrentibus, vel cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris notum ſit, quia ſi Sacerdotum ac ſervorum Dei petitionibus, quas nobis pro ſuis neceſſitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non ſolùm Regiam conſuetudinem exercemus, verùm etiam ad beatitudinem & retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus. Proinde comperiat omnium fidelium noſtrorum induſtria, præſentium ſcilicet & futurorum, qualiter Vir Venerabilis Bernardus Viennenſis civitatis &*

V. PRO ECCLESIA VIENNEN- SI.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

Sancti Mauricii Martyris Eccleſiæ Præſul veniens ad nos detulit nobis Præceptiones Regum anteceſſorum noſtrorum, in quibus invenimus inſertum, quomodò ipſam Sedem cum Cellulis vel rebus ibidem aſpicientibus ſub pleniſſima defenſione & emunitatis tuitione habuiſſent. Petiit namque nobis pro firmitatis ſtudio, ut circa ipſum ſanctum locum pro mercedis noſtræ augmento denuò ſimilia concedere & confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus, &c. Inſuper etiam placuit nobis ibidem Cellulam Sancti Symphoriani olim exinde abſtractam cum omnibus rebus ibidem aſpicientibus reddere. Reddimus etiam ibi quandam villam, quæ vocatur Faſiana, quam volumus ad ſuſceptionem peregrinorum & alimonia pauperum ibidem futuris proficere temporibus, ita duntaxat ut nullus eam exinde ullo unquam tempore abſtrahere aut in beneficio dare præſumat, ſed, ſicut intulimus, ad neceſſitates indigentium Procuratores hujus Eccleſiæ eam manere permittant. Conceſſimus etiam ibi quaſdam Cellulas; unam, quæ appellatur Monaſterium ſuperius; aliam, Monaſterium medianum, conſtructas in honore Sancti Andreæ & Sancti Nicetii vel aliorum Sanctorum, quas volumus & noſtris & futuris temporibus ad ſupplementum Canonicorum ibidem Deo famulantium proficere. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, neque quiſlibet ex judiciaria poteſtate, nec aliquis ex fidelibus noſtris in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memoratæ Eccleſiæ Sancti Mauricii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidere videtur in quibuſlibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum eſt, vel quæ nos munere largitatis noſtræ in noſtra eleemoſyna ibidem reddimus vel conceſſimus, quæque etiam deinceps in jure ipſius loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Eccleſiæ tam ingenuos quàm & ſervos, qui ſuper terram ipſius reſidere videntur, injuſtè diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præſumat. Et quicquid de rebus prædictæ Eccleſiæ fiſcus ſperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ Eccleſiæ concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum & ſtipendia ſervorum Dei ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, quatenus ipſis ſervis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge proléque noſtra & ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propriâ ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Heliſachar recognovi. Data XIIII Kl. Feb. anno primo, Chriſto propitio, Imperii noſtri. Indictione VIII. Actum Aquiſgrani Palatio in Dei Nomine feliciter. Amen. Hoc Præceptum in veterum Actorum [a] Appendice poſt Notas ad Capitularia nuper editum eſt cum *Indictione* VII & appoſito ad marginem *an. 814.* Sed quod Aquiſgrani decimo-quarto Kalendas Februarias, anno Ludovici Auguſti primo, datum eſt Diploma, certè ad Indictionem ſeptimam & ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum, cùm Carolus in vivis adhuc ſuperſtes eſſet, referri nullomodo poteſt, quamvis Ludovicus ab aliquot menſibus in conſortium Imperii vocatus à patre nomen Imperatoris & Auguſti jam aſſumpſiſſet. Idem enim Ludovicus per menſem Januarium Indictionis ſeptimæ, quando Carolus pater ex hac vita migravit, ab Aquiſgranenſi Palatio procul aberat in Aquitania. Diſertis verbis id Annaliſta Laureshamenſis ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum ſic teſtatur. DCCCXIV. *Dominus Karolus Imperator, dum Aquiſgrani hyemaret,* V *Cal. Feb. rebus humanis exceſſit. Cujus rei nuncium cùm Ludovicus filius ejus in Aquitania apud Thedoaldum * villam, ubi & ipſe tunc hybernabat, plurimis deferentibus accepiſſet, triceſimo poſtquàm id acciderat die Aquaſgrani venit ſummóque omnium Francorum conſenſu ac favore patri ſucceſſit.* Eadem Aſtronomus in ipſius Ludovici vita ſic enarrat. *Obiit quinto Kalendas Februarias Piiſſimus Imperator Carolus anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu*

[a] Act. 24.

* Doüé en Anjou.

Jeſu Chriſti octingenteſimo decimo-quarto. Quo in tempore Ludowicus Imperator Concilium populo generale quaſi quodam indixerat præſagio, in Purificatione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco cujus vocabulum eſt Theotuadus. Defuncto autem patre piæ recordationis, miſſus eſt Rampo ad eum ab eis, qui ſepulturam ejus curarunt, liberis ſcilicet & Proceribus Palatinis, ut & mortem ejus cognoſceret, adventúmque ſuum nullomodo comperendinaret. Qui quum Aurelianam deveniſſet ad urbem, Theodulfus ejuſdem urbis Epiſcopus, vir undecumque doctiſſimus, cauſam ejus adventûs præſenſit, & velociſſimè miſſo perlatore Imperatori innoteſcere ſtuduit, hoc tantummodo ei ſuggerendum jubens, utrùm præſtolaretur venientem in urbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad urbem. Quam cauſam ille protinus commentatus agnovit, & ipſum venire ad ſe juſſit. Inde alium atque alium hujuſce rei triſtes ſuſcipiens nuntios, poſt quintum diem ab eodem loco pedem movit, & cum tanto, quantum paſſa eſt anguſtia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quammaximè Wala, ſummi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne fortè aliquid ſiniſtri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citiſſimè ad eum venit, & humillimâ ſubjectione ſe ejus nutui, ſecundùm conſuetudinem Francorum, commendans ſubdidit. Poſt cujus ad Imperatorem adventum, æmulati cum omnes Francorum Proceres certatim gregatímque ei obviam ire certabant. Tandémque ad Hariſtallium proſpero itinere pervenit, & die triceſimo, poſtquàm ab Aquitania promovit, Palatio Aquiſgrani pedem feliciter intulit.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

Alterum Diploma pro Eccleſia Viennenſi tale eſt. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Actionariis, Theloneariis, ſeu omnibus rem publicam procurantibus. Notum ſit, quia nos deprecante Bernardo, Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopo, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Mauricii, pro mercedis noſtræ augmento ſeu pro utilitate fratrum ibidem Domino famulantium ei conceſſimus naves quinque per diverſa flumina, Rhodanum ſcilicet & Segonnam *, ad ſua negotia deferenda. Unde vobis præcipimus atque mandamus, ut neque vos neque juniores veſtri ullum teloneum, aut ripaticum, ſeu portaticum, vel etiam ceſpitaticum, nec cenaticum, vel ſalutaticum, nec ullas redibitiones ab eodem prædicto numero navium exigere vel exactare præſumatis, quatenus per hanc noſtræ Præceptionis auctoritatem, ut pradiximus ob utilitatem fratrum ibidem Deo ſervientium, liberiùs ſecuriúſque negotia ſua veſtro ſimul fulti auxilio & munimine peragere valeant. Et ut hæc auctoritas veriùs certiúſque credatur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſignari. Signum Hludovici Sereniſſimi Auguſti. Ibbo ad vicem Heliſiachar recognovi. Data IIII Id. Jun. anno ſecundo, Chriſto propitio, Imperii Domni Hludovici Sereniſſimi Auguſti, Indictione VIII. Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Præcepto, ut & in quibuſdam aliis, cenaticum ſeu cœnaticum, cenſum interpretare cœnæ ſeu menſæ, deputatum. *Salutaticum* corruptè dici, reſtituendúmque ſaltuaticum ſæpè monuimus.

VI. PRO EADEM ECCLESIA, * la Saone.

Tertium Diploma pro Eccleſia Viennenſi, quia ſeriùs editum eſt menſe Decembri, cùm Ludovicus è Saxonia jam rediiſſet, inferiùs à nobis ſub exitum hujus anni referetur. Interim aliud accipe pro Eccleſia Vivarienſi datum decimo-ſexto Kalendas Julii, cùm Ludovicus Aquiſgrano nondum digreſſus eſſet. *In Nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinæ ordinatione providentiæ Imperator Auguſtus. Si Sacerdotum ac ſervorum Dei juſtis petitionibus acquieſcimus, hoc nobis ſanè ad æternam beatitudinem provenire confidimus. Idcircò comperiat omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, induſtria, quia Vir Venerabilis Thomas Epiſcopus Albenſium ſeu Vivarienſium veniens ad nos deprecatus eſt Celſitudinem noſtram, ut pro noſtræ mercedis augmento prædictam Sedem cum fratribus ibidem Domino ſervientibus, ſub noſtra defenſione & Immunitate reciperemus. Cujus petitioni aſſenſum præbentes, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum confirmare ſtuduimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, neque quiſlibet ex judiciaria poteſtate, ſeu ali-*

VII. PRO ECCLESIA VIVARIENSI.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

quis ex fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris in Eccleſiis, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidere videtur in quibuſlibet pagis & territoriis, vel quidquid etiam deinceps propter divinum amorem ibidem collatum fuerit, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos injuſtè diſtringendos, ſive ullas redibitiones vel illicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſunt ſuprà memorata, exactare præſumat, ſed liceat ſervis Domini ibidem conſiſtentibus ſub noſtra defenſione & Immunitatis tuitione perpetuo tempore quietè reſidere, & pro nobis ac conjuge proléque noſtra, ſeu pro ſtabilitate totius Imperii noſtri à Domino nobis collati, & ejus clementiſſimâ miſeratione jugiter conſervandi, Domini miſericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas veriùs certiùſque credatur, manu propriâ ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Domini Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Datum XVII *Cal. Jul. anno* II *Imperii Domini Ludovici Auguſti, Indict.* VIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Diploma libro ſecundo [a] de rebus geſtis Epiſcoporum Vivarienſium & Tomo tertio Galliæ Chriſtianæ deſcriptum reperies.

[a] Nn. 30. 31.

VIII. Antequàm Ludovicus in Saxoniam proficiſceretur, *cùm adhuc domi* ſive Aquiſgrani *eſſet, allatum eſt ei quoſdam de Primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipſa urbe Roma conſpiraſſe, ac deinde cùm hujus cauſæ indicium ad Pontificem eſſet delatum, omnes illius factionis auctores ipſius juſſu fuiſſe trucidatos. Quod cùm moleſtè ferret, ordinatis tam Sclavorum & Heriholti rebus, ipſóque in Saxonia dimiſſo, cùm ad Franconofurt Palatium veniſſet, Bernhardum Regem Italiæ nepotem ſuum, qui & ipſe ſecum in Saxonia fuerat, ad cognoſcendum quod nunciabatur Romam mittit. Is cùm eò veniſſet, ægritudine decubuit. Res tamen, quas compererat, per Gerboldum Comitem, qui ad hoc ei Legatus fuerat datus, Imperatori nunciavit. Quem Legati Pontificis, Joannes Epiſcopus Sylvæ Candidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux, ſubſecuti, de iis, quæ domino ſuo objiciebantur, Imperatori ſatisfecerunt.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Quid ſpeciatim de Leonis negotio ſcribat Aſtronomus in vita Ludovici, placet ſubnectere. *Perlatum eſt Imperatori, quòd Romanorum aliqui potentes contra Leonem Apoſtolicum pravas inierint conjurationes. Quos detractos atque convictos idem Apoſtolicus ſupplicio addixerit capitali, Lege Romanorum in id conſpirante. Imperator autem audiens ægrè hæc tulit, velut à primo Orbis Sacerdote tam ſeverè animadverſa. Idcóque Bernardum Italiæ Regem illuc miſit, ut ipſe reſciens quid verum quidve falſum de hac re rumor ſparſerit, per Geroldum ſibi renunciaret. Ipſe autem Bernardus Rex Romam venit; quæ viſa ſunt, per Miſſum ſupradictum renuntiavit. Sed mox ſubſecuti Miſſi ejuſdem Apoſtolici Leonis, Johannes Epiſcopus Sylvæ-Candidæ, & Theodorus Nomenclator, necnon Sergius Dux, Leonem Apoſtolicum criminibus objectis purgavere.* Leonem ab omni reatu prorſus immunem in præcitatis Auctoribus hæ declarant phraſes; *Legati Pontificis de iis, quæ domino ſuo objiciebantur, Imperatori ſatisfecerunt*, &, *Leonem Apoſtolicum criminibus objectis purgavere.* Romanorum conjurationem Ludovico plurimùm diſplicuiſſe nemo non fatebitur. Exiſtimamus etiam nec minorem ei quàm Carolo quondam patri fuiſſe zelum, ut eo quo par erat ſupplicio rei punirentur, nec Leonem à priori receſſiſſe clementia, quâ ſeditionis in ſe quoque commotæ præcipuos authores, qui *ſecundum Legem Romanorum* capite damnati fuerant, periculo mortis ante annos quatuordecim eripuerat, Carolo Auguſto adeò exorato atque ad miſericordiam adeò flexo, ut illis in exilium deportatis & vitam & integritatem membrorum concederet. Annaliſta Loiſelianus ad annum Redemptoris octingenteſimum primum, quo puniti ſunt authores primæ conjurationis, ita ſcribit de Carolo Auguſto. *Juſſit eos, qui Pontificem anno ſuperiore depoſuerant, exhiberi, & habitâ de eis quæſtione ſecundùm Legem Romanorum ut Ma-*

ORDINATIS SCLAVORUM REBUS,

INQUIRIT PER BERNARDUM ITALIÆ R. DE CONJURATIONE ROMANORUM IN LEONEM PP. ET DE POENA REIS INFLICTA.

Digitized by Google

jeſtatis rei capite damnati ſunt. Pro quibus tamen pio affectu apud Imperatorem AN. CH.
interceſſit. Nam & vita & membrorum integritas eis conceſſa eſt. Ceterùm pro 815.
facinoris magnitudine exilio deportati ſunt. Alii ſuffragantur Annaliſtæ, Lau- LUDOV.
reshamenſis, Tilianus, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, cum incerto IMP. 2.
Auctore, Monacho Egoliſmenſi, Reginone, & Adone. Omnes hi Scri- BERN.
ptores unanimi conſenſu reos *ſecundùm Legem Romanam* ſeu *Lege Romanâ* R. 2.
damnatos affirmant. In altera conjuratione qui participes nefariorum conſi- LOTHAR.
liorum reperti ſunt, hos capitali addictos ſupplicio ſcribit Aſtronomus, PIPPINI
Lege Romanorum in id conſpirante. Per abſentiam igitur Imperatoris, qui pro- RR. 1.
cul aberat & Aquiſgrani degebat, hoc anno Romæ ſeverius actum eſt ad-
verſus eos, qui pravas contra Leonem Pontificem conjurationes inierunt.
Nihil iniquè geſtum, reis pœnæ non aliter irrogatæ, quàm Lex Romana
præcipiebat. Huic judicio non acceſſit auctoritas aut juſſio Pontificia. Qui
pertulerunt ad aures Imperatoris, *omnes illius factionis auctores, cùm hu-*
jus cauſæ indicium ad Pontificem eſſet delatum, ipſius juſſu fuiſſe trucidatos, vel
quòd *convictos idem Apoſtolicus ſupplicio addixerit capitali*, commentitiam
hanc relationem fraudulenter excogitarunt, ut Leonem, quaſi ſupremum
Urbis Dominium in illo judicio ſibi vendicaſſet, apud Ludovicum in odium
vocarent. Imperator falsâ deceptus narratione potuit iraſci Pontifici, non
quòd nimiùm ſeverè, ſed quòd illius juſſu animadverſum in reos eſſet. Ex-
plorandæ veritatis causâ Romam Bernardum Regem direxit. Hic poſt ſo-
lertem indagationem, quid in Urbe geſtum eſſet, Auguſtum certiorem fecit.
Leo ſuæ non defuit cauſæ, Legatos quoque miſit, qui ſatisfecerunt Impe-
ratori, criminúmque per malitiam objectorum ſuſpicionem omnem à Ponti-
fice removerunt. In horum Legatorum numero ponitur Joannes Epiſcopus
Sylvæ-Candidæ, de quo recurret ſermo.

Ludovicus Auguſtus, cùm Francofurti morabatur, hoc emiſit Præceptum IX.
pro Monaſterio Farfenſi ſive Acutiano. *Ludovicus divinâ ordinante provi-* EDIT PRÆ-
dentiâ Imperator Auguſtus. Imperialem Celſitudinem decet prædeceſſorum ſuorum CEPTUM
facta non ſolùm inviolabiliter conſervare, ſed etiam cenſuræ ſuæ auctoritate ala- PRO MON.
criter confirmare. Perinde noverit ſagacitas ſeu induſtria omnium fidelium noſ- ACUTIANO.
trorum, tam præſentium quàm & futurorum, quia Vir Venerabilis Benedictus Ab-
bas ex Monaſterio Acutiano ſito in territorio Sabinenſi & conſtructo in honore
Sanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, obtulit obtutibus noſtris quaſdam
auctoritates confirmationis Domini Genitoris noſtri bonæ memoriæ Caroli Sereniſſi-
mi Auguſti, in quibus continebatur inſertum, qualiter idem Monaſterium ſub tali
Privilegio conſiſtere fecerat, ſicut cetera Monaſteria, quæ in Francia ſub Sancti
Benedicti Patris norma conſiſtunt. Scilicet ut nullus Epiſcopus de theſauris ipſius
Monaſterii aut rebus aliquid auferre, nec ſub aliquo tributo ponere, aut aliquem
cenſum exinde exigere aut exactare præſumeret. Vel qualiter Hildeprandus Dux
ganldum qui nuncupatur Tancies, & curtem quæ vocatur Vallantis, cum omni in-
tegritate & appendiciis ſuis, per ſua Præcepta confirmavit, & curtem Tacianum,
Monaſterium Sancti Marci Evangeliſtæ quod eſt ſitum juxta muros Spoletanæ civi-
tatis, quod ipſe Domnus & Genitor noſter ad idem Monaſterium per ſuum confirma-
vit Præceptum, & Monaſterium Sancti Salvatoris ſitum non procul ab eadem civi-
tate Spoletana, & Monaſterium puellarum quod vocatur Sancti Georgii ſub muro
civitatis Reatinæ, & Eccleſiam Sancti Michaelis Archangeli poſitam ſuper fluvium
Mellinum juxta ipſam civitatem Reatinam, cum omni integritate ſua, & in ter-
ritorio Firmano Monaſterium Sancti Silveſtri vel ſanctæ Marinæ cum omni inte-
gritate, vel quidquid ex largitate Regum, Reginarúmque, Pontificum, Ducum,
Caſtaldorum, vel ex collatis populi vel ceterorum fidelium, eidem Monaſterio lega-
liter confirmatum fuerat, ſuis auctoritatibus confirmaret. Sed & pro rei totius firmi-
tate poſtulavit nos prædictus Abbas ejúſque Congregatio, ut morem paternum
ſequentes noſtram etiam auctoritatem ſuper hoc negotio fieri cenſeremus. Quorum
petitionibus, ob animæ noſtræ emolumentum & æternæ retributionis fructum, liben-

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

ter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis Præceptum inspectâ auctoritate paternâ fieri placuit, per quod decrevimus atque statuimus, ut nullus Episcopus de superiùs memoratis locis, aut de ceteris Monasteriis, aut Cellulis, Xenodochiis, Ecclesiis, curtibus, villis, piscationibus cum piscatoribus suis, servis, ancillis, libellariis, cartulatis, offertis, gualdis, molendinis, vel de omnibus eidem Monasterio jure subjectis, vel quidquid ex munificentia Regum, Reginarum, aut ex confirmatione Pontificum, Ducum, Castaldorum, nechon ex collatis populi, aut ceterorum fidelium liberalitate, vel etiam ex Monachis qui in eodem Monasterio suas animas salvare cupientes intraverunt, & eis tam ex Donatione Regum, Reginarúmque, Pontificum, Ducum, quàm & hæreditate parentum, vel de quolibet attractu advenerunt, & ibidem per cartulas delegaverunt, vel undecumque ad eos tam per venditiones, accessiones, commutationes, possessionésque, eidem Monasterio, sicut dictum est, venit, & moderno tempore justè & legaliter possidere noscitur, vel quod deinceps Domino largiente ibidem collatum fuerit, nullus fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, memorato Abbati ejúsque Congregationi aut suis successoribus inquietare, aut calumniam generare, aut aliquam injustam repetitionem facere tentet. Sed sicut à Genitore nostro confirmatum esse dignoscitur, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ diversis rebus idem locus ditatus esse constat, ita omni tempore absque alicujus præjudicio aut infestatione vel deminoratione consistat; & per hoc nostræ confirmationis Præceptum jure perpetuo teneat, & sub nostro Privilegio atque mundiburdio consistat, & sub defensione nostra ejusdem Monachi in eodem Monasterio quietè residere valeant, & pro nobis & stabilitate totius Imperii nostri Dominum exorare. Concessimus etiam eis, ut quidquid ex copulatione servorum ipsius Monasterii cum liberis fœminis secundùm Legem Longobardorum ad publicum contingere poterat in eleemosyna nostra, per hoc nostrum confirmetur Præceptum. Et quandoquidem divinâ vocatione prædictus vel successores ejus de hac vita migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem invenire poterint, qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi Abbatem. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ ab omnibus meliùs & verius credatur, & diligentiùs conservetur, more nostro eam subscribere & de bulla nostra jussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovi. Datum II *Non. Augusti, anno Christo propitio* II *Imperii nostri, Indictione* VIII. *Actum Francofurd Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.*

X

SARDOS ULTRO SE DEDENTES RECIPIT.

Hoc eodem anno *Legati Sardorum*, ut Annalista Laureshamensis subjungit, *de Carali civitate venerunt* ad Imperatorem, *dona ferentes.* Sardinia, cujus primaria civitas etiamnum est Caralis seu Calaris * in Saracenorum potestatem venit cum Africa; sub Iscami Caliphæ jugo gemebat mense Februario, anno Christi septingentesimo vicesimo-quinto, Hegiræ centesimo sexto, cùm Luithprandus Longobardorum Rex corpus Sancti Augustini, quod in illam Insulam ex Africa delatum fuerat, magno pretio redemit à Saracenis, atque Papiam deportandum curavit. Anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto, Hegiræ centesimo tricesimo-nono, cùm Caliphatus penes Almansorem esset, ab eo cismarini defecerunt Saraceni, novúmque Caliphatum in Hispania condidit Abderramenus Regiâ Sede Cordubæ constitutâ, unde posteri Caliphæ Cordubenses appellati. Baleares Insulas cum Sardinia & Corsica suis adjungere ditionibus hi tentarunt Caliphæ. Classe sæpiùs instructâ Corsicam Carolo Magno fruſtrà conati sunt eripere. Baleares Insulæ, ne deditionem illis facere cogerentur, eidem se Carolo sponte dediderunt anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono. Sardi, ne rediret sub Saracenorum potestatem, quorum jugum excusserant, missâ hoc anno Legatione Ludovicum Caroli filium muneribus affecerunt, haud alio sanè consilio, quàm ut ab eo, quotiescumque periculum esset, auxilium obtinerent, imò Baleaticorum exemplum sapienter imitati Francis ultrò se summiserunt. Iscam sive Hisiamus, cui decimus-septimus in Calipharum Catalogo locus tribuitur, extinctus est *die sexto Rabii posteriorû*, anno Ara-

* *Cagliari.*

Digitized by Google

bum centeſimo viceſimo-quinto, id eſt, octavo Idus Februarii, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio. Hujus Caliphæ, poſtquàm Novempopulaniam ſecundámque Aquitaniam ſubegit, quàm vaſtum fuerit Imperium, Rodericus Toletanus [a] per provincias ſingulaſque provinciarum Metropoles accuratiſſimè deſcribit, Sardiniâ tamen & Carali Metropoli neutiquam nominatis, quia Sardi ſua penitus ex Inſula Saracenos expulerant. In Annalibus Loiſelianis ad annos Redemptoris, octingenteſimum ſeptimum, octingenteſimum decimum, octingenteſimum duodecimum, & octingenteſimum decimum-tertium, Saraceni comparatâ ex Hiſpania claſſe Sardiniam adoriuntur, ac infelici ſucceſſu, ut obſervatum ſuprà. Verumtamen Sardi, cùm Francorum ſe dominationi ſubjecerunt, uſi ſunt ſano prorſus conſilio, ut quieti forent impoſterùm à quorumlibet hoſtium incurſionibus. Porrò Sardiniam Ludovico Pio paruiſſe vel ex eo liquet, quòd in Donatione ab eodem Ludovico Sedi Apoſtolicæ pòſt facta continetur.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

[a] In Hiſt. Arab. c. 12.

Quænam tunc in Sardinia Sedes fuerint Epiſcopales manet hîc inveſtigandum. Gregorius Magnus in literis [b] ad Januarium Caralitanum Antiſtitem datis Indictione duodecimâ, quæ cœpta eſt menſe Septembri, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio, Metropolitam agnoſcit eundem Januarium, ei ſiquidem, ut Concilia provinciæ ſuæ de more bis in anno celebret, ita præcipit. *Epiſcoporum etiam Concilia, ſicut tam tuæ mos dicitur fuiſſe provinciæ, quàm quòd Sanctorum Canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrare te volumus.* Extant & ejuſdem Gregorii literæ [c], *Vincentio, Innocentio, Mariniano, Libertino, Agathoni, & Victori, Sardiniæ Epiſcopis* inſcriptæ Indictione ſecundâ, quæ cœpta eſt menſe Septembri, anno Chriſti duodeſexcenteſimo. Lucas Holſtenius ſex hoſce comprovinciales Epiſcopos in Sardinia Inſula collocat, refellitque Carolum à Sancto Paulo, qui Caralitanum Antiſtitem non Sardiniæ modò ſed Balearium etiam Inſularum Metropolitam ſcripſit in Sacra Italiæ Geographia. Baleares Inſulas extra Caralitanæ provinciæ fines jam rejecimus. Caralitanum tamen Metropolitam non uni tantùm Sardiniæ ſed aliis etiam adjacentibus Inſulis exiſtimamus præfuiſſe. Lucifer Metropolita Caralitanus apud Theodoretum [d] non Sardiniæ Inſulæ ſed Inſularum Sardiniæ Metropolitanus appellatur. *Λουκίφερος τῆς μητροπόλεως τῆς ἐν Σαρδινίαν νήσου.* Philippus Ferrarius [e] Inſulas adjacentes Sardiniæ numerat quatuor & quadraginta; quarum remotiores ſex & triginta deſertæ ſunt & inhabitatæ; octo verò, quia propiores, turribus præſidióque contra piratas munitæ conſpiciuntur. Adjungenda quoque Corſica, Caralitanus enim Antiſtes Primas Sardiniæ & Corſicæ dictus invenitur. De Corſicanis Epiſcopatibus actum Tomo priore ſub Carolo Magno, qui Franciam Corſicâ primus auxit, ut & Sardiniâ Ludovicus Pius ejus filius. Quæri poteſt, utrùm Vincentius, Innocentius, Marinianus, Libertinus, Agatho, & Victor, quos Gregorius Magnus Epiſcopos Sardiniæ vocat ſub Metropolita Caralitano, ſederint omnes in Sardinia, an etiam in Corſica, & in aliis minoribus Inſulis Sardiniæ vicinis. Turritanus Epiſcopus erat Marinianus, de quo ſic idem Gregorius [f]. *Marinianus Turritanæ civitatis frater & Coepiſcopus noſter nobis lacrymabiliter indicavit*, &c. Fauſtianenſis Epiſcopus erat Victor, de quo ſic quoque Gregorius Magnus [g]. *Reverendiſſimi fratris & Coepiſcopi noſtri Victoris Fauſtianenſis Epiſcopi plenam vobis dolentibus querelam deferimus.* Quarum Sedium alii fuerint Epiſcopi, nos latet. Turris * Libiſſonis, ſeu Turres, urbs ampla Sardiniæ fuit in ora Occidentali; Epiſcopatu primùm nobilis, deinde & Archiepiſcopatu; jacet hodie diruta, Sedéſque Metropolitana Saſſarim * tranſlata eſt, Archiepiſcopus tamen frequentiùs à Turri ſeu Turribus appellatur Turritanus quàm Saſſaritanus à Saſſari. Fauſiana, pleriſque Phauſana, hodie Tetta nova, urbs quoque Sardiniæ celebris olim fuit in ora Orientali. Ceteros ignoramus Epiſcopatus Sardiniæ, qui temporibus cùm Gregorii Magni Papæ tum Ludovici Pii Auguſti floruerunt. Sedium

X I.

[b] Lib. 3. ep. 9. Ind. 12.

[c] Lib. 7. ep. 8. Ind. 2.

[d] Lib. 2. Hiſt. c. 12. vet. edit. c. 15. nov. edit.

[e] In Sulcitana Inſula.

[f] Lib. 1. ep. 59. Ind. 9.

[g] Lib. 9. ep. 1. Ind. 4.

* *Torre.*

* *Saſſari.*

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

enim Episcopalium in Sardinia variæ fuerunt vicissitudines. Ferrarius urbes in hac Insula sive Episcopales sive Archiepiscopales numerat octodecim, Algarium, Arboream, Bisarium, Bosam, Calarim, Castrum Aragonense, Emporias, Galtellinum, Sanctam Justam, Olienam, Phausaniam, Sassarim, Suellim, Sulcos, Turrim Albam, Turrim Libissonis, Villam Ecclesiæ, & Usellim; additque tanto de numero tres duntaxat supersesse Sedes Archiepiscopales cum quatuor Episcopalibus, quia pleræque simul unitæ fuerunt. Tres hæ sunt Sedes Archiepiscopales, Calaris, Sassaris, & Arborea *. Quinque Episcopales unitæ sunt Caralitanæ, Gastellinensis, Olienensis, Suellensis, Sulcitana, & Villæ seu Vallis Ecclesiæ. Sassaris, & Turris Libissonis, ubi quondam Sedes Archiepiscopalis, simul junctæ sunt. Arborensi Metropoli conjuncta est Sedes Episcopalis Sanctæ Justæ. Quatuor supersunt Sedes Episcopales, Algarium, Bosa, Emporiæ, & Usellis. Algarensi Sedi juncta est Bisarensis; Usellitanæ Sedes Turris Albæ; Emporiensi Sedes Castri Aragonensis cum Phausanensi. Subest Usellis Arborensi Metropoli; Turritanæ seu Sassaritanæ subsunt, Algarium, Bosa & Emporiæ.

* *Oristagni.*

XII. BELLUM INDICIT CALIPHÆ CORDUBENSI.

Ludovicus Imperator perfidiâ Maurorum per biennium dissimulatâ bellum illis indixit. *Pax*, inquit Annalista Laureshamensis, *quæ cum Abulaz Rege Saracenorum facta est, & per triennium servata, velut inutilis rupta, & contra eum iterum susceptum est bellum.* Abulaz, qui & Alhaca dicitur, Cordubensis Calipha pacem triennem cum Carolo Magno pepigit anno Redemptoris octingentesimo duodecimo, sed anno postero fractâ fide classéque instructâ Corsicam, Sardiniam, Provinciam, atque Italiam aggressus est. Subsecuta paulò pòst mors Caroli. Ludovicus, ne quid detrimenti caperent finitimæ Mauris provinciæ, sapienter post obitum patris providit, pacémque per reliquum triennium servandam duxit. At elapso illo triennio fœdus ad proximos iterum annos renovari noluit, rem ratus inutilem esse, quia Saraceni datam fidem frequenter violabant. Hac observatione præmissâ, nullam difficultatem in vita Ludovici Pii patitur hic Astronomi textus. *Abulat Sarracenorum Rex triennem ab Imperatore petiit pacem. Quæ quidem primùm impetrata est, sed postea tanquam inutilis rejecta, & bellum Sarracenis est indictum.*

XIII. PAX FIRMATUR CUM IMP. CONSTANTINOP.

Northertus Regiensis *Episcopus* in Insubria, *& Ricoinus Comes* Pictavensis, de quibus anno superiore locuti sumus, *à Constantinopoli regressi sunt, fœdúsque pactum inter ipsum & Francos detulere gratissimum.* Hæc Annalista Laureshamensis. Plura non habet Astronomus in vita Ludovici Pii, nec aliunde sciri potest, quænam illius fœderis leges fuerint. Sub idem tempus, ut colligimus ex Danduli Chronico, Fortunatus Gradensis Patriarcha *contra voluntatem Venetorum in Franciam remeavit, in cujus Sede Joannes Abbas Sancti Servuli intrusus est.*

XIV. ROMANI CONTRA LEONEM PP. RURSUM TUMULTUANTES COERCENTUR A BERNARDO R.

Eadem tempestate, inquit Astronomus, *Romani, quum Leo Apostolicus gravaretur adverso incommodo, prædia omnia, quæ illi domocultas appellant, & noviter ab eodem Apostolico instituta erant, sed & ea, quæ sibi contra jus quærebantur direpta, nullo Judice expectato, diripere & sibi conati sunt restituere. Quorum cœptis restitit Bernardus Rex per Winigisum Ducem Spoleti, certúmque rerum nuntium de his omnibus direxit ad Imperatorem.* Consentanea sic scribit Annalista Laureshamensis. *Cùm Romani Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collectâ manu omnia prædia, quæ in singularum civitatum ditionibus noviter extruxerat, primò diripiunt, deinde immisso igne cremant. Tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur, violenter auferre. Quo comperto, Bernhardus Rex, missâ manu per Winigisum Ducem Spoletanum, & seditionem illam sedavit, & eos à cœpto desistere fecit: quæque erant gesta, per Legatos Imperatori nunciavit.*

XV. Interea, teste eodem Annalistâ, *jussum est ab Imperatore, ut Saxones & Abotriti ad* Danicam *expeditionem præpararentur*, id est, ad auxilium Heriholto ferendum, ut Regno Daniæ restitueretur. *Tentatum est in illa hyeme dus-*

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1. LUDOVICUS AUG. HERIHOLTUM AD DANIAM RECUPERANDAM JUVAT AUXILIO.

bus vicibus, ſi Albiam tranſire poſſent. Sed mutatione ſubitâ aeris emolliti, ac glacie fluminis reſolutâ, negotium remanſit infectum; donec tandem hyeme tranſactâ circa medium Maium menſem opportunum proficiſcendi tempus arriſit. Tunc omnes Saxonici Comites, omnéſque Abotritorum copiæ, cum Legato Imperatoris Balderico, ſicut juſſum erat, ad auxilium Heriholto ferendum, trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum in loco nomine Sinlendi perveniunt. Et inde profecti ſeptimo tandem die in loco qui dicitur ..... in littore Oceani caſtra ponunt; ibique ſtativis triduo habitis, cùm filii Godefridi, contra eos magnis copiis & ducentarum navium claſſe comparatâ, in Inſula quadam tribus millibus à continenti ſeparata reſiderent, ipſique cum eis congredi non auderent, vaſtatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis populorum obſidibus XLI *ad Imperatorem in Saxoniam reverſi ſunt. Ipſe enim tunc temporis in loco qui dicitur Padabrunna, generalem populi ſui Conventum habebat. Ibi ad eum omnes Orientalium Sclavorum Primores & Legati venerunt.* Hæc poſtrema phraſis Sclavos, eo quo ſæpè diſtinximus modo, ſeparandos docet in Orientales & Septentrionales, quorum hi ſedes ad mare Balticum habebant, illi verò degebant in Orientalibus Francorum regionibus, ut accuratiùs ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum exponemus.

XVI. UT MON. VIRORUM IN SAXONIA CONDATUR, LUBENTER ANNUIT.

Anno priore poſtquàm Adelhardus Corbeïenſis Abbas in exilium pulſus fuit, illius loci Monachi novum elegerunt Abbatem, Adelhardum quoque nuncupatum, de quo ſic vetus Auctor in libello de conſtructione novæ Corbeiæ. *Recordatus ipſe Abba, qualem prior Adhalardus habuit voluntatem de conſtructione Monaſterii in Saxoniæ partibus, habuit conſilium cum ſenioribus Fratribus, & cum his qui ab illis partibus venerant, ad extremum cum omni Congregatione, qualiter hoc ad perfectum adduceretur. Viſúmque eſt omnibus juſtum eſſe, ut hanc rem indicarent Imperatori, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Factum eſt autem eodem tempore, ut Sereniſſimus Imperator Ludovicus haberet Placitum in Saxonia, in loco qui dicitur Patherbrunna, in ſecundo anno Regni ſui, Incarnationis verò Domini octingenteſimo decimo-quinto. Tunc acceſſit præfatus Abba ad eum & locutus eſt ei cum conſilio ſuadens, ut ad profectum Chriſtianæ Religionis in eadem Provincia Monaſterium Monachorum conſtruere juberet. Quod cùm Piiſſimus Princeps benignè ſuſcepiſſet, placuit accerſere Epiſcopum, nomine Hathumarum, ad cujus Diœceſim pertinebat locus, ubi conſtruendum erat Monaſterium, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Sícque factum eſt, ut ab ea die & deinceps Religio Monachorum etiam in regione Saxonica ſuccreſceret atque proficeret. Eodem die remiſit Dominus Imperator eidem Abbati omne ſervitium, quod ad ſe pertinebat, ut liberiùs ſanctum opus implere quiviſſet. Cæpit autem ædificare in loco qui dicitur Hechi, ubi cùm per ſex & eo ampliùs annos laboraſſent, nihil proficere potuerunt,* id eſt, ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum, quo prior Adelhardus ad illas partes acceſſit.

XVII. DAT PRÆCEPTUM PRO ECCL. AUGUSTODUN.

Extat in Auguſtodunenſi Chartulario Diploma, quo Ludovicus Auguſtus rogante Modoino Æduorum Epiſcopo res omnes Sancti Nazarii, ſive Eccleſiæ Cathedralis Auguſtodunenſis quæ nomen Sancti Nazarii gerit, hoc anno ſub Regio mundeburde ponit apud Paderbornam menſe Julio. Characteres Chronologicos accipe. *Datum* XI *Kal. Aug. anno Chriſto propitio ſecundo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* VIII. *Actum Paderbrunno in Saxonia, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XVIII. FREDARICUS EP. LAUSANNENS. ABBATES DERVENSES. CONDATESCENSIS.

In Gallia Chriſtianâ [a] Fredaricus, qui Stumpffio Fredarius eſt, hoc anno Lauſannenſem Epiſcopatum gerit. Hauto ſive Haudo Dervenſis eſt Abbas. Anſegiſus Luxovienſi Monaſterio præeſt. Antelmus ſive Anſelmus Condateſcenſis Abbas moritur, eique ſufficitur Achinus. De Fredarico & Hautone convenimus. Convenimus & de Antelmo, quia ſuperſtes vivit anno primo Ludovici Auguſti, Indictione octavâ jam inchoatâ, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto poſt Kalendas Septembres, moritúrque decimo-ſeptimo Kalendas Julias anno videlicet proximo, ſive anno Redemptoris octingente-

[a] Tom. 1. 4.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1. LUXOVIENSES.

simo decimo-quinto, quia successor Achinus eodem anno Ludovici Augusti secundo celebratur. At de Ansegiso non ita convenimus. In Gallia Christiana Luxovienses Abbates ita recensentur. *Dotto aliàs Docto, Sikelmus, Dadinus, S. Ansegisus vivebat anno 815, Indictione 8.* Hac quidem auctoritate freti, postquàm Dottonem Abbatem ad annum Christi septingentesimum nonagesimum [a] Tomo superiore laudavimus, proximos ejus successores Sikelmum & Dadinum solis diximus notos nominibus, deinde Dadino subrogavimus Ansegisum, quem arbitrati sumus, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto cum Abbatis titulo jam floruisse, sed hujus anni loco reponendus est annus Redemptoris octingentesimus decimus-septimus, ut Auctor coætaneus his verbis in Chronico Fontanellensi [b] testatur. *Defuncto Magno Carolo Imperatore Augusto Divæ memoriæ, Ludovicus ejus filius in Imperium elevatur. A quo idem Dominus Ansigisus magnificè honorari meruit. Anno denique Imperii sui* IV *Luxovium famosum Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure eidem contulit.* Illa de re post biennium agemus. Interim ipsius Ansigisi sive Ansegisi primordia ex eodem Chronographo accipe.

[a] Nn. 2, 7.
[b] Cap. 16.

XIX. PRIMORDIA ANSEGISI ABBATIS.

Ansigisus vir gloriosus ac tranquillus, omnique scientiâ divinæ scilicet atque humanæ Philosophiæ sufficienter instructus, à patre Anastasio matréque vocabulo Himilrada procreatus, tenente locum regiminis hujus Cœnobii Fontanellensis *Girowaldo* seu Geroaldo vel Gervoldo *Abbate propinquo suo hoc accessit Monasterium, tonsurámque capitis ab eo suscepit. Deinde non multò pòst ad Palatium cum perducens in manus Gloriosissimi Regis Caroli commendare studuit. Duo ad regendum ab Invictissimo Rege Carolo ei commissa Cœnobia, unum quod est situm prope muros urbis Remensis & in honore Sancti Sixti primi ejusdem urbis Præsulis, & est in ditione ejusdem civitatis, alterum in territorio Catalaunici Castri quo Sanctus Episcopus Memmius corpore quiescit humatus. Defuncto verò Geroaldo,* cujus obitum anno Redemptoris octingentesimo sexto consignavimus, *Trasarius hoc adeptus est Cœnobium, ac non post multùm temporis præfatus Domnus Ansigisus,* desertis duobus prædictis Cœnobiis Sancti Sixti & Sancti Memmii, *Flaviacum Monasterium, quod Sanctus Geremarus fundavit, ac ibi corpore requiescit, quod est situm in pago Bellovacensi, à Domno Rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini Jesu Christi* DCCCVII, *qui erat annus Magni Caroli, ex quo Rex Francorum constitutus est,* XXXVIIII, *ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est, annus* VII. *Quod ferè ædificiis destitutum, ac in egestate redactum atque relictum invenit. Sed intra pauci temporis spatium nobili suâ industriâ recuperare studuit. Omnia namque ædificia & publica & privata ipse ibidem eliminatis atque projectis iis, quæ vetustate consumpta fuerant, à fundamentis construi atque in majori elegantia restaurari fecit, veluti cunctis illò advenientibus palàm est. Nam in præceptis rei rusticæ sagacissimus erat, unde factum est ut diversarum frugum maxima illi copia numquam deesset, quam semper largâ manu cunctis indigentibus erogare noverat. Erat namque eleemosynarius valdè, pauperúmque refector, prosinus ditator ac defensor Ecclesiarum, Clericorum nutritor, Monachorum verissimus Pater, peregrinorum latissimus susceptor, viduarum ac pupillorum maximus adjutor. Dum prædictum Flaviacense Cœnobium jure precarii ac beneficii teneret, etiam Exactor operum Regalium in Aquisgranensi Palatio Regio sub Heinhardo Abbate viro undecunque doctissimo à Domino Rege constitutus est. Quod nobilissimè administravit, atque in cunctis operibus suis prudenter se agebat. Plurimis verò ejusdam Regis jussu Legationibus strenuissimè functus est.* Quibus temporibus factus sit Abbas cùm Luxovienses tum Fontanellenses, dicemus infrà. Citiùs autem regimini Monasterii Fontanellensis admotus est Einhardus sive Eginhardus Abbas, ut ostendemus anno sequenti.

XX. Si Chronologiam Bituricensium Archiepiscoporum ad annum Redemptoris octingentesimum decimum benè assecuti sumus, hoc anno vitam clausit Ebroinus Archiepiscopus, eique successit Aiulfus sive Aigulfus, cujus primordia

mordia Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in Carmine [a], quod Andegavi ſcripſit cùm exularet, ita commendavit. AN. CH. 815.

Nobilis & pulchra fueras puer indolis olim,
Nunc vir es ornatus nobilitatis ope.
Quæ fuit in puero docilis ſolertia parvo,
Nunc manet in magno, dante Tonante, viro.
Signa puer magna ſemper virtutis habebas
Magna, docens magnum te fore ſorte virum.
Sic fata promittunt fœcundæ præmia meſſis,
Sic tauri in vitulo forma patet tenero.
Ingenuas artes ſtudium tibi diſcere tandem
Extitit, & cultum hîc pectus habere ſatis.
At nunc divini tibi tradere dogmata Verbi
Eſt labor, & populis jura referre poli.
Qui tunc Grammatico ſumebas pocula fonte,
Ambroſio mentes nunc benè rore rigas.
Vivere te ſanctè rumor diſpergit ubique,
Magna per ora virûm ſat tua fama volat.

EBROÏNUS ARCHIEP. BITURICENS. OBIT. SUCCEDIT AIGULFUS.

[a] Lib. 4. Carm. 4.

XXI. ABBATES VEDASTINI.

Hoc anno, Raddo Vedaſtini Monaſterii præclarus Abbas obiit, ſucceſſit Adalungus, de quo ſic illius loci Chronographus apud Locrium. *Hic dignitate quadam oris & toto corporis habitu ad dignitatem compoſitus, atque literis benè expolitus, Ludovico Pio Cæſari adeò commendabilem ſe reddidit, ut ſpectatâ ejus virtute Cæſar, in obeundis maximis Legationibus,* de quibus agemus ſuis locis, *eo libentiſſimè uſus ſit.*

XXII. STABULENS. DISERTINENS. WELTENBURG.

Hoc eodem anno apud Fiſenum in Floribus Eccleſiæ Leodienſis [b] obit Wirundus Malmundarienſis ac Stabulenſis Abbas, eique ſubrogatur Abſalon. Apud Bucelinum in Chronologia Rhætiæ, Pruniconi Abbati Diſertinæ mortuo ſufficitur Richardus, de quo nihil præter nomen occurrit. Et apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium memoratur Wicannus Abbas Weltenburgenſis, ſucceſſor Dieterici cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum fecimus.

[b] D. 3. Sept.

XXIII. CLAUDIUS PRESBYTER SCRIBIT COMMENTARIOS IN GENESIM,

Illis temporibus in Ludovici Auguſti comitatu verſabatur Claudius Presbyter, qui Taurinenſem Epiſcopatum poſteà conſecutus eſt; utrumque Jonas Aurelianenſis Epiſcopus initio libri primi de cultu Imaginum ſic teſtatur. *Is*, nempe Claudius, *de quo agitur, exortus ex eadem Hiſpania, ejuſdémque Felicis* Urgellenſis quondam Epiſcopi *diſcipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod tempus in Palatio memorati Glorioſiſſimi ac Sereniſſimi, Deóque amabilis Auguſti* Ludovici, *in officio Presbyteratûs militavit. Sed ut aliorum utilitati, doctrinâ prædicationis Evangelicæ, quæ illi admodùm ineſſe videbatur, conſuleret, ipſius Piiſſimi clementiâ Præſul Taurinenſis ſubrogatus eſt Eccleſiæ.* Notus fuit Ludovico nondum Imperatori, ſic enim ſcribit in literis ad Druëterannum Abbatem. *Tres, ni fallor, & eo ampliùs jam pertranſeunt tempore anni, quòd me adhuc in Alvenni ceſpitis arvo, in Palatio Pii Principis Domini Ludovici tunc Regis, modò Imperatoris, detentum ſocordiâ ſenſûs mei, tuâ fervidâ dilectione adorſus es excitare, ut* &c. Tres Abbati Theodemiro libros in Geneſim hoc anno tranſmiſit, idque non obſcurè docet ſuâ in Leviticum Præfatione, Leviticum enim à ſe teſtatur explanatum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, cùm octo jam effluxiſſent anni, ex quo libros tres in Geneſim exarârat. Ipſam Præfationem ſic exorſus eſt. *Cogis & compellis, cariſſime frater Theodemire Abba, atque, ut ita dicam, ſtomachanti animo me reprehendis diu ſiluiſſe, nec paruiſſe juſſioni tuæ in expoſitione Levitici. Biennium eſt, quòd tibi direxi expoſitionum atque informationum litteræ & ſpiritûs in Exodo libros quatuor, quibus principium eſt,* [*poſt expoſitionem libri Geneſeos,*] *unde ante hos octo annos & dictis Sanctorum Patrum de littera & ſpiritu tres edidi libros.* Clauſit verò ſic. *Aggredimur igitur hoc opus, annuente pietate divinâ, Qua-*

AN. CH. 814. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

drageſimæ tempore, ſub die ſeptimo Idus Martii, anno Incarnationis DCCCXXIII *Salvatoris Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Nec eſt cur Claudium quis ſuſpicetur eorum calculos ſecutum, qui principium anni ducebant à Paſchali Solemnitate, Præfationiſque præcitatæ clauſulam exiſtimet à nobis rejiciendam eſſe in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum, quia ſingulorum annorum initia petimus à Kalendis Januarii. Certè anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, ſive illius exordium à die Natali Domini, ſive à Kalendis Januarii ſumas aut à Paſchali Feſtivitate, Paſcha celebratum eſt octavo Kalendas Maii, diéſque ſeptimus ante ſuperiores Idus Martii cum feria quarta inter Quinquageſimam & Quadrageſimam ſeu cum capite jejunii coïncidit, nec pertinuit ad Quadrageſimam, quæ, teſte Amalario in Eccleſiaſticis [a] Officiis, *inchoatur à ſequenti Dominica poſt Quinquageſimam.* Si Claudius caput jejunii ſeu feriam quartam poſt Quinquageſimam deſignare voluiſſet, non uſus eſſet hac loquendi formulâ, *Quadrageſimæ tempore*, quia Quadrageſimæ tempus à Dominica poſt Quinquageſimam cenſetur excurrere. Recurrendum igitur ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium, quem Claudius in ſua Præfatione notavit initio ducto à die Natali Domini. Illo anno cùm Paſcha celebratum ſit Nonis Aprilis, præcedénſque Quinquageſima inciderit in diem decimum-quintum ante Kalendas Martii, rectè Claudius ait opus à ſe inchoari *Quadrageſimæ tempore, ſub die ſeptimo Idus Martii*, ſive hebdomadâ tertiâ Quadrageſimæ, feriâ ſecundâ. Portò, ſi Leviticum tunc explanavit, tres libros in Geneſim exaravit hoc anno, Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto, qui numeratur octavus ante octingenteſimum viceſimum-tertium.

[a] Lib. 1. c. 4.

XXIV. ET IN EVANGELIUM MATTHÆI.

Prætereà Claudius, ut in adnotationibus ad ejus ſcripta teſtatur Joannes Mabillonus Tomo primo veterum Analectorum, *commentatus eſt Evangelium Matthæi, opúſque ſuum Juſto Carrofenſi Abbati nuncupavit* hoc eodem *anno* DCCCXV. Fragmentum Præfationis in lucem protulit Uſſerius. Totum Commentarium in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Laudunenſis à ſe viſum ſcribit Mabillonus jam laudatus.

XXV. LUDOVICUS IMP. DAT PRÆCEPTUM PRO MON. CARROFENSI,

In dubium vocari non poteſt, quin Juſtus Abbas hoc anno, Ludovici Auguſti ſecundo, Indictione octavâ, Monaſterium Carrofenſe rexerit. Inter probationes, quas Joannes Beſlyus Hiſtoriæ [b] Comitum Pictavienſium ſubjecit, extat hoc ejuſdem Ludovici Præceptum è Carrofenſi Tabulario deſcriptum. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imp. Aug. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eiſque in eiſdem locis ſibi famulantiibus beneficia opportuna largiamur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Noverit intereà ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum, quia Vir Venerabilis Juſtus Abbas ex Monaſterio Carrof. quod eſt conſtructum in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſitum in pago Pictavenſi prope fluvium Karentonæ, obtulit obtutibus noſtris auctoritatem Immunitatis Domini & Genitoris noſtri Karoli B. M. Piiſſimi Aug. in qua erat inſertum, quod ipſum Monaſterium Rotgerius quondam Comes in ſuo ædificavit proprio, & cum omnibus rebus & ornamentis Eccleſiæ, ſeu & cum omnibus appenditiis & adjacentiis ſuis, eidem Genitori noſtro per Chartulam delegaverit Donationis, & quod ad ejus petitionem ob inquietudinem Judiciariæ poteſtatis ſub ſuæ devotione & Immunitatis tuitione conſiſtere fecerat. Pro firmitatis namque ſtudio deprecatus eſt prædictus Juſtus Abbas, & omnis Congregatio ibidem Deo ſerviens, ut paternum morem ſequentes, hujuſmodi noſtræ Immunitatis Præceptum circa ipſum Monaſterium fieri cenſeremus. Quorum petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & noſtræ auctoritatis Præceptum erga ipſum Monaſterium Immunitatis atque tuitionis gratiâ pro divini cultûs amore & animæ noſtræ remedio fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus nec quiſlibet ex Judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quàm &*

[b] Cap. 1.

*futurùs, in Eccleſias aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis & territoriis infra ditionem Imperii noſtri juſtè ac legaliter poſſidet, vel ea, quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Quicquid etiam de prædictis rebus Monaſterii jus fiſci * exigere poterat, in integrum pro aterna retributione eidem concedimus Monaſterio, ſcilicet ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire poterint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum, licentiam eligendi Abbates concedimus, quatenus ipſi Monachi, qui ibidem Deo famulari videntur, cum rebus vel hominibus eodem Monaſterio aſpicientibus vel pertinentibus ſub tuitionis & Immunitatis noſtræ defenſione, remotâ totius iniquæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, & pro incolumitate noſtræ conjugis & prolis ſeu etiam totius Imperii à Deo nobis collati & ejus clementiſſimâ miſeratione perpetuò conſervandi, Dei perimmenſam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc igitur auctoritatem, ut pleniorem in Deo obtinere valeat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Eccleſiæ & noſtris roboretur, & veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſ. Imp. Heliſachar recognovi. Data 2 Id. Febr. anno, Chriſto propitio, 2 Imperii Domini noſtri, Indictione 8. Actum Aquiſgrani Palatio Regio. I. D. N. F. Amen.*

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. I.

* *ſuffici*

Ad hunc uſque annum vixit Baugolfus Abbas quondam Fuldenſis, de cujus exauctoratione actum Tomo priore ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum. *Superfuit honori*, inquit Browerus [a], *annis omnino tredecim, diem ſuum functus Chriſti anno* DCCCXV. *ſepultus in ſui nominis Monaſterio*, vulgò *Baugolffes-Munſter*. Hoc nomen, ut ex Caroli Magni donariis liquet, inditum loco, qui *Baugolffo conceſſus expetenti Cœnobitas liquot aggregare*. Factum id à Baugolffo, poſtquàm regimine Monaſterii Fuldenſis abdicatus fuit. Simile poſt aliquot annos occurret exemplum de Ratgario, qui non tantùm excidet Abbatiali munere, ſed etiam pelletur in exilium, unde poſteà revocatus Monaſterium Beatæ Virginis inchoabit, ibique privatam vitam ad obitum uſque ducet. Qualis autem poſt exauctorationem vixerit Baugolffus, expoſuimus Tomo ſuperiore [b].

XXVI. OBITUS BAUGOLFI ABB. OLIM FULDENS.

[a] In Antiquit. Fuld. l. 4. n. 2.

[b] Ad an. 802. nn. 67. 68.

Rabanus hoc eodem anno, ætatis ſuæ triceſimo, promotus eſt *ad Sacerdotalis officii dignitatem*. Ordinatus eſt ab Haiſtulpho Moguntiacenſi Metropolita, cui delatas Archiepiſcopales Infulas anno priore diximus. Ordinationem ſuam grato recoluit animo in Præfatione ad tres libros de Inſtitutione Clericali, quos eidem Archiepiſcopo poſt quadriennium dedicavit, illum enim inter alia ſic allocutus eſt. *Tuo Magiſterio ſemper me libens ſubdam, à quo recordor me accepiſſe dignitatem Eccleſiaſticam*. Laudatur à Trithemio, quòd *Preſbyter conſecratus nihil priſtinæ humilitatis omiſit, nihil Monaſticæ converſationis & puritatis neglexit*. A quinquennio Scholæ præerat Fuldenſi, quam idem Auctor ſic commendat. *Plures Cœnobiorum Prælati eam docendi formam laudantes, alii Monachos ſuos ad Fuldam miſerunt ſub Hrabani ferula ſacris imbuendos ſtudiis; alii verò Scholas erexerunt in Monaſteriis propriis, quibus Præceptores de memorato Cœnobio doctiores quoſque præfecerunt. Sed in tempore brevi valdè crevit numerus diſcipulorum Hrabani docentis, & per totam Germaniam & Galliam eruditionis & ſanctitatis ejus veneranda opinio ſe diffudit. Unde factum eſt, quòd non ſolùm Abbates Monachos, ſed etiam nobiles terræ filios ſuos Hrabani docendos Magiſterio ſubdiderunt. Quos ille, ut erat manſuetiſſimus, omnes ſumma cum*

XXVII. RABANUS ORDINATUR PRESBYTER.

LAUS SCHOLÆ FULDENSIS.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

diligentia informabat, prout uniuſcujuſque vel ætas vel ingenium permittebat; alios in Grammaticis, alios verò in Rhetoricis, atque alios in altioribus divinæ atque humanæ Philoſophiæ ſcripturis, ſine invidia communicans quod ſinguli ab eo poſtulaſſent. Omnes verò, quos in auditorium ſuum docendos admiſit, non ſolùm proſâ ſed etiam carmine, quidquid occurriſſet, ſcribere informavit. Parcimus prolixo, qui ſubjicitur, diſcipulorum Catalogo, qui vel ad Abbatiales vel ad Epiſcopales Infulas aſſumpti ſunt, nec tantùm doctrinâ ſed etiam ſanctitate claruerunt, de ſingulis enim, ut occurret occaſio, verba faciemus. Abbati Ratgario non parvæ laudi tribuitur, quòd Rabanum *per ſingulos ſacri Miniſterii gradus evectum ad Sacerdotalis Officii dignitatem* hoc tandem anno promoveri curavit.

XXVIII. MON. IN CELLIS DEDICATUR.

Haiſtulphus Moguntiacenſis Archiepiſcopus ab eodem Ratgario ſeu Raitgero Abbate rogatus Eccleſiam in Cellis dedicavit. Hujus rei monumentum [a] Browero in Fuldenſibus Antiquitatibus [a] ita refertur. *Anno* DCCCXV *dedicata eſt Eccleſia in Cellis* [*Virginum Parthenone*] *ab Heiſtulpho Moguntiacenſi Archiepiſcopo, rogatu Raitgeri Fuldenſis Eccleſiæ Abbatis, in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & S. Bonifacii Martyris, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, Martini, Benedicti, Cæciliæ.* Idem Auctor [b], cùm de Congregationibus & Monaſteriis cùm virorum tum fœminarum Eccleſiæ Fuldenſi junctis & adunatis ſermonem inſtituit, Cœnobium Sanctimonialium ſeptimo inter puellaria Monaſteria loco ſic recenſet. VII. *Cœnobium Sanctimonialium in Cellis, quæ Fuldâ diſtant octodecim ferè millibus paſſuum ad Ortum Solſtitialem juxta collimitium Orientalis Franciæ & tractûs Hennebergii. Earum originem Sancti Bonifacii patrocinio illuſtrem ad Raitgarium Abbatem facilè revoces, cui ſua Templum exordia debere docet Inſcriptio Dedicationis* proximè deſcripta. Prælaudatus Auctor mendum ex hac Inſcriptione ſuſtulit, annum enim DCCCXXV ad oram rejecit, ejúſque loco annum DCCCXV rectè ſubſtituit, quia longè ante annum DCCCXXV Ratgarius Abbas eſſe deſiit.

[a] Lib. 2. c. 12.

[b] Lib. 2. c. 10.

XXIX. CONCORDIA INTER EPISCOPUM WIRCEBURG. ET ABBATEM FULDENS.

In Traditionibus [c] Fuldenſibus, quas Joannes Piſtorius publicavit, extat Charta concordiæ inter Wolfgerum Wirceburgenſem Epiſcopum & eundem Ratgarium Fuldenſem Abbatem initæ ſexto Kalendas Aprilis hoc ipſo anno Ludovici Auguſti ſecundo. Initium tale eſt. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Notum ſit omnibus Deo fidelibus, qualiter Wolfgerus Epiſcopus & Ratgarius Fuldenſis Abbas cum ſuis Clericis Conventum fecerint in loco qui dicitur Rezzibach ſub die* VI *Cal. Aprilis, anno* II *Domini Ludowici Glorioſiſſimi Imperatoris, ut priſtinam diſcordiam, quæ ſuadente inimico membríſque ejus inter eos verſabatur, ad veram concordiam & ad felicem caritatem converterent, quod ita Deo propitio & fecerunt. Dedit igitur Wolfgerus Epiſcopus cum conſilio fratrum ſuorum ſupraſcripto Abbati, ſicut ei viſum fuerat, decimationem ſuam, & ſicut ipſe Abbas cum fratribus ſuis ab eo poſtulaverat, in primis &c. Et hoc decreverunt inter ſe, ut nullus Clericus vel laicus ſupraſcripti Epiſcopi vel Abbatis temerario caſu præſumpſiſſet ſupraſcriptos terminos tranſgredi, vel violare & contaminare eorum concordiam caritate confirmatam, quia nullus tam odibilis eſt Deo, Scripturâ teſtante, quàm qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Inſuper & invicem ſtatuerunt, ut Advocati eorum in publico Placito inter ſe contentionem non haberent, ſed inter ſe cum benivolentibus hominibus reconciliarent de qualicunque cauſa eſſet exortum.*

[c] Lib. 1. CONCORDIA INTER EPISCOPUM WIRCEBURG. ET ABBATEM FULDENS.

XXX. EPISCOPI WIRCEBURGENSES.

In ſtabilienda Wirceburgenſium Epiſcoporum Chronologia difficultates haud leves occurrunt. Auctores enim nec de anno conveniunt quo Burchardus factus eſt illius civitatis primus Epiſcopus, nec de anno conſentiunt quo mortalem hanc vitam idem Burchardus terminavit. Deinde in annis Epiſcoporum, qui poſt Burchardum ſederunt, paucæ reperiuntur epochæ, quæ certæ ſint & indubitatæ. Burchardus apud vulgatum Egilwardum inſtituitur Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo, migrátque in cælum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo. Calculos In-

Digitized by Google

carnationis Dominicæ apud Egilwardum perperam interpolatos ſequuntur Bruſchius & Bucelinus. Ab iſtis Nomenclatoribus Tomo quinto multùm receſſimus. In noſtra ſententia Burchardus anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo fit Epiſcopus, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo dimittit Epiſcopatum, obítque anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto. Hæc ſuis ſunt locis accuratè probata. In elenchis Epiſcoporum, poſt Burchardum recenſentur, Megingaudus, Bernwelphus, Luitrigus, Egilwardus, Wolfgerus, Humbertus. Ex ſecundo Fuldenſium Traditionum libro proximè citato deprehendimus Wolfgerum Epiſcopum ſediſſe ſexto Kalendas Aprilis, anno ſecundo Ludovici Auguſti, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto. Huic epochæ, quæ validâ fulcitur auctoritate, Chronologiam Wirceburgenſium Epiſcoporum hactenus illigavimus. At non ſine nævo. Nam cùm ſingulorum Pontificatuum annos ſervatis Egilwardi calculis minùs cautè notaremus, nec à prædicta vellemus epocha vel tantillùm diſcedere, Wolfgerum Humbetto poſtpoſuimus. Humbertus autem, ut Candidus Auctor ſynchronus teſtatur, interfuit Fuldenſis Eccleſiæ Dedicationi, quæ peracta eſt Kalendis Novembris anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo. Atque inde colligimus Humbertum Wolfgero ſucceſſiſſe, & Epiſcopatum anno geſſiſſe Redemptoris octingenteſimo decimo-nono, ut ad illum annum fuſiùs probaturi ſumus. Interim placet mendum tollere, quo ſub Wirceburgenſibus Epiſcopis, Bernwelpho, Luitrigo, & Egilwardo, Wolfgeri deceſſoribus noſtra laborat Chronologia.

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto Burchardus obiit. XXXI.

Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-nono Megingaudus Epiſcopatum abdicavit. Ab hoc Megingaudo uſque ad Wolfgerum intermedii ſederunt hi tres Epiſcopi, Bernwelphus *annis ſeptem*, Luitrigus *annis tribus, menſibus quinque*, Egilwardus *annis ſex, menſe uno, diebus viginti-tribus*, obieruntque Bernwelphus *29 Septembris*, Luitrigus *viceſimâ-ſeptimâ Februarii*, Egilwardus *24 Aprilis*. Annos, menſes diéſque ſingulorum Pontificatuum notavit Egilwardus, mortem uniuſcujuſque Epiſcopi Bruſchius ſuo die conſignavit. Porrò, cùm ex Egilwardi numeris exurgant anni tantùm ſeptemdecim, & ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-nono quo Megingaudus Epiſcopatum ſponte dimiſit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum quo Wolfgerus Epiſcopales Infulas ſuſcepit, anni numerentur ſeptem ſupra viginti, ſtudioſiùs inquirendum eſt unde reſtitui poſſint qui deſunt anni decem. Megingaudus Burchardi proximus ſucceſſor annos quindecim ſedit, quos obſerva non à Burchardi deceſſoris abdicatione ſed ab illius morte ſive ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto numerari. Simili modo non à Megingaudi deceſſoris abdicatione ſed ab illius obitu Pontificatum exordire Bernwelphi, qui teſte Egilwardo, *Cathedram Wirceburgenſem tenuit annos ſeptem.* Megingaudus Epiſcopatum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-nono ſponte dimiſit, poſteà præſens interfuit Laureshamenſis Eccleſiæ Dedicationi, quam alii anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto conſignant, alii in annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum rejiciunt. Quonam mortuus ſit anno, nemo prodit. Abdicato Epiſcopatu Neoſtadium inſigne Monaſterium condidit poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum undeſeptuageſimum, nihilque vetat quominùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-nonum perveniſſe cenſeatur. Hoc autem poſito cetera rectè quadrant. Bernwelphus poſt mortem Megingaudi ſedet *annis ſeptem* obítque *29 Septembris*, anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto. Luitrigus poſt Bernwelphum ſedet *annis tribus, menſibus quinque*, obítque *viceſimâ ſeptimâ Februarii*, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo. Denique Egilwardus Luitrigi ſucceſſor ſedet *annis ſex, menſe uno, diebus viginti-tribus*, obítque *24 Aprilis*, anno Chriſti ſep-

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. 1.

tingentesimo nonagesimo-sexto, quo Wolfgerus Episcopatum adipiscitur. Hæc ut tibi clariora fiant, Tabulam subjicimus in tres distinctam columnas; quarum prima Chronologiam exhibet Bruschii & Bucelini, quæ nititur vitâ Sancti Burchardi, per Egilwardum conscriptâ nec parum deformatâ calculis pòst interpolatis; altera Chronologicos Egilwardi Characteres, qui vitæ Sancti Burchardi subjiciuntur, cum annis Incarnationis Dominicæ non benè comparat; tertia totam difficultatem solvit annis Burchardi & Megingaudi rectè consignatis, illisque Chronologiâ subsequentium Episcoporum, qualis apud Egilwardum reperitur, optimè connexâ.

XXXII. WIRCEBURGENSIUM EPISCOPORUM CHRONOLOGIA,

AUCTORIBUS BRUSCHIO ET BUCELINO.	AUCTORE EGILWARDO MALE INTELLECTO.	AUCTORE EGILWARDO BENE INTELLECTO.
BURCHARDUS primus Episcopus Wirceburgensis obit an. 791.	BURCHARDUS primus Episcopus Wirceburgensis Episcopatum dimittit an. 751. obit an. 754.	BURCHARDUS primus Episcopus Wirceburgensis Episcopatum dimittit an. 751. obit an. 754.
Megingaudus post mortem Burchardi sedet ann. 3. dimittit Episcopatum an. 794.	Megingaudus post mortem Burchardi sedet ann. 15. dimittit Episcopatum ann. 769.	Megingaudus init Episcopatum an. 751. post mortem Burchardi sedet adhuc ann. 15. dimittit Episcopatum an. 769. obit an. 779.
Bernwelphus post abdicationem Megingaudi sedet ann. 6. mens. 4. dieb. 3. obit 29 Sept. an. 800.	Bernwelphus post abdicationem Megingaudi sedet ann. 7. obit 29 Sept. an. 776.	Bernwelphus post abdicationem Megingaudi sedere incipit an. 769. post mortem ejusdem Megingaudi sedet adhuc ann. 7. obit 29 Sept. an. 786.
Ludericus sedet ann. 6. mens. 5. obit 27 Febr. an. 804.	Luitrigus sedet ann. 3. mens. 5. obit 27 Febr. ann. 780.	Luitrigus sedet ann. 3. mens. 5. obit 27 Febr. an. 790.
Aygelwardus sedet ann. 6. dieb. 28. obit 24 April. an. 810.	Egilwardus sedet ann. 6. mens. 1. dieb. 23. obit 24 April. an. 786.	Egilwardus sedet ann. 6. mens. 1. dieb. 23. obit 24 April. an. 796.
Wolfgerus sedet ann. 21. mens. 6. dieb. 3. obit 4 Novembr. an. 831.	Humbertus sedet ann. 10. mens. 3. dieb. 8. obit mense Martio, an. 797.	Wolfgerus sedet ann. 22 mens. 6. dieb. 3. vivit 27. Martii an. 815. obit 4 Novembr. a. 818.
Hunibertus fit Ep. an. 832. sedet ann. 9. mens. 3. dieb. 8. obit mense Martio, an. 841.	Wolfgerus sedet ann. 22. mens. 6. vivit 27 Martii an. 815. obit 4 Novembr. an. 819.	Humbertus sedet an. 819.

XXXIII. Hæc impræsentiarum sufficiant, ut intelligas non deesse rationes, cur in stabilienda Wirceburgensium Episcoporum Chronologia procul à Bruschio & Bucelino recedamus. Cetera suis examinabimus locis.

Digitized by Google

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI R. R. 1.

XXXIV. RES ABLATÆ MON. BESUENSI RESTITUUNTUR.

Hoc anno res haud paucæ Monaſterio Beſuenſi reſtitutæ ſunt, agente potiſſimùm Bettone Lingonenſi Epiſcopo, cujus zelum Chronographus Beſuenſis ita commendat. *Notum ſiat poſteris, & memoriæ commendetur, quòd ante Illuſtrem Virum Hildegarnum Comitem, ſeu Judices quos Scabineos vocant, & quamplures perſonas, qui cum eo aderant in Montaniaco villa, in mallo publico, ad multorum cauſas audiendas & rectas juſtitias terminandas, ibi veniens Betto Epiſcopus, & Advocatus ſuus Burgoardus, novem legitimos teſtes ibi præſentavit, quorum nomina hæc ſunt, Simeon, Agano, Bertramus, Gono, Marchirius, Adalardus, Gervio, Gerento, Sirannus. Iſti teſtificaverunt & juraverunt de finibus Beſuenſis Monaſterii, quod à fine Pontenſe, & à fine Vendobrinſe ſeu Vilenſe, & Vetus-Vendobrinſe, & Vaurinſe, & Tillenſe, & Vetus-Vinienſe, & Buſtellenſe, & Buſtenſe, & Lucenſe, Burbureninſe, & Berechelpo-villare, per iſtas marcatas, inter ipſos fines Immunitas Sancti Petri eſt ad integrum, & in loco qui dicitur Boſcus Monachorum ſimiliter, & in alio loco qui dicitur Longo-Boſco Immunitas Sancti Petri ad integrum. Et in alio Longo-Boſco communitas. Et in ipſo fine Buſtellenſe uſque ad viam Petroſam. Et deinde uſque ad ſtratam fractam, & deinde uſque ad finem Burburenenſem atque Vilarum Immunitas Sancti Petri eſt ad integrum. Per illas marcatas euntes ipſi novem teſtes, quos ſuprà nominavimus, miſſo ſecum Balacterio Illuſtri Viro ab Hildegarno Comite & à ſuis Scabineis, dixerunt & per judicium teſtificaverunt, quòd à tempore Pipini Regis & deinceps per tempus Domini Caroli Magni Imperatoris vidiſſent inde legitimas veſtituras ad partem Sancti Petri haberi, itaut nec Aldo nec hæredes ullam legitimam veſtituram exinde unquam habuiſſent, ſed per legem & per juſtitiam veſtitura Sancti Petri Fontiſ-Beſuenſis erat. Tunc ipſi Scabinei unanimiter judicaverunt, quòd omni tempore ipſæ res per illas marcatas ad partem Sancti Petri eſſent vendicatæ atque legibus conquiſitæ. His præſentibus teſtibus, Balacterio, Madalberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Aiſono, Vormerio, Milone, Albrico Notario, Ferlagio, Leudnino, Arberto, Servio. Walterius præſens fuit & ſubſcripſit. Data notitia die Mercurii proximâ in menſe Maio, anno* 11 *regnante Domno noſtro Hlucdovico Rege atque Imperatore.* Jacobus Vignerius in Chronico Lingonenſi [a] ſecundum annum Imperii Ludoviciani per menſem Maium cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto malè comparat, atque in illum annum perperam rejicit notitiam rei judicatæ proximè deſcriptam.

[a] In Epiſc. 39.

XXXV. IN DIOECESI WIRCEBURGENSI DUO CONSTRUUNTUR MONASTERIA,

Gabriel Bucelinus Murhartenſe Monaſterium in hodierno Wirtembergenſi Ducatu ſic commendat. *Murhart celebre ac pervetus Wirttenbergiæ Cœnobium Ordinis Benedictini, ad inſtantiam Sancti Walderici Abbatis A. C. 815 à Ludovico Pio, Caroli Magni filio, Imperatore Auguſto fundatum, cui primus Antiſtes S. Walericus datus eſt, atque ibidem plenus Sanctitate requievit.* Hæc anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto ſcribebat Bucelinus in ſecunda parte Germaniæ Sacræ. Seriùs hic Auctor Benedictinum edidit Menologium, in quo fundationem Monaſterii Murhartenſis, & primum Abbatem illius loci laudat tertio Kalendas Decembris, nullâque ſive Walderici ſive Walerici mentione factâ ſolum memorat Walthericum, qui Ludovico Auguſto conſilium erigendi Cœnobii dedit, eique primus præfuit ex Eremita factus Abbas. *In Germania*, inquit [b], *Ducatu Wirttenbergiæ, Monaſterio Murhartenſi, depoſitio Beati Waltherici Abbatis. Is Eremiticam primùm ducens vitam cùm magnis effulgeret virtutibus, tanti à Ludovico Imperatore Caroli Magni filio factus eſt, ut ipſum ſecretorum animi ſui arbitrum eligeret, & ſummo in pretio haberetur, à quo & conditæ recens Abbatiæ præfectus, æternum eidem loco decus eximiâ vitæ ſanctitate conciliavit. Condendi Cœnobii authorem ipſum fuiſſe ſibi Waltherium Ludovicus in literis fundationis atteſtatur.* Ex illis literis, quarum fragmenta recitantur ab eodem Bucelino, nomen Waltherici deprehenditur. Ejus rogatu Ludovicus *in nemore prope Caſtrum* ſuæ *proprietatis, quod vulgò Hunenburg dicitur, juxta rivum qui dicitur Murra*, Monaſterium condidit pro duodecim fratribus, *qui unà cum eo*, nempe cum

[b] D. 29. Nov. MURHARTUM,

AN. CH. 815. LUDOV. IMP. 2. BERN. R. 2. LOTHAR. PIPPINI RR. I.

Waltherico Abbate, *illic Deo ſervire, & ſecundùm Inſtituta Regulæ Beati Benedicti Monaſticam vitam ducere deberent.* Ceterùm Murra dexteram Nicri ripam ſubit, & Murhartenſe Monaſterium, ut in Annalibus Suevicis [a] legimus, duobus tantùm milliaribus diſtat ab Hala civitate Suevica, ibique, priuſquàm Cœnobium conſtrueretur, Eremitæ degerunt à temporibus Pippini Regis. Situm eſt autem Murhartum in Diœceſi Wirceburgenſi, ut teſtatur Bruſchius in Wolfgero Epiſcopo.

[a] Part. 2. l. 1. c. 12.

XXXVI. ET SCHWARCZACHIUM.

Idem Auctor in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ ſcribit hoc eodem anno Schwarczachium, inſigne Ordinis Benedictini Cœnobium in Diœceſi quoque Wirceburgenſi fuiſſe conditum *ad Mœnum amnem in honorem Chriſti Salvatoris, Beatæ Virginis Mariæ, SS. Sebaſtiani ac Felicitatis Martyrum, à Megingando Duce* ſeu Præfecto regionis *& ab uxore ejuſdem Ima* ſive *Imina.* Meminit ejuſdem Monaſterii Bucelinus in utraque parte Germaniæ Sacræ, atque in altera Catalogum Schwarczachianorum Abbatum ſic orditur. *Benedictus ab ipſo Fundatore inſtitutus anno 815, præfuit annis 28.*

XXXVII. HERLEGAUDUS ABB. S. BENIGNI.

Inter monumenta Burgundica Stephani Perardi duæ reperiuntur Chartæ, quæ pertinent ad hunc annum, datæ ſunt enim anno ſecundo Ludovici Imperatoris, una *in die Dominico proximo Kl. Auguſti*, altera *Sabbato proximo in menſe Octobri.* Utraque Herlegaudum Abbatem San-Benignianum commendat; prior teſtatur ab Airardo & Zacharia venditam eidem Herlegaudo *terram in Centena Oſcarenſi, in fine Cratmulnenſi, in oppido ipſo Cratmulnenſi;* poſterior confirmat eidem quoque Herlegaudo Donationes omnes Monaſterio San-Benigniano priùs factas *in villa Bargas & in monte Farulfo.*

XXXVIII. PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA VIENNENSI.

Exeunte hoc anno Ludovicus Imperator, cùm è Saxonia reverſus in Aquiſgranenſi Palatio moraretur, menſe Decembri, anno Imperii ſui ſecundo, Indictione nonâ tunc currente, hoc pro Eccleſia Viennenſi Præceptum emiſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eiſque in eiſdem locis ſibi famulantibus * beneficia opportuna largiamur *, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcircò noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum ſolertia, quia placuit nobis pro mercedis noſtræ augmento & æternæ retributionis fructu, quaſdam res, quæ olim matri Eccleſiæ Viennenſi, ubi modò Bernardus Archiepiſcopus præeſt, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Mauricii Martyris, abſtractæ erant, pro amore Dei & reverentia ipſius ſancti loci reddere, quæ ſunt in pago Vaſionenſe in villa quæ vocatur Dalforiana, cum domibus & ædificiis, mancipiis, accolabus, terris, olivetis, vineis, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis. Has itaque res cum omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus, quæ de ratione ipſius villæ in eadem provincia præſenti tempore totum & ad integrum vel inexquiſitum, prædictæ Viennenſi Eccleſiæ per hanc noſtram auctoritatem reddimus. Quapropter volumus atque jubemus, ut per hanc noſtram auctoritatem, noſtris videlicet & futuris temporibus, prædictæ res, ſicut ſuperiùs intulimus, perpetuò in jure & dominatione ipſius Eccleſiæ conſiſtant, ut quicquid de ipſis rebus ob utilitatem & profectum Rectores ipſius Sedis facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Hanc quippe auctoritatem, ut firmior habeatur, & perennibus temporibus à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Auguſti. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovi. Data* XIII *Kl. Januarias, anno, Chriſto propitio, ſecundo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* VIIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* *famulantes*
* *largiremur*

ANNUS				AN. CH. 816.
CHRISTI		816.		LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.
LUDOVICI	IMP.	3.		
	REG.	36.	11.	
BERNARDI	REG.	3.		
LOTHARII	REG.	2.		
PIPPINI III.	REG.	2.		
INDICTIO		9.		

I. PRÆCEPTUM PRO HISPANIS CHRISTIANIS IN FRANCIAM CONFUGIENTIBUS.

LUDOVICUS Aquiſgrani quarto Idus Februarias, anno Imperii ſui tertio, Indictione nonâ, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, Præceptum hoc alterum pro Hiſpanis in Francorum Regno manentibus emiſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, tam præſentibus quàm & futuris, ſeu etiam ſucceſſoribus noſtris, quia poſtquàm Hiſpani, qui de poteſtate Sarracenorum ſe ſubtraxerunt, & ad noſtram ſeu genitoris noſtri fidem ſe contulerunt, & Præceptum auctoritatis, qualiter in Regno noſtro cum ſuis Comitibus converſari, & noſtrum ſervitium peragere deberent, ſcribere & eis dare juſſimus, querimoniam aliqui ex ipſis Hiſpanis noſtris auribus detulerunt, duo capitula continentem. Quorum unum eſt, quod quando iidem Hiſpani in noſtrum Regnum venerunt, & locum deſertum, quem ad habitandum occupaverunt, per Præceptum Domni & Genitoris noſtri ac noſtrum ſibi ac ſucceſſoribus ſuis ad poſſidendum adepti ſunt, hi, qui inter eos majores & potentiores erant, ad Palatium venientes, ipſi Præcepta Regalia ſuſceperunt, quibus ſuſceptis, eos, qui inter illos minores & infirmiores erant, loca tamen ſua benè excoluiſſe videbantur, per illorum Præceptorum auctoritatem aut penitus ab eiſdem locis depellere aut ſibi ad ſervitium ſubjicere conati ſunt. Alterum eſt, quòd ſimili modo de Hiſpania venientes, & ad Comites ſive Vaſſos noſtros, vel etiam ad Vaſſos Comitum ſe commendaverunt, & ad habitandum atque excolendum deſerta loca acceperunt, quæ ubi ab eis exculta ſunt, ex quibuſlibet occaſionibus eos inde expellere, & ad opus proprium retinere, aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum juſtum aut rationabile nobis eſſe videtur. Et ideo per hanc noſtræ Præceptionis auctoritatem decrevimus atque jubemus, ut hi, qui vel noſtrum vel Domni & Genitoris noſtri Præceptum accipere meruerunt, hoc, quod ipſi cum ſuis hominibus de deſerto excoluerunt, per noſtram conceſſionem habeant. Ceteri verò, qui ſimul cum eis venerunt, & loca deſerta occupaverunt, quicquid de inculto excoluerunt, abſque ullius inquietudine poſſideant tam ipſi, quàm illorum poſteritas, ita duntaxat ut ſervitium noſtrum cum illo, qui ipſum Præceptum accepit, pro modo poſſeſſionis, quam tenet, facere debeat. Hi verò, qui poſteà venerunt, & ſe aut Comitibus aut Vaſſis noſtris aut paribus ſuis ſe commendaverunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, ſub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum & ipſi poſſideant, & ſuæ poſteritati derelinquant. Hoc noſtræ auctoritatis Decretum non ſolùm erga præteritos & præſentes, verùm etiam erga futuros, qui adhuc ex illis partibus ad noſtram fidem*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

venturi sunt, conservandum statuimus, ac de constitutione nostra septem Præcepta uno tenore conscribere jussimus, quorum unum in Narbona, alterum in Carcassona, tertium in Rosciliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, & exemplar eorum in Archivo Palatii nostri, ut prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere & habere possint, & per exemplar, quod in Palatio retinemus, si rursum querela nobis delata fuerit, facilius possit definiri. Et ut hæc nostræ auctoritatis constitutio firmiorem obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ plenius per tempora conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domni Hludowici Serenissimi Imperatoris. Arnaldus ad vicem Helisachar recognovit. Data IV *Id. Februarii, anno, Christo propitio, tertio Imperii Domni Hludowici Piissimi Augusti, Indictione* IX. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Is Helisachar, ad cujus vicem Durandus hoc Diploma recognovit, insignis fuit Abbas Ordinis Canonici. Post Heberardum, quem Bruschius ad annum Redemptoris octingentesimum nonum in Catalogo Sam-Maximinianorum Abbatum laudat, factus est Abbas Sam-Maximinianus in Archiepiscopatu Trevirensi, quo anno incertum. Abbas erat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo, cùm Benedictus Indensis Abbas ex hac vita discessit, ut ad illum annum dicturi sumus. Seriùs in Centulense Monasterium successit Herico, cujus mentionem ante biennium fecimus. An etiam Gemmeticensis Abbas extiterit, inquiremus suo loco.

II. Hoc anno domestici tumultus in disjunctissimis Franciæ locis orti sunt ac citò compressi. Theganus *Sclavos in Oriente positos*, Annalista Laureshamensis & Astronomus *Sorabos Sclavos* primæ seditionis authores constituunt, id est, Sorabos qui Sclavis Orientalibus annumerantur, ut fusiùs exponemus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum, cùm sermonem faciemus de Conventu Francofordiensi, in quo Ludovicus Imperator, teste prælaudato Annalistâ, *omnium Orientalium Sclavorum, hoc est, Abotritorum, Soraborum, Wilsorum, Behemannorum, Marvanorum, Prædenecentorum, & in Pannonia residentium Avarum Legationes cum muneribus ad se missis excepit.* Idem Annalista *Wascones, qui trans Garonnam & circa Pyrenæum montem habitant,* alterius seditionis authores facit, nec dissentit Astronomus. Quid autem hi Scriptores sigillatim de utrisque referant, placet hîc subjicere. Laureshamensis Annalista sic habet ad hunc annum. *Hyeme transactâ, Saxones & Orientales Franci in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant, imperata strenuè compeverunt, & contumacium audaciam non magno labore compresserunt. Nam unâ civitate expugnatâ, quicquid in ea gente rebelle videbatur, subjectione promissâ conquievit. Wascones, qui trans Garonnam & circa Pyrenæum montem habitant, propter sublatum Ducem suum Sigwinum, quem Imperator ob nimiam ejus insolentiam ac morum pravitatem inde sustulerat, solitâ levitate commoti, conjuratione factâ, omnimodâ defectione desciverunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, ut tarda eis deditio & pacis impetratio videretur.* Et Astronomus. *Postquàm Imperator hyemis inclementiam serenâ valetudine & tranquillo successu transegit, succedente æstivi temporis gratissimâ blanditie, missi sunt ab eo, qui dicuntur Orientales Franci, sed & Saxonici generis Comites, contra Sorabos Sclavos, qui ab ejus Imperio dicebantur defeciisse. Quorum conatus quàm brevissimè ac facillimè, Christo donante, compressus est. Sed & Vasconum citimi, qui Pyrenæi juga propinqua loca incolunt, eodem tempore juxta genuinam consuetudinem levitatis, à nobis omnino desciverunt. Causa autem rebellionis fuit, eò quòd Sigwinum eorum Comitem propter morum pravorum castigationem, quibus penè erat importabilis, ab eorum removit prælatione Imperator. Qui tamen adeò sunt duabus expeditionibus edomiti, ut serò pœnituerit eos incœpti sui, deditionémque magno expeterent voto.* Theganus, Vasconico tumultu penitus omisso, solum Sclavicum breviter sic attingit. *Misit* Imperator *exercitum contra Sclavos in Oriente positos, qui valdè*

TUMULTUS SORABORUM ET VASCONUM COMPONUNTUR.

Digitized by Google

oppreſſerunt eos, & victores Deo donante extiterunt. Hoc facto, unuſquiſque rediit ad propria. AN. CH. 816.

Imperator ad menſem uſque Julium, quo Remos perrexit, in Aquiſgranenſi Palatio moratus eſt, ibique tria dedit Præcepta, unum ſexto Idus Martii pro Cœnobio Sancti Germani Autiſſiodorenſis, alterum duodevicesimo Kalendas Maii pro Eccleſia Cameracenſi, tertium quinto Idus Junii pro Monaſterio Sancti Vincentii prope Vulturnum. Primum inter Acta vetera poſt Notas ad Capitularia ſic ex Sancti Germani Chartulario publicatum eſt à Stephano Baluzio. *In Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Teloneariis, Actionariis, vel omnibus rem publicam adminiſtrantibus, ſeu ceteris fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris tam præſentibus quàm futuris. Notum ſit quia Venerabilis Vir Alegrerus Abbas ex Monaſterio Sancti Germani, quod eſt conſtructum in ſuburbio Autiſſiodorenſis civitatis, ubi ipſe Sanctus corpore requieſcit, detulit nobis auctoritatem avi noſtri Pippini Regis, & Karoli bonæ memoriæ genitoris noſtri Piiſſimi Auguſti, ſeu & anteceſſorum noſtrorum, Regum videlicet Francorum, in quibus continebatur qualiter ipſi ob æternæ retributionis fructum conceſſiſſent eidem Monaſterio teloneum de quatuor navibus, quæ per Ligeris flumen ſeu cetera flumina propter ſal & cetera commercia diſcurrebant, undecunque fiſcus teloneum exigere poterat. Pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit nobis præfatus Alegrerus Abbas ut paternum ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum morem ſequentes, hujuſmodi auctoritatis noſtræ beneficium eidem concederemus vel confirmaremus Monaſterio. Cujus precibus nobis ob amorem Dei & venerationem Sancti Germani Pontificis & hoc Præceptum munificentiæ noſtræ firmitatis gratiâ circa ipſum Monaſterium fieri libuit, per quod jubemus atque præcipimus, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex Judiciaria poteſtate prædictas quatuor naves quæ per fluvium Ligeris vel per cetera flumina infra ditionem Imperii noſtri ob utilitatem & neceſſitatem ipſius Monaſterii diſcurrunt, ad quaſcunque civitates, caſtella, aut portus, vel cetera loca, acceſſum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui eas prævident, teloneum aut ripaticum, aut portaticum, aut pontaticum, aut ſalutaticum aut ceſpitaticum, aut cœnaticum, aut paſtionem, aut laudaticum, aut tranaticum, aut pulveraticum, aut ullum occurſum, vel ullum cenſum, aut ullam redibitionem accipere vel exigere audeat; ſed licitum ſit, abſque alicujus illicita contrarietate vel detentione, per hanc noſtram auctoritatem, naves, & homines, qui eas prævidere debent, cum his quæ deferunt, liberè atque ſecurè ire & redire. Et, ſi aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorſus, ut dictum eſt, exigatur. Hæc verò auctoritas ut pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum* VI *Idus Martii, anno, Chriſto propitio, tertio Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* IX. *Actum Aquiſgranum Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Joannes Carpentarius inter probationes, quas Hiſtoriæ Cameracenſi ſubjecit, Præceptum, quod Hildoardus Cameracenſis Epiſcopus à Ludovico Auguſto impetravit, per fragmenta ſic allegavit ex Archivis Eccleſiæ Cameracenſis. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis &c. Proinde Immunitates Avi videlicet noſtri Regis Pipini & Genitoris noſtri Caroli bonæ memoriæ Præſtantiſſimi Imperatoris, in quibus continebatur inſertum, qualiter idem Genitor noſter & Anteceſſores Reges prædictam Sedem, quæ in honore eſt Dei Genitricis Mariæ ſemperque Virginis, ob amorem Dei tranquillitatémque conſiſtentium fratrum, ſub pleniſſima tuitione & Immunitatis defenſione habuiſſent, &c. per hoc Præceptum noſtræ authoritatis confirmavimus, &c. Signum Hludowici Sereniſſimi Imperatoris. Ego Durandus Diaconus ad vicem Heliſacharii recognovi. Data eſt* XVIII

LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2. III. PRÆCEPTA, PRO MON. S. GERMANI AUTISSIOD.

PRO ECCLESIA CAMERACENSI.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

Kal. Maias, anno Chriſto propitio 111 * *Domini Hludowici Piiſſimi Auguſti, Indict.* IX. *Actum Aquiſgrani Regio Palatio, in Dei Nomine. Amen.* Ad hoc Præceptum, cujus etiam meminit Baldericus, alludit Joannes Buzelinus in Annalibus [a] Gallo-Flandriæ, cùm obſervat de Hildowardo ſive Hildoardo Epiſcopo, quòd *paucis ante mortem menſibus ab Ludovico Imperatore præclarum de Cameracenſis B. Virginis Eccleſiæ Privilegiis & Immunitate Diploma* impetravit. Quapropter Carpentarius ejuſdem Hildoardi mortem hoc anno, quarto Nonas Julii rectè conſignat in Epiſcoporum Cameracenſium Catalogo [b], nec apud Robertum & Sammarthanos, qui citiùs ſcripſerunt, alius annus adnotatur. Inde mirari ſubit, cur annum 817 Buzelinus in ora textûs proximè citati & Carpentarius in margine Præcepti ſuprà deſcripti repoſuerint. Indictio IX per menſem Aprilem non anno 817 ſed 816 convenit. De Halitchario Hildoardi ſucceſſore ſæpiùs acturi ſumus. Quod attinet ad Præceptum pro Cœnobio Sancti Vincentii prope Vulturnum, illud accipe ex ejuſdem Monaſterii Chronico [c]. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus Sacerdotum & ſervorum Dei, quas noſtris auribus inſinuaverint, libenter annuimus, non ſolùm Regiam conſuetudinem exercemus, ſed etiam hoc nobis tam ad præſentis vitæ proſperitatem, quàm ad futuræ beatitudinem adipiſci, non minimum emolumenti afferre confidimus. Idcircò notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Joſue Abbas Monaſterii Martyris Chriſti Vincentii, quod ſitum eſt in finibus Beneventanis, noſtram adiens Serenitatem obtulit obtutibus noſtris Præcepta Regum Longobardorum, Aiſtulfi ſcilicet & Deſiderii, necnon & Præceptum piæ recordationis Domini & Genitoris noſtri Caroli Piiſſimi Auguſti, in quibus illi tam anteceſſorum ſuorum videlicet Regum, quàm & Ducum, vel aliorum quorumlibet Deo devotorum hominum Donationes partibus prædicti Monaſterii ſpontaneâ voluntate contulerunt; ſuggerens ac petens, ut eadem Præcepta noſtræ confirmationis auctoritate confirmaremus. Cujus petitioni propter amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti aſſenſum præbentes, prædicta Præcepta noſtrâ auctoritate confirmamus. In primis decernentes, quidquid Domini Genitoris noſtri Caroli Imperatoris Præcepto continetur, & de Judicaria Baluenſe in loco Tritæ, ſicut per Præceptum Deſiderii Regis & Anſanæ condonatum eſt; deinde quidquid Aiſtulphus vel Deſiderius jam dicto Monaſterio contulerunt, maneat inconvulſum. Quod verò Duces hi, Lupus & Hildeprandus, eidem Monaſterio ſuis Præceptis condonaverunt, hac noſtrâ præſenti auctoritate abhinc in futurum ſtabilis perſeveret & firma. De quibus una eſt Donatio, quam Lupus Dux ad prædictum ſanctum locum fecit de varcinatico, id eſt, animalia, quæ exigebantur ad menſam Principis Ducatûs Spoletani; altera Hildeprandi Ducis de eadem re; tertia ejuſdem de clauſura in Marſis; quarta ejus de valdo Liburiano; quinta ejuſdem de quatuor caſis in Marſis. Has quinque Donationes ad idem venerabile Monaſterium Sancti Vincentii noſtrâ auctoritate, vel quidquid in ipſis Rectores ſupra memorati Monaſterii pro ejuſdem auctoritate facere voluerint, abſque ullius contradictione ordinent & diſponant. Et ut hæc auctoritas confirmationis noſtræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, veriùs credatur, & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubterſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Data* IV *Idus Junias, anno Chriſto propitio* III *Imperatoris Domini Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* IX. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter.*

[a] Lib. 3.
[b] Part. 2. c. 2.
[c] Lib. 2.

ET PRO MON S. VINCENTII PROPE VULTURNUM.

IV. LEO III. PP. OBIT.

Imperatori, cùm Aquiſgrani adhuc eſſet, *Domini Leonis Romani Antiſtitis dormitio nuntiatur, quæ evenit octavo Calendas Junii, anno viceſimo-primo Epiſcopatûs ſui; Stephanique Diaconi in locum ejus ſubrogatio.* Verba ſunt Aſtronomi. Et apud Annaliſtam Laureshamenſem moritur *Dominus Leo Papa anno Pontificatûs ſui* XXI, *circiter* VIII *Cal. Jun.* At Anaſtaſius Leonis obitum

in menſem Junium ejuſdem Indictionis nonæ ſic rejicit. *Beatiſſimus Pontifex, poſtquàm Sedem Romanam & Apoſtolicam annos viginti, menſ. quinque, & dies 16 glorioſiſſimè rexit, ex hac luce ſubtractus ad æternam migravit requiem. Sepultus verò eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli pridie Idus Jun. Indict. nonâ & ceſſavit Epiſcopatus dies 10.* Nicolaus Alemannus [a] in parietinis Lateranenſibus Sanctitatem Leonis ſic extollit. *Virum Deo gratum Majores adeò venerati ſunt, ut ad ejus monumentum aram Deo (quem cultum antiquitus iis tantùm, qui in Sanctorum numerum adſcriberentur, adhibere fas fuit) in ſacra Vaticana Petri Baſilica extruxerint, & cum Sanctitate paribus Leone I. II. & IV, uno in loco eum condi colíque voluerint, quod à Paſchale II inſcriptus lapidi Titulus hic docet.* SUB HOC ALTARE SUNT CORPORA SS. LEONUM, I. II. III. ET IV. PONTIFICUM ET CONFESSORUM. In Martyrologio tamen Romano, cui Leo Primus tertio Idus Aprilis, Leo Secundus quarto Kalendas Julii, Leo Quartus decimo-ſexto Kalendas Auguſti reperiuntur inſcripti, nulla ſit Leonis Tertii memoria.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

[a] Cap. 8.

Anaſtaſius in laudes ſucceſſoris ſeu Stephani Quinti ſic excurrit. *Hic à primæva ætate in Patriarchio Lateranenſi ſub ſanctæ memoriæ Hadriano Papa nutritus atque educatus, nobili proſapiâ atque clariſſimo genere ortus, adhuc in parva ætate ad diſcendum ſacræ diſciplinæ ſcientiam ſtudioſius vigilabat. Defuncto verò ſanctæ memoriæ jam præfato Domno Hadriano Papâ in locum ejus Domnus Leo Papa ſucceſſit. Qui prædictum Domnum Stephanum conſpiciens bonæ converſationis atque humilitatis, eum ad Subdiaconatûs ordinem promovit. Quem magis ac magis ſpiritualibus ſtudiis vacare conſpiciens, Domino annuente, ad Diaconatûs culmen eum provehit, & ex tunc multipliciter ſpiritalibus pollens ſtudiis, maximam, tam ad evangelizandum populo ſolerter ac clarè divina atque evangelica verba, quámque ad exercendam Eccleſiaſticam traditionem, geſſit curam. Et ita Spiritûs Sancti gratia in ejus corde reſulſit, ut in omnibus efficax idoneúſque comprobaretur. Sícque factum eſt, ut dum de hac vita migraret antè præfatus Domnus Leo Papa, illicò dum ferventiſſimo affectu à populo Romano diligeretur iſdem præcipuus ac ſanctiſſimus vir Stephanus ad ſacrum Pontificatûs culmen eſt electus. Qui omnes uno affectu paríque amore eum ad Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli perducentes, Dei ordinante providentiâ, Papa Orbis conſecratus eſt. Hic ſanctiſſimus vir in Pontificatu jam poſitus prò confirmanda pace & unitate Sanctæ Dei Eccleſiæ ad Francia arreptus eſt iter apud Piiſſimum & Sereniſſimum Domnum Ludovicum Imperatorem. Qui cùm in Franciam perveniſſet, tanto honore atque exaltatione à prædicto Piiſſimo Principe atque Francorum populo ſuſceptus eſt, quanto vix linguâ narrari poteſt. Et tantùm illi Dominus gratiam largiri dignatus eſt, ut omnia, quæ ab eo popoſciſſe dinoſcitur, in omnibus impetrarit in tantum, ut iſdem Piiſſimus Princeps pro illius amore in finibus Francia ſuper omnia dona, quæ ei largitus eſt, curtem de ſuo proprio fiſco Beato Petro Apoſtolo perpetuali uſu per Præceptionis paginam conceſſit. Iſdem verò ſacer Antiſtes exemplum ſumens Redemptoris noſtri, qui pro nobis de cælo dignatus eſt deſcendere, & de captivitate diaboli nos eripere, omnes exules, qui illic captivitate tenebantur propter ſcelera, & iniquitates ſuas, quas in Sanctam Eccleſiam Romanam & erga Domnum Leonem Papam geſſerunt, pro pietate Eccleſiæ ſecum reduxit.*

V. STEPHANUS V. SUCCESSIT.

VI.

VII. LEGATOS IN FRANCIAM MITTIT, FIDELITATE LUDOVICO AUG. A ROMANIS PRIUS PROMISSA.

Alia de Stephano Papa, quæ ſilentio prætermittere non poſſumus, in ſynchronis Francicarum rerum Scriptoribus occurrunt obſervanda.

Primò, Theganus ita ſcribit. *Stephanus ſtatim, poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico, & dirigens Legatos ſuos ad ſupradictum Principem, nunciavit ei ut libenter eum videre voluiſſet in loco ubicunque ſibi placuiſſet.* Ex hoc textu conſtat nec Stephanum Papam, nec Bernardum Italiæ Regem, ſed Ludovicum Auguſtum ſupremo Romæ dominio tunc potitum eſſe.

Secundò, patet ex Annaliſta Laureshamenſi duos à Stephano Papa directos ad Ludovicum Legatos, *qui quaſi pro ſua conſecratione Imperatori ſug-*

VIII.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

gererent, ſive, ut Aſtronomus in vita Ludovici loquitur, miſſam à Stephano Legationem, *quæ ſuper ordinatione ejus Imperatori ſatisfaceret.* Nec hæc Legatio diverſa fuit ab ea, per quam Stephanus, Thegano teſte, Ludovico ſignificavit, *ut libenter eum videre voluiſſet in loco ubicunque ſibi placuiſſet.* Cave autem ne prædictorum Annaliſtæ & Aſtronomi textus te fallant, atque inde ſuſpiceris jus confirmandorum Summorum Pontificum aliquando penes Francorum Reges fuiſſe. Locutiones enim, quibus hi Scriptores uſi ſunt, Nuncios non niſi poſt Stephani conſecrationem ad Ludovicum directos teſtantur. De libera Romanorum Pontificum electione, quandiu Roma ſub poteſtate Francorum fuit, commodior diſſerendi locus occurret anno ſequenti, cùm Ludovicus Pius Urbem ipſam ac Ducatum Romanum Apoſtolicæ Sedi per inſignem munificentiam largietur. Stephanus Legatos ad Imperatorem miſit, ut eum de ſua promotione amicitiâque certiorem pro antiqua conſuetudine faceret. Ad illum morem, de quo fuſiùs poſt obitum Stephani diſſeremus, alludunt textus ex Annaliſta Laureshamenſi & ex Aſtronomo proximè citati.

IX. ITER QUOQUE SUSCIPIT IN FRANCIAM.

Tertiò, tempus itineris ſuſcepti locúmque congreſſionis Annaliſta Laureshamenſis ſic notat. *Stephanus nondum duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus, quàm maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit miſſis interim duobus Legatis, qui quaſi pro ſuâ conſecratione Imperatori ſuggererent. Quod ubi Imperator audivit, Remis ei occurrere ſtatuit, miſſis obviam iis, qui eum illo deducerent, & adventum ejus præveniens cum magno eum ibidem honore ſuſcepit. Qui ſtatim Imperatori adventûs ſui cauſam inſinuans, celebratis ex more Miſſarum ſolenniis, eum diadematis impoſitione coronavit. Multis deinde inter eos muneribus datis & acceptis, conviviſque opiparè celebratis, & amicitiâ viciſſim firmiſſimo robore conſtitutâ, aliiſque utilitatibus Sanctæ Dei Eccleſiæ pro temporis opportunitate diſpoſitis, Pontifex Romam, Imperator Compendium Palatium petiit.*

X. REMIS SUSCIPITUR A LUDOVICO AUG.

Quartò, Theganus ipſam congreſſionem fuſiùs deſcribit. *Stephanus dirigens Legatos ſuos ad ſupradictum Principem* Ludovicum, *nunciavit ei ut libenter eum videre voluiſſet in loco ubicunque ſibi placuiſſet. Quod audiens, magno tripudio repletus cæpit gaudere, & conſeſtim juſſit Miſſos ſuos obviam ire Sancto Pontifici cum ſalutationibus maximis, & ſervitia præparare. Perrexit poſt Miſſos Dominus Ludowicus obviam ſupradicto Pontifici, obvians ei in campo magno Remenſium. Deſcendit uterque de equo ſuo, & Princeps ſe proſternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertiâ vice erectus, ſalutavit Pontificem iſtis verbis dicens.* [*Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis.*] *Et reſpondit Pontifex.* [*Benedictus ſit Dominus Deus noſter, qui tribuit oculis noſtris ſecundum David Regem videre.*] *Amplexantes enim ſe & oſculantes pacificè perrexerunt ad Eccleſiam, qui cùm diu oraverunt, erexit ſe Pontifex, & excelsâ voce cum Clero ſuo fecit ei laudes Regales. Poſteà Pontifex honoravit eum magnis honoribus & multis, & Reginam Irmingardam, & omnes Optimates & Miniſtros ejus. Et in proxima die Dominica in Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia coram Clero & omni populo conſecravit eum, & unxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & pretioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſupra caput ejus. Et Irmingardam Reginam appellavit Auguſtam, & poſuit coronam auream ſuper caput ejus. Quamdiu ibi erat Beatiſſimus Papa, quotidie colloquium habebant de utilitate Sanctæ Dei Eccleſiæ. Poſt quod Dominus Imperator eum honoravit magnis & innumeris donis tripliciter & ampliùs quàm ſuſcepiſſet ab eo, ſicut ſemper ſolebat agere, magis dare quàm accipere, dimiſit eum ire Romam cum Legatis ſuis, quibus præcepit ubique in itinere ſuo honeſtum exhibere ſervitium.*

EUNDEM LUDOVICUM ET IRMINGARDIM AUGG. CORONAT.

XI. BERNARDUS ITALIÆ REX PAPAM COMITATUR.

Quintò, Aſtronomus peculiaria ſcribit de Bernardo Rege, qui Stephanum Papam comitatus eſt; de Hildebaldo Archiepiſcopo Colonienſi, de Joanne Arelatenſi Metropolita, déque Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo, quos Imperator obviam Papæ direxit; & de Monaſterio Remigiano extra muros

Remenſes, in quo Stephanus à Ludovico ſuſceptus eſt honorificentiſſimè. *Stephanus poſt ſui conſecrationem ad Dominum Imperatorem venire non diſtulit. Vix enim duobus exactis menſibus ſumma cum feſtinatione ei occurrere feſtinavit. Præmiſit tamen Legationem, quæ ſuper ordinatione ejus Imperatori ſatisfaceret. Imperator autem ejus adventu præcognito, Bernardo quidem nepoti eum comitari juſſit. Sed & adpropinquanti alios Miſſos, qui eum debito honore perducerent, direxit. Ipſe autem adventum ejus Remis ſuſtinere ſtatuit. Cui etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum Sacri Palatii, Theodulphum Epiſcopum Aurelianenſem, Joannem Arelatenſem, aliorúmque Miniſtrorum Eccleſiæ copiam, procedere juſſit, Infulis indutos Sacerdotalibus. Ad ultimum Imperator miliario proceſſit à Monaſterio Sancti Confeſſoris Remigii, & tanquam Beati Petri Vicarium honeſtiſſimè ſuſcepit, deſcendentem ex equo excepit, & Eccleſiam intrantem manu propriâ ſuſtentavit, præcinentibus pro tanta exultatione variis Eccleſiæ Ordinibus, Te Deum laudamus, & reliqua. Quo Hymno finito, laudes Imperatori debitas Clerus Romanus conclamavit, quarum finem Dominus Apoſtolicus oratione complevit. His expletis, intra domûs penetralia conceſſum eſt, expoſitiſque cauſis ſui adventûs, & benedictione panis ac vini ſimul participatâ, Imperator ad civitatem rediit, Dominus Apoſtolicus ibidem remanſit. Sed in craſtinum Dominus Imperator Dominum Apoſtolicum evocavit, convivio opulentiſſimo procuravit, doniſque maximis honoravit. Similitérque die tertio à Domino Apoſtolico Dominus invitatur Imperator, & multis variiſque eſt donatus muneribus. Et in craſtinum, quæ fuit dies Dominica, Imperator Imperiali Diademate coronatur, & benedictione inter Miſſarum celebrationes inſignitur. Et tandem his completis, Dominus Apoſtolicus, cunctis quæ popoſcerat impetratis, Romam rediit. Imperator verò ad Compendium ſeceſſit.*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2. MULTI PRÆSULES OBVIAM MISSI.

XII. EBBO ARCHIEP. REMENSIS,

Tunc Archiepiſcopus Remenſis & Abbas Remigianus erat Ebo. *Hic Ebo Præſul*, inquit Flodoardus [a] in Hiſtoria Remenſi, *ſuprà memoratum Papam Stephanum cum Ludovico Rege Remis ſuſcepit, poſtquàm Rex idem Sclavos in Oriente poſitos directo devicit & oppreſſit exercitu. Quando præfatus Papa Stephanus, qui tunc Leoni ſucceſſerat, Legatos ſuos ad eumdem Principem deſtinans, intimavit ei, quòd libenter eum videre vellet in loco, ubicunque ipſi placuiſſet.* Plura hîc ex Flodoardo non deſcribemus, quia quæ ſequuntur, ad verbum penè ſumpta ſunt ex Thegano. Per illam ætatem, ut non ſemel obſervavimus, iidem Abbates erant Remigiani, qui Remenſes Metropolitæ. Ipſúmmet Ebonem Ludovicus Auguſtus in ſuo Diplomate talem ſic commendat. *Ebo venerabilis Archiepiſcopus Remenſis Eccleſiæ, & Reverentiſſimæ Sedis Sancti Remigii, glorioſiſſimi Pontificis & ſpecialis Patroni noſtri, Præſul Clementiæ noſtræ innotuit.*

[a] Lib. 2. c. 19.

XIII. VULFARII SUCCESSOR.

Porrò, cùm in congreſſione Stephani Papæ & Ludovici Auguſti nulla Vulfarii Remenſis Metropolitæ mentio fiat, facilè credimus hunc priùs obiiſſe, quàm Stephanus Remos pervenerit. Adſtipulari non poſſumus iis, qui Vulfarium anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo Romam Paſchale Pontifice profectum, annóque Redemptoris octingenteſimo viceſimo - ſecundo mortuum contendunt. Hallucinari quoque putamus eos, qui Vulfario ægrotanti & annoſo Ebonem Suffraganeum ſeu Chorepiſcopum datum volunt, atque ab eodem Ebone Chorepiſcopo Ludovicum Auguſtum & Stephanum Quintum Papam Remis hoc anno ſuſceptos affirmant. Inter varias opiniones, quæ mortem Vulfarii diverſis annis conſignant, ea nobis ut & Guilelmo Marloto [b] præcipuè placet, quæ ceteris annum hunc Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum jure præponendum ſuadet. Sedit igitur annos tantùm quatuordecim, nec ætatem attigiſſe videtur adeò provectam, ut propter ejus ſenectutem Ebonem Chorepiſcopum ordinatum arbitremur. *Animam Deo virtutibus plenam reddidit 15. Calend. Septemb. ut eſt in Necrologio Rem. Eccleſiæ.* Migravit ex hac vita Leo Tertius Papa pridie Idus Junii, decimo pòſt die ſubrogatus Stephanus Quintus. Hic *ſtatim poſtquàm*

[b] Lib. 3. c. 18.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

Pontificatum ſuſcepit, per Legatos Ludovico ſignificavit, *ut libenter eum videre voluiſſet in loco ubicunque ſibi placuiſſet.* Itineri ſe commiſit *nondum duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus* ut Annaliſta Laureshamenſis loquitur, aut *vix duobus exactis menſibus* ut Aſtronomus ſcribit, id eſt, menſe Auguſto. Ludovicus autem, audito Papæ Nuncio, quamprimùm diſceſſit Aquiſgrano, Remóſque venit Vulfario tunc ægrotante mortique proximo. Carolus Calvus id in ſuis ad Nicolaum Papam literis [a] ita teſtatur. *Poſt obitum divæ recordationis avi noſtri Karoli Excellentiſſimi Imperatoris genitor noſter Hludovicus Piiſſimus Auguſtus, Deo donante, paternum adeptus Imperium, Remorum venit ad urbem, ubi prædeceſſor veſter ſanctæ memoriæ Stephanus Summus Pontifex ei obviam venit, atque in Imperii honorem cum Deo inſpirante conſecravit. Eo tempore Vulfarius præfatæ urbis Venerabilis Archiepiſcopus validâ vexabatur infirmitate, quâ & mortuus eſt.* Hic textus tria complectitur temporibus valdè diſtincta, mortem Caroli Imperatoris, Ludovici Auguſti adventum in urbem Remenſem, ejuſdem Ludovici Imperatoris coronationem ibidem factam à Stephano Papa. Vitam clauſit Carolus quinto Kalendas Februarias anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto. Ludovicus Remos adiit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, menſe Julio exeunte, Stephanus autem illuc haud antè pervenit, quàm September ad finem vergeret, paucos enim dies, ut ex prædictis liquet, Remis cum Ludovico moratus Italiam repetiit, &, ut Annaliſta Laureshamenſis ad annum ſequentem ſcribit, *tertio, poſtquàm Romam venerat, menſe, ſed nondum exacto, circiter* VIII *Kal. Feb. diem obiit.* Carolinarum igitur literarum, quas ſuprà citavimus, hic eſt ſenſus. Ludovicus, qui poſt Caroli patris mortem paternum Imperium adeptus eſt, Remos poſt biennium venit, ibique à Stephano Papa, cujus adventum per duos circiter menſes expectavit, coronatus eſt Imperator. Eo verò tempore, quo Remos ingreſſus eſt, Vulfarius illius civitatis Archiepiſcopus validâ vexabatur infirmitate, quâ & mortuus eſt decimo-quinto Kalendas Septembres. Ejus elogium ſic clauſit Flodoardus [b]. *Quaſdam villas Eccleſiæ Remenſis ritè diſtributis atque deſcriptis ordinavit coloniis. Sed & res Eccleſiæ aliquas mancipiáque cum perſonis quibuſdam pro partium commutavit opportunitate. De theſauris etiam Sanctæ Mariæ ac Sancti Remigii nonnulla cum teſtimonio virorum illuſtrium tam Clericorum quàm laicorum mutavit, & ornamenta vel vaſa Eccleſiaſtica exinde, prout dignum ſibi viſum fuit, fabricari fecit. Eundi denique Romam causâ orationis ad Sanctum Petrum licentiam ab Imperatore ſe accepiſſe in quadam ſua deſignat epiſtola, ſed utrùm ierit, certum non habemus. Reditus autem villarum quarundam Eccleſiæ in eleemoſyna probabiliter, pro ſui corporis & animæ ſalute, diſtributi quibuſdam adhuc deſcriptionibus tunc factis leguntur. In quibus inveniuntur inter Termidum, Grandem-pratum, Vindicum, Furvillam, Gramadum, Pidum, Cadevellum, & Cortem Magnaldi, in diſtributione eleemoſynæ, de annona modii* MDCCCCLXXV, *de animalibus inter majora & minora capita* CLXVII. *Item inter villas, Fagum, ſive Boleticum, & alias quaſdam, annonæ modii* MLII, *vini modii* LXIV, *ſalis modii* V, *cum diverſis animalibus, & aliis variis rebus expenſa. Ad opus quoque fratrum Orbacenſis Cœnobii quantùm ſufficeret eis. Unde datur intelligi, in majoribus quoque locis multò tunc plura fuiſſe diſpenſata. Immunitatis quoque Præceptum ab Imperatore Ludovico ſecundùm præceptionem Caroli Auguſti patris ipſius, Eccleſiæ Remenſi Monaſterióque Sancti Remigii obtinuit.*

[a] Tom. 3. Conc. Gall.

[b] Lib. 2. c. 18.

XIV. Quæ Vulfarii mortem ſecuta ſunt, Carolus Calvus in literis jam citatis ita perſequitur. *Eo autem*, nempe Vulfario, *defuncto, & ab Imperatore, ſecundùm ſacrorum Canonum inſtitutionem, plebi electione conceſſâ, contigit eos quendam virum, Giſlemarum nomine, ad Pontificatûs honorem elegiſſe. Qui dum ante Epiſcopos diſcutiendus adſediſſet, oblatus eſt ei textus Evangelicus. Cum autem ipſum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes piriter cognoviſſent, reprobatus ac velut inſipiens ab omnibus eſt dejectus. Tunc verò Domno Imperatori*

Digitized by Google

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

tori viſum eſt ut præfatus Ebo pro ſcientiæ capacitate meritorúmque reverentia ad jam dictum promoveretur Epiſcopatum. Quod cùm plebi atque omnibus ſanè ſapientibus eſſet relatum, placere ſibi omnes adfirmavere: ac ſic ſecundùm canonicam inſtitutionem eſt Archiepiſcopus ordinatus. Archiepiſcopatum jam gerebat, cùm Stephanus Remos acceſſit, ut dictum ſuprà. Pinnaculum Eccleſiæ Metropolitanæ talem in Hiſtoria Remenſi [a] præmonſtrat titulum perſonis & imaginibus Stephani Papæ ac Ludovici Imperatoris inſignitum.

Ludovicus Cæſar factus coronante Stephano
Hac in Sede Papâ magno: tunc & Ebo Pontifex
Fundamenta renovavit cuncta loci iſtius,
Urbis jura ſibi ſubdens Præſul auxit omnia.

[a] Flod. l. 2. c. 19.

Ebonis primordia, priuſquàm Archiepiſcopus fieret, ſic perſtringit Carolus Calvus in literis jam laudatis. *Ipſe Ebo Regii fiſci familiâ oriundo progreſſus, Regiâ pietate Pii ac Glorioſi avi noſtri Karoli ſuſceptus, Palatinis negotiis non mediocriter adnutritus, libertate donatus, ob nobilitatem vehementis ingenii, in ſacris ordinibus gradatim promotus, genitori noſtro Hludovico Piiſſimo Auguſto, Aquitanicum Regnum regenti, ab eodem Glorioſo eſt ad ſerviendum deputatus. Quem ipſe ſervitio ſtrenuum ingenióque agilem comperiens, non poſt multùm temporis Bibliothecarium conſtituit.* Apud Flodoardum [b] prædicatur *Ebo vir induſtrius & liberalibus diſciplinis eruditus, patriâ Tranſrhenenſis ac Germanicus, Imperatoris, ut fertur, Ludowici collactaneus & conſcholaſticus.* Erat Eboni mater, nomine Himiltrudis, quæ Remis per annos fermè decem cum filio permanſit, ut conſtat ex ejus epitaphio quod ſuo loco recitabimus.

[b] Lib. 2. c. 19.

XV.

XVI. PRÆCEPTUM OBTINET A Ludovico Aug. PRO SUA ECCLESIA.

Cupiens præfatus Pontifex Ebo domum Eccleſiæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ diuturnâ penè lapſabundam vetuſtate reparare, petiit à præmiſſo Imperatore Ludovico ad renovandam & amplificandam eandem Baſilicam murum civitatis ſibi concedi. Quod idem Princeps quietiſſimâ pace fruens, & Imperii præclariſſimâ pietate ſubnixus, nullas barbarorum metuens incurſiones, nequaquam refutavit, ſed benigniſſimè ob amorem Dei & ipſius almæ genitricis honorem conceſſit, atque juſſionis ſuæ monimento fieri delegavit, hujuſmodi ſuper hoc ſuæ dans Præceptionis decreta, hoc ut admodum probabile videtur anno, priuſquàm Compendium proficiſceretur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si locis venerabilibus ea, quæ exinde à prædeceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus ad rei publicæ uſus exigebantur, religioſâ liberalitate in utilitatibus & neceſſitatibus eorundem ſanctorum locorum expendendis remittimus, & fidelium noſtrorum ſaluberrimis pro hac eadem re ſuggeſtionibus ac petitionibus benignum commodamus aſſenſum, maximum & animæ noſtræ & Regi ac Regno providemus conſultum, quia nihil cernitur rei publicæ imminutum, quicquid ex eadem re publica piis actibus, & locis religioſis, ac Eccleſiarum Dei utilitatibus ſeu ſervorum Dei fuerit commoditati indultum. Quapropter notum eſſe volumus omnibus Dei fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris; præcipuè quoque ſucceſſoribus noſtris in poteſtatis culmine, in quo ſumus auctore Domino conſtituti, ab eodem Dominorum Domino conſtituendis, quia Ebo Venerabilis Archiepiſcopus Remenſis Eccleſiæ, & Reverentiſſimæ Sedis Sancti Remigii Glorioſiſſimi Pontificis & ſpecialis Patroni noſtri Præſul, Clementiæ noſtræ innotuit, quia vetuſtatis ſenio contrita jam dictæ Metropolis urbis ſancta mater noſtra Eccleſia, in honore ſanctæ ſempérque Virginis ac Genitricis Mariæ conſtructa, exiſteret. In qua auctore Deo & cooperatore Sancto Remigio gens noſtra Francorum cum æquivoco noſtro Rege ejuſdem gentis, ſacri fontis Baptiſmate ablui, ac ſeptiformis Spiritûs Sancti gratiâ illuſtrari promeruit; ſed & ipſe Rex Nobiliſſimus ad Regiam poteſtatem perungi Dei Clementiâ dignus inventus eſt. Ubi etiam & nos per manus Domni Stephani Romani Summi Pontificis ad nomen & poteſtatem Imperialem coronari meruimus. Quam pro tantis beneficiis nobis ibidem à Deo collatis renovare cupientes, & ad id exequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus, & ad cetera quæque pro ſervorum Dei*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

ibidem degentium neceſsitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipſius civitatis, & omnem operam cum cunctis impendiis, quæ ex rebus & facultatibus ipſius Eccleſiæ & Epiſcopatûs Remenſis Aquis Palatio noſtro Regio peragi & exolvi ſolitum fuerat, in eleemoſyna videlicet noſtra & pro remedio animæ Domni ac genitoris noſtri atque ceterorum prædeceſſorum noſtrorum, qui eundem Epiſcopatum contra ſalutem ſuam aliquandiu tenuerant, & in ſuos uſus contra Eccleſiaſticas Regulas res ac facultates Eccleſiæ ipſius expenderant, & ob hoc minùs quàm debuerat utilitatis ſacris locis in eodem Epiſcopatu conſtitutis exinde provenerat. Volumus etiam ut vaſalli, & quicunque fideles noſtri ex rebus ejuſdem Epiſcopatûs aliquid habent, eidem operi inſerviant, ſicut conſtitutum eſt à bonæ memoriæ Domno & genitore noſtro; & ſicut decretum eſt à piæ recordationis Domno & avo noſtro Pippino, decimas & nonas eidem Eccleſiæ Sanctæ ex rebus, quas inde habent, perſolvant. Vias etiam publicas omnes, quæ circa eandem Eccleſiam vadunt, & impedimento eſſe poſſunt ad clauſtra & ſervorum Dei habitacula conſtruenda, ut transferri atque immutari poſſint, concedimus. Et, ſi aliquid ibi de fiſco noſtro habetur, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum perpetuò æquè concedimus, ut nullus Judex, Comes, aut Miſſus, ſive aliquis ex judiciaria poteſtate, ullam inde eidem Sanctæ Dei prædictæ Remenſi Eccleſiæ inquietudinem, aut ullum calumniæ impedimentum inferre unquam præſumat. Obſecrantes ſucceſſores noſtros, ut ſalutis ſuæ memores, præſentis ſcilicet & æternæ; memores etiam beneficiorum, quæ nobis & genti noſtræ ac prædeceſſoribus noſtris in eodem ſancto loco per beatum Remigium meritis Sanctæ Mariæ collata ſunt, ſicut ſua benè geſta à ſuis ſucceſſoribus conſervari voluerint; ita quæ pro amore Dei & ſanctæ ejus Genitricis ac beati Protectoris noſtri Remigii ſæpè fato ſancto loco contulimus, perpetuò inviolabiliter conſervare procurent. Et, ut hæc noſtra conceſſionis auctoritas per futura tempora in Dei Nomine pleniorem obtineat firmitatis vigorem, anuli noſtri impreſſione ſubterſignari decrevimus. Huc uſque quod apud Flodoardum [a] habetur & à nobis non ſemel allegatum eſt Ludovici Pii Diploma.

[a] Lib. 2. c. 19.

XVII. Tomo primo [b] diſputavimus, utrùm Eccleſiæ Sancti Martini, an Eccleſiæ Metropoli Sanctæ Mariæ conjungeretur Baptiſterium, in quo baptizatus eſt Clodoveus Magnus. Stetimus pro prælaudato Ludovici Pii Diplomate, quocum literas conciliavimus Nicetii Trevirenſis Epiſcopi, quas plerique contrariæ opinioni multùm favere fruſtrà ſuſpicantur. Locum illum adi. Lege & Tomo ſexto [c], quæ de Remenſi Epiſcopio déque villa Novilliaco poſt Tilpini Remenſis Metropolitæ mortem retulimus, partim ex Notitia de eadem villa, partim ex Ludovici Pii Diplomate ſuprà deſcripto. Nihil horum repetemus. At quod nec Annaliſta Laureshamenſis, nec Theganus, nec Aſtronomus, nec Anaſtaſius obſervavit, ex eadem Charta notandum atque explicandum videtur, nempe Ludovicum à Stephano Papa coronatum eſſe Imperatorem in Metropolitana Remorum Baſilica, in qua Clodoveus à Sancto Remigio unctus in Regem olim fuerat. *In qua*, inquit Ludovicus, *auctore Deo & cooperatore Sancto Remigio gens noſtra Francorum cum æquivoco noſtro Rege ejuſdem gentis, ſacri fontis Baptiſmate ablui, ac ſeptiformis Spiritûs Sancti gratiâ illuſtrari promeruit; ſed & ipſe Rex Nobiliſſimus ad Regiam poteſtatem perungi Dei Clementiâ dignus inventus fuit. Ubi etiam & nos divinâ dignatione per manus Domni Stephani Romani Summi Pontificis, ad nomen & poteſtatem Imperialem coronari meruimus.*

[b] Ad an. 496. n. 13. & ſeqq.

[c] Ad an. 800. n. 91.

XVIII. Nonnulli cùm ex hoc textu, in quo Ludovicus ſe, *per manus Domni Stephani Romani Summi Pontificis, ad nomen & poteſtatem Imperialem* coronatum dicit, tum ex Thegano & Flodoardo ſubtiliùs ratiocinantur, negántque Ludovicum Imperatorem & Auguſtum priùs appellatum fuiſſe, quàm Remis à Stephano Papa coronaretur Imperator, quia Princeps ante illam coronationem vocatur à Thegano, capitibus, decimo, decimo-tertio, & decimo-ſexto, Imperator verò poſt eandem coronationem in reliquo nomi-

Digitized by Google

natur opere; & apud Flodoardum Ebo *Papam Stephanum cum Ludovico Rege Remis* ſuſcepiſſe dicitur. Romanus quidem Pontifex Remis Ludovicum Imperatorem coronavit, ſed ei, per Diadematis impoſitionem, nec nomen nec poteſtatem Imperialem contulit. Et Ludovicus, cùm ſe coronatum ait Remis *ad nomen & poteſtatem Imperialem*, non ſignificat à Papa ſibi collatum Imperatoris titulum quem antèà non haberet, ſed Metropolitanam Remorum Baſilicam commendaturus obſervat in ea ut quondam Clodoveo ſic & ſibi nuperrimè rem valdè memorabilem ac planè ſimilem contigiſſe, ibidem enim Clodoveus in Regem ſive *ad Regiam poteſtatem* unctus eſt à Sancto Remigio, ipſe verò Ludovicus in Imperatorem ſive *ad nomen & poteſtatem Imperialem* coronatus eſt à Stephano Papa. Quemadmodum autem Clodoveus, cùm unctus eſt in Regem à Beato Remigio, Rex Francorum erat à multis annis; ita Ludovicus, antequàm Imperator à Stephano Pontifice coronaretur, Imperatoris & Auguſti nomen à Carolo patre ſibi collatum gerebat. De Clodoveo nulla difficultas. In Regnum Childerico patri ſucceſſit anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-primo, nec unctus eſt in Regem à Sancto Remigio ante annum Chriſti quadringenteſimum nonageſimum-ſextum, ut probatum eſt Tomo primo. De Ludovico quoque patet. A Romano Pontifice coronatus eſt Remis Imperator anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, ſed annum tunc Imperii tertium jam numerabat, utpote conſors Imperialis nominis à Carolo patre factus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio. Coætanei Scriptores ea de re conſulendi. Qui tunc vivebat Auctor Annalium plebeiorum, ſic ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium ſcripſit. *Imperator* Carolus *evocatum ad ſe apud Aquaſgrani filium ſuum Ludovicum Aquitaniæ Regem, coronam illi impoſuit, & Imperialis nominis ſibi conſortem fecit.* Ad eundem annum ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Imperator evocatum ad ſe apud Aquaſgrani filium ſuum Ludovicum Aquitaniæ Regem excipiens, coronam illi impoſuit, & Imperialis nominis ſibi conſortem fecit.* Ad eundem quoque annum Chronographus Moiſſiacenſis. *Karolus, cum conſenſu & acclamatione omnium populorum, Ludovicum filium conſtituit Imperatorem ſecum, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus, VIVAT IMPERATOR LUDOVICUS.* Et Aſtronomus in vita Ludovici Pii. *Imperator Carolus miſit ad filium, eúmque ab Aquitania evocavit. Quem venientem clementer ſuſcepit, totâ æſtate ſecum tenuit, & tandem Imperiali eum Diademate coronavit.* Lege & caput ſextum Thegani, qui ceteris fuſiùs ac diſtinctiùs explicuit, quomodo Carolus Imperator *nomen ſuum, id eſt, Imperatoris, filio ſuo Ludewico* tradidit. Pluribus non opus eſt auctoritatibus. Ipſemet Ludovicus in Charta, quam Joannes Beſlius ex Tabulario Sancti Severini Burdegalenſis in Tractatu de Regibus Aquitaniæ publicavit, annum Imperii ſui primum per menſem Julium cum Indictione ſeptima, id eſt, cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto ſic compoſuit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit &c. Dat. 5 Idus Julii, anno 1, Chriſto propitio, Imperii noſtri, Indictione 7. Actum Aquiſgrani Palatio Regio.* Item in alia Charta, quam idem Auctor ibidem ex Tabulario Lemovicenſi vulgavit, annum Imperii ſui quartum per menſem quoque Julium cum Indictione decima, id eſt, cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo ſic conjunxit. *In Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si petitionibus &c. Data 17 Kalendas Auguſti, anno, Chriſto propitio, 4 Imperii Domini Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione 10. Actum Aquiſgrani Palatio Regio.* Occurrent & aliæ Chartæ non paucæ, quarum Characteres in eandem Chronologiam conſpirabunt. Hæ ſufficiant, ut intelligas Imperium Ludovici non eſſe ſumendum à die, quo Remis à Stephano Papa coronatus eſt Imperaror, ſed vel à die quo conſors Imperii

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

factus est à Carolo patre, vel à die quo solus post eundem Carolum patrem imperare cœpit, ita ut annus primus Ludovici Augusti cum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto rectè comparetur.

Stephanus Papa Remis Romam reversus *fecit ordinationem in mense Decembrio, Presbyteros novem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero quinque*, ut habet Anastasius. Priùs autem quam Remis egrederetur, Pallium Theodulpho Aurelianensi Episcopo tribuit, unde illud dictichon ejusdem Theodulphi in Carmine [a] ad Modoïnum Episcopum Augustodunensem.

XIX. THEODULPHUS EP. AURELIAN.

Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi Pallia sancta manu.

[a] Lib. 4. Carm. 5.

Pallium Archiepiscopis tribui propriè solet. Rarò concessum legitur Episcopis qui non essent Metropolitani. Non desunt tamen exempla, quibus id ante & post Theodulphi tempora factum probetur. Hoc decus præter usitatum morem Theodulpho collatum videtur, quia jussu Imperatoris obviam Papæ cum duobus Archiepiscopis Hildebaldo Colonienſi & Joanni Arelatensi processerat. Accepto Pallio deinceps Archiepiscopus Aurelianensis dictus est. Testes sunt tres Ludovici Pii Chartæ. Prima sic habet. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus* *. *Cùm petitionibus Sacerdotum justis & rationabilibus divini cultûs favemus, supernâ nos gratiâ muniri non ambigimus. Notum sit igitur omnibus fidelibus* * *Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, tam & præsentibus quàm & futuris, quia detulit nobis Venerabilis Vir Theodulphus Aurelianensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Abbas Monasterii Sancti Aniani Confessoris, ubi ipse Sanctus requiescit, quod est constructum in suburbio ipsius civitatis, auctoritates Immunitatis, Avi videlicet nostri Pippini quondam Regis, seu Domini & Genitoris nostri bonæ memoriæ Karoli Piissimi Augusti, in quibus erat insertum, quòd sive ipsi, sive antecessores eorum, Reges videlicet Francorum, præfatum Monasterium cum rebus & omnibus ad se pertinentibus vel respicientibus sub tuitione & defensione sua habuissent* *; *& eorum Immunitatibus, auctoritatum ac Judiciariæ potestatis inquietudine defensum & munitum fuisset, ob rei tamen firmitatem postulavit nobis præfatus Episcopus, ut in amore Dei & reverentia ipsius Sancti, amorem paternum ac prædecessorum nostrorum morem sequentes, Immunitatis nostræ Præceptum circa ipsum sanctum locum fieri decerneremus, & præfatas auctoritates nostrâ auctoritate confirmaremus. Quapropter præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, aut quilibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in Ecclesiis aut locis aut agris, seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter in quibuslibet pagis ac territoriis infra ditionem Imperii nostri Rectores præfati Monasterii possident, nec in eas quas demùm in jure & potestate ipsius sancti loci divina augeri voluerit pietas, ad causas audiendas vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii supra terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas* * *redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Abbati suisque successoribus res prædicti Monasterii sub Immunitatis nostræ tuitione quieto ordine* * *possidere, & nostro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate nostra, seu conjugis ac prolis, vel stabilitate totius nobis conlati Regni, per immensum ejus largissimâ miseratione conservandi, unà cum Congregatione Canonicorum in eodem Monasterio Deo famulantium jugiter Dei misericordiam exorare, & quidquid de rebus præfati Monasterii fiscus exigere poterat, præfato Monasterio ejúsque Congregationi concessimus, ut eis, ad divinum servitium peragendum, augmentum vel supplementum fiat. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconcussa manere, eam manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione eam subter sigillari jussimus.* Altera, sic. *In Nomine Domini*

XX. PALLIO DONATUR A STEPHANO PP.

LUDOVICUS IMP. DAT PRÆCEPTA PRO MON. S. ANIANI,

* Edit. *Magnificus*

* Edit. *fratribus*

* Edit. *habuisset*

* Edit. *illas*

* Edit. *ordine, suo & nostro*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

*Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit cunctis fidelibus Chriſti, quia Vir Venerabilis Theodulfus Aurelianenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & Abbas Monaſterii Sancti Aniani detulit nobis auctoritatem Præceptionis Domini & Genitoris noſtri Karoli, in qua continebatur inſertum, quòd Avus noſter Pippinus Rex conceſſiſſet eidem Monaſterio Teloneum de ſex navibus, quæ per Ligeris flumen ſeu per cetera flumina propter ſal & cetera commercia diſcurrebant, necnon & de carris & ceteris vehiculis ſaginariis neceſſaria ipſius Monaſterii vel Congregationis ibi Deo famulantis deferentibus, & de omnibus locis undecunque Teloneum exigere poterat, pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit à nobis præfatus Archiepiſcopus, ut paternum ſeu prædeceſſorum noſtrorum morem ſequentes hujuſmodi auctoritatem eidem Monaſterio concederemus vel confirmaremus. Cujus precibus ob amorem Dei & venerationem Sancti Aniani annuere, & hoc noſtrum Præceptum firmitatis gratiâ circa ipſum Monaſterium fieri libnit *, per quod jubemus & præcipimus, ut nemo fidelium noſtrorum, nec quilibet exactor Judiciariæ poteſtatis, de carris vel ſaginariis, molendinis, vel ceteris vehiculis, ſeu villis ipſius Monaſterii, vel de quolibet commercio, unde videlicet fiſcus Teloneum exigere poteſt, illum Teloneum accipere vel exigere; ſuper naves verò ſex quæ ſive per Ligerim flumen, ſive per cetera flumina, infra ditionem Imperii noſtri, ob utilitatem & neceſſitatem Monaſterii ubicunque velint diſcurrere, nullus Teloneum, aut ripaticum, aut pontaticum, aut ſaltuaticum *, aut ceſpitaticum, aut cenaticum, aut paſtionem *, aut landaticum, aut pulveraticum, aut ullum occurſum, vel cenſum, aut redhibitionem accipere vel exigere præſumat, ſed licitum ſit abſque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc noſtram auctoritatem naves & homines qui eas providere debent, cum his quæ deferunt, per Imperium noſtrum liberè atque ſecurè ire atque redire. Has itaque Immunitates & Præcepta Regum infrà ſuprâque conſcripta, quamvis ſatis perpetuo jure teneant ſupradicti Canonici firmâ traditione ſubnixa, ob rei firmiorem ſtabilitatis & memoriæ certitudinem, hoc noſtræ Regalis auctoritatis ſcriptum ipſis Canonicis contra omnes emulorum latratus & inſidias, ob amorem Dei & reverentiam Sancti Confeſſoris Chriſti Aniani concedimus, ut illis liceat quieto ordine canonicè Deo & Sancto Aniano devotè ſervire, & illis placeat, pro incolumitate noſtra & noſtræ conjugis & prolis, Dominum deprecari. Propter quod præcipimus atque jubemus, ut nullus futurorum Abbatum aut Judex de omnibus, quæ ad prædictas res Canonicorum pertinent, auferre aut immutare præſumat, ſed ſicut alii Reges firmando ſanxerunt, ita etiam noſtris futuriſque temporibus ſtabile in perpetuum teneatur, inconcuſſúmque ſervetur, manu propriâ ſubter illud firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus.* Tertia, ſic. *In Nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & neceſſitates Eccleſiaſticas ad petitiones Sacerdotum noſtro relevamus juvamine, atque Imperiali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Noverit interea ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorúmque tam præſentium quàm & futurorum, quia Vir Venerabilis Theodulfus Aurelianenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus obtulit obtutibus noſtris auctoritatem Domni & Genitoris noſtri bonæ memoriæ Karoli Piiſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, quòd idem Genitor noſter & prædeceſſores ejus, Reges videlicet Francorum, Eccleſiam ſanctæ Crucis, cui, auctore Deo, ipſe Theodulfus prælatus eſt, ſub ſuo munimine & defenſione conſiſtere feciſſent, & eorum Immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine Judiciariæ poteſtatis eadem munita atque defenſa fuiſſet Eccleſia. Ob rei tamen firmitatem poſtulavit nobis idem Theodulfus Epiſcopus, ut paternum morem ſequentes, noſtræ Immunitatis Præceptum eidem fieri cenſeremus Eccleſiæ. Cujus petitioni libenter adnuimus, & hoc noſtræ Immunitatis Præceptum pro divini cultûs amore & animæ noſtræ remedio erga ipſam ſanctam Sedem fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus ut*

* Edit. annuimus

* Edit. ſalictaticum

* Edit. paſtitionem

PRO ECCLESIA AURELIANENSI,

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

nullus Judex publicus, vel quilibet ex Judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quàm & futuris, in Eccleſias, aut loca, aut agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis vel territoriis infra ditionem Imperii noſtri juſtè & legaliter memorata tenet vel poſſidet Eccleſia, nec in eas res, quæ deinceps à Catholicis viris eidem conlatæ fuerint Eccleſiæ, ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos ſuper terras ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ ſuprà memorata ſunt, exigere penitus præſumat. Sed liceat præfato Præſuli ſuiſque ſucceſſoribus res prædictæ Eccleſiæ cum Cellulis ſibi ſubjectis & rebus vel hominibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, ſub tuitionis atque immunitatis noſtræ defenſione, remotâ totius Judiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ac libero ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate noſtra, conjugis, ac prolis, ſeu etiam totius Imperii à Deo nobis collati ejuſque clementiſſimâ miſeratione per immenſum conſervandi ſtabilitate, unà cum Clero & populo ſibi ſubjecto, Dei immenſam Clementiam jugiter exorare. Et quicquid de præfatæ rebus Eccleſiæ jus fiſci exigere poterat, in integrum eidem conceſimus Eccleſiæ; ſcilicet ut perpetuo tempore in eodem loco Deo famulantibus, ad peragendum Dei ſervitium, augmentum & ſupplementum ſit. Hanc verò auctoritatem, ut plenioremin Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris per diuturna tempora diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Illarum Chartarum una & altera ex Tabulario Sancti Aniani publicatæ ſunt inter probationes [a], quibus Hiſtoriam Aurelianenſis Eccleſiæ Sancti Aniani confirmavit Hubertus ejuſdem Eccleſiæ Præcentor & Canonicus; tertia ex Aurelianenſis Eccleſiæ Chartulario deſcripta legitur inter Acta [b] vetera, quæ Stephanus Baluzius ſuis ad Capitularia Notis adjecit.

[a] Lib. 3. c. 3.

[b] Act. 30.

XXI.

Ludovicus Imperator, ut probatum ſuprà [c], Remis jam verſabatur decimo-quinto Kalendas Septembris, quo die Vulfarius Remenſis Archiepiſcopus è vita migravit. Stephano Papâ reditum in Italiam aggreſſo, Salmuntiacum in agro Laudunenſi, deinde Compendium in pago Sueſſionenſi petiit, &, ut Annaliſta Laureshamenſis ſubjungit, *completis ibi* XX *vel eo amplius diebus, Aquaſgrani ad hyemandum profectus eſt.* Sammarthani de *Fridugiſo ſeu Fridigiſo Sancti Martini & Cormeriaci poſt Alcuinum Abbate* ſcribunt in Abbatibus Sam-Martinianis [d], quòd *ejus petitione Ludovicus Privilegia deceſſorum Regum rata habuit Elizachare ſubſcripto 3 Calend. Septemb. an. 3 Imperii.* Ipſum Ludovici Diploma Stephanus Baluzius inter Acta [e] vetera poſt Notas ad Capitularia publicavit integrum ex Chartulario Sam-Martiniano cum numeris hiſce Chronologicis. *Data* III *Kalend. Septembris, anno, Chriſto propitio,* III *Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* X. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* At inter ſe pugnant hi Characteres, nam tertio Kalendas Septembris, anno Ludovici Auguſti tertio non decima ſed nona currebat Indictio. Quæſtio eſt utrùm nævus in decimam Indictionem, an in annum tertium Imperii Ludoviciani cadat. Totam adimit controverſiam locus, ubi datum Diploma, Ludovicus enim tertio Kalendas Septembris, anno Imperii ſui tertio, Indictione nonâ, Remis morabatur; Aquiſgrani verò degebat tertio Kalendas Septembris, anno Imperii ſui quarto, Indictione decimâ. Quapropter die, Indictione, ac loco, in Præcepti ſubſcriptione ſervatis, ſolum annum Imperii corrigendum, ac tertii loco reponendum arbitramur quartum, qui tertio Kalendas Septembris cum Indictione decima & anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo componatur. Illud igitur Diploma pro Monaſteriis Sam-Martiniano & Cormaricenſi, ne Chronologia turbetur, in annum ſequentem rejiciemus. Interim aliud occurrit examinandum, quod hoc anno, decimo

[c] Hoc an. n. 13.

[d] In Abb. 10.

[e] Act. 31.

PRO ECCLESIA ANDEGAVENSI.

Digitized by Google

Kalendas Novembris, Indictione decimâ jam inchoatâ, Ludovicus Imperator apud Salmunciacum pro Eccleſia dedit Andegavenſi. Deſcribitur integrum in Gallia Chriſtiana [a]. Simillimum eſt alteri proximè recitato, quod ad Eccleſiam ſpectat Aurelianenſem. In utriuſque contextu præter Epiſcoporum & Eccleſiarum nomina nihil intercedit diſcriminis. In Aurelianenſi Præcepto laudatur *Theodulfus Aurelianenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, & Imperator Eccleſiam, cui Theodulfus præeſt, *Eccleſiam Sanctæ Crucis* appellat. In Andegavenſi Præcepto commendatur *Benedictus Andegavenſium civitatis Præſul*, & Imperator Eccleſiam, cui Benedictus Epiſcopus præſidet, *Eccleſiam Sancti Mauricii vocat*, Aurelianenſe Præceptum Chronologicis deſtituitur Characteribus, his verò munitur Andegavenſe. *Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Eliſachar recognovit. Data* X *Calen. Novemb. anno, Chriſto propitio ..... Imperii Dom. Hludovici Sereniſſimi Imperatoris, Indict. 10. Actum Salmunciaco Palatio in Dei Nomine feliciter.* Annus quidem Ludovici Auguſti reticetur, atque in controverſiam vocari poteſt, ſed decimo Kalendas Novembris Indictio decima cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto componitur ſive annus Imperii Ludoviciani tertius adhuc numeretur, ſive quartus jam ſit inchoatus. Præceptum Aurelianenſe ſuprà recitavimus, ab Andegavenſi deſcribendo propter parilitatem abſtinemus brevitatis causâ. Utrumque Salmunciaci tertio Kalendas Novembris hoc anno datum cenſemus.

AN. CH. 816. LUDOV. I MP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

[a] Tom. 2. in Epiſc. Andeg. 19.

XXII. LEGATOS SUSCIPIT ABOTRITORUM ET MAURORUM.

Imperator Salmunciaco egreſſus *Compendium Palatium petiit. Ibi cùm moraretur, Legatos Abotritorum, & de Hiſpania Legatos Abdirachman filii Abulaz Regis ad ſe miſſos ſuſcepit. Completíſque ibi* XX *vel eo ampliùs diebus Aquaſgrani ad hyemandum profectus eſt.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis. Aſtronomus nullam Abotritorum mentionem facit, cetera ſic complectitur. *Imperator ad Compendium ſeceſſit, ibique Miſſos Abdirahman filii Abulat Regis ſuſcepit & audivit. Moratus autem ibidem viginti vel eo ampliùs diebus Aquaſgrani hyematurus petiit.* Juſſerat ſanè Imperator Miſſos Saracenorum Regis ſemet præcedere illuc venturum. *Quò cùm perveniſſent, fermè tribus detenti ſunt menſibus.* Quid igitur ſecutum ſit, anno ſequenti dicemus. Interim ex Annaliſta Laureshamenſi [b] nota Legatos illos *de Cæſaraugusta, pacis petendæ gratiâ*, directos eſſe ab Abdirachmano Abulaz ſive Alhacæ Cordubenſis Caliphæ filio.

[b] Ad an. 817.

XXIII. PRÆCEPTUM EMITTIT PRO MON. AMMIATINO.

Erat Ludovicus apud Compendium decimo-quinto Kalendas Decembris, quando Præceptum pro Ammiatino Monaſterio Sancti Salvatoris emiſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis ac rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſupernâ nos gratiâ muniri non dubitamus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, præſentibus & futuris, quia Vir Venerabilis Audoaldus Abbas ex Monaſterio Sancti Salvatoris quidem ſito in monte Ammiato in territorio Cluſino detulit obtutibus noſtris auctoritatem Immunitatis Domini & Genitoris noſtri Caroli, bonæ memoriæ Piiſſimi Auguſti, in qua continebatur inſertum, qualiter prædictum Monaſterium ob amorem Dei tranquillitatémque Monachorum ibidem conſiſtentium, ſemper ſub pleniſſima tuitione & Immunitatis defenſione habuiſſet, firmitatis namque ſtudio à nobis procuravit, ut paternæ auctoritati hanc noſtram jungeremus auctoritatem. Cui petitioni libenter aurem accommodare placuit, & hanc noſtræ auctoritatis Præceptionem fieri, per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, in Eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti Monaſterii, quæ moderno tempore juſtè & legaliter poſsidet, vel quæ deinceps in jura ipſius loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines Monaſterii tam ingenuos quàm etiam ſervos ſuper terram ipſius commanentes nec ad hoſtes diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

exigere præſumat. Continebatur etiam in eadem auctoritate, qualiter confirmaſſet idem D. Imperator ad ipſum Monaſterium Eccleſiam Sancti Petri in Carmarita, atque Cellulam Sancti Savini & Sanctæ Reſtitutæ, vel Sancti Petri & Sancti Stephani in Tarquino cum earum pertinentiis. Quas res confirmamus perpetualiter prædicto Monaſterio ad habendum, ſicut Dominus & Genitor noſter per ſuum Præceptum confirmavit. Conceſſimus etiam eidem Sancto Monaſterio quemadmodum Dominus & Genitor noſter conceſſit, ut quandoquidem divinâ vocatione prædictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam Congregationem regere valeant per hujuſmodi noſtram auctoritatem, & conſenſum, vel dilecti filii noſtri Bernardi Regis licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus ipſos Monachos, qui ibidem Domino famulari videntur, pro nobis & conjuge proléque noſtra atque ſtabilitate totius Imperii à Domino nabis commiſſi atque conſervandi, jugem Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas noſtris futuríſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imp. Dat. 15 Kal. Decemb. anno, Chriſto propitio, 3 Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti Indict. decimâ. Actum Compendio Palatio in Dei Nomine feliciter. Amen. Hoc Præceptum ab Ughello [a] recitatur in Cluſinis Epiſcopis. Optimè quadrant Characteres Chronologici. Per menſem Novembrem Indictio currebat decima Kalendis inchoata Septembris, & Ludovici Imperatoris tertius agebatur annus qui cœptus quinto Kalendas Februarii. Monaſterium Ammiaticum Sancti Salvatoris, cùm in Diœceſi Cluſina ſitum eſſet, ad Regnum Bernardi pertinebat, ideóque Ludovicus Imperator Præceptionem ſuam ejuſdem Bernardi Regis conſenſu licentiâque corroborari voluit. Ammiatino Cœnobio præerat Abbas Audoaldus, Uſualdi, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum primum [b] Tomo ſuperiore fecimus, ſucceſſor. Ad hæc tempora pervenit Arialdus Cluſinus Epiſcopus, dicitur enim *ſub Ludovico Pio ſepultus apud Sanctam Muſtiolam, quam impensè coluerat.* Qui ſucceſſit ei Theobaldus, ſub eodem Ludovico Pio illiúſque filio Lothario floruit.

[a] Tom. 3. Ital. Sacr.

ABBATES AMMIATINI.

[b] Num. 32.

EPISCOPI CLUSINI.

XXIV. BRANTOSMA MON. CONDITUR.

Hiſce temporibus, cùm Pippinus in Aquitania regnabat, erectum eſt in Epiſcopatu Petrocoricenſi Monaſterium, cui nomen Brantoſma ſeu Brantoſmum, ad Dronam fluvium qui ab Ella in Dorononiam defertur. Ludovici patris juſſu conditum eſt à Pippino Rege, de quo ſic ſcribit Ademarus Chabanenſis. *Pipinus, Rex Aquitaniæ, filius Imperatoris obiit. Hic juſſu patris fecerat Monaſterium Brantoſmenſe.* In Chronico Sancti Maxentii, quod vulgò Malleacenſe dicitur, & ſecundo Bibliothecæ Labbeanæ Tomo publicatum eſt, *Monaſterium Brantomenſe* recenſetur inter ea quæ *Pipinus Rex Aquitaniæ, filius Ludovici Imp. conſtruxit.* Ademarum ſecutus eſt Franciſcus *de Corlieu* in Hiſtoria Egoliſmenſi. Brantoſmenſes origines in poſteriora tempora differri non poſſunt, illius enim Cœnobii Ludovicus Auguſtus, ut anno proximo dicemus, in ſuo meminit Conſtituto, quod anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo conſignatum reperitur.

XXV.

Non deſunt è Neotericis, qui Monaſterium illud à Carolo Magno citiùs ædificatum putent. In horum numero ſunt Claudius Robertus, Joannes Puteanus, & Sammarthani. Robertus in Abbatiarum Galliæ Nomenclatura notat annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-nonum, ſed nullum aſſertionis ſuæ teſtem citat. Puteanus in Hiſtoria Petrocoricenſis Eccleſiæ ſequitur eundem calculum, & ſecundum Reginonis librum ſic allegat ex Pithœano Codice. *Anno Domini 769. Carolus Magnus iterum procedens ad Petrochoricum, conſtituit Baſilicam juxta fluvium Dronam in honorem beati Petri Apoſtolorum Principis, in qua non multùm poſt temporis unum de Innocentibus collocavit, datum patri ſuo à Domino Papa Romano, cujus meritis & auxiliis dicebat ſe victorem in bello fuiſſe multoties; locus autem, in quo hæc Baſilica fundata eſt, Brantoſma dicitur.* Sammarthani Tomo quarto Galliæ Chriſtianæ,

nulla

nullâ Pithœani Codicis aut itineris Carolini mentione factâ ſecundum quoque librum Reginonis producunt non quidem *anno Domini 769* ſed *anno* DCCLXXIX, ſic. *Anno* DCCLXXIX. *Carolus Magnus conſtituit Baſilicam juxta fluvium Dronam*, &c. Nec diſſimulant à præcitato differre Chronicon Malleacenſe, de quo proximè ſcribunt in hunc modum. *Chronicon aliud Malleacenſe dicit conſtructum Cœnobium Brantoſmenſe à Pipino.*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

Fruſtrà Regino citatur, apud quem nullum occurrit de Brantoſma verbum ad annum Chriſti ſeu ſeptingenteſimum undeſeptuageſimum, ſeu ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-nonum. Plebeios, ut vocant, Annales, quibus uſum Reginonem non diffitemur, Andreas Ducheſnius in lucem emiſit ex Codice Loiſeliano cum additione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undeſeptuageſimum, quam recentiori manu ſcriptam reperit in margine, &, ne genuinus Annaliſtæ fœtus exiſtimaretur, incluſam hiſce notis [ ] ſic exhibuit. *Anno* DCCLXIX. *Domnus Carolus Glorioſus Rex iter peragens partibus Aquitaniæ, eò quòd Hunaldus voluit rebellare totam Waſconiam, etiam & Aquitaniam. Et cum paucis Francis, auxiliante Domino, diſſipavit iniqua conſilia ſupradicti Hunaldi. Et in ipſo itinere jungens ſe ſupradictus Magnus Rex cum germano ſuo Carlomanno in loco qui dicitur Duaſdives. Inde Carlomannus ſe revertendo, in Franciam iter arripuit. Domnúſque Carolus benigniſſimus Rex ivit ad Equoleſimam civitatem,* [*iter procedens ad Petrogoricum, cujus partibus conſtituit Baſilicam juxta fluvium nomine Dronam in honore beati Petri Apoſtolorum Principis, in qua poſt non multùm temporis unum de Innocentibus collocavit datum patri ſuo à Domno Papa Romano, cujus meritis & auxiliis dicebat ſe victorem bello fuiſſe multoties; locus autem, quo Baſilica fundata eſt, Brantoſmis dicitur; poſteà de Petrogorico & Engoleſima aliiſque locis,*] *ſumens plures Francos cum omnibus utenſilibus, & præparamenta eorum, ivit ſuper fluvium Dordoniam*, &c. Quomodo textus hic amputatâ interpolatione reſtituendus ſit, optimè docet Annaliſta Tilianus, cùm ad eundem annum hæc habet de Carolo. DCCLXIX. *Domnus itaque Rex Karolus iter agens partibus Aquitaniæ, eò quòd Hunoldus voluit rebellare totam Waſconiam & Aquitaniam, cum paucis Francis auxiliante Domino, diſſipata iniqua conſilia ſupradicti Hunoldi. In ipſo itinere jungens ſe ſupradictus Rex cum germano ſuo Carlomanno in loco qui dicitur Duaſdives. Inde Carlomannus ſe revertendo Franciam iter arripiens, Karolus Rex ivit ad Eccolaſiam civitatem, & inde ſumpſit plures Francos cum omni utenſilia & præparamenta eorum, & ivit ſuper flumen Dordoniam*, &c. Interpolatio, quam rejicimus, Reginoni nunquam innotuit, tempus & author ſcriptionis ignorantur, pluris æſtimari debent prænominati Scriptores, qui primordia Monaſterii Brantoſmenſis in tempora Ludovici Auguſti & Pippini Regis Aquitaniæ conſtanter rejiciunt.

XXVI.

XXVII.

Si neglecto Pippino Rege ſtaremus ab avo Carolo, lubenter iremus in opinionem Puteani, quia Carolus, ut veteres Annaliſtæ teſtantur, in Aquitaniam profectus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo. Procul autem abfuit ab ea regione toto anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono; apud Hariſtallium enim, ubi hyemarat, Paſcha celebravit, deinde Compendium venit, tum rediit in Auſtraſiam, trajectóque Rheno bellum in Saxonia feliciter geſſit, denique cis Rhenum reverſus Wormatiæ Natalem egit Domini. Sammarthani difficultatem ex abſentia Caroli natam ſubodorati reſciderunt ex Puteani textu hæc verba, *iterum procedens ad Petrocoricum*, quæ tamen nituntur additione ad plebeios Annales, cui principium faciunt hæ voces, *iter procedens ad Petrogoricum*. Obiit Carolus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, menſe Januario. Ludovicus Auguſtus Pippinum filium exeunte eodem anno Regem Aquitaniæ conſtituit, & anno pòſt tertio Monaſterium Brantoſmenſe, quod idem Pippinus ejus juſſu conſtruxerat, in ſuo nominavit Conſtituto. Pippinus igitur initio ſui Regni prima prædicti Cœnobii fundamenta jecit.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

XXVIII. CLAUDIUS PRESBYTER COMMENTATUR EPISTOLAM AD GALATAS.

In Bibliotheca Patrum ſæpiùs recuſum invenies Claudii Preſbyteri, de quo locuti jam ſumus anno ſuperiore, Commentarium in Epiſtolam ad Galatas, Druƈteranno Abbati ſic inſcriptum. *Domino piiſſimo, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolendo Druƈteranno Abbati Claudius peccator. Tres, ni fallor, & eo ampliùs jam pertranſeunt tempore anni, quòd me adhuc in Alvenni ceſſitis arvo, in Palatio Pii Principis Domini Ludovici tunc Regis, modò Imperatoris, detentum ſocordiâ ſenſûs mei tuâ fervidâ dilectione adorſus es excitare, ut aliquem fruƈtuoſum laborem in Epiſtolis Magiſtri Gentium adſumerem Apoſtoli Pauli. Sed quia laboribus & turbinibus mundi depreſſus, hactenus parere juſſioni tuæ nequivi, modò largiente Deo in iſto Quadrageſimæ tempore Epiſtolam Beati jam dicti Apoſtoli Pauli ad Galatas ex Tractatibus Beatorum Auguſtini & Hieronymi Patrum permixtis procuravi ordinare ſententiis. In quibus Tractatibus, cùm ad congruentem expoſitionem multa deeſſe cernerem, verti me ad alios libros præfati jam Patris Auguſtini, & exinde eam, quæ in illis deerat Tractatibus, explere ſtudui expoſitionem. Nonnulla etiam, ut mihi viſum eſt, infra illorum locutionem mea ſtudui conjungere verba, quæ utramque expoſitionem abſque ſciſſione conjungerent, & legentis exercerent ſenſum, & faſtidium facerent evitare. Hanc interim quaſi manubias quaſdam tuæ ovans dirigere ſtudeo Sanƈtitati, ut quoties eam manu tenueris, & legeris, mei memor eſſe digneris, & in unum conjungat immenſa ubique præſens Chriſti charitas, quos ſpatia terrarum diſſociant. De ceteris verò Epiſtolis, jam multa in manibus noſtris tenentur excerpta, ad quas, ſi Dominus voluerit, & vitam atque ſalutem conceſſerit, orantibus vobis pro nobis, ad expoſitionem illarum, quantocyus potuero, accedere procurabo. Pius & miſericors Deus reverendam mihi Beatitudinem tuam, ad profeƈtum & ornatum Eccleſiæ ſuæ, & annis multiplicare dignetur & meritis. Vale in Domino vir Dei, & memento mei.* Ineunte anno DCCCXIII, cùm Carolus Imperator apud Aquiſgranum & Ludovicus Rex in Aquitania degebant, ab Abbate Druƈteranno rogatus videtur Claudius, ut Epiſtolas Sancti Pauli ſuſciperet exponendas. Elapſo triennio, Epiſtolam ad Galatas aggreſſus eſt explanandam *Quadrageſimæ tempore*, hoc utique anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, cujus initium à Natali die Domini præcedente repetiit pro more ſuo, quem accuratiùs aliâ occaſione ad annum ſuperiorem inveſtigavimus. Ut autem Ludovicum, quando Natalis dies Domini vel Kalendæ Januariæ annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium aperuerunt, in Aquitania verſatum ſcias, audi quid Aſtronomus ad illum annum in ejus vita ſcribat. *Imperator Carolus conſiderans ſuum in ſenectutem adclinem devexum, miſit ad filium, eúmque ab Aquitania evocavit. Quem venientem clementer ſuſcepit, totâ æſtate ſecum tenuit, de his, quibus eum indigere putavit, inſtruxit, qualiter*, &c. Non inficiamur Ludovicum Regem anno quoque Redemptoris octingenteſimo duodecimo in Aquitania moratum eſſe, ſed Claudium ad explicandas Epiſtolas Sancti Pauli tunc invitatum à Druƈteranno pernegamus, ne eodem anno, quo Geneſim & Evangelium Matthæi commentatus eſt, anno videlicet Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto Epiſtolam quoque ad Galatas dicamus tribus ab eo libris explanatam fuiſſe. Tot lucubrationes ſatius viſum eſt in duos annos partiri. Paſcha hoc anno, quo Claudius Epiſtolam ad Galatas expoſuit, celebratum eſt duodecimo Kalendas Maias, idque obſervamus, quia expoſitionem illam aggreſſum ſe teſtatur tempore præcedentis Quadrageſimæ. Ceterùm Druƈterannus Abbas, cui Commentarius inſcribitur, haud alius haberi debet à Duƈtramno, qui, poſt Ebulonem Pippino Regi ſeu Caroli Magni patri ſynchronum, tertius in Abbatum Solemniacenſium Catalogo nominatur.

XXIX. EPISCOPI PAPIENSES. CREMONENSES.

Obierunt hoc anno Sebaſtianus Papienſis Epiſcopus & Stephanus Epiſcopus Cremonenſis. Succeſſerunt Sebaſtiano Deodatus, Stephano Wulfoldus. De utriſque lege Italiam Sacram Ferdinandi Ughelli, Tomis primo & quarto.

Digitized by Google

Walterius Genavenſis Epiſcopus, cùm annos ſex & triginta ſediſſet, hoc eodem anno vitam clauſit. Succeſſit in Epiſcopatum Artaldus. De utroque conſule Galliam Chriſtianam. AN. CH. 816.

XXX. GENAVENSES.

Alanus Namnetenſis Epiſcopus hoc etiam mortuus eſt anno, ſucceſſoréque nactus eſt Trutgarum. De utroque conſule Armoricam Sanctam.

XXXI. NAMNETENSES.

Ad hunc quoque annum pervenit Franco Cenomannenſis Epiſcopus, Pontificatum enim, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio ſuſcepit, annis duobus ac viginti, menſibúſque tribus ac diebus totidem geſſit, obiítque tertio Kalendas Februarii. Sepultus fuit in Æde Sancti Vincentii. Succeſſit alter Franco, ut à patruo diſtingueretur, cognomento Junior. Hic in Natali Principum Apoſtolorum, tertio Kalendas Julii, Turonis ab Archiepiſco Landranno Joſephi de quo ſæpè locuti ſumus ſucceſſore, conſecratus eſt Epiſcopus. Lege ſimúlque confer Corvaiſierum & Bondonnetum in Geſtis Epiſcoporum Cenomannenſium. Senioris Franconis hoc extat Epitaphium.

XXXII. CENOMANNENSES.

Hoc buſto tegitur tumulatus Franco Sacerdos,
Feſſus jam ſenio qui hac requieſcit humo.
Urbem hanc qui rexit felix moderamine juſto,
Algida corda fovens dogmate nempe ſacro.
Decurſis annis bis denis atque duobus
Ad calum vehitur Regna beata petens.
Dic, quicumque leges, hæc verba precantia, quæſo,
Perpetuam requiem donet ei Dominus.

Apud Malbrancum [a] moritur hoc anno Grimbaldus Taruannenſis Epiſcopus, eique ſuccedit Folquinus Fulradi San-Quintinienſis Abbatis jam laudati frater.

XXXIII. TARUANNENSES.

[a] Lib. 5. c. 50.

Benedictus Abbas Acutianus, cujus mentionem pridie Nonas Auguſtas, cùm Imperator apud Franco-furtum morabatur, anno priori fecimus, ex illius Cœnobii Chronico mortuus hoc anno colligitur. *Quidam Majorianus, & Romanus ac Hunaldus filii ejus, res proprietatis ſuæ in hoc Monaſterio per Teſtamenti conſcriptionem condonarunt, reſervato ſibi earumdem rerum uſufructu ad dies vitæ eorum. Accidit autem ut filius ejuſdem Majoriani, nomine Godoaldus, qui quartam portionem ejuſdem poſſeſſionis eodem Teſtamento poſidebat, inſtinctu Diaboli poſtpoſitâ fidelitate ſuâ ad Beneventanos, qui tunc temporis dominio Caroli Imperatoris rebelles erant, fugiendo ſe contuliſſet, ac propter hoc res propriæ illius fiſco ſociari debuiſſent. Cum quibus & portiones ſupradictorum Majoriani patris ejus, & duorum fratrum Romani & Hunaldi, in publicum redactæ, & ita à poteſtate hujus Monaſterii ablatæ ſunt. Quæ omnia cùm per Domnum Benedictum Abbatem auribus Sereniſſimi Imperatoris Ludovici referrentur, juſſit Dominus Imperator pradictas trium hominum poſſeſſiones, id eſt, Majoriani & duorum fratrum Romani & Hunaldi, de parte fiſci ſublatas huic Monaſterio reſtitui. Sed cùm eodem anno Domnus Benedictus Abbas de hoc ſeculo migraſſet, ejus ſucceſſor Domnus Abbas Ingoaldus ſuggeſſit Domino Imperatori, ut ſuper his rebus huic loco Præceptionis ſuæ confirmationem dare juberet. Inſuper & de piſcatore, nomine Anneſrido, manente in territorio Reatino, ubi Septepontius, cum uxore, & filiis, terrâque, ac domo, ſive piſcatione, & omnibus rebus ſuis, ad uſum hujus Monaſterii concederet. Et conceſſit hoc Imperator, & per Imperialis paginas Præcepti decentiſſimè reboravit. Actum Aquiſgrani Palatio Regio.* Huc uſque editio Duchesniana [b], quæ Characteres Chronologicos omittit. At hi facilè deprehendi poſſunt ex textibus qui præcedunt ſubſequuntúrque. Præceptum, de quo loquimur, procul dubio datum eſt ſtatim ac Compendio Ludovicus Aquiſgranum ad hyemandum reverſus eſt, Benedicto Acutiano Abbate jam mortuo, & Ingoaldo in ejus locum ſubſtituto, nam proximè commendatur Pontificium Diploma, quod emiſit Stephanus Papa, *menſe Januarii, x Kal. Februarii, imperante Domino Hludovico Piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, Magno,*

XXXIV. ABBATES ACUTIANI.

[b] Tom. 1. Coll. & Hiſt. Franc.

Digitized by Google

AN. CH. 816. *Pacifico Imperatore, anno* III, *Indictione* X, id eſt, decimo Kalendas Februarias anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-ſeptimi, quo die Ludovicus annum adhuc Imperii ſui tertium à patris obitu numerabat.

XXXV. FABARIENSES. Gebenus Abbas Fabarienſis mortuus eſt octavo Idus Aprilis, eique ſucceſſit Guido cognomento Felix. Meminit utriuſque Bucelinus in Chronologia Rhætiæ.

XXXVI. SAN-GALLENSES. Obiit & hoc anno Werdo San-Gallenſis Abbas, cui ſubrogatus eſt Gotzbertus, idque Ratpertus in libro [a] de caſibus Sancti Galli ſic teſtatur. *Abbate Werdone vitam finiente, Gotzpertus ejuſdem Congregationis Monachus à fratribus eſt Abba electus & ordinatus, vir ſaturâ procerus, ſapientiâ quoque morúmque dignitate præcipuus, anno ab Incarnatione Domini* DCCCXVI, *anno autem Imperii Hludowici Imperatoris, filii præfati Karoli Auguſti, tertio.* In Hermanno Caniſiano ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum hæc leguntur. *Apud S. Gallum Wolflec Abbas præfuit annos 4.* Et ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium. *Conſtantia Egino Epiſcopus obiit. Poſt quem Wolfleeh Epiſcopus factus, qui Cœnobium S. Galli 4. jam annis tenuit. Apud S. Gallum Gozbertus Abbas præfuit annis 27.* Gaſpar Bruſchius vult Werdonem obiiſſe *anno Domini 811, tribus nimirum annis ante mortem Caroli Magni.* Deinde hæc ſubjungit de ſucceſſore. *Wolfoleus, ſive Wolflerus Epiſcopus Conſtantienſis, anteà Monachus San-Gallenſis, præfuit per vim & tyrannidem quatuor annis; ab aliquibus, eò quòd ſeſe intruſerit & parum utilis Monaſterio fuerit, non numeratur.* Tum ſermonem de Goſberto ſic habet. *Gosbertus à San-Gallenſis Conventûs fratribus electus eſt anno 816 ſub Ludovico Pio, Caroli Magni filio.* Sed quicquid alii ſcribant, ſtandum cenſemus à Ratperto, qui Werdonis Abbatis mortem & Gotzberti ſeu Gozberti vel Goſberti ſubrogationem hoc eodem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, Ludovici Imperatoris tertio, collocat.

[a] Cap. 6.

XXXVII. BRIDDONE ABBATE GANDENSI MORTUO ET MON. INCENSO DISPERGUNTUR MONACHI. Hoc etiam anno Briddo Gandenſis Abbas vitam undecimo Kalendas Martii terminavit. Poſt ejus mortem facta eſt fratrum diſperſio. Nec hujus cladis alia ratio dari poteſt, quàm quòd Monaſterium tunc incendio deformatum fuerit. Lege Catalogum Abbatum Gandenſium, quem Antonius Sanderus in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ concinnavit.

XXXVIII. ODO ABB. SARLATENS. Ab his circiter temporibus in Gallia Chriſtiana ſeries inchoatur Abbatum Sarlatenſium, quorum antiquiſſimi recenſentur Odo & Adacius deceſſores Aſſenarii, qui florebat anno Redemptoris octingenteſimo ſexageſimo. Sarlatenſis Cœnobii conditorem quædam Tabulæ conſtituunt Clodoveum Magnum; aliæ, quæ multò probabiliores ſunt, vel Pippinum, vel ejus filium Carolum cujus obitum ante biennium retulimus. Extat vetus Charta, per quam Bernardus Comes Petragoricenſis idem Monaſterium ditavit, cùm Odo ſuperſtes in vivis adhuc erat, datáque reperitur *in menſe Junio, regnante Deo & Domino Ludovico Imperatore,* qui certè non alius eſſe poteſt à Ludovico Pio prædicti Caroli filio ac Pippini nepote.

XXXIX. CAPITULA ADDITA LEGI SALICÆ. Fridericus Lindenbrogius ſex refert Capitula, *quæ* Legi Salicæ *Dominus Hludovicus Imperator anno* III *addere juſſit,* id eſt, hoc anno, qui tertius Imperii Ludoviciani numeratur.

XL. I. Capitulum. *Si quis cum altero de qualibet cauſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum ad judicium perducti fuerint, ſi ille falſos eos eſſe ſuſpicatur, liceat ei alios teſtes, quos meliores putaverit, contra eos opponere, ut veracium teſtimonio falſorum teſtium perverſitas ſuperetur. Quòd ſi amba partes teſtium ita inter ſe diſſenſerint, ut nullatenus alteri una pars cedere velit, eligantur duo ex ipſis, id eſt, ex utraque parte unus, qui ſcutis & fuſtibus in campo decertent* *, *utra pars falſitatem, utra veritatem ſuo teſtimonio ſequatur. Et campioni, qui victus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commiſit, dextera manus amputetur, ceteri verò ejuſdem partis teſtes, qui falſi apparuerunt, manus ſuas redimant. Cujus compoſitionis dua partes ei, contra quem teſtati ſunt, dentur; tertia*

* dimicent

Comitis eſt : & in ſeculari quidem cauſa hujuſcemodi teſtium diverſitas campo comprobetur; in Eccleſiaſticis autem negotiis, Crucis judicio rei veritas inquiratur. Hoc & de timidis & de imbecillibus ſive infirmis, qui pugnare non valent, ne propter hoc juſtitiâ ſuâ careant, cenſuimus faciendum. Teſtes verò de qualibet cauſa non aliunde quærantur, niſi de ipſo Comitatu, in quo res, unde cauſa agitur, poſitæ ſunt, quia non eſt credibile, ut vel de ſtatu hominis, vel de poſſeſſione cujuſlibet, per alios rei veritas meliùs cognoſci valeat, quàm per illos qui viciniores ſunt. Hoc Capitulum in quarto Capitularium libro pars eſt magna Capituli viceſimi-tertii, quod ſimillimum eſt ad compoſitionem uſque teſtium, qui falſi præter campionem apparuerunt. *Cujus compoſitionis duæ partes ei, contra quem teſtati ſunt, dentur; tertia pro fredo ſolvatur. Et in ſeculari quidem cauſa hujuſcemodi teſtium diverſitas campo comprobetur. In Eccleſiaſticis autem cauſis, ubi de una parte ſeculare, de altera verò Eccleſiaſticum negotium eſt, idem modus obſervetur. Ubi verò ex utraque parte Eccleſiaſticum fuerit, Rectores earundem Eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare velint, licentiam habeant, ſi autem de hujuſcemodi pacificatione inter eos convenire non poſſint, Advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur.* Deinde apud Lindenbrogium hæc deſideratur periodus, quæ Capitulum ipſum in quarto libro Capitularium ſic claudit. *Si tamen contentio, quæ inter eos exorta eſt, in confinio duorum Comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis Comitatûs ad cauſam ſuam teſtes habere.*

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

II. Capitulum. *Si quis in aliena terra vel patria, ubi propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occaſionem aſſiduè converſari ſolet, de qualibet cauſa fuerit interpellatus, verbi gratiâ de conquiſitu ſuo, vel de mancipiis ſuis, ibi ſecundùm ſuam legem juſtitiam faciat. Et cum talibus juratoribus, quales in eadem regione vel provincia ſecum habere potuerit, legitimum ſacramentum juret, excepto ſi quis eum de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate ſua, vel de hæreditate, quam ei pater ſuus moriens dereliquit, appellaverit. De his duobus liceat illi ſacramentum in patria ſua, id eſt, in legitimo ſui ſacramenti loco jurandum offerre. Et is, qui cum eo litigat, ſi velit, ſequatur eum in patria ſua, ad recipiendum illud ſacramentum. Ipſe tamen primò in eodem loco, id eſt, ubi interpellatus eſt, ſatisfaciat tam Comiti & Judicibus, quàm adverſario ſuo, teſtibus probando, quòd rem, quæ ab eo quæritur, pater ſuus ei dereliquit.* Huic Capitulo ſimillimum eſt, quod in quarto Capitularium libro notatur ſeptuageſimum-quartum. XLI.

III. Capitulum. *Ut omnis ſolutio atque compoſitio, quæ in lege Salica continetur, inter Francos per* XII *denariorum ſolutionem componatur, excepto ubi contentio contra Saxones & Friſones exorta fuerit, ibi volumus ut* XL *denariorum ſolutio quantitatem habeat, quam vel Saxo, vel Friſo, ad partem Salici Franci cum eo litigantis, ſolvere debet.* Hoc Capitulum eſt ſeptuageſimum-quintum in quarto Capitularium libro. XLII.

IV. Capitulum. *Ut de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate vel hæreditate compellandus, juxta legis conſtitutionem manumittatur. De ceteris verò cauſis, unde quis rationem eſt redditurus, ſi poſt ſecundam Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum miſſis venire, & juſtitiam facere compellatur.* Clarior & emendatior eſt editio Capitularium, quæ Capitulum viceſimum-quintum libri quarti ſic repræſentat. *Si quis de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate vel de hæreditate compellendus eſt, juxta legis conſtitutionem manniatur. De ceteris verò cauſis, unde quis rationem eſt redditurus, non manniatur, ſed per Comitem banniatur. Et, ſi poſt unam & alteram Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum miſſis venire, & juſtitiam facere compellatur.* Quid *mannire*, quid *bannire* ſignificet, explicuimus alibi. XLIII.

V. Capitulum. *Cujuſcunque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commiſſum, in bannum fuit miſſa, & ille re cognitâ, ne juſtitiam faciat, venire diſſulerit, annúmque ac diem in eo banno eſſe permiſerit, ulteriùs eam non adquirat, ſed ipſa fiſco noſtro ſocietur. Debitum verò, quod is, cujus ea fuit, ſolvere debuit,* XLIV.

AN. CH. 816. LUDOV. IMP. 3. BERN. R. 3. LOTHAR. PIPPINI RR. 2.

per Comitem ac Ministros ejus juxta æstimationem damni de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his, quibus idem debitor fuit, exsolvatur. Quòd si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non sufficerit, de immobilibus suppleatur, & quod superfuit, sicut dictum est, fiscus noster possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illam expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis cohæredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat, & tunc, sicut jam dictum est, partem ejus fisco nostro addicat, & compositionem de ea, juxta modum superiùs comprehensum, his, ad quos illa legibus pertinet, exsolvat. Hoc Capitulum in quarto Capitularium libro priorem tantùm partem constituit Capituli vicesimi-quarti, quod multò prolixius est. Editionem Capitularium utpote correctiorem secuti sumus. Ex eadem editione posteriorem Capituli partem accipe, quam Ludovicus Augustus ita prosequitur. *Quòd si non de alia re, sed de ipsa proprietate, quæ in bannum missa fuit, ac per hoc in nostram potestatem redacta est, fuerit interpellatus, Comes, in cujus ministerio eam esse constiterit, hoc ad notitiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per Præcepti nostri auctoritatem in jus & potestatem hominis, qui eam quærebat, si sua esse debet, faciamus pervenire.*

XLV. VI. Capitulum. *De mannitionibus verò nisi de ingenuitate, aut de hæreditate, non sit opus observandum: de ceteris verò per districtionem Comitis ad mallum veniant, & justè examinentur ad justitias faciendum. Comites verò non semper pauperes per Placita premere debent.*

XLVI. ABBATES FONTANELLENSES. [a] Cap. 16.

Trasarus Fontanellensis Abbas hoc anno munus Abbatiale dimisit, atque in Italiam reversus natale repetiit solum. Tunc ei suffectus est Einhardus sive Eginhardus. Audi Chronographum Fontanellensem [a] in Ansegiso Abbate ipsius Eginhardi proximo successore. *Anno Imperii Domni Ludovici Augusti tertio, Trasarus Rector hujus Cœnobii cum licentia ejusdem Imperatoris ad locum suæ nativitatis repedavit, ac Beneventum in Campania regrediens à Sigone Duce, quem ex lavacro sanctæ regenerationis susceperat, honorificè susceptus est. Post quem Einhardus hoc Cœnobium per septem fermè tenuit annos,* id est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium, Ludovici Augusti decimum, ut ad illum annum ex eodem Chronico probaturi sumus. Porrò textus suprà citatus eget interpretatione, quia Sigo seu Sico Ducatum Beneventanum ante annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum, Ludovici Augusti quintum, non obtinuit. Trasarus igitur Beneventum profectus benignè susceptus est à Sigone, qui Ducatum Beneventanum seu Præfecturam Beneventanam altero pòst anno suscepit.

XLVII. MON. S. BENIGNI DITATUR.

Chronographus San-Benignianus, complures viros ob munificentiam erga Monasterium Sancti Benigni laudat, atque inter hos, Dodonem, Amalbaldum, & Heraclium, sic. *Dederunt, Dodo, Amalbaldus, Heraclius, res quas possidebant in Salonis villa atque Bargis.* Hujus Donationis Chartam in Monumentis Burgundicis publicavit Stephanus Perardus datam hoc anno, *die* videlicet *Jovis post mensem Februarium anno tertio Domini Ludovici Imperatoris.* Tunc Abbas erat Herlegaudus, cujus mentionem anno priori fecimus.

ANNUS				AN. CH. 817.
CHRISTI		817.		LUDOV. IMP. 4.
LUDOVICI	IMP.	4.		LOTHAR. IMP. 1.
	REG.	37.	12	BERN. R. 4.
LOTHARII	IMP.	1.		PIPPINI R. 3.
	REG.	3.		LUDOV. R. 1.
BERNARDI	REG.	4.		
PIPPINI III.	REG.	3.	1.	
LUDOVICI	REG.	1.		
INDICTIO		10.		

I. QUAS anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Stephanus Papa literas Ingoaldo ſcripſit Abbati Acutiano, ut anno priore in obitu Benedicti, Abbatis etiam Acutiani, jam notavimus, datæ reperiuntur [a] x *Kal. Februarii, imperante Domino Ludovico Piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatore, anno* III, *Indictione* X. Hæc Indictio per menſem Januarium cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo comparatur, illóque anno dies decimus ante Kalendas Februarii pertinebat adhuc ad annum Imperii Ludoviciani tertium, initio ducto ab obitu patris, qui rebus humanis exemptus eſt quinto Kalendas Februarias anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto. Quod autem Leo Tertius Papa præſtitit, id & à Stephano Quinto ejuſdem Leonis ſucceſſore factum obſerva. Uterque Pontifex nomen Imperatoris, qui Romæ Dominus erat, ſuis Epiſtolis ac Diplomatibus appoſuit, ille nomen Caroli, hic nomen Ludovici. Lege Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium quæ de Leone & Carolo ſcripta ſunt. De Stephano & Ludovico teſtes ſunt Chronologici Characteres Stephani literis ſubjecti ac proximè recitati.

[a] Tom. 3. Collect. Hiſt. Franc. STEPHANUS V. PP. LITERIS SUIS NOMEN APPONIT LUDOVICI IMP.

II. OBIT. Stephanus, poſtquàm illas ad Ingoaldum Abbatem Acutianum literas ſcripſit, biduum circiter in vivis ſuperſtes fuit. Audi Annaliſtam Laureshamenſem ad hunc annum. *Stephanus Papa*, de cujus adventu in Gallias anno priore dictum eſt, *tertio poſtquam Romam venerat menſe, ſed nondum exacto, circiter* VIII *Kal. Feb. diem obiit.* Adſtipulatur Aſtronomus in vita Ludovici, ſic. *Stephanus Papa tertio menſe, poſtquàm è Francia Romam rediit, ultimum diem clauſit.* Addit Theganus [b] claruiſſe *Dei manifeſtatione in nonnullis miraculis, quod ipſe verus erat vivens Dei cultor.* Sedit Stephanus menſes ſeptem. Inſigni mendo leguntur apud Anaſtaſium anni ſeptem loco totidem menſium, imò in nonnullis exemplaribus præter annos ſeptem retinentur & ſeptem menſes. Leo Tertius Stephani Quinti deceſſor obiit pridie Idus Junii. Vacavit Epiſcopatus dies decem. Electus igitur Stephanus decimo Kalendas Julii. Proximo menſe Januario, ſive octavo Kalendas Februarii, vitam clauſit. Ergo Pontificatum geſſit ſeptem duntaxat menſibus ac tribus diebus. Si ſcire deſideras, quantis donis varias Urbis Eccleſias affecerit, Anaſtaſium in ejus vita conſule.

[b] Cap. 18.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Circumfertur hujus Stephani nomine Decretum de Romani Pontificis electione, quod apud Gratianum primâ parte, distinctione sexagesimâ-tertiâ, capite duodetricesimo sic habetur. *Quia Sancta Romana Ecclesia, cui, auctore Deo, præsidemus, à pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperiali notitia Pontificis fit consecratio: nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala fieri vetent; volumus, ut cùm instituendus est Pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, præsente Senatu & populo, qui ordinandus est; & sic ab omnibus electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur, nullúsque sine periculo sui juramenta vel promissiones aliquas novâ adinventione audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne vel Ecclesia scandalizetur, & Imperialis honorificentia minuatur.* Complurium eruditorum virorum judicio suppositicium videtur hoc Decretum, redolétque impostura Schismaticorum, qui sæpiùs in tali materia credulos deceperunt. Sanè Ludovicus Imperator in Constitutione, quam sub Paschale Papa, proximo Stephani successore, hoc eodem anno edidit de Donatione Ecclesiæ Romanæ facta, liberam declaravit electionem ac coronationem Romani Pontificis, nec eum, qui Papa crearetur, ad aliud teneri voluit, nisi ut postquàm consecratus esset, Legationem mitteret ad Regem Francorum, quâ eum de sua promotione & amicitia certiorem faceret sicut nuperrimè præstiterat ipsemet Paschalis, & anno præterito Stephanus, necnon utriusque decessores à temporibus Caroli Martelli. Verba Constitutionis hæc sunt. *Cùm consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & inter illum amicitiam & caritatem & pacem socient, sicut temporibus piæ recordationis Domni Caroli atavi nostri, sive Domni Pipini avi nostri, vel & Caroli Imperatoris genitoris nostri consuetudo erat faciendi.*

III. DECRETUM DE ELECTIONE PP. OSTENDITUR COMMENTITIUM.

IV. PASCHALIS PIT PP.

Stephanus Papa *sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli. Cessavit Episcopatus dies duos.* Subrogatus est Paschalis. Hic *à primævo ætatis suæ divino cultui mancipatus, atque in sacrosanctæ Ecclesiæ Patriarchio studiis divinæ salutiferæque Scripturæ imbutus tam in Psalterio quámque in sacris paginis novi ac veteris Testamenti specialiter eruditus, elegans, atque in omni bonitate perfectus, Subdiaconus quidem factus, & postmodum Diaconus atque Presbyter honorificè consecratus est. Erat autem vir sanctus, castus, pius, innocens, magnanimus, loquelâ devotus, pudicitiâ plenus, & nimis hilariter jocundéque in eleemosynis pauperum cuncta quæ habebat opportunè distribuens. In colloquiis ergo divinis frequentius cum religiosis ac sanctis Monachis sedulâ observatione die noctúque insistebat, & in orationibus ac vigiliis cotidianisque jejuniis humiliter atque honestè vigebat. Quem dum prædecessor ejus Dominus Leo ter beatissimus Papa tantis studiis pervigilem & religionis devotum conspexisset, tunc ei Monasterium beati Stephani primi Martyris, juxta Basilicam beati Petri Principis Apostolorum, ad regendum commisit, quia scriptum est.* [*Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant,*] *unum, qui suimet vitæ hujus temporalis lucra pro æterna sobriè atque utiliter moderando correxit, & exemplum benè vivendi in subditis, & correctionem pietatis religiosiùs exornavit. Qui etiam gratiam hospitalitatis in peregrinis & claudis, qui ob amorem beati Petri Apostoli de longinquis regionibus ad ejus limina occurrebant, utiliter præparans necessaria subministrabat, & occultè quibus egebant hilariter erogabat. Et semper quotidie in Dei operatione crescebat, usquequo prædecessor ejus Dominus Stephanus Papa de hac luce ad æternam beatitudinem migrasset. Dum ergo per tanta bona operationis exempla præcipuè, longè latéque fama discurreret, & Omnipotens Deus regimen Ecclesiæ suæ sub piæ gubernationis cura annueret aptè moderatéque disponere, unâ concordiâ unâ eadémque voluntate divino interveniente consultu à cunctis Sacerdotibus seu Proceribus atque omni Clero necnon & Optimatibus vel cuncto populo Romano ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei in Sedem Apostolicam Pontifex elevatus est.* Hæc ex Anastasio; qualem autem erga Ludovicum Imperatorem

Imperatorem ſe geſſerit, audi ex Annaliſta Laureshamenſi & ex Aſtronomo in vita ejuſdem Ludovici. AN. CH. 817.

Duas Legationes ſic diſtinguit Annaliſta. *Paſchalis poſt completam ſolenniter ordinationem ſuam, & munera & excuſatoriam Imperatori miſit epiſtolam, in qua ſibi non ſolùm nolenti ſed etiam plurimùm renitenti Pontificatûs honorem velut impactum * aſſeverat. Miſſâ tamen aliâ Legatione, pactum, quod cum præceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri ac firmari rogavit. Hanc Legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea quæ petierat impetravit.* Aſtronomus unam tantùm Legationem ſic agnoſcit. *Paſchalis poſt expletam conſecrationem ſolemnem, Legatos cum epiſtola apologetica & maximis muneribus Imperatori miſit, inſinuans non ſe ambitione, nec voluntate, ſed electione & populi acclamatione, huic ſuccubuiſſe potiùs quàm inſiluiſſe dignitati. Hujus Legationis bajulus* ſeu princeps *fuit Theodorus Nomenclator, qui negotio peracto & petitis impetratis, ſuper confirmatione ſcilicet pacti & amicitiæ more prædeceſſorum ſuorum, reverſus eſt.* Aſtronomo lubenter aſſentimur, nihil enim vetat, quominùs per eoſdem Legatos novus Pontifex Imperatorem de ſua promotione fecerit certiorem, amicitiámque more prædeceſſorum ſuorum cum eo firmarit.

V. LEGATOS MITTIT AD LUDOVICUM Aug.

* impoſitum

Porrò Theodorus Nomenclator Romam rediens non tabulas modò pacis & amicitiæ, ut moris erat, à Ludovico accepit Paſchali Papæ deferendas, ſed & alias, quibus Imperator Donationes ab avo Pippino & à patre Carolo Apoſtolicæ Sedi factas plurimùm amplificavit. Has ex parte publicarunt, Yvo[a], Gratianus[b], & Volaterranus[c]; integras primus edidit Sigonius[d], deinde quatuor exemplaribus Vaticanæ Bibliothecæ ſimul collatis Tomo nono[e] Annalium Eccleſiaſticorum inſeruit Baronius, ac noviſſimè Baluzius Tomo primo Capitularium. *In Nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici ac Univerſali Papæ, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis, civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis & maritimis littoribus, ac portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis in Tuſciæ partibus, id eſt, Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Peruſium, cum tribus inſulis ſuis, id eſt, majorem, & minorem, Pulvenſem, & lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad ſupradictas civitates pertinentibus, ſimili modo & in partibus Campaniæ, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Fruſinonem, cum aliis partibus Campaniæ, nec non & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus. Necnon & Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis Domnus Pipinus Rex ac bonæ memoriæ Genitor noſter Carolus Imperator beato Petro Apoſtolo & prædeceſſoribus veſtris jamdudum per Donationis paginam reſtituerunt, hoc eſt, civitatem Ravennam, & Æmiliam, & Bobium, Cæſenum, Forum-Popillii, Forum-Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque Inſulis in terra, mariſque ad ſupradictas civitates pertinentibus. Simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Æſium, Forum-Sempronii, Montem Feretri, Urbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, Eugubium, cum omnibus finibus & terris ad eaſdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut à genitore noſtro Carolo Imperatore beato Petro per Donationis ſcriptum conceſſum eſt, & ſub integritate, quemadmodum ab Iterio & Majenario Abbatibus illius Miſſis inter idem territorium Sabinenſe & Reatinum diffinitum eſt. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum, Caſtellum Felicitatis, Urbivetum, Balneum Regis, Ferenti caſtrum, Viterbium, Martam, Tuſcanam, Populoniam, Soanam, Roſellas; & In-*

VI. LUDOVICUS Aug. DONATIONES APOSTOLICÆ SEDI AB AVO ET PATRE FACTAS CONFIRMAT, AUGETQUE

[a] Part. 5. c. 51.
[b] Part. 1. diſt. 63. c. 30.
[c] Lib. 3.
[d] Lib. 4. de Regn. Ital.
[e] Hocan. nn. 10. & ſeqq.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

ſidas, Corſicam, & Sardiniam, & Sitiliam, ſub integritate cum omnibus adjacentibus territoriis, ac maritimis littoribus, portubus, ad ſupradictas civitates & Inſulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Theanum, & Capuam. Et patrimonia ad poteſtatem & noſtram ditionem pertinentia, ſicut eſt patrimonium Beneventanum, & Salernitanum, & patrimonium Calabriæ inferioris, & ſuperioris, & patrimonium Neapolitanum, & ubicunque in partibus Regni atque Imperii à Deo nobis commiſſi patrimonia veſtra eſſe noſcuntur. Has omnes ſupradictas provincias, urbes, civitates, & oppida, atque caſtella, viculos, & territoria, ſimulque & patrimonia jam dictæ Eccleſiæ tuæ, beate Petre Apoſtole, & per te beato Vicario tuo ſpirituali Patri noſtro Domno Paſchali Summo Pontifici & Univerſali Papæ, ejúſque ſucceſſoribus uſque in finem ſeculi eo modo confirmamus, ut in ſuo detineant jure, principatu, ac ditione. Simili modo per hoc noſtræ confirmationis decretum firmamus Donationes, quas piæ recordationis Domnus Pipinus Rex avus noſter & poſteà Domnus & genitor noſter Carolus Imperator beato Apoſtolo Petro ſpontaneâ voluntate contulerunt. Necnon & cenſum, & penſiones, ſeu ceteras Donationes, quæ annuatim in Palatium Regis Longobardorum inferri ſolebant, ſive de Tuſcia Longobardorum, ſive de Ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis Donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Hadrianum Papam & Domnum & genitorem noſtrum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifici eidem de ſupraſcriptis Ducatibus, id eſt, Tuſcano, & Spoletano, ſuæ auctoritatis Præceptum confirmavit, eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis prædictus cenſus Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli perſolvatur, ſalvâ ſuper eoſdem Ducatus in omnibus noſtrâ ditione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione. Ceterùm, ſicut diximus, omnia ſuperiùs nominata ita ad noſtram partem per hoc noſtræ confirmationis Decretum roboramus, ut in veſtro veſtrorúmque ſucceſſorum permaneant jure, principatu, atque ditione, ut neque à nobis, neque à filiis, vel ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum ſive machinationem in quacunque parte minuatur veſtra poteſtas, aut vobis de ſupraſcriptis omnibus, vel ſucceſſoribus veſtris inde aliquid ſubtrahatur, de ſupraſcriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, caſtris, viculis, Inſulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon & penſionibus, atque cenſibus, ita ut neque nos ea ſubtrahamus, neque quibuſlibet ſubtrahere volentibus conſentiamus, ſed potiùs omnia, quæ ſuperiùs leguntur, id eſt, provincias, civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria, patrimonia, atque Inſulas, cenſus & penſiones, Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli, & Pontificibus in ſacratiſſima illius Sede in perpetuum reſidentibus, in quantùm poſſumus, defendere nos promittimus, ad hoc ut omnia ea in illius ditione ad utendum & fruendum atque diſponendum firmiter valeat obtinere, nullámque in eis nobis partem, atque poteſtatem diſponendi, vel judicandi, ſubtrahendíve, aut minorandi vendicamus, niſi quando ab illo, qui eo tempore hujus ſanctæ Eccleſiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et, ſi quilibet homo de ſupradictis civitatibus ad veſtram Eccleſiam pertinentibus ad nos venerit, ſubtrahere ſe volens de veſtra juriſdictione vel poteſtate, vel quamlibet aliquam iniquam machinationem metuens, aut culpam commiſſam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, niſi ad juſtam pro eo faciendam interceſſionem; ita duntaxat ſi culpa, quam commiſit, venialis fuerit inventa: ſin aliter, comprehenſum eum ad veſtram poteſtatem remittemus, exceptis his, qui violentiam vel oppreſſionem potentiorem paſſi ideo ad nos veniant, ut per noſtram interceſſionem juſtitiam accipere mereantur, quorum altera conditio eſt, & à ſuperioribus valdè disjuncta. Et quando divinâ vocatione hujus ſacratiſſimæ Sedis Pontifex de hoc ſeculo migraverit, nullus ex Regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut privatim veniendi, aut electionem faciendi, nullúſque in civitatibus, aut in territoriis ad Eccleſiam beati Petri pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præſumat, ſed liceat Romanis cum omni veneratione & ſine qualibet perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divinâ inſpiratione & beati Petri interceſſione omnes Romani uno conſilio atque

Digitized by Google

concordiâ, ſine aliqua promiſſione ad Pontificatûs ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate & contradictione more canonico conſecrari. Et cùm conſecratus fuerit, Legati ad nos vel ad noſtros ſucceſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & inter illum amicitiam & charitatem & pacem ſocient, ſicut temporibus piæ recordationis Domni Caroli atavi noſtri, ſive Domni Pipini avi noſtri, vel & Caroli Imperatoris genitoris noſtri, conſuetudo erat faciendi. Hoc autem ut ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris firmum eſſe credatur, firmiúſque per futuras generationes & ſecula ventura cuſtodiatur, propriæ manûs ſignaculo, & venerabilium Epiſcoporum, atque Abbatum, vel Optimatum noſtrorum ſub jurejurando & ſubſcriptionibus pactum iſtud noſtræ confirmationis roboravimus, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Nomenclatorem Domno Paſchali Papæ direximus. Ego Ludovicus miſericordiâ Dei Imperator ſubſcripſi.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi [a] ſic hujus meminit Donationis. *Hic Ludovicus pactum conſtitutionis & confirmationis fecit Beato Petro ejúſque Vicario Domno Paſchali ad inſtar parentum ſuorum Pipini & Karoli, & propriæ manûs ſignaculo ac trium filiorum ſuorum illud corroborans, decem Epiſcopos, & VIII Abbates, & Comites XV, Bibliothecarium, Manſionarium, & Oſtiarium unum in illo ſubſcribere fecit, & per Legatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum Nomenculatorem Domno Paſchali Papæ tranſmiſit.* Baronius [b] hanc Donationem exiſtimat factam in Conventu Aquiſgranenſi, deceptus autem videtur à Chronographo Caſinate, qui eodem capite de Conventu primùm Aquiſgranenſi, deinde ſermonem de prædicta Donatione ſic habet. *Ludowicus Imperator, qui cognominatus eſt Almus, vel Sanctus, filius Hcaroli hujus, quarto anno Imperii ſui in Aquiſgrani Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachiſque religioſis Conventum faciens, valdè utiliſſima noſtri Ordinis obſervationi ſeptuaginta & duo generalia Capitula conſtituit, quæ ita ferè omnia apud nos, ac ſi Beati Benedicti Regula, obſervantur. Hic Ludowicus pactum conſtitutionis & confirmationis fecit Beato Petro*, &c. ut ſuprà. Sed hic Auctor res illas non eo recenſet ordine, quo geſtæ ſunt à Ludovico. Conventus enim Aquiſgrani VI *Idus Julii* celebratus eſt, ut editis ibidem Capitulis præfixus docet Titulus in Appendice prima poſt ſeptimum librum Capitularium. Theodorus autem, per quem Ludovicus Conſtitutionem ſuam Paſchali Papæ tranſmiſit, ad menſem uſque Julium non manſit in ejuſdem Imperatoris comitatu, quem menſe Februario convenire potuit, nam Paſchalis quarto Kalendas Februarii promotus eſt ad Pontificatum, Legationémque cum literis & maximis muneribus ſtatim direxit.

VII.

[a] Lib. 1 c. 18. vet. edit. c. 16. novæ edit.

[b] Hoc an. n. 9.

Deinde, ſi Baronio credimus, *Ludovicus Imperator* ſuâ Conſtitutione *confirmavit quæcumque à prædeceſſoribus ſuis donata vel reſtituta fuiſſent Romanæ Eccleſiæ*, nihilque Donationibus ab avo Pippino & à patre Carolo factis adjecit. Huic quidem opinioni duæ res plurimùm favent. Ludovicus ſuam Conſtitutionem vocat *pactum confirmationis*, meminitque prædeceſſorum, ſeu ſuorum, ſeu Paſchalis pro diverſis editionibus; una enim ſic habet, *ſicut à prædeceſſoribus noſtris uſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis*; altera ſic, *ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis*. At rectè notatur ad hunc locum Gratiani, *quòd aliquid ſimul datur & confirmatur*. Itaque Diploma Ludovici non eſt pactum confirmationis tantùm, ſeu pactum quo Ludovicus confirmat Donationes ab avo & à patre Sedi Apoſtolicæ factas, ſed eſt pactum Donationis ſimul & confirmationis, ſeu pactum quo Ludovicus Eccleſiæ Romanæ Donationem facit, eandémque Donationem cum aliis avi patríſque Donationibus confirmat. Quid Apoſtolicæ Sedi Pippinus, quid Carolus, quid Ludovicus conceſſerit, infrà diſtinguemus. Quod attinet ad alteram periodi partem, quæ de prædeceſſoribus vel Papæ vel Imperatoris capi debet, hæc apud Yvonem & Baronium ad prædeceſſores Paſchalis Papæ refertur hoc modo, *ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis*; apud Gratianum ad

VIII.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Imperatoris Ludovici prædeceſſores hoc modo, *ſicut à prædeceſſoribus noſtris uſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis.* Meliùs autem omittitur à Volaterrano, ſic. *Ego Ludovicus Imperator concedo tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici ſucceſſoribuſque ejus in perpetuum civitatem Romanam* &c. Omittitur & à Joanne Morino Congregationis noſtræ Preſbytero, qui vernaculè reddidit integras illas Ludovici literas in eruditiſſimo Commentario [a] de temporali Summorum Pontificum dominio, Sedi Apoſtolicæ à piiſſimis munificentiſſimiſque Francorum Regibus potiſſimùm conceſſo. Certè, ut omittatur, ipſemet literarum contextus ſuadet, qui rectiſſimè ſic legi poteſt. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici ac univerſali Papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum civitatem Romanam* &c.

[a] Cap. 22.

IX.

Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto Pippinus Francorum Rex; annis Chriſti, ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo Carolus Pippini filius & ſucceſſor; anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Ludovicus Caroli filius & hæres Apoſtolicam Sedem inſigni locupletavit Donatione. Tomo quinto actum de Pippino, Tomo ſexto de Carolo; utriuſque Donationes hoc anno confirmavit auxitque Ludovicus. Quomodo ſingulas avi patriſque Donationes in ſuo Diplomate complexus ſit, quidque tot etiam Donationibus ſuperaddiderit, paucis hic oſtendemus, ejus Conſtitutione varias in partes ideo ſeparatâ.

X.

URBE AC DUCATU ROMANO,

Primò, Ludovicus Apoſtolicæ Sedi per ſuam Donationem concedit *civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis & maritimis littoribus, ac portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, ac viculis, in Tuſciæ partibus, id eſt, Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perufium, cum tribus Inſulis ſuis, id eſt, majorem, & minorem, Pulvenſem, & lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad ſupradictas civitates pertinentibus; ſimili modo & in partibus Campaniæ, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Fruſinonem, cum aliis partibus Campaniæ, necnon & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus.* Ludovicus hac primâ ſuæ Conſtitutionis parte Ducatum Romanum cis & ultra Tyberim, partim in Tuſcia, partim in Campania ſitum complectitur. De Ducatu Romano deque ejus finibus [b] fusè Tomo ſuperiore [b] diſſeruimus. Olim in illo Ducatu præter Romam Metropolim Sedibus Epiſcopalibus decorabantur triginta-quinque civitates, Oſtia, Velitræ, Tres Tabernæ, Sylva Candida, Portus, Prænestе, Tuſculum, Lavicum, Albanum, Centumcellæ, Bledum, Cære, Marturanum, Nepet, Sutrium, Faleria, Galleſium, Horta, Polimartium, Tifernum, Ameria, Tudertum, Perufia, Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrum, Fruſino, Verulæ, Privernum, Setia, Tarracina, Tibur, Otriculum, & Narnia. Græcis Narniam & Perufiam eripuerunt Longobardi. Narniam his ademit Pippinus, Carolus Perufiam. Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto Narniam cepit, Apoſtolicæque Sedi cum multis aliis civitatibus eodem anno tradidit. Carolus Perufiam totúmque Regnum Longobardorum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto ſubegit; anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-ſexto ſpontaneâ civium deditione Romam obtinuit cum ceteris urbibus Ducatûs Romani, ſi Narniam Pontificiæ tum ditionis excipias; anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, cùm annum Imperii ſextum jam numerabat, omnes Regni ſui provincias inter filios diviſit, excepto Ducatu Romano, cui Perufiam reſtituit, Ducémque deſignandum reſervavit illum è filiis, quem ipſe Imperatorem conſtituiſſet; eo igitur obeunte anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto non ad Bernardum Ita-

[b] Ad an 796. nn. 28. & ſeqq.

liæ ſeu Longobardiæ Regem ſed ad Ludovicum Auguſtum tranſiit Peruſia, atque ab eo ad Sedem Apoſtolicam hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-ſeptimo, cùm idem Ludovicus Paſchali Papæ ſucceſſoribúſque Romanis Pontificibus Ducatum Romanum, cujus caput Roma, ſic conceſſit, ut Narniæ Donationem ab avo Pippino factam confirmarit, ipſe verò Peruſiæ reliquique Ducatûs Romani Donationem fecerit dato Diplomate, quod & Confirmationis & Donationis pactum meritò dici poſſit.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. XI.

Secundò, Ludovicus Donationem Apoſtolicæ Sedi anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto ab avo Pippino factam, & anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto à Carolo patre confirmatam ſic denuò confirmat. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici ac Univerſali Papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum . . . . . Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis, & caſtellis, quæ piæ recordationis Domnus Pipinus Rex ac bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator Beato Petro Apoſtolo & prædeceſſoribus veſtris jamdudum per Donationis paginam reſtituerunt, hoc eſt, civitatem Ravennam, & Æmiliam, & Bobium, Cæſenum, Forum-Popillii, Forum-Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis, atque Inſulis, in terra marique ad ſupradictas civitates pertinentibus; ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Æſium, Forum-Sempronii, Montem-Feretri, Urbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, Eugubium, cum omnibus finibus & terris ad eaſdem civitates pertinentibus.* Hunc textum Tomo quinto jam deſcripſimus, explicuimúſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum [a]. Non diſſimulavimus reperiri pleroſque, qui pro territorio Balnenſi Valvenſe ſubſtituant aut Balmenſe, ſed agros Valvenſem & Balmenſem procul à limitibus Donationis Pippininæ ſitos oſtendimus. Hîc autem obſerva quo ſenſu Pippinus & Carolus civitates ipſas, quas Apoſtolicæ Sedi conceſſerunt, eidem Sedi reſtituiſſe perhibeantur, ne tibi ſcrupulum in præcitata Ludovici Conſtitutione moveat hæc loquendi formula, *piæ recordationis Domnus Pipinus Rex ac bonæ memoriæ genitor noſter Carolus Imperator Beato Petro Apoſtolo & prædeceſſoribus veſtris jamdudum per Donationis paginam reſtituerunt.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto Pippinus Donationem Stephano Tertio Papæ ſucceſſoribúſque fecit, quantamcumque nepos Ludovicus illam in ſua Conſtitutione delineavit. At Stephanus partem tantùm iſtius Donationis tunc accepit, Aiſtulpho Longobardorum Rege partem alteram perfidiosè retinente. Idcircò Ludovicus Imperator & Anaſtaſius Bibliothecarius, cùm Pippininam Donationem exponunt, inter ſe multùm diſcrepant, illam enim longè diverſis circumſcribunt limitibus, ille latioribus quia recenſet civitates quas Pippinus in ſuo Diplomate complexus eſt, hic autem anguſtioribus quia nominat eas duntaxat civitates quas reverſo in Franciam Pippino Stephanus Papa ſtatim recepit. Aiſtulphus cunctas urbes, quas Pippinus Romano Pontifici conceſſerat, in manus Stephani venire non permiſit, idque liquido paret cùm ex eo quòd apud Anaſtaſium [b] Deſiderius Aiſtulfi ſucceſſor legitur *ſe redditurum profeſſus civitates quæ remanſerant, imò & copioſa daturum munera*; tum ex eo quòd in literis [c], quas poſt Aiſtulfi mortem Stephanus ad Pippinum direxit, Deſiderius dicitur *ſub jurejurando pollicitus reſtituere Beato Petro civitates reliquas, Faventiam, Imolam, & Ferrariam, cum earum finibus; ſimul etiam & ſaltora, & omnia territoria, necnon & Auſimum, Anconam, & Humanam, civitates cum earum territoriis, & poſtmodum civitatem Bononiam cum finibus ejus.* Stephano Tertio ſucceſſit Paulus Primus. Hic ſub initium ſui Pontificatûs apud Pippinum de Longobardis, quòd civitates, ut polliciti fuerant, Beato Petro non reſtituerent, per literas [d] ita queſtus eſt.

[a] Nn. 20. & ſeqq.

[b] In Steph. III.

[c] Cod. Carol. ep. 8.

[d] Cod. Carol. ep. 27.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Direxit nobis insignis Bonitas vestra, per suos affatus sibi innotescere adversantium causarum eventus. Unde certam à Deo protectam Eximietatem vestram reddimus, nihil nos usque hactenus recepisse de his, quæ per nostros Legatos Excellentiæ vestræ petendo mandavimus. Solitè namque perfidi & maligni illi in magna arrogantia cordis permanentes, nequaquam inclinantur justitiam Beati Petri restituere. Deinde in aliis ad eundem Pippinum literis [a] asseruit de Desiderio, quod Imolam certis se conditionibus redditurum promisisset. *Pollicitus est,* inquit, *nobis restituere civitatem Immolas, eâ videlicet ratione ut* &c. Præter Imolam Paulus alias quoque civitates repetebat, de quibus Pippino sic rescripsit [b]. *Conjunxit hic ad nos Romæ itidem Longobardorum Rex* Desiderius, *& cum eo loquentes, nimis eum adhortati sumus, & per sacratissimum corpus beati Petri atque etiam per tuam à Deo protectam Excellentiam fortiter illum conjuravimus, ut civitates illas, Immulas, Bononiam, Ausimum, & Anconam, quas nobis præsentialiter, simul per vestros Missos, id est, Folradum Deo amabilem Abbatem & Presbyterum, atque Rodbertum, Excellentissimæ Christianitati tuæ & per te etiam beato Petro Apostolorum Principi pollicitus est redditurum, restituere deberet. Quod minimè adquiescere inclinatus est.* Inter Paulum ac Desiderium durabat adhuc dissidium anno Christi septingentesimo sexagesimo, mense Aprili, Indictione decimâ-tertiâ. Sub initium illius anni pervenerunt in Italiam Oratores Pippini Regis, quibus Desiderius spopondit se plenissimè Paulo restituturum omnia beati Petri patrimonia, jura etiam, loca, fines, & territoria diversarum civitatum, quæ Reipublicæ Romanorum fuerant, atque reipsà partem reddidit, aliam quoque pollicitus se paulò pòst redditurum. Rogavit insuper Romanum Pontificem, ut Pippinum de rebus illis certiorem faceret, quod quidem Paulus præstitisse legitur, ita tamen ut Regi Francorum supplicaret, ne desisteret à sollicitando Desiderio, donec is ritè suas omnes pollicitationes exsolvisset. Epistolæ Pontificiæ [c] fragmentum accipe. *Nuper dum ad nos conjunxissent fidelissimi vestri, constitit inter eos & Desiderium Langobardorum Regem, ut per totum instantem Aprilem mensem istius* XIII *Indictionis, omnes justitias fautoris vestri, beati Petri Apostolorum Principis, omnia videlicet patrimonia, jura etiam, & loca, atque fines, & territoria diversarum civitatum nostrarum Reipublicæ Romanorum, nobis plenissimè restituisset. Unde ex parte quidem easdem justitias nobis idem Langobardorum Rex feciſſe dinoscitur, & reliquas omnes justitias se profitetur atque omnino spondet nobis esse facturum. Quapropter impensiùs nos præfatus Desiderius Langobardorum Rex obsecratus est, ut vestræ à Deo protectæ Excellentiæ nostris Apostolicis relationibus intimare debuissemus, & ecce sicut nostro post Deum liberatori hoc ipsum eximiæ atque sublimissimæ & à Deo protectæ Christianitati vestræ per has Apostolicas nostras innotuimus syllabas,* &c. *Si verò in ea, quam præfatus Desiderius Rex vel ejus Langobardorum gens profitentes pollicentur, permanserint sponsione, nobisque omnia, secundùm ut constitit, & pactorum fœdera continent, restituta ab eis fuerint, tunc à Deo conservandæ Excellentiæ vestræ meritum intimantes innotescemus ei. Unde obsecrantes petimus, & obnixè deprecamur, imò & conjuramus te, Excellentissime atque Christianissime Rex amantissime fili, & spiritalis compater, per Omnipotentem Deum & beatum Petrum, qui te in Regem unxit, ut perfectiùs ea, quæ pertinent ad exaltationem & ad ampliatam liberationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & istius à vobis redemptæ provinciæ, sicut beato Petro, & nostro prædecessori Pontifici sanctæ recordationis Domno & germano nostro beatissimo Stephano Papæ polliciti estis, cuncta perficere & adimplere jubeatis, quatenus* &c. Paulus de Longobardorum fraude conqueri non destitit. *De finibus,* inquit [d], *civitatum nostrarum, & patrimoniis beati Petri, ab eisdem Langobardis retentis atque invasis, nihil usque hactenus; etiam ea, quæ primitus reddiderant, denuò invaserunt.* Anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo Romam perrexerunt Oratores Pippini Regis, ut explorarent utrùm Desiderius ea restituisset, quæ se redditurum promiserat, compertóque quòd

[a] Cod. Carol. ep. 29.
[b] Cod. Carol. ep. 15.
[c] Cod. Carol. ep. 21.
[d] Cod. Carol. ep. 17.

Digitized by Google

eorum quæ pollicitus fuerat nihil adhuc præſtitiſſet, in Franciam ſtatim redierunt cum literis Pontificiis [a], in quibus hæc Paulus ad Pippinum. *Innotuiſtis, ob hoc vos præſentes direxiſſe Miſſos, ut agnoſcere per eos valuiſſetis, utrùm nobis à parte Langobardorum plenaria facta fuiſſent juſtitiæ, an non; ipſi omnino cauſæ meritum comperti ſunt, & callidam verſutiam atque ſolitè falſiloquam propoſitionem eorundem veſtrorum noſtrorúmque æmulorum agnoverunt, eiſque ad vos revertentibus, Deo propitio, veſtris propalabunt in auribus.* Obiit eodem anno Paulus, Pippinus ſequenti. Pippino ſucceſſerunt Carolus & Carolomannus. Hos Stephanus Papa Quartus, ut in firmo propoſito rerum, quæ beato Petro ſublatæ fuerant, à Longobardis exigendarum conſtantiſſimè permanerent, & cuilibet illas redditas aſſerenti fidem denegarent, per tremendum judicii diem & ipſius Principis Apoſtolorum nomine ſic obteſtatus eſt [b]. *Videte, Excellentiſſimi filii, quia obteſtamur vos per tremendum diem judicii, etiam beatus Petrus per nos vos adhortatur atque obteſtatur, ut ſub nimia velocitate ipſas juſtitias ejuſdem Principis Apoſtolorum exigere à Langobardis jubeatis, fortiter eos cum Dei virtute diſtringentes, ut ſua propria idem Princeps Apoſtolorum atque Sancta Romana Eccleſia recipiat. Nam ſi, quod non credimus, ipſas juſtitias exigere neglexeritis aut diſtuleritis, ſciatis vos de iſtis rationem fortiter ante tribunal Chriſti eidem Principi Apoſtolorum eſſe facturos. Si quis autem vobis dixerit, quòd juſtitias beati Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis.* Carolus Monarchiam Francorum adeptus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo. Mortuus eſt anno proximo Stephanus Papa. Datus eſt ei ſucceſſor Hadrianus. Hic auxilium à Carolo popoſcit adversùs Deſiderium, qui graves minas intentabat. Secutum eſt bellum Longobardicum. Deſiderius in Caroli poteſtatem venit cum tota Longobardia. Carolus ſubacto Longobardiæ Regno Donationem Pippini patris confirmavit, Apoſtolicæque Sedi ſtatim conceſſit civitates in illa Donatione comprehenſas, quas Aiſtulphus & Deſiderius Longobardorum Reges ad illud uſque tempus retinuerant, licèt eas Romano Pontifici ſe daturos ſæpè promiſiſſent. Hæc geſta ſunt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto. Nihil igitur Pippinus & Carolus Francorum Reges Romanis Pontificibus aut abſtulerunt aut reſtituerunt, ſed quemadmodum Aiſtulfus & Deſiderius Donatione Pippini priùs approbatâ & confirmatâ dicuntur eas Apoſtolicæ Sedi civitates abſtuliſſe, quas in illius Sedis poteſtatem ſe tranſmiſſuros polliciti ſunt nec tranſmiſerunt, ita Pippinus & Carolus aſſeruntur eidem Sedi civitates reſtituiſſe, quas ſub Romani Pontificis poteſtate poni curarunt vi Donationis ab ipſo Pippino factæ, ſeu ceſſerunt eas Longobardi metu Francorum, ſeu Longobardis ademptas in ditionem Romani Pontificis tranſtulerunt Franci.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

[a] Cod. Carol. ep. 19.
[b] Cod. Carol. ep. 47.

Tertiò, Ludovicus Donationem Apoſtolicæ Sedi anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo à patre Carolo factam ſic confirmat. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Summo Pontifici ac Univerſali Papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum ..... territorium Sabinenſe, ſicut à genitore noſtro Carolo Imperatore Beato Petro per Donationis ſcriptum conceſſum eſt, & ſub integritate, quemadmodum ab Iterio & Majenario Abbatibus illius Miſſis inter idem territorium Sabinenſe & Reatinum diffinitum eſt.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto Carolus Pippininam Donationem non tantùm confirmavit ſed etiam auxit, & anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo Sabinenſe territorium cum illa auctione permutavit. Abhinc Sabinenſe territorium in ditione Romani Pontificis fuit. Lege quæ dicta ſunt ad illos annos Tomo ſuperiore [c].

XII.

[c] An. 774. nn. 5. & ſeqq. a. 781 n. 4.

Quartò, Ludovicus Donationem Apoſtolicæ Sedi anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo à patre Carolo factam ſic confirmat. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo Domino Paſchali Sum-*

XIII.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

mo Pontifici ac Universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum ..... in partibus Tusciæ Longobardorum, Castellum Felicitatis, Urbivetum, Balneum-Regis, Ferenti Castrum, Viterbium, Martam, Tuscanam, Populoniam, Soanam, Rosellas; ..... item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Theanum, & Capuam. Hujus Carolinæ Donationis duæ sunt partes, una in Tuscia ponitur, altera in Campania. Ludovicus inter utramque meminit nonnullarum Insularum, quas omisimus in textu proximè descripto, quia non ad Caroli sed ad ipsiusmet Ludovici Donationem pertinent.

XIV. NECNON ET INSULIS CORSICA ET SARDINIA.

Quintò, Ludovicus Apostolicæ Sedi per suam Donationem concedit *Insulas Corsicam & Sardiniam & Siciliam sub integritate cum omnibus adjacentibus territoriis, ac maritimis littoribus, portubus, ad supradictas civitates & Insulas pertinentibus.* Mendum in hanc partem Constitutionis irrepsit, Sicilia enim in potestate Pippini, Caroli, ac Ludovici Pii nusquam fuit. Præterea intrusæ sunt hæ voces, *ad supradictas civitates,* nam relationem habent ad civitates DCCLXXXVII Tusciæ, quas anno Christi Carolus Apostolicæ Sedi concessit, serius autem Corsica & Sardinia Francis paruerunt. Ludovicus emendato Constitutionis textu censendus est dedisse Romanis Pontificibus *Insulas Corsicam & Sardiniam sub integritate cum omnibus territoriis ac maritimis littoribus & portubus ad supradictas Insulas pertinentibus.* Ex Caroli Donationibus nihil ad ditionem Romani Pontificis accessit præter Sabinense territorium anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, & aliquot civitates Tusciæ ac Campaniæ anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo. Corsica Francicæ ditionis adhuc erat anno Redemptoris octingentesimo cùm Nebii Cathedralis [a] Ecclesia reparata est à Francis, anno Redemptoris octingentesimo sexto cùm illam Insulam *contra Mauros qui eam vastabant classis de Italia à Pipino* Rege *missa est* [b], & anno Redemptoris octingentesimo septimo cùm Carolus *Burchardum Comitem Stabuli sui cum classe misit* in eandem Insulam *ut eam à Mauris qui superioribus annis illuc prædatum venire consueverant defenderet* [c]. Pluribus non opus est probationibus, ut intelligas Corsicam post annum Christi septingentesimum octogesimum-septimum in ditione Francorum fuisse. Nullum occurrit argumentum quo probare quis possit Carolum Magnum Sardiniâ potitum esse. *Legati Sardorum* [d] *de Carali civitate venerunt, dona* Ludovico Augusto *ferentes* anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto. Tunc Sardos in Francorum potestatem primùm venisse credimus. Donationes igitur Pippininam & Carolinam Ludovicus ut integro Ducatu Romano si Narniam excipias, sic & nobilissimis auxit Insulis, Corsicâ videlicet & Sardiniâ. Quapropter quæ de duabus illis Insulis in ejusdem Ludovici Constitutione leguntur, extra locum posita sunt, textuique, qui totus est de Ducatu Romano, subjici sic debent. *Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Paschali Summo Pontifici ac Universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum civitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis & maritimis littoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac viculis in Tusciæ partibus, id est, Portum, Centumcellas, Care, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepet, Castellum Gallesii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, cum tribus Insulis suis, id est, majorem & minorem, Pulvensem, & lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad supradictas civitates pertinentibus; simili modo & in partibus Campaniæ, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Frusinonem, cum aliis partibus Campaniæ, necnon & Tibur, cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus; & Insulas Corsicam & Sardiniam sub integritate cum omnibus territoriis ac maritimis littoribus & portubus ad supradictas Insulas pertinentibus.*

[a] Ughell. Tom. 4.

[b] Annal. Loisel.

[c] Idem Annal.

[d] Annal. Laurish.

XV. Textu Constitutionis sic emendato, habes primùm in uno contextu Donationem Ludovici, quæ consistit in integro Ducatu Romano si Narniam exceperis,

exceperis, atque in Inſulis Corſica & Sardinia; deinde confirmationem trium Donationum Pippininæ ſcilicet, & duarum Carolinarum, quarum prior facta eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo, poſterior anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo. AN. CH. 817.

XVI. Sequuntur multa de patrimoniis, cenſibus, ac penſionibus, ſed illis omnibus gaudet Romanus Pontifex abſque ſupremo territoriorum dominio, in quibus ſita ſunt hujuſcemodi patrimonia, vel ex quibus hujuſcemodi cenſus & penſiones inferuntur, ideóque ſuper hac Conſtitutionis parte nihil adnotamus.

XVII. Neoterici quidam aiunt jus confirmandorum Pontificum, quod primùm Reges Oſtrogothorum, poſteà Imperatores Orientis uſurparunt, penes Reges quoque Francorum ad hunc uſque annum fuiſſe, quo Ludovicum Pium tabulis ſuprà recitatis in gratiam Paſchalis Papæ de ſuo jure deceſſiſſe contendunt. Rem ipſam, & Ludovici Diploma, ſub cujus finem de electione & conſecratione Romani Pontificis agitur, paulò fuſiùs accuratiúſque perpendemus.

NIHIL INNOVAT IN ELECTIONE ET CONSECRATIONE PP.

XVIII. Theodoricus Rex Oſtrogothorum Arianus anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſexto Summi Pontificis electionem ſibi procaciter arrogavit; ut autem ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet occaſio refragandi, quem in Romano Clero probatiſſimum novit virum, Felicem [a] Papam nominavit. Paucis pòſt menſibus extinctus eſt. Succeſſores tantùm præſumere haud auſi, adhibitâ quadam moderatione, ſuo deinceps aſſenſu confirmarunt, quem Clerus Pontificem ex priſtino uſu delegiſſet. Romam auſpiciis Juſtiniani Imperatoris cepit Beliſarius anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-ſexto, ſed quod anteà ſub Arianis Oſtrogothorum Regibus præſumptum fuerat, Juſtinianus, & qui poſt eum in Oriente imperarunt, idem jus confirmandi Pontificem ſibi retinuerunt. Pelagium primum, qui ſedere cœpit anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quinto, non ſine aſſenſu, imò & promotione Juſtiniani, Pontificem creatum indicat Anaſtaſius [b]; & Gregorius Magnus, qui confirmationem ſui Pontificatûs à Mauritio Imperatore accepit anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo, hujuſcemodi probationem Romani Pontificis non ſine certa pecuniæ oblatione fieri ſolitam ſcribit [c]. Poſtquàm quis electus à Clero fuerat in Pontificem, priuſquàm ab Imperatore confirmaretur, Romanæ ac totius univerſalis Eccleſiæ curam haud gerebat ſolus, ſed quatuor ſimul ejuſdem Eccleſiæ præcipui miniſtri ad id muneris adhibebantur. Anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono, imperante Heraclio, Scoti Epiſcopi literas ad Severinum Papam de celebratione Paſchatis & de reviviſcente in Scotia Pelagianiſmo miſerunt; at, cùm Severinus jam obiiſſet, Clerus Romanus unà cum ipſo Joanne electo necdum confirmato eas aperuit, & Scotis conſultationum ſuarum reſponſa dedit, ut hæc apud Bedam [d] teſtatur præfatio. *Hilarius Archipresbyter & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joannes Diaconus & in Dei Nomine electus, item Joannes Primicerius & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Joannes ſervus Dei Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis.* Conſtantinus Pogonatus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo ſcriptis ad Agathonem Papam literis [e] Romanam Eccleſiam liberavit ab illa penſitatione pecuniæ, quam Romani Pontifices recèns creati perſolvere conſueverant Imperatori, jus tamen confirmandi Romani Pontificis retinuit, donec anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, auditâ electione Benedicti Secundi, tandem conceſſit, ut, qui deinceps eligeretur in Summum Pontificem, mox nullâ expectatâ confirmatione Imperatoris ordinaretur. Annis ſequentibus Apoſtolica Sedes priſtinâ libertate gaviſa eſt. Anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo Gregorius Secundus Papa Leonem Tertium Imperatorem, qui ante quinquennium in Iconoclaſtam defecerat, ſæpiùs monitum & reſipiſcere nolentem anathemate perculit [f], cúmque parum fideret Luitprando Longobardorum Regi, quocum

[a] Caſſiod. l. 8. ep. 15.

[b] In Vigil. ſub fin.

[c] In 7. Pſalm. pœnit.

[d] lib. 2. c. 19.

[e] Anaſtaſ.

[f] Theoph.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Imperator anno ſuperiore fœdus ad expugnandam Romam inierat[a], miſsâ Legatione primus Romanorum Pontificum à Francis auxilium expetiit. Tunc conventum eſt, ut quiſquis ad Pontificatum eveheretur, is ſtatim poſt conſecrationem ſuam Legatos in Franciam dirigeret, qui Sedem Apoſtolicam inter ac Francos amicitiam, charitatem, pacémque conſociaret, prout deinceps temporibus Caroli Martelli, Pippini Regis, & Caroli Magni factum ſic teſtatur Ludovicus Pius in præcitata Conſtitutione. *Cùm conſecratus fuerit, Legati ad nos vel ad noſtros ſucceſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & inter illum amicitiam & charitatem & pacem conſocient, ſicut temporibus piæ recordationis Domni Caroli atavi noſtri, ſive Domni Pippini avi noſtri, vel & Caroli Imperatoris genitoris noſtri conſuetudo erat faciendi.*

[a] Anaſtaſ. in Gregor II.

XIX.

Poſt Gregorium Secundum, unus Gregorius Tertius, ad quem Ludovicus dubio procul alluſit, Pontificatum iniit ſuperſtite Martello, plures Pippino Martelli filio vel Majore-domûs vel Rege. Extant Pauli Primi literæ[b], in quibus, ut intendimus, renovatio fœderis & amicitiæ continetur, nullum autem eſt verbum de conſenſu Regis & confirmatione Pontificatûs ante conſecrationem expectanda. *Innoteſcimus à Deo protectæ Excellentiæ tuæ, potentiſſime Victor Rex, Dei vocatione de hac luce ad æternam requiem eſſe ſubtractum ſanctæ recordationis Dominum & Germanum meum Stephanum Papam, in cujus etiam tranſitu & ipſi lapides, ſi dici poteſt, nobis conflentes lacrymaverunt. In cujus Apoſtolatûs ordinem à cuncta populorum caterva mea infelicitas electa eſt. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Immo Chriſtianiſſimæ Excellentiæ tuæ Miſſus, & cum eo loquentes, unà cum noſtris Optimatibus, aptum perſpeximus eum hîc detineri, donec Dei providentiâ ſacrâ Apoſtolicâ benedictione illuſtrati fuiſſemus, & tunc pleniùs ſatisfactus de noſtra vel populi puritate & dilectione, quam erga tuam benigniſſimam Excellentiam & cunctam gentem Francorum gerimus, eum ad vos repedandum cum noſtris Miſsis Apoſtolicis abſolveremus. Quoniam nos pro certo agnoſcas, Excellentiſſime & à Deo protecte noſter poſt Deum auxiliator & defenſor Rex, quòd firmi & robuſti uſque ad animam & ſanguinis noſtri effuſionem in ea fide & dilectione & charitatis concordia atque pacis fœdere, quæ præfatus beatiſſimæ memoriæ Dominus & germanus meus Sanctiſſimus Pontifex vobiſcum confirmavit, permanentes, & cum noſtro populo permanebimus uſque in finem.* Paulus obiit tertio Kalendas Julias, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo. Sedem Apoſtolicam per vim invaſit tertio Nonas Julii Conſtantinus neophytus. Hic in ipſo ſui pſeudo-pontificatûs initio ſuam electionem ac conſecrationem per literas[c] Pippino Regi ſignificavit, poſtulavitque ut ſicut anteceſſores in ejus amicitia permanere poſſet. *Omnino*, inquit, *credimus jam præcurrentibus nuntiis ad veſtram Excellentiſſimam atque à Deo inſtitutam Regalem Potentiam perveniſſe, quòd beatæ recordationis prædeceſſore noſtro Domno Paulo Papâ de hac luce, Dei vocatione, ſubtracto, Urbis vel ſubjacentium ei civitatum populus meam infelicitatem ſibimet præeſſe Paſtorem elegerunt.* Et paulò pòſt. *Idcircò obnoxiis deprecationibus tanquam præſentialiter coram veſtro melliflua Regali adſiſtens conſpectu, flexo poplite deprecor Præcellentiam veſtram, ut illud quod beato Petro polliciti eſtis, ſimúlque & charitatem & amicitiam quam cum beatæ recordationis Domno Stephano Summo Pontifice vel ejus germano prædeceſſoribus noſtris habuiſtis, omnimodo recordari ac conſervare jubeatis, & multò ampliùs exaltationem Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſpiritalis matris noſtræ atque Orthodoxæ fidei defenſionem, ac hujus nobis commiſſæ provinciæ perfectam liberationem procurare dignemini, quatenus &c.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-octavo, Nonis Auguſti, creatus eſt legitimus Pontifex Stephanus Quartus, ac poſtridie ejus diei, ut Anaſtaſius ſcribit, rebus omnibus ritè peractis eſt conſecratus, nullâ certè confirmatione expectatâ. Statim Conſtantino pſeudo-pontifice abdicare ſe & Monaſterium ſubire compulſo, Sergium in Franciam Legatum ad Pippinum direxit. Interim Pippinus è vivis diſceſſit, Sergius iter proſecutus ad Carolum & Ca-

[b] Cod. Carol. ep. 13.

[c] Cod. Carol. ep. 98.

rolomannum Pippini filios pervenit. Carolomannus obiit pridie Nonas Decembris anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo ſuperſtite Stephano. Carolus diuturniorem vitam duxit ſedentibus in Pontificatu poſt Stephanum Quartum Hadriano Primo & Leone Tertio. Hadrianus Stephano Quarto ſubrogatus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, & ſub finem ejuſdem anni Petrum Legatum ad Carolum proficiſci juſſit. Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto, die viceſimo-ſexto Decembris, quo mors Hadriani contigit, datus eſt ei ſucceſſor Leo Tertius. Extant literæ [a], per quas Carolus Leoni ſuam ad Pontificatum promotionem ſignificanti reſpondet, nullâ Regiæ confirmationis factâ mentione. Poſt obitum Leonis Tertii, Stephanus Quintus in Apoſtolica Cathedra ſedere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto; ſtatim ac conſecratus fuit, Legatos deſtinavit, *qui quaſi pro ſua conſecratione* Ludovico *Imperatori ſuggererent*, ſeu direxit Legationem, *quæ ſuper ordinatione ejus* Ludovico *Imperatori ſatisfaceret*. Ita coætanei ſcribunt Auctores, Annaliſta Laureshamenſis & Aſtronomus in vita Ludovici, palámque teſtantur Nuncios non niſi poſt Stephani conſecrationem ad Imperatorem directos fuiſſe. Paria quoque commemorant iidem de Paſchale, qui poſt Stephanum Quintum hoc eodem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo factus eſt Pontifex, & Imperatori literas muneráque tranſmiſit *poſt completam ſolenniter ordinationem ſuam*, ut obſervat Annaliſta Laureshamenſis, ſeu *poſt expletam conſecrationem ſolemnem*, ut loquitur Aſtronomus. Uterque notat etiam de Theodoro Legato, quòd poſtulatum impetravit. Annaliſta Laureshamenſis *pactum* interpretatur, *quod* à Regibus Francorum *cum præceſſoribus* Paſchalis Papæ *factum erat*, & Paſchalis *etiam ſecum fieri ac firmari rogavit*. Aſtronomus confirmationem interpretatur *pacti & amicitiæ more prædeceſſorum*, qui Pontificatum ante Paſchalem geſſerunt. Id eſt, Legati poſt conſecrationem Paſchalis ad Ludovicum directi ſunt, ut novus Pontifex, ſicut in ipſius Ludovici Conſtitutione diſertis verbis expreſſum habetur, inter Sedem Apoſtolicam Regnúmque Francorum *amicitiam & charitatem & pacem* conſociaret. Nihil igitur in electione & conſecratione Romani Pontificis innovatum eſt ex Diplomate ſuprà deſcripto, quod Ludovicus Auguſtus Paſchali Papæ per Theodorum Nomenclatorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatum hoc anno direxit.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

[a] Ap. Alcuin. ep. 84.

XX. PACEM INIT CUM CALIPHA CORDUBENSI.

Oratores, quos Abdirachmanus Alhacæ Cordubenſis Caliphæ filius in Franciam Cæſarauguſtâ petendæ pacis gratiâ direxerat, Aquiſgrani *fermè tribus detenti ſunt menſibus. Poſt hæc autem, quum eos jam taderet adventûs ſui, permiſſu Imperatoris redierunt*, ut Aſtronomus in vita Ludovici teſtatur. Pacem inter Francos ac Saracenos tunc conſtitutam ſuadent ea quæ poſt triennium ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum dicturi ſumus.

XXI. PACE CUM GRÆCIS FACTA PARTEM DALMATIÆ RETINET CERTIS LIMITIBUS DEFINITAM.

Idem Auctor alteram ſubjungit Legationem à Leone Græcorum Imperatore directam. *Ludovicus in eo etiam commorans Palatio* Aquiſgranenſi, *ad ſe venientem Miſſum ſuſcepit Leonis Conſtantinopolitani Imperatoris, nomine Nicephorum. Legatio autem, exceptâ amicitiâ & ſocietate, erat de finibus Dalmatarum Romanorum & Sclavorum. Et quia nec hi præſentes erant, nec Chadalo finium Præfectus, neque ſine illis hæc dirimi poterant, miſſus eſt in Dalmatiam ad hæc pacificanda & componenda Albigarius cum Chadalo earundem finium Principe.* Rem eandem paulò fuſiùs eóque diſtinctiùs exponit Annaliſta Laureshamenſis. *Imperator Aquaſgrani cùm perveniſſet, Legatum Leonis Imperatoris de Conſtantinopoli, pro Dalmatarum cauſa miſſum, Nicephorum nomine, ſuſcepit. Quem etiam, quia Cadolach, ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, & tamen brevi venturus putabatur, adventum illius juſſit operiri. Quo veniente, ratio inter eum & Legatum Imperatoris de quæſtionibus, quas idem detulit, habita eſt. Et quia res ad plurimos & Romanos & Sclavos pertinebat, neque ſine illorum præſentia finiri poſſe videbatur, illò decernenda differtur. Miſſíſque ad hoc*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 5. BERN. R. 4. PEPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

cum Cadolach & prædicto Legato in Dalmatiam Albigarium Unrochi nepos. Joannes Lucius [a] ut his textibus lucem afferat, Slavos ſeu Sclavos, eo quo diſtinguendos modo jam diximus, ſeparat in Orientales & Septentrionales; hos ad mare Balticum, illos in Orientalibus Francorum ditionibus collocat. Deinde Dalmatiam duas in partes dividit; quarum una Francis, altera Græcis paret. Prætmiſſis duabus his obſervationibus nihil difficultatis ſupereſt. Duplex habetur Dalmatia. Dalmatæ alii vocantur Sclavi ſeu Franci, quia Sclavis annumerantur ſub Francorum poteſtate conſtitutis; alii cognominantur Romani ſeu Græci, quia ſubſunt Imperatori Græcorum qui ſe Romanorum Imperatorem dicit. Controverſia eſt igitur *de finibus Dalmatarum Romanorum & Sclavorum*, ut Aſtronomus ſcribit, id eſt, de finibus inter Dalmatas Romanos qui morem Michaeli gerunt Imperatori Romanorum nuncupato, & Dalmatas Sclavos qui pertinent ad Regnum Francorum attribuuntúrque Ducatui ſeu Præfecturæ Foro-Julienſi, cui præeſt Cadolachus. Aliam explicationem non poſtulat Annaliſta Laureshamenſis, ait enim miſſum in Franciam Legatum *pro Dalmatarum cauſa*, nec ipſos Dalmatas aliter, quàm Aſtronomus, in Romanos & Sclavos diſtinguit, ubi rem ipſam addit *ad plurimos & Romanos & Sclavos* pertinere. Tota autem quæſtio, quæ tum vertebatur, ex mutuo partium conſenſu pacificè compoſita eſt terminis inter utroſque Dalmatas conſtitutis.

[a] Lib. 1. c. 15.

XXII. HERIOLDUM R. DANIÆ JUVAT.

Ipſo anno, inquit Aſtronomus, *filii Godefridi quondam Regis Nortmannorum, quum ab Herioldo premerentur, miſerunt Legatos petentes ab Imperatore pacem. Quæ Legatio tanquam inutilis & ſimulata ab eo rejecta eſt, auxiliúmque Heriolde contra eos datum.*

XXIII. FORTUITO CASU VULNERATUR.

Feriâ quintâ, quâ Cœna Domini celebratur, cùm Imperator ab Eccleſia peracto ſacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cùm fragili materiâ eſſet ædificata, & jam marcida & putrefacta, qua contignationem & tabulatum ſuſtinebant, tranſtra pondus aliquod ferre non poſſent, incedentem deſuper Imperatorem ſubita ruina cum XX & eo amplius hominibus, qui unà ibant, ad terram uſque depreſſit. Qui caſus cùm pleroſque ex iis qui ſimul deciderant graviter affeciſſet, illi tamen nihil aliud laſionis intulit, quàm quòd capulo gladii, quo accinctus erat, imò pectoris pars ſiniſtra contuſa eſt, & auris dextera in parte poſteriore vulnerata, femur quoque dextrum cujuſdam ligni pondere juxta inguina colliſum. Sed operâ medicorum, qui ei curam adhibebant, ſummâ celeritate convaluit. Nam viceſimo, poſtquàm id acciderat, die Noviomagum profectus venatui ſe exercebat. Unde reverſus generalem populi ſui Conventum Aquiſgrani more ſolito habuit. Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Hoc anno Cœna Domini celebrata eſt quinto Idus Aprilis. Exeunte igitur eodem menſe Aprili Ludovicus Noviomagum profectus eſt, atque inde Aquiſgranum reverſus generalem ibi Conventum habuit. Erat adhuc Noviomagi decimo-quarto Kalendas Junii, ſic enim ſcribit Joannes Plantavitius in Siſemundo Epiſcopo Lodovenſi.

SANATUS IT NOVIOMAGUM.

PRÆCEPTUM EMITTIT PRO EP. LODOVENSI.

Siſemundus cognomento Venerabilis immediatus Nebridii in Guidonis & Repertorii Nomenclatoris ſucceſſor extitit, quem Ludovicus Pius cum hominibus ejus ſub mandeburde & protectione ſua ſuſcepit XIIII *Cal. Junii, Imperii ſui anno quarto, Indictione* X, *Numagio in Palatio Regio, conceſſâ illi prius Eccleſiâ Sancti Amantii non procul ab urbe Lodova diſitâ, necnon Eccleſiis Sanctæ Mariæ, Sancti Martini, & Sancti Petri; conceſſis item eidem vallibus de Lauroſio & de Pegueirollis, ut fuſius habetur in Privilegiorum Repertorio.* Diſſimulare non poſſumus annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum, quem conſultò prætermiſimus, in eodem textu notari, & cum anno Imperii Ludoviciani quarto atque Indictione decimæ ſic componi, XIIII *Cal. Junii, Imperii ſui anno quarto, Salutis* DCCCXXIV, *Indictione* X, *Numagio in Palatio Regio*, &c. Annum illum Salutis octingenteſimum viceſimum-quartum quis expungendum non arbitretur, cùm nec anno Ludovici Auguſti quarto nec Indictioni decimæ conveniat?

AN. CH. 817. XXIV. GENERALEM AQUISGRANI CONVENTUM HABET.

Imperator Noviomago reverſus eſt Aquiſgranum, ibique *in ipſa æſtate*, ut Chronographus Moiſſiacenſis affirmat, generalem Francorum Conventum celebravit. Aſtronomus in ejuſdem Ludovici vita res Aquiſgrani tunc geſtas ad certa capita reduxit, & à Regulis ad vitam Canonicorum & Canoniſſarum ſpectantibus ſic orditur. *Imperator generalem habuit Conventum Aquiſgrani, in quo quantùm fervoris circa divinum cultum in arca pectoris geſtaret, toto adniſu declaravit. Congregatis enim Epiſcopis, nobiliſſimóque Sanctæ Eccleſiæ Clero, fecit componi ordinaríque librum, Canonicæ vitæ normam geſtantem, in quo totius illius Ordinis perfectio continetur, ſicut recluſus ipſe fatetur. In quo etiam inſeri juſſit cibi potúſque atque omnium neceſſariorum ſummam, ut omnes tam viri quàm Sanctimoniales, ſub hoc Ordine Chriſto ſervientes, nullis præpediti neceſſitatibus, liberâ ſervitute Domino omniam militare meminiſſent. Quem librum per omnes civitates & Monaſteria Canonici Ordinis ſui Imperii miſit per manus Miſſorum prudentium, qui illum in omnibus ſupradictis locis tranſcribi facerent, debitáque atque conſcripta exigerent ſtipendia miniſtrari. Quæ res magnum Eccleſiæ contribuit exultationis tripudium, & Piiſſimo Imperatori debita cum laude immortale monimentum.* Agemus de utraque Regula diſtinctè per articulos, ſed priùs occurrendum eſt eruditis viris, qui Conventum illum anno priore conſignant.

XXV.

Extant duo libri Conventûs Aquiſgranenſis; unus de Inſtitutione Canonicorum, alter de Inſtitutione Canonicarum ſeu Canoniſſarum; prior editus eſt primùm à Surio, deinde à Binio, à Sirmondo, à Miræo, & à Conciliorum Collectoribus, poſterior publicatus eſt primùm à Sirmondo, deinde à Miræo & ab Editoribus Conciliorum. Quamvis autem primus in lucem liber prodierit, fueritque priùs etiam recuſus, quàm vulgatus ſit ſecundus, utrique tamen communis eſt hæc Præfatio. *Cùm in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Chriſtianiſſimus ac Glorioſiſſimus Hludowicus ſuperno munere Victor Auguſtus, anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti* DCCCXVI, *Indictione* X, *anno ſiquidem Imperii ſui tertio, Aquiſgrani Palatio generalem ſanctúmque convocaſſet Conventum, & cœpiſſet, ſecundùm ardentiſſimam erga divinum cultum ſibi calitus inſpiratam voluntatem, multa congrua & neceſſaria de emendatione Sanctæ Eccleſiæ, illius videlicet amore, qui eam ſuo ſancto & pretioſo redemit ſanguine, eíque ſe adfuturum uſque ad conſummationem poſtulitus eſt ſeculi, ſolerter ac curioſè pertractare; eò uſque inter cetera perventum eſt, ut eumdem ſanctum & venerabilem Deo annuente aggregatum Conventum conſuleret, imò conſulendo admoneret ſuper quibuſdam Eccleſiarum Præpoſitis, qui partim ignorantiâ, partim deſidiâ, ſubditorum curam parvipendebant, & hoſpitalitatem minùs juſto diligebant, quid facto opus eſſet. Adjunxit etiam monendo, ut quia Canonicorum vita ſparſim in ſacris Canonibus & in Sanctorum Patrum dictis erat indita, propter ſimplices quoſque minúſque capaces, aliquam ex eiſdem ſacris Canonibus & ſanctorum Patrum dictis Inſtitutionis formam pari voto paríque conſenſu excerperent, per quam patenter prælatorum & ſubditorum vita monſtraretur, quatenus omnes, qui Canonicâ cenſentur profeſſione, per viam propoſiti ſui inoffenſo greſſu incederent, & in Chriſti militia devotiùs unanimes atque concordes exiſterent. Sed ut id nutu divino fieret, Dominum in commune humiliter exorandum præmonuit, ut ſervorum ſuorum exorabilibus pulſatus precibus, ejus admonitionem ſecundùm ſuam voluntatem fieri, ſuáque gratiâ eam præcedere & ſubſequi dignaretur. Ad quam etiam admonitionem ſacer Conventus intimo gaudio repletus, expanſis in cælum manibus Creatori omnium gratias agens benedixit, quippe qui talem, tam pium, támque benignum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Principem, cunctiſque ejus neceſſitatibus ſapientiſſimum ac devotiſſimum prætulerit procuratorem. Suſcipientes ergo libentiſſimè lætitérque ejus ſalubérrimam multis Deo miſerante profuturam admonitionem, licèt plerique auxiliante Chriſto devotè ac religioſè cum ſibi ſubjectis Canonicam ſervent Inſtitutionem, & in pleriſque locis idem Ordo pleniſſimè ſervetur, omnium tamen id animis ſedit, ut ſecundùm ejuſdem Principis admonitionem, unà divino freti auxilio, & ejuſdem Piiſſimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus vidē-*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

licet liberaliſſimâ largitione copiam librorum præ manibus habentes, ex Canonica auctoritate & ſanctorum Patrum dictis, veluti ex diverſis pratis floſculos carpentes hanc Inſtitutionis formam excerperent, & Canonicis obſervandam conferrent, ut quorum fortè labore, ob tarditatem ingenii, ſeu inopiam librorum, ſparſim digeſta difficilè comprehendi poſſet, ſolerti ſtudio in eodem opere breviter congeſta perfacilè ab his reperiri poſſet, per quam, ut præmiſſum eſt, & præfati recto tramite incedere & ſubditis normam vivendi abſque ignorantiæ obſtaculo ſalubriter noſſent prabere. Vigilanti ergo ſtudio eamdem Inſtitutionis formam colligere ſtuduerunt, in qua pleniſſimè continetur, qualiter & prælati vivere, & ſubjectos regere, eiſque Eccleſiaſticos ſumptus adminiſtrare, & in Dei ſervitio conſtringere, benè operantes quoque ad meliora provocare, protervos quoſque & negligentes debeant corripere. Cùm igitur hujus Inſtitutionis formam coram memorato Glorioſo Principe prolatam ſacer Conventus laudibus extuliſſet, & Eccleſiaſticâ auctoritate fulcitam laudéque dignam ac ſanctæ Eccleſiæ utillimam atque proficuam conſonâ voce prædicaret, nihilque in ea reprehenſionis ab iis, qui ſanum ſapiunt, reperiri poſſe profiteretur, ab eodem Victorioſiſſimo Principe, & ab omnibus, qui aderant, Deo gratias acclamatum eſt. Nec immeritò, quippe qui & occultâ ſuâ diſpenſatione & gratiſſimâ inſpiratione præfatum Principem, ut id fieri moneret, compulit, &, ut ad effectum perduceretur, miſerando adjuvit. Proinde omnium ſententiâ ſtatutum eſt ab omnibus, qui in Canonica profeſſione Domino militant, hanc Inſtitutionis formam, tot Eccleſiaſticorum virorum vigilanti ſtudio congeſtam, digniſque præconiis laudatam, juxta virium poſſibilitatem modis omnibus obſervandam, quatenus hanc, ſive aliarum ſanctarum Scripturarum documenta, ſedulâ meditatione perlegentes & prælati & ſubditi, vocatione quâ vocati ſunt, ope divinâ adminiculati, infatigabiliter ambulent, & pro tam Piiſſimo Principe, qui ob lucrum animarum hoc ſacrum & venerabile Concilium ad hanc formam congerendam & ſtatuendam ſalutiferis admonitionibus excitavit, moderniſque futuriſque temporibus Dei immenſam clementiam jugiter exorent. Nam & in altero libello idem ſacer Conventus, eodem Religioſiſſimo Auguſto monente, quandam Inſtitutionis formulam ex ſanctorum Patrum dictis ſtudioſè excerpſit, & in unum breviter ſatisque congruenter congeſſit, & Sanctimonialibus Canonicè degentibus tenendam percenſuit. In qua continetur, quales eis Abbatiſſæ præferendæ ſint, qualiter eiſdem Sanctimonialibus infra claustra Monaſterii vivendum, quid à prælatis ſtipendiorum dandum, quibus documentis & virtutum inſtrumentis exornandæ ſint, quatenus hac formulâ vivendi inſpectâ, &, Deo ſibi adjutorium prabente, humiliter ſuſceptâ & efficaciter impletâ, cum bonorum operum lampadibus venienti ſponſo apparere atque ejus thalamum ingredi mereantur. Ex illa Præfatione, quæ utrique Regulæ Canonicorum & Canonicarum communis erat, hæc videtur excerpta, quam Jacobus Sirmondus Regulæ Canonicarum ſpeciatim præfixam in Codice Nicolai Fabri reperit. *Hanc Conſtitutionem ſacer Conventus anno Incarnationis Domini* DCCCXVI, *Indict.* X, *anno ſiquidem Glorioſiſſimi Ludowici Imperatoris tertio, in Aquiſgrani Palatio, eodem monente Principe, ob animarum Sanctimonialium canonicè degentium ſalutem, divinâ inſpirante gratiâ, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, velut ex pratis vernantibus quoſdam floſculos collegit, & in unum congeſſit, atque communi voto communique conſenſu Sanctimonialibus tenendam obſervandámque percenſuit.*

XXVI. Utrobique tres hi Characteres exhibentur; annus Redemptoris octingenteſimus decimus-ſextus, Indictio decima, & annus tertius Ludovici Imperatoris. Simul verò convenire non poſſunt, niſi poſt Kalendas Septembres, quibus cœpta eſt Indictio decima, nam per priores octo menſes ejuſdem anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-ſexti nona currebat Indictio. Sed Ludovicus ante menſem Septembrem, qui decimam Indictionem aperuit, Remos perrexit adventum Stephani Papæ præſtolaturus. Deinde ad illum annum apud antiquos Auctores nulla fit mentio Conventus Aquiſgranenſis, fit autem ad annum Redemptoris octingenteſimum deci-

Digitized by Google

mum-ſeptimum currente adhuc Indictione decimâ. Ludovicus in Cœna Domini, ſeu quinto Idus Aprilis, fortuito caſu vulneratus eſt, *ſed operâ medicorum, qui ei curam adhibebant, ſummâ celeritate convaluit. Nam viceſimo, poſtquam id acciderat, die Noviomagum profectus venatu ſeſe exercebat. Unde reverſus generalem populi ſui Conventum Aquiſgrani more ſolito habuit.* Verba ſunt Annaliſtæ Laureshamenſis ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum. Conſentit Aſtronomus, ſic. *Adhibito medicorum ſtudio, quambrevi priſtinæ ſaluti eſt reſtitutus. Viginti namque peractis diebus Noviomagum venatum petiit. Quo peracto negotio, Imperator generalem habuit Conventum Aquiſgrani.* Et Chronographus Moiſſiacenſis. *Anno* DCCCXVII. *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Paſcha. Et in ipſa æſtate juſſit eſſe ibi Conventum populi de omni Regno vel Imperio ſuo apud Aquis Sedem Regiam, id eſt, Epiſcopos, Abbates, ſive Comites, & Majores natu Francorum.* Tribus his coætaneis Auctoribus, adjungi poſſunt Annaliſtæ Bertinianus ac Metenſis. Conventus igitur Aquiſgranenſis, in quo Regulæ Canonicorum & Canonicarum ſancitæ ſunt, habitus eſt in æſtate, Indictione decimâ, id eſt, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXVII, Ludovici Imperatoris anno IV, malè in vulgatis exemplaribus anno Incarnationis Dominicæ DCCCXVI, Ludovici Imperatoris anno III.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. IN QUO MULTA SANCIUNTUR,

Inſtitutio Canonicorum conſtat articulis centum quadraginta-quinque, quorum poſtremus dicitur *Epilogus breviter digeſtus.* Tredecim ſupra centum ſumpti ſunt aut ex ſcriptis Patrum aut ex Codice Canonum, quem Carolus Magnus ad uſum Occidentalium Eccleſiarum accepit oblatum ab Hadriano Papa, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-quartum [a] probavimus. Sufficiet titulos ſingulorum capitum notaſſe cum nominibus ſeu Doctorum ſeu Synodorum unde prodierunt.

XXVII. DE VITA CANONICORUM,

[a] Num. 16.

Caput primum octóque proximè ſequentia ſumpta ſunt ex Sancto Iſidoro, libro ſecundo Officiorum Eccleſiaſticorum, capitibus, quarto, quinto, ſeptimo, octavo, decimo, undecimo, decimo-tertio, decimo-quarto, & libro ſeptimo Etymologiarum, capite duodecimo, inſcribuntúrque *de tonſura Clericorum, de Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, Acolytis, Subdiaconibus, Diaconibus, Presbyteris, & Sacerdotibus.* XXVIII.

Capita decimum & undecimum inſcribuntur *de Epiſcopis*, ſúntque excerpta Sancti Hieronymi, unum ex Commentariis in Epiſtolam ad Titum, alterum ex epiſtola ejuſdem Hieronymi ad Oceanum. XXIX.

Caput duodecimum inſcribitur *de Paſtoribus*, éſtque Sancti Auguſtini de Paſtoribus Eccleſiæ. XXX.

Capita decimum-tertium & decimum-quartum inſcribuntur etiam *de Paſtoribus*, nempe *quales in Eccleſia eligi debeant, & ut indigni atque imperiti ad Paſtorale Magiſterium accedere non præſumant*, leguntúrque apud Sanctum Gregorium in libro de cura Paſtorali. XXXI.

Capita decimum-quintum & decimum-ſextum inſcribuntur *de indignis & indoctis Præpoſitis*, ſumptáque ſunt ex Sancto Iſidoro, libro tertio Sententiarum, capitibus triceſimo-quarto & triceſimo-quinto. XXXII.

Caput decimum-ſeptimum inſcribitur *de his, qui in regimine prodeſſe poſſunt, ſed idem officium per quietem propriam refugiunt*, ſumptúmque eſt ex libro Sancti Gregorii de cura Paſtorali, parte primâ, capitibus quinto & ſexto. XXXIII.

Caput decimum-octavum inſcribitur *de Præpoſitis Eccleſiæ*, éſtque apud Sanctum Iſidorum caput triceſimum-tertium libri tertii Sententiarum. XXXIV.

Caput decimum-nonum hunc habet titulum. *Quòd Sacerdotes Sancti contemplativæ vitæ fieri participes poſſunt.* Sumptum dicitur ex libro primo Sancti Proſperi de vita contemplativa, capite decimo-tertio. Sed in notis ad Concilium hoc Aquiſgranenſe Jacobus Sirmondus multis argumentis oſtendit tres libros de vita contemplativa, qui temporibus Ludovici Pii Proſpero XXXV.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

jam tribuebantur, posterioribúsque seculis ejus nomine vel citati sunt vel editi, non esse Prosperi sed Juliani Pomerii teste Sancto Isidoro in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, capite duodecimo, teste & manuscripto Codice Sancti Salvatoris Vicecomitis in Episcopatu Constantiensi. Miræus aliique sententiam Sirmondi laudarunt. Ad eam confirmandam addi potest auctoritas alterius Codicis, qui servatur in Monasterio Beatæ Mariæ de Trappa Diœcesis Sagiensis.

Caput vicesimum inscribitur *de doctrina & exemplis Præpositorum*, occurritque apud Sanctum Isidorum libro tertio Sententiarum, capite tricesimo-sexto.

Capita vicesimum-primum & vicesimum-secundum inscribuntur *de humilitate Præpositorum*; unum est Gregorii Magni, parte secundâ curæ Pastoralis, capitibus quarto & sexto; alterum est Sancti Isidori, libro tertio Sententiarum, capite quadragesimo-secundo.

XXXVI. XXXVII. XXXVIII. Caput vicesimum-tertium inscribitur *de doctrina discretione*, éstque quod apud eundem Isidorum in libro quoque tertio Sententiarum proximè sequitur caput quadragesimum-tertium.

XXXIX. Caput vicesimum-quartum hoc decoratur titulo. *Qualiter prælati subjectos doceant, atque semetipsos discretâ circumspectione provideant.* Habetur autem apud Sanctum Gregorium in libro curæ Pastoralis, præsertim in prologo tertiæ partis, & in secunda parte, capite tertio.

XL. Caput vicesimum-quintum inscribitur *de Doctorum silentio*, éstque quadragesimum-quartum apud Sanctum Isidorum in libro tertio Sententiarum.

XLI. Caput vicesimum-sextum hoc afficitur titulo. *Quòd nihil prosit Sacerdoti, etiamsi benè vivat, si malè viventes tacendo non arguat.* Estque vicesimum libri primi de vita contemplativa, auctore Juliano Pomerio, ut observatum suprà.

XLII. Caput vicesimum-septimum est *de Pastoribus non rectè gradientibus*, constátque tribus capitibus, secundo videlicet, quarto, & undecimo, editis à Sancto Gregorio, primâ parte libri de cura Pastorali.

XLIII. Caput vicesimum-octavum inscribitur *de negligentia Sacerdotis, qui doctrinæ suæ agendo contraria, personam non potest implere Doctoris*, éstque decimum-quintum libri primi de vita contemplativa, cujus Auctor Julianus Pomerius.

XLIV. Capita, vicesimum-nonum, tricesimum, & tricesimum-primum, inscribuntur *de his qui benè docent & malè vivunt; de exemplis pravorum Sacerdotum; de Præpositis carnalibus*; súntque apud Sanctum Isidorum capita, tricesimum-septimum, tricesimum-octavum, & tricesimum-nonum libri tertii Sententiarum.

XLV. Caput tricesimum-secundum est *luctuosa descriptio carnaliter viventium Sacerdotum*, ut habetur apud Julianum Pomerium capite vicesimo-primo libri primi de vita contemplativa.

XLVI. Caput tricesimum-tertium inscribitur *de iracundis Doctoribus*, éstque quadragesimum apud Sanctum Isidorum libro tertio Sententiarum.

XLVII. Caput tricesimum-quartum inscribitur *de zelo Pastoralis officii erga subditos*, sumptúmque est ex variis tractatibus Sancti Gregorii, ex Homilia videlicet duodecima libri primi super Ezechielem & ex capite tricesimo libri quinti Moralium.

XLVIII. Caput tricesimum-quintum habet hunc titulum. *Quòd Sacerdotes nihil proprium habeant, & Ecclesiæ facultates, tanquam communes, Deo rationem reddituri suscipiant.* Est autem apud Julianum Pomerium caput nonum libri secundi de vita contemplativa.

XLIX. Caput tricesimum-sextum inscribitur *de disciplina Sacerdotum in his qui delinquunt*, éstque apud Sanctum Isidorum caput quadragesimum-sextum tertii libri Sententiarum.

Capita

Capita, triceſimum-ſeptimum & triceſimum-octavum inſcribuntur *de collata Epiſcopis poteſtate ligandi atque ſolvendi, & de Epiſcopis qui pro ordinatione Sacerdotii munera libenter accipiunt*; ſumptáque ſunt ex diverſis libris Sancti Gregorii; primum partim ex Homilia viceſima-ſexta in Evangelia, partim ex libro decimo-nono Moralium, capite decimo-quarto; alterum ex Homilia quarta in Evangelia. AN. CH. 817. L.

Capita, triceſimum-nonum, quatuórque ſubſequentia, inſcribuntur *de ſubintroductis mulieribus; de Clericis uſuras accipientibus; de Privilegiis Presbyterorum; de excommunicatis, quomodo tractandi ſint, & quomodo Concilia quot annis celebranda; & quòd non oporteat demigrari*; ſumptáque ſunt ex Canonibus Synodi Nicænæ, tertio, decimo-ſeptimo, decimo-octavo, quinto, & decimo-quinto. LI.

Caput quadrageſimum-quartum repetit *non tranſmigrandum de civitate in civitatem*, idque ex Canone quinto Concilii Calchedonenſis. LII.

Capita, quadrageſimum-quintum *de his, qui in Eccleſiis, in quibus provecti ſunt, minimè perdurarunt*, & quadrageſimum-ſextum *de flectendo genu*, non differunt à Canonibus decimo-ſexto & viceſimo Concilii Nicæni. LIII.

Caput quadrageſimum-ſeptimum *de damnatis & miniſtrare tentantibus*, ſimillimum eſt Canoni quarto Concilii apud Antiochiam in encæniis habiti. LIV.

Caput quadrageſimum-octavum *de Clericis damnatis* ſimillimum eſt etiam Canoni viceſimo-nono Concilii Africani. LV.

Caput quadrageſimum-nonum *de peregrinorum ſuſceptione* idem eſt cum Canone ſeptimo Concilii apud Antiochiam in encæniis, ut jam diximus, habiti. LVI.

Capita, quinquageſimum & quinquageſimum-primum, quorum hi ſunt tituli, *quòd non liceat Clerico in duarum civitatum Eccleſiis miniſtrare, & quòd non oporteat peregrinos Clericos ſine commendatitiis miniſtrare*, conveniunt cum Canonibus decimo & decimo-tertio Concilii Calchedonenſis. LVII.

Caput quinquageſimum-ſecundum, cui præfigitur hic titulus, *quòd ſine literis ſacro miniſterio ſervientes proficiſci non debeant*, idem eſt cum Canone quadrageſimo-primo Concilii Laodicenſis. LVIII.

Caput quinquageſimum-tertium *de Clericis à communione ſummotis, ab alio non recipiendis Epiſcopo*, ſimillimum eſt Canoni decimo-ſexto Concilii Sardicenſis. LIX.

Caput quinquageſimum-quartum habet hunc titulum. *Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumpſerit, ipſe in ſe damnationem protulit.* Simillimúmque eſt capiti viceſimo-nono Concilii Carthaginienſis. LX.

Caput quinquageſimum-quintum inſcribitur *de non ſolicitandis Clericis alienis*, éſtque ſimillimum Canoni duodeviceſimo Concilii Sardicenſis. LXI.

Caput quinquageſimum-ſextum *hos, qui ſemel legerint in Eccleſia*, vetat *ab aliis promoveri*, nec differt à capite quinquageſimo-ſeptimo Concilii Africani. LXII.

Caput quinquageſimum-ſeptimum hunc gerit titulum. *Si qui Clerici ab Epiſcopis ſuis promoti contempſerint, nec ipſi maneant unde recedere noluerunt.* Id eſt, ut habet caput triceſimum-primum Concilii Carthaginienſis, *quicumque Clerici vel Diaconi pro neceſſitatibus Eccleſiarum non obtemperaverint Epiſcopis ſuis volentibus eos ad honorem ampliorem in ſua Eccleſia promovere, nec illic miniſtrent in gradu ſuo, unde recedere noluerunt.* LXIII.

Caput quinquageſimum-octavum inſignitur hoc titulo. *Ut nullus alienum Clericum ſolicitare vel tenere præſumat, ſuo Epiſcopo non præbente conſenſum.* Eſtque Decretum triceſimum-nonum Leonis Papæ Primi in Codice Canonum ſuprà laudato. LXIV.

Caput quinquageſimum-nonum, *ut in Eccleſiis convivia minimè celebrentur*, idem eſt cum nono Concilii Africani. LXV.

AN. CH. 817. Caput ſexageſimum ſic inſcribitur. *Quòd nullus Eccleſiaſticorum in tabernis comedere debeat.* Simillimum eſt capiti viceſimo-quarto Concilii Laodicenſis.

LXVI. Caput ſexageſimum-primum eſt *de avaritia*, idémque cum quinto Concilii Carthaginienſis.

LXVII.

LXVIII. Caput ſexageſimum-ſecundum ſic inſcribitur. *Quòd uſuram non ſolùm Clerici exigere non debent, ſed nec laici Chriſtiani.* Eſtque idem cum Decreto tertio Leonis Papæ Primi.

LXIX. Caput ſexageſimum-tertium eſt *de his qui eſum carnium in Clero conſtituti diffugiunt*, convenítque cum Regula decima-tertia Concilii Ancyrani.

LXX. Caput ſexageſimum-quartum inſcribitur *de numero certo Diaconorum*, éſtque Canon ultimus Concilii Neocæſarienſis.

LXXI. Capita, ſexageſimum-quintum quatuórque ſubſequentia, non differunt à Canonibus, ſecundo, octavo, decimo, duodeviceſimo, & undeviceſimo Concilii Gangrenſis, inſcribuntúrque *de his qui abominantur eos qui carnibus veſcuntur; de his quæ in uſus pauperum conferuntur; de his qui pro virginitate ſuperbiunt; de his qui Dominico die jejunant tanquam nihil præ ceteris differentes; de his qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt.*

LXXII. Capita, ſeptuageſimum, quatuórque ſubſequentia, non differunt à Canonibus, ſecundo, tertio, ſexto, undecimo & duodecimo Concilii Antiocheni, inſcribuntúrque *de his qui ſe à perceptione ſanctæ communionis avertunt, & qui excommunicatis per domos communicant; de his qui ab alia Parochia præter conſcientiam Epiſcoporum ſuorum in aliis commorantur; de Clericis excommunicatis, vel laicis; de Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem; de damnatis Epiſcopis aut Clericis adeuntibus Imperatorem.*

LXXIII. Capita, ſeptuageſimum-quintum, novémque ſubſequentia, conſtituta ſunt ex Canonibus Concilii Laodicenſis, quinto, decimo-quinto, viceſimo, viceſimo-quinto, viceſimo-ſexto, duodetriceſimo, quadrageſimo-ſecundo, quadrageſimo-quarto, quinquageſimo-quarto, & duodeſexageſimo, cum his titulis. *Ut hi qui in ſacrario ſerviunt, uſuras non exigant. De his qui debeant in ambone, id eſt, in pulpito, pſallere. De honore, quem Presbyteris Diaconi, qui ſub ipſis ſunt, debeant exhibere. Quòd Subdiaconi non debeant benedicere vel benedicta tribuere. De Exorciſtis, qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati. In Eccleſia prandia fieri non debere. Quòd præter Epiſcopum*, id eſt, præter juſſionem ſui Pontificis, *Clericus proficiſci non debeat. Ut ad ſacrarium mulieres non introeant. Non licere Clericis, ludicris vel publicis ſpectaculis intereſſe, nec congruere penitus Chriſtianis, comeſſationibus intereſſe. Oblationes offerri in domibus non oportere.*

LXXIV. Caput octogeſimum-quintum *de Clericis & Monachis non manentibus in ſuo propoſito*, triáque ſubſequentia, nempe *quòd non oporteat Clericos, habentes adversùs invicem negotia, proprium Epiſcopum relinquere, & ad ſeculares judicia convolare; quòd minimè Clericos tranſmigrari conveniat; quòd non liceat Clericis poſt mortem ſui Epiſcopi bona ejus diripere*; Canones ſunt Calchedonenſis Concilii, ſeptimus, nonus, viceſimus, & viceſimus-ſecundus.

LXXV. Caput undenonageſimum, cujus hic eſt titulus, *ſi quis Clericorum pauper promotus in ordine, poſteà habuerit aliquid, Eccleſiæ poteſtati ſubjiciat*, Canon eſt triceſimus-ſecundus Concilii Carthaginienſis.

LXXVI. Capita, nonageſimum & nonageſimum-primum, non differunt à Canonibus Africanis ſeptimo & viceſimo-primo, quorum hi ſunt tituli; *ut Clerici tabernas, niſi in peregrinis, non ingrediantur, & ut alienus Clericus minimè ſuſcipiatur ab alio.*

LXXVII. Caput nonageſimum-ſecundum, *ut Clericus nec ſuo nec alieno nomine fœnus exerceat*, quartum locum habet in Decretis Leonis Magni.

LXXVIII. Caput nonageſimum-tertium idem eſt cum Decreto decimo-quinto Gelaſii Papæ, *ut Clerici nullas negotiationes inhoneſtas & turpia lucra ſectentur.*

LXXIX. Capita, nonageſimum-quartum, quatuórque ſubſequentia, ſunt excerpta Sancti Hieronymi; primum de vita Clericorum ex epiſtola ad Nepotianum,

Digitized by Google

ſecundum de Inſtitutione Clericorum ex epiſtola ad Paulinum Presbyterum, tertium ex epiſtola ad Ruſticum, quartum de differentia inter Clericum & Monachum ex epiſtola ad Heliodorum, quintum de vita Clericorum ex epiſtola ad Oceanum. AN. CH. 817.

Capita, nonageſimum-nonum, duóque ſubſequentia, quibus tituli ſunt, *de Clericis, de Regulis Clericorum, & de generibus Clericorum*, deſcripta ſunt ex libro ſecundo Sancti Iſidori de Officiis Eccleſiaſticis, nec differunt à capitibus, primo, ſecundo, ac tertio illius libri. LXXX.

Caput centeſimum ſecundum docet ex Gregorio Magno *quales oporteat eſſe Clericos.* LXXXI.

Caput centeſimum tertium eſt *de ſubjectis bonis ſub Paſtorali regimine conſtitutis*, reperitúrque apud eundem Sanctum Gregorium in tertia parte libri de cura Paſtorali, conſtat enim poſteriori parte Admonitionis quintæ & priori parte Admonitionis undecimæ. LXXXII.

Caput centeſimum quartum, quod *de ſubditis* inſcribitur, eſt quadrageſimum-ſeptimum libri terti Sententiarum apud Sanctum Iſidorum. LXXXIII.

Caput centeſimum quintum, quod eſt *de invidis vel protervis ſubditis*, legitur apud Sanctum Gregorium parte tertiâ libri de cura Paſtorali, partim Admonitione nonâ, partim Admonitione undecimâ. LXXXIV.

Capita, centeſimum ſextum & quinque ſubſequentia, ſunt Juliani Pomerii de vita contemplativa; libro primo, capite viceſimo-ſecundo; & libro ſecundo, capitibus decimo quatuórque proximis, atque hoc inſcribuntur modo. *Quòd ſecundùm ſermonem Prophetæ, culpâ ſuâ pereant, qui Sacerdotum increpationes perversâ voluntate contemnunt. Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia, quæ pauperes paſcit, accipiant illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt. Qui ſint, qui etiam cum profectu animæ ſuæ, opibus ſuſtentantur Eccleſiæ. Quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere. Quæ ſint vera gaudia vel veræ divitiæ, & quid impedimenti adferant bona præſentia amatoribus futurorum. Qualiter intelligatur quod dicit Apoſtolus, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt.* LXXXV.

Capita, centeſimum duodecimum & centeſimum decimum-tertium, *de vita & moribus Clericorum*, duo ſunt ſermones Sancti Auguſtini, hique recenſentur quadrageſimus-nonus & quinquageſimus inter Sermones de diverſis. LXXXVI.

Hic deſinit prior pars Inſtitutionis ſeu Regulæ Canonicorum ex ſcriptis Sanctorum Patrum, & ex Codice Canonum, quem Hadrianus Romanus Pontifex ante annos tres & quadraginta Carolo Regi Francorum ad uſum Occidentalium Eccleſiarum dederat, concinnata. Poſterior pars conſtat duobus ac triginta capitibus, totáque dictata eſt à Patribus Aquiſgranenſis Concilii, ſi quinque excipias capita, quæ ſpectant ad horas Canonicas, deſcriptáque ſunt ex libro primo Sancti Iſidori de Officiis Eccleſiaſticis, ut inferiùs obſervaturi ſumus. Ademarus in ſuo Chronico ad finem anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-ſexti de Ludovico Auguſto ſic ſcribit. *Juſſit fieri Regulam Canonicis, excerptam de diverſis Patrum ſcripturis, decrevítque eam obſervandam à Canonicis, ut ſicut Monachi reſpiciunt ad librum Regulæ Sancti Benedicti, ſic perlegant Canonici inter ſe librum Vitæ Clericorum; quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore juſſus collegit ex diverſis Doctorum ſententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio ſuo, ut ex ipſis ea quæ viderentur congrua excerperet, & ita cum decretis Epiſcoporum, qui ibi fuerunt, vita Clericorum roborata eſt.* Hic textus Inſtitutionem ſeu Regulam Canonicorum duas in partes diſtinguit, unam ex Scriptis Patrum collegit Amalerius Diaconus, alteram Epiſcopi condiderunt adjectis aliis Decretis. Quis ille Diaconus fuerit, proximâ periodo ſic idem Ademarus docet. *Scripſit eidem Imperatori ſupradictus Amalarius librum de Officiis Divinis, & de Varietatibus eorum, & de Ordine Pſalmorum juxta Clericorum uſum antiquum.* Ademarus per librum LXXXVII.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

de Divinis Officiis intelligit libros quatuor qui *de Eccleſiaſtico Officio* inſcribi ſolent, & per librum *de Ordine Pſalmorum* deſignat librum *de Ordine Antiphonarii*. Utrumque opus ſæpè cuſum eſt adſcriptúmque Amalario Archiepiſcopo Trevirenſi, qui Chriſtophoro Browero [a] in Annalibus Trevirenſibus eſt Amalherius. At Jacobus Sirmondus in literis ad Domnum Conſtantinum Caietanum Abbatem Sancti Baronti, quas Philippus Labbeus inter addenda & corrigenda ad primum Tomum de Scriptoribus Eccleſiaſticis evulgavit, duos Amalarios ſive Amalherios vel Amalharios aut Amalerios ita diſtinguit, ut unum probet Archiepiſcopum extiſtiſſe Trevirenſem, longéque diverſum ab Amalario Diacono, qui laudatur ab Ademaro, longéque poſt Amalarii Trevirenſis Archiepiſcopi mortem ſcripſit vixitque. Trevirenſis enim Archiepiſcopus obiit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, Diaconus verò nec libros de Eccleſiaſtico Officio ante annum Redemptoris octingenteſimum decimum-nonum, nec librum de Ordine Antiphonarii ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum exaravit. Lege quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum [b]. Atque hîc tantùm obſerva, quomodo duæ diſtinguantur partes, in quas Regula Canonicorum diſtribuitur. Prima capitibus conſtat tredecim ſupra centum; altera duobus ac triginta. Prior eſt Amalarii Diaconi, qui capita centum ac tredecim ad vitam morésque Clericorum ſpectantia partim ex ſcriptis Patrum, partim ex Codice Canonum ad uſum Eccleſiarum Occidentalium tunc recepto; id eſt, ex Sancti Hieronymi Commentariis in epiſtolam ad Titum, & ex epiſtolis ad Oceanum, ad Nepotianum, ad Heliodorum & ad Paulinum Presbyterum; ex duobus Sancti Auguſtini ſermonibus quadrageſimo-nono & quinquageſimo de diverſis; ex Sancti Gregorii libro de cura Paſtorali, ex libris quinto & decimo-nono Moralium, ex Homiliis in Evangelia, & ex Homilia duodecima libri primi ſuper Ezechielem; ex variis Sancti Iſidori libris, ex ſecundo Officiorum Eccleſiaſticorum, ex tertio Sententiarum, & ex ſeptimo Etymologiarum; ex libris primo & ſecundo Juliani Pomerii de vita contemplativa; ex Conciliis, Nicæno, Ancyrano, Neocæſarienſi, Gangrenſi, Antiocheno, Laodicenſi, Calchedonenſi, Sardicenſi, Carthaginienſi, & Africano; ex Decretis Leonis Magni & Gelaſii Romanorum Pontificum accuratè collegit. Poſterior pars opus eſt Patrum Aquiſgranenſium, qui priorem partem ſeu collectionem Amalarii Diaconi lectam ſynodaliter approbarunt auxerúntque capitibus duobus ac triginta, de quibus hîc nobis ſigillatim agendum.

[a] Lib. 8. n. 18.

[b] Nn. 44. & ſeqq.

LXXXVIII. Caput centeſimum decimum-quartum, à quo poſterior Regulæ pars inchoatur, hunc gerit titulum; *quæ præcepta ſpecialiter Monachis, quæ generaliter ceteris conveniant Chriſtianis.* Concinnatum eſt ex ſcriptis Evangeliſtarum & ex epiſtolis Canonicis *propter quorumdam ſimplicium verba, qui religioſis & eruditis viris ſeſe admonentibus ac redarguentibus plerumque objicere ſolent ſolos Monachos Scripturarum Sanctarum præcepta obſervare debere.* Certè hujuſcemodi homines, quos Synodus redarguit, *inſipienter aſſerunt ſolos Monachos arctam ſectari debere viam, cùm utique Dominus arctam & anguſtam viam dicat eſſe quæ ducit ad vitam, & nemo niſi per eam in vitam ingredi poſſit æternam.* Unde & Patres Decretum ſuum ſic concludunt. *Non ſolùm igitur Monachis & Clericis, verùm etiam omnibus, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, per hanc arctam & anguſtam intrandum eſt viam.*

LXXXIX. Caput centeſimum decimum-quintum Inſtitutionem Canonicam ſic commendat. *Quia evidenti auctoritate liquet Canonicam Inſtitutionem ceteris præſtare Inſtitutionibus, debent, neceſſe eſt, qui hujus profeſſionis cenſentur nomine, procurare, qualiter in ſemetipſis eamdem Inſtitutionem vitâ & moribus exornent potiùs quàm dehoneſtent. Quoniam qui tantæ auctoritatis Inſtitutione pollent, & ſe aliis imitabiles præbere debent, verendum eſt, ne ſi (quod abſit) à propoſito exorbitaverint, Regno Dei indigni fiant. Quamquam enim Canonicis, quia in*

Digitized by Google

ſacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia habere, quod Monachis, qui ſecundùm Regularem Inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum eſt, non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum à Monachis diſtare debet vita. Monachi namque, qui Evangelicum Præceptum ſequentes, diſtractis atque renuntiatis patrimoniis, ſua Chriſto dedere, meritò de facultatibus Eccleſiæ ſubſidium accipiunt temporale, ut, quia toto mentis deſiderio cæleſtia appetunt, ſic in hac peregrinationis via ſumptibus Dominicis ſuſtententur, quatenus ad ea, quæ contempſerunt, minimè redire qualibet neceſſitatis causâ compellantur. Et quia nihil ſibi proprium reliquerunt, manifeſtum eſt illos copioſioribus Eccleſiæ ſumptibus, quàm Canonicos, qui ſuis & Eccleſiæ licitè utuntur rebus, indigere. Unuſquiſque enim, ut ait Apoſtolus, proprium donum habet à Deo.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Caput centeſimum decimum-ſextum, quid ſint res Eccleſiæ & quomodo ſint adminiſtrandæ, ſic edocet. *Res Eccleſiæ, ſicut à Sanctis Patribus traditur, & in ſuperioribus Capitulis continetur, vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore & Chriſti amore ſuccenſi ob animarum ſuarum remedium & cæleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, ut his & milites Chriſti alerentur, & Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac ſolerti curâ providendum eſt his, qui ejus facultates adminiſtrant, ne eas in ſuos ſolummodo uſus convertant, ſed magis juxta poſſibilitatem rerum, Chriſto famulantium, imò eorum in quibus Chriſtus paſcitur & veſtitur, curam gerere penitus non negligant. Sed & ſententia Beati Hieronymi non ſolùm Prælatis ſed etiam ceteris, qui rebus utuntur Eccleſiæ, vigilanter perpendenda eſt, qui ita in Commentario Matthæi Evangeliſta ait. Omnes igitur qui ſtipe Templi, & his quæ conferuntur ad uſus Eccleſiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium & Salvatoris ſanguinem. Ergo res Eccleſiæ pauperibus & militibus Chriſti ſtipendiaria debent intelligi. Unde totis niſibus Prælatis ſatagendum eſt, ut Sanctorum Patrum dictis & exemplis obſequentes, de rebus ſibi commiſſis (ut præmiſſum eſt) & ſubditos gubernent, & pauperes foveant, cunctiſque utilitatibus ac neceſſitatibus Eccleſiæ fideliter adminiſtrando conſulant, quatenus de fideli adminiſtratione ab ipſo, cujus miniſtri eſſe noſcuntur, ineffabiliter remunerari mereantur.* In hoc Capitulo Synodus alludit ad Collectionem Amalarii Diaconi ac potiſſimùm ad caput triceſimum-quintum, quod ſumptum eſt ex capite nono libri ſecundi de vita contemplativa. Auctor, poſtquàm locutus eſt de Sanctiſſimis Præſulibus Paulino Nolano & Hilario Arelatenſi, qui ſpontaneam primùm paupertatem amplexi ſunt, deinde ad Pontificatum promoti non contempſerunt facultates Eccleſiæ, ſed eas fideliſſimè diſpenſarunt, cur ita ſe geſſerint, ſic exponit. *Tales ac tanti viri, qui volentes fieri Chriſti diſcipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant, non ut poſſeſſores ſed ut procuratores facultates Eccleſiæ poſſidebant. Et idcircò ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in uſus ſuos ut proprias, ſed ut commendatas pauperibus diviſerunt. Hoc eſt enim poſſidendo contemnere, non ſibi ſed aliis poſſidere, nec habendi cupiditate Eccleſiæ facultates ambire, ſed eas pietate ſubveniendi ſuſcipere. Quod habet Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus habet commune.*

XC.

Caput centeſimum decimum-ſeptimum præcipit, ut clauſtra Canonicorum diligenter muniantur. *Præpoſitorum officii eſt, ut ſubditorum mentes Sanctarum Scripturarum lectionibus aſſiduè muniant, ne lupus inviſibilis aditum inveniat, quo ovile Domini ingredi & aliquam ovium furripere valeat. Et quamquam ab his hoc inſtantiſſimè ſpiritaliter fieri oporteat, neceſſe eſt tamen ut clauſtra, in quibus Clero ſibi commiſſo canonicè vivendum eſt, firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, niſi per portam, pateat aditus. Sint etiam interiùs Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & cetera habitationes, uſibus*

XCI.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

fratrum in una ſocietate viventium neceſſariæ. Qui verò hæc, quæ præmiſſa ſunt, juxta quod poſſibilitas ſuppetit, agere renuerit, impar minúſque idoneus ad cetera Eccleſiaſtica officia peragenda habendus eſt. Et quamquam divinâ ultione ſit dignus, Synodali tamen eſt ſententiâ feriendus.

XCII. Caput centeſimum duodeviceſimum eſt de modo diſcretionis in congregandis Canonicis tenendo. *Cavendum ſummoperè Præpoſitis Eccleſiarum eſt, ut in Eccleſiis ſibi commiſſis non plures admittant Clericos, quàm ratio ſinit, & facultas Eccleſiæ ſuppetit, ne ſi indiſcretè & extraordinariè plures aggregaverint, nec ipſos gubernare, nec ceteris Eccleſiæ neceſſitatibus, ut oportet, valeant adminiculari. Sunt namque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numeroſam Cleri congregationem volunt habere, cui nec animæ nec corporis curant ſolatia exhibere. Hi namque taliter aggregati, dum à Prælatis ſtipendia neceſſaria non accipiunt, neque Canonicum ſervant Ordinem, nec divinis Officiis inſiſtunt, clauſtra ſocietatémque relinquentes, efficiuntur vagi & laſcivi, gulæ & ebrietati & ceteris ſuis voluptatibus dediti. Quidquid ſibi libitum eſt, licitum faciunt. Proinde Præpoſitis ſolerter providendum eſt, ut in hoc negotio modum diſcretionis teneant. Scilicet ut nec pluſquàm oportet, & poſſibilitas Eccleſiæ ſuppetit, in Congregationem admittant, nec eos, quos rationabiliter gubernare poſſunt, causâ avaritiæ abjiciant.*

XCIII. Caput centeſimum decimum-nonum eſt adversùs eos, qui in Congregatione ſibi commiſſa ſolummodò ex familia Eccleſiæ Clericos aggregant. *Sunt nonnulli, qui tantùm ex familia Eccleſiaſtica Clericos in ſibi commiſſis congregant Eccleſiis, & hoc ideo facere videntur, ut ſi quando eis aliquid incommodum fecerint, aut ſtipendia opportuna ſubtraxerint, nihil querimoniæ contra ſe objicere præſumant, timentes ſcilicet ne aut ſeveriſſimis verberibus afficiantur, aut humanæ ſervituti denuò crudeliter addicantur. Hoc autem non ideo dicitur, ut ex familia Eccleſiæ, probabilis vitæ in Congregatione non ſint admittendi, præſertim cùm apud Deum non ſit perſonarum acceptio; ſed potiùs ut propter quam intulimus occaſionem, nullus Prælatorum, ſecluſis nobilibus, viles tantùm in ſua Congregatione admittat perſonas.* Hoc Capitulum, ut Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſeptimum [a] jam obſervavimus, nec in Codice Romano quem Chrodegangus Metenſis Epiſcopus conſuluit, nec in ipſa reperitur Regula quam idem Chrodegangus edidit, quia nec Auctor Regulæ juxta Romanam Eccleſiam nec Chrodegangus hoc prævidit malum, quod, ubi grave fieri cœpit, in Aquiſgranenſi Concilio mox amputatum eſt.

[a] Num. 34.

XCIV. Caput centeſimum viceſimum ſic inſcribitur. *Qui Clerici in Congregatione Canonica conſtituti Eccleſiaſtica accipere debeant ſtipendia.* Citatur à Petro Damiani [b]. Totum à nobis infrà recitabitur [c]. Concinnatum eſt ex capitibus, nono, decimo, & duodecimo libri ſecundi de vita contemplativa, quibus uſus anteà fuerat Amalarius Diaconus ad capitula, triceſimum-quintum, centeſimum ſeptimum, centeſimum octavum, & centeſimum nonum, his inſignita titulis. *Quòd Sacerdotes nihil proprium habeant, & Eccleſiæ facultates, tanquam communes, Deo rationem reddituri ſuſcipiant. Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſiis, quæ pauperes paſcit, accipiunt illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt. Qui ſint, qui etiam cum profectu animæ ſuæ, opibus ſuſtentantur Eccleſiæ. Quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.*

[b] Opuſc. 24.
[c] Num. 143.

XCV. Caput centeſimum viceſimum-primum præcipit, ut in Congregatione Canonica cibus & potus æqualiter accipiantur. *Eſt nempe rationabile juſtúmque coram Deo & hominibus, ut in unaquaque Canonicâ Congregatione, à minimo uſque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant; hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admiſſi. Quamquam enim plerique ſubditorum à Prælatis rebus quibuſlibet plùs ceteris meritò ſoleant honorari, in hac tamen ſocietate, ſecluſâ perſonarum acceptione, una debet cibi & potûs æqualitas eſſe.*

XCVI. Caput centeſimum viceſimum-ſecundum eſt de menſura cibi & potûs. *Illud quoque congruentiſſimè & rationabiliter tenendum eſſe cenſuimus, ut in ſu-*

Digitized by Google

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

gulis locis, in quibus ſocialiter canonicè Domino militatur, panem & pulmentum & eleemoſynarum partes æqualiter Canonici accipiant. Et quamquam decentiſſimum foret, ut ſimiliter æquè potum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis nec Eccleſiarum diverſiſſimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec eventuum ſinunt fieri poſſe varietates. Unde neceſſarium duximus, ut in hoc negotio modum diſcretionis tenendum deſcriberemus. Quapropter communi voto communique conſenſu ſacro Conventui ſtatuere placuit, ut in omnibus locis majoribus ſcilicet & minoribus accipiant ſinguli Canonici per ſingulos dies quatuor libras vini. In locis verò, ubi majores facultates ſunt Eccleſiæ, verbi gratia, tria aut quatuor aut certè octo & eo amplius millia manſi, ſi eadem regio vini ferax fuerit, accipiant per ſingulos dies quinque libras vini, ſi tamen ſterilitas impedimento non fuerit temporis. Si verò vinifera planè non fuerit, tres libras vini & tres cerviſiæ. Et, ſi penitus vini ferax non fuerit, accipiant libram vini & quinque libras cerviſiæ. In mediocribus enim locis, mille aut mille quingentos vel certè duo millia manſos habentibus, ſi regio (ut præmiſſum eſt) vini ferax fuerit, quatuor libras vini; & ſi plenè vini ferax non fuerit, duas libras vini & tres potûs ex diverſis materiis confecti. Quòd ſi etiam vini ferax minimè fuerit, quatuor libras memorati potûs & libram vini accipiant. Porrò in minoribus locis, ducentos aut trecentos manſos habentibus accipiant duas libras vini. Quòd & ſi eadem regio (ut jam dictum eſt) vineis caruerit, tribuantur eis tres libræ cerviſiæ, &, ſi facultas ſuppetit, libra vini. Licèt enim in nonnullis provinciis copia deſit vini, ſatagendum eſt tamen Prælatis, ut ex circumjacentibus viniferis provinciis vinum habeant. Quoniam quamquam in pleriſque regionibus vineæ non ſint, abundat tamen Sancta Dei Eccleſia, Domino attribuente, aliarum rerum copiis, è quibus induſtriâ Prælatorum ex aliis provinciis vinum adipiſci, ſibique ſubditis juxta facultatem pocula conferre poſſunt. In locis igitur, ubi permodicæ ſunt res Eccleſiæ, aut fortè quorumdam abſtractu valdè attenuatæ, pauci numero, magni tamen conſtituantur officio, quibus ſaltem præmiſſa minor menſura ſine difficultate dari poſsit. Diebus verò feſtis, ſicut moris eſt Eccleſiæ, juxta quod meliùs Prælati poſſunt, fratribus cibum potumque miniſtrent. In his itaque locis, ubi fortè nonnulli Prælati, piorum Prælatorum imitantes exemplum, magis ſubditis dare ſoliti ſunt, nullatenus bonum quod faciunt obmittant. Sed & ſi cui ob æternam retributionem magis ſubditis ſupererogare libuerit, hilariter quod potuerit tribuat. Sin autem, nullatenus menſuram prædictam abſque inevitabili cauſa eis ſubtrahat. Quando igitur tempus ſterilitatis vini extiterit, ſicut crebrò peccatis præpedientibus evenire ſolet, & Prælati, quantùm debent, dare vinum Canonicis nequiverint, id quod dederint, ſic diſcretè & temperatè diſtribuant, ut omnes communiter eo utantur. Non autem id murmurantes, ſed magis cum gratiarum actione, quod dari poteſt accipiant, & ſocialiter in ſancto propoſito perſeverent. Idcircò proſpicere ſibi debent Canonici, ut vinum, aut quemlibet alium potum in eleemoſyna ſibi datum, in communi recondant Cellario, quatenus imminente hujuſcemodi ſterilitatis tempore, ſuis eo ſuffragentur communiter neceſſitatibus, non tamen eis propter hoc à Prælatis potus debitus penitus ſubtrahatur, ſi eſt unde detur. Qui verò & ſuis & Eccleſia abundant rebus, inſtante ſterilitatis tempore, eis, quos pauperes paſcit Eccleſia ſuis facultatibus, cum caritate & humilitate ſuffragari procurent, ut, juxta Apoſtolum, [frater fratrem adjuvet, & ambo conſolentur.] Non tamen ob id ſe ſuperbiendo extollant, quia ſicut in libro Proſperi, meliùs in libro Juliani Pomerii, *legitur, non ſe debent hujuſcemodi inani jactantiâ præferre his, quos nihil habentes paſcit ac veſtit Eccleſia. Illud interea ſemper caveant Prælati, ne id, quod dare debent aut poſſunt, qualibet diſſimulatione aut tenacitate ſubditis ſubtrahant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari ac turpibus ſe implicari negotiis cogantur, relictóque Eccleſiaſtico officio incipiant indiſciplinatè vivere & propriis voluptatibus deſervire, & Prælati, qui eis neceſſaria largiendo à Domino remunerari poterant, diſtrictè & ſeverè judicentur. Dent quippe eis pulmentum, juxta quod vires ſuppetunt, & loca eis congrua attribuant, in quibus nutrimina fiant, unde neceſſaria pulmenta habeant,*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

exceptis his quæ de Eccleſiæ villis vel oblationibus fidelium accipiunt. Habeant itaque iidem Canonici hortos olerum, unde cum ceteris additamentis aliquod pulmentum quotidie in refectorio ſibi viciſſim miniſtrent. Propter diverſitates namque & inæqualitates menſurarum, quæ apud pleroſque non æquæ ſecundùm Domini legem ſed ſecundùm uniuſcujuſque provinciæ uſum habentur, menſuram cibi & potûs ponderis ratione Canonicis dandam eſſe cenſuimus, & hoc ideo, quia cùm hujuſcemodi menſuræ diverſiſſimæ & inæquales ſoleant haberi, publicum tamen pondus provinciis, civitatibus, metalliſque inditum, nihil diverſitatis aut inæqualitatis pati debet, quatenus ſicut idem pondus æquum permanet, ita etiam eadem menſura æquè illis tribuatur. Noverint tamen generaliter omnes libram non amplius quàm duodecim unciis conſtare debere. Ex his multa, quæ pertinent ad menſuram potûs, ſumpta ſunt ex Regula [a] Canonicorum juxta Romanam Eccleſiam, atque ex decretis Aquiſgranenſis Concilii tranſierunt in Chrodegangi [b] Regulam interpolatam, quacum genuinam [c] conferre poteris hoc loco longè diverſam. Porrò cùm libra duodecim habeat uncias, quinque libræ unciis ſexaginta conſtant, unciæ verò ſexaginta dividuntur vel in heminas octo, ſi hemina juxta noſtram opinionem [d] unciarum eſt ſeptem ac ſemis, aut in heminas ſex, ſi hemina decem componitur unciis, ut cenſet Auctor Diſſertationis de hemina Tomo ſuperiore jam laudatus. Eſt autem hemina pars * dimidia ſextarii. Ad illas obſervationes revocari debent, quæcumque de menſura potûs hîc ſtatuuntur.

[a] Cap. 6.
[b] Cap. 8.
[c] Cap. 23.
[d] Tom. 1. a. 544. n. 54.
* demiſetier

XCVII. Caput centeſimum viceſimum-tertium ſic inſcribitur. *Quòd à Prælatis gemina paſtio ſit ſubditis impendenda.* Id eſt, quòd Prælati ſubditis *& terrena ſubſidia diligenter prabere & exempla virtutis ſimul cum verbo prædicationis debent ſollicitè impendere.* Ideóque Synodus officium Prælatorum ſic deſcribit. *Ergo ſicut ſubditis neceſſaria corporis tribuunt, ita nihilominùs ſtudere debent, ut iidem religioſiſſimè Ordinem Canonicum ſervent, & Prælatis ſuis ac Magiſtris honorem debitum humiliter impendant. Ut horis Canonicis divinum Officium devotiſſimè expleant, intus foríſque non ſolùm habitu & actu, ſed etiam ipſo inceſſu irreprehenſibiles exiſtant. Ut non otio vacent, non vaniloquiis inſerviant, non detractionibus, & ceteris vitiorum illecebris incumbant; ſed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuſlibet Eccleſiæ aut certè propriis utilitatibus vacent; aut etiam doctrinis ſanis & diverſarum artium erudiantur diſciplinis; ita videlicet, ut nullus in Congregatione inutilis aut otioſus exiſtens ſtipendia Eccleſiæ inofficiosè accipiat. Ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc Inſtitutionem & aliarum ſcripturarum lectiones perlegant, & pro admiſſis veniam poſtulent, & ſententiam pro qualitate admiſſi ſuſcipiant, ubi etiam de communi profectu & utilitate Eccleſiæ pertractent. Ut omnes in dormitorio, niſi quem infirmitas aut ſenectus id facere prohibuerit, dormiant; in refectorio quotidie unà reficiantur, niſi fortè quem neceſſitas abeſſe compulerit, & hoc non ſine licentia Magiſtri fiat. Illis quoque comedentibus, & ſilentium religioſè tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab his intentiſſimè audiatur. Ut viciſſim in refectorio & ceteris communibus neceſſitatibus ſibi fraternitatis officio ſerviant. Ut nullus foras niſi per licentiam egrediatur, egreſſus quoque nullum de ſe detractioni locum det, ſed magis imitabilem ſe cunctis exhibeat.*

XCVIII. Caput centeſimum viceſimum-quartum præcipit, *ut Canonici, ſicut in ceteris, ita etiam in cultu veſtium modum teneant diſcretionis.* Hæc præceptio nititur epiſtolâ Sancti Hieronymi ad Euſtochium, vitâ Sancti Auguſtini [e], & Homiliâ Sancti Gregorii in Evangelia. *Quapropter*, inquit Synodus, *oportet Canonicos ſanctarum ſcripturarum auctoritati parere, ſanctorúmque Patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitate, quam corde geſtant, actu, habitu, inceſſu, ipsâ etiam equitatione religioſiſſimè demonſtrent, plúſque velint ſanctâ converſatione eximiíſque moribus, quàm ornatu veſtium fulgere. Si enim more conjugatorum in ſe ordinandis, nitore veſtium, faleris equorum, ceteríſque humanæ vanitatis rebus abuſi fuerint, ſcilicet ut ſe ſimilibus uti debere contendant, in quo*

[e] Cap. 22.

eorum converſatio à laicorum diſtare videbitur? Decet porrò, ut eorum talis ſit veſtium cultus, qui occaſione vanitatis careat, & nihil novitatis, nihil ſuperfluitatis redoleat, nihilque reprehenſionis aut detractionis habeat. Non enim ſpecialiter præſumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id eſt, nec plùs juſto cultior veſtis, nec inſolita atque deformis, quia in utroque illorum, aut elationis aut certè ſimulationis noxa pateſcet. Inter utrumque enim virtus diſcretionis moderatiſſimè tenenda eſt.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. XCIX.

Caput centeſimum viceſimum-quintum ſancit *ut Canonici cucullas Monachorum non induant*, idque queritur à pleriſque Canonicis *contra morem Eccleſiaſticum* fieri. *Reprehenſibilem & Eccleſiaſticâ emendatione dignum apud pleroſque Canonicos inoleviſſe comperimus uſum, eò quòd contra morem Eccleſiaſticum cucullas, quibus ſolis Monachis utendum eſt, induant, cùm utique illorum habitum penitus uſurpare non debeant, à quorum propoſito quodam modo diſtant, quia ſicut indecens eſt, ut arma militaria more laicorum geſtent, ita nimirum inhoneſtum & valdè indecorum eſt, ut alterius propoſiti indumenta ſibi imponant. Habitus namque ſingulorum Ordinum idcircò in Eccleſia ab invicem diſcreti ſunt, ut his viſis, cujus propoſiti ſit geſtans, vel in qua profeſſione Domino militet, liquidò cognoſcatur.*

C.

Capita, centeſimum viceſimum-ſextum quatuórque ſubſequentia, *de Tertiæ, Sextæ & Nonæ horæ Officio, de Veſpertinis, de Completis, de Vigiliarum antiquitate, & de Matutinis*, tranſcripta ſunt ex libro primo Sancti Iſidori de Officio Eccleſiaſtico.

CI.

Caput centeſimum triceſimum-primum præcipit, ut horas Canonicas Canonici religioſiſſimè obſervent. *Mox ut auditum fuerit ſignum, feſtinatò omnes ad Eccleſiam conveniant, quam non pompaticè, aut inhoneſtè, vel incompoſitè, ſed cum reverentia & Dei timore ingrediantur. Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, ſed religioſiſſimè illis ſtandum & pſallendum eſt.* Et inferiùs. *Qui has horas frequentare & in his, ut dignum eſt, cæleſte neglexerit Officium perſolvere, dignâ invectione corripiatur, ut & ipſe emendetur, & ceteri timorem habentes hujuſcemodi negligentiam caveant. Sed quoniam aliud eſt ex toto omittere, aliud pigrè occurrere, qui ſegniter aut tardè ad Matutinum, aut ad aliud quodlibet divinum obſequium peragendum occurrerit, dignum eſt, ut non cum aliis in Choro, ſed omnium ultimus, aut certè, ut erubeſcere diſcat, in loco hujuſcemodi negligentibus à Prælatis conſtituto ſtet, foris verò nullatenus remanere præſumat, ne otio & fabulis vacet, & à Dei laudibus penitus alienus exiſtat. Cuſtodes præterea Eccleſiæ harum horarum diſtinctiones benè norint, ut ſcilicet ſigna certis temporibus pulſent. Luminaria verò cum omni diligentia concinnanda provideant, ſitque eorum ſtadii, ut nihil de ſibi commiſſis rebus Eccleſiæ pereat.*

CII.

Caput centeſimum triceſimum-ſecundum, ut Canonici majore cum reverentia divinum Officium celebrent, ex ſacra Scriptura probat cantantibus & pſallentibus Domino præſentiam Angelorum adeſſe.

CIII.

Caput centeſimum triceſimum-tertium *tales ad legendum, cantandum & pſallendum in Eccleſia* conſtituit, *qui non ſuperbè ſed humiliter debitas Domino laudes perſolvant, & ſuavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant, plúſque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem.*

CIV.

Caput centeſimum triceſimum-quartum, quod totum eſt de modo correptionis, inter alia hæc habet. *Si quis frater in Congregatione Canonica conſtitutus horas Canonicas frequentare neglexerit, Eccleſiámque non religioſè ſed pompaticè vel incompoſitè intraverit, & opus Dei negligenter executus fuerit, ad collationem venire diſtulerit, obedientiam à Magiſtris ſibi injunctam agere recuſaverit, in legendo vel cantando vel in ceteris Eccleſiaſticis diſciplinis juxta vires ſtudium non exhibuerit, ad menſam non neceſſitate ſed vitio tardè occurrerit, è clauſtris ſine licentia exierit, per licentiam verò egreſſus contra conſtitutum ſibi placitum moras fecerit, in plateas ire aut in biviis reſidere tentaverit, in dormitorio*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

aliquid indecens aut inhoneſtum verbis aut actibus perpetraverit, aliubi niſi in dormitorio cum ceteris abſque cauſâ inevitabili dormire præſumpſerit, fratribus caritatis officio obedienter ſervire neglexerit, diſcordiam quam (dicente Scripturâ) Dei anima deteſtatur inter fratres ſeminaverit, & huic Inſtitutioni contumax aut ſuperbus ſeu murmurans aut in aliquo contrarius extiterit, & cetera hujuſcemodi agere tentaverit: hic primò ſecundùm Dei præceptum, non ſolùm ſemel & ſecundò ac tertiò, quin imò crebriùs admoneatur; &, ſi his admonitionibus non ceſſerit, publicâ objurgatione corripiatur. Quòd ſi & his reniſus fuerit, ceteris ſibi alimentis interdictis, pane tantùm uſque ad dignam ſatisfactionem utatur & aquâ. Si verò nec ſic ſe correxerit, ſeparetur à menſa, & à ſocietate fratrum in Choro pſallentium removeatur, & ſeorſum in loco hujuſcemodi negligentibus à Prælatis conſtituto ſtare cogatur, ut ſaltem rubore ſequeſtrationis emendetur. Dein ſi his modis correptus incorrigibilis extiterit, & ætas permiſerit, quia juxta Salomonis vocem ſtultus verbis non corrigitur, congrua ei verberum adhibeatur caſtigatio, quibus utpote filius verberetur, quatenus, ſecundùm Beati Gregorii ſententiam, qui jubentis verba non audiunt, verberibus admoneantur, ut ad bona deſideria pœna trahant, quos præmia non invitant. Ceterùm ſi talis fuerit, quem aut ætas aut qualitas perſonæ verberari non ſiverit, publicâ objurgatione & jejuniorum continuâ afflictione & ſequeſtrationis rubore hujuſmodi corripiatur, uſquedum dignâ pœnitentiæ ſatisfactione veniam conſequatur. Si verò uterque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas aut qualitas perſonæ prohibent, adhuc incorrigibiles extiterint; ſit locus intra clauſtra Canonicorum, ſicut multis in locis noſcitur eſſe, quò ad tempus retrudantur, & ſecundùm modum culpæ caſtigentur, ut, juxta Apoſtolum, traditi Satanæ in interitum carnis, ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Quòd ſi etiam tot ſaluberrimis admonitionibus & caſtigationibus necdum paruerint, fiat pro eis ab omni Congregatione communis oratio, ut à Domino ſanentur. Poſtremò, ſi prorſus inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira ſerpant contagia, neceſſe eſt, ut à ceterorum ſocietate, utpote oves morbidæ, ſecreti, ante præſentiam deducantur Epiſcopi, ut ab eo canonicâ auctoritate publicè damnentur. Si verò quis in Collegio Canonicorum culpam criminalem admiſerit, huic nulla eſt danda dilatio, quin aut ſponte pœnitentiam pro admiſſo crimine gerat, aut ſi id agere refutaverit, coram Epiſcopo deducatur, ut ab eo publicâ multetur pœnitentiâ. Meminiſſe enim oportet Rectores, quia columba eſt in divinis Scripturis Eccleſia appellata, quæ non unguibus lacerat, ſed alis piè percutit.

CV. Caput centeſimum triceſimum-quintum eſt de pueris, qui nutriuntur & erudiuntur in Congregatione Canonica. *Si quis in Clero puer eſt, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubrica ætatis annos non in luxuria ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & Magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant.*

CVI. Caput centeſimum triceſimum-ſextum, cui titulus eſt, *ut omnes Canonici ad Completorium veniant*, ſic incipit. *Expletis religioſiſſimo obſequio diurnis Officiis*, &c. Tomo quinto [a] deſcriptum a nobis fuit in notis ad Regulam Canonicorum editam à Chrodegango Metenſium Epiſcopo.

[a] Ad an. 757. n. 41. ſub fin.

CVII. Caput centeſimum triceſimum-ſeptimum eſt de Cantoribus. *Conſtituantur ſeniores fratres, probabilioris ſcilicet vitæ, qui tempore ſtatuto viciſſim cum Cantorum ſchola ſint, ne hi, qui diſcere debent, aut otio vacent, aut inanibus & ſupervacuis fabulis inſtent. Si verò Cantores ſuperbi extiterint, & artem, quam divinitus adjuti didicerint, aliis inſinuare renuerint, graviter ac ſeverè judicentur, ut emendati atque correcti talentum ſibi à Deo collatum aliis erogare procurent. Hujuſcemodi autem correptionis modus erga eos, qui quarumlibet artium diſciplinis eruditi ſunt, & de talento ſibi divinitus collato magis ſe aliis ſuperbiendo præferre, quàm id cum caritate inſinuare geſtiunt, à Prælatis obnixè tenendus eſt.*

CVIII. Caput centeſimum duodequadrageſimum eſt de iis, qui vice Prælatorum in Congregatione Canonica funguntur. *Oportet Eccleſiæ Prælatos, ut de Congregatione ſibi commiſſa tales eligant boni teſtimonii fratres, in quibus onera regiminis ſecurè*

poſſint partiri. Quibus etiam talem conferant poteſtatem, ut vice illorum fungentes & inobedientes Canonicâ cenſurâ corrigere & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non enim conſtituendi ſunt perſonaliter, aut eo ordine, quo in Collegio fratrum admiſſi ſunt, ſed ſecundùm vitæ meritum & ſpiritalium donorum prærogativam, qui & in Congregatione aſſidui ſint, & fratrum curam pervigili ſtudio gerant; & ſicut alios præcedunt Magiſterio, ita nimirum innocentiæ vitæ informent exemplo, ut, juxta Apoſtolum, exemplo ſint ceteris in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. Qui etiam, ſi Prioratûs ſui causâ intumeſcere cæperint, & curam fratrum nihili penderint, ſi crebrò admoniti incorrigibiles extiterint, à miniſterio propellantur, aliíque in loco illorum, qui id ſtrenuè peragere poſſint, ſubſtituantur.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Caput centeſimum undequadrageſimum eſt de Præpoſitis. *Quamvis omnes, qui præſunt, Præpoſiti ritè dicantur, uſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quandam Prioratûs curam ſub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc morem Præpoſiti vocantur, tales & tam ſtrenui conſtituendi ſunt, qui & vitæ probabilis ſint, & ea, quæ ſibi injuncta ſunt, fideliter humilitérque expleant, & pro eo quòd aliis Prælati ſunt, nequaquam parvipendant Canonica Inſtituta, ſed quantò plùs implicantur in fratrum curis, tantò magis ſtudeant cæleſtibus obtemperare monitis. Debent igitur cuncta Congregationi utiles eſſe, & de miniſterio ſibi commiſſo fideliter prodeſſe. Ea verò, quæ fratribus dare debent, cum caritate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli adminiſtratione gradum bonum acquirant. Erga hujuſcemodi verò delinquentes, & obedientiam ſibi commiſſam benè non adminiſtrantes, modus ſuperiùs comprehenſus tenendus eſt.* CIX.

Caput centeſimum quadrageſimum eſt de Cellerario ſeu Cellarario. *Debet procurare Prælatus, ut fratribus Cellararium, non vinolentum, non ſuperbum, non tardum, non prodigum, ſed moribus honeſtum, ac Deum timentem conſtituat, qui & ſtipendia fratrum fideliter ſervet & diligenti curâ adminiſtret, & in adminiſtrando nullatenus fratres contriſtet. Cui etiam piſtrinum fratrum committendum eſt, ut illud ita vigilantiſſimâ curâ cuſtodiat, ne miniſtri ibidem deputati annonam fratrum aut furtim ſubripiendo, aut alio quolibet modo negligenter vivendo diſſipent. Hi verò famuli eligantur de fideliſſima Eccleſiæ familia, & his officiis diligenter erudiantur, ut ſcilicet & piſtoriâ arte & fidei puritate neceſſitatibus fratrum opportuniſſimè valeant ſuffragari. Eadem quoque forma de cocis ſervanda eſt. Inutiles denique atque inobedientes Cellararii ſecundùm ſuperiùs comprehenſam ſententiam judicentur.* CX.

Caput centeſimum quadrageſimum-primum eſt de ſtipendiis pauperum. *Oportet ut Prælati Eccleſiæ præcedentium Patrum exempla ſectantes aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Eccleſiæ tantumdem ibidem deputent, unde ſumptus neceſſarios juxta poſſibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici tam de frugibus quàm etiam de omnibus eleemoſynarum oblationibus in uſus pauperum decimas libentiſſimè ad ipſum conferant Hoſpitale. Et boni teſtimonii de ipſa Congregatione frater conſtituatur, qui Hoſpites & peregrinos adventantes, utpote Chriſtum in membris ſuis ſuſcipiat, eíſque neceſſaria libenter pro viribus adminiſtret, qui etiam ea, quæ in uſus pauperum cedere debent, nequaquam in uſus ſuos reflectat, ne cum Juda loculos Domini furante ſententiam damnationis excipiat. Sed & Prælatorum debet vigilare induſtria, ne eum, cui Hoſpitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his quaſi beneficiario munere conceſſis ſinant uti, quod à Prælatis quibuſdam, curam pauperum parvipendentibus, fieri comperimus. Clerici namque ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem Quadrageſimæ tempore pedes pauperum in competenti lavent Hoſpitali, juxta illud Evangelicum.* [*Si ego Dominus & Magiſter lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes? &c.*] *Quapropter expedit ut in competenti loco Hoſpitale ſit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi Conventus poſſit fieri* CXI.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

fratrum. Quòd ſi is, cui Hoſpitale cammiſſum eſt, curam pauperum neglexerit, eorúmque res in ſuos uſus retorſerit, quamquam divinâ ultione dignus ſit, ſeveriùs tamen quàm ceteri delinquentes à Præpoſitis judicandus & à miniſterio removendus eſt.

CXII. Caput centeſimum quadrageſimum-ſecundum eſt de infirmis ſenibúſque Canonicis. *Quamvis Canonicis proprias licitum ſit habere manſiones, debet tamen à Prælato manſio infirmorum & ſenum intra clauſtra Canonicorum fieri, ut qui ſuam fortè non habent, in eadem ſuam aptiſſimè poſſint tolerare imbecillitatem, quatenus ibidem & ſubſidiis Eccleſiaſticis, quibus indigent, & fratrum adminiculis miſericorditer ſuſtententur. Erga quos oportet ut ceteri fratres magnam exhibeant caritatem, ſcilicet ut eis compatiendo ſubveniant, & aſſiduis viſitationibus & Scripturarum Sanctarum conſolationibus necnon facultatibus adminicula neceſſaria præbeant, ut impleatur in eis illud Evangelicum.* [*Infirmus fui, & viſitaſtis me.*]

CXIII. Caput centeſimum quadrageſimum-tertium eſt de Portario. *Eligatur neceſſe eſt à Prælato ex Congregatione ſibi commiſſa frater probabilis vitæ, cui officii ſit portam Canonicorum cum ſumma obedientia & humilitate competenti tempore claudere ac reſerare, ut nulli per eam niſi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi. Cui etiam obſervandum eſt, ne eis, quibus cordi eſt plùs otiis vacare, quàm divinis obſequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas eſt, particeps fiat. Debet præterea advenientes quoſque cum caritate ſuſcipere, & Priori adventum eorum cauſámque nuntiare. Expleto namque Veſpertino & Completorio Officio, obſeratíſque portis, claves earum idem Portarius ei, qui vicem Prælati tenet, ferat, ut nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas, quas etiam ab eodem in craſtinum tempore accipiat conſtituto. Si verò inobediens atque protervus idem repertus fuerit Portarius, ſicut de aliis miniſtris negligentibus ſuperiùs dictum eſt, judicetur.*

CXIV. Caput centeſimum quadrageſimum-quartum eſt de clauſtris Canonicorum diligenter cuſtodiendis. *Oportet clauſtra Canonicorum ita diligenter cuſtodiri, ut grex Dominicus fraternâ concorditer fruatur pace, &, ſi quemlibet Prælatus, aut qui ejus vice fungitur, aut fortè quilibet alius ſpiritalis frater inter clauſtra quempiam inhoneſtè agentem, aut extra in biviis & plateis otio vaníſque confabulationibus vacantem repererit, primò ſecretâ admonitione eum corripiat, & poſt, ſi neceſſe fuerit, coram fratribus idem negligens acriùs judicetur, ut deinceps emendatus in melius proficiat. Fœminis namque non ſolùm in manſionibus & clauſtris Canonicorum prandendum aut requieſcendum non eſt, quin potiùs nec in ea intrandi, excepto in Eccleſiam, ulla tribuenda facultas, quia valdè hoc à Sanctis Patribus legitur inhibitum. Si quid verò caritatis officio illis attribuendum eſt, extra clauſtra conſtituatur locus, in quo id accipiant: nullus tamen fratrum cum ipſis, niſi teſtes fuerint, loquatur. Qui verò ſecus, quàm præmiſſum eſt, agere tentaverit, ita ſeveriter à Prælatis & Magiſtris corrigatur, ut ceteris, ne quid tale agere pertentent, exemplo correptionis ſibi exhibitæ terrorem incutiant.*

CXV. Caput centeſimum quadrageſimum-quintum continet epilogum breviter digeſtum. *Oportet, ut* Canonici *primò omnium Dominum Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, tota virtute, & proximos tanquam ſeipſos, & noſſe quia in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Non occidant, neque fratrem oderint, quia, ut ait Apoſtolus, qui fratrem ſuum oderit, homicida eſt. Non adulterent, non furtum faciant, non concupiſcant rem alienam, non falſum teſtimonium dicant, &, quod ſibi nolunt fieri, alteri ne faciant. Non ſint ſuperbiâ tumidi, non detractionibus aſſueti, non ebrietati ſervientes, non luxuriâ enervati, non iracundiâ turbidi, non quibuſlibet aliis vitiis ſubſtrati, non vaniloqui, non invidi, non ſomnolenti, non pigri, non murmuratores, non ſurſurrones, non violenti, non multùm edaces. Fraudes & doloſitates caveant, uſuris nequaquam inſerviant, non jurent ne fortè perjurent, malum pro malo non reddant. Cùm in ſe aliquid boni viderint, Deo; & malum cùm viderint, ſibi deputent. Diſcordiam*

fugiant, & quos diſcordantes invenerint, ad caritatis concordiam revocent, &, juxta vocem Pſalmiſtæ, & declinent à malo & faciant bonum. Attendant & Apoſtolum prohibentem. Non, inquit, in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Animadvertant etiam, quòd ab his vitiis ab Apoſtolo prohibitis omnium vitiorum ſeges emergat, & quòd horum morborum mater ſuperbia ſit. Oportet etiam, ut animam corpúſque ſuum ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs cuſtodiant, ut, juxta Apoſtolum, integer ſpiritus eorum & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. Sobriè, juſtè, & piè vivant, ſecularia negotia prorſus abjiciant, quia, juxta eundem Apoſtolum, nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit. Jejunium ament, hoſpites colligant, pauperes recreent, nudos veſtiant, infirmos viſitent, mortuos ſepeliant, in tribulatione poſitis opem ferant, dolentes conſolentur. Amori Chriſti nihil præponant; caritatem non derelinquant; pacem, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus habeant; diem judicii timeant; vitam æternam ſpiritaliter concupiſcant. Spem ſuam Deo committant, proprio Epiſcopo in omnibus ſecundùm Canonicam Inſtitutionem obtemperent, Magiſtros ſuos non temerè reprehendant. Poſtremò in doctrinis ſpiritalibus operam dent. Lectionibus, Pſalmis, Hymnis, Canticis, & ceterorum bonorum operum exercitiis jugiter incumbant. In dormitorio, niſi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant; in refectorio pariter reficiantur; quotidie ad collationem veniant. Mox ut ſignum datum fuerit, ad Eccleſiam omnes feſtinatò veniant, & Horas Canonicas non negligenter ſed cum omni religione pariter celebrent. Eccleſiam non pompaticè ſed reverenter ingrediantur. In Choro non cum baculis ſtent, vaniloquiis nequaquam inſiſtant, ſed cum omni devotione & veneratione divinæ ſervitutis opus peragant, ſcientes Angelorum præſentiam ſemper illic adeſſe. E clauſtris non niſi per licentiam egrediantur: egreſſi irreprehenſibiliter vivant, ut ab his qui foris ſunt bonum teſtimonium habeant, & religionem ac propoſitum ſuum actibus illicitis nequaquam maculent, ſed potius omnes, quibus ſe conjunxerint, ſale ſapientiæ & bonorum operum exemplis condiant. Contubernia fœminarum nullatenus appetant; non vanis oculis aut petulanti tumidóque geſtu ac diſſolutis renibus incedant; non ſpectaculis, non pompis ſecularibus interſint; non aleæ, non quibuſlibet venationibus inſerviant. Apoſtoli namque inſtructi documento, quo ait [non in veſte pretioſa] nequaquam pretioſis delectentur veſtibus. Caveant ſummoperè, ne extra clauſtra moras faciant, niſi prout ſibi à Priore conſtitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit. Intra clauſtra poſiti non otio vacent; ſed aut divinis Officiis aut propriis utilitatibus aut certè Magiſtrorum juſſionibus pareant, ne otio torpentes ab Apoſtolo audiant. [Qui non vult operari, nec manducet.] Seniores ſpiritaliter juniores diligant: juniores ſenioribus obſequium dignum exhibeant. Doctiores minùs doctis nequaquam ſe præferant, ſed magis eos cum caritate ædificent. Neque hi, qui nobilitate generis aut virtutum donis pollent, ceteris ſe tumidè ſuperextollant. Omnes in Congregatione viciſſim ſibi caritatis officio ſerviant, quibus etiam in refectorio comedentibus & religiosè ſilentium tenentibus continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant & caſtigent, pueros & adoleſcentes negligentes verborum diſciplinis corripiant. Singuli juxta capacitatem ſuam diverſarum artium erudiantur diſciplinis, ut nullus in Collegio Canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otioſus comedat. Tales quippe eſſe, immò & taliter converſari decet omnes, qui divinis Officiis ſe manciparunt.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Inſtitutio ſeu Regula Sanctimonialium Canonicè viventium conſtat articulis duodetriginta, duáſque dividi poteſt in partes, quarum prior ſumitur ex ſcriptis Patrum, poſterior ex Decretis Conventûs Aquiſgranenſis. CXVI. CANONICARUM,

Capita, primum & quinque ſubſequentia, primam Inſtitutionis partem conficiunt, tranſcriptáque ſunt ex epiſtolis Sancti Hieronymi, ad Euſtochium, ad Demetriadem, ad Furiam; ex epiſtola Sancti Cypriani de habitu virginum; ex Sermone Sancti Cæſarii Sanctimonialibus directo; & ex Sermone Sancti Athanaſii ad ſponſas Chriſti. Sex illis capitibus hæc ad Aquiſ. CXVII.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

granenſia Decreta ſubjicitur tranſitio. *Ecce quibus ſaluberrimis documentis ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri Deo dicatas ad caſtimoniale propoſitum ſervandum inſtituunt. Ecce quibus inſignium virtutum indumentis eas exornant, ut illius ſponſi, cui ſe dicaverunt, amplexibus digna fiant. Unde ſolerter Sanctimonialibus vigilandum eſt, ut tantorum Patrum obedienter obtemperent monitis, ne ſcilicet his reſultando, cum fatuis virginibus reprobentur, ſed potiùs parendo cum prudentibus Chriſti thalamo admittantur. Diligenter itaque eorumdem Sanctorum Patrum ſententiis prælibatis, dignum & neceſſarium judicavimus per ſingula capita diſtinguere, quid Prælatis quidve ſubditis obſervandum ſit. Et quoniam ſubditarum vita Prælatarum eſt exemplis informanda, primùm quales debeant Abbatiſſæ conſtitui, qualiter eis vivendum, qualiter ſubditas gubernandum, qualitérve in Monaſteriis reſidendum, & inſtanter Domino totâ mentis & corporis devotione ſerviendum, dein quid ſubjectis ſpecialiter obſervandum ſit, ponendum cenſuimus.*

CXVIII. Caput ſeptimum docet, quales in puellaribus Monaſteriis eſſe debeant Abbatiſſæ. *Noſſe eas oportet, quia non ideo prælatæ ſunt, ut ſe ſolummodò, ſed potiùs ut ſe ſubditáſque paſcant, carnaliter videlicet & ſpiritaliter, nec ut præſint tantùm, ſed ut proſint, à Domino ſunt aliis prælatæ. Ergo neceſſe eſt, ut ſe ſibíque ſubditas in propoſito ſanctæ religionis ſolerter conſtringant. Et ſicut aliis præcedunt Prioratûs ordine, præcedant etiam piæ converſationis exemplo, & quæ aliis facere prohibent, nullatenus perpetrent. Rectè enim, ut habet Beatus Gregorius, aliorum errata corrigit, qui ea, quæ reprehendit, minimè agit. Sed quia Paſtoris abſentia ovium ſolet fieri præda, neceſſe eſt ut Abbatiſſæ in Monaſteriis conſiſtant aſſiduè, & ovium ſibi ſubditarum vigilantiſſimam curam gerant, ne illis abſentibus præda fiant ſubditæ inviſibilis lupi.*

CXIX. Caput octavum eſt de congregandis in Monaſteriis Sanctimonialibus. *Studendum ſummoperè Abbatiſſis eſt, ut tot taléſque in Monaſteriis admittant Sanctimoniales, quæ & morum probitate commendentur & Eccleſiaſticis poſſint rationabiliter ſuſtentari ſtipendiis. Quæ verò adhuc carnalibus delectationibus inretiuntur, nequaquam ſunt in Monaſteriis admittendæ. Quia ſatius eſt illis juxta Apoſtolum foris nubere, tantùm in Domino, quàm in Monaſteriis admitti, & ſub imagine ſimulatæ ſanctitatis diſſolutè vivere. Cùm igitur hujuſmodi religionis gratiâ Monaſteria expetiverint, non eis facilis tribuatur ingreſſus, donec priùs eis hæc legantur Capitula, ut his perlectis noverint quid eis in caſtimoniali propoſito obſervandum quídve vitandum ſit. Quia poſtquàm ſe Domino in hac militia devinxerint, nequaquam ſibi licitum erit propriis uti conſiliis, nec ſecularibus penitus implicari poſſe negotiis; nec frequentiam virorum aut collocutionem familiarem abſque cauſa inevitabili habere debent. Proinde ſcrutentur priùs arcana cordis ſui, ſimúlque ſuper adnotatas Sanctorum Patrum ſententias aſſiduâ meditatione perlegant, ne inconſultè & minùs cautè vinculum continentiæ & virginitatis arripientes redeant poſt Satan, & fiant ſicut canis reverſus ad vomitum.*

CXX. Caput nonum oſtendit, qualiter his, quæ Monaſterium expetunt, de rebus propriis agendum ſit. *Providendum eſt his, quæ ob amorem Chriſti caſtimoniæ ſe dicaverint, & in Collegio Sanctimonialium ſe admitti poſtulaverint, ut res ſuas antequàm Monaſterium ingrediantur, ita ſapienter prudentérque deliberent atque diſponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occaſione patiantur perturbationem. Proinde ſi aliqua Sanctimonialium res ſuas proprias Eccleſiæ ita contulerit, ut nihil ex his ſibi proprium vindicare, ſed tantùm rebus ſuſtentari velit Eccleſiæ, huic ſufficienter in Congregatione ſtipendia largiantur neceſſaria. Si autem Eccleſiæ eas tradiderit, & uſufructuario habere voluerit, Quæſtor Eccleſiæ eas, utpote Eccleſiæ, defendat. Quòd ſi eas Eccleſiæ conferre noluerit, Abbatiſſa & ceteris Sanctimonialibus conhibentiam adhibentibus, committat eas per ſcriptum publicè roboratum, aut propinquo, aut alio cuilibet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat. Secundùm hanc igitur Conſtitutionis formam Sanctimoniales ſuas proprias res deliberent & diſponant, & aut ſervis, aut certè aliis, quibus illis libuerit, eas ad procurandum ſibíque fideliter earum fructus adminiſtrandum com-*

Digitized by Google

mendent, quoniam ante ingreſſum Monaſterii, cuncta, ut præmiſſum eſt, rationabiliter illis diſponenda ſunt, ut remotâ quarumlibet forenſium rerum occupatione ſuum liberiùs & quietiùs poſſint cuſtodire propoſitum. Sed & de adoleſcentulis, & de his, quarum converſatione ſimultates & diſſenſiones plerumque pati ſolent Monaſteria, cavendum Abbatiſſis eſt, ne incautè & indiſcretè eas in Congregatione admittant, ne fortè earum admiſſio aliquod in poſterum generet ſcandalum. AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Caput decimum docet, qualiter in Monaſterio Sanctimonialibus converſandum ſit. *In Monaſteriis poſitæ non otio torpeant, non detractionibus & obſcœnis confabulationibus incumbant, ſed aut Pſalmorum modulationibus aut manuum operationibus inſiſtant, aut certè divinis lectionibus aurem accommodent. Frequentias & familiaritates atque confabulationes virorum, ſicut à Sanctis Patribus inhibetur, modis omnibus caveant. Omnes in Dormitorio dormiant, ſingulæ ſcilicet in ſingulis lectis. In Refectorio quotidie pariter reficiantur, niſi quam infirmitas aut ætatis imbecillitas id facere prohibuerit. Omnes ſibi caritatis officio viciſſim ſerviant. Illis namque in Refectorio comedentibus, & religiosè ſilentium tenentibus, continuatim legatur lectio & intentiſſimè ab his audiatur. Ad conlationem quotidie veniant, & hanc Inſtitutionem ſive aliarum Divinarum Scripturarum lectiones perlegant, & de animæ ſuæ ſalute pertractent. Ubi etiam delinquentes juxta modum delicti corripiantur. Horas Canonicas cum omni devotione cuſtodiant, & his divinum officium honeſtè expleant. Honorem ſibi invicem humiliter deferant. Minores natu eas, quæ provectæ ſunt ætatis, obſequio ſanctitatis venerentur. Provectæ quoque annis, juniores dictis & exemplis ad benè vivendum informent. Nobiles genere nequaquam ignobilioribus ſe præferant, ſcientes quia perſonarum acceptor non eſt Deus. Neque enim quæ caſtitate & ceterorum bonorum operum prærogativis aut ſcientiæ doctrinis pollent, ſe ceteris præferant, ſed potiùs de muneribus ſibi divinitus collatis Deo gratias agentes ceterarum imbecillitatibus caritatis officio humiliter condeſcendant.* CXXI.

Caput undecimum præcipit, ut Monaſteria puellarum undique muniantur, & neceſſariæ habitationes interiùs præparentur. *Summâ intentione Abbatiſſis ſatagendum eſt, ut Monaſteria puellarum ita undique firmiſſimis circumdent munitionibus, ut nulli intrandi aut exeundi niſi per portam pateat aditus, quatenus nec viri quiddam quod non decet in earum clauſtris agendi, nec Sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem. Habeant itaque interiùs Sanctimoniales Refectoria, Cellaria, Dormitoria, & ceteras ſuis uſibus habitationes neceſſarias præparatas, uti quæ Domino devoverunt, poſtpoſitâ omni excuſatione inviolabiliter cuſtodire valeant.* CXXII.

Caput duodecimum ſtatuit, ut Sanctimoniales in una ſocietate viventes æqualiter cibum & potum accipiant. *Uſum reprehenſibilem & emendatione dignum in nonnullis Monaſteriis puellaribus eſſe comperimus, eò quòd Sanctimoniales ſtipendia Eccleſiaſtica non æqualiter accipiant, cùm utique hoc ita fieri debere nuſquam ſancitum poſſit reperiri. Sed quia hoc nullâ auctoritate fulcitur, ſed magis avaritiæ cauſâ aut perſonarum acceptione conſtat eſſe inolitum, neceſſe eſt ut æquitatis cenſurâ ab eiſdem locis, in quibus ſit, prorſus abdicetur. Dignum namque juſtúmque eſt coram Deo & hominibus, ut omnes, quæ ob amorem Chriſti in caſtimoniali propoſito in una videlicet ſocietate ſe vivere propoſuerunt, ſeclusâ cauſâ avaritiæ & perſonarum acceptione, cibum & potum æqualiter accipiant.* Lege Regulam Canonicorum capite centeſimo viceſimo-primo, quod in eadem materia verſatur. CXXIII.

Caput decimum-tertium, ut & centeſimum viceſimum-ſecundum Regulæ Canonicorum, ad menſuram cibi potûſque pertinet. *Quia perſpicuè compertum eſt nonnullas Abbatiſſas negligenter & tepidè ſubditis ſtipendia neceſſaria conferre, opportuniſſimè imò rationabiliter ſtatutum eſt, ut in omnibus Monaſteriis puellaribus, in quibus canonicè vivitur, ſingulæ Sanctimoniales per dies ſingulos tres libras panis accipiant, & in his regionibus, quæ vinifera ſunt, tres libras vini, ſi ſterilitas temporis non impedierit: ſi autem plenè eadem regio vini* CXXIV.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

ferax non fuerit, duas libras vini & duas cervisiæ: &, si minimè vini ferax fuerit, tres libras cervisiæ, &, si facultas permiserit, libram vini. In locis verò minoribus, accipiant duas libras vini, &, si eadem regio, ut præmissum est, vini ferax non fuerit, duas libras cervisiæ, &, si facultas suppetit, libram vini. Licèt enim in nonnullis provinciis copia desit vini, abundat tamen Sancta Dei Ecclesia, Domino attribuente, aliarum rerum copiis, è quibus industriâ Prælatarum ex aliis provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem pocula conferre possunt. In locis igitur, ubi permodicæ sunt res Ecclesiæ, aut fortè quorumdam abstractu valdè attenuatæ, tot talésque admittantur, quibus saltim præmissa minor mensura potùs sine difficultate dari possit. In his itaque locis, ubi fortè nonnullæ Prælatæ, piarum Prælatarum imitantes exemplum, magis subditis dare solitæ sunt, nullatenus bonum, quod faciunt, omittant. Sed & si cui ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter quod poterit tribuat: sin autem, nullatenus mensuram prædictam eis subtrahat. Diebus verò festis, & sicut moris est Ecclesiæ, prout melius possunt, Sanctimonialibus stipendia administrent. In pulmentis namque eis dandis nihilominùs solertissimè vigilare debet Abbatissarum industria, ut juxta possibilitatem eis carnem, pisces, legumina, & olera, ligna, & cetera necessaria attribuant, ut his adminiculatæ promptiores in Dei consistant servitio. Nam & talia eis debent constituere loca, in quibus aptissimè nutriant pecora, & horti olerum possint fieri, unde pulmenta habeant, exceptis his, quæ de villis Ecclesiæ & de eleemosynarum oblationibus accipiant. Caveant siquidem, ne propter earum incuriam & insolentiam, aliquam in Monasteriis patiantur inopiam, ut nec sibi in peccatum, nec Sanctimonialibus proveniat in murmurationis lapsum. Sint quoque eis in Refectorio convivæ, quatenus Sanctimonialibus alimenta uberiùs administrentur, & quæ fortè minùs habentur, æquiori animo communiter tolerentur. Quoniam si earum societatem curámque parvipendentes, lautiores sibi cibos privatim domi præparaverint, exceptâ causâ infirmitatis aut hospitum, procul dubio in detractionis aut murmurationis noxam sibi subditas corruere compellent. Dent etiam eis annis singulis lanam, & linum, è quibus sibi conficiant necessaria indumenta, exceptis infirmis & debilibus, quæ propter corporis incommoditatem hæc sibi confícere nequeunt, & his quæ nihil proprium habere velint, quibus misericorditer studeant necessaria quæque præbere, eleemosynarum verò oblationes æqualiter accipiant.

CXXV. Caput decimum-quartum est de gemina pastione, corporali videlicet ac spiritali, Sanctimonialibus ab Abbatissis impendenda, & quoniam de corporali jam actum est priore Capitulo, hoc, quocum in Canonicorum Regula centesimum vicesimum-tertium convenit, totum penè est de spiritali. *Doceant* Abbatissæ subditas, *qualiter vitent superbiam quæ radix est omnium malorum, avaritiam, invidiam, odium, detractionem, susurrationem, murmurationem, scurrilitates, bilinguitates, dissensiones, simulationes, vanas verborum confabulationes, & cetera his similia, quæ suos sectatores ad interitum pertrahunt. Curiositates etiam nihilominùs vitent, quibus fæmineus sexus potissimùm implicatur. Desleant propria, aliena curiosè non interrogent, adtendentes illud Hieronymi. Sufficit, inquit, unicuique sua plangere, non aliena carpere. Instruant etiam eas ad sectandas bonorum operum virtutes, videlicet caritatem, humilitatem, patientiam, castitatem, continentiam, sobrietatem, benignitatem, obedientiam, mansuetudinem, & ceteras virtutes, quibus animus Christianus ad æternam patriam tendens jugiter famulari debet. Provideant etiam ut otio vacare non possint, sed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut manuum operationi insistant, aut certè divinis lectionibus aurem accommodent.*

CXXVI. Caput decimum-quintum præcipit, ut Sanctimoniales ad celebrandas Horas Canonicas incunctanter conveniant. *Oportet ut remoto totius excusationis obstaculo expeditè atque honestè Sanctimoniales Dei exequantur ministerium, sítque earum vigilantissima cura, ut ad Horas Canonicas, mox ut signum datum fuerit, impigrè occurrant, Ecclesiámque cum Dei timore & reverentia ingredientes, divina*

Digitized by Google

divinæ potentiæ famulatui religioſiſſimè inſerviant. Illúdque ſemper caveant, ut in domo Dei nihil inhoneſtatis corde aut linguâ vel opere perpetrent, ſed potiùs aut orent aut legant aut audiant. Si verò fuerit aliqua, exceptis his, quæ aut quadam incommoditate corporis aut obedientiâ ſibi injunctâ detinentur, quæ præfatas Horas Canonicas frequentare diligentérque cuſtodire, & in his, ut dignum eſt, cæleſte neglexerit Officium perſolvere, dignâ invectione corripiatur. Cuſtodes namque Eccleſiæ harum Horarum ſpatia benè norint, ut ſcilicet ſigna certis temporibus pulſent. Quibus etiam ſit ſtudii, ut nihil de ſibi commiſſis rebus Eccleſiæ pereat. AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Caput decimum-ſextum eſt *de inſtantia orationis*, quia orationum aſſiduitate remiſſio peccatorum obtineri poteſt.

Caput decimum-ſeptimum centeſimo triceſimo-ſexto Canonicorum eſt ſimile. *Veſpertinis Officiis devotiſſimo obſequio celebratis, & collatione divinarum Scripturarum ſolemniter habitâ, dato ſigno ad Completorium celebrandum Sanctimoniales pariter devotiſſimè occurrant. Quo expleto, non ad epulandum & bibendum & ſupervacuis loquelis inſtandum ſe convertant, ſed his poſtpoſitis honeſtè Dormitorium petant. Caveatur etiam ab illis, ut nihil honeſtum aut indecens in Dormitorio geratur, nec aliqua aliquam inquietare præſumat, nec ad verba inutilia & otioſa prorumpere cogat. Si qua verò id fecerit, ſeveriſſimâ invectione corripiatur. Lucerna quoque noctis tempore in eodem Dormitorio jugiter ardeat.* CXXVII. CXXVIII.

Caput duodeviceſimum, ut & centeſimum triceſimum-quartum in Regula Canonicorum, eſt de modo correptionis. *Si aliqua in Congregatione Sanctimonialium Horas Canonicas frequentare neglexerit, & opus Dei negligenter executa fuerit; ad collationem venire diſtulerit; obedientiam ſibi injunctam agere recuſaverit; in diſcendis bonorum operum inſtrumentis juxta vires operam non dederit; in Dormitorio aliquid indecens aut inhoneſtum verbis aut actibus perpetraverit; alibi quàm in Dormitorio abſque cauſa inevitabili dormire præſumpſerit; Sororibus caritatis officio ſervire neglexerit; iræ, detractioni, ſuſurrationi, ſcurrilitati, bilinguitati, verboſitati, diſſenſioni, ſimulationi, curioſitati, vaniſque verborum confabulationibus inſervierit, diſcordiam inter ſorores ſeminaverit; huic Inſtitutioni contumax, aut ſuperba, aut murmurans, ſeu in aliquo contraria extiterit; & cetera hujuſmodi agere tentaverit; primò ſecundùm Domini Præceptum, non ſolùm ſemel & ſecundò ac tertiò, quin etiam crebriùs admoneatur, &, ſi his admonitionibus non paruerit, publicâ objurgatione corripiatur. Quòd ſi & huic renisa fuerit, ceteris alimentis ſibi interdictis, pane tantùm uſque ad dignam pœnitentiæ ſatisfactionem utatur & aquâ. Si verò nec ſic ſe correxerit, ſeparetur à menſa, & à ceterarum Sanctimonialium in Choro pſallentium ſocietate, & ſeorſum in loco hujuſcemodi negligentibus ab Abbatiſſis conſtituto ſtare cogatur, ut ſtatim rubore ſequeſtrationis emendetur. Si autem his modis admonita atque caſtigata, incorrigibilis adhuc extiterit, congruens, ſi tamen ætas permiſerit, verberum adhibeatur caſtigatio. Verùm ſi talis fuerit, quam aut ætas aut qualitas perſonæ verberari non ſiverit, hæc, & publicâ objurgatione, & jejuniorum continuatione, & ſequeſtrationis rubore tamdiu corripiatur, donec dignâ pœnitentiæ ſatisfactione veniam conſequi poſſe videatur. Si igitur ea quæ flagellatur, & ea quam flagellari aut ætas aut qualitas perſonæ prohibet, incorrigibiles apparuerint, ſit locus intra clauſtra, quo ad tempus retrudantur, & ſecundùm modum culpæ caſtigentur. Quòd ſi etiam aliqua in tantam inſaniam devenerit, quæ poſt tot ſaluberrimas admonitiones & caſtigationes necdum ſe correxerit, deprecetur pro ea communi voto ab omni Congregatione, ut ab illo, cui nihil eſt impoſſibile, ſanetur. Poſtremò ſi his omnibus exhibitis inemendabilis atque incorrigibilis apparuerit, quia nullatenus huic ſeculum repetere fas eſt, advocetur, ſi neceſſe eſt, Epiſcopus, & illius ſapientiſſimo ac diſcretiſſimo judicio ita ejuſdem vita, quæ ſe tot vitiis fœdando & in pertinacia permanendo à Collegio Sanctimonialium quodammodo ſecrevit, intra ſepta Monaſterii moderetur, quatenus & pœnitentiam ſibi ab eo injunctam ſalubriter gerat, & ceteris nullius contagionis morbum inferre valeat. Quæ autem criminale peccatum commiſerit, huic nullatenus differenda eſt correptionis utilitas, quin* CXXIX.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

aut ſponte peccati ſui facinus pœnitendo abluat, aut, ſi id agere renuerit, ab Epiſcopo, ut præmiſſum eſt, juxta modum taxatum ſententiam excommunicationis & modum pœnitentiæ excipiat. In caſtigandis namque, atque corrigendis delinquentibus, opem ferre non deſiſtant Abbatiſſis cetera Sanctimoniales.

Capita, decimum-nonum ac viceſimum, ſtatuunt, ut Abbatiſſæ & Sanctimoniales virorum frequentias vitent. *Si quando ſermocinandi neceſſitas* Abbatiſſis *incubuerit, adhibitis ſecum Sanctimonialibus, quas & ætas & morum probitas & vitæ innocentia commendant, id faciant, & quod deliberandum eſt prudenter deliberent, & quod diſponendum utiliter diſponant. Quia ſi earum conſilio & præſentiâ uſa fuerint, & morſum detractionis vitabunt, & exemplum ſibi ſubditis ſalubriùs præbebunt. Licèt enim hujuſcemodi Sanctimoniales talium negotiorum experientiam non habeant, earum tamen præſentiâ capaces boni conſilii caſtíque factæ ſunt.* Item. *Decet porrò ut Abbatiſſa tres aut quatuor Sanctimoniales vitæ probabilis conſtituant, coram quibus cetera Sanctimoniales loquantur, quando eis in propriis manſiunculis aliquid operis agendum eſt, quod non ſine virorum labore perfici poteſt.* &c.

CXXX.

CXXXI. Caput viceſimum-primum Sanctimonialibus injungit, ut pervigilem cuſtodiam erga famulas ſibi ſervientes adhibeant. *In talibus congregandis modum adhibeant diſcretionis, ut non ampliùs, quàm neceſſitas exigit, ſibi ad ſerviendum congregent, & erga congregatas curam adhibeant, ne illis quolibet peccato ruentibus, illarum ruinæ participes exiſtant. Si verò hæ famulæ, aut Abbatiſſarum, aut certè Sanctimonialium, in clauſtris Monaſterii quippiam indecens admiſerint, & crebrò admonitæ atque correptæ non ſe correxerint, extra clauſtra Monaſterii procul ejiciendæ atque eliminandæ ſunt.*

CXXXII. Caput viceſimum-ſecundum, quomodo puellæ in Monaſteriis erudiendæ ſint, pleniſſimè docet ex epiſtola, quam beatus Hieronymus ad Lætam de inſtitutione filiæ ſcripſit. Illam conſule.

CXXXIII. Caput viceſimum-tertium eſt de manſione intra Monaſterium *propter anus & infirmas* conſtruenda. *Quamquam intra clauſtra Monaſterii Sanctimoniales canonicè viventes proprias ſolitæ ſint habere manſiunculas, propter anus tamen & infirmas debet intra clauſtra ab Abbatiſſis manſio fieri, ubi earum, quæ fortè ſuas non habent, imbecillitatibus atque infirmitatibus miſericordiſſimè poſſit opitulari. Quarum curam Abbatiſſæ, utpote ſpiritales matres, ante omnia gerere debent, ut his ea, quibus opus habent, miſericorditer adminiſtrent. Sed & cetera Sanctimoniales acceſſu eas frequenti viſitantes, divinarum Scripturarum collocutionibus demulceant, & ſuis facultatibus eis adminiculum præbeant, earúmque imbecillitates & infirmitates cum caritate æquanimiter portent, ut merito à Domino eis dicatur.* [*Infirmus fui, & viſitaſtis me.*]

CXXXIV. Caput viceſimum-quartum, ut & centeſimum undequadrageſimum in Regula Canonicorum, eſt de Præpoſitis. *Quia conſtat Abbatiſſas exteriorum & interiorum pondere gravatas, adeò ut prapediente ignorantiâ fragilitatis humanæ multa neſciant, quæ in Monaſteriis negligenter fiunt, neceſſe eſt ut tales ſub ſe conſtituant, cum quibus ſecurè poſſint partiri onera regiminis. Quibus etiam talem conferent poteſtatem, ut vice ſuâ fungentes & benè agentes in melius proficere dictis & exemplis exhortentur, & delinquentium errata diſtrictiſſimâ invectione corripiant, & quæ in Monaſteriis ab Abbatiſſis ob diverſarum curarum occupationes perfici minimè poſſunt, ab his dignè & utiliter perficiantur. Quibus etiam expedit, ut ſe imitabiles ceteris præbeant, quatenus irreprehenſibiliter vivendo & ſanctarum virtutum exempla præbendo, cœtibus ſanctarum fœminarum mereantur adſciſci. Quòd ſi negligenter vixerint, & his, quibus benè vivendo prodeſſe debuerant, exemplo ſuæ perverſitatis aliquam læſionis maculam ingeſſerint, juxta modum præmiſſum judicentur, & , ſi inemendabiles extiterint, à miniſterio amoveantur, aliæque in loca earum probabilis vitæ conſtituantur.*

CXXXV. Caput viceſimum-quintum eſt de Cellararia. *Expedit Abbatiſſis, ut de Congregatione ſibi commiſſa tales eligant, quibus alimenta Sanctimonialium com-*

mittant, quæ non ſint criminatrices, non vinolentæ, non prodigæ, & ceteris vitiorum illecebris mancipatæ, ſed magis quæ vitæ ſint probabilis, & inviolabiliter congregata conſervent, & fideliter ea atque humiliter Sanctimonialibus adminiſtrent. Ergà hujuſcemodi verò delinquentes & inobedientes modus præmiſſus obnixè tenendus eſt. N. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Caput viceſimum-ſextum eſt de Portaria. *Oportet ad portam Monaſterii talis conſtituatur Sanctimonialis, quæ ætate & morum probitate ceteris emineat, ut neque propter perſonarum acceptionem, neque propter alicujus adulationem aut timorem, porta Monaſterii niſi horis ſtatutis reſeretur. Quia niſi talis ad portam conſtituta fuerit, magnum procul dubio in Monaſteriis degentibus poterit provenire periculum. Quòd ſi alicujus gratiâ contra hanc Inſtitutionem facere tentaverit, & admonita non ſe correxerit, dignâ invectione correpta à miniſterio amoveatur.* CXXXVI.

Caput viceſimum-ſeptimum eſt de Presbyteris eorúmque miniſtris qui Monaſteria puellarum ingrediuntur. *Presbyteris, qui in Monaſteriis puellaribus Miſſarum ſolemnia celebrare debent, extra Monaſterium ſit locus, & Eccleſia, ubi cum miniſtris ſuis habitent, & divinæ ſervitutis obſequium expleant, & non niſi ſtatuto tempore Monaſterium ingrediantur puellarum, & cum eis Diaconus tantùm & Subdiaconus, qui ſcilicet & vitæ honeſtate clareſcant, & non ſe ſed Chriſtum amare cupiant, nec ſua quærant, ſed quæ Jeſu Chriſti, & non ampliùs ibi morentur niſi in Miſſarum celebrationibus ad Sanctimoniales publicè faciendis, quibus ritè ac devotè celebratis illicò foras egrediantur. Sanctimoniales namque velo antè poſito, ut moris eſt, Horas Canonicas & Miſſarum ſolemnia celebrent. Sed & hoc caveant, ut nulla illarum cum eiſdem Presbyteris eorúmque miniſtris aliquam ſermocinationem familiarem habeat. Si qua igitur peccata ſua Sacerdoti confiteri voluerit, id in Eccleſia faciat, ut ab aliis videatur, ſicut in dictis Sanctorum Patrum continetur, exceptis infirmis, quibus in domibus id facere neceſſe eſt. Nam Presbyter Diaconum & Subdiaconum, qui utique boni ſint teſtimonii, ob detractionem vitandam ſecum habeat, à quibus ſcilicet videatur, & ſuæ innocentiæ bonum teſtimonium exhibeatur.* CXXXVII.

Caput ultimum eſt de ſuſceptione pauperum. *Oportet ut extra Monaſterium, juxta Eccleſiam ſcilicet, in qua Presbyteri cum miniſtris ſuis divinum explent Officium, ſit Hoſpitale pauperum, cui etiam præſit talis, qui & avaritiam oderit, & hoſpitalitatem diligat. Et exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur, de rebus Eccleſiæ, prout facultas ſuppetit, eidem deputetur Hoſpitali, unde pauperes ibidem recreentur & foveantur. Sed & de oblationibus, quæ à fidelibus Sanctimonialibus deferuntur, decima dentur ad eorumdem ſuſtentationem pauperum. Is namque, cui Hoſpitale committitur, nequaquam res pauperum in ſuos uſus retorqueat, ne cum Juda loculos Domini furante ſententiam damnationis excipiat. Sit etiam intra Monaſterium receptaculum, ubi viduæ & paupercula tantummodò recipiantur & alantur; & ſi non poſſunt alio, ſaltem Quadrageſimæ tempore Sanctimoniales, Domini implentes præceptum, earum lavent pedes juxta illud.* [*Si ego Dominus & Magiſter veſter lavi vobis pedes, quantò magis vos debetis alter alterius lavare pedes?*] CXXXVIII.

Ludovicus Imperator utramque Regulam diligenter tranſcribi juſſit, ut in ſingulas provincias ad Metropolitas, ſeu Concilio interfuiſſent ſeu non adfuiſſent, exemplaria ſine depravatione vel detruncatione perferrentur. Hinc epiſtolarum, quæ publicatæ ſunt, varii tituli. Jacobus Sirmondus duas evulgavit, unam ex Codice Aquitanico, alteram ex Autiſſiodorenſi. Prior inſcribitur *Sichario Archiepiſcopo*, poſterior *Magno Senonicæ urbis Archiepiſcopo*. Tertiam Aubertus Miræus è Codice Pariſienſi produxit inſcriptam. *Arnoni Salzburgenſi Archiepiſcopo.* Sicharius autem Archiepiſcopus, qui memoratur in Codice Aquitanico, non alius eſt à Sichario Burdigalenſi Metropolita, cui Præceptum etiam Immunitatis idem Augùſtus ita conceſſit. *In Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordi-* CXXXIX. SCRIBIT AD ARCHIEPISCOPOS POST CONVENTUM AQUISGRANENSEM.

AN. CH. 81 Ludov. Imp. 4. Lothar. Imp. 1. Bern. R. 4. Pippini R. 3. Ludov. R. 1.

*nante Providentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere locis Deo dicatis quid conferimus beneficii, & neceſſitates Eccleſiaſticas ad petitiones Sacerdotum noſtro relevamus juvamine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam & ad æternam fœlicitatem obtinendam profuturum liquidò credimus. Noverit interea ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium, tam præſentium quàm futurorum, quòd Vir Venerabilis Sicharius Burdigalenſis Archiepiſcopus adiens noſtram præſentiam detulit obtutibus noſtris Immunitatem Domini & Genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ Sereniſſimi Auguſti, in qua continebatur, qualiter ipſam Sedem, quæ eſt in honorem Sancti Andreæ & Sancti Jacobi Apoſtolorum, cum Monaſteriis ſibi ſubjectis, quæ dicuntur Blavia, quod eſt in honorem Sancti Romani conſtitutum, ubi ipſe Sanctus pro tempore requieſcit, ſitum in eodem pago Burdigalenſi ſuper fluvium Garonam, necnon & Sancti Severini, ubi etiam requieſcit ipſe, conſtructum in ſuburbio ipſius civitatis, cum omnibus appenditiis & aſſentiis eorum, quæ non ſolùm idem genitor noſter verùm etiam prædeceſſores ejus Reges, ipsámque Sedem ſub uno nomine & defenſione cum Cellulis ſibi ſubjectis & rebus vel hominibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus conſiſtere feciſſent, & eorum Immunitatum auctoritatibus ab inquietudine judiciariæ poteſtatis eadem immunitatque defenſa fuiſſet Eccleſia. Sed pro ejus firmitate poſtulavit à nobis præfatus Sicharius Archiepiſcopus, ut patrum ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum morem ſequentes, hujuſmodi noſtræ Immunitatis Præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipſius ſancti loci circa ipſam Eccleſiam fieri cenſeremus, cujus petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & hoc noſtræ authoritatis Præceptum circa ipſam Eccleſiam Immunitatis atque authoritatis gratiâ pro divini cultûs amore & animæ noſtræ remedio fieri decrevimus. Per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex Judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quàm futuris, in Eccleſias aut agros ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſdam pagis vel territoriis intra ditionem Imperii noſtri, juſtè & legaliter memorata tenet Eccleſia, vel ea deinceps in jura ipſius Eccleſiæ divina pietas voluerit augere, ad cauſas audiendas, vel freda * aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſervos ſuper terram ipſius permanentes injuſtè diſtringendos, nec ullas redemptiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus, ingredi audeat, nec ea, quæ ſupra memorata ſunt, exigere præſumat. Sed liceat memorato Præſuli & cuilibet ſucceſſori res prædictæ Eccleſiæ cum Cellulis ſibi ſubjectis & rebus vel hominibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, Immunitatis noſtræ defenſione, remotâ totius Judiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate noſtra, & conjugis, & prolis, ſeu etiam totius Imperii à Deo nobis collati, & ejus clementiſſimâ miſeratione per in immenſum conſervandi, unà cum Clero & populo ſibi ſubjecto, Dei immenſam Clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatis rebus Eccleſiæ jus fiſci exigere poterit, totum nos perpetuâ renuntiatione conceſſimus Eccleſiæ iſti, ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum & ſtipendia Clericorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus noſtris diligentiùs conſervetur, manu noſtrâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.* Hanc Immunitatis Chartam publicavit Hieronymus *Lopes* in Hiſtoria Burdigalenſis Eccleſiæ, parte tertiâ, capite nono. Idem Auctor parte ſecundâ ejuſdem operis, capite quarto [a], tranſcripſit fragmentum epiſtolæ, quam Ludovicus Imperator Sichario Archiepiſcopo poſt Aquiſgranenſe Concilium direxit. Illam hîc integram accipe, ſimúlque confer cum duabus aliis ad Magnum Senonenſem Archiepiſcopum & ad Arnonem Metropolitam Saliſburgienſem ab eodem Auguſto tunc ſcriptis. Quamvis enim omnes in eadem materia verſentur, in ipſo tamen contextu ſic inter ſe differunt, ut nullâ illarum carere noſtri debeant Annales.

* In edit. *feudo*

[a] In Archiep. 12.

Digitized by Google

AN. CH. 817. Ludov. Imp. 4. Lothar. Imp. 1. Bern. R. 4. Pippini R. 3. Ludov. R. 1.

EPISTOLA LUDOVICI AUG. AD MAGNUM Archiep. Senonens.

EDITA A SIRMONDO EX COD. AUTISSIODORENSI.

Gloriosissimus Ludovicus superno munere Victor semper Augustus Venerabili in Christo Magno Senonicæ urbis Archiepiscopo in Domino salutem.

Sicut vobis nuperrimè in sacro Conventu, quem Deo annuente Aquisgrani Palatio aggregavimus, ubi multa, favente Christo, Ecclesiasticè immo Catholicè acta sunt, meminimus promisisse, misimus tuæ venerandæ Paternitati per præsentes Missos nostros, Ermenfredum videlicet & Haymonem, Formulam Canonicæ Institutionis, quam idem sacer Conventus ex Sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis colligere atque in unum congerere studuit. Quam quia vobis transcribendi angustia temporis facultatem denegavit, studii nostri fuit eam diligenter transcribi jubere, ut absque ullâ depravatione aut detruncatione textus ejus ad vos usque incolumis perferretur.

Proinde has literas ad tuam direximus Sanctitatem, per quas jubemus, ut memor admonitionis nostræ

EPISTOLA LUDOVICI AUG. AD SICHARIUM Archiep. Burdigalens.

EDITA A SIRMONDO EX CODICE AQUITANICO.

Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus Venerabili in Christo Sichario Archiepiscopo in Domino salutem.

Sacrum & Venerabile Concilium divino nutu nostróque studio in Aquisgrani Palatio nuper aggregatum, in quo multa ob propagandam Ecclesiasticam dignitatem, præcedente & subsequente gratiâ Christi, diligenter tractata atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere Sanctitatem. Sed quia contigit eidem Sancto & Venerabili Concilio tuam non interfuisse Paternitatem, ad tuam destinare decrevimus Beatitudinem, per præsentem Missum nostrum, nomine Adalelmum, Formulam Canonicæ Institutionis ab eodem sacro Conventu ex Sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis collectam atque in unum congestam. Quam etiam idcirco penes Palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se Scriptorum vitio depravationis aut detruncationis habens ad te usque incolumis perferretur.

Quapropter volumus atque decernimus, ut juxta Metropolitanæ Sedis tibi Canonicè collatam dignitatem

EPISTOLA LUDOVICI AUG. AD ARNONEM Archiep. Salisburgiens.

EDITA A MIRÆO EX CODICE PARISIENSI.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus Venerabili Arnoni Salzburgensi Archiepiscopo in Domino salutem.

Sacrum & memorabile Concilium divino nutu nostróque studio in Aquisgrani Palatio nuper aggregatum, in quo multa ob propagandam Ecclesiasticam dignitatem præcedente & subsequente gratiâ Christi, diligenter tractata atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere Sanctitatem. Sed quia contigit eidem Sancto & Venerabili Concilio tuam non interfuisse Paternitatem, ad tuam destinare decrevimus Beatitudinem per præsentem Missum nostrum, nomine Nothonem, Formulam Canonicæ Institutionis ab eodem sacro Conventu ex Sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis collectam atque in unum congestam. Quam etiam idcirco penes Palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se Scriptorum vitio depravationis aut detruncationis habens ad te usque incolumis perferretur.

Quapropter volumus atque decernimus, ut juxta Metropolitanæ Sedis tibi Canonicè collatam digni-

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

noſtræ Suffraganeos tuæ Diœceſeos loco & tempore competenti ad te convocare ſtudeas, & eandem Inſtitutionem per ſingula Capitula coram Eccleſiaſticis Ordinibus prælegi facias, & qualiter eam ſacer Conventus ob emolumentum animarum inſtruere ſalubriter curaverit, patenter edoceas, & his, qui Canonicæ profeſſionis cenſentur nomine, ſecundùm miniſterium tibi divinitus collatum & noſtræ auctoritatis Præceptum, coram memoratis Miſſis noſtris obſervandam percenſeas. Eorum autem qui tardioris ſunt ingenii, & eam forte plenè intelligere nequeunt, tuo ſive comprovincialium tuorum Epiſcoporum dono ſcientiæ pollentium ſtudio, ejus notitia ſenſibus perfundatur.

Nam & tuam nihilominùs providam volumus eſſe Beatitudinem, ut eam ſollerti curâ prædicti Miſſi noſtri omnes, prout inſinuaveris, tranſcribere abſque ulla depravatione & detruncatione præmoneant, quoniam qualiter diligenter ſtudioſéque diſtinctè & apertè tranſcribatur, illos ſatis inſtituimus. Cujus nempe exemplar idcircò in armario Palatii noſtri recondi fecimus, ut per hoc noſſe & inquirere poſſemus, utrúmne ab aliquo negligenter tranſcripta fuerit, quia, ut comperimus, dum in eodem ſacro Concilio perlegeretur, antequàm coram nobis ab eodem Concilio prolata, & necdum menſura cibi & potûs plenè ſtatuta fuiſſet, invidi magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconſultè ex ea tranſcripſi-

tatem noſtraque auctoritatis ſanctionem, Diœceſeos tuæ Epiſcopos & ceteros Eccleſiæ Prælatos, tempore & loco congruenti ad te accerſere facias, & his coram capitulatim memoratam Inſtitutionis Formulam prælegi jubeas, & quòd ad exaltandum Eccleſiaſtici culminis faſtigium & animarum ſalutem idem ſacer Conventus eam ediderit, liquidò demonſtres: ſed & his, qui in uno Collegio Canonicè degunt, tenendam obſervandámque coram memorato Miſſo noſtro conferas. Ac ſi alicujus cordis obtuſio eam intelligere nequiverit, huic ſive abs te, ſive ab aliis Epiſcopis, comprovincialibus ſcilicet tuis, doctrinæ fulgore renitentibus, ſobriè tradatur.

Sed & in hoc nihilominùs circumſpectam monemus eſſe tuam prudentiam, ut ab his, qui eam tranſcripta ſunt, ita tranſcribatur, ut nec depravata vitio Scriptoris, nec detruncata ab aliquo fiat; ſed ſicut à prædicto Miſſo noſtro eis demonſtratum fuerit, abſque aliqua depravatione vel detruncatione tranſcribatur. Noveris etiam, quia ideo illius exemplum apud armarium Palatii noſtri detentum eſt, ut eo probari patenter poſſit, quis eam incuriosè tranſcripſerit, vel quis aliquam ejus partem detruncarit. Ut enim comperimus, dum in eodem ſacro Collegio perlegeretur, antequàm coram nobis ab eodem Concilio perlegeretur, & necdum menſura cibi ac potûs ſtatuta fuiſſet, quidam magna ex parte illam

tatem noſtraque auctoritatis ſanctionem, Diœceſeos tuæ Epiſcopos & ceteros Eccleſiæ Prælatos, tempore & loco congruenti ad te accerſere facias, & his coram capitulatim commemoratam Inſtitutionis formulam prælegi jubeas, & quòd ad exaltandum Eccleſiaſtici culminis faſtigium & animarum ſalutem idem ſacer Conventus eam, ediderit, liquidò demonſtres: ſed & his, qui in uno Collegio Canonicè degunt, tenendam obſervandámque coram memorato Miſſo noſtro percenſeas. Ac ſi alicujus cordis obtuſio eam intelligere nequiverit, huic ſive abs te, ſive ab aliis Epiſcopis, comprovincialibus ſcilicet tuis, doctrinæ fulgore renitentibus, ſobriè tradatur.

Sed in hoc nihilominùs circumſpectam monemus eſſe tuam prudentiam, ut ab his, qui eam tranſcripturi ſunt, ita tranſcribatur, ut nec depravata vitio Scriptoris, nec detruncata ab aliquo fiat; ſed ſicut à prædicto Miſſo noſtro eis demonſtratum fuerit, abſque aliqua depravatione vel detruncatione tranſcribatur. Noveris etiam, quia ideo illius exemplum apud armarium Palatii noſtri detentum eſt, ut eo probari patenter poſſit, quis eam incuriosè tranſcripſerit, vel quis aliquam ejus partem detruncaverit.

Omnes

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

ſcripſerunt. Unde neceſſe eſt, ut, ſi aliquem in tua Diœceſi tale feciſſe repereris, hujuſcemodi factum coram provincialium tuorum Epiſcoporum Conventu & coram præſcriptis Miſſis noſtris fruſtreris, & hanc authenticam, ut præmiſimus, diligenter, ſicut Miſſi noſtri eis inſinuaverint, tranſcribi percenſeas.

illam detruncantes, quædam Capitula inconſultè ex ea tranſcripſerunt. Unde neceſſe eſt, ut, ſi aliquem in tua Diœceſi tale feciſſe repereris, hujuſmodi factum coram provincialium tuorum Epiſcoporum Conventu & coram præſcripto Miſſo noſtro fruſtreris, & hanc authenticam, ut præmiſimus, diligenter, ſicut Miſſus noſter eis inſinuaverit, tranſcribi percenſeas.

Volumus ergo, ut omnes Prælati Canonicorum diligenter illam tranſcribant, ſtudiosè intelligant, efficaciter, quantùm Dominus eis poſſe dederit, ob ſuam ſubditarúmque utilitatem opere adimplere procurent, ut quando nos, ſicut in eorum ſacro & venerabili Concilio generaliter omnibus diximus, Miſſos noſtros hujus negotii inquirendi gratiâ, per univerſum Imperium noſtrum Kalendis Septembrib venturis direxerimus, omnes Prælati videlicet & ſubditi, juxta capacitatem & poſſibilitatem ſuam, eâdem inſtructione formati atque inſtructi, ejuſdémque operatores inveniantur ſtrenui. Quoniam diligenti indagine, vitâ comite, inquirere jubebimus, qualiter unuſquiſque Prælatorum miniſterium ſuum expleat, qualiter juſſioni noſtræ in clauſtris & ceteris Canonicorum neceſſariis habitationibus, & in eorum ſtipendiis dandis, & receptaculis pauperum præparandis obtemperaverint, vel quis Clerum ſuum ſecundùm hujus Inſtitutionis normam & cetera ſpiritalia exercitia informare ſtuduerit; aut ſi quis quem eorum,

Omnes ergo tuæ Diœceſeos Epiſcopi & ceteri Prælati eam vigilanti curâ tranſcribere, ſolerti ſtudio intelligere, inſtantiſſimæ aſſiduitatis exercitio divinitus adjuti operibus complere decertent, ut cùm nos hujus rei gratiâ inquirendæ venturis Kalendis Septembribus (ſicut eidem ſacro & memorabili Concilio meminimus nos dixiſſe facturos) Miſſos noſtros per Imperium à Deo nobis collatum deſtinaverimus, remotâ cujuſlibet difficultatis oppoſitione, ejuſdem ſalutiferæ Inſtitutionis Prælati & ſubditi, prout Dominus poſſe eis dederit, ſtrenui inveniantur operatores. Quoniam diligenti indagine, vitâ comite, perquirere jubebimus, quis Prælatorum injunctum ſibi officium ſtrenuè peregerit, vel quis in clauſtris Canonicorum & ceteris habitationibus conſtruendis, & in neceſſariis ſtipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, Sanctioni noſtræ paruerit; quiſve Clerum ſuum eâdem Inſtitutione & ceteris ſpiritalibus documentis inſtruere curaverit; vel quis causâ avaritiæ

Omnes ergo tuæ Diœceſeos Epiſcopi & ceteri Prælati eam vigilanti curâ tranſcribere, ſolerti ſtudio intelligere, inſtantiſſimæ aſſiduitatis exercitio divinitus adjuti operibus complere decertent, ut cùm nos hujus rei gratiâ inquirendæ venturis Kalendis Septembribus (ſicut eidem ſacro & memorabili Concilio meminimus nos dixiſſe facturos) Miſſos noſtros per Imperium à Deo nobis collatum deſtinaverimus, remotâ cujuſlibet difficultatis oppoſitione, ejuſdem ſalutiferæ Inſtitutionis Prælati & ſubditi, prout Dominus eis poſſe dederit, ſtrenui inveniantur operatores. Quoniam diligenti indagine, vitâ comite, perquirere jubebimus, quis Prælatorum injunctum ſibi officium ſtrenuè peregerit, vel quis in clauſtris Canonicorum & ceteris habitationibus conſtruendis, & in neceſſariis ſtipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, Sanctioni noſtræ paruerit; quiſve Clerum ſuum eadem Inſtitutione & ceteris ſpiritalibus documentis inſtruere curaverit; vel quis causâ avaritiæ eos, quos

Chriſti

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

eorum, quos in Dei ſervitio rationabiliter gubernare potuit, causâ avaritiæ abjecerit, quia ut hæc, quæ præmiſimus, abſque ullius difficultatis oppoſitione, in locis, in quibus facta necdum erant, fieri opportuniſſimè poſſent, unius anni ſpatium, ſicut noſti, ad hæc peragenda tribuimus. Qui verò hoc annuo tempore noſtræ immóque Dei Juſſioni juxta vires obtemperare neglexerit, ceteris, ne talia facere audeant, terrorem procul dubio incutiet.

Miſimus itaque tibi Inſtitutionis formam, quam idem ſacrum & venerabile Concilium ex Sanctorum Patrum ſententiis diligenter excerpſit, & Sanctimonialibus in uno Collegio Canonicè degentibus obſervandam percenſuit; quam ſive per te, ſive per comprovinciales tuos Epiſcopos, in omnibus tuæ Diœceſeos puellaribus Monaſteriis, in quibus Canonicè vivitur, ſtudiosè præſcriptam haberi voluimus. Sed & hoc decernimus, ut à vobis tam Abbatiſſis quàm ceteris Sanctimonialibus tradatur, & qualiter eam tenere debeant, veſtro ſtudio informentur. Ceterùm niſi aliquam Abbatiſſarum quando nos ad præſentiam noſtram venire juſſerimus, alio tempore volumus ut Abbatiſſæ propriis in Monaſteriis reſideant, & ſecundùm hanc Inſtitutionis Formam vivere, ſibíque ſubjectas gubernare decertent; & nullis illarum per villas reſidendi, aut foras qualibet occaſione acceptâ evagandi, ſuíſque voluptatibus

ritiæ eos, quos Chriſti militia rationabiliter alere poterat, propulerit; quia unius anni ſpatium dedimus, ut ea, quæ promiſſa ſunt, abſque ullius difficultatis excuſatione perfici, ubi necdum facta erant, facillimè poſſent. Proinde qui hoc anni tempore in hoc negotio noſtræ admodum Juſſioni pro viribus obedire neglexerit, ceteris ſine dubio terrori erit, ne talia admittere præſumant.

Direximus ſanè tibi Inſtitutionis Formulam, quam ejuſdem ſacri Concilii par conſenſus párque ſtudium ex Sanctorum Patrum dictis enucleatim excerpſit, & caſtimoniæ dicatis in una ſocietate Canonicè degentibus obſervandam ſtatuit; quam volumus à te, ſive à tuis comprovincialibus Epiſcopis, ſtudiosè jubere tranſcribi, & Monaſteriis puellaribus in tua Diœceſi conſiſtentibus, in quibus ſcilicet Canonicè vivitur, tenendam conferri, qualitérque ab Abbatiſſis & ceteris Sanctimonialibus religioſiſſimè ac devotiſſimè obſervari debeat, apertiſſimè perdoceri. Quoniam niſi quando nos aliquam Abbatiſſam noſtram adire juſſerimus præſentiam, alio tempore volumus in Monaſteriis reſideant, & ſecundùm ejuſdem Inſtitutionis Formam vitam ducant, ſibíque ſubditas in ſancto Religionis propoſito conſtringant. Et nulla illarum foras evagandi aut occaſione qualibet acceptâ per villas reſidendi, ſuíſque vo-

Chriſti militia rationabiliter alere poterat, propulerit; quia unius anni ſpatium dedimus, ut ea, quæ promiſſa ſunt, abſque ullius difficultatis excuſatione perfici, ubi necdum facta erant, facillimè poſſent.

Nos

Digitized by Google

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

bus deſerviendi licentiam attribuant.

Quamquam enim nonnulli Clerici Monaſteria puellarum, & nonnulli laici Monaſteria virorum etiam ac puellarum habeant, tua tamen debet providere ſolertiſſima induſtria, ut in omnibus locis ſub tua Diœceſi conſtitutis, ubicumque Congregationes Clericorum & Sanctimonialium ſunt, juxta poſſibilitatem & facultatem rerum, ſecundum hujus Inſtitutionis Formam vivant. Quia nulla eſt omnino Eccleſia, quæ facultates habeat, ubi non poſſint tot taléſque gubernari, qui divinum expleant officium, & ubi hoſpitalitas juxta vires non poſſit diligi.

Nos quoque præfatos Miſſos noſtros ad tuam Sanctitatem ideo direximus, ut tuum ceterorúmque Eccleſiaſticorum in tua Diœceſi conſiſtentium, diligenter atque ſubtiliter in hoc negotio intuerentur ſtudium, & tibi opem in ceteris commonendis ferrent; qui & nobis referrent, qualiter Prælati & Prælatæ eam libenter ſuſceperint, diligentérque tranſcribere ſtuduerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint: quoniam tamdiu illos in tua vel comprovincialium tuorum Diœceſi morari & diſcurrere unà cum Miſſo tuo juſſimus, donec ab omnibus memoratæ Formulæ tranſcriberentur, ut videlicet cuncta procurantes, diligentérque taxantes, cùm ad nos illos redire opere expleto tempus permiſerit, cuncta, quæ acta ſunt, veſtro utrorumque ſcripto

voluptatibus deſerviendi licentiam ſibi adtribuat.

Quamquam enim nonnulli Clerici Monaſteria puellarum, & nonnulli laici Monaſteria virorum etiam & puellarum habeant, tua tamen debet providere ſolertiſſima induſtria, ut in omnibus locis ſub tua Diœceſi conſtitutis, ubicumque Congregationes Clericorum & Sanctimonialium ſunt, juxta poſſibilitatem & facultatem rerum, ſecundùm hujus Inſtitutionis Formam vivant. Quia nulla eſt omnino Eccleſia, quæ facultates habeat, ubi non poſſint tot taléſque gubernari, qui divinum expleant officium, & ubi hoſpitalitas juxta vires non poſſit diligi.

Nos quoque præfatum Miſſum noſtrum ad tuam Sanctitatem ideo direximus, ut tuum ceterorúmque Eccleſiaſticorum in tua Diœceſi exiſtentium diligenter atque ſubtiliter in hoc negotio intueretur ſtudium, & tibi opem in ceteris commonendis ferret, qui etiam nobis referret, qualiter Prælati & Prælatæ eas Formulas libenter ſuſceperint, diligenter tranſcribere ſtuduerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint: quoniam tamdiu illum in tua vel comprovincialium tuorum Diœceſi immorari & diſcurrere unà cum Miſſo tuo juſſimus, donec ab omnibus memoratæ Formulæ tranſcriberentur, ut videlicet cuncta procurans diligentérque perficiens, cùm ad nos illum redire opere expleto tempus permiſerit, cuncta, quæ acta ſunt, veſtro utrorumque ſcripto

Nos quoque præfatum Miſſum noſtrum ad tuam Sanctitatem ideo direximus, ut tuum ceterorúmque Eccleſiaſticorum in tua Diœceſi exiſtentium diligenter atque ſubtiliter in hoc negotio intueretur ſtudium, & tibi opem in ceteris commonendis ferret, qui etiam nobis referret, qualiter Prælati & Prælatæ eas Formulas libenter ſuſceperint, diligenter tranſcribere ſtuduerint, & devotè adimplere juxta vires curaverint: quoniam tamdiu illum in tua vel comprovincialium tuorum Diœceſi immorari & diſcurrere unà cum Miſſo tuo juſſimus, donec ab omnibus memoratæ Formulæ tranſcriberentur, ut videlicet cuncta procurans diligentérque perficiens, cùm ad nos illum redire opere expleto tempus permiſerit, cuncta, quæ acta ſunt, veſtro utrorum-

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

notentur, atque per ipsos tuúmque Missum nostræ dinoscentiæ intimentur, ut sciamus, quibus gratiarum actiones referre, quósque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus.

Si verò aliquis tuæ Diœcesis eidem Institutioni nostræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & ea, quæ ab eodem sacro & venerabili Concilio constituta atque decreta sunt, quantùm Dominus ei posse dederit, observare contempserit, præcipimus, ut si anteà hujusmodi non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram, tuâ vel Missorum nostrorum admonitione, venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundùm quam Clericis & Sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt.

Quæ ut omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneantur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus epistolæ admonemus Sanctitatem, ut, secundùm ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe est, ut quantò sublimiùs Sacerdotii dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei nostrámque voluntatem faciendam, devotiorem te atque promptiorem

scripto notentur, atque per ipsum tuúmque Commissum nostræ dignoscentiæ intimentur, ut sciamus, quibus gratiarum actiones referre, quósque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus.

Si verò aliquis tuæ Diœceseos eidem Institutioni nostræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam, quæ ab eodem sacro Conventu constituta atque decreta est, pro viribus observare neglexerit, & subinde admonitus non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram tuâ vel Missi nostri admonitione venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundùm quæ Clericis & Sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt.

Quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneantur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce epistolæ admonemus Sanctitatem, ut, secundùm ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe justúmque est, ut quantò sublimiùs Sacerdotii dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei nostrámque voluntatem exequendam, devotiorem te atque

que scripto notentur, atque per ipsum tuúmque Commissum nostræ dignoscentiæ intimentur, ut sciamus, quibus gratiarum actiones referre, quósque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus.

Si verò aliquis tuæ Diœceseos eidem Institutioni vestræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam, quæ ab eodem sacro & venerabili Concilio constituta atque decreta est, quantùm Dominus ei posse dederit, observare contempserit, præcipimus, ut si anteà hujusmodi non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram tuâ vel Missi nostri admonitione venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundùm quæ Clericis & Sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt.

Quæ ut ab omnibus firmissimè atque inviolabiliter teneantur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti à quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce epistolæ admonemus Sanctitatem, ut secundùm ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe justúmque est, ut quantò sublimiùs Sacerdotii dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei nostrámque voluntatem exequendam, devotiorem te atque prom-

Digitized by Google

ptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis. | *que promptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.* | *promptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.* AN. CH. 817.

Tam laudabile Ludovici Pii conſilium, quod Auctores illorum temporum egregiè celebrarunt, alii re minùs accuratè conſideratâ reprobarunt poſterioribus ſeculis, &, ut opinioni ſuæ potiorem fidem conciliarent, quidam finxernnt vocem inſigni prodigio cælitus eidem exprobraſſe Ludovico, quòd Eccleſiæ venenum addidiſſet. Quapropter ſtudioſiùs examinandum nobis hîc videtur, quid Petrus Damiani Joannéſque Mauburnus ſcripſerint contra Regulam Canonicorum, ſeu potiùs contra Synodum Aquiſgranenſem, & Ludovicum Auguſtum, qui Synodalia Decreta per omnes ditiones ſuas obſervari præcepit. CXL. VINDICATUR A CALUMNIA.

Petrus Damiani, ſcripſit Opuſculum [a] contra Canonicos, qui licèt in commune fructibus Eccleſiarum alerentur, pecuniam aliáque bona ſeorſum poſſidebant, ídque ſibi licitum aſſerebant ex libro ſuæ Regulæ. Capite primo hujuſcemodi Canonicos oppugnat verbis Sancti Auguſtini. Capite ſecundo idem exequitur verbis Sancti Hieronymi, necnon & Beati Proſperi, ſeu potiùs Juliani Pomerii, cui ſunt attribuendi libri de vita contemplativa, ut obſervatum ſuprà. Capite tertio Regulam ipſam Canonicorum, quam interpolationibus auctam exiſtimat, acriùs carpit. Totum caput hîc deſcribendum examinandúmque. CXLI. [a] Opuſc. 24.

Initio capitis queritur Petrus Damiani, quòd Canonici, cùm illis objiciuntur, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Hieronymus, & Beatus Proſper ſeu Julianus Pomerius, quos ſuperioribus capitibus primo & ſecundo deſcripſit, ſtatim librum offerunt ſuæ Regulæ, quam partim approbandam partim rejiciendam cenſet. *Cùm hæc*, inquit, *illis objicimus, ipſi Regulæ ſuæ librum nobis protinus offerunt, ad Regulæ ſuæ auctoritatem redeunt, eáque ſibi proprietatis peculium concedente, pati ſe præjudicium conqueruntur. Quam nimirum Regulam nos nec funditus improbamus, nec auctoritatem illi omnino tribuimus. Probamus enim in quantùm Sanctis Eccleſiæ Doctoribus conſonat, abjicimus autem atque conſpuimus in quantùm authenticis eorum inſtitutionibus non concordat.* Ut opinionem ſuam confirmet, complures ex ipſa Regula textus allegat hac ad illos tranſitione præmiſsâ. *Sed jam ipſa illorum Regula deducatur ad medium, & utrùm indifferenter tota, an cautè atque ſuſpectè ex parte dumtaxat ſuſcipi debeat, in una ſaltem paginula diſcernamus. Hoc planè in quadam ejus periocha reperitur*, id eſt, in capite centeſimo viceſimo, quod inſcribitur de Clericis, qui in Congregatione Canonica conſtituti Eccleſiaſtica accipere debeant ſtipendia. Totum illud caput hîc ob oculos tibi ponimus cum textu ejuſdem Petri Damiani conferendum. CXLII.

REGULÆ CANONICORUM TEXTUS PETRI DAMIANI

CAPUT CXX. OPUSC. XXIV. CAP. III.

QUia Sanctorum Patrum ſuprà notatæ ſententiæ docent, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficiosè accipere debere; non abs re putavimus nonnulla capitula libri [a] *Proſperi* [*], *ad medium, & exempli causâ, deducere, in quibus ita legitur.* [*Qui Eccleſiæ ſerviunt, & ea, quibus*

HOc planè in quadam ejus, nempe Regulæ Canonicorum, *periocha reperitur.* [*Sanctorum, inquit, Patrum ſententia docet, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficiosè accipere debere. Qui enim Eccleſiæ ſerviunt, & ea, quibus opus non habent, aut libenter accipiunt aut exigunt, nimis* CXLIII.

[a] Lib. de vita contempl. [*] Lege *Julii Pomerii.*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

quibus opus non habent, aut libenter accipiunt aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt.] *Item ibi.* [*Satis quippe indignum eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum propter ſtipendium ſeculare præmia ſempiterna contemnat.*] *Item ibi.* [*Si propter hoc non vult ſua quiſque relinquere, ut habeat unde vivat, ut quid accipit unde rationem reddat? ut quid peccatis alienis ſua multiplicat?*] *His igitur & ceterorum Sanctorum Patrum dictis diligenter animadverſis, ſtudeant neceſſe eſt Clerici in accipiendis Eccleſiaſticis ſumptibus ſuum vitare periculum. Proinde qui & ſuas & Eccleſiæ habent facultates, & utilitatem Eccleſiæ aut interiùs aut exteriùs conferunt, accipiant in Congregatione cibum & potum, & partes eleemoſynarum, & his contenti ſint, ne plùs accipientes, pauperes gravare videantur, perpendentes ſententiam Proſperi *, quâ dicitur.* [*Qui ſua poſſident, & dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat, non accipiunt.*] *Hi verò, qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam utilitatem Eccleſiæ conferunt, accipiant in Canonica Congregatione victum, & veſtitum, & eleemoſynarum partes, quia de talibus ita in libro Proſperi * ſcribitur.* [*Clerici, quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes, neceſſaria vitæ accipiant, quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, ſed cogit vivendi neceſſitas.*] *Porrò ſi tales fuerint, qui nec ſuas nec Eccleſiæ velint habere poſſeſſiones, horum neceſſitatibus providentiſſimâ gubernatione de facultatibus Eccleſiæ debent ſubvenire Prælati, attendentes illud Proſperi *.* [*Quod habet, inquit, Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus in commune habet. Sed & illorum curam nihilominùs gerere debet, quos aut infirmitas aut ſenectus aggravat, quos etiam conſtat olim in utilitatibus Eccleſiæ deſudaſſe.*]

* *Iuliani Pomerii.*

* *Iuliani Pomerii.*

* *Iuliani Pomerii.*

nimis carnaliter ſapiunt. Indignum quippe eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum propter ſtipendium ſeculare præmia ſempiterna contemnat, ut quod accipiat, inde rationem reddat, & peccatis alienis ſua multiplicet peccata. Unde neceſſe eſt, imò utile Clericis, in Eccleſiaſticis accipiendis ſumptibus ſuum vitare periculum. Proinde tam de ſuis quàm de Eccleſiæ facultatibus non plùs accipiant aut exigant, quàm oportet; id eſt, accipiant cibum & potum & veſtimentum, & his contenti ſint, ne plùs accipientes, pauperes gravare videantur non ſine grandi peccato, & non accipiant unde panper victurus erat.] *Ecce in his verbis hæc Regula, ubi ſcilicet Clericos cibo & potu ac veſte contentos eſſe debere promulgat, & nobiſcum & cum totius Eccleſiæ auctoritate concordat. Quod autem illicò ſequitur, prorſus abſurdum, ineptum videtur ac frivolum.* [*Ii verò, inquit, qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam utilitatem Eccleſiæ conferunt, accipiant in Canonica Congregatione victum & eleemoſynarum partes, quia de talibus in libro Proſperi dicitur. Clerici quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes neceſſaria vitæ accipiant.*] *Priùs itaque dat victum & veſtimentum, deinde diviſores conſtituit eleemoſynarum. Illud ſcilicet ad neceſſarium vitæ ſubſidium, hoc ad infercien-dam congeriem ſæculorum. Illud ut corporaliter vivant, hoc ut æternæ morti pabulum nutriant. Conſideranda ſunt etiam ipſa reptantium portenta verborum, & ignominioſæ atque confuſæ locutionis opprobrium. Nam cùm præmiſiſſet, ut Clerici ſuſciperent cum victu & veſtitu etiam partes eleemoſynarum, quaſi reddit cauſam, quare hoc, quia de talibus, inquit, in libro Proſperi dicitur.* [*Clerici, quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in Congregatione viventes neceſſaria vitæ accipiant.*]

CXLIV. Pergit Petrus Damiani, nec tantùm in caput centeſimum viceſimum, ſed etiam in centeſimum viceſimum-ſecundum, quod de menſura cibi & potûs inſcribitur, eodem ſic invehitur ſtylo, *Dic, Tullianæ reformator eloquentiæ; dic, nove Demoſthenes, quia dicit Proſper *, ut Clerici neceſſaria vitæ percipiant, idcircò præcipit, ut præter victus & veſtimenta, per ſingulas etiam perſonas eleemoſynas dividant? Ut juxta tuam interpretationem, neceſſaria vitæ ſuſ-*

* *Iulianum Pomerium.*

Digitized by Google

cipere, hoc ſit, victu veſtéque perceptis, eleemoſynas diſpertire? Quàm benè faciant Clerici, qui te præconiis efferunt, qui tam gravia atque importabilia tuæ legis edicto lætis viſceribus amplectuntur! Et reverà ſatis gravia ſunt & importabilia quæ promulgas, cùm à maximo uſque ad minimum, id eſt, etiamſi duorum vel trium ſit annorum in Clero puerulus, quinque ſibi libras vini, & quatuor panis, ut non ad vomitum, ſed ad exenterationem repleatur, accumulas. Et ut plena diſcretionis tuæ virtus appareat, hoc præcipis, ut, etiamſi ſemel in die reficitur, hæc panis, & vini menſura nullatenus minuatur, ut ſi juxta ſobrietatis tuæ metam refectionis frena laxentur, non jam ructare ſed crepare venter & ilia compellantur. AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Denique ſuam increpationem ſic claudit. *Planè præter nonnullas Sanctorum Patrum ſententias, quæ in eodem libello reperiuntur, appoſitè de cetero ſicut in literis ſtylus horret incultus, ſic in pleriſque ſententiis devius corrigendus eſt intellectus. Neſcivit enim invenire quod ſcriberet, neſcivit ſcribere ſi quas etiam ineptias inveniſſet. Iſtos amant flores eloquentiæ, qui ſpinoſis moribus adverſantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ.* CXLV.

Nicolaus *Deſinos* Canonicus Regularis nuper opus edidit in quinque libros digeſtum, quorum primus eſt de Canonicis in genere, ſecundus de Canonicis Secularibus, tertius de Canonicis Regularibus, quartus de habitu Canonicorum, quintus de Canoniſſis. Libro ſecundo, capite decimoquarto non omiſit ea, quæ ſupra recitavimus ex Petro Damiani, ſed capite proximo, dignam ut nobis videtur, animadverſionem in eundem Petrum Damiani ſubjecit. Ignoravit Petrus Regulam, qua ſe Canonici tuebantur, ipſúmmet Aquiſgranenſis Concilii textum eſſe, atque ex eodem Concilio de verbo ad verbum decerptas fuiſſe periochas, quæ Canonicis proprietatem permittunt, ut ex capite centeſimo viceſimo ſuperiùs deſcripto liquet. Illud certè ſi noviſſet, Canonicos, quibus tot Patres indulgentiam proprietatis conceſſerant, haud adeò ſeverè carpſiſſet, abſtinuiſſétque à conviciis in ipſam Regulam, ratus in ea nec *abſurdum* quidquam, aut *ineptum* ac *frivolum* inveniri, nec eſſe *reptantium portenta verborum, & ignominioſæ atque confuſæ locutionis opprobrium*; ipſas quoque ſententias, quæ paſſim in prædicto ſparſæ Concilio reperiuntur, *ineptias* nuſquam appellaſſet. Interpolatam putavit illam Regulam, quæ Canonicis plùs indulgebat, quàm textus Proſperi ſeu Juliani Pomerii ferret. At hæc indulgentia inſtar interpolationis haberi non debet in Regula Canonicorum, quam Synodus Aquiſgranenſis promulgavit, priùs enim, ut Tomo quinto[a] diximus, conceſſa legitur in Regula Canonicis Metenſibus à Sancto Chrodegango præſcripta, imò in Regula Romana quam idem beatus Chrodegangus Romæ conſuluit. CXLVI.

[a] Ad an. 757.

Floruit Sanctus Chrodegangus Childerico Tertio & Pippino Regibus, Epiſcopatum Metenſem ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo, Romam à Pippino Rege directus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-tertio, Placitum Attiniacenſe ſuâ ſubſcriptione roboravit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto, vitámque clauſit pridie Nonas Martias anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſexto. Româ Metas reverſus Regulam Canonicorum, quæ Romæ tum vigebat & in octoginta-quatuor capita diſtribuebatur, redegit ad capita quatuor ac triginta Cleróque Metenſi ſapienter accommodavit. Ut autem propter abbreviationem multa prætermiſit, quæ ſcripta fuerant in Regula Romana, ſic & Metenſi propter accommodationem inſeruit nonnulla, quorum nullum in Romana veſtigium. Inter capita, quæ pertinent ad illam accommodationem, occurrit triceſimum-primum *de eo quòd qui ad hunc Canonicum ſpecialem ordinem hujus Congregationis ſe ſociare vult, de rebus, quas poſſidet, ad Eccleſiam Beati Pauli Apoſtoli ſolemnem Donationem per præſentem faciat, reſervato tamen, tempore vitæ ſuæ, uſufructuario ordine.* Totum abeſt à Regula CXLVII.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Canonicorum juxta Romanam Eccleſiam, quia ſpectat ad Canonicos tantùm Metenſes, quos per Eccleſiam Sancti Pauli deſignat. Illis enim temporibus, ut in Metenſium Epiſcoporum Hiſtoria Meuriſſius [a] obſervavit, Epiſcopi menſa jam diſtinguebatur à menſa Capituli, & in veteribus Chartis utraque menſa per Sanctum Stephanum & Sanctum Paulum diſcernitur, quoniam Epiſcopi menſa per Sanctum Stephanum ſeu per partes Sancti Stephani, menſa verò Capituli per Sanctum Paulum ſeu per partes Sancti Pauli connotatur, & ſecundùm illam diſtinctionem explicanda ſunt inſtrumenta Donationum, quæ Sancto Stephano ſeu partibus Sancti Stephani, vel Sancto Paulo ſeu partibus Sancti Pauli factæ dicuntur. Ipſam beati Chrodegangi Sanctionem, quam Tomo quinto [b] deſcripſimus, ſupervacaneum eſſet denuò repetere, in illam enim non invehitur Petrus Damiani, ſed in caput centeſimum viceſimum Synodi Aquiſgranenſis, ut obſervatum ſuprà. Hoc autem utrùm jure an injuriâ faciat, apertiſſimè demonſtrat collatio Regularum, Romanæ ſcilicet ac Metenſis, quibuſcum Synodus Aquiſgranenſis convenit.

[a] Lib. 2. in Ep. 37.

[b] Ad an. 757. n. 68.

CXLVIII. Regulæ Canonicorum juxta Romanam Eccleſiam duo conſuluimus exemplaria; manuſcriptum unum, quod Joannes Morinus noſtræ Congregationis Presbyter, cùm Romæ degeret, aliàs deſcripſit; alterum à Luca Dacherio publicatum Tomo primo Spicilegii. Genuinam Sancti Chrodegangi pro Metenſibus Canonicis Regulam Tomo ſeptimo Conciliorum poſt Synodum Aquiſgranenſem inſeruit Philippus Labbeus. In Codice manuſcripto Regulæ Romanæ duo ſunt capita de eleemoſynis; quadrageſimum inſcribitur *de eleemoſynis accipiendis*, quadrageſimum-primum *de eleemoſynis menſuratè à Sacerdotibus accipiendis*. Duo ſimiliter in editione Dacheriana ſed non eadem numero de eleemoſynis occurrunt capita; quadrageſimum-ſecundum eſt *de eleemoſynis accipiendis*, quadrageſimum-tertium *de menſura Sacerdotibus de eleemoſynis accipiendis* * *facienda*. In Regula Canonicorum juxta Metenſem Eccleſiam ſive in Regula Sancti Chrodegangi caput triceſimum-ſecundum inſcribitur *de eleemoſynis*. Utriuſque Regulæ textum nunc accipe ſimúlque confer.

* accipienda

REGULÆ ROMANÆ

CAPUT XLII.

SI aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione, aut Clerico pro Pſalmis & Hymnis, ſeu pro ſeipſo, vel pro quolibet charo ſuo aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc Sacerdos vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem à tribuente ad omnes Sacerdotes aliquid in eleemoſyna datum fuerit, hanc eleemoſynam communem habeant, & Pſalmodiam vel Miſſas pro illo miſericordè faciant.

REGULÆ METENSIS

CAPUT XXXII.

DE eleemoſynis accipiendis ita conſtituimus, ut ſi aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione, aut infirmitate, ſeu pro quolibet charo ſuo aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc Sacerdos à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem ad omnes Sacerdotes ſub tali conditione, ſeu pro quolibet modo aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes Sacerdotes quàm ad omnes Canonicos veniat, & omnes hanc eleemoſynam communem habeant. Similiter & illæ eleemoſynæ, quæ in commune ad omnem Clerum veniunt, omnes in commune habeant, & Pſalmodiam vel Miſſas pro ipſis eleemoſynis, ut Epiſcopus inſtituerit, faciant.

CAPUT

Idem

CAPUT XLIII.

Nimis grave eis esse existimamus, si tam ingentia onera peccantium solis illis Sacerdotibus contigerit portare, quia facilius Dei misericordiam plures impetrant quàm unus, quia unusquisque de propria conscientia sua debet metuere, quantò magis de alienis peccatis supra vires non debet sibi sarcinam peccatorum cumulare?

Ideo autem mensuram Sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus, quia nimis grave pondus existimamus eis esse, si tam ingentia onera peccantium solis illis Sacerdotibus contingeret portare, quia facilius Dei misericordiam plures impetrant quàm unus, quamvis studiosus, & unusquisque de propria conscientia debet metuere, quantò magis de alienis peccatis non debet sibi supra vires sarcinam peccatorum cumulare? Has eleemosynas Archidiaconus aut Primicerius recipiant, & in necessitatibus fratrum, ut eis opus fuerit, & Episcopus judicaverit, ipsas expendant; &, si aliquid exinde superfuerit, in vestiariis fratrum recondant.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

CXLIX. Petrus Damiani, cùm post Aquisgranense Concilium anni saltem quatuor ac quadraginta supra ducentos, sive ex quo Chrodegangus Metensis Episcopus Regulam Canonicorum juxta Romanam Ecclesiam præ manibus habuerat, anni jam octo saltem supra trecentos effluxissent, *Domno Alexandro Beatissimo Papæ*, Alexandro videlicet Papæ Secundo, qui sedere cœpit anno Christi millesimo sexagesimo-primo, inter alia Opusculum inscripsit vicesimum-quartum, de quo nunc inquirimus. Adeò remotus ab ætate Sancti Chrodegangi & à tempore Concilii Aquisgranensis, nec hanc Synodum nec Regulas Canonicorum Romanam ac Metensem novit. Quapropter lecto libro secundo de vita contemplativa, in quo de Clericis id legitur, *accipiant cibum & potum & vestimentum, & his contenti sint*, Regulam Canonicorum, quæ *partes* etiam *eleemosynarum* concedebat, interpolatam constanter asseruit. Id autem neutiquam fecisset, si sciviſſet Regulam illam, quâ Canonici se tuebantur, editam esse in Concilio Aquisgranensi, & additamentum, de quo querebatur, sumptum fuisse ex Regula quam Metensibus Canonicis beatus Chrodegangus ante annos circiter sexaginta præscripserat, imò ex Canonicorum Regula juxta Romanam Ecclesiam longè antiquiore, quam Metensi Clero prædictus Chrodegangus Metensis Episcopus accommodarat.

CL. Petrus Damiani duriusculè etiam ac nimiùm hyperbolicè interpretatur ea, quæ capitibus centesimo vicesimo-primo & centesimo vicesimo-secundo in Regula Canonicorum de cibo & potu æqualiter distribuendis, déque mensura cibi & potûs statuuntur. Vult enim ex duabus illis Sanctionibus, quas suis locis descripsimus, apertè sequi, quòd *etiamsi duorum vel trium sit annorum in Clero puerulus*, hic quotidie *quinque libras vini & quatuor panis* accipere debeat, *ut non ad vomitum sed ad exenterationem repleatur*. At ubi vidit puerulos duorum annorum in Clerum adscitos? Cùm æqualitas cibi potûsque præcipitur, non ætatis attenditur ratio, sed meriti, cujus potissimùm prætextu subintroducitur inæqualitas. *Est rationabile*, inquiunt Patres Aquisgranensis Concilii, capite centesimo vicesimo-primo, *justúmque coram Deo & hominibus, ut in unaquaque Canonica Congregatione à minimo usque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant; hi videlicet qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admissi. Quamquam enim plerique subditorum à Prælatis, rebus quibuslibet aliis plùs ceteris soleant honorari, in hac tamen societate, seclusâ personarum acceptione, una debet cibi & potûs æqualitas esse.* Desinolius de mensura cibi & potûs hanc subjungit observationem. *Adde*, inquit, *mensuram quinque librarum & quatuor panis, quam cuilibet Canonico*

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

quotidie præscribit, non multùm excedere, si eadem conferatur cum libris & usuiis nostræ ætatis & provinciæ; nam præterquàm quòd Germanorum, quibus hæc mensura præscribebatur, constitutio id satis ferebat & postulabat, etiam arctiores hujus temporis Monachi, maximè qui à carnibus abstinent, eâdem ferè cibi & potûs mensurâ gaudent dum bis in die reficiuntur.

CLI. Cetertim ex mente ejusdem Desnosii, Petrus Damiani, cùm in Opusculo, de quo loquimur, solam Canonicorum proprietatem damnarit, consultiùs feciſſet, si Regulam admisisset Canonicorum in quam tam acriter invectus est, illâque studiosiùs examinatâ res non prohibitas, quibus accensetur proprietas, distinxisset à laudatis seu consultis quibus annumeratur expropriatio; Canonicos enim proprietarios, quos insectabatur, in inferiorem ordinem redegisset, expropriationémque proprietati multùm hac antepositisset distinctione. Regulam Canonicorum, quam propugnamus, tribus oppugnavit Doctoribus, Sancto Augustino, Sancto Hieronymo, & Auctore librorum de vita contemplativa quem ubique Prosperum vocavit. Sed animadvertere debuit apud hunc Auctorem caput duodecimum libri secundi sic inchoari. *Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint: si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt.* Ex hoc textu, qui potiorem partem capitis centesimi noni constituit in Regula Canonicorum, & ex aliis Sanctorum Patrum Conciliorúmque sententiis, Aquisgranense Concilium clarissimè pronuntiat capite centesimo decimo-quinto, quòd *Canonicis, quia in sacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, propriæ res & Ecclesiæ cum humilitate & justitia habere; quod Monachis, qui, secundum Regularem Institutionem, arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est.* In scriptis autem Sanctorum Patrum Decretisque Conciliorum, quæ simul ab Amalario Diacono collecta sunt oblatáque Synodo apud Aquisgranum congregatæ, multa reperiuntur, quæ proprietati Canonicorum expropriationem longè præferunt, in his duo numerantur Sermones Sancti Augustini de vita & moribus Clericorum in fine prædictæ Collectionis, capitibus videlicet centesimo duodecimo & centesimo decimotertio.

CLII. Sanctus Bernardus Claravallensis Abbas Petro Damiani recentior obiit anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo-tertio. Extant de illius vita & miraculis libri septem. Sextus est de miraculis, trésque dividitur in partes, quarum altera complectitur epistolam Monachorum Claravallensium & comitum Sancti Bernardi ad Clericos Ecclesiæ Colonienſis cum hac inscriptione. *Dominis & amicis suis Clericis Ecclesiæ Colonienſis salutem dicunt fratres & amici eorum, Everhardus, Gerardus, & Gaufridus, Monachi qualescúmque, Philippus Leodicensis, Volmarus Constantiensis, & ceteri tyrones spiritualis militiæ, quos Vir Sanctus eripuit de medio Babylonis.* In illis literis Ludovicus Pius, qui præcipuè ditavit Ecclesias, audiisse vocem dicitur exprobrantem sibi, quòd Ecclesiæ venenum addidisset. *Desperata est*, inquiunt Monachi Claravallenses, *plaga Cleri hujus*, nempe Colonienſis, *à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ditata est Ecclesia terrenis possessionibus, sed virtutibus spoliata. Neque enim longa eis esse potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex gloriæ ita paupertatem elegit ut diceret, [nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.] Heu! Heu! Videmus venenum additum Ecclesiæ, sicut dictum est Ludovico, quem nominatis Pium, qui præcipuè ditavit Ecclesias. Legimus enim in Historia ejus, quòd audierit vocem dicentem sibi. [Venenum Ecclesiæ addidisti.] An fortè vobis videtur absonum, venenum interpretari divitias? Christus etiam in Evangelio spinas vocat. Et Apostolus eas laqueum definit esse diaboli. Quicumque, inquit, divites volunt fieri in hoc seculo,*

Digitized by Google

culo, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Evadant ergo qui volunt fieri pauperes, & ſecurè decantent, quia laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Hic textus de Canonicorum proprietate vel expropriatione nullum verbum habet. Tota Claravallenſium Monachorum in hoc verſatur querimonia, quòd abundante divitiis Eccleſiâ Clerus ab antiqua pietate deflexit, quia terrenæ poſſeſſiones cum virtutibus diu cohabitare non potuerunt. Tantæ mutationis præcipuus author denuntiatur Ludovicus, quoniam multas Eccleſias inſigni munificentiâ locupletavit. Ut huic ratiocinationi potior fides habeatur, additur memorabile prodigium. Ludovicus vocem audit objicientem ſibi, quòd Eccleſiæ venenum addiderit. Rei adeò ſtupendæ teſtis appellatur Hiſtoria ejuſdem Ludovici. Sed quænam eſt illa Hiſtoria? quando & à quo ſcripta? Monachi Claravallenſes poſt annos trecentos & ampliùs ab obitu Ludovi Pii calamo manum admoverunt. Tanto temporis intervallo multi de Ludovico multa valdéque diverſa narrarunt, nullus mentionem hujuſcemodi vocis fecit. Non deſunt etiam, qui vocem illam auditam à Conſtantino Magno velint, & ad eum transferenda contendant quæ de Ludovico Pio ſcripta ſunt à Monachis Claravallenſibus. Lege notatiunculam in margine epiſtolæ ſuprà citatæ poſitam, & ſeu Ludovicum ſerves in contextu literarum, ſeu Conſtantinum loco Ludovici reponas, fabulis accenſe, quicquid ibi legitur de voce audita vel à Conſtantino vel à Ludovico, quæ venenum Eccleſiæ ab alterutro additum dixerit.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

CLIII. Joannes Mauburnus, qui Livriacenſi Monaſterio Diœceſis Pariſienſis præerat Abbas anno Chriſti milleſimo quingenteſimo, literas Monachorum Claravallenſium non tantùm laudavit, ſed etiam aſſeruit ad Ordinem ſpectare Canonicum, atque inde captâ occaſione in Regulam Aquiſgranenſem & in ipſum invectus eſt Ludovicum, qui Regulam illam in Concilio exarandam curavit, obſervandámque per omnes ditionum ſuarum Eccleſias miſit. *Dum Ordinem,* inquit, *Canonicum ſublimare & reformare voluit, deſtruxit qui ædificare putavit, unde & vocem hanc calitus audivit, venenum Eccleſiæ additum. Verè enim Venerabiles illi Abbates deſcriptores Miraculorum Beati Bernardi Claravallenſis ad Canonicos Colonienſes inquiunt. Videmus venenum Eccleſiæ additum, ſicut dictum eſt ad Ludovicum, quem vos cognominatis Pium, qui præcipuè ditavit Eccleſias. Legimus enim in Hiſtoria ejus, quòd audierit vocem dicentem ſibi,* [*venenum Eccleſiæ addidiſti;*] *non enim eſt abſonum, venenum interpretari divitias. Deſperata eſt plaga Cleri, ditata eſt Eccleſia poſſeſſionibus, ſed virtutibus ſpoliata; neque enim longa potuit eſſe Canonica cohabitatio, ex quo paupertatis eſt deſerta obſervatio.* Hæc Mauburnus in libro, qui *Venatorium Canonicorum* inſcribitur, & ad muros Pariſienſes in Bibliotheca Victorina manuſcriptus aſſervatur, ut affirmat, qui textum proximè deſcriptum allegat Nicolaus Deſnoſius [a]. Duo certè reprehendi poſſunt in Mauburno; primum levioris eſt momenti, alterum graviſſimi. Mauburnus non ſatis diſtinguit Auctores à quibus ſcripti ſunt libri de vita & miraculis Sancti Bernardi; ſextus enim, qui totus in miraculis conſiſtit, non eſt Abbatum fœtus ſed quorumdam Monachorum, & præcitatis literis, quæ partem iſtius libri conſtituunt, nomina Monachorum Claravallenſium, Everhardi, Gerardi, Gaufridi, necnon Philippi & Volmari præfiguntur. Hi Monachi ſic in ſua ſcribunt epiſtola. *Deſperata eſt plaga Cleri hujus,* nempe Colonienſis, *à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Ditata eſt Eccleſia terrenis poſſeſſionibus, ſed virtutibus ſpoliata. Neque enim longa eis eſſe potuit cohabitatio, ex quo pauper factus propter nos Rex gloriæ, ita paupertatem elegit, ut diceret.* [*Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*] Textum illum Mauburnus à genuino ſenſu plurimùm detorquet. *Deſperata eſt,* inquit, *plaga Cleri, ditata eſt Eccleſia poſſeſſionibus, ſed virtutibus ſpoliata; neque enim longa potuit eſſe Canonica cohabitatio, ex quo paupertatis eſt deſerta obſervatio.* Loquuntur Claravallenſes Monachi de cohabitatione divitiarum ac virtutum, Mauburnus de

[a] Lib. 2. c. 16.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

cohabitatione Canonicorum. Negant illi cohabitationem terrenarum poſſeſſionum ac virtutum, ex quo Chriſtus propter nos pauper factus eſt; negat hic cohabitationem Canonicam, ex quo Canonici receſſerunt à paupertatis obſervatione. Deſnoſius Mauburni calliditatem advertit; &, quia textum ejuſdem Mauburni potiori fore ſibi præſidio quàm epiſtolam Claravallenſium Monachorum putavit, abſtinuit à citando hujus epiſtolæ textu, licèt eam Pariſiis excuſam non diſſimularit, Mauburnum verò deſcripſit ex Codice Victorino. Tot artes aſpernare; Patrum, qui Synodum Aquiſgranenſem celebrarunt, ardentiſſimum erga diſciplinam Eccleſiaſticam zelum dignis extolle præconiis; Regulam Canonicorum in eodem Concilio ſanctam ſtrenuè propugna contra Petrum Damiani & alios quoſcumque adverſarios; denique Ludovici Pii ſingularem in promovenda Synodo procurandâque Synodalium Decretorum obſervatione diligentiam magnificentiſſimè lauda, ſummotis procul fabulis ne quid nævi contra fas eidem Auguſto conditæque tum Regulæ Canonicorum inuratur.

CLIV. Deſnoſius quamplurimos allegat è recentioribus Auctoribus, quorum alii Regulam Aquiſgranenſem pro Canonicis Regularibus, alii pro Secularibus exaratam ſcribunt. Utriſque verò præfert Mauburnum Canonicos omnes ſub eadem Regula ſic complectentem. *Hæc Regula æquè pro Regularibus & Secularibus eſt congeſta, his in aliquibus condeſcendens, illos provocans ad celſiora; complectitur enim omnes, qui Canonicâ profeſſione cenſentur; unde & eam vidi apud antiqua Monaſteria Regularium & etiam Secularium Collegia.* Deinde ſic eidem Mauburno palàm ſuffragatur. *Et reverà occurrit & mihi ſæpiùs luſtranti Tabularia Canonicarum noſtrarum, ita ut expuncta videantur ea, quæ ſecularitatem vel proprietatem in ea Regula ſapiunt, & econtrà luſtranti Chartularia Secularium Collegiorum occurrit ob oculos ea Regula, ita ut ea, quæ Divus Auguſtinus pro Clericis inſtaurandis ſcripſit, oblitterata cernantur.* Poſt tot Auctores adeò diſcrepantes, quid ipſi ſentiamus, paucis aperiemus. Aquiſgranenſe Concilium Canonicos omnes, ſeu privatas opes poſſident ſeu dimiſerunt, ſub eadem Regula complectitur; exigit ab utriſque, locupletibus videlicet ac pauperibus, ut in communi vivant, ſuis morem gerant Prælatis, cibum ac potum æqualiter accipiant, in eodem Refectorio manducent, in eodem recumbant Dormitorio; duplex Canonicorum genus, Seculare & Regulare, non agnoſcit, hæc enim diſtinctio ſeriùs uſurpari cœpit, poſtquàm plerique receſſerunt ab Aquiſgranenſi Regula, deſieruntque in communi vivere. Tunc Canonici Regulares dicti ſunt, qui Regulariter ſeu Canonicè juxta Regulam more majorum vivebant. Seculares verò, qui Canonicum Inſtitutum ſeu priſtinam conſuetudinem vivendi in communi deſeruerant. Ea de materia, quia ſequentibus ſeculiis ſæpiùs recurret, hoc loco plura non congeremus. Utinam utrique Canonici, tàm qui Seculares quàm qui Regulares vocantur, ſecundùm Regulam in Aquiſgranenſi Concilio præſcriptam hodie viverent!

CLV. SANCTIONES DE VITA MONACHORUM. Ut in Aquiſgranenſi Concilio Regulæ pro Canonicis & Sanctimonialibus Canonicè viventibus conditæ ſunt, ſic & in Conventu Abbatum ac Monachorum ibidem habito præſcripta ſunt Abbatibus ac Monachis Capitula cum hac Præfatiuncula. *Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCXVII. *Imperii verò Glorioſiſſimi Principis Ludovici IIII.* VI *Idus Julii, cùm in domo Aquiſgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus unà ſuis reſediſſent Monachis, quæ ſubſequuntur Capitula communi conſilio ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus conſervari decreverunt.* In quibuſdam Codicibus illa Capitula partem libri ſeptimi Capitularium conficiunt, in aliis extant ſub Additionis primæ titulo. Numerus eorum vocari poteſt in controverſiam. Apud Leonem Oſtienſem in veteri editione, capite duodeviceſimo libri primi, ſcribuntur tantùm LXII, in nova verò editione, capite decimo-ſexto ejuſdem primi libri, *ſeptuaginta & duos*; apud Pithœum

& alios Capitularium editores, habentur LXXX. Quædam fortè diviſa ſunt in plura. AN. CH. 817.

I. Ut Abbates, mox ut ad Monaſteria ſua remeaverint, Regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis ſuis implere ſtudeant. CLVI.

II. Ut Monachi omnes, qui poſſunt, Regulam memoriter diſcant. Quàm utile ſit id agere, probat Haeftenus in Diſquiſitionibus Monaſticis [a]. CLVII.

[a] L. 2. Tract. 8. Diſquiſ. 7.

III. Ut Officium, juxta quod in Regula Sancti Benedicti continetur, celebrent Monachi. In notis ad hoc Capitulum Haeftenus ab Officio Benedictino ritus Agaunenſium & Sancti Columbani diſtinguit. CLVIII.

IV. Ut in coquina, in piſtrino, & in ceteris officinis, propriis operentur manibus, & veſtimenta ſua opportuno tempore lavent. Fuldenſes Monachos, quòd hæc humilitatis exercitia operáque manuum intermitterentur, ante quadriennium apud Carolum Magnum queſtos audivimus, ne talis remiſſio longiùs ſerperet, hoc Capitulo prohibitum videtur. De Veſtilavio multa congeſſit Haeftenus [b]. CLIX.

[b] L. 5. Tract. 2. Diſquiſ. 5.

V. Ut nullo unquam tempore poſt Vigilias causâ dormiendi, niſi contigerit eos ante horam conſtitutam ſurgere, ad lectos redeant ſuos. Lege quæ Tomo primo [c] dicta ſunt ad caput octavum Regulæ Benedictinæ. CLX.

[c] Ad an. 544. n. 23.

VI. Ut in Quadrageſima, niſi in Sabbato Sancto, non radantur; in alio autem tempore, ſemel per XV *dies radantur, & in octavis Paſchæ.* CLXI.

VII. Ut balnearum uſus in arbitrio Prioris conſiſtat. CLXII.

VIII. Ut volatilia intus foríſve, niſi pro infirmitate, nullo tempore comedant. Actum hac de re Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [d]. CLXIII.

[d] Num. 145.

IX. Ut nullus Epiſcoporum Monachis volatilia comedere præcipiat. Id decretum arbitramur, quia Sanctus Fructuoſus in ſua Regula [e] permiſerat volatilium eſum, ſi ab Epiſcopo vel à Principe Monachus invitaretur. CLXIV.

[e] Cap. 5.

X. Ut poma & lactucæ, niſi quando alius ſumitur cibus, non comedantur. CLXV.

XI. Ut certum phlebotomiæ tempus non obſervent, ſed unicuique, ſecundùm quod neceſſitas expoſtulat, concedatur, & ſpecialis in cibo & in potu tunc conſolatio præbeatur. Mos ille, qui priùs invaluerat, ut Monacho certis anni temporibus phlebotomia ſeu miſſio ſanguinis imperaretur, hoc quidem Capitulo damnatur, receptiſſimus tamen apud recentiores fuit Congregationes Monachorum, de quibus agendum nobis erit infrà. CLXVI.

XII. Ut ſi neceſſitas popoſcerit ob operis laborem, poſt refectionem Veſpertinam, etiam & in Quadrageſima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priuſquàm lectio Completorii legatur, bibant. His diebus, atque etiam ab Idibus Septembris uſque ad Paſcha Sanctus Benedictus unicam duntaxat refectionem præſcribit, eámque ad Nonam, aut etiam ſeriùs. Si Monachi poſt eam laborant, aut officium mortuorum decantant, atque inde ſitis ac bibendi neceſſitas oritur, indulgetur hoc Capitulo potus, *priuſquàm lectio Completorii legatur.* CLXVII.

XIII. Ut cum à quocumque Priore ſuo increpatus quis eorum fuerit; mea culpa, primò dicat; dehinc proſternens ſe illius pedibus cum cappa, ſi habuerit, veniam petat, & tunc jubente Priore ſurgat, & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat. Quid capa ſeu cappa ſignificet, inquiſivimus Tomo ſuperiore [f]. CLXVIII.

[f] Ad an. 789. n. 146.

XIV. Ut nudi pro qualibet cauſa coram fratrum obtutibus non flagellentur. Eſt enim indecentia in nudi corporis aſpectu, quem in ſemetipſis horruerunt viri Sancti. CLXIX.

XV. Ut ſoli ſine alio fratre in via non dirigantur. Hoc Capitulum explicatio quædam eſt capitis ſexageſimi-ſeptimi Regulæ Benedictinæ, *de fratribus in via directis.* CLXX.

XVI. Ut ſibi compatres commatréſque non faciant, neque oſculentur fœminæ. Lege Tomo primo Regulas Sanctorum, Cæſarii, Aureliani, & Ferreoli, ve- CLXXI.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

cohabitatione Canonicorum. Negant illi cohabitationem terrenarum poſſeſſionum ac virtutum, ex quo Chriſtus propter nos pauper factus eſt; negat hic cohabitationem Canonicam, ex quo Canonici receſſerunt à paupertatis obſervatione. Deſnoſius Mauburni calliditatem advertit; &, quia textum ejuſdem Mauburni potiori fore ſibi præſidio quàm epiſtolam Claravallenſium Monachorum putavit, abſtinuit à citando hujus epiſtolæ textu, licèt eam Pariſiis excuſam non diſſimularit, Mauburnum verò deſcripſit ex Codice Victorino. Tot artes aſpernare; Patrum, qui Synodum Aquiſgranenſem celebrarunt, ardentiſſimum erga diſciplinam Eccleſiaſticam zelum dignis extolle præconiis; Regulam Canonicorum in eodem Concilio ſancitam ſtrenuè propugna contra Petrum Damiani & alios quoſcumque adverſarios; denique Ludovici Pii ſingularem in promovenda Synodo procurandâque Synodalium Decretorum obſervatione diligentiam magnificentiſſimè lauda, ſummotis procul fabulis ne quid nævi contra fas eidem Auguſto conditæque tum Regulæ Canonicorum inuratur.

CLIV. Deſnoſius quamplurimos allegat è recentioribus Auctoribus, quorum alii Regulam Aquiſgranenſem pro Canonicis Regularibus, alii pro Secularibus exaratam ſcribunt. Utriſque verò præfert Mauburnum Canonicos omnes ſub eadem Regula ſic complectentem. *Hæc Regula æquè pro Regularibus & Secularibus eſt congeſta, his in aliquibus condeſcendens, illos provocans ad celſiora; complectitur enim omnes, qui Canonicâ profeſſione cenſentur; unde & eam vidi apud antiqua Monaſteria Regularium & etiam Secularium Collegia.* Deinde ſic eidem Mauburno palàm ſuffragatur. *Et reverà occurrit & mihi ſæpiùs luſtranti Tabularia Canonicarum noſtrarum, ita ut expuncta videantur ea, quæ ſecularitatem vel proprietatem in ea Regula ſapiunt, & econtrà luſtranti Chartularia Secularium Collegiorum occurrit ob oculos ea Regula, ita ut ea, quæ Divus Auguſtinus pro Clericis inſtaurandis ſcripſit, oblitterata cernantur.* Poſt tot Auctores adeò diſcrepantes, quid ipſi ſentiamus, paucis aperiemus. Aquiſgranenſe Concilium Canonicos omnes, ſeu privatas opes poſſident ſeu dimiſerunt, ſub eadem Regula complectitur; exigit ab utriſque, locupletibus videlicet ac pauperibus, ut in communi vivant, ſuis morem gerant Prælatis, cibum ac potum æqualiter accipiant, in eodem Refectorio manducent, in eodem recumbant Dormitorio; duplex Canonicorum genus, Seculare & Regulare, non agnoſcit, hæc enim diſtinctio ſeriùs uſurpari cœpit, poſtquàm plerique receſſerunt ab Aquiſgranenſi Regula, deſieruntque in communi vivere. Tunc Canonici Regulares dicti ſunt, qui Regulariter ſeu Canonicè juxta Regulam more majorum vivebant. Seculares verò, qui Canonicum Inſtitutum ſeu priſtinam conſuetudinem vivendi in communi deſeruerant. Ea de materia, quia ſequentibus ſeculiis ſæpiùs recurret, hoc loco plura non congeremus. Utinam utrique Canonici, tàm qui Seculares quàm qui Regulares vocantur, ſecundùm Regulam in Aquiſgranenſi Concilio præſcriptam hodie viverent!

CLV. SANCTIONES DE VITA MONACHORUM. Ut in Aquiſgranenſi Concilio Regulæ pro Canonicis & Sanctimonialibus Canonicè viventibus conditæ ſunt, ſic & in Conventu Abbatum ac Monachorum ibidem habito præſcripta ſunt Abbatibus ac Monachis Capitula cum hac Præfatiuncula. *Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCXVII. *Imperii verò Glorioſiſſimi Principis Ludovici IIII.* VI *Idus Julii, cùm in domo Aquiſgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum quampluribus unà ſuis reſediſſent Monachis, quæ ſubſequuntur Capitula communi conſilio ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus conſervari decreverunt.* In quibuſdam Codicibus illa Capitula partem libri ſeptimi Capitularium conficiunt, in aliis extant ſub Additionis primæ titulo. Numerus eorum vocari poteſt in controverſiam. Apud Leonem Oſtienſem in veteri editione, capite duodeviceſimo libri primi, ſcribuntur tantùm LXII, in nova verò editione, capite decimo-ſexto ejuſdem primi libri, *ſeptuaginta & duo*; apud Pithœum

& alios Capitularium editores, habentur LXXX. Quædam fortè diviſa ſunt in plura. AN. CH. 817.

I. Ut Abbates, mox ut ad Monaſteria ſua remeaverint, Regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis ſuis implere ſtudeant. CLVI.

II. Ut Monachi omnes, qui poſſunt, Regulam memoriter diſcant. Quàm utile ſit id agere, probat Haeftenus in Diſquiſitionibus Monaſticis [a]. CLVII.

[a] L. 2. Tract. 8. Diſquiſ. 7.

III. Ut Officium, juxta quod in Regula Sancti Benedicti continetur, celebrent Monachi. In notis ad hoc Capitulum Haeftenus ab Officio Benedictino ritus Agaunenſium & Sancti Columbani diſtinguit. CLVIII.

IV. Ut in coquina, in piſtrino, & in ceteris officinis, propriis operentur manibus, & veſtimenta ſua opportuno tempore lavent. Fuldenſes Monachos, quòd hæc humilitatis exercitia operáque manuum intermitterentur, ante quadriennium apud Carolum Magnum queſtos audivimus, ne talis remiſſio longiùs ſerperet, hoc Capitulo prohibitum videtur. De Veſtilavio multa congeſſit Haeftenus [b]. CLIX.

[b] L. 5. Tract. 2. Diſquiſ. 5.

V. Ut nullo unquam tempore poſt Vigilias causâ dormiendi, niſi contigerit eos ante horam conſtitutam ſurgere, ad lectos redeant ſuos. Lege quæ Tomo primo [c] dicta ſunt ad caput octavum Regulæ Benedictinæ. CLX.

[c] Ad an. 544. n. 23.

VI. Ut in Quadrageſima, niſi in Sabbato Sancto, non radantur; in alio autem tempore, ſemel per XV dies radantur, & in octavis Paſchæ. CLXI.

VII. Ut balnearum uſus in arbitrio Prioris conſiſtat. CLXII.

VIII. Ut volatilia intus foriſve, niſi pro infirmitate, nullo tempore comedant. Actum hac de re Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [d]. CLXIII.

[d] Num. 145.

IX. Ut nullus Epiſcoporum Monachis volatilia comedere præcipiat. Id decretum arbitramur, quia Sanctus Fructuoſus in ſua Regula [e] permiſerat volatilium eſum, ſi ab Epiſcopo vel à Principe Monachus invitaretur. CLXIV.

[e] Cap. 5.

X. Ut poma & lactucæ, niſi quando alius ſumitur cibus, non comedantur. CLXV.

XI. Ut certum phlebotomiæ tempus non obſervent, ſed unicuique, ſecundùm quod neceſſitas expoſtulat, concedatur, & ſpecialis in cibo & in potu tunc conſolatio præbeatur. Mos ille, qui priùs invaluerat, ut Monacho certis anni temporibus phlebotomia ſeu miſſio ſanguinis imperaretur, hoc quidem Capitulo damnatur, receptiſſimus tamen apud recentiores fuit Congregationes Monachorum, de quibus agendum nobis erit infrà. CLXVI.

XII. Ut ſi neceſſitas poposcerit ob operis laborem, poſt refectionem Veſpertinam, etiam & in Quadrageſima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priuſquàm lectio Completorii legatur, bibant. His diebus, atque etiam ab Idibus Septembris uſque ad Paſcha Sanctus Benedictus unicam duntaxat refectionem præſcribit, eámque ad Nonam, aut etiam ſeriùs. Si Monachi poſt eam laborant, aut officium mortuorum decantant, atque inde ſitis ac bibendi neceſſitas oritur, indulgetur hoc Capitulo potus, *priuſquàm lectio Completorii legatur.* CLXVII.

XIII. Ut cum à quocumque Priore ſuo increpatus quis eorum fuerit; mea culpa, primò dicat; dehinc proſternens ſe illius pedibus cum cappa, ſi habuerit, veniam petat, & tunc jubente Priore ſurgat, & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat. Quid capa ſeu cappa ſignificet, inquiſivimus Tomo ſuperiore [f]. CLXVIII.

[f] Ad an. 789. n. 146.

XIV. Ut nudi pro qualibet cauſa coram fratrum obtutibus non flagellentur. Eſt enim indecentia in nudi corporis aſpectu, quem in ſemetipſis horruerunt viri Sancti. CLXIX.

XV. Ut ſoli ſine alio fratre in via non dirigantur. Hoc Capitulum explicatio quædam eſt capitis ſexageſimi-ſeptimi Regulæ Benedictinæ, *de fratribus in via directis.* CLXX.

XVI. Ut ſibi compatres commatréſque non faciant, neque oſculentur fœminas. Lege Tomo primo Regulas Sanctorum, Cæſarii, Aureliani, & Ferreoli, ve- CLXXI.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

tant enim ne Monachus infantem de ſacro lavacro ſuſcipiat. Lege & Tomo ſecundo Canonem viceſimum-quintum Synodi Autiſſiodorenſis, necnon & Tomo tertio Canonem quintum Auguſtodunenſem.

CLXXII. *XVII. Ut, ſi neceſſitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, conſtitutum legendi & meridie pauſandi tempus præmittatur*, (vel, ut quidam Codices habent, *prætermittatur*) *& operantes non murmurent.* Hoc Capitulum explicatio eſt Regulæ Benedictinæ, in cujus capite duodequinquageſimo hæc leguntur. *A Paſcha uſque ad Kalendas Octobres, mane exeuntes à Prima uſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta uſque ad horam quaſi ſextam Lectioni vacent. Poſt ſextam autem ſurgentes à menſa pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio, aut fortè qui voluerit legere, ſibi ſic legat, ut alium non inquietet, & agatur nona temperiùs, mediante octavâ horâ, & iterum quod faciendum eſt, operentur uſque ad veſperam. Si autem neceſſitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli, omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes.* In hoc textu operi manuum certa diei ſpatia deſtinantur, intervallum videlicet ab Officio Primæ uſque ad horam ferè quartam, tota hora octava, & interſtitium ab Officio Nonæ uſque ad Veſperam. Quæſtio eſt, utrùm quod ſequitur de frugibus propter loci neceſſitatem aut paupertatem colligendis, ad illa tria tempora neceſſariò referri debeat, an ad alia poſſit extendi vel lectioni vel quieti deſtinata. Sanctus Benedictus, ut ipſa Regulæ verba ſatis apertè declarant, temporibus operi manuum deſtinatis fruges etiam colligi voluit, ſi neceſſitas loci vel paupertas exigeret. At aliud in Aquiſgranenſi ſtatuitur Capitulo, præfixum enim hunc in editionibus, Pithœana, Sirmondana, Labbeana, & Baluziana, Titulum reperies; *ne murmurent Monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.* Ut igitur cum Titulo conveniat textus Capituli, *conſtitutum legendi & meridie pauſandi tempus* non *præmittatur* ſed *pratermittatur* neceſſe eſt eo ſenſu, ut Monachi non murmurent, quamvis in colligendis frugibus occupentur illis etiam temporibus, quæ ſecundùm Regulam ſeu lectioni ſeu quieti deſtinantur.

CLXXIII. *XVIII. Ut quartâ & ſextâ feriâ jejunantes, ante Nonam aut poſt Nonam, ſi neceſſitas fuerit, juxta Prioris arbitrium, levia opera exerceant.* Obtentu jejunii, labor ante Nonam & poſt Nonam non omittitur, ſed hac parte ſublevatur quòd opera ipſa ſint leviora, ſicque Regulæ [a] ſatisfit ad prius Capitulum ſic allegatæ. *Agatur Nona temperiùs, mediante octavâ horâ, & iterum quod faciendum eſt, operentur uſque ad Veſperam.*

[a] Cap. 48.

CLXXIV. *XIX. Ut in Quadrageſima libris de Bibliotheca ſecundùm Prioris diſpoſitionem acceptis, aliàs, niſi Prior decreverit expedire, non accipiant.* Sanctus Benedictus capite duodequinquageſimo ſuæ Regulæ ſic habet. *In diebus Quadrageſimæ, accipiant omnes ſingulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui Codices in caput Quadrageſimæ dandi ſunt.*

CLXXV. *XX. Ut eis veſtimenta nec multùm vilia, nec multùm pretioſa, ſed mediocria dentur.* Mitigatio quædam eſt Regulæ, nam Sanctus Benedictus capite quinquageſimo-quinto, quod *de veſtiariis & calciariis fratrum* inſcribitur, ita ſtatuit. *De colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi, ſed quales inveniri poſſunt in provincia, quâ degunt, aut quod vilius comparari poſſit.*

CLXXVI. *XXI. Ut menſura cuculla duobus conſiſtat cubitis.* Haeſtenus [b] Cucullam hoc loco Scapulare interpretatur, idque ſit admodùm probabile, quia ſequenti Capitulo, quo cuncta Monachorum indumenta recenſentur, omittitur omnino Scapulare.

[b] L. 5. Tract. 3. Diſquiſ. 1.

CLXXVII. *XXII. Ut ſi infra poſita menſura quantitatem decreverit Abbas cauſâ neceſſitatis quippiam augeri, in illius maneat poteſtate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camiſias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unuſquiſque Monachorum habeat; quibus verò neceſſe eſt addatur & tertia, & pedules quatuor*

Digitized by Google

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

paria, & femoralia duo paria, roccum unum, pelliceas uſque ad talos duas, faſciolas duas, quibus autem neceſſe eſt itineris causâ, aliæ duæ, mantos in æſtate, muffulas in hyeme vervecinas, calciamenta diurna paria duo, ſubtalares per noctem in æſtate duas, in hyeme verò ſoccos, ſaponem & uncturam ſufficienter, pinguedinem ad eſum, excepto ſextâ feriâ, & viginti diebus ante Nativitatem Domini, & ſeptimanâ illâ, quæ ante Quadrageſimam vocatur Quinquageſima; ubi autem vinum non eſt unde hemina detur, duplicem menſuram de cerviſia bona, & quæcumque, præter hæc, Regula jubet, ſinguli, cùm neceſſitas poſtulaverit, abſque dilatione accipiant. Veſtimenta multò pauciora concedit Sanctus Benedictus [a]. *Sufficit*, inquit, *Monacho, duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes & propter lavare ipſas res. Jam quod ſuperfluum eſt amputari debet. Et pedules, & quodcumque eſt vetus, reddant, dum accipiunt novum. Femoralia ii, qui diriguntur in via, de veſtiario accipiant, qui revertentes lota ibi reſtituant. Et cuculla & tunica ſint aliquantò à ſolito, quas habent, modicè meliores, quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario, & revertentes reſtituant.* Ex Regula Benedictina & Aquiſgranenſi Capitulo quadruplex colligitur veſtium diſtinctio. Aliæ ſunt hybernæ, aliæ æſtivæ; aliæ diurnæ, aliæ nocturnæ; aliæ laboris tempore, aliæ vacationis; aliæ domeſticæ, aliæ viatoriæ. Sanctus Benedictus [b] hybernas veſtes ab æſtivis diſtinguit, ſingulis enim Monachis concedit *cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam.* Quid per cucullam villoſam, quid per puram intelligat explicuimus Tomo primo [c]. Rurſum veſtes dividit in diurnas & nocturnas, *ſufficit*, inquit, *Monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes & propter lavare ipſas res.* Indulgentior eſt Conventus Aquiſgranenſis, præcipit enim *ut camiſias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unuſquiſque Monachorum habeat, quibus verò neceſſe eſt addatur & tertia*, ut veſtes videlicet æſtivas, hybernas ac nocturnas habeat. Nullam camiſiarum mentionem facit Sanctus Benedictus. Cama Papiæ lectus eſt brevis, à cama camiſiam ſic deducit Iſidorus [d], *camiſias vocamus, quòd in his dormimus in camis, id eſt, in ſtratis noſtris.* Apud Monachos cilicio ſucceſſit camiſia, veſtis intima laneáque. Camiſiæ ſuperponitur tunica, veſtis ad collum uſque pedis protenſa. Duplex autem tunicarum diſtinctio celebratur, aliæ ſunt manicatæ, aliæ ſine manicis; aliæ caputiatæ, aliæ ſine caputio. Tunica, de qua poſt Aquiſgranenſem Conventum hic loquimur, manicas habet, at caputio caret. Ut autem camiſiæ tunica ſic & tunicæ ſuperimponitur cuculla, quæ diſtinguitur à cappa, cuculla enim veſtis eſt domeſtica, cappa viatoria, utraque verò caputiata. Sequuntur in Aquiſgranenſi Capitulo pedules, femoralia, roccus, pelliceæ, & faſciolæ. Pedules à Sancto Benedicto [e] memorantur cum caligis, genericè ſumuntur pro quolibet pedum indumento, ſtrictim pro calceamentis diurnis, ideóque dividuntur in pedules propriè dictos & in caligas ſeu ſubtalares, id eſt, in calceamenta diurna & nocturna. Quapropter in Aquiſgranenſi Capitulo quod explicamus, ubi legis *pedules quatuor paria*, & paulò pòſt *calciamenta diurna paria duo, ſubtalares per noctem duas*, rem unam bis repetitam arbitrare. Primò ponuntur in genere ſub pedulium nomine quatuor paria calceorum, deinde ſubdividuntur in duo paria calceamentorum diurnorum & duo paria ſubtalarium ſeu caligarum vel calceamentorum nocturnorum. Diurna calceamenta producuntur ultra talum, velut ocreæ breviores, & quia noctu non adeò facilè poſſunt indui, cùm ad opus Dei properandum eſt, adduntur calceamenta nocturna, quæ talos non attingunt, & à Papia ſic deſcribuntur: *Subtalares, genus calceamenti, quaſi ſub talo propriè.* Subtalaribus in hyeme junguntur ſocci ſeu lanei calcei. Monachis ut veſtium ſic & calceamentorum nitor commendatur, idcircò poſt diſtinctionem calceamentorum cùm diuturnorum & nocturnorum, tum æſtivorum & hybernorum, proxima ſaponis & uncturæ mentio ſic ſubjicitur. *Unuſquiſque Monachorum habeat calciamenta diurna paria duo, ſubtalares per noctem in æſtate*

[a] Cap. 55.

[b] Cap. 55.

[c] Ad an. 544. n. 70.

[d] In Orig. l. 19. c. 22.

[e] Cap. 55.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

duas, in hyeme verò ſoccos, ſaponem & uncturam ſufficienter. De femoralibus agunt Sanctus Benedictus & Conventus Aquiſgranenſis jam citati, ſed magno cum diſcrimine. Sanctus Benedictus ſolis Monachis, qui diriguntur in viam, Conventus Aquiſgranenſis unicuique Monachorum ſive domi maneat, ſive in viam dirigatur, uſum femoralium permittit. Roccus multis idem ac froccus ſeu caputium vel capitium. Ex eodem Aquiſgranenſi Capitulo Monachis uſus pellicearum conceditur, nec id adverſatur Regulæ Benedictinæ, cujus Auctor nec certam veſtimentis metam præfixit, nec quidpiam abſtulit neceſſitati, ſed in Abbatis arbitrio totum ſic reliquit [a]. *Veſtimenta fratribus ſecundùm locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus, ampliùs indigetur; in calidis verò, minùs. Hæc ergo conſideratio penes Abbatem eſt.* Faſciolas interpretare crurum tegmina, prævio Eginhardo, apud quem de Carolo Magno legitur, quòd *faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat.* Sanctus Benedictus faſciolarum non meminit, non meminit & chirothecarum, quas Conventus Aquiſgranenſis in æſtivas & hybernas diſtinguit, aſſignat enim *wantos in æſtate, muffulas in hyeme vervecinas.* Si plura cupis, adi Benedictum Haeftenum quinto Monaſticarum Diſquiſitionum libro, cui Titulus *Veſtiarium ſive de Religioſo habitu.* Quod attinet ad pinguedinem, quæ conceditur *ad eſum*, de illa ſermonem inferiùs ad Capitulum ſeptuageſimum-ſeptimum faciemus.

[a] Cap. 55.

CLXXVIII. *XXIII. Ut in Quadrageſima, ſicut & in alio tempore, viciſſim ſibi pedes lavent, & Antiphonas huic officio congruentes decantent. In Cœna verò Domini pedes fratrum, ſi valet, Abbas lavet & oſculetur, & demùm propriâ manu poculum eis porrigat.* Duplex hîc commendatur pedilavium, unum ſingulis Sabbatis, alterum feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ. Primum nititur capite tricesimo-quinto Regulæ Benedictinæ de coquinæ ſeptimanariis inſcripto. *Egreſſurus de ſeptimana Sabbato munditias faciat, lintea, cum quibus ſibi fratres manus ac pedes tegunt, lavet. Pedes verò tam ipſe, quàm ille, qui intraturus eſt, omnibus lavent.* Alterum nititur exemplo Chriſti, qui *cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus*, ut ſcribit Joannes [b] in Evangelio.

[b] Cap. 13.

CLXXIX. *XXIV. Ut mandatum, ſi tempus cœnæ eſt, tam fratrum quàm etiam peregrinorum, poſt cœnam fiat.* Id eſt, pedilavium poſt cœnam fiat, quando non eſt dies jejunii. Pedilavium autem vocatur Mandatum, quia dicitur ad pedilavium Antiphona, cujus primum vocabulum eſt *Mandatum.*

CLXXX. *XXV. Ut eâ, quam Monachi ſui habent, menſurâ ſint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in operando, ſi in aliis utilitatibus non fuerint occupati.*

CLXXXI. *XXVI. Ut villas frequenter, & niſi neceſſitas coegerit, non circumeant, neque ſuis illas Monachis cuſtodiendas committant, &, ſi eos ire ad eas neceſſitas fuerit, expleto neceſſitatis negotio ad ſua mox Monaſteria redeant.*

CLXXXII. *XXVII. Ut Abbas vel quiſpiam fratrum ad portam Monaſterii cum hoſpitibus non reficiant. In Refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat: ipſe tamen eâ cibi potûſque menſurâ contentus ſit, quam reliquî fratres accipiunt. Si verò propter hoſpitem voluerit ad ſolitam menſuram fratribus ſibique augere aliquid, in ſua maneat poteſtate.*

CLXXXIII. *XXVIII. Ut ſervitores non ad unam menſam, ſed in propriis locis poſt refectionem fratrum reficiant, quibus eadem lectio quæ fratribus recitetur.*

CLXXXIV. *XXIX. Ut lectioni nihil niſi quod Regula jubet detur.* Hoc eſt, ne Lectori peculiare quidpiam in ſecunda menſa miniſtretur, idque de ceteris etiam miniſtris intelligendum.

CLXXXV. *XXX. Ut Alleluia in Septuageſima dimittatur.* Capite decimo-quinto Regulæ Benedictinæ Alleluia dicitur uſque ad caput Quadrageſimæ. Conventus autem Aquiſgranenſis aliter ſtatuit, ne Monachi deinceps à communi Eccleſiæ more diſſideant. Tomo primo [c] notavimus eos errare, qui caput

[c] Ad an. 544. n. 30.

Digitized by Google

Quadrageſimæ Septuageſimam interpretantur, ut diſſidium componant, de quo poſt multa ſecula nondum ſopito ſæpiſſimè recurret ſermo. AN. CH. 817.

XXXI. Ut Præpoſitus intra & extra Monaſterium, poſt Abbatem, majorem reliquis Abbati ſubditis habeat poteſtatem. Lege caput ſexageſimum-quintum Regulæ Benedictinæ. CLXXXVI.

XXXII. Ut Monachis non niſi Monachus conſtituatur Præpoſitus. Illâ ætate, Monachis aliquando dati ſunt Abbates Ordinis Canonici, ut de Alcuino diximus, ideóque Conventus Aquiſgranenſis ſtatuit, ut Præpoſitus, qui primus eſt ab Abbate, nemo conſtituatur, niſi ſit Monachus. CLXXXVII.

XXXIII. Ut de ſenioribus Monaſterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in Monaſterio propter cuſtodiam remaneant. De Monachis illis, qui Circuitores, Circatores & Circæ nuncupantur, alio loco fuſiùs agemus. CLXXXVIII.

XXXIV. Ut Novitio non facilè in Monaſterium tribuatur ingreſſus, & ut in Cella hoſpitum probationis causâ hoſpitibus ſerviat paucis diebus; res verò, quas habet, parentibus ſuis committat. Expleto autem probationis ſuæ anno, ſecundùm quod Regula præcipit, inde faciet: ipſe verò nec tondeatur, nec veſtimenta priſtina immutet, priuſquàm obedientiam promittat. Conſule conférque caput duodeſexageſimum Regulæ Benedictinæ *de Diſciplina ſuſcipiendorum fratrum.* CLXXXIX.

XXXV. Ut Monachus profeſſione factâ tribus diebus cucullâ coopertum habeat caput. Abeſt hic ritus à Regula Benedictina, cenſetur introductus ob memoriam Paſſionis ac Reſurrectionis Dominicæ, ut *Monachus Chriſto quodammodo commoriatur & conſepeliatur, videlicet triduano ſilentio, capite cooperto, mortificationis vel ſuſceptæ pœnitentiæ circumferens teſtimonium, ſpectaculumque factus & Angelis & hominibus, tertiâ tandem die, depoſito capitio reveletur ab Abbate, dante ſibi oſculum pacis, in ſimilitudinem Reſurrectionis Domini, qui diſcipulis ſuis poſt triduanam eorum triſtitiam redivivus apparens dixit eis; Pax vobis.* Lege Rupertum [a] in Commentariis ad ſupradictam Regulam. CXC.

[a] Lib. 3. c. 9.

XXXVI. Ut puerum pater aut mater tempore oblationis offerant Altari, & petitionem pro eo coram laicis teſtibus faciant, quam tempore intelligibili puer confirmet. Lege quæ Tomo primo [b] ſcripta ſunt ad caput undeſexageſimum Regulæ Benedictinæ *de pueris qui offeruntur.* Ab illa Regula recedit Conventus Aquiſgranenſis, petitionem enim ſeu ſcripturam obligatoriam, quam parentes fecerunt cùm puer offerebatur, vult ratam haberi ab eo legitimam ætatem adepto, ſeu *tempore intelligibili.* Inde locus quæſtioni non levi circa obligationem pueri ex oblatione à parentibus facta. Filius in infantia ſolemniter à parentibus oblatus, quantùm ex Sancti Benedicti textu colligere licet, tenetur ad Monachatum, nec poteſt ad ſeculum redire, multis id etiam Conciliorum Canonibus, quorum alibi meminimus, abundè confirmatur. Aliud autem hoc loco ſtatuit Conventus Aquiſgranenſis, nam puero à parentibus oblato liberam ad ſeculum reverſionem permittit, niſi petitionem à parentibus factam ipſe *tempore intelligibili* ſive in legitima conſtitutus ætate confirmarit. Editæ ſunt in hac materia variæ Sanctiones, quas, ut occurrent, ſuis referemus locis. CXCI.

[b] Ad an. 544. n. 74.

XXXVII. Ut infantes oblati carnem non niſi causâ infirmitatis manducent. Lege Regulam Benedictinam capite triceſimo-nono. CXCII.

XXXVIII. Ut quando fratres poſt ſextam dormiunt, ſi quis eorum voluerit legere, in Eccleſia aut in lecto ſuo legat. CXCIII.

XXXIX. Ut in Quadrageſima uſque ad nonam operentur fratres, quatenus Miſſâ celebratâ congruo tempore reficiant. Sanctus Benedictus capite duodequinquageſimuo præcipit, *ut fratres in Quadrageſimæ diebus uſque ad decimam horam plenam operentur quod eis injungitur.* Ambæ Conſtitutiones integrâ differunt horâ. Totius diſcrepantiæ ratio petitur ex Miſſa, de qua nihil in Statuto Benedictino. Hinc varios obſerva ritus pro diverſis ætatibus. Miſſa tempore Sancti Benedicti Quadrageſimalibus feriis in Monaſteriis non cele- CXCIV.

AN. CH. 817. bratur, celebratur autem tertio pòst ſeculo cùm Aquiſgranenſis Conventus agitur Ludovico Pio tunc Imperatore.

CXCV. *XL. Ut domus ſemota his, qui fugere aut pugnis baculiſve inter ſe voluerint conſligere, aut quibus ex integro factæ ſunt Regulares diſciplinæ, habeatur hujuſmodi, quâ in hyeme ignis poſsit accendi, & atrium juxta ſit, in quo valeant, quod eis injungitur, operari.*

CXCVI. *XLI. Ut ſi quis negligenter ſonitum fecerit, aut aliud quid exceſſerit in Refectorio, à Priore veniam petat.* Lege caput quadrageſimum-ſextum Regulæ Benedictinæ.

CXCVII. *XLII. Ut nullus plebeius ſeu Clericus ſecularis in Monaſterio ad habitandum recipiatur, niſi voluerit fieri Monachus.*

CXCVIII. *XLIII. Ut nemini liceat ſermonem juramenti aut affirmationis proferre, niſi ſicut Sancti Patres ſoliti fuerunt loqui.*

CXCIX. *XLIV. Ut Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi ſint aut Canonici; & Abbas provideat, ne minùs de Monachis ibi habitare permittat, quàm ſex.* Lege apud Chriſtophorum Browerum in Fuldenſibus Antiquitatibus caput ſeptimum de Cellarum origine & uſu, ibique obſerva poſteriorem Aquiſgranenſis Capituli partem perperam ſic efferri. *Et Abbas prævideat, ne minùs duobus Monachis ibi habitare permittat.* In ceteris editionibus, quæ multæ ſunt, habetur ſenarius Monachorum numerus, iſque nemini non magis placebit, ut aliqua ſaltem forma Monaſticæ diſciplinæ in iſtiuſmodi Cellis obſervari poſſit, maximè cùm quaſi per indulgentiam ex Aquiſgranenſis Conventûs aſſenſu ac decreto *Abbatibus liceat habere Cellas*, poteſt enim videri contra propoſitum ſtabilitatis, ut à reliquis ſeparati Monachis pauci degant in una domo procul à principali Cœnobio.

CC. *XLV. Ut Schola in Monaſterio non habeatur niſi eorum qui oblati ſunt.* Lege quæ Tomo ſuperiore [a] dicta ſunt de Scholis cùm privatis tum publicis. Cùm publicæ penitus in Galliis evanuiſſent Scholæ, curam privatarum ad eruditionem Clericorum in Epiſcopiis geſſerunt Epiſcopi, ut Abbates in Cœnobiis ad Monachorum inſtructionem, aditu laicis utrobique interdicto. Utræque hæ Scholæ, poſtquàm Carolus Magnus in Regio Palatio publicas erexit, factæ ſunt etiam publicæ, ſed à Monachis poſteà veritis, ne quid detrimenti Monaſticus ordo caperet ex aſſidua Laicorum Seculariúmque familiaritate, duplices in Cœnobiis exercitio literarum addictæ Scholæ; aliæ Cœnobitis, aliæ laicis edocendis deſtinatæ ſunt; illæ Clauſtrales quia in intimis Monaſterii penetralibus conſtitutæ, aliæ exteriores dictæ quia extra Cœnobium poſitæ. De Schola prioris generis accipiendum Aquiſgranenſe Capitulum. *Ut Schola in Monaſterio non habeatur niſi eorum qui oblati ſunt.* Id eſt, ut Schola interior ſeu Clauſtralis ſit tantùm pro pueris ad Monachatum oblatis, & laici ſtudiorum cauſâ nec in Monaſteriis nutriantur, nec in Clauſtralem admittantur Scholam. Falluntur, qui Capitulo illo Scholas exteriores abrogatas putant retentis interioribus. Totum quidem Capitulum de Scholis eſt interioribus ſeu Clauſtralibus, quas laudat, ſed non abrogat exteriores, quas temporibus multò recentioribus adhuc floruiſſe conſtat.

[a] Ad an. 787. n. 11.

CCI. *XLVI. Ut in præcipuis Solemnitatibus, id eſt, in Natali & in Octavâ Domini, in Epiphania, in Paſcha quoque & Aſcenſione Domini, in Pentecoſte, & in Sanctorum Feſtivitatibus, id eſt, Sancti Stephani, & Beati Joannis Evangeliſtæ, & in Natali Infantium, in Purificatione & Aſſumptione Sanctæ Mariæ; ſimiliter & in Beatorum Apoſtolorum Feſtis, & in Sancti Joannis Baptiſtæ Nativitate, Sancti quoque Laurentii, atque Martini, ſeu in Natalitiis cujuſlibet Sancti, cujus honor in qualicunque Parochia ſpecialiter celebratur, plenarium Officium agatur, & bis reficiatur.*

CCII. *XLVII. Ut in Paraſceve non aliud niſi panis & aqua ſumatur.*

CCIII. *XLVIII. Ut benedictio poſt Completorium à Sacerdote dicatur.*

XLIX.

Digitized by Google

XLIX. Ut de omnibus in eleemoſynam datis tam Eccleſiæ quàm fratribus, decimæ pauperibus dentur. AN. CH. 817.

L. Ut prætermiſſis partitionibus Pſalterii, Pſalmi ſpeciales pro eleemoſynariis & defunctis cantentur. Pro Benefactoribus ſive eleemoſynariis ac defunctis integra olim in Monaſteriis perſolvebantur Pſalteria, ſed in plures, ut ex hoc Capitulo liquet, diviſa partes, quarum ſingulæ aſſignato recitabantur tempore. Conventus Aquiſgranenſis integro Pſalterio ſpeciales ſubſtituit Pſalmos. CCIV. CCV.

LI. Ut in hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, & non jejunetur, niſi ſtatuti fuerint dies jejunii. Hoc Capitulum Monachis duos ritus in hebdomada Pentecoſtes obſervandos præſcribit, nempe ut totâ illâ ſeptimanâ nec genua flectant, nec jejunent niſi jejunium æſtivale in eandem hebdomadam inciderit. De utroque ritu nonnullas obſervationes accipe. Joannes cognomento Jejunator, qui factus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto, vitámque clauſit anno Redemptoris quingenteſimo nonageſimo-ſexto, librum edidit Pœnitentialem, ſub cujus finem ſtatuitur de Pœnitentibus, quòd *diebus, qui Paſcha ſequuntur uſque ad feſtum omnium Sanctorum*, id eſt, uſque ad Dominicam poſt Pentecoſten, *in orationibus genua non flectent, ſed ſeſe tantùm leviter inclinabunt.* Ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας τοῦ πάσχα ἡμέρας ἕως τῆς ἁγίων πάντων μὴ γονυκλιτεῖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἀλλὰ μόνον προσκυνήσεις ποιεῖν κατὰ πάντα. Eadem leguntur in alio libro Pœnitentiali, cujus Auctor alter Joannes Monachus ac Diaconus. Utrumque Joannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter ad calcem eruditiſſimi Commentarii de diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ primus publicavit, unum quidem Romæ à ſe deſcriptum, alterum verò ſibi Româ tranſmiſſum. Tempore Paſchali dies omnes in lætitia celebrantur. *Propter hoc*, inquit Ordo Romanus [a], *ſtantes oramus, quod eſt ſignum Reſurrectionis.* Quæſtio eſt, an Paſchale tempus ad Dominicam uſque poſt Pentecoſten prorogetur. In eodem Ordine Romano, *tempus Pentecoſtes inchoatur à prima die Reſurrectionis, & currit uſque ad diem quinquageſimum poſt Paſcha. Qui dies quinquaginta celebrantur in lætitia poſt Reſurrectionem Domini.* Sed ut Auctor ejuſdem Ordinis [b] teſtatur, *non ſtatim peractâ die quinquageſimâ genu ad orandum curvamus, ſed & illâ adhuc ſeptimanâ ſtantes Domino ſupplicamus.* Cum Ordine Romano Conventus Aquiſgranenſis in hoc convenit, quòd in hebdomada Pentecoſtes genua non flectit. At in iis, quæ ſpectant ad jejunium quarti menſis, ab eodem diſſidet Ordine. Quater in anno, ſeu tertio quòque menſe, primo videlicet, quarto, ſeptimo, & decimo, ſive Martio, Junio, Septembri, ac Decembri, ſolemne fit jejunium, quod à quatuor anni temporibus jejunium quatuor temporum dici ſolet, &, ob diverſas anni tempeſtates, in vernum, æſtivale, autumnale, & hybernum, diſtinguitur. Æſtivale jejunium antiquis temporibus jejunium quoque Pentecoſtes appellatum reperitur, ut ex quatuor Sermonibus Leonis Magni de jejunio Pentecoſtes inſcriptis & quinto ſeculo in eodem jejunio Pentecoſtes habitis conſtat. Jejunium autem Pentecoſtes vocatur, quia celebratur infra octavam Pentecoſtes. Ordo Romanus jam citatus jejunium, quod à Paſchali Solemnitate ſive à prima die Reſurrectionis intermiſſum fuit, in hebdomada Pentecoſtes ſive infra octavam Pentecoſtes repeti ſic aſſerit. *Non ſtatim peractâ die quinquageſimâ genua ad orandum curvamus, ſed & illâ adhuc ſeptimanâ ſtantes Domino ſupplicamus, & quamvis intermiſſa repetentes jejunia, tamen Alleluia quotidie perſonamus.* Amalarius libro primo [c] de Eccleſiaſticis Officiis hunc textum ex Beda ſic allegat. *Inchoatæ in ſequentibus diebus præſentis hebdomadæ quid agere debeamus, Dominus Beda manifeſtat in Homilia ſua dicens. Verum hoc quoque quòd non ſtatim peractâ die quinquageſimâ genu ad orandum curvamus, ſed* &c. Fuit hæc praxis Eccleſiæ Romanæ, ſed non omnium Eccleſiarum, ut æſtivale jejunium infra octavam Pentecoſtes ageretur. Lege quæ ſcripta ſunt ea de re Tomo quarto [d]. CCVI.

[a] De Octava Pentecoſt.

[b] In nocte Pentecoſt.

[c] Cap. 39.

[d] Ad an. 816. n. 33.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Joannes Citrius in Reſponſis ad Cabaſilam, ut Joannes Baptiſta Cotelerius Societatis Sorbonicæ Theologus in Notis ad quintum Apoſtolicarum Conſtitutionum librum teſtatur, ſcribit hebdomadam poſt Pentecoſten in honorem Sancti Spiritûs, æquè ac hebdomadam poſt Paſcha in Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſine jejunio tranſigi, quòd Spiritus Sanctus paris ſit dignitatis, ut cum Patre, ita & cum Filio; per Filium enim & Sanctum Spiritum beneplacito Patris noſtræ reformationis myſterium diſpenſatum eſt, nobiſque cognitionis Dei ſplendor illuxit. Καταλύομεν δὲ καὶ πᾶσαν τὴν μετὰ τὴν πεντηκοστὴν ἑβδομάδα, εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὡς γε δὴ καὶ τὴν διακαρίσιμον, εἰς τιμὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. διὰ τὸ ὁμότιμον εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὥσπερ ἅμα τῷ πατρὶ οὕτω δὴ καὶ τῷ υἱῷ. δι' αὐτοῦ γὰρ τῆς τοῦ πατρὸς εὐδοκίας τὸ τῆς ἡμῶν ἀναπλάσεως ᾠκονομήθη μυστήριον, καὶ ὁ τῆς θεογνωσίας ἡμῖν ἐπέλαμψεν φωτισμός. Concilii Moguntiacenſis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio celebrati Canon triceſimus-ſextus inſcribitur *de Feſtivitatibus anni*. Solum hîc initium repetemus, in quo per totam hebdomadam poſt Pentecoſten par eſt ratio Feſtivitatis ac per totam hebdomadam poſt Paſcha, unde colligas ut per hanc ſeptimanam ſic & per illam jejunium ſolvi. *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus. Hoc eſt, diem Dominicum Paſchæ, cum omni honore & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſervari decrevimus. Diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha.* Hic Canon in ſecundo Capitularium libro Capitulum conſtituit triceſimum-quintum cum eodem titulo *de Feſtivitatibus anni*. Canon ejuſdem Synodi triceſimus-quartus, qui totus eſt *de quatuor temporibus obſervandis*, jejunium æſtivale in ſecundam hebdomadam menſis quarti ſeu Junii ſic rejicit. *Similiter in menſe Junio, hebdomadâ ſecundâ, feriâ* IV, *&* VI, *& Sabbato, jejunetur uſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur.* Secunda illa quarti menſis hebdomada cum ſeptimana poſt Pentecoſten rarò coïncidit. Gregorius Papa Septimus anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo-tertio ſedere cœpit, & æſtivale jejunium infra octavam Pentecoſtes celebrari voluit. Caput viceſimum-quintum Micrologi, quod eſt *de jejunio æſtivali*, ſic inchoatur. *Gregorius Papa Septimus Apoſtolicæ Sedi præſidens conſtituit, ut æſtivale jejunium infra octavam Pentecoſtes annuatim celebraretur. Quod quidem ſapientioribus reverentia Sedis Apoſtolicæ facilè perſuaſit, ſimplicioribus autem nonnulla dubitatio ſuper hujus Statuti promulgatione remanſit, nam non parum ab eorum conſuetudine diſcrepat.* Auctor prædicti Micrologi ſynchronus Gregorio Papæ vixit, & textu proximè recitato teſtatus eſt ad ſua uſque tempora non defuiſſe, qui jejunium æſtivale cenſerent celebrandum extra ſeptimanam Pentecoſtes, id eſt, ut eodem capite ſubjunxit, hebdomadâ ſecundâ menſis quarti ſeu Junii. *Si juxta ſtatutum*, inquit, *Domini Apoſtolici infra Pentecoſten annuatim jejunaveris, non ſemper ſecundam quartam feriam vel ſecundum ſabbatum Junii obſervare poteris.* Ab Aquiſgranenſi Conventu, donec hæc ſcripta fuerint, effluxerunt duo ſecula cum dimidio & ampliùs. Tanto temporis interſtitio ſæpè nobis de jejunio æſtivali pro diverſis locorum conſuetudinibus loquendum erit. Impræſentiarum obſerva in Aquiſgranenſi Conventu Synodo ante quadriennium apud Moguntiam celebratæ non derogari. Ut enim hæc Synodus æſtivali jejunio ſecundam menſis Junii ſeptimanam aſſignat, ſive illa ſit eadem cum hebdomada Pentecoſtes ſive non ſit, ita Conventus Aquiſgranenſis jejunium per hebdomadam Pentecoſtes interdicit, niſi jejunium æſtivale in illam hebdomadam cadat. Id autem quando contingat paucis explicamus. Citimum jejunium æſtivale celebratur diebus, octavâ, decimâ & undecimâ Junii, currente tum literâ Dominicali B, nec celebrari poteſt infra octavam Pentecoſtes, niſi Paſcha celebratum fuerit die decimâ-ſeptimâ Aprilis. Extimum verò celebratur diebus, decimâ-quartâ, decimâ-ſextâ, & decimâ-ſeptimâ Junii, currente tum literâ Dominicali A, nec celebrari poteſt infra octavam Pentecoſtes, niſi Paſcha celebratum fue-

rit die viceſimâ-tertiâ Aprilis. Ergo jejunium quarti menſis infra octavam Pentecoſtes agitur illis duntaxat annis, qui Paſcha menſe celebrant Aprili, die vel decimâ-ſeptimâ vel viceſimâ-tertiâ vel unâ ex intermediis, ut clarius ex ſequenti Tabula patebit. AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis B.	17 April.	5 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	8 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	10 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	11 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis C.	18 April.	6 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	9 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	11 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	12 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis D.	19 April.	7 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	10 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	12 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	13 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis E.	20 April.	8 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	11 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	13 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	14 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis F.	21 April.	9 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	12 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	14 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	15 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis G.	22 April.	10 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	13 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	15 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	16 Jun.
LITERA	PASCHA	PENTECOSTE	JEJUNIUM		
Dominicalis A.	23 April.	11 Junii.	quarti menſis	Fer. 4.	14 Jun.
			infra octavam	Fer. 6.	16 Jun.
			Pentecoſtes.	Sabb.	17 Jun.

LII. Ut laicus causâ manducandi ac bibendi in Refectorium non ducatur. In hoc Capitulo laicos interpretare famulos Monaſterii, quos Conventus Aquiſgranenſis arcet à Refectorio & à communi fratrum menſa, ne nimia familiaritas aliquando contemptum inducat. Multiplicis generis hi fuerunt apud Monachos laici, de quibus ſæpè nobis inferiùs erit diſſerendum. Nomen autem laicorum neceſſariò ſic accipiendum hoc loco videtur, ne, quod à nobis Capitulum explicatur, diſſentiat à viceſimo-ſeptimo, quod hoſpites in Refectorio cum humanitate refici ſic præcipit. *Ut Abbas vel quiſpiam fratrum ad portam Monaſterii cum hoſpitibus non reficiant. In Refectorio autem eumnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat.* CCVII.

LIII. Ut quoties expoſcit neceſſitas, veſtimenta & calciamenta & omnia neceſſaria fratribus dentur. CCVIII.

LIV. Ut qui præponuntur, Nonni vocentur. De hac voce conſule Tomo primo [a], quæ dicta ſunt ad caput ſexageſimum-tertium Regulæ Benedictinæ. CCIX.

[a] Ad an. 544. n. 78.

LV. Ut ſenior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel Præpoſito præſente locum proprium, id eſt, locum profeſſionis ſuæ, *teneat.* CCX.

AN. CH. 817. CCXI. CCXII.

LVI. Ut Præpoſitus, Decanus, Cellararius, de eorum miniſterio, niſi cauſâ utilitatis aut neceſſitatis non removeantur.

LVII. Ut libra panis triginta ſolidis per duodecim denarios metiatur. Hujus Capituli titulus eſt in omnibus editionibus, *de libra panis, ut triginta ſolidos penſet, antequàm coquatur.* Ideóque Benedictus Haeftenus in Monaſticis Diſquiſitionibus [a] ſcribit hoc Capitulo ſtatutum, *ut libra panis, quæ Monachis datur, triginta ſolidos per denarios ponderetur antequàm coquatur.* Vult in ſua Regula [b] Sanctus Benedictus, ut *panis libra una propenſa*, ſeu quæ inclinata præponderet, *ſufficiat in die, ſive una ſit refectio, ſive prandii & cœnæ.* Libra illa Benedictina ſive Italica duodecim conſtabat unciis, ut Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-quartum [c] fusè probavimus. Apud Gallos ac Francos denarius viceſima pars erat unciæ, & ſolidus per duodecim denarios componebatur. Ergo quinque ſolidi tribus æquiparabantur unciis, & viginti ſolidi libræ, unde ſumma viginti ſolidorum, qui ſinguli fiunt ex duodecim denariis, etiamnum libra vocitatur. In hac materia pereruditè verſatur Auctor Diſſertationis [d] ad Regulam Benedictinam de hemina vini & libra panis editæ Pariſiis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo. Carolus Magnus in Capitulo [e] *de heribanno*, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [f] Tomo ſuperiore deſcripſimus, denuóque perſtrinximus ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum [g], triginta ſolidos cum libra & dimidia ſic comparat. *Solidi* XXX *ab eo exigantur, id eſt, libra & dimidia.* Inde locus quæſtioni, cur triginta ſolidi in Capitulo Caroli Magni libram unam ac dimidiam, in Capitulo Conventûs Aquiſgranenſis unam tantùm libram conficiant. In Capitulo Caroli Magni, triginta ſolidi æquivalent unciis octodecim ſive uni libræ cum dimidia. Conventus Aquiſgranenſis cùm agit de menſura panis, quæ ſingulis diebus ad comedendum Monacho dari debet, eodem quo Sanctus Benedictus utitur vocabulo, illam enim menſuram in ſuo Capitulo libram vocat, hac tamen intercedente differentiâ, quòd libram, quam Sanctus Benedictus jam dixit propenſam, ponderoſiorem adhuc facit, eam quippe triginta menſus ſolidis per duodecim denarios, id eſt, unciis duodeviginti. Sed obſervandum maximè, quòd Sanctus Benedictus de pane cocto, Conventus Aquiſgranenſis de coquendo loquitur, nam pondus adeò minuitur per ipſam coctionem, ut octodecim unciæ, ſi panis ſecundarius fiat, ad uncias quindecim aut ſexdecim, imò ſi candidus ac delicatus, ad quatuordecim atque etiam ad tredecim reducantur. Ex his autem obſervationibus liquet Conventum Aquiſgranenſem à Regula Benedictina parum differre. Sanctus Benedictus libram concedit unciarum duodecim propenſam, Conventus Aquiſgranenſis libram unciarum tredecim aut quatuordecim ſi candidus ſit panis, quindecim aut ſexdecim ſi ſecundarius.

[a] L. 10. Tract. 3. Diſquiſ. 2.
[b] Cap. 39.
[c] Num. 55.
[d] Capp. 25. 26. 27.
[e] In Capitul. l. 3. c. 14.
[f] Num. 104.
[g] Num. 82.

CCXIII. *LVIII. Ut Dormitorium juxta Oratorium conſtituatur, ubi ſupervenientes Monachi dormiant.*

CCXIV. *LIX. Ut Abbates Monachos ſecum in itinere, niſi ad generalem Synodum, non ducant.*

CCXV. *LX. Ut duo tantùm ſigna ad Tertiam, Sextam, Nonámque pulſentur.* Vox hæc, *ſigna*, quibuſdam in hoc Capitulo viſa eſt æquivoca, quia ſignum ut pro campaniæ pulſu ſic & pro ipſa ſumi poteſt campana. Duplex inde ſenſus Capituli. Primus, ut ſignum bis pulſetur; alter, ut duæ pulſentur campanæ. Prior magis arridet, quia capite duodequinquageſimo Regulæ Benedictinæ ſignum ad Nonam bis pulſatur. *Facto primo ſigno Nonæ horæ disjungant ſe ab opere ſinguli, & ſint parati, dum ſecundum ſignum pulſaverit.*

CCXVI. *LXI. Ut Monachi cappas diſconſutas, præter villoſas, non habeant.* Haeftenus *cappas* hîc ſumit pro cucullis, *diſconſutas* interpretatur antrorſum apertas, & *villoſas* intelligit pellicias. Vetat igitur hoc Capitulum, ne cucullæ ſciſſæ

Digitized by Google

ſint aut antrorſum apertæ. Nihil autem tale præſcribit de pelliciis, quia ſi non eſſent antrorſum apertæ, difficiliùs & induerentur & exuerentur, aut eas oporteret eſſe laxiores. AN. CH. 817.

LXII. Ut Abbas, Præpoſitus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non ſint, Lectoribus benedictionem tribuant. Talis Benedictio Sacerdotalem gradum non requirebat, requirebat autem Benedictio poſt Completorium, ut docet Capitulum duodequinquageſimum ſuprà deſcriptum. CCXVII.

LXIII. Ut docti fratres eligantur, qui cum ſupervenientibus hoſpitibus loquantur. Vulgaris lectio *cum ſupervenientibus Monachis* minùs placet Haefteno, quia cautio major adhidenda videtur erga hoſpites & externos. CCXVIII.

LXIV. Ut de furto incerto oratio & excommunicatio à Corpore & Sanguine Chriſti fiat, quouſque culpabilis confiteatur. In hoc Capitulo duo ſunt obſervanda, fit oratio conventualis, ut Deus furem dignetur revelare. Fertur excommunicatio, ut reus ad veritatis agnitionem veniat tali provocatus fulmine. CCXIX.

LXV. Ut ſi frater adverſus fratrem pro qualibet culpa teſtimonium protulerit, fratri perfectiori credatur. CCXX.

LXVI. Ut Pſalmus Invitatorius & Gloria pro defunctis non cantetur. Pſalmus Invitatorius non alius eſt à quadrageſimo-nono, cujus initium, *Venite exultemus.* Amalarius in Eccleſiaſticis Officiis, caput nonum libri quarti inſcriptum de nocturnali Officio ſic orditur. *In nocturnali Officio dicimus primò: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Deinde ſequitur Gloria. Quando pridem in nocte conventi fuimus, commendavimus nos Domino, & concluſimus ora, atque poſt ſinguli quaſi quodammodo in ſingulis ſepulchris quievimus, & ſoli Domino mente adſtitimus, cui non ſunt verba neceſſaria, quia omnes cogitationes novit. At nunc quia iterum convenimus ad confitendum Domino, precamur eum, ut ſuâ directione labia noſtra aperiat, & ad ſuam laudem os noſtrum fatiſcat. Deinde ſequitur Invitatorium. In eo communis cœtus fratrum convocat omnes degentes undique, ut excitentur & veniant ad confitendum Domino, juxta quod Verſus ſecundus ſonat Invitatorii, præoccupemus faciem ejus, inquiens, in confeſſione, & in Pſalmis jubilemus ei.* CCXXI.

LXVII. Ut Lector ſtando benedictionem poſtulet. CCXXII.

LXVIII. Ut Eulogia fratribus à Presbyteris in Refectorio dentur. Huic Capitulo clariſſimam lucem afferet ritus benedicendarum ac ſumendarum Eulogiarum in pervetuſto Codice deſcriptus, atque in epitomen ab Haefteno ſic redactus libro quarto [a] Diſquiſitionum Monaſticarum. *Offerunt ſinguli Religioſorum in patena hoſtiam unam & aliquantùm vini, utrumque autem à Sacerdote cum Diacono & Subdiacono ad gradum Presbyterii ſtante ſuſcipitur. Ex omnibus autem oblatis hoſtiis unam Sacerdos eligit, & ſeorſim ad conſecrandum ponit; ſimiliter ex calice, in quo omnium vinum receptum fuit, tantùm ſuo calici infundit, quantùm ad celebrationem Miſſæ ſufficit. Reliquum vini in piſcina mittitur. Hoſtiæ verò oblatæ duabus pixidibus congruo loco extra altare poſitis immittuntur, horâ autem prandii in Refectorium deferuntur, & in menſa ſuperiori ponuntur, quas datâ benedictione duo Sacerdotes, qui Matutinalem ſcilicet & ſummam Miſſam celebrarunt, ſingulis diſtribuunt, unus in latere Abbatis, alter verò in latere Prioris. Sumuntur autem hoſtiæ cum reverentia, aſſurgentibus his qui eas accipiunt, eáſque manducantibus antequàm alia cibaria maſticentur.* De hoc Eulogiarum uſu locutus non videtur Sanctus Benedictus, locuti verò ſunt ante quadriennium Monachi Fuldenſes in ſupplici ad Carolum Magnum libello, cujus quartus hic eſt Articulus. *Quòd communicationem fracti panis ante cibum quotidie ſumere non reſpuatur, ſecundùm exempla præcedentium Patrum.* CCXXIII.

[a] Tract. 7. Diſquiſ. 4.

LXIX. Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur Verſus, deinde Regula aut Homilia qualibet legatur, deinde TU AUTEM DOMINE, dicatur. In hoc Decreto & in poſtero *Capitulum* interpretare locum Capitularem, in quem Monachi poſt Officium Primæ conveniunt. Hoc CCXXIV.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Officium capite decimo-ſeptimo Regulæ Benedictinæ ſic deſcribitur. *Primâ horâ dicantur Pſalmi tres ſingillatim & non ſub una Gloria. Hymnus ejuſdem horæ poſt Verſum,* [*Deus, in adjutorium meum intende,*] *antequàm Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem verò trium Pſalmorum recitetur Lectio una, Verſus & Kyrie eleiſon, & Miſſæ fiant.* Et capite duodeviceſimo initium non Primæ tantùm ſed etiam Tertiæ, Sextæ, & Nonæ ſic exhibetur. *In primis dicatur Verſus,* [*Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me feſtina,*] *& Gloria. Inde Hymnus cujuſque horæ.* In agenda igitur Prima hic ordo modúſque ſervatur ex Regula Benedictina. Dicitur Verſus, *Deus, in adjutorium meum intende*, cum glorificatione beatiſſimæ Trinitatis, *Gloria Patri*, &c. tum Hymnus, & tres Pſalmi, poſt quos recitatur una Lectio, tum Verſus & Kyrie eleiſon, deinde Miſſæ ſunt ſeu fiunt, id eſt, completur Officium Primæ. Primâ ſic finitâ, Monachis Conventus Aquiſgranenſis præſcribit, ut eant ad Capitulum, & in illo Capitulari loco legant primò Martyrologium addito in fine Verſu, *pretioſa in conſpectu Domini*, &c. deinde vel caput aliquod ſuæ Regulæ vel aliquam legant Homiliam. Sanctus Benedictus [a] vult *Regulam ſæpiùs in Congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantia ſe excuſet.* Monachi Fuldenſes apud Carolum Magnum queſti ſunt, quòd illa Regulæ lectio poſt Primam intermitteretur. *Mane, quando in unum convenimus, capitulum de Regula fratribus legebatur.* Huic malo mederi voluit Conventus Aquiſgranenſis.

[a] Cap. 66.

CCXXV. *LXX. Ut ad Capitulum Lectio tradatur, ſimiliter ad Collationem, ſi tempus fuerit opportunum.* Haeſtenus ad hunc textum, Lectionem, quam Conventus Aquiſgranenſis commendat, interpretatur Lectionem Regulæ, eámque vult bis fieri, ſemel *ad Capitulum*, id eſt, in Capitulari loco poſt Primam, iterum *ad Collationem*, ſive in loco Collationis quæ fit ante Completorium.

CCXXVI. *LXXI. Ut quando fratres æſtivo tempore jejunant, poſt Sextam dormiant.*

CCXXVII. *LXXII. Ut ú, qui noxæ culpâ tenetur, die Dominico remiſſiùs habeat, & veniam non petat.* Monacho pœnitentiam agenti duplex indulgentia die Dominico datur; una quoad cibum & potum, ne jejunare videatur; altera quoad proſtrationes vel genuflexiones, ne videatur à lætitia Dominicæ Reſurrectionis alienus; prior in illis verbis conſiſtit, *remiſſiùs habeat*; poſterior in his, *veniam non petat.*

CCXXVIII. *LXXIII. Ut pro Abbate defuncto anniverſarium fiat Officium.* Fuldenſes Monachi, cùm per ſupplicem libellum [b] à Carolo Magno poſtularunt, ut ſibi liceret *orationum, Pſalmodiæ, & Vigiliarum modum tenere*, qui priùs in eodem Fuldenſi Monaſterio jam habitus fuerat, *pro amicis viventibus atque defunctis*, non omiſerunt *in anniverſaria obitûs die, unam Vigiliam & unum Pſalterium per ſingulos annos pro Sturmi Abbate*, qui ſolus obierat ex Abbatibus illius loci, proximus enim ſucceſſor Baugolffus in vivis ſuperſtes erat, Monaſterióque præerat Ratgarius in ejuſdem Baugolffi locum à multis annis jam ſuffectus. Talis Fuldenſium Monachorum poſtulatio fortè locum ſanciendo apud Aquiſgranum huic Decreto dedit.

[b] Art. 1.

CCXXIX. *LXXIV. Ut ad Miſſam, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, ſtantes, & PATER NOSTER genu flectentes dicant.*

CCXXX. *LXXV. Ut nullus pro munere recipiatur in Monaſterio, niſi quem bona voluntas & merita commendant.*

CCXXXI. *LXXVI. Ut unicuique fratri in cibo & potu ſua menſura ſeparatim detur, & de tota menſura ſibi data alicui nihil tribuat.*

CCXXXII. *LXXVII. Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, exceptâ ſextâ feriâ, & diebus octo ante Natale Domini, & à Quinquageſima uſque ad Paſcha.* Bilem movit Aquiſgranenſis hæc Conſtitutio Guidoni Juvenalis, qui poſt ſexcentos annos *nimio*, ut Haeſtenus [c] obſervat, *zelo nec ſecundùm ſcientiam abripi ſe paſſus eſt, & credere debuit non defuiſſe cauſas rationabiles, cur ita Patres iſti conſtituerint.* Ea de materia ſæpiùs recurret ſermo.

[c] L. 10. Tract. 6. Diſquiſ. 4.

LXXVIII. Ut volatilia in Natali Domini, & in Paſcha, tantùm quatuor diebus, ſi eſt unde, comedant: ſi verò non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas aut Monachi abſtinere ſe voluerint, in eorum ſit arbitrio. AN. CH. 817. CCXXXIII. Sic habent editiones, Pithœana, Biniana, Sirmondana, Haeftenana, & Baluziana. Lege Tomo ſuperiore quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [a]. [a] Num. 145.

LXXIX. Ut muſſulæ vervecinæ Monachis dentur. Hoc Capitulum pars eſt CCXXXIV. viceſimi-ſecundi jam deſcripti quo ſtatuitur, *ut unuſquiſque Monachorum habeat wantos in æſtate, muſſulas in hyeme vervecinas.*

LXXX. In doctrina ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſervare, CCXXXV. *in qua dicit, argue, obſecra, increpa, id eſt, indiſciplinatos & inquietos debet duriùs arguere, obedientes autem & mites ut in melius proficiant obſecrare. Negligentes & contemnentes ut increpet & corripiat admonemus, neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox, ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Improbos autem & duros ac ſuperbos vel inobedientes verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum.* [*Stultus verbis non corrigitur.*] *Et iterum.* [*Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam ejus à morte.*] *In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in Monaſterio proprii cordis ſequatur voluntatem: neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo protervè infra Monaſterium aut foris contendere, quod ſi præſumpſerit, Regulari diſciplinæ ſubjaceat. Si quis frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id eſt, verberum vindictæ in eum procedant. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra Monaſterii egredi, vel quocunque ire, vel quippiam quamvis parum ſine juſſione Abbatis facere, vindictæ Regulari ſubjaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.* Concinnatum eſt hoc Capitulum ex variis capitibus Regulæ Benedictinæ, ſecundo videlicet, duodetriceſimo, ſexageſimo-ſeptimo, & ſeptuageſimo.

In Aquiſgranenſi Conventu, ut de ordine Canonico Capitula quæ cùm CCXXXVI. ad Canonicos tum ad Canoniſſas pertinebant, ſic & de Monaſtico edita ſunt quæ cùm ad Monachos tum ad Monachas ſpectabant. *Itidem*, inquit Aſtronomus, *conſtituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem & cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* Qui laudatur in hoc textu Benedictus Abbas, is Indenſi Monaſterio præeſt, & tanquam Princeps Abbatum ac Præſes Abbatialis Conventûs ab Ardone ſic commendatur. *Præfecit eum quoque Imperator cunctis in Regno ſuo Cœnobiis, ut ſicut Aquitaniam Gothiámque normâ ſalutis inſtruxerat, ita etiam Francos ſalutifero imbueret exemplo. Multa denique Monaſteria erant, quæ quondam Regulariter fuerant inſtituta, ſed paulatim tepeſcente rigore Regularis penè deperierat Ordo. Ut autem, ſicut una omnium erat profeſſio, ſieret quoque omnium Monaſteriorum ſalubris una conſuetudo, jubente Imperatore, aggregatis Cœnobiorum Patribus, unà cum quampluribus Monachis perplures reſedit dies. Omnibus ergo ſimul poſitis Regulam ab integro diſcutiens, cunctis obſcura dilucidans dubia patefecit, priſcos errores abſtulit, utiles conſuetudines affectúſque confirmavit. Judicia igitur Regulæ cunctáque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minùs Regula pandit conſuetudines, aſſentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitulare Inſtitutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno ſuo poſitis Monaſteriis obſervare praciperet, ad quem librum ſcire cupientem dirigimus. Cui protinus Imperator aſſenſum præbuit, inſpectoréſque per ſingula poſuit Monaſteria, qui, utrùm ea quæ viſa fuerant ſic obſervarentur, inſpicerent, quique etiam formam ſalubrem ignorantibus traderent. Perfectum itaque propagatúmque eſt opus divinâ opitulante miſericordiâ, & una cunctis generaliter poſita obſervatur Regula, cunc-*

REGULA S. BENEDICTI MONACHIS ET MONIALIBUS PRÆSCRIBITUR.

AN. CH. 817.

táque Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, ac ſi ab uno Magiſtro & in uno imbuerentur loco. Uniformis menſura in potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus, cunctis obſervanda eſt tradita. Monaſteriis, quæ quondam Regulariter inſtituta fuerant, & tepeſcente paulatim rigore Regularem penè diſciplinam abjecerant, accenſeri debet in agro Pariſienſi Cœnobium San-Dionyſianum. Sic enim Ludovicus in ſuo Præcepto. *Viſum eſt, ut Monaſterium præclariſſimi & eximii Chriſti Martyris Beati Dionyſii ſociorumque ejus, quod conſtat tantorum Martyrum nomine Deo dedicatum, & à Regibus Francorum progenitoribúſque Gloriæ noſtræ ampliſſimis rebus ditatum, quò in eo Monaſticus ordo religiosè Deo deſerviret, magnâ emendatione & correctione opus haberet, quoniam ab eo idem ordo ad multorum diſcrimen, nullâ neceſſitate præpediente, nullius rei inopiâ obſiſtente, penitus [illegible]s avulſus.* Item. *Quòd idem Monaſterium ordini Monaſtico conſtructum, dedicatum & rebus ditatum fuit, & in eo ipſe ordo uſque ad tempus, quo ſceptra Imperialia ſuperná largiente gratiâ Clementia noſtra ſuſcepit, & Hilduini Abbatis prælationem, ibidem utcumque viguerit, manifeſtis indiciis Regúmque antiquis & modernis Præceptis, & Epiſcoporum Privilegiis, ac fidelium Donationibus, palàm cunctis eſt factum.* Et inferiùs. *Mox ut divina dignatio nos paternâ ſede ſuſceptâ Imperialibus ſceptris inniti voluit, piæ intentionis noſtræ ſollicitudo exequi procuravit, ut Religio, decor, & omnis honeſtas à Domno & Genitore noſtro divæ memoriæ Karolo cœpta & inſtituta liquidò & veraciter, remotâ omni ſimulatione, in propriis quibuſque maneret & vigeret ordinibus. Unde ad Monaſticæ Inſtitutionis normam corrigendam duos religioſos & venerabilis vitæ viros Benedictum & Arnulfum Abbates conſtituimus, qui per noſtrum à Deo gubernandum & conſervandum Imperium ſedulò, huic negotio ſtudiosè inſiſterent. Iidem verò boni & devoti ſed ſimpliciſſimi Patres, ſupradictorum fratrum calliditate & duritiâ ſuáque ſimplicitate abducti, non ſtudio ſed minùs ſubtili & neceſſariâ inveſtigatione ſeu providentiâ fallentes, eos qui in ſoliditate ſua profeſſæ ſalvationis perduraverunt, à Monaſterio removerunt, atque in Cella collocaverunt, & illos, qui propriæ voluntatis libitus non virtute ſed verſutiâ quæſierunt, ac collo de ſub jugo Regulæ excuſſo, loro diſſigatioris vitæ ſoluti, ampliori itinere cœleſtem patriam petere ſunt conati, in domiciliis reverendi habitûs & vitæ Monaſticæ reliquerunt.* Quid ſecutum ſit, exponemus ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-nonum quo Synodus Pariſiis habita, necnon ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum quo Præceptum illud à Ludovico Auguſto datum eſt & à nobis integrum deſcribetur. Ex fragmentis autem proximè recitatis hæc conſtant. Monaſtica diſciplina poſtremis Caroli Magni temporibus in Cœnobio San-Dionyſiano multùm remittitur. Omnes penè Monachi Canonicum amplectuntur ordinem; paucis, qui nolunt à Monaſteriali recedere vita quam ſemel profeſſi ſunt, in Cellulam ablegatis, ipſo Monaſterio potiuntur, imò poſt Caroli mortem Ludovicum Auguſtum ſuis artibus fallunt, & ab eo directos, qui Monaſticum decorem reſtituant, pios quidem ac devotos, ſed nimiùm ſimplices Abbates, Benedictum videlicet Indenſem & Arnulfum Herienſem, eâdem decipiunt aſtutiâ, perſeverántque in ſuo libitu ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum, quo Ludovicus Imperator Præceptum emittit ſuprà laudatum. Is erat ſtatus Cœnobii San-Dionyſiani, quando Hincmarus adhuc puer illud adiit, ibique Canonicum induit habitum, ut ipſemet in ſuis ad Nicolaum Papam literis [a] teſtatur, ubi breviter vitæ ſuæ primordia ſic perſtringit. *In Monaſterio, ubi ab ipſis rudimentis infantiæ ſub Canonico habitu educatus, indéque eductus, in Palatio Domni Hludowici Imperatoris non modico tempore manſi. Converſis autem ad Regularem vitam & habitum fratribus in Monaſterio Sancti Dionyſii, ubi nutritus fueram, in illud, ſeculum fugiens, ſine ſpe vel appetitu Epiſcopatûs aut alicujus Prælationis, diutiùs degui.*

[a] Ep. 26.

Ordo Monasticus tepescit in Mon. San-Dionysiano,

et Fontanellensi.

Fontanellenſi Monaſterio in Diœceſi Rotomagenſi ſors eadem fuit quæ Cœnobio San-Dionyſiano in agro Pariſienſi. Quamplurimi Monachorum Fontanellenſium

tanellenſium ad Ordinem Canonicum tranſierunt; fruſtráque, ut ad Monaſticen redirent, frequentibus hortationibus admoniti ſunt à prælaudato Abbate Benedicto; nec ſuus Fontanellæ ſplendor redditus eſt, antequàm illius loci fieret Abbas Anſegiſus, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium fuſiùs exponemus. AN. CH. 817.

Ad prædictum Aquiſgranenſem Conventum pertinet etiam Conſtitutum, quo Ludovicus Auguſtus Monaſteria Regni ſui tres in claſſes ita diſtribuit, ut Regi nonnulla militiam & dona, quædam non militiam ſed dona tantùm, alia nec militiam nec dona ſed ſolas orationes debeant, juxta Notitiam, *quam* Jacobus Sirmondus *ex Monaſterio Sancti Ægidii apud Septimanos olim depromptam, vel cum his quibus ſcatet mendis, donec emendatius exemplar ſe offerat, non indignam luce* cenſuit in Notis ad ſecundum Tomum Conciliorum Galliæ. Sirmondanam editionem ſecutus eſt Andreas Duſcheſnius, ne uno quidem apice addito vel expuncto. Nobis placuit breviſſimas obſervationes ſingulis ſubjicere Monaſteriis, quorum genuinam appellationem ſitúmque deprehendimus cum ipſis Abbatum vel Abbatiſſarum nominibus. Cetera, quorum nævos corrigere nequivimus, eo deſcripſimus modo, quo publicata ſunt in ſuperioribus editionibus. CCXXXVII. CONSTITUTUM LUDOVICI AUG. DE MONASTERIIS,

Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXVII. *Ludovicus Sereniſſimus Auguſtus divinâ ordinante providentiâ Conventum fecit apud Aquis Sedem Regiam, Epiſcoporum, Abbatum, ſeu totius Senatûs Francorum. Ubi inter ceteras diſpoſitiones Imperii ſtatuit, atque Conſtitutum ſcribere fecit, quæ Monaſteria in Regno vel Imperio ſuo dona & militiam facere poſſunt, quæ ſola dona ſine militia, quæ verò nec dona nec militiam, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris, vel filiorum ejus, & ſtabilitate Imperii.* CCXXXVIII.

Hæc ſunt, quæ dona & militiam facere debent, numero XIV. CCXXXIX. QUÆ DEBENT DONA ET MILITIAM FACERE,

I. *Monaſterium Sancti Benedicti.* Hoc Monaſterium, quod & Floriacum dicitur ad Ligerim in Aurelianenſi Diœceſi, regebat Adalgaudus Abbas. Tomo ſuperiore, cùm de Monaſterio Floriacenſi ſermonem haberemus, incidimus in Theodulphum, qui ſimul & Aurelianenſis Epiſcopus & Abbas erat Floriacenſis anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto. Hic Abbas ſponte dimiſit adminiſtrationem prædicti Monaſterii. Succeſſit in Abbatiale munus Adacalcus, deinde Adalgaudus. Utriuſque meminit Sauſſeyus [a] in Abbatum Floriacenſium Catalogo. Mentionem Adalgaudi faciemus iterum ad annum ſequentem ex Diplomate Ludovici Auguſti, necnon & ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum ex Annalibus [b] Aurelianenſis Eccleſiæ. CCXL.

[a] Lib. 4. Annal. Aurelian. n. 123.

[b] Lib. 4. c. 13.

II. *Monaſterium Ferrerias.* Lege Ferrarias. Hoc enim Cœnobium, quod antiquitus Bethleem vocabatur, poſterius nomen à ferrariis accepit. Situm eſt in Diœceſi Senonenſi. Sub initium hujus Tomi [c] ſermonem inſtituimus de Sigulfo Abbate, qui poſt Beatum Alcuinum Ferrarienſe Monaſterium in habitu Canonico rexit, donec ſenectute jam feſſus & Abbatiale munus abdicavit, & Monaſticam vitam ducere ſtatuit ſub Abbate Adelberto, ſuo quondam diſcipulo. *Certè*, inquit Lupus Ferrarienſis pòſt Abbas in literis [d] ad Guenilonem tunc Archiepiſcopum Senonenſem, *Ferrarienſis Monaſterii quondam nobilis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui uſque ad ſenium Canonico habitu laudabiliter vixerat, ſponte ſe poteſtate exuit, & noſtram, hoc eſt, Monachicam Religionem aſſumpſit; atque donec diem obiret, ſuo paſſus eſt ſubjici diſcipulo, quem ipſius voluntate ac fratrum conſenſu Imperator Ludovicus memorato loco Abbatem præfecerat.* In Alcuini vita, quam Auctor Sigulfo quondam familiaris ſub Aldrico proximo Adelberti ſucceſſore ſcripſit, idem Adelbertus Abbas ſic commendatur. *Adelbertus beatæ memoriæ, quantùm poterat Signifi tunc filius, pòſt autem venerandus Pater.* Hæc mutatio videtur in illud circiter tempus incidiſſe, quo celebratus eſt Conventus Aquiſgranenſis, de quo nuperrimè locuti ſumus. Fuit igitur Sigulfus apud Ferrarias poſtremus Abbas Canonicus. Quot annis Monaſticen coluerit ſub Adelberto Abbate, quótve an- CCXLI.

[c] An. 804. nn. 64. 70. 71. 76.

[d] Ep. 29.

AN. CH. 817. nis Adelbertus Monasterium gubernarit, nemo prodit. Aldricus, cujus mentionem quoque fecimus, Sigulfi discipulus cum Adelberto fuit, vixitque Canonicus sub Abbatibus Canonicis Alcuino & Sigulfo, Monachus sub Adelberto Abbate Monastico, cui posteà successit ut dicemus infrà sub Hieremia Senonensi Archiepiscopo.

CCXLII. III. *Monasterium Nigelli*; vel, ut legendum arbitramur, Nigellæ, id est, Monasterium Nigellæ Absconditæ, quod etiamnum stat pro viris in Episcopatu Trecensi. Conditum fuit pro viris & fœminis ex munificentia Clodovei Magni Regis & Clotildis Reginæ. Catalogus Abbatum desideratur.

CCXLIII. IV. *Monasterium Sanctæ Crucis*. Hoc Cœnobium, quod hodie nomen Sancti Faronis gerit, in suburbio Meldensi gubernabat Abbas Grimoaldus.

CCXLIV. V. *Monasterium Corbeia*. Hoc Cœnobium ad Somonam in Ambianensi Dœcesi penes Adelhardum Abbatem erat.

CCXLV. VI. *Monasterium Sanctæ Mariæ Sueßionis*. Hoc puellare Monasterium administrabat Abbatissa Theodrada ejusdem Adelhardi soror.

CCXLVI. VII. *Monasterium Stablaus*. Stablaus, seu Stabulaus, aut Stabuletum in Episcopatu Leodiensi suberat Absaloni Abbati, qui vitam hoc eodem anno clausit, cùm sesquiannum in Præfectura expleviſſet, Basilicæque Malmundariensis instaurationem aggressus esset. Successit Ando. De utroque consule Fisenum in floribus Ecclesiæ Leodiensis.

CCXLVII. VIII. *Monasterium Flaviniacum* in Augustodunensi Diœcesi sub Abbate Apollinare. Quidam legunt *Fariniacum*. Fauriniacum *, corruptè Fariniacum, ad Lantanam * amniculum, qui paulò inferiùs Ararim à læva subit, in Diœcesi Vesontionensi Cœnobium puellare tunc erat, fuitque ad duodecimum usque seculum, quo Monachi Monialibus successerunt, ut eruditè docet Hadrianus Valesius [a] in Notitia Galliarum; nondum autem in lucem prodiit Abbatissarum Catalogus.

* *Faverney.*

* *Lantaine.*

[a] In voc. *Fauriniacum.*

CCXLVIII. IX. *Monasterium Sancti Eugendi*. Achino Abbati parebat hoc Cœnobium, quod primò Condatescense dictum est, deinde Sancti Eugendi nomen accepit, hodie verò nomen Sancti Claudii gerit in Diœcesi Lugdunensi.

CCXLIX. X. *Monasterium Novalicium*. Abbas erat hujus Cœnobii Frodoinus in Episcopatu Taurinensi.

CCL. XI. *Monasterium Sancti Nazarii, ultra Rhenum*. Laureshamense seu Sancti Nazarii Monasterium ultra Rhenum in Episcopatu Vormacienſi Adalungum Abbatem venerabatur.

CCLI. XII. *Monasterium Offunwilarii, ultra Rhenum*. Hoc Cœnobium ultra Rhenum in Diœcesi Strasburgensi nomen traxit à primo conditore Offone Anglo, deinde dictum est Schutteranum ab amne Schuttera cui adsidet. Abbatum Schutteranorum Index non extat.

CCLII. XIII. *Monasterium Manauser in Bavaria*. Fortè Mansea in Diœcesi Salisburgiensi, cui Cœnobio præsidebat Lambertus Abbas, de quo plura post biennium.

CCLIII. XIV. *Monasterium Tegnauser in Bavaria*. Nobis videtur Tegernsea, celebre in Episcopatu Frisingensi Monasterium, cujus Abbates aliâ occasione suprà recensuimus [b].

[b] Ad an. 807. n. 17.

CCLIV. *Hæc sunt, quæ tantùm dona dare debent sine militia numero* XVI.

VEL DONA SINE MILITIA.

I. *Monasterium S. Michael. maresci primi*. Hoc Cœnobium Canonicorum erat in Episcopatu Abrincensi. Canonicis Monachi successerunt decimo seculo. Hodie locus ille nuncupatur mons Sancti Michaelis in periculo maris.

CCLV. Ideóque Ducheſnius in præcitato textu non *maresci primi* sed *maris periculi* legendum suspicatur. At Valesius in notitia Galliarum vulgatam lectionem laudat exponitque. Quippe Monasterium *maresci primi* vocabatur, duo sunt enim ab invicem non longè dissiti montes in marisci seu maresci, id est, in paluſtribus solis, quæ quotidianis accessibus æstuans inundat Oceanus; major autem horum montium decoratur Monasterio, dicitúrque esse in maresco

Digitized by Google

primo, quia continenti propior eſt quàm mons alter, qui pari jure mons mareſci ſecundi poteſt appellari. AN. CH. 817.

II. *Monaſterium Balma.* Puellarum erat hoc Monaſterium in Diœceſi Veſontionenſi. Deſideratur Index Abbatiſſarum. CCLVI.

III. *Monaſterium Sancti Sequani.* Situm eſt hoc Cœnobium in Epiſcopatu Lingonenſi. A conditore nomen accepit Sancti Sequani, dictum eſt & Segeſtrum * à loco. Perierunt Abbatum nomina, qui ſub Ludovico Pio floruerunt. CCLVII. * *Seſtre.*

IV. *Monaſterium Natuadis.* Hoc Cœnobium, cui nomen hodie Nantua in Diœceſi Lugdunenſi, Petrum habebat Abbatem, cujus anteceſſores à Samuele Guichenono celebrantur in Hiſtoria Bugiæ; Pontius ſub Merovеadis, Siagrius quarto Idus Auguſtas, anno ſexto Pippini Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo; & Sodeſaldus ſub Carolo Magno. CCLVIII.

V. *Monaſterium Svariſaha ultra Rhenum.* Jacobo Wimphelingio * eſt Svartzaha, quibuſdam Schwartzaha, recentioribus Schwarchium, & Schwarczachium, ultra Rhenum in Epiſcopatu Straſburgenſi. CCLIX. * In Ep. Argentin. 12.

VI. *Monaſterium Sancti Bonifacii ultra Rhenum.* Fulda, Monaſterium ultra Rhenum in Diœceſi Moguntina, poſt receptas Sancti Bonifacii Reliquias, nomen etiam illius accepit. De Ratgario hujus loci Abbate agemus infrà. CCLX.

VII. *Monaſterium Sancti Vigberti ultra Rhenum.* Friteſlaria, Monaſterium ultra Rhenum in Epiſcopatu Paderbornenſi nomen quoque Sancti Wigberchti gerebat. CCLXI.

VIII. *Monaſterium Clebenwanc in Alemannia.* CCLXII.

IX. *Monaſterium Fruhelinwanc in Alemannia.* CCLXIII.

X. *Monaſterium Nazaruda in Alemannia.* CCLXIV.

XI. *Monaſterium Campita in Alemannia.* Campita * ſeu Campidona in Alemannia ſeu Suevia, Monaſterium erat Diœceſeos Auguſtanæ ſub Agapito Abbate, qui proximo menſe Decembri vitam claulit, animi dolore, quòd, magna Cœnobii pars miſerè conflagraſſet per incuriam Monachi, qui candelam ardentem negligenter in Bibliothecam tulerat. Succeſſit Gothardus, vir genere nobilis & innocentiâ vitæ præclarus, qui damna per incendium illata quanto potuit ſtudio reparavit. Lege Bruſchium in Monaſteriis Germaniæ. CCLXV. * *Kempten.*

XII. *Monaſterium Altemburc in Bavaria.* Nobis idem videtur ac *Alten-Munſter*, ſive Altonis Monaſterium in Epiſcopatu Friſingenſi; quis illius loci tunc Abbas extiterit, nos latet. CCLXVI.

XIII. *Monaſterium Alcabe in Bavaria.* CCLXVII.

XIV. *Monaſterium Creuzа in Bavaria.* CCLXVIII.

XV. *Monaſterium Mathaſco in Bavaria.* Si non fallimur, Mattſea deſignatur in Epiſcopatu Patavienſi, ſed Abbatum deeſt Catalogus. CCLXIX.

XVI. *Monaſterium Buria in Bavaria.* Bura ſeu Buria in Bavaria pertinebat ad Diœceſim Friſingenſem. Ignoratur nomen Abbatis, qui Monaſterio tunc præerat. CCLXX.

Hæ ſunt, quæ nec dona nec militiam dare debeant, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris, vel filiorum ejus, & ſtabilitate Imperii, numero XVIII. CCLXXI. VEL SOLAS ORATIONES.

I. *Monaſterium Melaredum.*

II. *Monaſterium Foſſatus.* Huic Cœnobio in Diœceſi Pariſienſi præpoſitus erat Optatus Abbas, quantùm ex illius loci Catalogis colligi poteſt. Sequuntur enim Benedictus & Ingelbertus, quorum ille diſtingui non debet à Benedicto Anianenſi ſive Indenſi Abbate, qui Foſſatum ut & alia pleraque reformavit Monaſteria, memoriámque ſui reliquit in iiſdem Cœnobiis adeò celebrem, ut Indicibus Abbatum inſertus reperiatur, quamvis reverà non fuerit Abbas illorum Monaſteriorum, in quibus ad inſtaurandam tantùm CCLXXII. CCLXXIII.

AN. CH. 817. Monaſticen aliquandiu degit. Ingelbertus verò, qui poſt Benedictum in Foſſatenſi Catalogo nominatur, Abbas erat anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio, ut conſtat ex Diplomate, quod datum invenitur octauo Kalendas Septembris, anno viceſimo Ludovici Imperatoris, Indictione undecimâ, & ad illum annum à nobis integrum deſcribetur.

CCLXXIV. III. *Monaſterium Ludra.* Lutra ſeu Lutera vel Ludra Monaſterium in Diœceſi Veſontionenſi. Deſiderantur Abbates illius loci ſub Ludovico Pio.

CCLXXV. IV. *Monaſterium Sancti Gregorii.* Huic Cœnobio in Epiſcopatu Baſileenſi datus fuerat ab annis quatuordecim Gotefridus Abbas.

CCLXXVI. V. *Monaſterium Mauri.* Hoc Cœnobium in Epiſcopatu Straſburgenſi, ut à Leobardo conditore ac primo Abbate Cella Leobardina vulgò *Lewarizell*, ſic & dictum eſt Mauri Monaſterium *Maur-Munſter* ab Abbate Mauro, qui florebat anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto. Ceterùm hujus Mauri ſucceſſores ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum neſciuntur.

CCLXXVII. VI. *Monaſterium Eborrebeim.* Germanis *Ebersheim* eſt aper, unde formatum *Ebersheimb-Munſter*, ſive Apri-Monaſterium vel ſimpliciter Ebersheimium ob memoriam necis ab apro quondam illatæ filio Dagoberti Secundi Regis. Hoc Cœnobium, cùm Ludovicus Pius ſuum edidit Conſtitutum, adminiſtrabat in Diœceſi Straſburgenſi Griemaldus ſeu Grimoldus, Deipoldi, de quo non ſemel locuti ſumus, proximus ſucceſſor. Adi Catalogum Abbatum, quem Gabriel Bucelinus texuit in altera parte Monaſteriologiæ.

CCLXXVIII. VII. *Monaſterium Clinga.* Situm hoc Cœnobium in Diœceſi Spirenſi.

CCLXXIX. VIII. *Monaſterium Saviniciaco.* Saviniacum ſeu Savigniacum in Diœceſi Lugdunenſi nobile Monaſterium antiquiſſimos habuit Abbates, Adalbertum & Anaſteum, illum ſub Carolo Magno, hunc ſub Ludovico Pio, ut aliâ occaſione jam notavimus [a].

[a] Ad an. 809. n. 93.

CCLXXX. IX. *Monaſterium Crudatis* *. Ita legendum docet Sirmondus in correctione notarum ad ſecundum Tomum Conciliorum Galliæ. Crudatum autem, ut Catellus [b] obſervat, Monaſterium eſt ad Rhodanum in Epiſcopatu Vivarienſi.

* *Crudas.*

[b] In Hiſt. Linguodoch. l. 2. c. 13.

CCLXXXI. X. *Monaſterium Duſera.* Huic Cœnobio in Arauſicana Diœceſi præerat Dexter Abbas, cujus mentionem ante triennium fecimus [c].

[c] Ad an. 814. n. 43.

CCLXXXII. XI. *Monaſterium Lorwvim.*

CCLXXXIII. XII. *Monaſterium Scewanc.*

CCLXXXIV. XIII. *Monaſterium Sculturbura.* } *ultra Rhenum.*

CCLXXXV. XIV. *Monaſterium Berch.*

CCLXXXVI. XV. *Monaſterium Mechema.*

CCLXXXVII. XVI. *Monaſterium Scovenauva.* } *in Bavaria.*

CCLXXXVIII. XVII. *Monaſterium Aloſeburch.*

CCLXXXIX. XVIII. *Monaſterium Weizzenbrunico.* Poſtremum hoc Cœnobium in Epiſcopatu Friſingenſi, Germanis eſt *Weſſesbrunnen*, Latinis Weſſobrunna. Suberat Adelmaro Abbati, de quo recurret ſermo.

CCXC. In editionibus Sirmondana & Ducheſniana ſequuntur Monaſteria ſex ac triginta, *in Aquitania* tredecim, *in Septimania* quatuordecim, *in Toloſano* quatuor, *in Waſconia* quinque. Non benè capimus, cur hæc ponuntur extra tres claſſes ſuperiùs expoſitas, quæ Regi vel militiam & dona, vel dona tantùm, vel ſolas orationes debent. Suſpicamur tamen in numerum Monaſteriorum, quæ ſolas debent orationes, irrepſiſſe mendum, &, loco XVIII, reponenda eſſe LIIII. Certè non deſunt rationes, cur ab Aquitaniæ, Septimaniæ, agri Toloſani, & Waſconiæ Monaſteriis orationes tantùm poſtulentur. Septimania diu gemuit ſub Saracenorum jugo, qui per Toloſanam regionem, per Waſconiam, & per Aquitaniam non ſemel effuſi Cœnobia diruerunt ut Tomo quarto ſub finem fusè narravimus. Quæcumque igitur in illis provin-

Digitized by Google

eiis ætate Ludovici Pii conſpiciebantur, ea fuerant nuperrimè vel inſtaurata vel erecta, nec opibus ad militiam donáque vel etiam ad ſola dona ſatis abundabant. Pleraque hîc à Ludovico recenſentur, quæ *ab eo ſunt in ejus ditione*, id eſt, in Regno Aquitanico, *reparata, imò à fundamentis ædificata Monaſteria*, ut ante quinquennium retulimus ex ejus Actibus ab Aſtronomo conſcriptis. Utraque ſimul conferemus. AN. CH. 817.

In Ludovici Conſtituto tredecim recenſentur Monaſteria, quæ pertinent ad Aquitaniam. CCXCI.

I. *Monaſterium Sancti Philiberti.* Aſtronomo in Actibus Ludovici *Monaſterium Sancti Filiberti*, quod & ab Hero Inſula Herenſe dictum eſt in Diœceſi tunc Pictavienſi ſub Abbate Arnulfo jam laudato. CCXCII.

II. *Monaſterium Sancti Maxentii.* Huic Cœnobio, quod totidem verbis ab Aſtronomo commendatur, in eadem Diœceſi Pictavienſi ſub Ludovico Pio præfuit Abbas Abbo, cujus mentionem ad annum Redemptoris [a] octingenteſimum viceſimum-tertium facit Chronographus illius loci. CCXCIII.

[a] Tom. 2. Biblioth. Labb.

III. *Monaſterium Caroffinii*, Aſtronomo *Monaſterium Carroffi.* Huic Cœnobio in Diœceſi quoque Pictavienſi præerat Juſtus Abbas, cujus meminimus ante biennium. CCXCIV.

IV. *Monaſterium Brantoſmurii.* Hoc Cœnobium vocatur Brantoſmum & Brantoſma. Situm eſt in Epiſcopatu Petrocoricenſi. De illius conditu fusè diſſeruimus anno ſuperiore. CCXCV.

V. *Monaſterium Sancti Savini.* Totidem verbis ab Aſtronomo commendatur, Vartimpæ fluvio adſidet in Diœceſi Pictavienſi. CCXCVI.

VI. *Monaſterium Sanctæ Crucis puellarum*, Aſtronomo *Monaſterium puellare Sanctæ Radegundis*, conditum in civitate Pictavienſi. CCXCVII.

VII. *Monaſterium Sanctæ Mariæ in Lemovicas*, Aſtronomo *Monaſterium puellare Sanctæ Mariæ*, vulgò *Regula* * dicitur. CCXCVIII.

* *la Regle.*

VIII. *Monaſterium Maſtracurii.* Baluzius legit *Maſciacum*, quod eſt Cœnobium in Diœceſi Bituricenſi. CCXCIX.

IX. *Monaſterium Menadivii*, Aſtronomo *Monaſterium Menata* in Arvernenſi Diœceſi. CCC.

X. *Monaſterium Magnilocum*, Aſtronomo *Monaſterium Magni-loci* in eâdem Arvernenſi Diœceſi. CCCI.

XI. *Monaſterium Conquas*, Aſtronomo *Monaſterium Concas*, cui præeſt in Diœceſi Rutenenſi Medraldus Abbas à nobis jam laudatus. CCCII.

XII. *Monaſterium Sancti Antonii.* Lege cum Baluzio *Monaſterium Sancti Antonini* in eadem Diœceſi Rutenenſi. CCCIII.

XIII. *Monaſterium Muſciacum.* Hoc Cœnobium ab Aſtronomo quoque nominatur. Situm eſt in Diœceſi Cadurcenſi. CCCIV.

In Ludovici Conſtituto quatuordecim recenſentur Monaſteria, quæ pertinent ad Septimaniam. CCCV.

I. *Monaſterium Sancti Ægidii in valle Flaviana*, pertinet ad Diœceſim Nemauſenſem. CCCVI.

II. *Monaſterium Pſalmodium.* Hoc Cœnobium in eodem Epiſcopatu Nemauſenſi diſtabat ab Aquiſ-mortuis ſemileucâ. Dirutum fuit à Saracenis, priuſquàm Septimania veniret in poteſtatem Francorum à quibus reparatum eſt. CCCVII.

III. *Monaſterium Anianum*, Aſtronomo *Monaſterium Anianæ* in Diœceſi Magalonenſi ad Anianum rivum ſub Abbate Georgio Benedicti tunc Indenſic Abbatis proximo ſucceſſore. CCCVIII.

IV. *Monaſterium Sancti* * *Tiberii.* Ado quarto Idus Novembris in ſuo Martyrologio ſic habet. *In territorio Agathenſi, in Ceſſarione, Natalis SS. Martyrum, Tiberii, Modeſti, & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati Martyrium compleverunt.* Ceſero ſeu Ceſſero, Adoni Ceſſario, ad Araurim fluvium in Epiſcopatu Agathenſi, nomen accepit à Sancto Tibe- CCCIX.

* *S. Uberi.*

AN. CH. 817. rio Martyre quod etiamnum gerit, decoratúrque Monaſterio in quo Reliquiæ prædictorum Martyrum ſervantur. Abbas ejuſdem loci Modarius à Benedicto Indenſi Abbate morti proximo laudatus invenitur anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo.

CCCX. V. *Monaſterium Villa-Magna* *. Hoc Monaſterium in Epiſcopatu Biterrenſi collocatur à Baluzio. Eſt & apud Catellum altera Villa-Magna in Agathenſi Diœceſi.

* *Walmagne.*

CCCXI. VI. *Monaſterium Sancti Petri in Lunate.* Super hujus Monaſterii ſitu tres occurrunt opiniones multùm diverſæ, cùm ſingulæ ſingulos Epiſcoparus adnotent, una Lutevenſem, altera Magalonenſem, tertia Biterrenſem. Prima eſt Guillelmi Catelli in Hiſtoria Linguodochiana [a], qui Monaſterium Sancti Petri in Lunate ſuſpicatur Eccleſiam eſſe Sancti Petri in civitate Lutevenſi. Secunda eſt Hadriani Valeſii in Notitia Galliarum, qui Lunate & Lunellum ſynonyma facit, & Monaſterium Sancti Petri in Lunate ſeu de Lunello ponit in Diœceſi Magalonenſi. Tertia & omnium optima eſt Stephani Baluzii in Notis ad Capitularia, qui Monaſterium Sancti Petri in Lunate Juncellenſe Monaſterium interpretatur in Diœceſi Biterrenſi, cujus loci Abbatem nomine Benedictum Tomo quinto [b], cùm de Pippino Rege ſermonem faceremus, Abbatem diximus *Juncellenſis Cœnobii, ſub invocatione Sancti Petri fundati in valle Lunatenſi.* Idem Benedictus in Præcepto Pippini Regis vocatur *Abbas Sancti Petri Juncellenſis Monaſterii, quod eſt ſitum in territorio Biterrenſi.* Integrum Diploma Stephanus Baluzius inter Acta vetera [c] poſt Notas ad Capitularia publicavit, obſervavitque multos in Characteribus Chronologicis nævos eſſe, quibus adde hanc inchoandorum Diplomatum formulam ætate Pippini Regis inuſitatam. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Pippinus* &c.

[a] Lib. 1.

[b] Ad an. 755. n. 97.

[c] Act. 15.

CCCXII. VII. *Monaſterium Caunas.* Catellus hoc Monaſterium libro primo Hiſtoriæ Linguodochianæ collocat in Diœceſi Carcaſſonenſi, libro tamen ſecundo Caunas in Narbonenſi ponit territorio. Quapropter ſtandum à Sammarthanis & à Baluzio, qui Monaſterium de Caunis Diœceſi Narbonenſi tribuunt, illi in Gallia Chriſtiana, hic in Notis ad Capitularia. Inter Acta vetera [d] Notis illis adjecta reperitur Præceptum, quod *Karolus Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum emiſit* XIII *Kalendas Auguſti, anno vigeſimo-ſexto & vigeſimo Regni, Franconoforti Palatio Regio*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto, quo Synodus habita Francofurti, cùm Carolus in Francia viceſimum-ſextum annum Regni, viceſimum in Longobardia ſive Italia numerabat. In hoc Diplomate Rex de Aniano Abbate & de Caunis ita loquitur. *Cognoſcat* &c. *quia Vir Venerabilis Anianus Abbas ex Monaſterio Sancti Johannis & Sancti Laurentii, quod fuit conſtructum in locis nuncupatis Exterio & Olibegio, noſtro Synodali Concilio veniens unà cum Monachis ſuis, Continuo, Stromundo, Lurio, cum omnibus rebus vel hominibus Monaſterii ſui, quas moderno tempore videtur poſsidere, ſe plenius commendavit, & nos ſub noſtra tuitione eum & Monachos ſuos cum omnibus rebus atque hominibus ſuis recepimus, ac retinemus, quatenus diebus vitæ ſuæ ſub noſtra tuitione valeant quietè vivere & reſidere,* &c. *Similiter conceſſimus ei villam Caunas, ſicuti Milo ad ſuum Monaſterium per ſuas literas delegavit, cum omnibus appendiciis ſuis, quatenus meliùs delectet ipſos ſervos Dei pro nobis vel ſtabilitate Regni noſtri Domini miſericordiam exorare.* Is eſt Milo Comes Narbonenſis, de quo non ſemel Tomo priore locuti ſumus. Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio Willelmus Comes Toloſanus infeliciter contra Saracenos in Septimania pugnavit. Ab hoſtibus Chriſtianæ fidei tunc dirutum arbitramur Monaſterium, cui præerat Abbas Anianus anno ſequenti laudatus in Diplomate Carolino proximè recitato. Paulò pòſt ex illius Cœnobii ruderibus erectum Caunenſe, cujus adminiſtrationem idem geſſit Anianus, ideóque primus Caunenſis Abbas jure nuncupandus.

[d] Act. 18.

VIII. *Monaſterium Caſtrelli Malaſci.* Catello *Monaſterium Caſtelli Malaſci*, Ludovico Pio *Monaſterium Malaſti, quod eſt ſitum in territorio Carcaſſenſe ſuper fluvium Duranum, conſtructum in honore Sancti Joannis Baptiſtæ*; hodie Monaſterium Montis-Olivi, de quo ſermonem ante triennium fecimus [a] in Olomundo illius loci Abbate. AN. CH. 817. CCCXIII. [a] Ad an. 814. n. 28

IX. *Monaſterium Sanctæ Mariæ Caparienſis.* Hadriano Valeſio [b] *Monaſterium Sanctæ Mariæ Caprarienſis* in Epiſcopatu Biterrenſi, Caprarienſis enim Archidiaconatus, cui Capraria * nomen fecit, pertinet ad Diœceſim Biterrenſem. CCCXIV. [b] In voc. Capraria. * Cabrieres.

X. *Monaſterium Sanctæ Mariæ ad Orubionem*, Aſtronomo corruptè *Monaſterium Sanctæ Mariæ quod dicitur in Rubine.* Vocatur hodie Graſſa in Epiſcopatu Carcaſſonenſi. Infredum illius loci Abbatem ad annos Redemptoris octingenteſimum-primum & octingenteſimum-ſextum laudavimus. CCCXV.

XI. *Monaſterium Sancti Laurentii.* Hoc Cœnobium ab Aſtronomo memoratur, ſitum eſt in Diœceſi Narbonenſi, ut ex Catello jam obſervavimus [c]. CCCXVI. [c] Ad an. 812. n. 24.

XII. *Monaſterium Sanctæ Eugeniæ.* CCCXVII.

XIII. *Monaſterium Sancti Hilarii.* Hoc Cœnobium prope Carcaſſonem erectum eſt, primò nomen Sancti Saturnini geſſit, deinde Sancti Hilarii conditoris illic ſepulti, qui Carcaſſonenſem olim Epiſcopatum rexit, longè antequàm Septimania Francis parere cœpiſſet. Inter Acta vetera [d], quæ Stephanus Baluzius poſt Notas ad Capitularia publicavit, ex Archivo prædicti Cœnobii prodiit hoc Ludovici Pii Diploma. CCCXVIII. [d] Act. 29.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcircò noverit Sagacitas ſeu Utilitas omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum, quoniam Vir Venerabilis Monnellus Abba ex Monaſterio Sancti Hilarii, quod eſt ſitum in pago Carcaſſonenſe ſuper rivum qui dicitur Leuchus, conſtructum in honore Sancti Saturnini Martyris, ubi etiam prædictus Sanctus Hilarius Confeſſor corpore requieſcit, ad noſtram accedens Clementiam detulit obtutibus noſtris quandam auctoritatem Domini & Genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ Piiſſimi Auguſti, in qua continebatur inſertum, qualiter idem Genitor noſter ipſum Monaſterium ad deprecationem prædeceſſoris ſui Nampionis Abbatis ſub ſuo ſuſcepiſſet mundeburdo vel defenſione, videlicet ut Monachi in eodem Monaſterio commorantes cum omnibus rebus eorum quietè vivere abſque alicujus infeſtatione licuiſſet. Pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit nobis prædictus Monnellus Abba, ut eundem Monaſterium cum Cellulis ſibi ſubjectis, quæ nuncupatur Garelianus, & alia quæ nuncupatur Sancti Martini, & villam juxta ipſum Monaſterium quæ vocatur Salas, ubi eſt Eccleſia conſtructa in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, quam & nos eidem Monaſterio conceſſimus, cum adjacentiis vel terminis prædictorum locorum, ſub noſtra conſtituceremus defenſione & immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultûs libenter aurem accommodare placuit, & hoc noſtræ auctoritatis Præceptum immunitatis atque tuitionis gratiam fieri decernimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex Judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones prædicti Monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper ipſius terram commanentes injuſtè diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat, & quicquid de rebus præfati Monaſterii fiſcus ſperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monaſterio con-

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

cedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia Monachorum ibidem Deo famulantium perpetuò proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abba vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus ipſos Monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proléque noſtra ac ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi, ejuſque clementiſſimâ miſeratione per immenſum conſervandi, Domini immenſam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut plenioremin Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur & diligentiùs obſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. In hoc Diplomate duo memorantur Abbates, Nampio ſub Carolo Magno, Monnellus ſub Ludovico Pio. Qui Monnello proximè ſucceſſerunt Egido & Leonnius, in altero ejuſdem Ludovici Præcepto nominantur, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum, Ludovici Auguſti decimum-quintum, deſcripturi ſumus.

CCCXIX. XIV. *Monaſterium Valle Aſperii.* Hoc Monaſterium, quod & Arulenſe ſeu Cœnobium de Arulis vocatur, hiſce temporibus à Caſtelano Abbate reparatum eſt. In Præcepto enim, quod Ludovicus Pius decimo-quinto Kalendas Aprilis, anno Imperii ſui ſeptimo, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo dedit, hæc apud Baluzium inter Notas ad Capitularia leguntur. *Caſtelanus Abba Monaſterii Sanctæ Mariæ veniens ad nos innotuit eò quòd ipſe cum fratribus ſuis in Valle, quæ dicitur Aſperia, Monaſterium in antiqua ædificia conſtruxerit.* Et Carolus Calvus, ejuſdem Ludovici filius, in ſuo Præcepto, quod inter Acta [a] vetera prælaudatis Notis adjecta reperies, de Receſindo Abbate ſic loquitur. *Vir Venerabilis Receſindus Abba Monaſterii Sanctæ Mariæ in Arulas veniens ad nos obtulit obtutibus noſtris auctoritatem Domni & Genitoris noſtri Ludovici Imperatoris, quâ continebatur qualiter prædictum Monaſterium, ædificatum à Caſtelano quondam Valle, quæ dicitur Aſperia, ſub ſua immunitate atque defenſione cum Monachis ibidem Deo famulantibus & omnibus rebus ad ſe pertinentibus pleniſſimè ſuſcepiſſet.* In recentiore Charta, cujus fragmentum in prædictis quoque Notis invenies, Arulenſe Monaſterium dicitur ſitum *in Comitatu Ruſulionenſe, in Valle Aſperi, ſuper alveo Teccho.* Thicis ſeu Tichis, vulgò *le Tech*, Vallem Aſperiam interfluit, rigat Arulenſe Monaſterium & Helenam Ludovici Pii temporibus Epiſcopatu nobilem. In antiquis igitur Diplomatibus Arulæ non malè collocantur in Helenenſi Diœceſi, & in Comitatu Ruſcinonenſi cujus pars Vallis Aſperia.

[a] Act. 63.

CCCXX. In Ludovici Conſtituto quatuor numerantur Monaſteria, quæ pertinent ad pagum Toloſanum ſive ad Diœceſim Toloſanam.

CCCXXI. I. *Monaſterium Sancti Papuli.* Catellus libro ſecundo [b] Hiſtoriæ Linguodochianæ notat in quibuſdam legi Codicibus *Monaſterium Sancti Pauli*, & in veteribus illius loci monumentis vocari *Monaſterium Sancti Pauli ceu Sancti Papuli.* Vixit Sanctus Papulus Sancto Saturnino ſynchronus. Monaſterium, cui nomen ejus inditum eſt, conditum fertur à Carolo Magno, ut & alia pleraque ejuſdem regionis, quorum origines probè ſciri non poſſunt. Certè ſtabat anno tertio poſt ejuſdem Caroli mortem, ut Chartæ, de qua nunc agimus, Chronologici Characteres apertè docent.

[b] Cap. 18.

CCCXXII. II. *Monaſterium Suricinium* *, vel *Soricinum*, ut vetus habet inſcriptio, quam Catellus in Hiſtoria Linguodochiana ſic refert [c]. *Soricini laudes cantemus Muſæ callentes, omnibus anteit ejus ager, niſi flatu venti rigidi Auſtralis lædantur fructus amœni. Ibi magnus Abbas præſidet Religioſis, Cemeni montes vallant ejus mœnia, fruges ibi formoſæ, Nymphæ nive candidiores. Nomen dat urbi Soror* * *amnis agros irrigans. Ibi plantatur alba vitis, nigrâ relictâ. Urbs antiqua gaudet Rege Pipino fundata, manet in ævum urbs laniſica felix.* Pippinus Caroli Magni

* *Soreſe.*

[c] Lib. 2.

* *le Sor.*

Magni pater in Præcepto, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto fertur emiſiſſe, de Soricinienſi Monaſterii conditu ſic diſſerit. *Placuit nobis propter amorem Dei & animæ noſtræ remedium conſtruere Monaſterium in pago Toloſano juxta Caſtrum quod dicitur Verdiminus, cui Soricinii rivulo vocabulum conſtat indici Soricinii, in honorem Dei & ejus Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, ſecundùm quod eadem Dei Genitrix nobis viſa eſt præcepiſſe.* Hoc Pippini Regis Diploma poſt Notas ad Capitularia deſcribitur [a] integrum, ſed à nobis omittitur, quia videtur depravatum, cùm in formula inchoationis, tum in Characteribus Chronologicis. Initium tale eſt. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Pippinus gratiâ Dei Rex.* Hanc formulam, quæ Ludovici Pii Diplomatibus convenit, Pippinus ejus avus numquam uſurpavit. Subſcriptio talis eſt. *Signum Pippini Glorioſiſſimi Regis. Joannes Diaconus ad vicem Dagni recognovit. Data ſeptimo Kalendas Septembris, anno Chriſto propitio ſecundo Domni Pippini Regis, Indictione ſeptimâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hic ſubſcribendi modus ætatem Caroli jam Auguſti ſapit. Indictione nec unquam uſus eſt Pippinus, nec priùs uti cœpit Carolus quàm Imperatoris & Auguſti nomen aſſumpſit. Deinde Indictio ſeptima per menſem Auguſtum cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto componitur, tunc autem Pippinus annum Regni ſui non ſecundum ſed tertium jam inchoatum numeravit, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſecundo Rex ante menſem Auguſtum proclamatus fuit. Denique Pippinus in Aquiſgranenſi Palatio non erat ſeptimo Kalendas Septembris, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quarto, illo enim anno quinto Kalendas Auguſtas in Monaſterio San-Dionyſiano prope Lutetiam Rex unctus eſt à Stephano Tertio Papa, maximâque celeritate mox iter rectà Mauriennam habuit, ut Tomo quinto [b] fusè probavimus. A recitando Diplomate propter tot nævos abſtinemus, monitum tamen te volumus in eo multa valdè probabilia contineri, quæ ſpectant ad erectionem, ſitum, nomen, dotationem, atque Immunitatem Monaſterii, necnon & ad Abbatis electionem. Procul abeant, qui Soricinum non ab amne, cui nomen Soror, ſed à Soricum copia deduci volunt.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

[a] Act. 13.

[b] Ad an. 754.

III. *Monaſterium Aſilo*, aliis *Monaſterium Manſi Aſilli* *. CCCXXIII.

IV. *Monaſterium Venercha.* Hoc Monaſterium nobis idem videtur ac Monaſterium Benerca ſeu Monaſterium Sancti Petri de Benerca *, hodie Prioratus de Benerca quatuor tantùm leucis à Toloſa remotus. In Hiſtoria Comitum Toloſanorum [c] Catellus Benercam confundit cum Valada pagi quoque Toloſani Monaſterio, de quo locuti ſumus ante quinquennium [d]. Benercam à Valada diſtingue, à Venercha nequaquam. CCCXXIV.

* *Mas d'Aſil.*

* *Benerque.*

[c] Lib. 1. c. 1.

[d] Ad an. 812. n. 49.

Denique in Ludovici Conſtituto quinque nominantur Monaſteria, quæ pertinent ad Waſconiam, id eſt, ad Novempopulaniam. CCCXXV.

I. *Monaſterium Cella fraxilii.* CCCXXVI.

II. *Monaſterium Cimorra.* CCCXXVII.

III. *Monaſterium Piciano.* CCCXXVIII.

IV. *Monaſterium Altum fragitum.* CCCXXIX.

V. *Monaſterium Sancti Savini*, in Diœceſi Bigorritana ſeu Tarbenſi. CCCXXX.

Prædictis Monaſteriis præfatus Imperator, ſicut ſuprà dictum eſt, Statutum ſcribi fecit, atque manu ſuâ firmavit, & annulo ſuo Imperiali ſigillare fecit. Huc uſque Charta, quam Sirmondus & Ducheſnius ediderunt. CCCXXXI.

Prætereà *in eodem* Aquiſgranenſi *Placito*, ut Aſtronomus teſtatur, *Imperator filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & eſſe voluit, & duorum filiorum ſuorum Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bojoariam miſit, ut ſcilicet ſciret populus, cujus deberet poteſtati parere.* Ad hunc annum illa de re ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Generalem populi ſui Conventum Aquiſgrani more ſolito habuit, in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii ſui ſocium ſibi conſtituit. Ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ,* CCCXXXII. LOTHARIUM IMPERII CONSORTEM FACIT,

AN. CH 817. DUOBUS ALIIS FILIIS REGIBUS APPELLATIS, PIPPINO AQUITANIÆ, LUDOVICO BOJOARIÆ. CCCXXXIII.

alterum Bajoariæ præfecit. Ex his patet Ludovicum Imperatorem, qui currente anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto filios ſuos Lotharium & Pippinum Reges appellarat, Lotharium in Bojoariam, Pippinum in Aquitaniam direxerat, de Ludovico natu minimo & adhuc puero ſecum retento nihil ſtatuerat, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo conſilium ſuum in Aquiſgranenſi Conventu nonnihil mutaſſe, ſiquidem Pippino Aquitaniæ Rege confirmato Ludovicum Regem Bojoariæ conſtituit, Lothoarium Bojoariâ exauctoratum conſortem Imperatoriæ Dignitatis fecit. Annaliſtam Laureshamenſem hoc loco deſcribunt, Fuldenſis, Bertinianus, & Metenſis, quos, ſi lubet, etiam conſule.

Ut ante triennium ſic & hoc anno, Ludovicus ſuis filiis non integrum Regnum ſuum, ſed illius partem, Bojoariam videlicet & Aquitaniam diviſit, ceteris provinciis, quæ multò plures ac ſpatioſiores erant, nulli filiorum attributis. In utraque partitione ſecutus eſt exemplum Caroli patris, qui filios ſuos, Pippinum Juniorem & Ludovicum, anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo Reges appellavit, & Pippino Longobardiam, Aquitaniam Ludovico conceſſit, nec ullam cùm aliorum filiorum, nempe Pippini Senioris & Caroli, tum ceterarum provinciarum, in quibus æquè ac in Longobardia & Aquitania regnabat, mentionem fecit, reſervatâ ſibi libertate prænomitatos filios natu majores, quando & quibus in regionibus vellet, Reges & appellandi & conſtituendi; idque poſteà clariſſimè patuit, ſeu Carolum anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo Regem Neuſtriæ dixit, Pippino Seniori nullâ Regni parte contraditâ; ſeu Carolo, Pippino Juniori, & Ludovico, Regnum tres in partes æqualiter diſtinctum anno Redemptoris octingenteſimo ſexto diſtribuit, Pippino Seniore, qui res novas molitus fuerat, in Monaſterium ab annis tredecim jam detruſo. Secunda ditionum partitio, quam Ludovicus Auguſtus inter filios hoc anno fecit, apud Nithardum nec rectâ nititur Chronologiâ, nec quibus oportet limitibus circumſcribitur. Hic Auctor, poſtquàm Bernardum Italiæ Regem excæcatum ac præ mœrore mortuum, fratréſque Ludovici Auguſti, Drogonem, Hugonem, & Theodoricum, tonſos ſcripſit, hæc proximè ſubjungit. *Lodhuwicus filios ſuos juſto matrimonio junxit, & univerſum Imperium inter eos ita diviſit, ut Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuwicus autem Bajoariam, Lodharius verò poſt diſceſſum ejus univerſum Imperium haberet, cui & unà ſecum Imperatoris nomen habere conceſſit.* Multiplices circa Chronologiam errores adverte. Generalis Francorum Conventus, in quo Ludovicus Lotharium filium natu maximum in conſortium Imperatoriæ Dignitatis adſcivit, Pippinum alterum filium Regem Aquitaniæ confirmavit, & Ludovicum filium natu minimum Regem Bojoariæ præfecit, habitus eſt hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-ſeptimo, ut veteres Annaliſtæ, quos ſuprà citavimus, unanimi conſenſu teſtantur. Celebratus eſt igitur Bernardo Italiæ Rege in vivis ſuperſtite, fratribus Ludovici Auguſti nondum detonſis, ejuſdémque Ludovici filiis necdum matrimonio junctis. Oculos enim ac vitam amiſit Bernardus anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, eodémque anno capillos fratribus ſuis abſcindi præcepit Imperator. Seriùs uxores ſibi ſociarunt ejuſdem Imperatoris filii, Lotharius anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo, Pippinus anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, Ludovicus aliquot pòſt annis, erat enim fratribus ſuis junior, & annum ætatis undecimum adhuc agebat, cùm Bojoariæ Rex à patre conſtitutus eſt. Hæc accuratè ſuis probabuntur locis. Quod attinet ad Regni vel Imperii partitionem, Ludovicus Auguſtus, ut oſtenſum eſt ſuprà, nec Nithardus diffitetur, Imperatorium Titulum Lothario, Aquitaniam Pippino, Ludovico Bojoariam hoc anno conceſſit. Ergo nec *univerſum Imperium* inter filios *diviſit*, nec illud *inter eos ita diviſit, ut Lodharius poſt diſceſſum ejus univerſum Imperium haberet.* Ut hæ duæ res tibi clariores fiant,

Digitized by Google

obſerva Imperium, quod eſt penes Ludovicum ac penes Carolum patrem fuit, non in ditionibus verſari quæ dividi poſſint, ſed totum conſiſtere in ſolo Imperatoris Nomine quod dividi nequit. Nithardus Imperium non uſurpat in hac ſignificatione, ſed illud accipit abuſivè pro Regno Ludovici, quod cis & ultra Rhenum tránſque Pyrenæum montem complures ampliſſimáſque provincias complectitur. At in hac acceptione nec verè poteſt aſſeri, quòd Ludovicus *univerſum Imperium* inter filios ſuos diviſerit, multóque minùs, quòd illud *inter eos ita* diviſerit, ut *Lodharius poſt diſceſſum ejus univerſum Imperium* habiturus eſſet. E ſpatioſiſſimo enim Regno, quod Ortum versùs Viſtulâ fluvio, versùs Occaſum Oceano, Septentrionem versùs Egidorâ flumine & mari Baltico, versùs Meridiem Alpibus mari mediterraneo & Rubricato amne claudebatur, Aquitaniam duntaxat ac Bojoariam paulò latiùs ſumptas diviſit inter filios ſuos Pippinum & Ludovicum, quorum unum Aquitaniæ, alterum Bojoariæ Regem appellavit; de ceteris verò provinciis nihil omnino ſtatuit, ne vico quidem, qui Lothario in conſortium Imperii vocato pareret, ſpeciatim aſſignato. Theganus Nithardum in errorem videtur adduxiſſe, de Ludovico enim Auguſto ejúſque filiis ita ſcripſit [a]. *Imperator denominavit filium ſuum Lotharium, ut poſt obitum ſuum omnia Regna, quæ ei tradidit Deus per manus patris ſui, ſuſciperet, atque haberet nomen & Imperium patris, & ob hoc ceteri filii indignati ſunt.* At in Aquiſgranenſi Conventu nec Ludovicus Imperator Lotharium filium natu maximum hæredem ex aſſe dixit, nec *ceteri filii* Pippinus & Ludovicus ob res ibi geſtas indignati leguntur. Indignatus eſt autem plurimùm frater eorum patruelis Bernardus Rex Italiæ, poſtquàm Imperatorium titulum Lothario collatum reſcivit. Erant Bernardus & Lotharius Caroli Magni nepotes, ille per Pippinum, hic per Ludovicum; & quia Pippinus Ludovici frater fuerat natu major, Bernardus Lotharium ejuſdem Ludovici filium ſibi prælatum querebatur. Ortum inde Ludovicum inter ac Bernardum grave diſſidium, quod ut exitiale Bernardo, ſic & Ludovico luctuoſum fuit. Utrumque patebit infrà, teſte quoque Thegano [b].

[a] Cap. 21.

[b] Capp. 22. 23.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Quàm maturo Ludovicus conſilio ſit uſus in conſtituendo Imperatore Lothario, docet Chronographus Moiſſiacenſis narratione ſatis prolixâ, novúmque Lotharii decus Bernardo cauſæ novandarum rerum fuiſſe non diſſimulat. *Anno* DCCCXVII. *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Paſcha. Et in ipſa æſtate juſſit eſſe ibi Conventum populi de omni Regno vel Imperio ſuo apud Aquis Sedem Regiam, id eſt, Epiſcopos, Abbates, ſive Comites, & Majores natu Francorum. Et manifeſtavit eis myſterium conſilii ſui, quod cogitaverat, ut conſtitueret unum de filiis ſuis Imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Hermengarda Regina. Nomen uni Clotarius, nomen ſecundi Pipinus, & nomen tertii Ludovicus. Tunc omni populo placuit, ut ipſe, ſe vivente, conſtitueret unum ex filiis ſuis imperare, ſicut Karolus pater ejus fecerat ipſum. Tunc tribus diebus jejunatum eſt ab omni populo, ac Letaniæ factæ. Poſt hoc jamdictus Imperator Clotarium* ſeu Lotharium, *qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus. VIVAT IMPERATOR CLOTARIUS. Facta eſt autem latitia magna in populo die illo. Et ipſe Imperator benedixit Dominum, dicens.* [*Benedictus es Dominus Deus noſter, qui dediſti hodie ex ſemine meo conſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.*] *Audiens autem Barnardus filius Pipini Regis Rex Italiæ quod factum erat, cogitavit conſilium peſſimum, voluítque in Imperatorem & in filios ſuos inſurgere, & per tyrannidem Imperium uſurpare.* Ab hoc Auctore, in rebus, quæ ſpectant ad Imperatoris titulum Lothario delatum, non diſſentit epiſtola, quâ Ludovicum Auguſtum Agobardus Archiepiſcopus ita compellavit. *In illo tempore, quando filium veſtrum participem nominis veſtri facere curaſtis, ita in publicum veſtrum interrogando hoc inchoaſtis, dicentes. Quod ad ſtabilimentum Regni pertinet, & ad robur regiminis, debet homo differre an non?*

CCCXXIV.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Cùmque omnes respondissent, quod utile & necessarium est, non esse differendùm, sed potiùs accelerandum; statim vos, quod cum paucissimis tractaveratis, omnibus aperuistis, & dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta est mors, ut, dum valeretis, nomen Imperatoris uni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam injunxistis, ut facerent omnes jejunium triduanum, offerrent Sacerdotes sacrificia Omnipotenti Deo, qui suavis & mitis & multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se; fieret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior, ut Omnipotens Deus, qui summâ benignitate regit corda in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, & non sineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfeciſtis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide & spe, ut hoc à Deo vobis infusum & inspiratum nemo dubitaret. Lotharium III *Kal. Augusti* dictum Imperatorem testatur Auctor ineditus Annalium Anianensium, ut Stephanus Baluzius ad illum Agobardi textum observavit. Nec ab isto calculo recedit, qui Conventum Aquisgranensem *in ipsa æstate* celebratum scribit Chronographus Moissiacensis jam laudatus. Mensem quoque Julium exhibet quæ nuper edita est Ludoviciani pseudo-diplomatis hæc Præfatio.

CCCXXXV. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cùm nos in Dei Nomine, anno Incarnationis Domini octingentesimo septimo-decimo, Indictione decimâ, annóque Imperii nostri quarto, mense Julio, Aquisgrani Palatio nostro, more solito, sacrum Conventum & generalitatem populi nostri propter Ecclesiasticas vel totius Imperii nostri utilitates pertractandas congregassemus, & in his studeremus, subitò divinâ inspiratione actum est, ut nos fideles nostri commonerent, quatenus manente nostrâ incolumitate, & pace undique à Deo concessâ, de statu totius Regni & de filiorum nostrorum causa, more parentum nostrorum, tractaremus. Sed quamvis hæc admonitio devotè ac fideliter fieret, nequaquam nobis, nec his, qui sanum sapiunt, visum fuit ut amore filiorum aut gratiâ unitas Imperii à Deo nobis conservati divisione humanâ scinderetur, ne fortè hac occasione scandalum in Sancta Ecclesia oriretur, & offensam illius, in cujus potestate omnium jura Regnorum consistunt, incurreremus. Idcircò necessarium duximus, ut jejuniis & orationibus & eleemosynarum largitionibus apud illum obtineremus quod nostra infirmitas non præsumebat. Quibus ritè per triduum celebratis, nutu Omnipotentis Dei, ut credimus, actum est ut & nostra & totius populi nostri in dilecti primogeniti nostri Hlotharii electione vota concurrerent. Itaque taliter divinâ dispensatione manifestatum placuit & nobis & omni populo nostro more solenni Imperiali Diademate coronatum nobis & consortem & successorem Imperii, si Dominus voluerit, communi voto constitui. Ceteros verò fratres ejus, Pippinum videlicet & Hlodowicum æquivocum nostrum, communi consilio placuit Regiis insigniri nominibus, & loca inferiùs denominata constituere, in quibus post decessum nostrum sub seniore fratre Regali potestate potiantur juxta inferiùs adnotata Capitula, quibus, quam inter eos constituimus, conditio continetur. Quæ Capitula, propter utilitatem Imperii & perpetuam inter eos pacem conservandam & totius Ecclesiæ tutamen, cum omnibus fidelibus nostris considerare placuit, & considerata conscribere, & conscripta propriis manibus firmare, ut, Deo opem ferente, sicut ab omnibus communi voto actum est, ita communi devotione à cunctis inviolabiliter conserventur ad illorum & totius populi Christiani perpetuam pacem. Salvâ in omnibus nostrâ Imperiali potestate super filios & populum nostrum cum omni subjectione, quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur.*

[b] Tom. 1. Capitular.

Hanc Præfationem subjectáque duodeviginti Capitula Stephanus Baluzius [b] ex Codice manuscripto nuperrimè publicavit, sed & Præfationis & Capitulorum auctoritatem res elevant haud paucæ, quæ nec tempori conveniunt, nec Ludovico Augusto in mentem venisse creduntur.

CCCXXXVI. In Præfatione notatur annus Redemptoris octingentesimus decimus-septimus, isque Character ætatem Ludovico Pio recentiorem procul dubio sapit.

Deinde Regnum & Imperium promiſcuè ſumpta non placent, plurimùm enim inter ſe differunt. Imperium in Imperiali Nomine ſive Imperatoria Dignitate totum conſiſtit, Regnum verò ditiones omnes Ludovici complectitur, ideóque non ſemel Imperii loco Regnum in ipſa Præfatione reſtitui debet. Ludovicus ſe commonitum dicit, ut *de ſtatu totius Regni & de filiorum ſuorum cauſa* ſive de Regno inter filios dividendo, *more parentum ſuorum*, id eſt, avi Pippini & Caroli patris exemplo, tractet. Ergo ſeu Conventum *propter totius Imperii utilitates pertractandas* congregat, ſeu veretur ne *unitas Imperii diviſione humanâ* ſcindatur, non *Imperii* ſed *Regni* cùm utilitates tum unitatem attendit. Illius enim Imperium caret dominio, cujus vel utilitas perpendi vel partitio fieri queat. Eſt autem alia ratio Regni, cujus utilitates ac partes in Francorum Conventu pertractari poſſunt.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. LUDOV. R. 1. CCCXXXVII.

In eadem Præfatione multa de Regnis Pippini ac Ludovici circumferuntur haud probabilia. Ludovicus Auguſtus, poſtquàm Lotharium filium natu maximum conſortem Imperii ſeu Nominis Imperialis fecit, de Pippino & Ludovico junioribus filiis ita loquitur. *Ceteros verò fratres ejus, Pippinum videlicet & Hludowicum æquivocum noſtrum, communi conſilio placuit Regiis inſigniri nominibus, & loca inferiùs denominata conſtituere, in quibus poſt deceſſum noſtrum ſub ſeniore fratre Regali poteſtate potiantur juxta inferiùs adnotata Capitula, quibus, quam inter eos conſtituimus, conditio continetur.* Hæc ſi vera ſunt, Ludovicus Auguſtus ab avo Pippino & patre Carolo, quorum exempla ſibi propoſuit imitanda, multùm deflexit. Anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo, Pippinus, ut Auctor Geſtorum ſcribit [a], *Regnum Francorum, quod ipſe tenuerat, æquali ſorte inter filios ſuos Carolum & Carolomannum, dum adhuc ipſe viveret, inter eos diviſit.* Anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, Carolus Regnum pro filiis ſuis, Carolo, Pippino ac Ludovico, tres in partes æqualiter ſeparavit, ut patet ex ipſius diviſionis ſeu partitionis Charta, quam ad illum annum ſuprà deſcripſimus. Utrobique Regnum æquales in partes diſtinguitur, fratrique ſeniori nihil omnino juris attribuitur in fratrem vel in fratres natu minores, neque enim in Pippini Teſtamento Carolomannus ſub ſeniore fratre Carolo, vel in ejuſdem Caroli Teſtamento Pippinus ac Ludovicus ſub ſeniore fratre Carolo Reges deſignantur futuri. Reges igitur Pippinum ac Ludovicum in generali Francorum Conventu nominatos eſſe, qui poſt patrem ſub ſeniore fratre Lothario Regiam poteſtatem in ſuis Regnis exercerent, haud perſuaſum habemus. Lotharius poſt Ludovici patris obitum, ſi ſuperſtes fuerit in vivis, duplici quidem Imperatoris ac Regis Titulo gaudebit, at neutro quidquam juris in ſuos obtinebit fratres aut in illorum Regna. Ludovicus Secundus Imperator ejuſdem Lotharii filius exprobrante poſteà Baſilio Imperatore Conſtantinopolitano, quòd in tota non imperaret Francia, nullam ſibi propter Imperatoris nomen auctoritatem in alios Francorum Reges arrogavit, ſed arctiſſimam inter ſe atque illos amicitiam concordiámque ſic commendavit in reſponſoriis ad eundem Baſilium literis. *Porrò de eo quod dicis non in tota nos Francia imperare, accipe, frater, breve reſponſum. In tota nempe imperamus Francia, quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro & ſanguis ſumus, & unus per Dominum ſpiritus.* Stante Meroveadarum familiâ paternum inter ſe Regnum multi non rarò partiti ſunt fratres, at numquam contigit, ut cuipiam illorum Regum ceteri vel horum filii ſubeſſent. Pippinus quoque, qui primus ex altera ſtirpe regnavit, cùm duos relinqueret filios, neutrum alteri ſubjectum eſſe voluit. Carolus Pippini patris exemplum ſecutus eſt, Regnum ſuum tribus filiis diviſit, nec ullum ex illis elegit, ſub quo ceteri regnaturi eſſent. Avi Pippini patriſque Caroli teſtamentariis tabulis quidpiam adeò contrarium à Ludovico Pio conſtitutum fuiſſe non exiſtimamus.

CCCXXXVIII.

[a] Vid. Tom. 5. ad an. 768. n. 8.

Eâdem cenſurâ, quâ Pippino & Ludovico Regalem *ſub ſeniore fratre* Lothario poteſtatem, qualem textus prædictæ Præfationis exhibet, attributam

CCCXXXIX.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. I. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. I.

inficiamur, rejicimus & Capitula non pauca eidem Præfationi ſubjecta, *quibus conditio continetur*, quam Ludovicus Auguſtus inter filios ſuos conſtituiſſe fertur. Capitula numero ſunt octodecim. Quartum, ſeptimum, octavum, decimum, decimum-tertium, decimum-quintum, & decimum-ſextum reſpuimus, quia Pippinum & Ludovicum juniores fratres ſeniori fratri Lothario multis inauditiſque modis ſummittunt. Ludovicus Imperator in quarto Capitulo decernit, ut Pippinus & Ludovicus *ſemel in anno, vel ſimul vel ſingillatim, juxta quod rerum conditio permiſerit, ad ſeniorem fratrem cum donis ſuis veniant. Et, ſi fortè aliquis illorum qualibet inevitabili neceſſitate impeditus venire tempore ſolito & opportuno nequiverit, hoc ſeniori fratri* Lothario *Legatos & dona mittendo ſignificet; ita duntaxat, ut cùm primùm poſſibilitas congruo tempore adfuerit, venire qualibet cavillatione non diſſimulet.* In ſeptimo, *ut nec pacem facere, nec bellum contra exteras &* Francis *inimicas nationes abſque conſilio & conſenſu* Lotharii *ſenioris fratris ullatenus ſuſcipere præſumant.* In octavo, ut Legatis, *ſi ab exteris nationibus vel propter pacem faciendam, vel bellum ſuſcipiendum, vel civitates aut caſtella tradenda, vel propter alias quaſlibet majores cauſas directi fuerint, nullatenus ſine ſenioris fratris* Lotharii *conſcientia reſpondeant, vel eos remittant. Si autem ad illum de quacumque parte Miſſi directi fuerint; ad quemlibet illorum primò pervenerint, honorificè eos cum fidelibus Miſſis uſque ad ejus præſentiam faciat pervenire.* Et *quomodocumque ſe res in confinibus eorum habuerint, ſemper ad ſenioris fratris notitiam perferre non negligant, ut ille ſemper ſollicitus & paratus inveniatur ad quacumque neceſſitas & utilitas Regni poſtulaverit.* In decimo, *ut ſi aliquis illorum aut diviſor aut oppreſſor Eccleſiarum vel pauperum extiterit, aut tyrannidem exercuerit, primò ſecretò ſecundùm Domini præceptum per fideles Legatos ſemel, bis, & ter, de ſua emendatione commoneatur, ut, ſi his reniſus fuerit, accerſitus à fratre* Lothario *coram altero fratre paterno & fraterno amore moneatur & caſtigetur.* In decimo-tertio, *ut, ſi alicui illorum* poſt patris deceſſum *tempus nubendi venerit, cum conſilio & conſenſu* Lotharii *ſenioris fratris uxorem ducat.* In decimo-quinto, *ut, ſi abſque legitimis liberis aliquis eorum deceſſerit, poteſtas illius ad ſeniorem fratrem* Lotharium *revertatur.* In decimo-ſexto, *ut ſi alicui illorum contigerit,* patre decedente, *ad annos legitimos juxta Ribuariam legem nondum perveniſſe, donec ad præfinitum annorum terminum veniat, à ſeniore fratre* Lothario *& ipſe & Regnum ejus procuretur atque gubernetur.* Hæ conditiones Pippino ac Ludovico numquam impoſitæ videntur.

CCCXL. Capitula, quæ Præfationi ſubjiciuntur, in eadem Præfatione *propter utilitatem Imperii & perpetuam inter eos,* id eſt, inter Lotharium, Pippinum ac Ludovicum, Ludovici Auguſti filios, *pacem conſervandam, & totius Eccleſiæ tutamen,* dicuntur *conſiderata, conſcripta & firmata.* In illo textu ad Capitulorum commendationem tria hæc proponuntur, utilitas Imperii, pax inter fratres perpetuò conſervanda, & tuitio totius Eccleſiæ. Imperium perperam ponitur pro Regno, non enim Imperium Ludovici quod in ſolo titulo conſiſtit, ſed Regnum quod in Gallia, in Hiſpania, & in Germania, plurimas ampliſſimáſque complectitur provincias, tres in partes pro tribus ejuſdem Ludovici filiis diſtinguitur. Ludovicus utilitatem Regni conſideraſſet, ſi poſtremorum Meroveadarum exemplo totum Regnum uni filiorum ſuorum reliquiſſet. Paci verò ſtuduiſſet inter eoſdem filios conſervandæ, ſi Regnum tres in partes diviſiſſet æqualiter, & ſecundùm Caroli patris induſtriam ſingulas portiones ſingulis filiis diſtribuiſſet ita diſpoſitas, ut quilibet eorum, ſi res poſceret, fratres juvare poſſet. Nec dubium, quin mutuam inter filios ſuos pacem fovendo, conſuluiſſet etiam totius Eccleſiæ tuitioni, quam civilia Francorum bella, ſi fortè concitarentur, plurimùm eſſent impeditura. Nihil autem horum præſtitiſſe fertur. In Charta, de qua loquimur, Lothario filio, quem duobus aliis anteponit, nec univerſum Regnum inſtar Meroveadarum, qui poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum regnarunt, nec

tertiam Regni partem inſtar Caroli patris concedit. Imò Regnum partitur inæqualiter, & portiones adeò malè diſtinguit, ut nec Pippinus Ludovico fratri nec Pippino fratri Ludovicus eſſe poſſit auxilio. Partem ceteris multò ſpatioſiorem ac mediam inter illas Lothario largitur, ut viribus præpolleat, & neuter fratrum valeat adversùs eum fratri propter locorum diſtantiam ſuppetias ferre. Seminandis inter fratres diſſenſionibus hæ potiùs conditiones quàm paci firmandæ conducunt. Addequòd plurimùm refragantur coætaneis Auctoribus, quorum teſtimonio conſtat hoc anno Aquitaniam Pippino, Bojoariam Ludovico conceſſam eſſe; de ceteris verò Regni partibus à Ludovico Auguſto illorum patre nihil ſtatutum fuiſſe.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. CCCXLI.

Clauſula Præfationis hoc refertur modo. *Salvâ*, inquit Ludovicus, *in omnibus noſtrâ Imperiali poteſtate ſuper filios & populum noſtrum cum omni ſubjectione, quæ patri à filiis & Imperatori ac Regi à ſuis populis exhibetur.* Initium vitio non caret, rectiúſque ſic edi potuit. *Salvâ in omnibus noſtrâ Imperiali ac Regali poteſtate*, &c. Ludovicus enim in eadem periodo, cùm loquitur de ſubjectione, quæ ſibi exhibetur à populis, eam non Imperatori tantùm ſed *Imperatori ac Regi* teſtatur exhiberi. Prætereà in Carolini Teſtamenti clauſula, quam profectò conſuluit qui Ludovicianam Chartam concinnavit, mentio fit Regni atque Imperii, dominatûs Regalis atque Imperialis necnon & ſubjectionis quæ Imperatori ac Regi à populis exhibetur. Sic enim Carolus ſuum abſolvit Diploma. *Hæc autem omnia ita diſpoſuimus, atque ex ordine firmare decrevimus, ut, quamdiu divinæ Majeſtati placuerit, nos hanc corporalem agere vitam, poteſtas noſtra ſit ſuper à Deo conſervatum Regnum atque Imperium iſtud, ſicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione, & omni dominatu Regali atque Imperiali, & ut obedientes habeamus prædictos filios noſtros atque Deo amabilem populum noſtrum, cum omni ſubjectione, quæ patri à filiis, & Imperatori ac Regi à ſuis populis exhibetur.* Ut huic obſervationi ſua ſtet auctoritas, memento nomina Imperii & Imperatoris, quæ per Occidentales provincias à multis ſeculis non audiebantur, in Carolo Magno renovata eſſe, atque ut ab eo ad Ludovicum filium, ſic & ab hoc ad Lotharium tranſlata, nec illos Imperatores ob Imperialem dignitatem vel uno potitos eſſe pago. Quapropter ubi populos Carolo vel Ludovico ſubjectos audis, Imperatorium in illis nomen, cui ne vicus quidem ſubeſt, haud attende, ſed Regiam dignitatem, cui vel omnis Francia vel Franciæ pars magna ſubjacet, exhibétque ſubjectionem. Hæc adhuc clariùs patebunt in Lothario ejúſque filio Ludovico Secundo Imperatoribus, quorum ille tertiam Franciæ partem ex pacto cum fratribus inito, hic tertiæ partis tertiam duntaxat partem poſt patris obitum poſſidebit.

Præfationi ſuprà deſcriptæ ſubjiciuntur octodecim quæ ſequuntur Capitula. CCCXLII.

Cap. 1. Volumus, ut Pippinus habeat Aquitaniam, & Waſconiam, & Marcham Toloſanam totam, & inſuper Comitatus quatuor, id eſt, in Septimania Carcaſſenſem, & in Burgundia Auguſtudunenſem & Avalenſem & Nivernenſem. CCCXLIII. Hic Pippinus, alter Ludovi Auguſti filius, ante triennium à patre Rex Aquitaniæ conſtitutus, in eodem confirmatur Regno, cui præter tres Aquitanias, quarum ultima nomine Waſconiæ ſeu Novempopulaniæ comprehenditur, Marcha Toloſana ſeu pagus Toloſanus attribuitur cum quatuor Comitatibus, partim in Septimania, partim in Burgundia, pertinet enim ad Septimaniam Comitatus Carcaſſenſis, cujus caput Carcaſſo civitas Epiſcopalis, ad Burgundiam verò tres alii Comitatus, Auguſtodunenſis cujus caput Auguſtodunum civitas Epiſcopalis, Avalenſis cujus caput Avalo in Diœceſi Auguſtodunenſi, Nivernenſis cujus caput Nivernum civitas Epiſcopalis. At multò probabilius eſt, ut quondam Ludovico patri, ſic & Pippino integram ceſſiſſe Septimaniam cum ditionibus Francorum intra fines Hiſpaniæ ſitis. Nec id revocabit in dubium, quiſquis attentè legerit primum Ludovici Auguſti Præceptum anno Redemptoris octingenteſimo de-

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

cimo-quinto datum pro Chriſtianis, qui, ne diutiùs in Hiſpania ſub Saracenorum jugo gemerent, in Franciam ſive in Septimaniam & in eam Hiſpaniæ partem quæ eis Rubricatum ad Francos acceſſerat, relicto natali ſolo confugerant. In illo enim Diplomate loquitur de Miſſis filii ſui, nec alium è ſuis filiis intelligit præter Pippinum Aquitaniæ Regem, quem Septimaniæ quoque & ditionibus Francorum inter Pyrenæos montes & Rubricatum amnem in Hiſpania poſitis Regem exeunte anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto præfecit ſub eodem Regis Aquitaniæ Titulo. Textus Ludoviciani Præcepti talis eſt. *Sicut nullius veſtrûm notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum jugum, quod eorum cervicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Sarracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hæreditario jure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania atque in ea portione Hiſpaniæ quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit, ſeſe ad habitandum contulerunt, & à Sarracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes, noſtro dominio liberâ & promptâ voluntate ſe ſubdiderunt, ita ad omnium veſtrum notitiam pervenire volumus, quòd eoſdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſervare decrevimus, eo videlicet modo, ut ſicut ceteri liberi homines cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in Marcha noſtra juxta rationabilem ejuſdem Comitis ordinationem atque admonitionem exploraciones & excubias, quod uſitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant, & Miſſis noſtris aut filii noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut Legatis, qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubvectionem eorum veredas donent.*

CCCXLIV. *II. Item Hludouvicus volumus ut habeat Bajoariam, & Carentanos, & Beheimos, & Avaros, atque Sclavos qui ab Orientali parte Bajoariæ ſunt, & inſuper duas villas Dominicales ad ſuum ſervitium in pago Nortgaoe Luttraof & Ingoldeſtat.* Hic Ludovicus, Ludovici Auguſti filius natu minimus, à patre Rex primùm conſtituitur, & à præcipua Regni parte Rex Bojoariæ dictus invenitur. Præter Bojoariam autem circumjacentes obtinet provincias Carentanorum, Bohemorum, Avarorum ſive Hunorum, necnon & Sclavorum ad ortum Bojoariæ conſiſtentium. Cur hæ ſpeciatim addantur villæ, *Luttraof & Ingoldeſtat, in pago Nortgaoe*, ratio vix ſuppetit. In Teſtamento enim Carolino, quod anno Redemptoris octingenteſimo ſexto conditum fuit, pagus ille *Nortgaoe*, ſeu *Northgouve* vel *Northgow*, pars eſt Bojoariæ, villæque *Luttraof* ſive *Lutrahaof* & *Ingoldeſtat* eidem Bojoariæ attribuuntur. Carolus inter alia Pippino filio dat *Bajoariam, ſicut Taſilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina ſunt Ingoldeſtat & Lutrahahof, & pertinent ad pagum qui dicitur Northgouve*; deinde Carolo ſuo quoque filio concedit inter alia *partem Bajoariæ quæ dicitur Northgow.*

CCCXLV. *III. Volumus ut hi duo fratres, qui Regis nomine cenſentur, in cunctis honoribus intra ſuam poteſtatem diſtribuendis propriâ poteſtate potiantur; tantùm ut in Epiſcopatibus & Abbatiis Eccleſiaſticus ordo teneatur, & in ceteris honoribus dandis honeſtas & utilitas ſervetur.*

CCCXLVI. *IV. Item volumus, ut ſemel in anno, tempore opportuno, vel ſimul vel ſingillatim, juxta quod rerum conditio permiſerit, viſitandi & videndi, & de his, quæ neceſſaria ſunt, & quæ ad communem utilitatem vel ad perpetuam pacem pertinent, mutuo fraterno amore tractandi gratiâ ad ſeniorem fratrem cum donis ſuis veniant. Et, ſi fortè aliquis illorum qualibet inevitabili neceſſitate impeditus venire tempore ſolito & opportuno nequiverit, hoc ſeniori fratri Legatos & dona mittendo ſignificet, ita duntaxat, ut cùm primùm poſſibilitas congruo tempore adfuerit, venire qualibet cavillatione non diſſimulet.* Quid illo de Capitulo ſentiamus, jam inſinuavimus ſuprà.

CCCXLVII. *V. Volumus atque monemus, ut ſenior frater quando ad eum aut unus aut ambo fratres ſui cum donis, ſicut prædictum eſt, venerint, ſicut ei major poteſtas Deo annuente*

annuente fuerit attributa, ita & ipſe illos pio fraternóque amore largiori dono remuneret. Certè cùm Ludovicus Auguſtus in hac Charta Pippino alteri filio ſolam concedat Aquitaniam cum pago Toloſano quatuórque Comitatibus, Carcaſſonenſi, Nivernenſi, Avalenſi & Auguſtodunenſi; Ludovico filio natu minimo nihil extra Bojoariam, Carantaniam, Bohemiam, Huniam, & Orientalem Slaviam Bojoariæ conterminam largiatur; ceteras verò Francorum ditiones, Saxoniam, Turingiam, Auſtriam, Sueviam, Alſatiam, Friſiam, Neuſtriam, Burgundiam exceptis Comitatibus Auguſtodunenſi, Avalenſi & Nivernenſi, Provinciam, Septimaniam excepto Comitatu Carcaſſonenſi, partémque non modicam citerioris Hiſpaniæ à Septimaniæ finibus ad Rubricatum uſque fluvium, Lothario primogenito filio relinquat; huic *major* quàm fratribus *poteſtas* attribuitur, ab Ortu ad Occaſum ſive ab ultimis Saxoniæ Turingiæque finibus ad inferiores uſque partes Armoricæ, necnon à Meridie ad Septentrionem ſive à mari mediterraneo & Rubricato flumine ad mare uſque Balticum & amnem Egidoram. Hæc autem ditio, quantumvis ſpatioſa, pars eſt Franciæ Lotharióque non tanquam Imperatori ſed tanquam Regi Francorum à patre conceditur. Atque ut id magis credas, per anteceſſum obſerva tres Lothario filios fore, quibus tertiam Franciæ partem, quam tunc poſſidebit, tres in partes æqualiter dividet, partitione propter hanc potiſſimùm cauſam memorabili, quòd Ludovicus natu maximus Imperator à patre conſtituetur, & è Francorum Regno tertiam tantùm partem tertiæ partis obtinebit, nec in illam tertiam partem tertiæ partis cadet quidquam ex ampliſſima portione Lothario patri per Chartam, in quam inquirimus, falsò contráque coætaneorum Auctorum ſuprà deſcriptorum fidem attributa.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

VI. Volumus atque jubemus, ut ſenior frater junioribus fratribus ſuis, quando contra exteras nationes auxilium ſibi ferre rationabiliter expetiverint, juxta quod ratio dictaverit, & temporis opportunitas permiſerit, vel per ſeipſum vel per fideles Miſſos & exercitus ſuos opportunum eis auxilium ferat. CCCXLVIII.

VII. Item volumus, ut nec pacem facere nec bellum contra exteras & huic à Deo conſervato Imperio inimicas nationes abſque conſilio & conſenſu ſenioris fratris ullatenus ſuſcipere præſumant. Impetum verò hoſtium ſubitò inſurgentium vel repentinas incurſiones juxta vires per ſe repellere ſtudeant. In hoc Capitulo, ut in aliis pleriſque locis hujus Diplomatis, Imperium pro Regno ponitur. Ditiones, quas Ludovicus Auguſtus ſub ſua tenet poteſtate, factâque partitione ſuos inter filios dividit, nec Imperium conſtituunt, nec in plura diſtinguuntur Imperia, ſed ſub eodem Ludovico, quantæcumque ſunt, ut Longobardia ſub Bernardo Rege, partem Francici Regni componunt, quod adhuc plures in partes ſeparari poteſt, ſeparabitúrque poſt obitum Lotharii Auguſti, quando tres ejus filii, Ludovicus, Lotharius, & Carolus, cum duobus ſuis patruis Ludovico & Carolo regnabunt. Ex illis quinque Regibus Francorum qui nomen Imperatoris geret Ludovicus Lotharii Auguſti filius natu maximus, is è Francorum Regno tertiam duntaxat partem tertiæ partis in Italia ſitam poſſidebit aviti Regni partitione cum patruis ac fratribus initâ. Dura nobis in Capitulo proximè deſcripto videtur hæc conditio, ut Pippinus & Ludovicus nec pacem facere nec bellum ſuſcipere præſumant *abſque conſilio & conſenſu ſenioris fratris* Lotharii. CCCXLIX.

VIII. De Legatis verò, ſi ab exteris nationibus vel propter pacem faciendam vel bellum ſuſcipiendum, vel civitates aut caſtella tradenda, vel propter alias quaſlibet majores cauſas directi fuerint, nullatenus ſine ſenioris fratris conſcientia eis reſpondeant, vel eos remittant. Si autem ad illum de quacumque parte Miſſi directi fuerint; ad quemlibet illorum primò pervenerint, honorificè eos cum fidelibus Miſſis uſque ad ejus præſentiam faciat pervenire. De levioribus ſanè cauſis juxta qualitatem Legationis per ſe reſpondeant. Illud tamen monemus, ut quomodocumque ſe res in confinibus eorum habuerint, ſemper ad ſenioris fratris notitiam per- CCCL.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

ferre non negligant, ut ille ſemper ſollicitus & paratus inveniatur ad quæcumque neceſſitas & utilitas Regni poſtulaverit. Duriores quoque ſunt hujus Capituli conditiones, quàm ut Pippino & Ludovico junioribus filiis à Ludovico Auguſto patre cenſeantur impoſitæ. Regnum Francorum in duas pluréſque partes ſæpè diſtinctum fuit. Nullum tamen in antiquis Auctoribus veſtigium partitionis ſupereſt his factæ legibus, ut qui Regiæ ſtirpis princeps eſt, is exterarum gentium Legatis ſolus de pace, de bello, déque majoribus cauſis reſpondeat, & à junioribus ſuis fratribus agnatíſque, quibuſcum regnat, diligenter admoneatur, quonam ſint in ſtatu fines provinciarum, quas ſub ſua tenent poteſtate, quaſi poſitus in Franciæ ſpecula proſpiciat, ne quid detrimenti capiat Francorum Regnum inter fratres agnatóſque quantumlibet diviſum, *ſempérque ſollicitus ac paratus inveniatur, ad quæcumque neceſſitas & utilitas Regni*, id eſt, Franciæ quamvis in plura Regna ſeparatæ, *poſtulaverit.* Huic profectò Regi, licèt familiæ totius principi, atque etiam Caroli darum ætate dicto Imperatori, nihil omnino juris atque auctoritatis fuit in juniorum fratrum agnatorúmque Regna.

CCCLI. *IX. Præcipiendum etiam nobis videtur, ut poſt deceſſum noſtrum uniuſcujuſque vaſallus tantùm in poteſtate Domini ſui beneficium propter diſcordias evitandas habeat, & non in alterius. Proprium autem ſuum & hæreditatem, ubicunque fuerit, ſalvâ juſtitiâ cum honore & ſecuritate ſecundùm ſuam Legem unuſquiſque abſque juſta inquietudine poſſideat, & licentiam habeat unuſquiſque liber homo, qui ſeniorem non habuerit, cuicunque ex his tribus fratribus voluerit ſe commendandi.* Huic Capitulo ſimilia ſunt in Teſtamento Carolino quartum & quintum, quæ ſuperiùs ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum deſcripſimus. Quartum, ſic. *Præcipiendum nobis videtur, ut poſt noſtrum ab hac mortalitate diſceſſum homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia unuſquiſque in Regno domini ſui, & non in alterius, ne fortè per hoc, ſi aliter fuerit, ſcandalum aliquod accidere poſſit. Hæreditatem autem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradictione, in quocunque Regno hoc eum legitimè habere contigerit.* Quintum, ſic. *Et unuſquiſque liber homo poſt mortem domini ſui licentiam habeat ſe commendandi inter hæc tria Regna ad quodcumque voluerit, ſimiliter & ille qui nondum alicui eſt commendatus.* Ex his Capitulis conſtat, Franciam à Carolo pro totidem filiis in tria diſtingui Regna, ſive in treſ partes, quarum unaquæque Regnum conſtituit, & peculiarem habet Regem, qui ſupremâ, ut Regi convenit, potitur auctoritate, nec à fratre fratribúſve in adminiſtrandis Regni ſui negotiis ullatenus dependet. Eodem jure gaviſos in ſuis Regnis arbitrare Pippinum & Ludovicum, quos Ludovicus patet hoc anno Reges appellavit parte Franciæ inter eos diviſâ.

CCCLII. *X. Si autem, & quod Deus avertat, & quod minimè optamus, evenerit, ut aliquis illorum propter cupiditatem rerum terrenarum, quæ eſt radix omnium malorum, aut diviſor aut oppreſſor Eccleſiarum vel pauperum extiterit, aut tyrannidem, in qua omnis crudelitas conſiſtit, exercuerit, primò ſecretò ſecundùm Domini Præceptum per fideles Legatos ſemel, bis, & ter, de ſua emendatione commoneatur, ut, ſi his reniſus fuerit, accerſitus à fratre coram altero fratre paterno & fraterno amore moneatur & caſtigetur. Et, ſi hanc ſalubrem admonitionem penitus ſpreverit, communi omnium ſententiâ quid de illo agendum ſit decernatur, ut quem ſalubris commonitio à nefandis actibus revocare non potuit, Imperialis potentia communíſque omnium ſententia coerceat.* Auctor hujus Capituli à Ludovico Caroli Magni filio ſe planè diverſum, imò ab ætate ejuſdem Ludovici longè remotum ſe prodit, cùm Imperialem extollit potentiam, quâ Lotharius pœnas ſumat à junioribus ſuis fratribus, ſi fortè in adminiſtratione Regnorum ſuorum deliquerint. Noverat Ludovicus nomen Imperatoris, quod à multis ſeculis in Occidente non audiebatur, ſuſcitatum quidem in patre Carolo fuiſſe, ſed hoc novo Titulo nihil illi penitus aut auctoritatis aut ditionis additum. Dictus fuerat Imperator ab eodem patre Carolo, ſcie-

bátque nihil ſibi juris in Bernardum, alterum Francorum Regem, ex Imperatorio Nomine competere. Quapropter haud aliud jus ad Lotharium filium, quàm quod ipſe à Carolo patre Auguſto acceperat, cenſendus eſt tranſmiſiſſe. Quandiu Nomen Imperatoris in familia Caroli Magni permanſit, is è Regibus Francorum qui vocatus eſt Imperator, ſive in Gallia, ſive in quavis alia Franciæ parte ſuum haberet Regnum, nullam dominationem in alios Francorum Reges exercuit, ubicunque regnarent, ſeu plures ſeu pauciores. Ex hac obſervatione liquet Imperium certo tunc ſpatio terrarum haud circumſcriptum fuiſſe, cùm Imperator ex Imperatorio Titulo ne vicum quidem poſſideret, ex Regia verò Dignitate, quia Rex erat Francorum, ditiones hæreditarias, eáſque modò ſpatioſiores, modò anguſtiores obtineret pro diverſis Franciæ partitionibus, quas per anteceſſum attigimus ſuprà. Regum Francorum gente trans Rhenum pòſt extinctâ, cœpit Imperium certos habere fines, intra quos Imperialis potentia vigeret, ad quam procul dubio reſpexit Auctor hujus Capituli, proinde Ludovico Caroli Magni filio longè recentior, ut ex ipſa Præfatione & anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo decimo-ſeptimo contra morem illorum temporum appoſito jam probavimus.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

XI. Rectores verò Eccleſiarum de Francia talem poteſtatem habeant rerum ad illas pertinentium, ſive in Aquitania, ſive in Italia, ſive in aliis regionibus ac provinciis huic Imperio ſubjectis, qualem tempore Genitoris noſtri habuerunt, vel noſtro habere noſcuntur. In hoc Capitulo Imperium ponitur pro ditionibus omnibus, quæ Carolo Magno quondam paruerunt. At intra vaſtiſſimum ſpatium tot provinciarum, quas idem Carolus ſub ſua tenuit poteſtate, ne vicus quidem erat, qui vel ad eum tanquam ad Imperatorem vel ad ipſum Imperium pertinere diceretur. Deinde cur Ludovicus Caroli filius in hoc Capitulo meminit Italiæ, cùm Bernardus Italiæ Rex in vivis ſuperſtes adhuc exiſtat? CCCLIII.

XII. De tributis verò & cenſibus vel metallis, quicquid in eorum, ſeu Pippini & Ludovici juniorum fratrum, *poteſtate exigi vel haberi poterit, ipſi habeant, ut ex his in ſuis neceſſitatibus conſulant, & dona ſeniori fratri deferenda meliùs præparare valeant.* Hæc poſterior ratio videtur ad inculcandam Lotharii ſenioris fratris prærogativam nimis affectata. CCCLIV.

XIII. Volumus etiam, ut ſi alicui illorum poſt deceſſum noſtrum tempus nubendi venerit, ut cum conſilio & conſenſu ſenioris fratris uxorem ducat. Illud tamen propter diſcordias evitandas & occaſiones noxias auferendas, cavendum decernimus, ut de exteris gentibus nullus illorum uxorem accipere præſumat. Omnium verò homines, propter pacem artiùs conligandam ubicunque inter partes elegerint, uxores ducant. E tribus Ludovici Auguſti filiis nullus adhuc uxorem duxit. Ludovicus natu minimus annum ætatis undecimum agit, aliquot annis grandiores ſunt ejus fratres, & horum ætas colligitur ex matris nuptiis, quas anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo conſignavimus[a]. Ceterùm Regiæ juniorum fratrum Dignitati parum æqua hæc videtur Conſtitutio, ut neuter uxorem ducere præſumat ſine *conſilio & conſenſu ſenioris fratris.* CCCLV.

[a] Tom. 6. a. 798. n. 40.

XIV. Si verò aliquis eorum decedens legitimos filios reliquerit, non inter eos poteſtas ipſa dividatur, ſed potiùs populus pariter conveniens, unum ex eis, quem Dominus voluerit, eligat, & hunc ſenior frater in loco fratris & filii ſuſcipiat, & honore paterno ſublimato, hanc Conſtitutionem erga illum modis omnibus conſervet. De ceteris verò liberis pio amore pertractent, qualiter eos more parentum noſtrorum ſalvent, & cum conſilio habeant. Hoc Capitulum putamus exaratum cum reſpectu ad Carolinum, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum ex Caroli Teſtamento ſic deſcripſimus. *Quòd ſi talis filius cuilibet iſtorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit ut patri ſuo ſuccedat in Regni hæreditate, volumus ut hoc conſentiant patrui ipſius pueri, & regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni quam pater ejus eorum frater habuit.* CCCLVI.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Maxima tamen eſt inter utrumque differentia. Carolus diviſo tres inter filios Regno, ſi, priuſquàm ipſe deceſſerit, unus ex illis filiis moriatur relicto puero, quem populus pro defuncto patre conſortem Regiæ Dignitatis ab avo fieri cupiat, illum vi ejuſdem Teſtamenti demortuo patri ſucceſſorem ſufficit, vúltque patruos ejus in hoc conſentire. Genuinus eſt hic Capituli Carolini ſenſus. Cave enim ne futuri Regis electionem in arbitrio populi poſitam ſuſpiceris. Carolus, cùm univerſum Franciæ Regnum tres in partes pro totidem filiis diviſit, in nepotem, qui priùs orbaretur patre quàm avo, nihil omnino juris tranſmiſit, aliam editurus Conſtitutionem, ſi vellet illum cum patruis regnare, tamen in gratiam nepotis adhuc pueri ſubjecit annuere ſe, ut in eadem quâ pater Regni portione regnaret, ſi Rex poſtularetur à populo. Poſt quadriennium Pippinus Italiæ Rex, alter ejus filius, obiit relicto filio uxori ducendæ nondum idoneo, cui nomen Bernardus. Hic ſtatim à patris obitu Rex Italiæ non eſt dictus, ſed poſt triennium ex poſtremo avi Teſtamento, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium expoſuimus. En exemplum, quo nihil ad explicationem Capituli Carolini poteſt aptius afferri. Capitulum Ludovicianum à Carolino plurimùm differt. Agit enim non de uno è tribus fratribus, qui ante patrem teſtatorem mortuus ſit relicto unico tantùm filio, ſed de altero è duobus junioribus fratribus, qui poſt patrem teſtatorem obierit relictis pluribus filiis. Quòd autem accipiendum ſit de Ludovici filio, qui ſuperſtes patri vixerit, id patet ex contextu trium Capitulorum, nempe decimi-tertii, de quo proximè locuti ſumus, decimi-quarti de quo nunc diſſerimus, & decimi-quinti de quo poſtmodum verba faciemus. In decimo-tertio leguntur hæ voces, *poſt deceſſum noſtrum*, ſubaudirique debent in duobus proximè ſequentibus, quia ſervatâ temporis gradatione ponuntur hæ ſanciendarum Præceptionum cauſæ; in decimo-tertio, *ſi alicui* juniorum fratrum *poſt* patris *deceſſum tempus nubendi venerit*; in decimo-quarto, *ſi aliquis illorum decedens legitimos filios reliquerit*; & in decimo-quinto, *ſi abſque legitimis liberis aliquis eorum deceſſerit*. Vetat igitur Ludovicus Auguſtus decimo-quarto Capitulo, ne Regna juniorum ſuorum filiorum, ſi ſuperſtites ſibi fuerint teſtatori, multóſque filios reliquerint, in partes dividantur. Id autem nullo pacto veriſimile videtur. Quis enim ſibi perſuadeat Ludovicum prohibuiſſe, ne quod ipſe faciebat in gratiam ſuorum filiorum, id iidem filii in ſuorum gratiam filiorum poſteà facerent? Addequòd hæc Conſtitutio cadit tantùm in juniores Ludovici filios, id eſt, in Pippinum & Ludovicum, quorum cauſa melior fit quàm ſenioris fratris Lotharii, cujus Regnum, ſi filii, nepotes, pronepotéſque magno futuri ſunt numero, debeat in partes dividi multò minutiores quàm ſint ipſa prædictorum Pippini ac Ludovici Regna. Prætereà talis Sanctio non fuit obſervata, Regnum enim, quo potitus eſt Ludovicus Ludovici Auguſti filius, tres in partes pro totidem ejus filiis, Carolomanno, Ludovico, & Carolo, diſtinctum fuit. Hæc igitur Ludovici Auguſti Præceptio eſt inſitia, videtúrque publicata, poſtquàm ſtirps Carolidarum trans Rhenum ſive in Orientali Francia defeciſſet, cùm quis audiiſſet ægréque ferret aliquando contigiſſe, ut tres fratres, diviſo inter ſe patris ſui Regno, ſinguli tertiam tantùm partem poſſiderent tertiæ partis ditionum, quæ ſub Caroli Magni poteſtate quondam fuerant.

CCCLVII. *XV. Si verò abſque legitimis liberis aliquis eorum deceſſerit, poteſtas illius ad ſeniorem fratrem revertatur. Et, ſi contigerit illum habere liberos ex concubinis, monemus, ut erga illos miſericorditer agat.* Iniqua eſt etiam hæc conditio, ut, ſi de junioribus filiis alteruter *abſque legitimis liberis* obierit, alter partem hæreditatis non obtineat, ſed hæc ad ſeniorem fratrem Lotharium tota devolvatur. Ipſemet Lotharius Regnum ſuum tres inter filios, Ludovicum videlicet, Lotharium, & Carolum diviſit, mortuóque ſine prole Carolo, Regnum hujus haud integrum tranſiit ad Ludovicum ſeniorem fratrem, ſed

Digitized by Google

inter eundem Ludovicum & Lotharium fratres ex æquo diviſum fuit. Liberos hîc filios interpretare, & legitimos liberos à liberis ex concubinis eo diſtingue modo, quo filios Caroli Magni & Hildegardis Reginæ diſtinximus à filiis ejuſdem Caroli & aliarum uxorum, quæ concubinæ vocantur. AN. CH. 817.

XVI. Si verò alicui illorum contigerit, nobis decedentibus, ad annos legitimos juxta Ribuariam Legem nondum perveniſſe, volumus ut donec ad præfinitum annorum terminum veniat, quemadmodum modò à nobis, ſic à ſeniore fratre & ipſe & Regnum ejus procuretur atque gubernetur. Et cùm ad legitimos annos pervenerit, juxta taxatum modum ſuâ poteſtate in omnibus potiatur. CCCLVIII.

XVII. Regnum verò Italiæ eo modo prædicto filio noſtro, ſi Deus voluerit ut ſucceſſor noſter exiſtat, per omnia ſubjectum ſit, ſicut & patri noſtro fuit, & nobis Deo volente præſenti tempore ſubjectum manet. Hoc Capitulum Ludovico Auguſto ad hunc annum minimè convenit, quia Bernardus illius ex Pippino fratre nepos Italiâ potitur, nec in eam provinciam jus eſt eidem Ludovico, quod Carolo patri poſt extinctum Longobardorum Regnum fuit. CCCLIX.

XVIII. Monemus etiam totius populi noſtri devotionem & ſinceriſſimæ fidei penè apud omnes gentes famoſiſſimam firmitatem, ut ſi is filius noſter, qui nobis divino nutu ſucceſſerit, abſque legitimis liberis rebus humanis exceſſerit, propter omnium ſalutem & Eccleſiæ tranquillitatem & Imperii unitatem, in eligendo uno ex liberis noſtris, ſi ſuperſtites fratri ſuo fuerint, eam, quam in illius electione fecimus, conditionem imitentur, quatenus in eo conſtituendo non humana ſed Dei quæratur voluntas adimplenda. Hoc Capitulum non de Regis ſed de Imperatoris electione ſumendum eſt. Hæreditarium ſemper fuit Francorum Regnum, ſive uni ſive pluribus paruit Regibus, iiſque ſive fratribus ſive agnatis. Nomen Imperatoris, quod à multis retrò ſeculis extinctum in Occidente fuerat, anno Redemptoris octingenteſimo ſuſcitatum eſt collatúmque Carolo Francorum Regi tunc potentiſſimo. Fuit & hæreditarius in Caroli familia Titulus hic Imperatorius. At quoniam erat Imperatori liberum, ut quem vellet Imperialis nominis conſortem ſibi faceret, Auctores, ut iſtam ſubrogationem exprimant, electionis vocabulo nonnumquam utuntur. Chronographus Moiſſiacenſis ad hunc annum de Ludovico Auguſto ejúſque filio Lothario, quem Clotarium appellat, ita ſcribit. *Imperator Clotarium, qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium.* Jus autem illum eligendi, qui conſors Imperii fieret, penes unum Imperatorem erat. Id patet ex Chronico Moiſſiacenſi ad hunc annum jam allegato. *Anno* DCCCXVII. *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Paſcha. Et in ipſa æſtate juſſit eſſe ibi Conventum populi de omni Regno vel Imperio ſuo apud Aquis Sedem Regiam, id eſt, Epiſcopos, Abbates, ſive Comites, & Majores natu Francorum. Et manifeſtavit eis myſterium conſilii ſui, quòd cogitaverat, ut conſtitueret unum de filiis ſuis Imperatorem. Tunc omni populo placuit, ut ipſe, ſe vivente, conſtitueret unum ex filiis ſuis imperare, ſicut Karolus pater ejus fecerat ipſum. Tunc tribus diebus jejunatum eſt ab omni populo, ac Letania facta. Poſt hoc jamdictus Imperator Clotarium, qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus.* VIVAT IMPERATOR CLOTARIUS. Et ex Agobardo eundem Ludovicum Auguſtum ſic compellante. *Dixiſtis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta eſt mors, ut, dum valeretis, nomen Imperatoris uni ex tribus filiis veſtris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoſcere potuiſſetis. Propter quam cognoſcendam injunxiſtis, ut facerent omnes jejunium triduanum, offerrent Sacerdotes ſacrificia Omnipotenti Deo, qui ſuavis & mitis & multæ miſericordiæ eſt omnibus invocantibus ſe; fieret quoque ab omnibus eleemoſyna per illud triduum ſolito largior, ut Omnipotens Deus, qui ſummâ benignitate regit corda in ſe ſperantium, infunderet in corde veſtro voluntatem ſuam, & non ſineret ſuper alium inclinari voluntatem veſtram, niſi ſuper eum qui ſibi placuiſſet.* Ergo cùm Ludovicus Auguſtus omnes admonet, ut ſi Lotharius *abſque legitimis* CCCLX.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

liberis obierit, *in eligendo uno* ex ejus fratribus qui ſuperſtites fuerint, *eam quam* ipſe *in illius* Lotharii *electione* fecit, *conditionem imitentur*, hæ voces, *in eligendo uno*, nullum populo jus eligendi tribuunt. Conſtitutionis enim hic eſt ſenſus. *Si* Lotharius *abſque legitimis liberis rebus humanis exceſſerit, propter omnium ſalutem & Eccleſiæ tranquillitatem & Imperii unitatem, in eligendo uno* ex ejus fratribus, *ſi ſuperſtites fuerint, eam, quam* Ludovicus pater *in illius electione* fecit, *conditionem imitentur*. Id eſt, ſi Lotharius abſque legitimis filiis vitam clauſerit, & Ludovicus ejus pater voluerit alterum è duobus ſuperſtitibus filiis eligere, cui nomen Imperatoris imponat, populus per triduum jejuniis, eleemoſynis, piiſque vacet exercitiis *quatenus*, ut proximè ſequitur, *in eo* Imperatore *conſtituendo non humana ſed Dei quaratur voluntas adimplenda*, ſive, ut Agobardus loquitur, *Omnipotens Deus, qui ſummâ benignitate regit corda in ſe ſperantium*, infundat *in corde* Ludovici *voluntatem ſuam, & non* ſinat *ſuper alium* illius *inclinari voluntatem, niſi ſuper eum, qui ſibi* placuerit.

CCCLXI. Quamvis illud Diploma, quod Ludovici Auguſti nomine prætitulatur, tanquam commentitium rejiciamus, haud inficiamur Ludoviciani Regni partem inter Pippinum ac Ludovicum Ludovici Auguſti filios pro anno, menſe Julio, diviſam fuiſſe. Teſtes enim hujus exiſtunt partitionis coætanei Scriptores, qui frequenter à nobis laudantur, Annaliſta Laureshamenſis ad hunc annum, & Aſtronomus in vita Ludovici. Lotharius filius natu maximus, quem pater ante triennium Regem Bojoariæ dixerat, in conſortium Imperialis Nominis ab eodem patre vocatus eſt relictâ Bojoariâ. Pippinus alter filius, quem pater ante triennium in Aquitanici Regni conſortium adſciverat, in eodem confirmatus fuit Regno, cui præter tres Aquitanias, ut quondam ſub Ludovico Rege, pagus Toloſanus cum integra Septimania ditionibúſque Francorum in Hiſpania poſitis attribuebatur. Ludovicus filius natu minimus, in locum Lotharii fratris, à patre Rex Bojoariæ conſtitutus eſt. Hæc nova partitio negari non poteſt. Quapropter annum hunc Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, ut Lotharii Imperatoris, ſic & Pippini Regis ſecundò dicti, & Ludovici Regis primum vocamus. Porrò Ludovicus Auguſtus Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bojoariam miſit, Lotharium verò dignitatis Imperatoriæ conſortem factum tenuit ſecum, & Eginhardo Fontanellenſi jam Abbati præcepit, ut ejuſdem Lotharii curam gereret, illúmque *de moribus corrigendis & honeſtis atque utilibus ſectandis* ſedulò commoneret [a].

[a] Eginh. ep. 34.

CCCLXII. DAT PRÆCEPTUM PRO MON. SOLEMNIAC.

Nono Kalendas Auguſti, Ludovicus Imperator in Aquiſgranenſi Palatio Præceptum pro Monaſterio Solemniacenſi rogatus ab Agiulfo Abbate ſic emiſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm locis divino cultui mancipatis ob divinæ ſervitutis amorem opem congruam ferimus, & Regium morem decenter implemus, id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda veraciter credimus. Notum igitur eſſe volumus cunctis fidelibus noſtris tam præſentibus quàm & futuris, ſeu etiam ſucceſſoribus noſtris fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, quia adiens Serenitatem Culminis noſtri Venerabilis Vir Agiulfus Abba ex Monaſterio quod dicitur Sollemniacus, quod Sanctus Eligius in honore Sancti Petri & cæterorum Sanctorum conſtruxit, geſtans in manibus Immunitatem Avi noſtri Pippini Regis, necnon Domni & Genitoris noſtri Caroli bonæ memoriæ Magni Imperatoris, in qua continebatur inſertum, qualiter ipſi præfatum Monaſterium propter divinum amorem & reverentiam divini cultûs ſemper ſub pleniſſima defenſione conſiſtere & ab omni publica functione & judiciaria exactione immune * liberúmque reddidiſſent. Quod munus eidem Monaſterio exhibitum Deo annuente inviolabiliter hactenus conſtat eſſe conſervatum. Pro firmitatis namque ſtudio hujuſcemodi beneficium erga præfatum venerabile Monaſterium noſtrâ auctoritate humiliter quibus valuit fieri poſtulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei & reverentiam*

* immunem

divini cultûs libenter adſenſum præbere nobis uſquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus, ut omnes res ejuſdem Monaſterii cum hominibus ſibi ſubjectis tam ingenuis quàm & ſervis ſub noſtræ defenſionis munimine modis omnibus conſiſtant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus Judex publicus, aut quilibet ſuperioris aut inferioris ordinis rei publicæ procurator ad cauſas judiciario more audiendas in Eccleſias aut villas ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis vel territoriis Imperii noſtri juſtè & legaliter tenet, vel deinceps in jure ipſius Monaſterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præſumat, nec freda aut tributa aut manſiones aut paratas aut fidejuſſores tollere, aut homines tam ingenuos quàm & ſervos ipſius Monaſterii diſtringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones vel inlicitas occaſiones requirere, quibus in aliquo idem Monaſterium ſibique ſubjecti aliquod patiantur incommodum, nec noſtris futuriſque temporibus quiſquam tam temerarius exiſtat, qui id faciendi inlicitam ſibi poteſtatem adtribuere audeat. Quicquid ergo in ſæpefatis ejuſdem Monaſterii rebus jus fiſci exigere debuit, & à prædeceſſoribus noſtris conlatum eſſe conſtat, largitionis noſtræ munere libenter eſſe volumus per immenſum eidem Monaſterio conceſſum, ut remoto fiſci dominatu ad luminaria Baſilicæ prædicti Monaſterii concinnanda & ad ſuſtentationem pauperum ſeu Clericorum in eodem loco Domino deſervientium ſit ſupplementum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & perpetuo tempore meliùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludowici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovi. Data VIIII *Kal. Auguſtas, anno Chriſto propitio* IIII *Imperii Hludowici Piiſſimi Auguſti, Indictione* X. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter, Amen.* Editum eſt hoc Præceptum in Appendice veterum Actorum [a] poſt Notas ad Capitularia. Poſtulatum videtur ab Agiulfo Abbate ſtatim ac regimen Monaſterii ſuſcepit, ſucceſſit enim Dructeranno, cujus mentionem anno priore [b] fecimus.

AN. CH 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. I. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. I.

[a] Act. 33.

[b] Num. 28.

Res à Ludovico Auguſto poſt Aquiſgranenſem Conventum geſtas nunc inſpiciamus. *Conventu peracto*, ait Annaliſta Laureshamenſis, *cùm Vogeſi ſaltum venandi gratiâ peteret, obvios habuit Legatos Leonis Imperatoris, quos cùm in Ingelheim Palatio juxta Moguntiacum civitatem audiſſet, ac Legationem eorum non aliam eſſe, niſi quam Nicephorus ejuſdem Imperatoris Legatus proximè attulerat, comperiſſet, celeriter abſolutos dimiſit, & quò tendebat proficiſcitur. Nunciatâque defectione Abotritorum & Sclaomiri, Comitibus tantùm, qui juxta Albim in præſidio reſidere ſolebant, ut terminos ſibi commiſſos tuerentur, per Legatum mandavit. Cauſa defectionis hæc erat, quòd Regiam poteſtatem, quam Sclaomir eatenus poſt mortem Thraſiconis ſolus ſuper Abotritos tenebat, cum Ceadrago filio Thraſiconis partiri jubebatur* [1]. *Quæ res illum tam graviter exacerbavit, ut affirmaret ſe nunquam poſthac Albim fluvium tranſiturum, neque ad Palatium venturum. Statim miſſâ trans mare Legatione junxit amicitiam cum filiis Godefridi, & ut exercitus trans Albim mitteretur impetravit* [2]. *Nam & claſſis eorum per Albim uſque ad Eſſesfeld Caſtellum venit, quæ totam Suriæ fluminis ripam devaſtavit, & Gluomi Nordmannici limitis cuſtos pedeſtres copias ducens, ſimul cum Abotritis terreno itinere ad ipſum Caſtellum acceſſit. Quibus cùm noſtri fortiter reſtitiſſent, omiſſâ Caſtelli oppugnatione diſceſſerunt.* Hunc textum cum Codice Cardinalis Armaniaci & Annalibus Bertinianis ac Fuldenſibus contulimus, factâque collatione genuinum reſtituimus ſenſum, ut liquet ex duabus potiſſimùm vocibus, quas ad oram rejecimus.

CCCLXIII. AUDIT LEGATOS LEONIS IMP. CONSTANTINOPOL. COPIAS MITTIT ADVERSUS SCLAOMIRUM ABOTRITORUM DUCEM PERDUELLEM.

[1] *videbatur.*

[2] *impravit.*

Imperator audito Abotritorum tumultu non deſtitit ab itinere ſuſcepto, directis enim adversùs eos copiis ipſe Voſagi luſtra ſectatus eſt. *Dum* autem *venatione peractâ*, ut Annaliſta Laureshamenſis teſtatur, *de Vogeſo Aquaſgrani reverteretur, nunciatum eſt ei Bernhardum nepotem ſuum Italiæ Regem quorumdam pravorum hominum conſilio tyrannidem meditatum.* Profectus eſt tamen Aquiſgranum, ibique degebat duodecimo Kalendas Decembris, Indictione undecimâ jam inchoatâ, quo die pro Eccleſia Tornacenſi Præceptum emiſit,

CCCLXIV.

AN. CH. 817.

PRÆCEPTUM EMITTIT PRO ECCLESIA TORNAC.

cujus fragmenta Joannes Couſinus ita publicavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit &c. Quia poſtulavit nobis Vir Venerabilis Wendilmarus Tornacenſis urbis Epiſcopus, ut terras quaſdam fiſci noſtri in eadem urbe ei in amplianda & dilatanda clauſtra Canonicorum in noſtra eleemoſyna concederemus. Nos itaque ad hoc inſpiciendum Venerabilem Abbatem Trmionem, Tgobertum, & Hartmannum, Miſſos noſtros direximus, qui & provideant de terra habente in circuitu &c. pro mercedis noſtræ augmento & reverentia ipſius ſancti loci ſecundùm dimenſionem tradere libuit, ut in ditione Eccleſiæ conſiſtant. Datum 12 Cal. Decembr. Aquiſgrani in Palatio Regio, anno Imperii Domini noſtri 4. Indictione 11. In Dei Nomine feliciter.* Hujus quoque Diplomatis meminit Miræus in Notitia Eccleſiarum Belgii [a], ſed in ipſo titulo quem præfixit, perperam notavit *an. 818*: Indictio enim undecima per menſem Novembrem convenit cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, cujus priores octo menſes decimæ, poſteriores quatuor undecimæ illigantur Indictioni.

[a] Cap. 28.

CCCLXV. ACCINGIT SE BELLO ITALICO CONTRA BERNARDUM NEPOTEM.

Brevem motûs Italici narrationem ſic init Annaliſta Laureshamenſis. *Nunciatum eſt ei*, nempe Ludovico Imperatori, *Bernhardum nepotem ſuum Italiæ Regem quorumdam pravorum hominum conſilio tyrannidem meditatum, jam omnes aditus, id eſt, cluſas, quibus in Italiam intratur, impoſitis firmaſſe præſidiis, atque omnes Italiæ civitates in illius verba juraſſe, quod ex parte verum, ex parte falſum erat. Ad quos motus comprimendos cùm ex tota Gallia atque Germania congregato cum ſumma celeritate magno exercitu Imperator Italiam intrare feſtinaſſet, Bernhardus rebus ſuis diffidens, maximè quòd ſe à ſuis quotidie deſeri videbat, armis depoſitis apud Cabillonem Imperatori ſe tradidit.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Habet conformia vetus Aſtronomus. *Venatione*, inquit, *juxta morem Francorum expletâ, quum* Imperator *hyemem exacturus Aquiſgrani reverteretur, nunciatum eſt ei Bernardum nepotem ſuum Italiæ Regem, cui ipſe maxima, ut Rex fieret, apud patrem cauſa fuerat, conſiliis quorundam pravorum hominum adeò dementatum, ut ab eo diſciverit, omnéſque civitates Regni & Principes Italiæ in hæc verba conjuraverint: ſed & omnes aditus, quibus in Italiam intratur, poſitis obicibus & cuſtodiis obſeravit. Quod quum certis nuntiis referentibus, maximéque Rathaldo Epiſcopo & Suppone, certiſſimè cognoviſſet, contractis undique copiis, tam ex Gallia quàm ex Germania, cum maximo exercitûs robore Cabillonum uſque pervenit. At Bernardus quum ſe cerneret viribus imparem, & ad cœpta ineffacem, utpote à quo plurimi ſuorum quotidie deficerent, deſperatis rebus ad Imperatorem venit, armiſque depoſitis pedibus ſe ejus proſtravit confeſſus perperam ſe egiſſe.* Rathaldus ſeu Rotaldus Veronenſis erat Epiſcopus, de quo non ſemel locuti ſumus; Comes verò Brixiæ Suppo, de quo recurret ſermo. Quàm autem diligenter Ludovicus exercitum adverſus Bernardum comparârit, hæ præ ceteris teſtantur Hettii Trevirenſis Archiepiſcopi literæ Frotharío Tullenſi Epiſcopo ſcriptæ. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Hetti miſericordiâ Dei Archiepiſcopus Diœceſeos Trevirenſis, necnon & Legatus Hludwico Sereniſſimo Imperatori, Venerabili Fratri Frotharío Tullenſi Epiſcopo æternam ſalutem. Notum ſit tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit Domni Imperatoris, ut omnibus notum faceremus, qui in noſtra Legatione manere videntur, quatenus univerſi ſe præparent, qualiter proficiſci valeant ad bellum in Italiam, quoniam inſidiante ſatanâ Bernardus Rex diſponit rebellare illi. Propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo Domni Imperatoris, ut ſolerti ſagacitate ſtudeas cum ſumma feſtinatione omnibus Abbatibus, Abbatiſſis, Comitibus, Vaſſis Dominicis, vel cuncto populo Parrochiæ tuæ, quibus convenit militium Regiæ poteſtati exhibere in ....* quatenus omnes præparati ſint; ut ſi veſpere eis adnuntiatum fuerit, mane; & ſi mane, veſperi, abſque ulla tarditate proficiſcantur in partes Italiæ, quia Domnus Imperator ſuum iter præparat, ut quantò citiùs potuerit in partes illas unà cum fidelibus ſuis pergat.* Hanc epiſtolam inter Frotharianas [b] ab Andrea Duchenio [c] publicatam reperies.

* F. intimare

[b] Ep. 25.
[c] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

Annaliſtæ

Annaliſtæ Laureshamenſi, Aſtronomo, & aliis quibuſcumque Scriptoribus, qui Bernardum viribus ſuis diffiſum, útque conſilii pravè ſuſcepti veniam à patruo poſtularet, in Galliam ex Italia ſponte profectum volunt, hoc loco præferendum putamus Chronographum Moiſſiacenſem, qui cauſam diſſenſionis à ceteris Auctoribus omiſſam non diſſimulavit, eâque divulgatâ, quomodo Bernardus in poteſtatem Imperatoris venerit, proximè ſic ſubjunxit. *Audiens Barnardus filius Pipini Regis Rex Italiæ, quod factum erat*, id eſt, quòd Lotharius à patre Ludovico dictus fuerat Imperator, *cogitavit conſilium peſſimum, voluítque in Imperatorem & in filios ſuos inſurgere, & per tyrannidem Imperium uſurpare. Quo comperto Imperator miſit confeſtim nuncios per univerſum Regnum & Imperium, ut pariter conglobati occuparent omnes aditus Italiæ; quod ita factum eſt. Barnardus autem cùm hæc audiſſet, terruit eum Dominus, ipſum & omnes qui ei conſenſerant. Et comprehenſi ſunt ab exercitu, quem Imperator miſerat ante faciem ſuam, & comprehenſos cum ipſo Rege adduxerunt ad Imperatorem, qui erat tunc apud Cavallono*, ut dicemus anno ſequenti. Interim, ut ex Thegano [a] patet, Imperator hoc anno Cabilone Natalem Domini celebravit.

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. CCCLXVI.

[a] Cap. 22.

Ut Angelelmum Autiſſiodorenſem Epiſcopum & Walcandum Epiſcopum Leodienſem hoc anno laudemus, Conventus monet Aquiſgranenſis, de quo ſuprà. *Ludovicus Imperator*, ut in Geſtis Pontificum Autiſſiodorenſium legitur capite triceſimo-quinto de Angelelmo, *facto generali Conventu Canonicis Regularem vitam impoſuit, atque ob tutelam Religionis Clauſtri cuſtodiam inſtituit, ac diverſas competentéſque officinas eorum uſibus ordinavit, quâ auctoritate idem Pontifex* Angelelmus *delectatus villam, cui Pulveremus nomen eſt, fratrum Canonicorum ſcilicet ſtipendiis deputavit. Et quia quædam beneficiata erant, quæ protinus auferri non poterant, decretum eſt, ut illis decedentibus continuò Canonici in ſuos uſus reflecterent. Res etiam, quæ ex jure proprio ei ceſſerant, tam in Biliaco quàm in Amau, eorumdem uſibus delegavit.* Et in Hiſtoria de Tranſlatione Sancti Huberti Walcandus Leodienſis Epiſcopus ab Auctore coætaneo [b] ſic commendatur. *Walcandus venerandus Epiſcopus, partim Divinitatis inſtinctu & mercedis intuitu, partim verò Sacratiſſimi Principis* Ludovici *monitionibus incitatus, ſtudebat magnoperè plebem ſibi à Domino traditam bonorum operum exercitiis nobilitare, & de bonis ad meliora ſemper evehere, ac, ſi quid in Epiſcopio ſuo reſedíſſet emendatione dignum, totis niſibus in meliorem ſtatum recuperare. Unde inter cetera, quæ emendationem poſtulabant, obtulit ſe ejus munificentiæ Cella quædam, antiquo nomine vocata Andagium, quæ olim quidem inhabitatoribus penè fuerat annullata. Hæc ergo ſe materiam quandam obtulit ejus munificentiæ, in qua liberalitatis ſuæ laxatis habenis, quàm vacuus tenacitate eſſet, non inanibus verbis ſed executione operis oſtendit. Namque hanc penè à fundamento reſtauratam, in meliorémque ſtatum denuò renovatam, poſthabitâ avaritiâ, nobiliter ejus ſtatum compoſuit, ædificiis honeſtis nobilitavit, & exemptis prædiis, quæ olim Religio ſanctorum virorum largitate poſſedit, alia de Epiſcopio ſuo ſuperaddidit, incoláſque loci illius Monachos eſſe voluit.* Auctor ætatem ſuam prodit, cùm in fine ſuæ lucubrationis ait à ſe narrari, quæ *dicti Venerabilis Antiſtitis Walcandi & quorumdam aliorum Religioſorum virorum veraci relatu* didicit. Ægidius in Additionibus [c] ad Anſelmum, mutationem Andaginenſium ſive Andainenſium Clericorum in Monachos huic anno ſic illigat. *Clerici Andainenſis Monaſterii, cùm jam penè deficerent, utpote in tam vaſta & ſterili eremo conſtituti, acceptâ occaſione ſibi conſulendi, ad Walcandum Leodienſem Epiſcopum ſe contulerunt, & quomodo prædictum locum eorum divina providentia elegiſſet, quáſque in eo paterentur neceſſitates, illi retulerunt. Lætatus Epiſcopus ſe inveniſſe opportunitatem providendi ſuæ ſaluti, ſi in eodem loco collaboraret voluntati divinæ, omnimodâ intentione id exequendi curam concepit, & juvante Deo in præſentem ſtatum ſuſcitavit. Commutato ordine Clericali, anno Domini octingenteſimo decimo-ſeptimo, quarto Idus Auguſti, in die Sancti Laurentii Martyris, Monachorum ibi Religionem conſtituit, diſpoſitis eis poſſeſſionibus, quæ*

CCCLXVII. ANGELELMUS EP. AUTISSIOD. REGULAM CANONICIS IMPOSITAM CURAT OBSERVARI.

[b] Ap. Sur. d. 3. Novembr.

ANDAINENSIBUS CLERICIS MONACHI SUBSTITUUNTUR A WALCANDO EPISC. LEODIENSI.

[c] Cap. 34.

AN. CH. 817.

ſufficerent ibi Deo ſervientium. Quòd autem id actum vult *cum conſilio Leonis Papæ & Ludovici Imperatoris*, ſolum Ludovici nomen in textu ſervandum videtur, quia nec Leo Tertius Papa, nec ejus ſucceſſor Stephanus Quintus ad hujus anni menſem Auguſtum pervenit. Tomo quarto ad annos Chriſti ſeptingenteſimum quartum [a] & ſeptingenteſimum viceſimum-quintum [b] fusè diſſeruimus de originibus Andainenſis Monaſterii déque Sancto Beregiſo primo Clericorum ibi degentium Abbate. Nomina ſucceſſorum interierunt. Locus ille, poſtquam Monachi Canonicis ſubſtituti ſunt, plurimùm reſloruit. *Egit namque* Walcandus Epiſcopus, *ut quæ vitæ forent neceſſaria, nulla deeſſent, procuravitque, ut quia uſibus eorum neceſſaria ſubminiſtrabat, ipſi quoque quæ divina forent grata voluntati peragerent, &, quantùm ſibi poſſe Divinitas conferret, nequaquam ab ea declinarent. Adductis namque Regularis vitæ optimis Præceptoribus, Monaſticæ ordinem vitæ eos edocuit, & bonorum operum exercitiis operam dare, tam voce propriâ quàm & lectione divinâ ſuaſit. Unde factum eſt, ut ejus ſtudium non inani labore caſſaretur, ſed ſuper optimam terram jactato verbi ſemine, citiùs centuplicato verbi fœnore fructus multiplicaretur.* Hæc Anonymus jam citatus. Quæ ſecuta ſunt, narrabuntur inferiùs. Primus Monachis Abbas datus eſt Alveus, de quo conſule Fiſenum in Hiſtoria [c] & Floribus [d] Eccleſiæ Leodienſis.

[a] Num. 41.
[b] Nn. 33. & ſeqq.

ALVEUS FIT PRIMUS ABB.

[c] Lib. 5. Epiſc. 35.
[d] Dd. 2. Octobr. 16. Novembr. CCCLXVIII.

In Gallia Chriſtiana [e] *Fridugiſus ſeu Fridigiſus* aut Fredegiſus *Abbas Sancti Martini & Cormeriaci memoratur in Diplomate Hludovici Auguſti, Cal. Julii, an. 4. Imperii ejuſdem Ludovici, cui iſte Abbas cartulâ exponit, quòd Carolus Auguſtus dederat Sancto Martino duodecim naves immunes ab omni teloneo, quæ per alveum Ligeris, Carum, Meduanam, Sartam, & Ledum, ceteráve alia diverſa flumina diſcurrerent, 3 Cal. Septemb. anno 3 Imperii ſui apud Aquiſgranum.* Ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium, qui tertius Imperii Carolini fuit, nullam hujus Diplomatis mentionem fecimus Tomo ſuperiore, quia Carolus Imperator tertio Kalendas Septembres illius anni procul aberat ab Aquiſgranenſi Palatio, ut cuilibet res illo anno geſtas attentè conſideranti patebit. Atque inde colligimus explodendum eſſe Ludovici Diploma, in quo iſta tam ſtudiosè dicuntur hoc anno expoſita. Potior autem fides haberi debet Præcepto, quod anno priore jam monuimus [f] rejiciendum eſſe in hunc annum, quia datum reperitur III *Kalend. Septembris, Indictione* X, *Aquiſgrani Palatio Regio*, eæque notæ cum *anno* III *Imperii Domini Ludovici* ſive cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto minimè conveniunt, rectè verò cum anno IIII ejuſdem Ludovici Auguſti ſive cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo componuntur. Anno igitur Imperii Ludoviciani quarto, qui per menſem Auguſtum cum Indictione decima comparatur, probè reſtituto, nunc ipſum accipe Diploma, ut ex Chartulario Sam-Martiniano inter Acta vetera [g] poſt Notas ad Capitularia publicatum eſt à Stephano Baluzio. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Clementiâ Imperator Auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei pro quibuſlibet Eccleſiaſticis neceſſitatibus aures noſtras pulſantium libenter annuimus, & ad divinæ potentiæ in Domino dicatis locis uberiùs famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio & ad mortalem vitam temporaliter deducendam & ad futuram feliciter obtinendam commodum pervenire confidimus. Notum igitur eſſe volumus cunctis fidelibus noſtris, Epiſcopis videlicet, Abbatibus, Viriſque Illuſtribus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Graſionibus, Vicariis, Centenariis, eorúmque Junioribus, necnon Miſſis noſtris per univerſum Imperium noſtrum diſcurrentibus, ſeu etiam ceteris fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia adiit Serenitatem Culminis noſtri Venerabilis Vir Fredegiſus Abba ex Monaſterio peculiaris Patroni noſtri Sancti Martini, ubi ejuſdem præclariſſimi viri venerabile corpus requieſcit, ferens manibus Immunitates priſcorum Regum Francorum, necnon avi noſtri Pippini quondam Regis, ſeu etiam piæ recordationis Domini & Genitoris noſtri Karoli Se-*

[e] In Abb. S. Martini 10.

VARIA PRÆCEPTA

[f] An. 816. n. 21.

[g] Ad. 32.

PRO MON. S. MARTINI,

reniſſimi Imperatoris, quibus idem Monaſterium quietè in Dei ſervitio degere ſan- AN. CH.
xerunt, & omnes res præfati Monaſterii in univerſo, Chriſto largiente, Regno 817.
noſtro, in Auſtria ſcilicet, Niuſtria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, LUDOV.
& in ceteris Regni noſtri partibus conſiſtentes, quæ non ſolùm ab Orthodoxis Prin- IMP. 4.
cipibus, verùm etiam à ceteris fidelibus collata, vel per quoſlibet contractus & LOTHAR.
munimina Chartarum, uſibus ejuſdem legaliter tradita ſunt Monaſterii, ſub Immu- IMP. 1.
nitatis ſuæ defenſione conſiſtere, & ab omni publica functione & Judiciaria exac- BERN.
tione immunes reddidiſſent. Quod munus eidem Monaſterio, necnon & Corma- R. 4.
ricenſi Cœnebio ab rebus Sancti Martini conſtructo, exhibitum, Deo annuente, in- PIPPINI
violabiliter hactenus conſtat eſſe conſervatum. Pro firmitatis namque ſtudio hujuſce- R. 3.
modi beneficium erga præfatum Venerabile Monaſterium noſtrâ auctoritate humili- LUDOV.
ter precibus, quibus valuit, fieri poſtulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei & ve- R. 1.
nerationem Beati Martini libenter aſſenſum præbere uſquequaque ..... libuit.
Quapropter volumus atque decernimus, ut omnes res ejuſdem Monaſterii cum ho-
minibus ſibi ſubjectis ſub noſtræ defenſionis munimine modis omnibus conſiſtant. Præ-
cipientes ergo jubemus atque præcipimus, ut nullus Judex publicus aut quiſlibet ſu-
perioris aut inferioris ordinis rei publicæ procurator ad cauſas Judiciario more au-
diendas in Eccleſias aut villas ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in
quibuſdam provinciis aut territoriis Imperii noſtri juſtè & legaliter poſſidet, vel
qua deinceps in jure ipſius Monaſterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præ-
ſumat, nec freda aut telonea aut manſiones aut paſtus aut tributa, ſicut Præcepto
Domini & Genitoris noſtri continetur, exigere, aut fidejuſſores tollere, aut homi-
nes tam ingenuos quàm ſervos ſuper terram ipſius Monaſterii commanentes diſ-
tringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occaſiones re-
quirere, quibus idem Monaſterium ſibíque ſubjecti aliquod injuſtè patiantur in-
commodum, noſtris futuriſque temporibus quiſquam temerarius exiſtat, quòd fa-
ciendi illicitam ſibi poteſtatem attribuere audeat. Quicquid igitur de præfatis ejuſ-
dem Monaſterii rebus jure fiſci cedendum fuit, & à deceſſoribus noſtris comperi-
mus collatum, & largitionis noſtræ munere libenter volumus eſſe per univerſum ei-
dem Monaſterio conceſſum, ut id, remoto fiſci dominatu, ad luminaria Baſilicæ
Beati Martini concinnanda & ad ſuſtentationem pauperum ſeu Clericorum in eo-
dem loco Domino ſervientium ſupplementum ..... Si quis autem in tantam pro-
rumpere auſus fuerit audaciam, ut hujus Præcepti noſtri violator extiterit, quem-
admodum in Præceptione Domini & Genitoris noſtri continetur, non ſolùm in of-
fenſam noſtram lapſurum, verùm etiam ſexcentorum ſolidorum auri ad purum ex-
cocti ſe noverit pœnâ mulctandum, ex qua duas partes Rectores memorati Monaſ-
terii, tertiam jus fiſci recipiat. Dignum namque & juſtum eſt ut tot piorum Re-
gum deceſſorum noſtrorum noſtríque Præcepti violator hujuſcemodi habeat pœnam,
*& temeritatis meritò argui * ſe cognoſcat, & ceteris, ne id agere quolibet auſu* * arguiſſe ce-
pertentent, timorem injiciat, ut nullus ſcilicet beneficia Regalia locis Deo dicatis gnoſcat
veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque ac cenſemus, remotâ totius
Judiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine memoratus Abbas ſuique ſucceſſores
prædicti Monaſterii cum omnibus ſibi ſubjectis vel ad ſe aſpicientibus ſeu perti-
nentibus hominibus, ſub Immunitatis atque protectionis noſtræ defenſione conſiſtant,
noſtróque fideliter parentes imperio, pro incolumitate noſtra noſtræque conjugis &
prolis ſeu etiam totius Imperii à Deo nobis collati ejuſque gratiſſimâ miſeratione
perpetuò conſervandi, unà cum Clero ſibi commiſſo immenſam Clementiam jugiter
exorent. Si quid verò de præfati Monaſterii rebus per tepiditatem & negligentiam
Abbatum aut præceptionem Judicum abſtractum eſt, id per noſtram auctoritatem
prorſus reſtaurandum præcipimus. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effec-
tum, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris verius credatur, manu propriâ
ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici
Sereniſſimi Imperatoris ..... ad vicem Heliſachar recognovit. Data III Ka-
*lend. Septembris, anno, Chriſto propitio, IIII * Imperii Domini Ludovici Piiſ-* * Edit. III.
ſimi Auguſti, Indictione X. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine

AN. CH. 817.

feliciter. Amen. Ut Imperii Ludoviciani annum quartum loco tertii reponeremus, non tantùm ſuaſit Indictio decima, ſed etiam locus ubi datum Diploma, Ludovicus enim tertio Kalendas Septembris, anno Imperii ſui quarto, ſive anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, morabatur adhuc Aquiſgrani, Remis verò degebat anno ſuperiore, tertio eaſdem Kalendas Septembris, ut ad illum annum [a] obſervavimus.

[a] An. 816. n. 21.

CCCLXIX. In Gallia [b] Chriſtiana mentio fit aliorum Præceptorum pro Eccleſiis Helenenſi ac Lemovicenſi. Ramnus Helenenſis Epiſcopus, quem Wenedurio, poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum ſucceſſiſſe, & ad tempora uſque Ludovici Pii perveniſſe jam monuimus [c], ab eodem Ludovico circa hunc annum impetraſſe dicitur Præceptum in confirmationem Privilegiorum ac donorum, quæ Carolus Magnus Helenenſi Eccleſiæ contulerat. Similiter Remigibertus ſeu Regimbertus Lemovicenſis Epiſcopus, quem Tomo ſuperiore ante annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum Aſclepio ſuffecimus [d], à Ludovico Auguſto confirmationem Privilegiorum, quæ Sancto Stephano, id eſt, Eccleſiæ Cathedrali Deo ſub nuncupatione Sancti Stephani Lemovicis dedicatæ, priùs conceſſa fuerant, hoc anno legitur impetraſſe. Obtinuit & idem Remigibertus hoc eodem anno aliud Præceptum, quod à Joanne Beſlyo ſic ex Tabulario Lemovicenſi publicatum eſt in Tractatu de Regibus Aquitanorum. *In Nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si petitionibus Sacerdotum juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſuperni muneris donum nobis à Domino impertiri credimus. Idcircò notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris, tam præſentibus quàm futuris, quia Vir Venerabilis Regimpertus Limovicæ urbis Epiſcopus adiens Serenitatem Culminis noſtri innotuit nobis eò quòd quidam Diaconus nomine Mathuſalam ex Canonica prædictæ urbis, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Stephani, jamdudum ei quaſdam res juris noſtri proprietatis ſuæ tradidiſſet, quæ ſunt in eodem pago Lemovicino in loco nuncupante Carentenago, id eſt, cellulam quam ipſe & præfatus Epiſcopus de rebus acquiſitis poſteà largiente Deo pleniùs ditaverunt, & omnes has res ad ſtipendia Canonicorum in prædicta Canonica degentium delegaverunt, ob quam cauſam petiit Clementiam Serenitatis noſtræ, ut ſuper hac re noſtrum Præceptum ob firmitatis gratiam fieri juberemus, per quod noſtris & futuris temporibus prædicta Cellula cum omnibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus ad ſtipendia & uſus Canonicorum prædictæ Sedis degentium proficerent. Cujus petitioni adſenſum præbentes, ac noſtræ auctoritatis Præcepto confirmantes præcipimus atque jubemus, ut nullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quàm & futuris de prædictis rebus per cupidinem vel occaſionem aliquam minuere præſumat, ſed prædicta Cellula cum omnibus ad ſe legaliter & rationabiliter aſpicientibus, ſicut ab eodem Epiſcopo diſpoſitum atque ordinatum eſt, ita deinceps noſtris & futuris temporibus inviolabiliter conſervetur, & nullus quilibet ex ſucceſſoribus jam prænominati Epiſcopi eandem Cellulam in beneficium alicui dare audeat, aut in alteros uſus retorquere præſumat. Sed ſicut ab illo & per illum conſtitutum, & per hanc noſtram auctoritatem confirmatum eſt, ita perpetuò maneat inconvulſum. Hæc verò confirmatio ut ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur, & diligentiùs conſervetur, de annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovi. Data 17 Kalendas Auguſti, anno Chriſto propitio 4 Imperii Domini Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione 10. Actum Aquiſgrano Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

[b] Tom. 2. in Epiſc. Helen. & Lemovic.

[c] Tom. 6. a. 791. n. 35.

PRO ECCLESIA HELENENSI.

[d] Vide an. 793. n. 22.

PRO ECCLESIA LEMOVICENSI.

CCCLXX. Apud Jacobum Vignerium in Chronico Lingonenſi [e], Betto Lingonenſis Epiſcopus *tutatus* dicitur *poſſeſſiones Monaſterii Beſuenſis, Hildegario Hattuariorum Comite cauſas ex officio dijudicante, anno Chriſti 816 & 818, Ludovici Pii Regis Imperatoriſque ſecundo & quarto.* Notitiam utriuſque judicii repræſentat illius Cœnobii Chronographus, ad cujus oram Lucas Dacherius [f].

[e] In Epiſc. 34.

[f] Tom. 1. Spicileg.

Digitized by Google

AN. CH. 817.

non annos 816 & 818 ſed 815 & 817 rectè repoſuit. De primo judicio egimus ſuo loco [a]. Secundum nunc accipe ex eodem Chronographo Beſuenſi. *Noticia, qualiter ante Bettonem Epiſcopum & Balactarium Vicecomitem, ad vicem Hildegarni* ſive Hildegarii *Comitis, ſeu Scabineorum qui ibidem aderant, veniens Bernardus Advocatus Monaſterii Sancti Petri Fontis Beſuæ, & Betto Epiſcopus, in fines Bodingis-villæ & Alteriaci-villæ, ibi dedit tredecim teſtes appellatos his nominibus, Urſualdum, Aglardum, Guirindum, Marcherium, Aggonem, Symeonem, Garinum, Adalardum, Syrannum, Winierium, Ulgerium, Amalerium, Flauminum. Iſti teſtificaverunt, quòd inter illas veteres vias, quarum una pergit de Alteriaco-villa ad Colonias-villam, & altera pergit de Furto-villa ad Villarum, inter iſtas duas vias uſque ad locum, qui dicitur Vaccaria, & illum fontem, qui dicitur Springus, terra Sancti Petri eſt, tam in campis quàm in ſylvis, & ſemper exinde veſtita fuerit ipſa caſa Dei, Monaſterium ſcilicet Sancti Petri Beſuenſis, per legem & per rectum. Actum his præſentibus, Madalberto, Adalelmo, Balatterio Vicecomite, Urſuado, Gunduino, Flaumiro, Syranno, Aglardo, Marcherio, Aggone, Girvio, Adalardo, Winerio, Ulgerio, Bettone Vicario & Miſſo ab Hildegarno Comite, Zizone, Unibaldo, Hugberto, Aribaſto, Vebalto, Laipno. Ego Aldoerius Lector hanc Notitiam ſcripſi, anno quarto Imperii Domni noſtri Hludovici Regis atque Imperatoris.*

[a] Ad an. 815. n. 27.

BETTO EP. LINGON. TUETUR POSSESSIONES MONASTERII BESUENSIS.

Apud Stumpffium hoc anno memoratur Paſchalis Epiſcopus Lauſannenſis, cujus deceſſor Fredaricus ſeu Fredarius ante biennium à nobis laudatus.

CCCLXXI. EPISCOPI LAUSANNENSES.

Adalwinus Reginoburgenſis Epiſcopus, cui Wiguleus Hundius & Gabriel Bucelinus annos in Epiſcopatu ſex ac viginti tribuunt, vitam hoc anno clauſit, atque in Eccleſia Sancti Emmerammi, cui tunc Richpaldus ſeu Richobaldus Abbas præerat, cum ſuis anteceſſoribus ſepeliri voluit. Succeſſit Bathuricus. Moritur & hoc anno ſecundùm eoſdem Auctores Hatto Laureacenſis ac Patavienſis Epiſcopus, de cujus ſucceſſore par eſſe non poteſt conſenſus. Poſt Walderici mortem, quam Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimmm-octavum retulimus, ſic Hundius [b] de proximis ſucceſſoribus diſſerit. *De ſequentibus tribus Epiſcopis diſcrepant Annalium Scriptores, tam in ordine ſucceſſorum, quàm etiam in tempore. Annales Patavienſes ponunt Urolphum primo, Hattonem ſecundo, Reinharium tertio loco. Aventinus idem, niſi quòd videtur primo loco Hattonem ponere. Bruſchius de Laureaco veteri, qui Annales Patavienſes mendoſiſſimos dicit, invertit ordinem, ponens Hattonem primo, Reinharium ſecundo, & Urolphum tertio loco.* Hundius Patavienſes ſequitur Annales, & Urolphum Walderico ſubrogat. Ab hac opinione receſſimus, & Walderico ſuffecimus Hattonem, qui, teſte Anaſtaſio [c], Leonem Papam in Italiam redeuntem anno poſt obitum Walderici proximo ſive anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono comitatus eſt. De Hattonis ſucceſſore quæſtio jam movetur. Urolphum nec Hattoni præponimus ut Hundius, nec Reginario poſtponimus ut Bruſchius, at medium illi locum Hattonem inter & Reginarium tribuimus. Sententiam noſtram infrà multis confirmabimus argumentis. Arno Metropolita Saliſburgienſis Adalwino & Hattoni Præſulibus Bojoariæ, de quibus ſuprà, vixit ſuperſtes. Anno proximo de illo ut & de Urolpho & Reginario ſucceſſoribus Hattonis recurret ſermo.

CCCLXXII. REGINOBURGENSES.

LAUREACENSES AC PATAVIENSES.

[b] Tom. 1. Metrop. in Ep. Patavienſ. 18.

[c] In Leone III PP.

Hieronymus Carnotenſis Epiſcopus, quem plerique Nomenclatores [d] annis decem ſediſſe teſtantur, hoc quoque deceſſit, ſi Carnotenſium Epiſcoporum Chronologiam benè aſſecuti ſumus. Hunc in Gallia Chriſtiana Robertus & Sammarthani Berninum etiam appellant. At Berninum ab Hieronymo diſtinguendum putamus, quoniam qui proximè ſequitur Helias, Epiſcopatum poſt Ebbonis Remenſis Archiepiſcopi depoſitionem ſeriùs adipiſcetur. Succeſſit igitur Hieronymo Berninus, tum Helias, quem Hincmarus [e] ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum, quo

CCCLXXIII. CARNOTENSES.

[d] Roliard. Chenut.

[e] In poſter. Apol. contra Godeſch. c. 36.

AN. CH. 817. Remenſis Archiepiſcopus gradu ſuo dejicitur, Preſbyterum adhuc appellat. *Dictatum eſt*, inquit, *à Jona Aurelianenſe Epiſcopo, Heliæ Presbytero, poſtea Carnotenſi Epiſcopo.*

CCCLXXIV. ALETENSES. In Armorica Sancta Hælocarus ſive Heloga, poſtquàm Aletenſem Epiſcopatum quinquennio geſſit, hoc anno moritur, eique ſucceſſor datur Ermor ſive Ermorus.

CCCLXXV. ABBATES OTTENBURANI. Gabriel Bucelinus in ſecunda parte Germaniæ Sacræ profert Catalogum Abbatum Ottenburanorum, aſſeritque de Tutone ſeu Totone illius loci primo Abbate, quòd *non ſine opinione Sanctitatis 13 Cal. Dec. ad ſuperos migravit an. C. 817. regiminis 48. vitæ 80. Miraculorum gloriâ poſt mortem illuſtratus.* Deinde addit de Milone proximo Totonis ſucceſſore, quod *vir* fuit *nobilis & ſolidæ in Deum pietatis*, quem Ludovicus Imperator *in ſpecialem tutelam* recepit. Idem Auctor in Chronologia Rhetiæ, Guidonem Fabarienſem Abbatem cognomento Felicem, cujus mentionem anno ſuperiori fecimus, poſt annuam Præfecturam hoc anno mortuum ſcribit, dicitque feliciorem, *quòd cum magna Religionis opinione ad meliora tranſlatus eſt 28 Aprilis.* Succeſſit Vipertus ex Monacho San-Gallenſi.

FABARIENSES.

CCCLXXVI. RATGARIUS ABB. FULDENSIS DEPONITUR. In Annalibus Fuldenſibus hoc anno *Ratgarius Abbas Fuldenſis Cœnobii accuſatus à fratribus, & convictus, deponitur.* Qua de lite ſic Chriſtophorus Browerus in Antiquitatibus Fuldenſibus [a]. *Tota Congregatio adversùs Ratgarium tertium Abbatem, quem mirâ nuper concordiâ ſibi præfecerat, ſciſſa atque diviſa, in magnas ſe turbas motúſque conjecit. Enimverò, cùm perennem diſcordiæ ſegetem, oves inter & Paſtorem, ſatana miniſtri alerent, & Ratgarius non pœnitendus alioquin Antiſtes, in aſperiora verſus, malum bono vincere neſciret, denique membra tam longè à capite ſuo abiere, ut, niſi Regum auctoritate, hujus diſſidii vulnera non coaleſcerent. Hinc Magno Carolo adhuc ſuperſtite libellus ſupplex ille datus eſt, argumento multarum querelarum, quo ſtatus Monaſterii inter ortûs ſui prima germina flaccescentis, & graphicè deſcribitur, & juſtè deploratur,* ut dictum eſt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium. *Porrò Ratgarius vir genere nobilis, & ad magna natus, non tam culpâ ſuâ, ut mea quidem opinio fert, quàm interventorum, exaſperaſſe videtur Cœnobitas, qui recentis inſtituti zelo flagrantes, perire ſibi veteris diſciplinæ rigorem nolebant, unde cùm exulceratis, ut fit, utrimque animis, Præſul ſummo jure nuſquam cedendo, Congregationem premit, & omnium à ſe voluntates abjungit, Ludovici Imperatoris ope imploratâ, excedere gubernaculis, & vitam eum complecti privatam placuit, poſtquàm* XV *annis*, ab anno videlicet Redemptoris octingenteſimo ſecundo ad hunc uſque annum, *ſpectabili magnificentiâ Monaſterio præfuiſſet.* Monachi Fuldenſes, recenti adhuc vulneris cicatrice, liberè in eum invecti ſunt. Candidus inter accuſationis capita memorat *auſteritatem indiſcreti Paſtoris, quo ſedente non pauci Monachi prætextu alicujus utilitatis ad alia Monaſteria extruſi ſunt propter quamdam parviſſimam reſponſionem neceſſariæ dictionis, &, quod eo tempore dictu & viſu miſerabile fuit, ſenes atque decrepiti abſque ulla miſeratione ad loca diverſa trahebantur inviti.* Hinc in Carminum libro Modeſtus eundem Ratgarium memorabili expinxit ſchemate, poſuit enim juxta eum imaginem monocerotis in ovium gregem incurrentis infeſto cornu, adjecitque hos Candidi Verſus de tribus antiquiſſimis Monaſterii Fuldenſis Abbatibus, Sturmione, Baugolffo & Ratgario.

[a] Lib. 1. c. 21.

Contigit interea ſenio morboque peresum
Sturmen, qui fuerat primus fundator & Abbas
Cœnobii Fuldenſis, ab hac quoque luce migraſſe,
Credimus in lucem ſemper ſine fine manentem.
Cujus poſt obitum concordi voce beatum
Baugolff eligitur, larga Germanica proles,
Ritè Pater, præceſſoris porrectus ab ore.
Hoc jam ceſſante ſucceſſit monoceros, qui

Digitized by Google

Forte gregem ſibi commiſſum (res fœda refertur)
Neſcio quâ fronte ſtimulis agitabat ineptis,
Donec vi nimiâ, paſtum, fontéſque fluentes,
Dulcia namque loca ..... & ſtabula alta coactus
Deſerit, atque fugâ regnis deceſſit avitis.

Rabanus annos tunc natus erat duos ac triginta, tantæ diſſenſionis ſpectator & pars fuit; Ratgarii cultor & alumnus licèt adprimè pius, ſciſſuræ tamen hujus non celavit ulcus in Poëmate [a] cui Titulum *de tranſitu Monachorum* dedit. CCCLXXVII. [a] Poëm. 30.

Ex quo ſeditio noxia dudum
Inter nos orta eſt, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Creſcens ſed nimiùm tempore multo
Aucta eſt, pérque dies ſorte malignâ
Vaſtavit populum, Patris ob iram.
Dureſcit qui animo & cedere neſcit.
Trux deturbat oves, cæde cruentat;
Nullius miſeret; ſævit in omnes.
His commota malis turba relinquit
Antiquum ſtabulum, fit peregrina.
Laſis una ſalus pergere longè eſt.
Venit ſumma dies, tempus amarum,
Quando extrema pati turba coacta eſt,
Et convicta malis linquere ſedes.
Cuncti conveniunt undique fratres,
Queis mens una fuit párque voluntas,
Immitem ut precibus flectere certent.
Duratus qui animo ſpreverat omnes,
Irritans populum pellit ab Æde,
Deſperare dedit Patris amorem.

Ratgarius exauctoratus exilii quoque pœnam ſubiit, ut Candidus in Ægilis vita notavit. Longiùs fortè deportatus eſt, ne rerum novarum adeſſet occaſio. Quid ſecutum ſit, anno proximo dicemus. CCCLXXVIII. EXULAT.

Ado ſive Aldo Epternacenſis Abbas apud Bruſchium vitam hoc anno claudit, illam apud Bucelinum ad ſequentem uſque annum prorogat. Succeſſor ab iiſdem Auctoribus vocatur Sigoaldus, à Bruſchio prædicatur *Spoletinæ urbis Epiſcopus*, à Bucelino dicitur *ex Spoletanæ urbis Epiſcopo Abbas*, à Roberto & Sammarthanis appellatur Siginaldus nullâ Spoletanæ Sedis mentione factâ, nec alius cenſeri debet à Sigualdo Spoletano Epiſcopo, qui, teſte Ughello [b], ſedebat anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, vixítque Ludovico & Lothario Imperatoribus percharus. CCCLXXIX. ABBATES EPTERNAC. [b] Tom. 1. Ital. Sacr. in Ep. Spolet. 16.

In Gallia Chriſtiana Hilduinus Abbas Sancti Medardi prope Sueſſionem à Sammarthanis hoc anno commendatur. Eorumdem Nomenclatorum auctoritate freti Hugobertum Abbatem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeviceſimum Tomo quarto memoravimus. Ab hoc Hugoberto ad Hilduinum uſque manci ſunt Abbatum Medardinorum Catalogi. Nec admittendus videtur Hugo Caroli Magni & Reginæ filius, quem iidem Scriptores Abbatem *circa an. 806* conſtituunt, uſuram enim lucis ante annum Redemptoris octingenteſimum octavum non accepit. Illo de Hugone ſæpiùs locuturi ſumus. Ceterùm Hilduinus, de quo nobis hîc ſermo, non tantùm Sancti Medardi prope Sueſſionem, ſed etiam Sancti Dionyſii in agro Pariſienſi poſt Waltonem, ut ante triennium [c] obſervavimus, necnon & Sancti Germani ad muros Pariſienſes Abbas fuit poſt Irminonem ſive Yrmionem, quem Ludovicus Imperator duodecimo Kalendas Decembris, anno Imperii ſui quarto, Indictione undecimâ jam inchoatâ, ſive hoc anno CCCLXXX. HILDUINUS ABB. S. MEDARDI SUESSION. [c] Ad an. 814. n. 65.

AN. CH 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, in Diplomate pro Eccleſia Tornacenſi laudavit [a]. Quam Bertinianus Annaliſta narrationem rerum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto geſtarum texuit, in Aimoini Continuatione caput eſſe reperies centeſimum decimum-quartum libri quarti de Geſtis Francorum. Hilduinus cùm ab Annaliſta Bertiniano tum ab Aimoini Continuatore vocatur *Abbas Monaſterii Sancti Dionyſii Martyris*. At in fine prænotati capitis occurrit additio, quam Aimoinianæ Continuationis Interpolator de Sanctorum Medardi & Germani Monaſteriis eidem commiſſis Hilduino ſic adjecit. *Ipſe autem Venerabilis Abbas præfatus Hilduinus inter plurima, quæ ei Auguſtali benignitate commiſſa fuerant Monaſteria, habebat procurationem Cœnobii nobilis in proſpectu urbis Sueſſorum, quod Clotharius quondam Rex Francorum, filiúſque ejus Sigebertus, in honorem beatiſſimi Medardi Confeſſoris Chriſti magnis conſtruxerant ſumptibus, in quo & ejus ſacratiſſima tumulaverant membra. Simili modo prædictus Abbas poſt deceſſum Irminonis regebat locum Sancti Vincentii Levitæ & Martyris in ſuburbano urbis Parrhiſiacæ, ubi precioſus Chriſti Confeſſor Germanus requieſcit, quod Childebertus Rex quondam Francorum inclytus, frater prædicti Regis Clotharii, adificavit.*

[a] Hoc an. p. 364.

CCCLXXXI. ABBATES LUXOVIENSES.

Anſegiſus Flaviacenſis Abbas, de quo fuſiùs ante biennium ſcripſimus, hoc anno poſt Dadini mortem factus eſt Abbas Luxovienſis. Audi Chronographum Fontanellenſem [b]. *Ludovicus, à quo Domnus Anſegiſus magnificè honorari meruit, anno Imperii ſui* IV *Luxovium famoſum Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure eidem contulit. Quo anno Stephanus Papa tertio menſe, poſtquàm Romam remeaverat reverſus de Francis,* VIII *Calendas Febr. vitâ deceſſit, in cujus Sede Paſchalis ſucceſſor efficitur.* Hi Characteres in annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum conveniunt. Lucas Dacherius in Notis ad Guiberti Abbatis opera compendium Hiſtoriæ Flaviacenſis edidit, & Anſegiſi Præfecturam poſt annum Redemptoris octingenteſimum ſexageſimum perperam rejecit. Anſegiſo ſucceſſiſſe credimus Adebrardum, quem idem Auctor à Ludovico Pio dilectum aſſerit ex manuſcripto Codice. Prrò cùm audis Anſegiſum in Luxovienſem Abbatem hoc aſſumptum anno, qui ſecundus Eginhardi Fontanellenſis Abbatis numeratur, obſerva prædictum Anſegiſum in Fontanellenſi Chronico rectè vocatum Flaviacenſem Abbatem, cùm Eginhardus jam Abbas eſſet.

[b] Cap. 16.

FLAVIACENSES.

CCCLXXXII. CATALOGUS EPISCOPORUM STRASBURGENSIUM EXAMINATUR.

Gaſpar Bruſchius in Argentinenſibus Epiſcopis quorum Catalogum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo undequinquageſimo publicavit, Uthonem hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-ſeptimo Straſburgenſem ſive Argentinenſem Epiſcopum agnovit. In eadem opinione jam verſatus fuerat Jacobus Wimphelingius, qui florebat anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo-quarto, texuitque Argentinenſium Epiſcoporum Indicem, poſt ſeſquiſeculum & ampliùs in lucem tandem emiſſum anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo. Non aliter cenſuit & Gabriel Bucelinus in eorumdem Argentinenſium Epiſcoporum Nomenclatura, quam in parte prima Germaniæ Sacræ concinnavit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto. Franciſcus Guillimannus in Commentario de Argentinenſibus Epiſcopis, quem typis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octavo commiſit, Argentinenſem Epiſcopum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo non Uthonem ſed Adelochum laudavit. Jacobus Sirmondus ad illum annum nec Uthonem nec Adelochum ſed Bernaltum Argentarienſem Epiſcopum prædicavit in veteribus Formatarum Epiſcopalium Formulis, quas in antiquis Galliæ Conciliis ad calcem Tomi ſecundi collegit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo undetriceſimo. Sammarthani Sirmondum in auctiore Gallia Chriſtiana ſecuti ſunt anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto. Singulæ nunc opiniones examinandæ.

Argentinenſium

Digitized by Google

Argentinenſium Epiſcoporum Chronologia ſic ab anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo ad annum Redemptoris octingenteſimum quinquageſimum-ſeptimum apud Bruſchium inſtituitur. Utho ſit Epiſcopus *anno Domini 812*, ſedet *annis novem*, moritur *anno Chriſtianæ ſalutis 821*. Erlenhardus ſive Urlenhardus Uthoni ſuccedit, præeſt *annis ſeptem*, decedit *anno Domini 828*. Adelochus Epiſcopatum poſt Erlenhardum gerit *annis duodecim*, obit *anno Chriſti 840*. Bernoldus conſtituitur Epiſcopus *anno Chriſti 840*, Eccleſiam regit *annis ſeptendecim*, ex hac vita migrat *anno Domini 857*. Bucelinus à Bruſchio non recedit.

Apud Wimphelingium eadem eſt ſeries Epiſcoporum, idémque penè calculus. Uto Diœceſim gubernat *annis novem*, Erlehardus *ſeptem*, Adelochus *decem*. Hic autem ſedet *anno Chriſti octingenteſimo triceſimo*, ejúſque ſucceſſor Bernoldus *anno Domini octingenteſimo quadrageſimo* Pontificatum init.

Guillimannus meritò ridet Bruſchium, cujus Chronologia cum Diplomatibus Ludovici Pii non convenit. At ipſe nævo non caret. Imprimis eandem cum Bruſchio ſeriem Epiſcoporum ſervat, Uthoni Erlehardum, Erlehardo Adalochum, Adalocho Bernaldum ſufficit. Deinde Uthoni tribuit annos in Epiſcopatu novem, additque illum interfuiſſe *Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & Monaſteriorum tractata atque ordinata ſunt, Legibus etiam Capitula quædam perneceſſaria, quia deerant, addita ſunt an. Domini* DCCCXIX. Hæc quomodo ſtare poſſunt cum Ludovici Pii Diplomate, ex quo infert eundem Adalochum Aquiſgranenſi Conventui adfuiſſe *anno Domini* DCCCXVII, cùm *Imperator Hlotharium primogenitum coronavit & conſortem Imperii fecit, reliquos filios Reges, alterum Aquitaniæ, alterum Bojoariæ creavit?* Si veritatem Hiſtoriæ vis aſſequi, quæcumque de Conventibus Aquiſgranenſibus Auctor ille ad annum Redemptoris octingenteſimum undeviceſimum ſub Uthone & ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum ſcripſit, ad unum eundémque refer Aquiſgranenſem Conventum, qui celebratus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, fuséque ſuprà per partes à nobis expoſitus fuit; utque Adalochus illo anno ſedeat Epiſcopus, ex annis novem, quibus Utho Pontificatum ab anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo geſſiſſe perhibetur, ſex reſcinde, & Erlehardum Epiſcopum, qui medius Uthonem inter & Adalochum collocatur, in alium rejice locum, ac ſeriùs ad Epiſcopales Infulas promotum arbitrare. Nititur hæc emendatio Diplomate Ludoviciano, cujus fragmenta Guillimannus in Adalocho ſic edidit [a]. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hluduvicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis &c. Idcircò noverit &c. quia Vir Venerabilis Adaloch Argentoratenſis ſive Strasburgenſis * Eccleſiæ vocatus Epiſcopus, quæ eſt conſtructa &c. detulit obtutibus noſtris auctoritatem Domini & Genitoris noſtri Caroli bonæ memoriæ Piiſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, qualiter quondam quoddam Sacellum nuncupatum Stilla &c. per loca denominata, id eſt, per Regia ſtrata, qui pergit ſuper rivolum, qui dicitur Stilla, ſuper rura Rummaldi, deinde ubi dicitur Paphi nirnaida. Inde totum montem, qui vocatur Arleſgisbergo, uſque rivolus ſurgit, qui dicitur Harla, deinde ubi Vichia ſurgit, uſquequo in Bruſca ingreditur. Inde iterum per longa Bruſca, uſquedum Stilla intus ingreditur, &c. & Dominus ac Genitor noſter &c. Signum Hluduvici Regis Sereniſſimi Imperatoris.. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar * recognovi. Data* v *Kalen. Septembris, anno, Chriſto propitio, tertio Imperii Domini Hluduvici Piiſſimi Auguſti, Indictione* x. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictio decima per menſem Auguſtum convenit cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, iſque annus Chriſti cum tertio Ludovici Auguſti, ſi annus Redemptoris octingenteſimus decimus-quartus, quo Carolus Magnus obiit, poſtremus numeratur

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1. CCCLXXXIII. CCCLXXXIV. CCCLXXXV.

[a] In Epiſc. 23.

* Edit. Straeburgenſis

ADALOCHUS EP. PRÆCEPTUM OBTINET A LUDOVICO AUG.

* Edit. Heliracher

AN. CH. 817. LUDOV. IMP. 4. LOTHAR. IMP. 1. BERN. R. 4. PIPPINI R. 3. LUDOV. R. 1.

Imperii Carolini, & annus Redemptoris octingenteſimus decimus-quintus cenſetur primus Imperii Ludoviciani, alioquin loco III, reponendus eſt annus IIII, ut rectè cum Indictione X per menſem Auguſtum componatur.

Sirmondus Epiſcoporum Straſburgenſium Catalogum non habet, refert tantùm epiſtolam Wolfeonis Conſtantienſis Epiſcopi ad Bernaltum Argentarienſem Epiſcopum pro Annone Clerico, ut in ejus Parochia manere & ad ſacros Ordines promoveri poſſit, atque ex Indictione decima, quâ Wolfeo Formatam illam conſignat, annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum ſic colligit. *Indictio* X *& Wolfeonis Epiſcopatus annum denotant* DCCCXVII. At Indictio decima cum Wolfeonis Epiſcopatu conjuncta ut annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum ſic & octingenteſimum triceſimum-ſecundum deſignat. Ut autem Wolfeonis literas anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-ſecundo, Indictione decimâ, datas exiſtimemus, ſuadet nomen Bernalti Straſburgenſis Epiſcopi cui diriguntur. Argentinenſem enim ſeu Straſburgenſem Eccleſiam regebant, Adalochus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, Bernaltus ſeu Bernaldus aut Bernoldus ſeu Beroldus anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-ſecundo. Pontificatum Adalochi Ludovicus Auguſtus in Diplomate ſuprà citato determinatè notat ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, unde ſequitur literas Wolfeonis, quæ Bernaltum Epiſcopum per Indictionem decimam celebrant, in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum neceſſariò rejiciendas eſſe.

DCCLXXXVI.

DCCLXXXVII. Sammarthani in Argentoratenſibus Epiſcopis ab anno Redemptoris octingenteſimo tertio quo mortem Remedii conſignant, ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum quo memorant Bernaltum, quatuor intermedios, Rattonem videlicet, Uthonem, Herlevaldum ſive Urlevaldum, & Adalochum, abſque Chronologicis Characteribus recenſent. Ratto ſeu Recho vitam terminavit anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo. De ſucceſſoribus major eſt difficultas. Qui proximè ſucceſſit Utho diu non ſedit, locóque movendus eſt Erlehardus ſive Herlevaldus, anno enim Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Pontificatum jam gerebat Adalochus.

DCCLXXXVIII. Quonam anno hic cœperit ſedere, quótve annis Epiſcopatum tenuerit, haud conſtat. Wimphelingius annos in Epiſcopatu decem, duodecim Bruſchius & Bucelinus tribuunt, plures Guillimannus, quem enim anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo jam Epiſcopum agnoſcit, ſuperſtitem *circa ann. D. N.* DCCCXXX laudat. Primum patet ex Diplomate Ludovici Pii ſuprà deſcripto. Caret alterum notis Chronologicis, imò Chronologiæ repugnat, nam qui ſucceſſit Bernaldus, is anno Ludovici Auguſti decimo-tertio, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, Pontificales Infulas jam obtinebat, ut liquet ex ejuſdem Ludovici Præcepto, quod Guillimannus evulgavit in hoc ſibimetipſi non parum adverſatus. Hæc obſervatio nos adducit, ut Adalochi Pontificatum decennio circumſcribamus ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto ad octingenteſimum viceſimum-quintum. De Straſburgenſibus igitur Epiſcopis, qui Ludovico Auguſto floruerunt, hoc noſtrum eſto judicium. Utho, qui priùs ad munus Epiſcopale quàm Ludovicus ad Imperatoriam Dignitatem promotus eſt, vitam clauſit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto. Poſt eum ſedit Adalochus, tum Bernaltus, ille annis decem, hic ſeptemdecim. Uterque variis ex Diplomatibus innoteſcit, Adalochus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum ut probavimus ſuprà, Bernaldus ad annos Redemptoris, octingenteſimum viceſimum-ſextum, octingenteſimum triceſimum-primum, & octingenteſimum triceſimum-ſecundum, ut dicemus infrà ſuis locis, partim hoc Tomo, partim ſequenti.

Digitized by Google

ANNUS					AN. CH. 818.
CHRISTI		818.			LUDOV. IMP. 5.
LUDOVICI	IMP.	5.			LOTHAR. IMP. 2.
	REG.	38.	13.	1.	BERN. R. 5.
LOTHARII	IMP.	2.			PIPPINI R. 4.
	REG.	4.			LUDOV. R. 2.
BERNARDI	REG.	5.			
PIPPINI III.	REG.	4.	2.		
LUDOVICI	REG.	2.			
INDICTIO		11.			

I. BERNARDUS REX ITALIÆ CAPTIVUS AD LUDOVICUM AUG. ADDUCITUR.

INEUNTE anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, cùm Ludovicus Imperator apud Cabilonem, ubi Natalem Domini celebrarat, moras ageret, adductus eſt ad eum Bernardus Italiæ Rex cum præcipuis initæ conjurationis authoribus, ut anno priore per anteceſſum ex Annaliſta Laureshamenſi, ex Aſtronomo, & ex Chronographo Moiſſiacenſi jam inſinuavimus. Illorum textus ex parte neceſſariò repetendi videntur. Annaliſta ſic habet. *Bernardus rebus ſuis diffidens, maximè quòd ſe à ſuis quotidie deſeri videbat, armis depoſitis apud Cabillonem Imperatori ſe tradidit. Quem ceteri ſecuti non ſolùm armis depoſitis ſe dediderunt, verùm ultrò & ad primam interrogationem omnia, ut geſta erant, aperuerunt.* Aſtronomus, ſic. *Bernardus, quum ſe cerneret viribus imparem & ad cæpta inefficacem, utpote à quo plurimi ſuorum quotidie deficerent, deſperatis rebus ad Imperatorem venit, armiſque depoſitis pedibus ſe ejus proſtravit confeſſus perperam ſe egiſſe. Cujus exemplum Primores ejus ſunt ſecuti, & armis depoſitis ſe ejus poteſtati & judicio ſubdiderunt. Sed & concinnationes, quomodo cæptam rebellionem & quare inchoaverint, & ad quem finem inchoata perducere voluerint, quóſve complices ſibi allexerint, ad primam prodiderunt interrogationem.* Sic verò Chronographus, cui potiorem hoc loco fidem habendam præmonuimus. *Barnardus cùm hæc audiſſet, terruit eum Dominus, ipſum & omnes qui ei conſenſerunt. Et comprehenſi ſunt ab exercitu, quem Imperator miſerat ante faciem ſuam, & comprehenſos cum ipſo Rege adduxerunt ad Imperatorem, qui erat tunc apud Cavallono, quod eſt ſuper Sagona flumine. Tunc ſub cuſtodiam miſſus eſt præfatus Rex cum Architeo Comite, qui auctor conſilii maligni fuerat, & alii, qui illi conſenſerant, ducti ſunt Aquis.* Non deſunt, qui librum *de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti* cenſeant à Paſchaſio Radberto ſcriptum hoc anno, quo Bernardus Italiæ Rex propter conſpirationem contra Ludovicum Imperatorem *lumine* orbatus eſt. Ex ipſa Præfatione conjiciunt hoc opus exaratum eſſe, cùm Adelhardus Corbeienſis Abbas exulabat, & Francia *diſcordiarum anfractibus* penè labebatur *effuſâ ſuper Magnates contentione Imperii.* Septennè Adelhardi exilium ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum metiuntur, & Paſchaſii textum interpretantur de bello quod Bernardus Italiæ ſeu Longo-

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. BERN. R. 5. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

bardiæ Rex excitavit. Philippus Labbeus Tomo ſecundo Diſſertationis Hiſtoricæ de Scriptoribus Eccleſiaſticis annum, quo Paſchaſius ſcripſit, haud notavit præcisè, ſed vagè intra ſeptennium quod Adelhardus egit in exilio. *Hic*, inquit, *liber videtur ſcriptus inter annum 815 *, quo exulare coactus eſt Adalardus Pippini Regis nepos & Caroli conſobrinus Auguſti, quem Arſenium vocat, & ſui ſeculi Jeremiam, & 822 quo in aulam ac Monaſterium revocatus eſt, ut ex Prologo aliiſque docetur argumentis.* Et ad calcem illius Tomi inter errata locum hunc ita corrigendum monuit. *Hic liber videtur ſcriptus ante annum 814, ut ex ejus*, nempe Paſchaſii, *vita colligitur.* De ejuſdem Paſchaſii Radberti ætate ſub initium hujus Voluminis ad annum Redemptoris octingenteſimum quartum [a] jam diſſeruimus, túncque vulgarem ac communem inſinuavimus opinionem, quæ librum, de quo loquimur, anno Chriſti circiter octingenteſimo duodeviceſimo ſcriptum affirmat. Re poſteà diligentiùs examinatâ deprehendimus ex ipſómet operis Prologo Adelhardum Corbeïenſem Abbatem priùs obiiſſe, quàm Paſchaſius Radbertus prædictum librum elucubrarit, & hunc Auctorem in illa Præfatione locutum eſſe de diſcordiis, quæ ſeriùs Ludovicum Auguſtum inter ejúſque filios exarſerunt. Quapropter de libro ſuprà nominato nullum hîc verbum faciemus, acturi de illo commodiùs ad annum quo fuit editus.

* Edit. corruptè 81.

[a] Num. 13.

II. Paucis poſt Paſchalem Solemnitatem diebus, Imperator judicium de Bernardo hactenus Rege ac conjuratis exercuit. Ea de re ſic Annaliſta Laureshamenſis. DCCCXVIII. *Detectâ fraude & conjuratione patefactâ, ac ſeditioſis omnibus in poteſtatem ſuam redactis, Imperator Aquaſgrani revertitur. Tranſactóque Quadrageſimali Jejunio, paucis poſt Sanctum Paſcha diebus, conjurationis auctores, qui ſuperiùs nominati ſunt, ſimul & Bernhardum Regem, judicio Francorum capitali ſententiâ condemnatos, luminibus tantùm juſſit orbari: Epiſcopos Synodali Decreto depoſitos Monaſteriis mancipari: ceteros, prout quiſque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio deportari, vel detondi atque in Monaſteriis converſari.* Præcipui ſeditionis auctores apud eundem Annaliſtam anno priore ſic enumerati reperiuntur. *Hujus conjurationis principes fuere Eggideo inter omnes amicos Regis primus, & Reginhardus Camerarius ejus, & Reginharius Reginharii Comitis filius, cujus maternus avus Hardradus olim in Germania cum multis ex ea provincia nobilibus*, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſextum [b] probavimus, *contra Karolum Imperatorem conjuravit. Erant præterea alii multi præclari & nobiles viri, qui in eodem ſcelere deprehenſi ſunt. Inter quos & aliqui Epiſcopi, Anshelmus Mediolanenſis, & Wolfoldus Cremonenſis, & Theodulfus Aurelianenſis fuere.*

CONDEMNATUR CUM AUCTORIBUS CONJURATIONIS.

[b] Num. 5.

III. Huic Annaliſtæ conſentanea ſcribit Aſtronomus in vita Ludovici Pii, ſubditque mortem Bernardi Regis, qui luminibus amiſſis vitam quoque præ triſtitia paulò pòſt amiſit. *Fuerunt*, inquit, *hujus conſpirationis auctores; Eggiddeo Regalium primus amicorum; Reginherius olim Comes Palatii Imperatoris, filius Reginherii Comitis; ſed & Reginhardus Præpoſitus Cameræ Regalis. Erant autem hujus ſceleris conſcii quamplures Clerici ſeu laici, inter quos, aliquos Epiſcopos hujus tempeſtatis procella involvit, Anſelmum ſcilicet Mediolanenſem, Wulfoldum Cremonenſem, ſed & Theodulfum Aurelianenſem. Poſtquàm verò defectionis propalati ſunt principes & cuſtodiæ mancipati, Aquiſgrani Imperator, ſicut decreverat, hyematum regreditur, ibíque, uſquedum ſacram Paſchæ Solemnitatem celebraret, remoratur. Poſt cujus feſtivitatis tranſactam celebritatem, Bernardum hactenus Regem, ejúſque fautores in ſupradicto ſcelere, quum lege judicióque Francorum deberent capitali invectione feriri, ſuppreſſâ triſtiori ſententiâ luminibus orbari conſenſit, licèt multis obnitentibus & animadverti in eos totâ ſeveritate legali cupientibus. At verò licèt Imperator indulgentiùs ageret, ultio tamen eliminata ad effectum in aliquos eſt perducta. Etenim Bernardus & Reginherius, dum impatientiùs oculorum amiſſionem & ablationem tulerunt, mortis acerbitatem ſibi conſciverunt. Epiſcopos porrò hac conſtrictos immanitate, ab Epi-*

Digitized by Google

ſcopis reliquis depoſitos, Monaſteriis mancipavit. Ceterorum autem nullum vel vitâ privari juſſit, vel membrorum amputatione multari, ſed ſecundùm quod exigente culpâ viſum eſt, alios exiliari, alios juſſit attondi.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. BERN. R. 5. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2. IV.

His Auctoribus adjungemus & Theganum[a], quia de Bernardi morte, déque Ludovici fratribus, Drogone, Hugone, & Theodorico, pleraque narravit ab aliis omiſſa. *Inventi ſunt nonnulli in hac ſeductione eſſe lapſi ex utraque parte Francorum atque Longobardorum, qui omnes judicati ſunt ad mortem, præter Epiſcopos, qui poſtmodum depoſiti in confeſſione eorum facti ſunt. Hoc fuit, Anshelmus Mediolanenſis, & Wolvodus Cremonenſis, & Theodulfus Aurelianenſis. Illud judicium mortale, quod à ceteris factum eſt, Imperator exercere noluit, ſed Conſiliarii Bernhardum luminibus privarunt, ſimiliter & exhortatores ſuos Egitteum, Reinhartum, & Reginharium, qui erat filius filiæ Hardiati, qui erat Dux Auſtriæ infideliſſimus, qui jamdudum inſurgere in Dominum Karolum voluit, & ei Regnum minuere, qui eodem ſupplicio deputatus eſt, ſicut filiæ ſuæ filius ſuſtinuit cum conſentaneis ſuis. Tertio die poſt amiſſionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator magno eum dolore deflevit. Eodem tempore juſſit fratres ſuos tonſurari, Drugonem, Hugonem, & Theodoricum, ad diſcordiam mitigandam, & liberalibus diſciplinis juſſit inſtrui.*

[a] Capp. 22. 23. 24.

V.

Bernardus apud Nithardum[b] *à Berimundo Lugdunenſis provinciæ Præfecto luminibus pariter & vitâ privatur.* Id eſt, excæcatur decimo-octavo Kalendas Maii, vitámque triduo pòſt præ mœrore claudit decimo-quinto eaſdem Kalendas. Nam, teſte Sigonio[c], Mediolani cippus ejus inviſitur in Ædе Sancti Ambroſii cum hoc elogio. *Bernardus civilitate mirabilis, ceteríſque piis virtutibus inclytus Rex hîc requieſcit. Regnavit annos* IIII. *menſes* V. *Obiit* XV *Kalend. Maii, filius piæ memoriæ Pippini.* Superſtes avo Carolo Magno, præter annos quatuor, menſes duntaxat duos vixit ac dies viginti, menſes verò quinque ſi principium Regni ſumitur à die quo Rex à prædicto avo Carolo dictus fuit. Vitam non produxit annos ultra duos ac viginti. Filium nomine Pippinum, quem Ludovicus Auguſtus in Galliam adduci juſſit, in tenera reliquit ætate. Lege Reginonem.

[b] Lib. 1. EXCÆCATUS MORITUR.

[c] Lib. 4. ad hunc an. PIPPINUS ejus FILIUS IN GALLIAM ADDUCITUR.

VI.

Judices ſententiam mortis in Bernardum Regem tulerunt, non quia Ludovicum Imperatorem bello laceſſiverat, ſed quia malis artibus in ejuſdem patrui caput conjurarat. *Eminuit*, inquit Annaliſta Laureshamenſis[d], *Piiſſimi Imperatoris* Ludovici *miſericordia ſingularis, quam oſtendit ſuper eos, qui cum Bernhardo nepote ſuo in Italia contra caput ac Regnum ſuum conjuraverunt.* Et Aſtronomus[e] eundem Imperatorem laudat ob inſignem clementiam, quâ pepercit omnibus, *qui contra vitam ſuam Regnúmque conjuraverant.*

[d] Ad an. 821.

[e] Ad an 821.

VII.

Propter eandem conjurationem tres in judicium vocati ſunt Antiſtites, Anſelmus Metropolitanus Mediolanenſis, Wulfoldus Cremonenſis Epiſcopus, & Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis. Anſelmus & Wulfoldus Diœceſes in Regno Bernardi regebant, reíque non habiti ſunt quòd Bernardi Regis ſui partibus adhæſerint, ſed quòd participes nefarii fuerint conſilii, quo vitam Imperatori per inſidias eripere moliebatur. Theodulfus Epiſcopatum gerebat in ditione Ludovici, ſed cùm patriâ Italus eſſet, in proditionis ſuſpicionem facilè venit. Apud Annaliſtam Laureshamenſem Imperator *Epiſcopos Synodali Decreto depoſitos Monaſteriis mancipari* jubet; apud Aſtronomum *Epiſcopos ab Epiſcopis reliquis depoſitos Monaſteriis* mancipat; & Theganus inſinuat eoſdem Epiſcopos crimen confeſſos eſſe, *qui poſtmodum*, inquit, *depoſiti in confeſſione eorum facti ſunt.* Id admodum probabile videtur de Anſelmo & Wulfoldo, neutiquam verò de Theodulfo, qui conſtanter innocentem uſquequaque ſe dixit, ut conſtat ex ejus Carminibus ad Aiulfum Bituricenſem Archiepiſcopum & ad Modoinum Epiſcopum Auguſtodunenſem, de quibus acturi ſumus anno proximo. Quin & extat Modoini Carmen, in quo fruſtrà ſpes veniæ ſit eidem Theodulfo, ſi reum objecti criminis fateri ſe velit. Licèt autem Anſelmus & Wulfoldus necnon

EPISCOPI PARTICIPES CONJURATIONIS IN MONASTERIA RELEGANTUR, SYNODALI PRIÙS DECRETO DEPOSITI.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

& Theodulfus ab aliis Epiſcopis depoſiti fuerint atque ab Imperatore in Monaſteria relegati, tamen haud actum eſt de ſucceſſoribus per eorum abſentiam conſtituendis.

Ludovicus Imperator Bernardi Regis ditionem bello partam retinuit, prole illius maſculâ in Gallias abductâ. Deinde *metuens ne prædicti fratres*, Drogo, Hugo, & Theodoricus, *populo ſollicitato eadem facerent*, quæ Bernardus ſuſceperat, *ad Conventum publicum eos venire præcepit, totondit, ac per Monaſteria ſub libera cuſtodia commendavit.* Ita ſcribit Nithardus [a] nepos eorum ex ſorore. Nec aliud apud Theganum [b] innuit Ludovicus, ſuos enim fratres *tonſurari juſſit ad diſcordiam mitigandam*, id eſt, ut novandarum rerum occaſionem præſcinderet, quia, niſi capillos deponerent, eos paternarum ditionum partem aliquando repetituros ſuſpicabatur. Comâ depoſitâ facti ſunt Clerici atque in Monaſteria Clericorum miſſi, agebant annum ætatis, Drogo undecimum, Hugo decimum, & Theodoricus octavum. Erant ducendis uxoribus adhuc impares, idque operæpretium videtur hîc obſervare, quia Hugonem conjugatum fuiſſe, & ex uxore duas filias ſuſcepiſſe, Adelaidem & Petronillam, multi falsò tradiderunt. Ut autem hic annus Bernardi Regis poſtremus fuit, ſic & primus numeratur Ludovici Monarchiam Francorum adepti. Quapropter huic anno ſubſequentibúſque præfigendam duximus quartam illam epocham ejuſdem Ludovici.

VIII. FRATRES LUDOVICI AUGUSTI FIUNT CLERICI.

[a] Lib. 1.
[b] Cap. 24.

IX. LUDOVICUS AUG DAT PRÆCEPTUM PRO MON. FLORIACENSI.

Extincto Bernardo Rege Ludovicus Imperator in Armoricam profectus eſt. In itinere, cùm eſſet Aureliæ, ſexto Kalendas Auguſtas, anno Imperii ſui quinto, Indictione undecimâ, Præceptum emiſit pro Monaſterio Floriacenſi, cui præerat Adalgaudus Abbas. Lege Joannem Boſcium in Bibliotheca Floriacenſi [c], & Carolum Sauſſeyum in Annalibus Aurelianenſis Eccleſiæ [d]. Ludovicus in illo Diplomate diſertis verbis aſſerit Sancti Benedicti corpus in Cœnobio Floriacenſi requieſcere, teſtatúrque multa eidem Monaſterio conceſſa eſſe Privilegia cùm ab avo Pippino tum à patre Carolo, atque imprimis ut quatuor naves immunes ab omni debito fiſci per alveum Ligeris diſcurrerent. Hujus conceſſionis mentionem quoque facit Adrevaldus in libro primo [e] de Miraculis Sancti Benedicti.

[c] Inventar. Reſcript. c. 3.
[d] Lib. 4. n. 39.
[e] Cap. 19.

X. COMPESCIT TUMULTUM ARMORICÆ.

Imperator iter Aureliâ proſecutus eſt in Armoricam. Audi Theganum [f]. *Perrexit Dominus Imperator in partes Brittanniæ cum exercitu, & ibi Murmannus Dux eorum interfectus eſt, & omnem terram eorum ſuæ ditioni ſubegit.* Murmannus, quem Annaliſta Laureshamenſis Mormanum, Aſtronomus Marmonium vocat, initâ defectione Regium nomen uſurpavit. Imperator, ut ejus audaciam frangeret, *cum maximo exercitu Britanniam aggreſſus, generalem Conventum*, teſte Annaliſta Laureshamenſi, *Venedis habuit. Inde memoratam provinciam ingreſſus, captis rebellium munitionibus, brevi totam in ſuam poteſtatem non magno labore redegit. Nam poſtquàm Mormanus, qui in ea præter ſolitum Brittonibus morem Regiam ſibi vindicaverat poteſtatem, ab exercitu Imperatoris occiſus eſſet, nullus Britto inveniebatur, qui reſiſteret, aut qui imperata facere, aut qui obſides qui jubebantur dare renueret.* Aſtronomus conſentanea ſic ſcribit. *Nunciatur Imperatori protervia inobedientium Brittonum, qui in tantam inſolentiam eruperant, ut unum ſuorum, Marmonium nomine, Regem appellare auſi ſint, ſubjectionémque omnimodis recuſarint. Ad quorum inſolentiam ulciſcendam Imperator undequaque aggregatâ militari manu, fines Brittonum aggrediens, proficiſcitur, habitóque Venedis generali Conventu provinciam ingreditur, & parvo tempore & labore cuncta populatur, donec interfecto Marmonio, dum ſarcinis caſtrenſibus immeditatur, à quodam Regiorum equorum cuſtode, nomine Choſlo, tota cum eo Britannia victa ſuccubuit, & manus dedit, ad quaſcunque conditiones Imperator vellet denùo ſervitura. Nam & obſides qui & quanti juſſi ſunt, dati atque ſuſcepti, & omnis terra ſecundùm ſuam voluntatem diſpoſita eſt.* Utrobique pro *Venedis* legendum *Venetis*. Apud Gregorium Turonenſem [g], Venetorum caput atque urbs primaria *Veneti* * Gentis ipſius nomine ſic appellatur,

[f] Cap. 25.
[g] Lib. 10. c. 9.
* *Vannes.*

Digitized by Google

Ebrachario uſque Venetos urbem acceſſit. Imperator igitur in procinctu belli Britannici generalem Conventum Venetis, id, eſt in urbe primaria Venetorum, habuit, ubi tunc Epiſcopatum gerebat qui Kermarico nuper ſucceſſerat Wihelochus. Civitates Venetum, Corioſopitum, Oſiſmorum & Diablintum, Regnum olim Britannicum in Armorica conſtituebant. Clodoveus Magnus Regnum illud penitus extinxit, civitatem enim Venetum Britannis eripuit, eiſdémque ceteras conceſſit, modò abſtinerent Regio nomine, ſéque Comites impoſterum dicerent ac Regum Franciæ beneficiarios. Hæc docet Gregorius Turonenſis multis in locis, ac præcipuè libro quarto [a] Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi ſic habet. *Semper Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obitum Chlodovechi fuerunt, & Comites non Reges appellati ſunt.* Poſt Gregorii Turonenſis ætatem non defuerunt è Britannis, qui ſpreto Comitis titulo Regium nomen affectarent, at quoties rebellarunt, toties à Regibus Francorum victi ſunt. Exemplo poſt alios eſto Murmannus, qui periit in bello contra Ludovicum Auguſtum reus arreptæ tyrannidis. In vita Sancti Winwaloei, quam Godefridus Henſchenius ex Codice Armorico publicavit [b], mentio fit & motuum Britannicorum quos Imperator compeſcuit, & Monachorum Tevenecenſium qui Benedictinam Regulam tunc amplexi ſunt. Winwalocus, quem alii Guingalocum, Winnavalocum, Winwalocum, Winvalocum, Winnavinlocum, Wingalocum, Wingalotum, Wynolatum, Winebaldum, & Galnutium vocant, Monaſterium Tevenecenſe ſeu Cœnobium *Landewinoch* vulgò *Lantá-Tevennec* in Diœceſi Corentinopolitana conſtruxit, ac primus Abbas illius loci fuit, antequàm Clodoveus Magnus Armoricam ſubigeret. Regula, quam Beatus Winwaloeus diſcipulis ſuis præſcripſit, obſervata fuit in illo Monaſterio à primo conditu ad hunc uſque annum, ſive, ut Auctor vitæ ſcribit, *ad annum Ludovici Imperatoris* V, *Dominicæ Incarnationis* DCCCXVIII. Hanc mutationem idem Biographus ſic attingit. *Imperator, dum in eadem Britanniæ provincia caſtra fixiſſet ſuper fluvium Eligium, juxta ſylvam quæ dicitur Briſiaci hæc propriâ manu direxit mandata Matinonoco Abbati Monaſterii Landewinoch, ut nempe Regulam Sancti Benedicti ſequerentur, poſſibilem & laude dignam, déque tonſura pariter juxta taxatum modum cum Eccleſia concordarent, de quibus miſſam epiſtolam ſubſignavit. Hoc eodem anno prædicto*, nempe Ludovici Imperatoris quinto, Dominicæ Incarnationis DCCCXVIII, *cæpta eſt ſervari in eodem Monaſterio Regula Sancti Benedicti.* Ipſas quoque Ludovici literas Henſchenius in Notis ad prælaudatam Sancti Winwaloei vitam ſic edidit ex Codice Monſtrolienſi. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Omnibus Epiſcopis & univerſo Ordini Eccleſiaſtico Britanniæ conſiſtenti notum ſit, quia cùm Macmonicus Abbas ex Monaſterio Landewinnoch noſtram adiiſſet præſentiam, & illum ſive de converſatione Monachorum illarum partium, ſive de tonſione interrogaſſemus, & ad liquidum nobis, qualiter hæc forent, patefeciſſet, cognoſcentes, quia ab Scotis, ſive de converſatione, ſive de tonſione capitum accepiſſent, dum ordo totius Sanctæ Apoſtolicæ atque Romanæ Eccleſiæ aliter ſe habere dignoſcitur, placuit nobis, ut ſive de vita, ſive etiam de tonſura, cum univerſali Eccleſia, Deo diſpenſante, nobis commiſſa concordarent, & ideo juſſimus, ut & juxta Regulam Sancti Benedicti Patris viverent, quia poſſibilis & laude digna eſt, & de tonſura capitis juxta* ..... cum Sancta Romana Eccleſia, quia per Orbem terrarum dilatata eſt, concordent unitatem, & eumdem vivendi morem, juxta quod in Sancti atque Eximii Patris Benedicti Regula ſcriptum eſt, in hoc Monaſterio prædicto teneant, & in ſubjectis etiam ceteris qui noſtrum pleniſſimum juſſum exequi maluerint.*

Expeditione contra Britannos *completâ*, inquit Annaliſta Laureshamenſis, *cùm Imperator dimiſſo exercitu Andegavos civitatem eſſet reverſus, Irmingardis Regina conjunx ejus, quam proficiſcens ibi agrotantem dimiſerat, duobus diebus poſtquam ipſe ad eam venit, morbo invaleſcente* V *Non. Octob. deceſſit.* Ad-

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

[a] Cap. 4.

[b] D. 3. Mart.

REGULAM S. BENEDICTI IN MON. TEVENECENSI SUSCIPIENDAM CURAT.

* tam medicam

XI. AMITTIT IRMINGARDEM UXOREM.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

ſtipulatur Aſtronomus, additque curatam ibi Reginæ ſepulturam. *A finibus*, inquit, *Brittanniæ ita pacatis Imperator pedem retulit, & Andegavorum urbem repetiit. Ubi dum Hermengardis Regina longo fatigaretur incommodo, duobus diebus poſt regreſſionem Imperatoris ſupervixit, & tertio die obiit, quinto Nonas Octobris. Curatâ autem Reginæ ſepulturâ, Imperator per Rotomagum & Ambianorum urbem recto itinere ſe Aquiſgrani ad hiberna contulit.* Ex hoc Auctore conſtat Hermengardam Ludovici Pii conjugem, Andegavi quieſcere, nec eos à Guillimanno [a] redargui temerè, qui ſepultam in *Eriſtein* Alſatiæ Monaſterio volunt. Hujus Cœnobii ſitum in parte ſecunda Germaniæ Sacræ ſic deſcribit Bucelinus. *Erſtein Benedictinæ profeſſionis celebre virginum Monaſterium in partibus Alſatiæ Illium inter & Iſcheram amnes ſitum.* Quando & à quo conditum ſit hoc Monaſterium non ita liquet. Apud Guillimannum hæc leguntur ſub Uthone Epiſcopo Argentinenſi. *Præſidente Utone incepit Hermingardis Auguſta Pii Imperatoris uxor, ampliſſimum Monaſterium Eriſtein ſupra Argentinam, quod Lotharius I. Imperat. filius, & ejus uxor etiam Hermingardis multis modis cumularunt, & nobilitate tantùm conſpicuis Sanctimonialibus incoli & habitari voluerunt. In quarum gratiam multas etiam Sanctorum Reliquias eò tranſmiſit Leo Pontifex, præcipuè Sanctorum Martyrum, Sixti Pontificis, Felicis, & Adaucti. Sunt qui utramque Auguſtam in eodem Monaſterio ſepultam volunt. Poſteriorem crediderim. Nam priorem ſepultam ſcribit Joannes Tillius Andegavi an.* DCCCXVIII, V *Non. Octobris. Junior defuncta eſt anno* DCCCLI *teſte Rheginone.* Bucelinus conditum ait hoc Monaſterium *ſub annum 815* ab Hermingarda Ludovici Pii uxore, quam titulo tunc inaudito *Duciſſam Andium* vocat, Leonémque Romanum Pontificem, qui Reliquias illuc tranſmiſit, ſuique nominis Quartus fuit, perperam Quintum dicit. Bruſchius [b] Origines Monaſterii rejicit in Epiſcopatum Adelochi ſive Adalochi, quem ſic commendat. *Sub eo Himelgardis Imperatrix, Lotharii conjunx, conſtruxit & fundavit, maximiſque opibus & ornamentis illuſtravit Cœnobium virginum Deo dicatarum Ehrenſteinium, ubi ipſa Imperatrix cum filia Irmelgarde honorificè humata & terræ mandata eſt.* Ehrenſteinium erectum ab Hermingarda Lotharii Auguſti uxore cenſemus cum Bruſchio, ſed longè poſt Adelochi tempora, cùm Ludovicus Pius jam obiiſſet, & Lotharius Alſatiâ quietè potiretur, factâ Regni diviſione cum fratribus Ludovico & Carolo. Quapropter illo de Monaſterio, in quo Hermingardis uxor Lotharii Auguſti, & altera Hermingardis illorum filia, conditæ jacent, commodiùs agemus Tomo ſequenti. Hermingardis autem Auguſta, quam Ludovicus Pius hoc anno ſepelivit Andegavi, tres ex eo reliquit filios, Lotharium, Pippinum, & Ludovicum, quorum mentionem jam fecimus.

[a] In Epiſcop. Argentin. 21.

[b] In Epiſcop. Argentin. 29.

XII. LEGATOS AUDIT DIVERSARUM GENTIUM APUD HERISTALLIUM.

Curatâ uxoris ſepulturâ, Ludovicus cùm Aquiſgranum rediret, iter habuit Rotomago, Ambiano, Cameraco, & Heriſtallio, ubi Beneventanorum, Abotritorum, Coduſcanorum, Timotianorum, ac Pannoniorum Legatos audivit. *Imperator*, teſte Annaliſtâ Laureshamenſi, *per Rotomagum, & per Ambianos, & Cameracum, Aquaſgrani ad hybernandum reverſus, cùm Heriſtallium veniſſet, obvios habuit Legatos* plurimarum gentium, de quibus per ordinem breviter hîc ſermonem inſtituemus.

XIII.

Imprimis *obvios habuit Legatos Sigonis Ducis Beneventanorum, dona deferentes, eúmque de nece Grimoaldi Ducis anteceſſoris ſui excuſantes.* In vulgatis Annaliſtæ Laureshamenſis exemplaribus non *excuſantes* exhibentur Legati ſed *accuſantes*, manifeſto prorſus errore, quem correximus ex Codice Armaniaco, talémque emendationem confirmat Aſtronomus, apud quem occurrunt *Miſſi Sigonis Beneventani Ducis dona quammaxima deferentes, Dominum ſuum à morte Grimoaldi prædeceſſoris ſui purgantes.* In Ducatu Beneventano haud pridem exortus fuerat tumultus, de quo ſic Erchempertus [c]. *Antiquus hoſtis ſemper invidet pacatis & piis viris, atque bella & diſcordiæ ſemina in eis ſerere molitur. Dauferium quendam Virum ſpectabilem ſuæ artis malitiâ irretivit, & cum*

[c] Nn. 7. & ſeqq.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

cum nonnullâ filiis Belial horrendum fecit inire consilium adversùs Principem fatum, id est, adversùs Grimoaldum Ducem Beneventanum. *Depositis quippe in itinere insidiis, ut, dum per pontem proficisceretur veterrimæ urbis ad prædictam urbem Salernum properans, impulsus à membris Sathanæ in profundum fluctibus marinis immergeretur, & esset belluis in pastu. Sed revelante sibi occultorum cognitore Deo, suis ad se accersitis, jam dictum incolumis pertransiit pontem. Eos autem, qui suæ salutis hostes fuerant, cepit, & vinculis injecit. Dauferius verò, quia tunc non aderat illic, hoc cognito fugam arripuit, & à Neapolitis susceptus est. Quo comperto, Grimoalt non segniter egit, sed confestim iter Neapolim aggreditur, exercitúmque post se accelerare jubet. At ubi juxta memoratam applicuit urbem, continuò multa juventutis populus ejusdem civitatis armis evectus, obviam illi audaciter exivit in prælium. Quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum revertendi priùs irretire molitus est, & ita demum in eos insurgere voluit, tantámque denique stragem hostium, cæpto bello, mari terrâque fecit, ut fretum adjacens vix per septem & eo amplius dies cruore occisorum purgaretur, in terra verò tumuli nunc usque interfectorum conspiciuntur cadaverum, &, ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum, quinque millia ferè hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim Dauferius unà cum Magistro militum, qui tunc inibi regnabat*, id est, qui Neapolim auspiciis Imperatoris Constantinopolitani regebat, *soli elapsi fugibundi mœnia illius urbis tandem ingressi, nec ibi siquidem requiem capiunt, nam egressæ conjuges virorum peremptorum gladiis insequebantur illos dicentes,* [*Reddite nobis, ô caduci viri proditores, quos nequiter interfecistis. Quare adversùs eos prælium insurgere conati estis, quàm profectò injustum scitis?*] *Grimoalt verò acriùs eos insecutus est usque ad portam, quæ dicitur Capuana, ita ut proprio conto eam percuteret, nec erat quisquam, qui resisteret. Clausis autem obseratísque foribus, qui remanserant infra muros se tutaverunt.* Secuta pax his legibus, ut prædictus Magister militum Grimoaldo solveret octo millia aureorum, & Grimoaldus Dauferium in pristinam gratiam reciperet. *Interea Radechis Comes Consinus* seu Compsanus in Hirpinis *& Sico Agerentinus Castaldeus sub dolo insurgentes* in Grimoaldum, *gladio eum peremerunt. Interfecto eo innocenter*, hoc est, cùm innocens esset, ut in similibus causis vocem illam *innocenter* non semel explicuimus, *Radechis Siconem loco illius in Principem subrogavit. Ipse verò non multum post tempus cuncta viriliter mundana metu gehennæ abdicans, ad beati se contulit Benedicti suffragia, catenâque cervice tenus vinctus, ejus Cœnobium Christo militaturus adiit, se reum quoque clamitans & impium, maléque se gessisse atque crudeliter vociferans, sícque Monachicum schema sumens, in tanta se districtione corporis animíque coram oculis interni arbitri in eodem Monasterio coercuit, ut nulli scrupulum adsit omnium facinorum suorum veniam adipisci meruisse. Suscepto itaque Sico Principatu fœdus cum Francis innovavit.* Eget hic Auctor interpretatione, quia Grimoaldum, Siconem, aliósque Duces Beneventanos, fingit Principes seu supremos Dynastas, qui non essent Franciæ beneficiarii. Sed aliter se res habuit. Ex quo Carolus Francorum Rex Longobardiam subegit, Ducatus Beneventanus, qui pars erat Regni Longobardici, Francicis ditionibus accessit, & à Francorum Regibus, qui Longobardiam tenuerunt, instituti sunt deinceps Duces seu Rectores ac Præfecti Beneventani. Quapropter ut in præcitato textu perperam pro Duce Princeps, pro Ducatu Principatus ponitur, sic & impropriè dicitur Sico fœdus cum Francis innovasse. Peremptus est Grimoaldus Dux Beneventanus, ejus locum ambivit Sico Agerentinus sive Acheruntinus Castaldeus, & missis ad Ludovicum Imperatorem nunciis Præfecturam sibi Beneventanam committi postulavit, útque quod petebat faciliùs obtineret, necis illatæ Grimoaldo suspicionem omnem studuit à se procul amovere. Ludovicus cædem Grimoaldi prudenter dissimulavit, ipsum Siconem seu Sigonem Ducem sive Præfectum Beneventanum constituit. In Chronico Beneventano, cujus Auctor Monachus Sanctæ Sophiæ, Grimoal-

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

dus Præfecturam gerit *ann.* XII. *menſ.* 1. *d.* X. ab anno videlicet Redemptoris octingenteſimo ſexto ad hunc uſque annum Redemptoris octingenteſimum decimum-octavum, quo nuncii Sigonis cum muneribus ad Imperatorem perveneruntur. Erchempertus, poſtquàm de Radechis converſione ac receſſu in Caſinenſe Monaſterium locutus eſt, hæc proximè ſubjungit. *Circuibat illò ſæpè diabolus girans ſepta ſacri Monaſterii, & voce perſpicuâ multis audientibus clamitabat. Heu, Benedicte, cur me undique rodis?* &c. Hunc Auctorem Leo ſic expreſſit in Chronico Caſinenſi [a]. *Radechis Compſanus * Comes, qui interfecto Grimoald prædictum Siconem Principem conſtituerat, non multò poſt pœnitentiâ ductus, relicto ſeculo, cervice tenus catenâ ligatus, huc ad beati Benedicti ſe Cœnobium contulit. Cujus nimis auſtera pœnitentiæ diabolus condolens & invidens, multis audientibus, circa Monaſterii clauſtra ſæpiſſimè clamitabat. Heu me, heu me, Benedicte, cur me ſic inſtanter perſequeris? non ſuffecit tibi, ut meipſum hinc expelleres, inſuper & meos fideles undecumque tibi vendicare non deſinis.* A quo Monaſterii Caſinenſis Abbate ſuſceptus ſit Radechis, utrùm à Giſulfo an ab Apollinare non liquet. Servandum tamen videtur Giſulfi nomen, ſi Radechis eodem anno Monachum induit, quo cœpit Sico Dux eſſe Beneventanus, ut apud Erchempertum [b] innuunt hæ voces, *non multum poſt tempus*, ex quo videlicet Sico Ducem Beneventanum ſe dixit. Eodem prorſus anno, quo poſt Grimoaldi Ducis necem Sico Titulum Beneventani Ducis aſſumpſit, obiit Giſulfus Caſinenſis Abbas, cui ſucceſſit Apollinaris. Utrumque Chronographus Caſinenſis [c] ita declarat. *Apollinaris Abbas quartodecimo loco in Abbatiam prælatus ſedit annis* XI. *Fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Paſchalis & Eugenii, & Siconis qui eodem anno Beneventi Princeps effectus eſt.* Lauretus notat *an. Domini 813.* Sed, ut Angelus de Nuce ad textum proximè deſcriptum obſervat, illum annum nec Ducum Beneventanorum nec Abbatum Caſinenſium ſeries admittit per annos ducta. Grimoaldus Dux Beneventanus, ut ſuprà probavimus, ad hunc uſque annum Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum ſuperſtes vixit. Giſulfus Abbas Caſinenſis eodem anno deſiit vivere die viceſimâ-quartâ Decembris, Radeche, ut opinamur, jam Monacho.

[a] Lib. 1. c. 20. novæ edit. c. 22. vet. edit.

* *de Conza.*

[b] Num. 9.

[c] Lib. 1. c. 18. novæ edit. c. 21. vet. edit.

XIV. Inter populos, quorum Miſſos Imperator apud Hariſtallium audivit, ponuntur Abotriti. Legationem illorum irritam fuiſſe vel ex eo liquet, quòd à Ludovico directæ ſunt adversùs Sclaomirum copiæ, de quibus ad annum ſequentem dicemus.

XV. Auditi quoque ſunt apud Hariſtallium Legati Guduſcanorum & Timotianorum, de quibus ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Erant ibi & Legati Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciverant, & ad fines noſtros ſe contulerant.* Et Aſtronomus, ſic. *Præterea Miſſi aderant Coduſcanorum * & Timotianorum, qui Bulgarum ſocietate relictâ noſtris ſe nuper ſociaverant.* Apud eoſdem Auctores [d] Borna *Dux Dalmatiæ*, imò apud Annaliſtam Laureshamenſem [e] *Dux Dalmatiæ atque Liburniæ* prædicatur, id eſt, Præfectus Dalmatarum, qui Sclavi vocabantur, & in ditione Francorum erant, ut anno priore monuimus, ubi Dalmatas diſtinximus in Sclavos & Romanos, quorum illi Francis, hi Græcis parebant. Guduſcani & Timociani, cùm à Bulgaris ad Francos tranſire vellent, finitimæ Dalmatiæ Præfecto ſe ſubdiderunt. Guduſcanorum veſtigia ſervantur in vico Guduſca dicto ad Mhaunam fluvium, qui dexteram Moravæ majoris ſeu Bulgarici ripam ſubit, Morava vetus nomen etiamnum retinet, atque in dexteram Danubii ripam ad Zargonam egeritur. Ut duplex Morava, ſic & duplex celebratur Timachum vulgò *Timoch*, unde dicti Timociani, hodiè Timozani. Timachum minus in majus influit à dextra, ſimúlque ambo pòſt uno nomine in dexteram Danubii ripam infra pontem Trajani ſupráque Nicopolim exonerantur. Hæc de Guduſcanorum & Timocianorum ſitu. Joannes Lucius [f] exiſtimat *Ducem Bornam cum ſuis Guduſcanis & Timotianis à Bulgaris*

* Lege *Guduſcanorum*

[d] Ad an. 819.

[e] Ad an. 821.

[f] Lib. 1. c. 15.

ad Francos deſciviſſe ſimul cum Abotritis, ipſos Abotritos in Dacia *prope Danubium conterminos Bulgaris* collocat, additque *Guduſcanorum & Timocianorum Ducem Bornam à Francis Dalmatiæ Ducem conſtitutum Liburniam quoque ſive Occidentalem partem Dalmatiæ Croatiam dictam rexiſſe*. Teſtes aſſertionum ſuarum non alios profert quàm quos ipſi conſuluimus Annaliſtam Laureshamenſem & Aſtronomum, ſed eos non benè videtur aſſecutus. Annaliſta ſic habet. *Erant ibi & aliarum nationum Legati, Abotritorum videlicet, ac Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciverant, & ad fines noſtros ſe contulerant.* Aſtronomus, ſic. *Præterea aliarum nationum Miſſi aderant, Abodritorum videlicet, & Coduſcanorum, & Timotianorum, qui Bulgarum ſocietate relictâ, noſtris ſe nuper ſociaverant.* Lecto poſteriore hoc textu Lucius Abotritos facilè conjunxit cum Guduſcanis & Timotianis, eóſque tres populos à Bulgaris ad Francos tranſiiſſe ſcripſit. At Annaliſta ſitu longè diſtinctos à Guduſcanis & Timotianis exhibuit Abotritos, aſſeruit enim adfuiſſe Legatos cùm *Abotritorum*, tum *Bornæ Ducis*, ipsúmque Bornam *Guduſcanorum & Timotianorum* Ducem vocavit nullâ mentione Abotritorum factâ, ſolóſque Guduſcanos & Timotianos populis accenſuit, *qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciverant.* Ut hæc tria meliùs capias, ejus textum attentiùs iterum lege. *Erant ibi & aliarum nationum Legati, Abotritorum videlicet, ac Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciverant, & ad fines noſtros ſe contulerant.* Erant Abotriti in duplici differentia, alii trans Albim habitabant in Germania, alii cognomento Prædenecenti Daciam Danubio adjacentem incolebant in confinio poſiti Bulgarorum. Lucius Annaliſtam interpretatus eſt de Prædenecentis, nos de Tranſalbianis, quos Sclaomirus ad defectionem provocabat. Opinionem noſtram prævalidè confirmabunt ea, quæ de eodem Sclaomiro narrabuntur anno ſequenti. Quos igitur Abotritos Annaliſta Laureshamenſis & Aſtronomus commemoraruntAN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2., perperam Lucius & in Dacia ſitos putavit, & à Bulgaris ad Francos cum Guduſcanis & Timotianis tranſiiſſe credidit. Præterea Bornam, quem Annaliſta Ducem *Guduſcanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum ſocietate deſciverant*, ad annum Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum vocavit, Ducem *Dalmatiæ* ad annum ſequentem, necnon Ducem *Dalmatiæ atque Liburniæ* ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum, idem quoque Lucius perperam ſcripſit Ducem Guduſcanis & Timotianis à Rege Bulgarorum deinde & Dalmatiæ ac Liburniæ datum eſſe à Rege Francorum, poſtquàm Guduſcani & Timotiani à Bulgarorum ſocietate deſciverunt. Id certè prudentiæ plurimùm refragatur, quis enim homini extero perduellionis apud Dynaſtam ſuum reo tantoperè fidit, ut & ipſi regimen ſuarum provinciarum committat? Rex Francorum rebus ſuis procul dubio meliùs conſuluit, nec Dalmatiæ Liburniæque præfecit Ducem Guduſcanorum & Timotianorum, qui fidem Regi Bulgarorum priùs fefelliſſet, & ut in ejuſdem Regis gratiam rediret, non tantùm Guduſcanos & Timotianos ad officium revocare poſſet, ſed & fortè provincias à Francis ſibi creditas prodere non dubitaret. Ergo Bornam à Francorum Rege Ducem Dalmatiæ Liburniæque priùs inſtitutum arbitrare, quàm Guduſcani & Timotiani relictâ Bulgarorum ſocietate Francis ſe ſummiſerint.

Denique, ut Annaliſta Laureshamenſis proſequitur, auditi ſunt & Legati **XVI.** *Liudewiti Ducis Pannoniæ Inferioris, qui res novas moliens Cadolaum Comitem & Marcæ Foro-Julienſis Præfectum crudelitatis & inſolentiæ accuſare conabatur.* Addit Aſtronomus fraudem Liudeviti ſeu Leuteviti poſteà detectam fuiſſe. *Leuteviti*, inquit, *Rectoris Inferioris Pannoniæ Miſſi aderant, accuſantes Cadolaum falsò, ut poſt patuit, eò quòd immanitas illius importabilis ſibi foret.* Annis proximè ſequentibus plura de Liudewito dicemus.

Fortunatus Gradenſis *Patriarcha, veteris Privilegii ſui confirmatione à Ludovico receptâ, & reconciliatâ cum Venetis gratiâ, Eccleſiam Gradenſem repetiit, ac* **XVII.**

AN. CH. 818. *Joannem Abbatem, qui illam invaſerat, ad Monaſterium redire coegit.* Hæc Sigonius [a] in Regno Italiæ. Dandulus Joannem illum Abbatem Sancti Servuli vocat. Apud Ughellum [b], in gratiam prælaudati Fortunati, *Ludovicus Imperator Iſtrienſi populo* concedit, *ut Rectores, Gubernatores, Epiſcopos, Abbates, ſeu Tribunos, & reliquos Ordines, licentiam* habeat *eligendi.* Dandulus in ſuo Chronico duos diſtinguit Joannes, qui Gradenſem Patriarchatum invaſerunt. Priori quadriennem Pſeudo-Patriarchatum ab anno Redemptoris, ut explicuimus, octingenteſimo ſexto ad octingenteſimum decimum ſic attribuit. *Joannes ſiquidem, qui Patriarchatum invaſerat, Synodali cenſurâ depoſitus eſt. Tenuit quoque Sedem annis quatuor.* Poſteriori locum quoque concedit inter Pſeudo-Patriarchas, poſtquàm enim de Fortunato *in patriam* reverſo locutus eſt, hæc de eodem Fortunato & altero Joanne Pſeudo-Patriarcha proximè ſubjungit. *Poſtmodum contra voluntatem Venetorum in Franciam remeavit, in cujus Sede Joannes Abbas Sancti Servuli intruſus eſt.* Annus intruſionis haud notatur. Hæc mutatio Ludovico jam Imperatore contigit, anno Redemptoris, ut opinamur, octingenteſimo decimo-quinto. Difficillima fuerunt variiſque viciſſitudinibus obnoxia Fortunati Patriarchæ tempora, quia pars Gradenſis Patriarchatûs ſub poteſtate Francorum erat, altera pars in ditione Venetorum, & Gradus ipſius Patriarchæ Sedes in confiniis Francorum, Græcorum ac Venetorum conſpiciebatur, diſſidiáque frequenter oriebantur inter illas gentes, ne quid dicamus de tumultibus domeſticis, quibus circumjacentes Francorum provinciæ nonnumquam quaſſatæ ſunt. Ejecto igitur Joanne Sancti Servuli Abbate, qui Patriarchatum occuparat, Gradum reverſus eſt hoc anno Fortunatus, *& reconciliatâ cum Venetis gratiâ* munus ſuum, quà latè Patriarchatus extendebatur, apud Francos & Venetos exercuit.

FORTUNATUS PATRIARCHA GRADUM REDIT.

[a] Lib. 4.
[b] Tom. 5. Ital. Sacr. in Patr. Grad. 18.

XVIII. EPISCOPI SALERNITANI.

Apud Ughellum Tomo ſeptimo in Salernitanorum Epiſcoporum Catalogo, poſt Nicolaum, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum primum fecimus, ſequitur Rodoaldus. Hic ſedit *annos 16*, obiitque *anno 834. Indict. 12.* Hoc igitur anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo mortem Nicolai ſubrogationémque Rodoaldi rectè conſignabis.

COMENSES.

Apud eundem Auctorem Tomo quinto in Comenſium Epiſcoporum Catalogo & in Appendice ad Lucenſes Epiſcopos eidem Tomo ſubjecta, moriuntur hoc eodem anno Petrus Comenſis Epiſcopus & Jacobus Epiſcopus Lucenſis. Petro ſufficitur Leo natione Gallus, Sedes verò Jacobi vacat uſque ad annum ſequentem.

LUCENSES.

XIX. UROLPHUS EP. PATAVIENSIS ET LAUREACENSIS PROFICISCITUR IN AVARIAM ET MORAVIAM. REGINARIUS IN EJUS LOCUM DESIGNATUR EP.

Urolphus Laureacenſis ac Patavienſis Epiſcopus hoc anno, ſuſcepti Pontificatûs ſecundo, perrexit in Avariam & Moraviam, ut illarum provinciarum populos Chriſtianam Religionem edoceret. Res proſperè ſucceſſit, teſtibus, quas ſuo loco recitabimus, Eugenii Papæ literis. Interim divulgato Urolphi conſilio, qui reliquam vitam propagandæ extra Bojoariam fidei devoverat, hoc anno Reginarius, ne Laureacum & Patavia Pontifice diu carerent, deſignatus eſt illarum civitatum Epiſcopus, tamen ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum non eſt ordinatus. Hujus Antiſtitis conſecratio videtur dilata, donec certiſſimè conſtitit Urolphum in Bojoariam non rediturum, quoniam Hunorum Moravorúmque copioſa multitudo feliciter Chriſto ſe ſummittebat. Cùm autem hæc gerebantur, Arno Saliſburgenſis Archiepiſcopus, qui Metropolitico jure per Bojoariam gaudebat, muneri ſuo non deerat. Lege Hundium in Saliſburgienſibus Archiepiſcopis & in Epiſcopis Patavienſibus.

XX. HILDEBALDUS ARCHIEP COLONIENSIS OBIT.

Hildeboldus ſive Hildebaldus, Colonienſis Archiepiſcopus & Archicapellanus Palatii, vitam hoc anno clauſit, tertio Nonas Septembris, quo die Gelenius in ſacris & piis Faſtis Agrippinenſibus ſive in libro quarto de admiranda ſacra & civili magnitudine Coloniæ ſic habet. *Colonia in Baſilica Sancti Gereonis, Sancti Hildeboldi Archiepiſcopi.* Idem Auctor, quod & alii

Nomenclatores aſſerunt, in primo libro ſui operis, ſyntagmate ſexto, cùm Præſulum Colonienſium Indicem texit, Sanctum Hildeboldum ſediſſe teſtatur *uſque ad annum 818 quo obiit 3. Nonas Sept.* Et libro tertio, ſyntagmate ſecundo, paragrapho tertio[a], cùm *ſpectabiliora Gereonea Baſilica Monumenta* repræſentat, Beatum Hildeboldum in eadem Sancti Gereonis Eccleſia ſepultum ſic docet. *Apud Sancti Mauritii Aram à latere Eccleſiæ meridionali proximum oſtio eſt Monumentum Beati Hildeboldi Colonienſis Archiepiſcopi.* Deinde multa repetit de eodem Hildeboldo, quæ vel ſuis examinavimus locis, vel conſultò prætermiſimus in aliud tempus utpote rejicienda. Supereſt unum haud reticendum, eſt enim memoriâ digniſſimum. *Novam Baſilicam Metropolitanam erexit.* Quòd autem eandem Baſilicam *Bibliothecâ per Wenilonem Laudonenſem Epiſcopum ex Italia curatâ* dotaſſe dicitur, id aliquam patitur difficultatem, cùm ex vulgatis Laudunenſium ſeu Laudonenſium Antiſtitum Catalogis, tum ex ſcriptis probatiſſimorum Auctorum, ad quorum Chronologiam revocandi ſunt iidem Laudunenſium Epiſcoporum Indices. Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto Genbaudus ſeu Genebaudus Laudunenſis Epiſcopus Attiniacenſi Decreto ſic ſubſcripſit, *Genbaudus Epiſcopus civit. Laudano.* Anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, ut Flodoardus [b] ſcribit, Oſtroldus Laudunenſis Epiſcopus in Noviomenſi Concilio ſedit. Septem hi ſolent intermedii per ordinem recenſeri, Bernico ſeu Bernito, Wanilo primus, Wanilo ſecundus, Eybo ſive Erlo vel Cilo ſeu Cyolo, Banifridus ſeu Ranifridus vel Raimfridus, Gerfridus ſeu Gariſidus aut Garfridus ſive Gerfridus vel Gurfridus ſeu Gaufridus, Sigebaudus ſeu Sigebodus. Gerfridum loco movimus, quia Pontificatum annis Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo & ſeptingenteſimo nonageſimo-nono gerebat, ut Tomo ſuperiore ad illos annos ex Chronico Centulenſi probavimus. Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio Hildeboldus ad Archiepiſcopatum Colonienſem promotus eſt. Inde ſuſpicamur corrigendum denuò Catalogum Laudunenſium Epiſcoporum, & locum Waniloni ſecundo tribuendum inter Gerfridum anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono ſuperſtitem & Oſtroldum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto in Synodo Noviomenſi conſidentem. Aliâ verò non opus videtur emendatione, quàm ut Sigebaudus, qui Gerfrido poſtponi ſolet, eidem Gerfrido præponatur. Laudunenſium igitur Epiſcoporum Nomenclaturam ſuis tandem expurgatam nævis ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum ſic accipe.

Genebaudus vivebat adhuc an. 765.
Bernico ſeu Bernito.
Wanilo I.
Eybo, Erlo Roberto, Sammarthanis Cilo & Cyolo.
Banifridus, Roberto Ranifridus, Sammarthanis Raimfridus.
Sigebaudus, Demochari Sigebodus.
Gerfridus, Demochari Gariſidus, Chenutio Gariſidus & Gurfridus, Roberto Garfridus, Sammarthanis & Belloto Gaufridus, ſedebat ann. 798 & 799. Ab Alcuino commendatur Poëmate 50.
Wanilo II.
Oſtroldus, Sammarthanis & Belloto Auſtroaldus & Oſtroaldus, à Flodoardo laudatus ad an. 814.

Sancto Hildeboldo ſucceſſit in Archiepiſcopatum Colonienſem Hadebaldus ſive Hagebaldus, ut Gelenius aliique teſtantur. Archicapellanus verò Palatii conſtitutus eſt Hilduinus. Id patet ex Hincmaro, qui breviter in Opuſculo [c] ad Proceres Regni pro Inſtitutione Carolomanni Regis, Archicapellanorum ſeriem ſub Pippino, ſub Carolo Magno, ſub Ludovico Pio, ſic exhibet. *Tempore Pippini & Caroli hoc Miniſterium conſenſu Epiſcoporum per Fulradum Presbyterum, tempore etiam Caroli per Engelrammum & Hildi-*

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

[a] Num. 8.

[b] Lib. 2. c. 18. EPISCOPORUM LAUDUNENSIUM CATALOGUS EMENDATUR

XXII. HADEBALDUS FIT ARCHIEP. COLONIENSIS.

[c] Cap. 15. HILDUINUS PRESBYTER ET ABBAS FIT ARCHICAPELLANUS.

AN. CH. 818. *boldum Epiſcopos, tempore denique Hludowici per Huildinum Presbyterum & poſt eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Epiſcopum extitit hoc Miniſterium executum.* De Fulrado Preſbytero & Abbate San-Dionyſiano in agro Pariſienſi, déque Angelramno ſive Engelramno Epiſcopo Metenſi, & de Hildiboldo ſive Hildeboldo Archiepiſcopo Colonienſi, munus obeuntibus Archicapellani, ſermonem ſæpè fecimus. Ad idem Miniſterium poſt Hildeboldum aſſumptus eſt Hilduinus Preſbyter & Abbas, de quo non ſemel jam loquuti ſumus.

XXII. EPISCOPI VIRODUNENSES. Auſtrannus Virodunenſis Epiſcopus, cui Bertharius Preſbyter & Hugo Flaviniacenſis Abbas annos in Pontificatu tribuunt quinque, mortuus eſt hoc anno, ſi Virodunenſium Epiſcoporum Chronologiam ſuis mendis ante quinquennium benè purgavimus. A Berthario laudatur ejus induſtria, quâ *Bracenſes negotiatores iſti*, nempe Virodunenſi, *Eccleſiæ redacti ſunt.* Hugo corruptè ſcribit *Biacenſes.* Lucas Dacherius [a] *Bracenſes* interpretatur ceruiſiæ confectores, quos Virodunenſis Eccleſia ſibi ſubjectos habebat. Sepultus eſt Auſtrannus in Baſilica Sancti Vitoni. Bertharius enim & Hugo de Herilando illius ſucceſſore ſcribunt, quòd *eſt ſepultus juxta Auſtrannum in Baſilica Sancti Vitoni.* Sedit Herilandus annos quatuor, ut ante quinquennium jam inſinuavimus, repetemúſque ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum.

[a] Tom. 12. Spicileg.

XXIII. MAGNUS ARCHIEP. SENONENSIS OBIT. In Geſtis Archipræſulum Senonenſium, quæ ſæpè jam citavimus ex Codice [b] manuſcripto Bibliothecæ Thuaneæ, Magno ſeu Magnus Senonenſis Archiepiſcopus hoc anno mortuus dicitur, eique ſubrogatur Hieremias, de quo ſic Clarius in Chronico Sancti Petri Vivi. *Obiit Carolus Magnus, & Hludovicus filius ejus, qui Pius dicitur, Regnum Francorum & Imperium Romanorum ſuſcepit. Cujus in tempore pagani diffuſi ſunt in provincia, quæ Pontivus pagus appellatur. Quod cernens Hieremias Monachus & Procurator Cœnobii Sancti Richarii, quod eſt ſitum in eodem pago, ſciénſque & timens multiplicatam eſſe malitiam in illa regione, conſilio accepto cum fratribus, accipiens corpora Sanctorum cum pluribus Reliquiis, quas Carolus Magnus illic aſportaverat ex multis regionibus ob amorem nepotis ſui, qui illic tempore ſuo præfuit Abbas, detulit eas Senones in Baſilicam Sanctæ Columbæ, tempore Magni Archiepiſcopi. Morante autem Hieremiâ Monacho ibi factum eſt ut dormitionem acciperet Domnus Magnus Archiepiſcopus. Dei igitur nutu ab omnibus idem Hieremias eligitur Archiepiſcopus. Erat enim valdè eloquens & ſtudioſus in omni Philoſophia.* Eadem quoque ſcribit Monachus Altiſſiodorenſis Clario recentior. *Poſt Magnum Jeremias præfuit. Hic priùs Monachus & Procurator Cœnobii Sancti Richerii in Pontivo pago ſiti, cùm videret poſt mortem Karoli Magni in eadem provincia paganos diffundi, timens, quaſdam Sanctorum Reliquias, quæ illic erant, ſecum accepit, Senonéſque devenit, ubi cùm hoſpitaretur, accidit Magnum tunc Archiepiſcopum decedere, móxque præfatus Jeremias nutu Dei, totius favore populi, mernit in Pontificem promoveri.* In Codice Thuaneo præeſt Monaſterio Sanctæ Columbæ Remigius Abbas, cùm Hieremias illuc ex agro Pontivo propter Danorum ſeu Nortmannorum incurſiones ſe recipit. Id nullâ poteſt auctoritate reprobari. Secus eſt de Centulenſis Abbatis titulo, quem idem Codex & Tavellus Hieremiæ tribuunt. Angilbertus Sancti Richarii ſeu Centulenſis Abbas ex hac vita migravit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto. Hericus eodem ſucceſſit anno, erátque adhuc in vivis atque Abbatiale munus obibat anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-primo, ut ad illum annum ex Centulenſi Chronico probabimus. Ergo locus inter Abbates Monaſterii Centulenſis ſeu Sancti Richarii dari non poteſt Hieremiæ, qui Carolo Magno jam mortuo Senonas venit, & anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo factus eſt Archiepiſcopus Senonenſis. Textus autem Tavelli talis eſt ſub Ludovico Pio. *Quo regnante Normani gens Danica piraticam exercentes oras Galliæ navigiis infeſtare cœperunt. Cúmque oppido Sancti Richerii,*

[b] Cod. 105.

SUCCEDIT HIERE-MIAS.

AN ABBAS CENTULENSIS?

Digitized by Google

quod eſt ſitum in Pontivo * *pago, infeſtiſſimi eſſent, Hieremias, qui iſtius Cœnobii Rector & Abba erat, ſacra, quæ illic Carolus Magnus in gratiam nepotis ſui Raynardi, qui huic Cœnobio præfuerat, variis ex regionibus aſportaverat, & ornamenta Eccleſiæ arripuit, & ad Senonas deportavit, & in Cœnobio Sanctæ Columbæ ſuſceptus ibi diu habitavit. Decedente dein Magno in Archiepiſcopum communi omnium ſuffragio Hieremias electus eſt, qui & doctrinâ & vitâ florebat, & Regi Ludovico erat pergratus.* Quæ de Centulenſi Abbate, Caroli Magni nepote ſcripta ſunt à Clario & Tavello, ſumpta videntur ex Hariulfo interpolato. Hic ſeculo penè integro Clarium anteceſſit, & Geſta Centulenſium Abbatum in quatuor digeſſit libros, quorum ſecundum clauſit Angilbetti ſepulturâ, ſic; *quievit in loco ſuprà ſcripto per annos* XXVIII, *regnante Auguſto Hludogvico annis* XXVI, *Chriſti autem Domini Regno nullam metam capiente per omnia ſecula, Amen;* deinde tertium ſic exorſus eſt; *anno ſacræ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCXIV, *Ind.* VII, *dum felix Francia, ſub Glorioſiſſimi Cæſaris Hludogvici moderamine, omni venuſtate floreret, obtinuit beneficio ipſius Principis Hericus Abbas regimen Monaſterii Beati Richarii.* Interpolator in calce libri ſecundi, poſt clauſulam ſuprà deſcriptam, rurſum Angilberti memoriam, ac filium Nithardum ſic commendavit. *Igitur ſeptimo Centulenſis Cœnobii Abbate* Angilberto *intimato, ejuſque ſtudiis & bonitate monſtratâ, jam modò pauliſper linguæ noſtræ requies præbeatur, ut & mœſtitia ex ejus ablatione concepta, quo paululùm, quia mortales aliter non poſſumus, admittitur, eò citiùs ſuſpiriis ſatisfacta deſideratur* *. *Simul & æquum videtur, ut is, qui ſingulari erga nos uſus eſt amore, ſingulari quoque in deſcriptione Geſtorum collaudetur libello. Hoc tamen in calce libri neceſſario recondimus, quòd poſt ejus tranſitum filius ejus Nithardus, quem de Regis filia Berta ſuſceperat, Centulenſibus jure Abbatitio prælatus eſt, paucíſque diebus in regimine expletis interemptus prælio præſentis luminis caruit viſu, ſepultúſque juxta proprium genitorem quievit in pace, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto cum Patre & Spiritu Sancto in ſecula ſeculorum, Amen.* Primus Hariulfi liber deſinit in Symphoriano Abbate. Secundus totus eſt de Geſtis Angilberti, qui *poſt mortem utique Magni Auguſti Karoli anno eodem, diebus* XX *ſuperſtes effectus* obiit *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXIV, *menſe Februario, die* XII *Kalendas Martii.* Tertius inchoatur ab Herici ſubrogatione, qui regimen Monaſterii Centulenſis obtinuit *anno ſacræ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti* DCCCXIV, ſive *eodem quo Sanctiſſimus Angilbertus Abbas obiit anno.* Nithardus, cujus nomen Clarius reticuit, Tavellus in Raynardum deflexit, Caroli Magni nepos fuit ex Berta filia, perperam autem medius inter Angilbertum & Hericum Abbates in Chronico Centulenſi ab Interpolatore collocatur, *paucíſque diebus in regimine expletis interemptus prælio* dicitur anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, nam Carolo Calvo Regi quatuor libros Hiſtoriarum multò ſeriùs dicavit. Præterea Interpolator Clario & Tavello nullomodo favet; Abbatem enim Centulenſem, quem Caroli Magni nepotem vocat, Angilberti poſt Carolum Magnum mortui ſucceſſorem dicit, eâque aſſertione negat illum Monaſterio præfuiſſe cùm Carolus regnaret. Quando Pippinus ejuſdem Caroli pater è vita migravit, Centulenſis Abbas erat Guitmarus, huic ſucceſſit Aldricus, tum Symphorianus, deinde Angilbertus, qui Carolo ſuperſtes vixit dies viginti. Nullus ex illis quatuor Abbatibus nepos Caroli poteſt aſſeri, ſive fratris vel ſororis ſive filii vel filiæ filium nepotem interpreteris. Hieremias autem *ordinatus* Senonenſis Archiepiſcopus *tranſtulit Reliquias in Eccleſiam Sancti Stephani quas detulerat de Sancto Richario. Obtinuit autem Præcepta à Ludovico Auguſto Sanctæ matri Eccleſiæ Senonenſi de omnibus quæ videbatur habere ipſa Eccleſia ad munimen & defenſionem contra omnes judiciarias poteſtates. Inſuper addidit ei Rex Abbatiam Sanctæ Columbæ, quam Anteceſſores ſui nuper perdiderant, ut eſſet ſub tuitione Archiepiſcopi Senonicæ urbis.* Hæc Clarius in ſuo Chronico.

AN. CH. 818.

* Pontino

* forte. deſiderabatur, vel delatur.

AN. CH. 818.

Apud Chenutium, Severtium, & Robertum, Galdonis Nivernenſis Epiſcopi proximus ſucceſſor hoc anno floret. Tribus his Auctoribus eſt Jonas, Sammarthanis Ragenfredus, veteri Nomenclatori Hieronymus. Poſtremam hanc opinionem lubenter amplectimur, quia loco movendus eſt Ragenfredus, & in duobus Catalogis, quos Coquillus laudat, ut & in auctiore Gallia Chriſtiana, Hieronymus Jonæ præponitur.

XXIV. HIERONYMUS EP. NIVERNENS.

XXV. EPISCOPI GERUNDENSES.

Ad hunc uſque annum ſuperſtes à Tamayo [a] commendatur Nefredus ſeu Nifridius vel Nifredus Gerundenſis Epiſcopus, cujus mentionem ad annum ſuperiorem fecit Stephanus Baluzius ex vetere Charta, quam ex Archivo Gerundenſi poſt Notas ad Capitularia publicavit [b] cum hoc titulo. *Judicium pro Epiſcopo Gerundenſi ob villam cui nomen Baſchara.* Waimerus Nefredi ſucceſſor, ut Tamayus ſubjungit, Caroli Magni Donationes Eccleſiæ Gerundenſi factas curavit ab ejuſdem Caroli filio Ludovico confirmari.

[a] D. 3. Sept.
[b] Act. 34.

XXVI. WIRCEBURGENSES.

Si Chronologiam Wirceburgenſium Epiſcoporum ante triennium benè correximus [c], Wolfgerus Wirceburgenſis Epiſcopus obiit hoc anno, cùm ſediſſet *annis viginti-duobus, menſibus ſex*, ut ſcribit Egilwardus. Apud Bruſchium moritur die *quarta Novembrium*. Succeſſit Humbertus. Hunc Candidus [d] in Fuldenſis Eccleſiæ Dedicatione, de qua ſermonem anno proximo facturi ſumus, Haiſtulphi Moguntiacenſis Metropolitæ Chorepiſcopum vocat, id eſt, Suffraganeum ſeu Comprovincialem Epiſcopum, quia Wirceburgenſis Epiſcopus Archiepiſcopo Moguntiacenſi ſubeſt.

[c] Ad an. 815. an. 30. & ſeqq.
[d] In vit. Ægilis Abb. Fuld.

XXVII. ÆGIL. FIT ABB. FULDENSIS.

Hoc anno, ut Annaliſta Fuldenſis teſtatur, *Monaſterio Fuldenſi Eigil Abbas electus & ordinatus eſt.* Rem illam in Ægilis ſive Eigilis aut Ægilis vita fuſiùs exponit Candidus. *Ratgario*, inquit, *jam decedente, ob quandam diſcordiam, quam ſeminaverunt inter eum & fratres illius, membra capitis omnium jurgiorum, ſurrexit ſtatim cura & auxilium circa nos Hludwici Sereniſſimi Auguſti, cujus etiam cor noſtra miſeria adeò commoverat, ut diceret ſe tantùm doloris nunquam expertum, excepto eo, qui ei acciderat ex morte beatæ memoriæ Karoli genitoris ſui. Hic igitur miſit nuntios ſuos Aaron & Adalfridum cum ſociis ipſorum, Monachos ſcilicet Occidentales, qui nos in temptatione temporali miſeria conſolando ſublevarent, &, ſi quæ de Regulæ inſtitutis apud nos aut incœpta aut dilapſa fuiſſent, fraternâ dilectione præmonendo corrigerent. Eramus quidem multo tempore in Cœnobio degentes vitam quietam ſub eorum magiſterio, addito Præpoſito & Decanis ab eiſdem conſtitutis. Poſtmodum namque congregatio fratrum, inito conſilio, cum Aaron & ſociis ejus, miſerunt Adalfridum unum ex eis, virum, ut nobis videbatur, benè morigeratum, & cum eo fratres noſtros ad Imperatoris clementiam, ſi fortè dignaretur quid indignis de Abbatis electione præmonſtrare. Quibus ſanè clementer ſuſceptis, electionem conceſſit, &, ut eſſet eadem electio ſecundùm Regulæ auctoritatem, ſatis evidenter edocuit, ſæpè commemorans auſteritatem indiſcreti Paſtoris. Cùm autem reverſa eſſet hæc eadem Legatio, & intraſſet Monaſterium Fuldam congregatis fratribus, Imperatoris mandatum expoſuit hoc modo. Fratres, Hludwicus Serenus Auguſtus remandavit vobis ſalutem, electionem verò, quam petiſtis, hilari vultu perdonavit. Inſuper etiam hoc frequenti admonitione repetivit, ut hunc talem, ſi quis ſit, in hoc opus eligatis, qui vobis ſecundùm Deum & Sanctæ Regulæ auctoritatem velit eſſe Pater, & poſſit. His autem fratres auditis ſermonibus proni adoraverunt gratias agentes Imperatori.* Secuta eſt Ægilis electio, licèt hic oblatum honorem recuſaret, *ſenectutis & infirmitatis ſuæ cauſâ.*

XXVIII. ADIT LUDOVICUM AUG.

Non multis poſt hæc evolutis diebus Pater iſte noviter conſtitutus, & Aaron Presbyter, primus ex Monachis Occidentalibus, turbâ fratrum comitante, Imperatorem adierunt. Quibus ſanè miſericorditer ſalutatis, his ſermonibus adlocutus eſt eos. Vos igitur, Patres, Fratres, & dilectiſſimi Filii mei, ſcitis, ſcio & ego, novit etiam penè totum Regnum meum, quanta pericula vos circumſteterunt ex tempore beatæ memoriæ Karoli genitoris mei, uſque huc; ſed quia nunc divinâ miſeratione ſalvati eſtis, erigite corda veſtra in Domino, mœſtúmque metum

hujus

hujus tempeſtatis & diras mentium veſtrarum ſecludite curas. Converſationem veſtram ſecundùm Dei timorem & Sanctæ Regulæ auctoritatem componite, ut in ea permanentes hæredes ſitis Regni Dei. Si enim ſuſcepiſtis minimam inchoationis regulam, & in ea confidentiam habuiſtis, juxta promiſſum beati viri Dei Benedicti, vitam perpetuam vos adipiſci, quare neglexiſtis tantum bonum, dimittentes propter unius conſervi obſtinationem, locum veſtrum & legem? quis vos faſcinavit in tantùm veritati non obedire? Putabat enim quandoque Pater meus nuperrimè nominatus, arbitrabar & ipſe in Imperio natus, ſi legem veſtram atque inſtitutum vobis infringere voluiſſem, quod abſit, mihi adſenſum minimè dediſſetis, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Turpe eſt propter unius minas, legem veritatis & locum ſanctum tam facilè dimittere, cùm plurimi Sanctorum pro lege Dei ſui certarint uſque ad mortem, & à verbis iniquorum non timuerint. Adjecit Imperator alia multa, quæ, quia prolixiora ſunt, lubenter omittimus. Imprimis dilectionem & concordiam commendavit, ambitionis varia enumeravit mala, unde Monaſteriorum corruptela ſequitur; præpoſtera Rectorum & ſubditorum judicia ſic damnavit. *Omnes ſubditos hi, qui præſunt, minùs, quàm ipſimet, ſapientes arbitrantur; & rurſum, qui ſubjecti ſunt, Rectorum ſuorum actiones judicant; &, ſi ipſos regimen tenere contingeret, ſe potuiſſe agere meliùs putant, unde plerumque fit, ut & Rectores minùs prudenter ea, quæ agenda ſunt, videant, quia eorum oculos ipſa nebula elationis obſcurat, & nonnunquam is, qui ſubjectus eſt, hoc, cùm Prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri ſubjectus arguebat, & pro eo, quod illa, quæ judicaverat, perpetrat, ſaltem, quia judicavit, erubeſcat.* Denique Prælatorum tumorem ſic redarguit. *Sæpè novimus, quòd plerumque, qui præſunt, inordinatum ſibi metum à ſubditis exigunt, & non tam propter dominum quàm pro domino venerari volunt, intus enim ſe tumore cordis extollunt, & cunctos ſubditos in ſui comparatione deſpiciunt, nec condeſcendendo conſulunt, ſed dominando præſumunt, qui videlicet altâ cogitatione ſe erigunt, & æquales ſe illis, quibus eos præeſſe contigit, non agnoſcunt. Contra hunc tumorem, per Eccleſiaſticum Doctorem dicitur.* [*Ducem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex illis.*] *Hunc tumorem, per Prophetam Dominus in Paſtoribus increpans, ait.* [*Vos autem imperabatis eis cum auſteritate & potentia.*] *Quia ergo unuſquiſque Rector, quoties extollitur, in eo quòd ceteros regit, toties per lapſum ſuperbiæ à ſummi Rectoris ſervitio ſeparatur; & cùm æquales ſibi ſubditos deſpicit, ejus ſuper ſe dominium, ſub quo omnes æquales ſunt, non agnoſcit. Hi tales, fratres mei, dum à conſentaneis non tam prodeſſe quàm Congregationi præeſſe coguntur, ſimulatâ impoßibilitate repugnant, & tamen ad hoc Magiſterium, ad quod quaſi trahuntur inviti, ne non perveniant timent, & cùm fortè pervenerint, quantâ hoc priùs ambitione mentis amaverint, poſtmodùm diverſis ſpeciebus informant.*

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

XXIX. Habitis hiſce ſermonibus, Imperator electum Abbatem ſibi ſiſti juſſit, illóque præſente ſic eoſdem Monachos allocutus eſt. *Iſtum nunc vobis committo, fratres, ſecundùm Dei timorem, & Sanctæ Regulæ auctoritatem, ut ſit vobis Pater, Paſtor & Frater, juxta Monaſterium beati Benedicti, qui hanc eandem Regulam Monachorum, Spiritu Sancto repletus, cum magna diſcretione conſcripſit, ſuiſque ſecum ſervandam mandavit alumnis. Vos autem, Filii, hunc ſenem Patrem veſtrum ſanctis converſationibus veſtris honorate, ſincero amore diligite, obedientiam verò non ſolùm illi, verùm etiam ad omne opus bonum certatim vobis invicem exhibere curate.* Et oratione ad ipſum Ægilem mox conversâ, concordiam in Cœnobio ſervandam docuit, fabricæ & ædificiorum modeſtiam præſcripſit, Martyriorum & Templorum conſtructiones iniquas aut ex alieno factas damnavit, prodigam œconomiam vetuit, facultates Monaſterii prohibuit cognatis & non egenis erogari, Regulam Sancti Benedicti laudavit, adulatores fugiendos ſuaſit. Illuſtrius eſt hoc Imperatoriæ pietatis argumentum, quàm ut ſilentio prætermitti poſſit. Sic igitur Ludovicus ad Ægilem. *Tu verò, Pater mi, juniores tuos, cum omni ſtudio & ſagacitate, ſecundùm Dei*

SALUTARIA AB EO MONITA PERCIPIT.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

voluntatem, ſervare contende, quatenus in hac ſancta concordia perſeverantes, ad eum pervenire mereamini, qui ad hoc ſolummodò deſcendit de cælo, ut mundum Deo Patri pacificaret per ipſum. Vobis igitur ſcientibus legem Dei loquor, de qua nihil aliud hortor, niſi ut legatis, & juxta poſſibilitatem, quam Dominus donaverit, verba veritatis in opera. Immenſa verò ædificia, Pater, & opera non neceſſaria, quibus familiæ foris & intus fratrum congregatio fatigatur, ex hinc penitus ad menſuram dimitte. Et memento quàm ſæpè hujus nimietatis querimonia Genitoris mei ac noſtras aures inquietabat. Ad hoc enim me, licèt minùs idoneum, tamen divina potentia in hoc ſubrogavit Imperium, ut eſſem oculus cæco, & pes claudo, pater eſſem pauperum, & cauſam, quam neſcirem, diligentiſſimè inveſtigarem, ac per hoc, hujus Religionis non poſſum utilitatem non loqui. Joannes verò ille Chryſoſtomus de his, qui Martyria ædificant, Eccleſias ornant, bonum opus facere videntur; ſed & ſi quidem & aliam juſtitiam Dei cuſtodiunt, ſi de bonis eorum pauperes gaudent, ſi aliorum bona per violentiam non faciunt ſua, ſcito quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem alias juſtitias Dei non ſervant, ſi de bonis eorum pauperes non gaudent, ſi aliorum bona faciunt ſua aut per violentiam aut per fraudem, quis tam inſenſatus eſt ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, ſed propter æſtimationem humanam, & juſtè ædificant Martyria ubi pauperes violentiam paſſi ab eis interpellent contra eos? Non enim gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, in quibus pauperes plorant. Qualis eſt illa juſtitia, munerare mortuos, & ſpoliare viventes? de ſanguine miſerorum tollere, & Deo offerre? illud non eſt Domino offerre, ſed velle violentia ſua ſocium facere Deum, ut ſi obligatam ſibi pecuniam de peccato libenter acciperet, conſentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare, da fidelibus pauperibus unde vivant, & ædificaſti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus ſanctis, quales ergo illi ſunt, qui homines ſpoliant, & ædificia Martyrum faciunt, habitationes hominum componunt, & habitationes Dei diſturbant? Subſtantiam verò, mi Pater, Monaſterii tibi commiſſam, caveto ne audaci judicio imprudenter effundas, nec aliquid injuſtè jubeas aut conſtituas, quaſi liberam habeas teſtatem. Hieronymus quoque te docet, ſcribens ad Paulinum, ne pauperum Chriſti res effundas. Quæ utilitas eſt, inquit, parietes fulgere gemmis, & Chriſtum in pauperum fame mori? Jam non ſunt tua, quæ poſſides; diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Saphiræ. Illi ſua timidè ſervaverunt, tu conſidera ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas, id eſt, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, &, ſecundùm dictum prudentiſſimi viri, liberalitas liberalitate pereat. Multi enim Monachorum, juxta cujuſdam Patris ſententiam, ſecularibus actibus & forenſibus negotiis involuti, dum propinquitati prodeſſe cupiunt, ſuas animas perdiderunt. Hinc igitur ſummoperè cavendum tibi eſt, ne immoderato, imò verò audaci judicio, rem pauperum tribuas non pauperibus, eleemoſynas videlicet laicorum fidelium, quas pro ſalute anima ipſorum, ad pauperes Chriſti nutriendos, Domino contulerunt. Sed ne quidem ſubjectis tibi conſentias, ut res pauperibus Chriſti conlatas, cognatis & amicis, ſive etiam, quod pejus eſt, ſeditioſis audeant procaciter exhibere, quia, ut ſcriptum eſt, non ſolùm qui faciunt mala, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt pœnâ. Regulam verò vir Dei Benedictus luculento ſermone conſcripſit, in qua nihil doctrinæ latentis, nihil obſcuritatis comprehendit: quapropter non indiget expoſitione, ſed ammonitione. Hæc eſt enim anguſta porta, & arcta via, quæ ſequentes ſe ducit ad Deum. Sanè in tantùm diſcretionem, menſuram, & charitatem te docet habere, ut etiam cum charitate hortatus prævaleas ipſa vitia reſecare, agere cuncta propter puſillamines menſuratè, diſcretionem ſcilicet Jacob cogitare, & ſemper in his omnibus fragilitatem ſuam tibimetipſi ad memoriam revocare. Sed timeo, ne ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutiâ ſuâ in deliciis paradiſi Dei commanentem; ita per adulatores & accuſatores, vaſa ſcilicet intelligibilis ſerpentis corrumpatur ſenſus tuus, quod abſit, & abjiciaris cum animabus tibi ſubjectis in locum miſeriæ & calamitatis.

Egreſſus autem de Palatio cum ſociis Pater Ægil per Mogontiam fecit iter, qui cùm perveniſſet ad urbem, ſuſceptus eſt honorificè ab Heiſtolfo ejuſdem urbis Archiepiſcopo, & factâ oratione conſederunt. Poſteà verò Præſul civitatis ſic prior incipiens ait. Nos, Pater, imprimis laudemus Dominum Deum noſtrum, & gratias illi uberes agamus, qui nos ſuâ benignitate conduxit in unum, ac mutuâ conlocutione jucundos eſſe conceſſit. De cetero quoque, Pater, dilectam familiaritatem tuam commonere curabo, ut in hoc ſuſcepto regimine vitam tuam atque doctrinam ita componas, ut tibi atque omnibus, qui tuo ſubduntur imperio, ad æternam proficiat ſanitatem. Talem te filiis tuis patrem exhibere contende, qualem tibi & fratribus tuis tecum paulò antè fieri poſtulabas. Alludit ad libellum ſupplicem, quem Monachi Fuldenſes Carolo Magno Imperatori porrexerunt, ut ſuo loco diximus. Poſtquàm verò *ſe diverſis utilitatibus* Heiſtolfus & Ægil *roborâſſent, petitâ licentiâ Pater Ægil à Pontifice benedictus, profectus eſt Fuldam, quò nimirum venienti obviam ei fuerunt Monachi ſui, qui eum honore condigno ſuſcipientes, ad orationem duxerunt. Expletâ namque oratione, in Oratorio poſtrati ſolo, ſalutaverunt Abbatem, quibus clementer & humiliter reſalutatis oſculabatur eos pacificè, cantans pariter cum illis more Patrum Canticum David hoc modo.* [*Ecce quàm bonum & jucundum habitare fratres in unum.*] *Et facta eſt lætitia magna in Eccleſia ibidem in Nomine Domini congregata.*

AN. CH. 818. XXX.

NECNON AB HAISTULPHO ARCHIEP. MOGUNTINO.

FULDAM REVERTITUR.

Ægil patriâ Noricus, adhuc puerulus, à parentibus oblatus Sturmioni conſanguineo ſuo, qui Fuldenſi Monaſterio tunc præerât. *Vir Venerabilis Sturmi, cognatus ejus de quo loquimur,* ait Candidus in ipſius Ægilis vita, *eo tempore turbam Monachorum, dignis converſationibus, regere videbatur. Huic nimirum adhuc puerulus Ægil de patria tranſportatus & honorificè à parentibus præſentatus eſt, quem paternâ pietate & blanditiis delinitum, ſcholæ congregationi, ubi Lex Divina jugi exercitatione diſcitur & docetur, ſociari voluit.* Id contigit ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-nonum. Ægil enim in vita Sancti Sturmionis ita de ſeipſo ſcribit. *Ego Ægil in diſcipulatu illius pluſquàm XX annos converſatus eram, & ſub ipſius Cœnobii diſciplina ab infantia uſque in hanc ætatem nutritus & eruditus ſum.* Ex hac autem vita migravit Sanctus Sturmio menſe Decembri, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono. Vixit igitur Ægil annos pluſquàm viginti ſub Abbate Sturmione, tres ac viginti ſub Baugulfo, quindecim ſub Ratgario, nec immeritò, poſt exauctorationem Ratgarii, ſenex à Ludovico Auguſto vocatur, cùm annos in Fuldenſi Monaſterio ſexaginta jam tranſegerit. Factus Abbas Ludovicum Imperatorem rogavit, ut Ratgarium ab exilio revocaret. Hoc inſigne manſuetudinis Chriſtianæ documentum Candidus in ejus vita ſic commendat. *Inter alia miſericordiæ & pietatis opera, hoc miſericordiæ bonum probabiliter egiſſe laudatur, quòd anteceſſorem ſuum, quem quondam cum ſociis quaſi perſecutorem fugiendo vitabat, cùm eſſet cauſâ illius inquietudinis ab Imperatore in exilium miſſus, unà cum fratrum ſuorum petitione, de exilio liberavit. Quorum fidem atque miſericordiam adeò mirabatur Auguſtus, ut diceret eos juxta præceptum Veritatis pro perſecutoribus ſuis veraciter exoraſſe.* Ratgarius ab exilio reverſus Cœnobium Beatiſſimæ Virginis inchoavit in monte Sancti Bonifacii, ubi olim & illius Sancti manſio & Fuldenſium incolarum prima parœcia fuit. Hoc poſtremo ædificio invidiam adminiſtrationis malè geſtæ penitus aboleviſſe dicitur in Antiquitatibus Fuldenſibus [a]. Peccaverat in hoc non leviter, quòd ædificia ſtruxerat immenſa atque ſuperflua, operáque multa fecerat inutilia, quibus fratres ultra modum fatigabantur & familiæ foris diſperibant. Huc pertinet caput duodecimum libelli ſupplicis adversùs eum oblati Carolo Auguſto. *Ut ædificia immenſa atque ſuperflua, & cetera inutilia opera omittantur, quibus fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris diſpereunt, ſed omnia juxta menſuram & diſcretionem fiant.* Huc ſpectat & pars orationis noviſſimè deſcriptæ habitæque Ægili Abbati ab Imperatore Ludovico. *Immenſa verò ædificia, Pater, & opera non neceſſaria, quibus familia*

XXXI.

AGIT APUD IMP. UT RATGARIUS AB EXILIO REVOCETUR.

RATGARIUS FULDAM REVERSUS INCHOAT MON. B. VIRGINIS.

[a] Lib. I. cc. 6. 21.

AN. CH. 818. *foris & intus fratrum congregatio fatigatur, ex hinc penitus ad menſuram dimitte. Et memento quàm ſæpè hujus nimietatis querimonia Genitoris mei ac noſtras aures inquietabant.* Ex prædictis diſtingue duo ædificiorum genera, quorum unum laudatur quia vel neceſſarium vel utile, alterum damnatur quia vel ſuperfluum vel noxium Monaſterio. Probatur in Sturmio, Baugolpho, Ratgario & Ægile, cura conſtruendæ Baſilicæ, de qua ſic Browerus in præcitatis Antiquitatibus [a]. *Sturmus columnis fulciiſſe Templum, & porticum ornaſſe condiendo* Bonifacii *Martyris pignori, ſcribitur. Idem aquis intra ſepta ad varia miniſteria deductis, Monachorum quoque domiciliis inſtaurandis manum adhibuit. Quam deinde curam Baugolffus & Rhatarius, præſertim oneroſo & perdifficili ſumptu excepere, qui Baſilicam in eam protulere magnitudinem, ut cryptis denique duabus magnifico opere, hinc ad Occaſum, inde ad Orientem, extructis, abſoluti Templi decus Ægil Abbas auferret.* Anno proximo Dedicationem hujus Baſilicæ non omittemus. Clauſtrum quoque, quod Ægil adjecit, infrà memorabimus. Improbantur autem in Ratgario poſterioris generis ædificia, de quibus ſic idem Auctor. *Convaleſcente numero Monachorum & advenarum, ſervitiorúmque creſcente multitudine, foris in omnem partem deducta colonia, vicinóque ſolo paſſim vel Eccleſiæ vel Cellæ exædificari cœpta, eâ frequentiâ & molitionis ardore, ut oneri & diſpendio hanc feſtinationem ſibi eſſe primores Monachorum ipſi faterentur,* capite videlicet duodecimo libelli ſupplicis ad Carolum Auguſtum. In celebri Abbatum Collatione, quam Aquiſgrani anno priore habitam obſervavimus, uſus Cellarum commendatur Capitulo quadrageſimo-quarto, ſic. *Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi ſint aut Canonici, & Abbas provideat ne minùs de Monachis ibi habitare permittat quàm ſex.* Ab Abbate Ratgario Cellæ plures erectæ ſunt, eæque magnificentiùs adornatæ, quàm facultates Monaſterii ferebant. Inde datus querelis locus, hoſpitalitas enim & inopum peregrinorúmque cura multùm remittebantur. Cellæ rei ruſticæ ac familiaris erant officinæ. Monachis ibi degentibus qui præerant, Præpoſiti vocabantur, horum munus erat in officio ſervos continere, colonos ritè gubernare, Monaſterio miniſtrare ſumptum, præbere ad victum cultúmque neceſſaria, reficere domeſticos ultrò citróque commeantes, hoſpitio peregrinos excipere. Rectè in præcitata Collatione conſtitutum, ut in qualibet Cella ſex ſaltem habitarent Monachi, ne, ſi pauciores eſſent, in illis ſtudium Regularis diſciplinæ tepeſceret aut etiam penitus extingueretur. Ad ſingulas profectò Cellas ſufficientem Monachorum numerum dirigere potuit Abbas Fuldenſis, Sanctus enim Ludgerus in vita Sancti Gregorii teſtatur de Sturmione primo Monaſterii Fuldenſis Abbate, quòd locum illum *in tantùm provehere & glorificare* meruit, *ut ante obitum ſuum de hoc mundo, quadringentorum circiter Monachorum, exceptis pulſantibus & aliis minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valdè, in ipſo Monaſterio, poſito juxta fluvium Fulda, Pater extiterit & Præceptor.* Cellarum curam non neglexit Ægil Abbas, de quo ſic Candidus. *Cum conſilio & conſenſu fratrum ſuorum conſtituit atque decrevit, ut fratres qui extra Monaſterium miniſteria providere noſcuntur, fratribus intra Monaſterium commanentibus per ſingulas anni ſeptimanas, juxta ordinationem Præpoſiti vel Decanorum, in cibo & potu, atque aliis quibuſlibet commodis, Monaſticæ vitæ congruentibus, ſuper indictam ſibi annonam, ad honeſtam conſolationem, non coactè, ſed ut eos ſumptus permitteret, ſpontaneâ voluntate ſervirent, ita tamen ut ipſe primò omnium hujus ſervitutis initium in die Natalis Domini, ad exemplum ceteris, cum gaudio ſuſciperet. Hæc ideo ſanè fratribus extrà manentibus commiſit, ut per illa charitatis officia mercedem conſequerentur à Deo, & à præcepto Regulæ, quæ jubet ut fratres ſibi invicem ſerviant, longè poſiti non diſcreparent.*

ÆDIFICIA DUPLICIS GENERIS.

ALIA LAUDANTUR.

[a] Lib. 2. c. 6.

ALIA DAMNANTUR.

CELLÆ MONASTERIORUM AD QUOS USUS.

XXXII. Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus Sancti Giſleni Corpus ob Eccleſiæ novæ Dedicationem loco movit. Anonymus id in ejuſdem Sancti Giſleni vita [b] teſtatum ſic reliquit. *Magnus Rex Carolus cuidam Abbati propinquo ſuo, nomine Eleſanti, præfatum locum,* Cellenſe videlicet Monaſterium, *conceſſit*

[b] Sec. 2. Benedict. 2. circ. 681.

Digitized by Google

ſervandum, ſublimiúſque & pulchriùs conſtruendum Oratorium, quo iſdem Sanctus Giſlenus *quieſcebat. Honorificatiùs autem illo ædificato, popoſcit idem Nobilis Abbas Epiſcopum Cameracenſium Halydgarium venire & conſecrare illud more Catholico. Veniens ergo Epiſcopus dixit non debere illud benedici manente intus alicujus Sancti Corpore aut aliquibus Sanctorum Reliquiis. Initóque ſimul conſilio elevantes Beati artus detulerunt foras Monaſterii Oratorium, abdentes eos poſt abſidem altaríſque feneſtram, cupiens Abbas Elefans pòſt referre illos intrò. Benedicta eſt itaque Baſilica in honore Apoſtolorum Petri & Pauli atque ceterorum Sanctorum, octavo Kalendas Auguſti, tempore Ludovici Regis prolis inclyti Caroli. Sciſcitato deinde Epiſcopo Abbas quid de ſacro-ſancto Corpore fieri deberet, reſpondiſſe fertur Epiſcopus. Quieſcat illic Sanctus donec Dei pietas dignetur patefacere ejus merita manifeſtiùs cunctis hominibus.* Elefans ſive Elephas ex Monacho Giſleniano factus eſt Abbas anno Redemptoris octingenteſimo octavo. Halitgarius Epiſcopatum Cameracenſem ſuſcepit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo. Utrumque ſuo probavimus loco. Toto tempore, quo Pontificatum geſſit Halitgarius, litera C, quæ præfigitur octavo Kalendas Auguſti, bis duntaxat Dominicalis fuit per menſem Julium, nempe hoc anno reparatæ Salutis octingenteſimo duodeviceſimo, & anno pòſt undecimo ſive anno Redemptoris octingenteſimo undetriceſimo; annus enim Redemptoris octingenteſimus viceſimus-quartus, qui biſextilis fuit, habuit quidem literam Dominicalem C, ſed antequàm biſextum intercalaretur. Cùm autem Dedicationes Eccleſiarum Dominicis diebus fieri conſueverint, Dedicatio Baſilicæ Giſlenianæ vel hoc anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo conſignari, vel poſt annos undecim neceſſariò differri debet. Ne verò rejiciatur in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-nonum, prohibent veteres Annaliſtæ, qui Halitgarium anno Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo Conſtantinopolim à Ludovico Auguſto directum ſcribunt. Quot annos Elephas poſt illam Dedicationem ſuperſtes vixerit, & qui fuerint ejus ſucceſſores ad irruptionem uſque Nortmannorum nemo prodit.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2. BASILICA S. GISLENI DEDICATUR.

Obiit hoc anno Nantharius Sitivenſis ſeu Bertinenſis Abbas, *ubi Præſulem egiſſet annos quatuordecim,* ut ſcribit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico [a]. De ſucceſſore agemus poſt biennium.

XXXIII. NANTHARIUS ABB. SITIVENSIS OBIT.

[a] Ad an. 821.

Ad hunc interim annum referemus Capitula Monachorum San-Gallenſium, quæ numero ſunt triginta & unum, atque ex Codice San-Gallenſi nuper à Stephano Baluzio publicata prodierunt in Appendice veterum [b] Actorum poſt Notas ad Capitularia.

XXXIV. CAPITULA MONACHORUM S. GALLI.

[b] Act. 10.

I. In primis ut nulla in ullis rebus inter hujus profeſſionis viros in toto Regno ſuo, niſi ubi impoßibilitas non permittit, inveniatur varietas, cujus impoßibilitatis qualitatem ſummo ſtudio Miſſi pro hoc directi ſatagunt inquirere. Huc ſpectat Aſtronomi textus, apud quem *conſtituit Imperator Benedictum Abbatem* Indenſem *& cum eo Monachos ſtrenua vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis tam virùs quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* XXXV.

II. Ut ad omnia ſigna diuturna ſive nocturna, ſecundùm Præceptum Regula, ſtatim ut audita fuerint feſtinetur. XXXVI.

III. Ut locus ſeparatim tardè ad qualecunque ſignum occurrentibus conſtituatur. XXXVII.

IIII. Ut cum diſciplina regulari & reverentia magna divina agantur Officia. XXXVIII.

V. Ut dictis ſex Pſalmis primis ad nocturnum genua non inflectant, ſed ſtantes orent. XXXIX.

VI. Ut intervallum poſt nocturnum in æſtivo tempore uſquedum quinque Pſalmi dici poſſunt proteletur. XL.

VII. Ut finitis curſibus incæpturi Kyrie eleyſon genua flectant, & non antè ſurgant quàm Sancta Trinitatis vocabulis perdictis Presbyter dicat. Per omnia ſe- XLI.

AN. CH. 818. *foris & intus fratrum congregatio fatigatur, ex hinc penitus ad menſuram dimitte. Et memento quàm ſæpè hujus nimietatis querimonia Genitoris mei ac noſtras aures inquietabant.* Ex prædictis diſtingue duo ædificiorum genera, quorum unum laudatur quia vel neceſſarium vel utile, alterum damnatur quia vel ſuperfluum vel noxium Monaſterio. Probatur in Sturmio, Baugolpho, Ratgario & Ægile, cura conſtruendæ Baſilicæ, de qua ſic Browerus in præcitatis Antiquitatibus [a]. *Sturmus columnis fulciiſſe Templum, & porticum ornaſſe condiendo* Bonifacii *Martyris pignori, ſcribitur. Idem aquis intra ſepta ad varia miniſteria deductis, Monachorum quoque domiciliis inſtaurandis manum adhibuit. Quam deinde curam Baugolfſus & Rhatarius, præſertim oneroſo & perdifficili ſumptu excepere, qui Baſilicam in eam protulere magnitudinem, ut cryptis denique duabus magnifico opere, hinc ad Occaſum, inde ad Orientem, extructis, abſoluti Templi decus Ægil Abbas auferret.* Anno proximo Dedicationem hujus Baſilicæ non omittemus. Clauſtrum quoque, quod Ægil adjecit, infrà memorabimus. Improbantur autem in Ratgario poſterioris generis ædificia, de quibus ſic idem Auctor. *Convaleſcente numero Monachorum & advenarum, ſervitiorúmque creſcente multitudine, foris in omnem partem deducta colonia, vicinóque ſolo paſſim vel Eccleſiæ vel Cellæ exadificari cœptæ, eâ frequentiâ & molitionis ardore, ut oneri & diſpendio hanc feſtinationem ſibi eſſe primores Monachorum ipſi faterentur,* capite videlicet duodecimo libelli ſupplicis ad Carolum Auguſtum. In celebri Abbatum Collatione, quam Aquiſgrani anno priore habitam obſervavimus, uſus Cellarum commendatur Capitulo quadrageſimo-quarto, ſic. *Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi ſint aut Canonici, & Abbas provideat ne minùs de Monachis ibi habitare permittat quàm ſex.* Ab Abbate Ratgario Cellæ plures erectæ ſunt, eæque magnificentiùs adornatæ, quàm facultates Monaſterii ferebant. Inde datus querelis locus, hoſpitalitas enim & inopum peregrinorúmque cura multùm remittebantur. Cellæ rei ruſticæ ac familiaris erant officinæ. Monachis ibi degentibus qui præerant, Præpoſiti vocabantur, horum munus erat in officio ſervos continere, colonos ritè gubernare, Monaſterio miniſtrare ſumptum, præbere ad victum cultúmque neceſſaria, reficere domeſticos ultrò citróque commeantes, hoſpitio peregrinos excipere. Rectè in præcitata Collatione conſtitutum, ut in qualibet Cella ſex ſaltem habitarent Monachi, ne, ſi pauciores eſſent, in illis ſtudium Regularis diſciplinæ tepeſceret aut etiam penitus extingueretur. Ad ſingulas profectò Cellas ſufficientem Monachorum numerum dirigere potuit Abbas Fuldenſis, Sanctus enim Ludgerus in vita Sancti Gregorii teſtatur de Sturmione primo Monaſterii Fuldenſis Abbate, quòd locum illum *in tantùm provehere & glorificare* meruit, *ut ante obitum ſuum de hoc mundo, quadringentorum circiter Monachorum, exceptis pulſantibus & aliis minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valdè, in ipſo Monaſterio, poſito juxta fluvium Fulda, Pater extiterit & Præceptor.* Cellarum curam non neglexit Ægil Abbas, de quo ſic Candidus. *Cum conſilio & conſenſu fratrum ſuorum conſtituit atque decrevit, ut fratres qui extra Monaſterium miniſteria providere noſcuntur, fratribus intra Monaſterium commanentibus per ſingulas anni ſeptimanas, juxta ordinationem Præpoſiti vel Decanorum, in cibo & potu, atque aliis quibuſlibet commodis, Monaſticæ vitæ congruentibus, ſuper indictam ſibi annonam, ad honeſtam conſolationem, non coactè, ſed ut eos ſumptus permitteret, ſpontaneâ voluntate ſervirent, ita tamen ut ipſe primò omnium hujus ſervitutis initium in die Natalis Domini, ad exemplum ceteris, cum gaudio ſuſciperet. Hæc ideo ſanè fratribus extrà manentibus commiſit, ut per illa charitatis officia mercedem conſequerentur à Deo, & à præcepto Regulæ, quæ jubet ut fratres ſibi invicem ſerviant, longè poſiti non diſcreparent.*

ÆDIFICIA DUPLICIS GENERIS.

ALIA LAUDANTUR.

[a] Lib. 1. c. 6.

ALIA DAMNANTUR.

CELLÆ MONASTERIORUM AD QUOS USUS.

XXXII. Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus Sancti Giſleni Corpus ob Eccleſiæ novæ Dedicationem loco movit. Anonymus id in ejuſdem Sancti Giſleni vita [b] teſtatum ſic reliquit. *Magnus Rex Carolus cuidam Abbati propinquo ſuo, nomine Eleſanti, præfatum locum,* Cellenſe videlicet Monaſterium, *conceſſit*

[b] Sec. 2. Benedict. a. circ. 681.

ſervandum, ſublimiúſque & pulchriùs conſtruendum Oratorium, quo iſdem Sanctus Giſlenus *quieſcebat. Honorificatiùs autem illo ædificato, popoſcit idem Nobilis Abbas Epiſcopum Cameracenſium Halydgarium venire & conſecrare illud more Catholico. Veniens ergo Epiſcopus dixit non debere illud benedici manente intus alicujus Sancti Corpore aut aliquibus Sanctorum Reliquiis. Initóque ſimul conſilio elevantes Beati artus detulerunt foras Monaſterii Oratorium, abdentes eos poſt abſidem altariſque feneſtram, cupiens Abbas Elefans pòſt referre illos intrò. Benedicta eſt itaque Baſilica in honore Apoſtolorum Petri & Pauli atque ceterorum Sanctorum, octavo Kalendas Auguſti, tempore Ludovici Regis prolis inclyti Caroli. Sciſcitato deinde Epiſcopo Abbas quid de ſacro-ſancto Corpore fieri deberet, reſpondiſſe fertur Epiſcopus. Quieſcat illic Sanctus donec Dei pietas dignetur patefacere ejus merita manifeſtiùs cunctis hominibus.* Elefans ſive Elephas ex Monacho Giſleniano factus eſt Abbas anno Redemptoris octingenteſimo octavo. Halitgarius Epiſcopatum Cameracenſem ſuſcepit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo. Utrumque ſuo probavimus loco. Toto tempore, quo Pontificatum geſſit Halitgarius, litera C, quæ præfigitur octavo Kalendas Auguſti, bis duntaxat Dominicalis fuit per menſem Julium, nempe hoc anno reparatæ Salutis octingenteſimo duodeviceſimo, & anno pòſt undecimo ſive anno Redemptoris octingenteſimo undetriceſimo; annus enim Redemptoris octingenteſimus viceſimus-quartus, qui biſextilis fuit, habuit quidem literam Dominicalem C, ſed antequàm biſextum intercalaretur. Cùm autem Dedicationes Eccleſiarum Dominicis diebus fieri conſueverint, Dedicatio Baſilicæ Giſlenianæ vel hoc anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo conſignari, vel poſt annos undecim neceſſariò differri debet. Ne verò rejiciatur in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-nonum, prohibent veteres Annaliſtæ, qui Halitgarium anno Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo Conſtantinopolim à Ludovico Auguſto directum ſcribunt. Quot annos Elephas poſt illam Dedicationem ſuperſtes vixerit, & qui fuerint ejus ſucceſſores ad irruptionem uſque Nortmannorum nemo prodit.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2. BASILICA S. GISLENI DEDICATUR.

Obiit hoc anno Nantharius Sitivenſis ſeu Bertinenſis Abbas, *ubi Præſulem egiſſet annos quatuordecim,* ut ſcribit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico [a]. De ſucceſſore agemus poſt biennium.

XXXIII. NANTHARIUS ABB. SITIVENSIS OBIT. [a] Ad an. 821.

Ad hunc interim annum referemus Capitula Monachorum San-Gallenſium, quæ numero ſunt triginta & unum, atque ex Codice San-Gallenſi nuper à Stephano Baluzio publicata prodierunt in Appendice veterum [b] Actorum poſt Notas ad Capitularia.

XXXIV. CAPITULA MONACHORUM S. GALLI. [b] Act. 10.

I. In primis ut nulla in ullis rebus inter hujus profeſſionis viros in toto Regno ſuo, niſi ubi impoſſibilitas non permittit, inveniatur varietas, cujus impoſſibilitatis qualitatem ſummo ſtudio Miſſi pro hoc directi ſatagunt inquirere. Huc ſpectat Aſtronomi textus, apud quem *conſtituit Imperator Benedictum Abbatem* Indenſem *& cum eo Monachos ſtrenua vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis tam virùs quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.*

XXXV.

II. Ut ad omnia ſigna diuturna ſive nocturna, ſecundùm Præceptum Regula, ſtatim ut audita fuerint feſtinetur. XXXVI.

III. Ut locus ſeparatim tardè ad qualecunque ſignum occurrentibus conſtituatur. XXXVII.

IIII. Ut cum diſciplina regulari & reverentia magna divina agantur Officia. XXXVIII.

V. Ut dictis ſex Pſalmis primis ad nocturnum genua non inflectant, ſed ſtantes orent. XXXIX.

VI. Ut intervallum poſt nocturnum in æſtivo tempore uſquedum quinque Pſalmi dici poſſunt proteletur. XL.

VII. Ut finitis curſibus incæpturi Kyrie eleyſon genua flectant, & non antè ſurgant quàm Sanctæ Trinitatis vocabulis perdictis Presbyter dicat. Per omnia ſe- XLI.

AN. CH. 818. *cula ſeculorum. Amen. Surgentes autem humiliationem ſupplicationis ſibi viciſſim præbeant. Et idipſum ſeſſuri in Capitulo, atque receſſuri, vel ubicunque tota Congregatio jungitur vel ſeparatur, faciant.*

XLII. *VIII. Ut in Eccleſia nemo, niſi quod Regula mandat, loquatur.*

XLIII. *VIIII. Ut Kyrie eleyſon, Amen, Deo gratias, & Verſus, in unoquoque concurſu altiùs & diſtinctiùs atque protractiùs honeſtè dicantur.*

XLIV. *X. Ut Lector in Eccleſia priùs benedictionem non petat, quàm omnes ſedeant.*

XLV. *XI. Ut Verſus ad Capitulum, id eſt, Deus in adjutorium meum, à Presbytero ter térque à Congregatione repetitus dicatur. Et dictâ Gloriâ, poſt hoc non adjungant Alleluya.* In hoc Decreto, ut & in proximè ſequentibus, necnon & in ſeptimo recitato Capitulum interpretare locum Capitularem, in quem Monachi conveniunt.

XLVI. *XII. Ut Kyrie eleyſon oraturi in Capitulo, utrumque genu flectentes, conſonâ voce tribus tantùm vicibus dicant, id eſt, Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Similiter in Refectorio, ſed ſine genuflexione.*

XLVII. *XIII. Ut in Capitulo ſeu ubicunque quis increpatus fuerit, ſtatim veniam petens dicat, mea culpa, & juſſus ſurgat, & ſic humiliter rationem reddat. Et ſi quiſquam hoc facere contempſerit, duplici vindictâ ſubjaceat.* Lege Capitulum decimum-tertium Additionis primæ, de qua ſuprà.

XLVIII. *XIIII. Ut poſt Capitulum ſignum ſonetur, ut omnes pariter cum Præpoſito vel Decanis & uno de Circatoribus in obedientia, ubi injungitur, pergant, exceptis his qui variis occupati ſunt obedientiis. Et alter de Circatoribus clauſtrum providens domi remaneat. Qui Decani & Circatores ſummâ curâ provideant, ne quid vel in ipſa obedientia, vel illuc eundo, vel inde revertendo, vel ubi & ub', inhoneſtum & noſtræ profeſſioni inconveniens fiat, recordantes quòd quicquid à diſcipulis delinquitur, magiſtros reſpicit.* Qui vocantur hîc Circatores, alibi Circæ, Circitores, Circuitores & Circumitores dicti reperiuntur, de quibus Conſule Haeftenum in Diſquiſitionibus Monaſticis [a].

[a] Lib. 9. Tract. 4. Diſquiſ. 3.

XLIX. *XV. Ut in Refectorio horâ refectionis nullius niſi Lectoris vox audiatur.* Lege Regulam Sancti Benedicti capite duodequadrageſimo, & Ordinem Monaſticæ converſationis capite undecimo.

L. *XVI. Ut reficiendi fratres unum pulmentum cum potu & horto ſeu pomis, ſi ſunt, ante ſe inveniant, poſt quæ & alia dentur, quæ Regula mandat.* Regulæ Benedictinæ caput undequadrageſimum inſcribitur eſtque totum *de menſura cibi.*

LI. *XVII. Ut ante nec poſt horam conſtitutam quicquam cibi vel potûs aliquis ſumat, exceptis infirmis. Sed & omnes, ſicut uno ſtringuntur voto, unius Regis bajolant ſervitium, unum expectant Regni calectis præmium, ita unum in labore militiæ accipiant neceſſitatis ſtipendium.* Lege Ordinem Monaſticæ converſationis, capite nono.

LII. *XVIII. Ut cuſtodia regularis circa infirmos non negligatur.*

LIII. *XVIIII. Ut quatuor fratres juniores, ſeu quantos popoſcerit neceſſitas, deputentur ad miſcendum, qui tamen reficiantur cum ceteris.*

LIV. *XX. Ut Miniſtri omnes intus foríſve in potu & cibo, veſtimentis, ceteríſque neceſſariis, eâ menſurâ, quâ ceteri fratres vivunt, contenti ſint. Et quando à miniſteriis ſuis vacent, cum aliis reficiantur.*

LV. *XXI. Ut ad coquinam ſignum non ſonetur. Sed Hebdomadarius, factâ miniſtratione, illud tintinnabulum, quod ante Abbatem pendet, tangat. Quo ſonato, inclinet ſe ipſe Hebdomadarius atque omnes fratres, uſquedum à Sacerdote benedictio compleatur.*

LVI. *XXII. Ut dicto Verſu poſt menſam, incipiat Prior, Miſerere mei, Deus, in dextro Choro, & Chorus ſiniſter præcedat. Et ſic apertè & diſtinctè cantando pergant ad Eccleſiam.* Similia præſcribit Ordo Monaſticæ converſationis, capite undecimo. *Surgentes à menſa, dicto Verſu, ſiniſter Chorus exeat prior ordinatè, dexter verò poſterior, noviſſimè autem Dominus Abbas, pſallentes Pſalmum quin-*

quagesimum distinctè & non festinanter. Cùm introierint Oratorium, psallentes inclinent se usque ad Gloriam. Ad Gloriam verò flectant genua, & post Orationem Dominicam surgentes, vadant cum silentio, secundùm quod tempori congruit. AN. CH. 818.

XXIII. *Ut summum silentium post refectionem omni tempore teneatur.* Hujus quoque silentii mentio fit in Ordine Monasticæ conversationis proximè citato. LVII.

XXIV. *Ut certis temporibus occupentur in opere manuum, certis in lectione divina.* Lege in Ordine conversationis Monasticæ caput nonum de opere manuum & lectione. LVIII.

XXV. *Ut Præpositus, Decani, Circatores, omnésque Ministri sæpiùs privatè publicéque ammoneantur, ut omnimodis circa Ministerium solliciti sint.* LIX.

XXVI. *Ut omnes ad Missas veniant & persistant, sicut & in cæteris divinis Officiis facere debent.* LX.

XXVII. *Ut in æstivo tempore post Nonam bibant fratres, & postea ad Capitulum pergant.* LXI.

XXVIII. *Ut post omnes cursus, quando ad refectionem ire oportet, in Ecclesia illud signum, quod ad refectorium sonat, expectent, nisi quem necessitas exire compellit.* Lege in Ordine conversationis Monasticæ initium capitis undecimi. LXII.

XXIX. *Ut ubicumque sibi obviaverint fratres, junior benedictionem petens flet in uno loco inclinatus usquedum tribuens benedictionem prior pertranseat.* Breviùs Ordo [a] Monasticæ conversationis. *Cùm sibi obviant fratres, ubique dicat junior seniori inclinato capite, benedicite.* LXIII.

[a] Cap. 6.

XXX. *Ut absente Abbate Præpositus locum ejus in Ecclesia, in Capitulo, atque in Refectorio teneat, ejúsque vice lectiones in unoquoque conventu interpretetur, & benedictionem legentibus tribuat: & Præposito non præsente senior Decanus eadem faciat: qui præsente Abbate propria teneant loca.* Lege in Capitularibus Capitulum quinquagesimum-quintum Additionis tertiæ. LXIV.

XXXI. *Ut intervallum post Matutinos, & ante Primam, hyemis vel æstatis tempore, eo proteletur spatio, quo se fratres aptè parare & convenienter orando Altaria circuire possint, ut clarâ luce vel orto Sole exeuntes à Prima vel lectioni vacent, vel injunctam sibi obedientiam subeant.* LXV.

Ut illud Capitulare censeremus hoc anno consignandum, suasit titulus, in quo sic ipsimet Monachi San-Gallenses loquuntur. *Præceptum Regulæ & Constitutiones novellorum Conciliorum acutiùs considerare & promptiùs exercere jussio Imperialis ammonet.* Anno enim priori Sanctiones apud Aquisgranum de vita Canonicorum, Monachorum, Canonissarum, & Monialium, promulgatæ sunt, statímque per Provincias, ut Ecclesiæ statum vel dejectum restaurarent, vel stantem confirmarent, directi sunt Missi, quorum reditum ad Imperatoris comitatum sub anni sequentis initium non omittemus. LXVI.

Haud adeò determinatè sciri potest tempus, quo vel Felix Urgellensis quondam Episcopus obiit, vel Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, librum adversùs ejus dogma conscripsit, dicavitque *Christianorum religiosissimo, benignorum benignissimo, mansuetorum tranquillissimo, Christi amatori, ideóque victori ac triumphatori piissimo Augusto, Domno glorioſissimo Hludowico Imperatori.* Felix errorem, quem sæpè damnaverat, Aquisgrani novissimè damnavit anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, propter frequentes tamen lapsus ab Episcopatûs honore depositus est, & apud Lugdunum in perpetuum relegatus exilium. Mox egregiam fidei Confessionem ad Clerum populúmque Urgellitanum misit. Creditus est egisse syncerè, laudarique meruit ab Alcuino in libris adversùs Elipantum pòst editis. In suo tamen errore mortuus est, idque constat contigisse, cùm Ludovicus Imperiali dignitate jam gaudebat, erántque Lugdunenses Insulæ penes Agobardum, nec adhuc Ludovicum inter ejúsque filios ulla jurgii causa serpebat. Ideóque non multùm nos aberraturos arbitramur, si quæ mortem Felicis secuta sunt, LXVII. FELIX URGELLENSIS QUONDAM EP. OBIT HÆRETICUS.

AN. CH. 818. LUDOV. IMP. 5. LOTHAR. IMP. 2. PIPPINI R. 4. LUDOV. R. 2.

hoc anno recitemus, addequòd idem annus apud Tamayum [a] triceſimus-nonus Felicis à ſuſcepto Pontificatu numeratur. Felix è vita diſceſſit exul Lugduni, poſt ejus obitum ſchedula, quam Catholicæ veritati contrariam ſcripſerat, inventa eſt ab Agobardo Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui ſtatim illam & reprehendit & reprehendendam publicavit, ut ipſemet initio libri ad Ludovicum Auguſtum contra Felicianum dogma paulò pòſt directi ſic teſtatus eſt. *Poſt obitum Felicis illius, qui fuerat quondam Epiſcopus in urbe Orgelletana, inventa eſt à nobis quadam ſcedula ab eo edita ſub ſpecie interrogationis & reſponſionis, quam cùm legentes conſideraremus, inſpeximus hominem diligenter & fraudulenter inſtauraſſe, quantùm in ſe fuit, omnem pravitatem dogmatis ſui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Epiſcopatûs depoſitus, qui licèt aliqua verba, quæ priùs imprudenter efferebat, poſtea ſuppreſſerit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Quam ſcedulam ego, ut potui, juxta veritatem fidei cùm reprehendiſſem, vel reprehendendam publicaſſem, quidam ex fratribus, ut comperi, indignè tulerunt; & non perverſitate animi, ut puto, ſed ſimplicitate ingenii, arbitrati ſunt me non id feciſſe zelo Fidei ſed zelo invidentiæ, ſicut moris eſt eorum, qui inanis gloriæ cupidi, idcircò bonis detrectant, ut ſe illis ſuperponere nitantur, &, ſi detractionibus obtinuerint, ne illi admirentur, iſti admirationis gloriam conſequantur. Et quoniam non deſunt inter nos tales, quibus neceſſe ſit & integritatem Fidei cognoſcere, per quam valeant malum perfidiæ declinare, & rectis judiciis obtemperare, ut mereantur in dogmate pietatis proficere; opportunum putavi ea, quæ prædictus vir malè ſenſit, exaggeranda aſſumere, & verbis ejus, in quibus à veritate Fidei exceſſit, Sanctorum Patrum ſententias opponere, ut quiſquis dignatus fuerit legere, agnoſcat, quâ cautelâ Catholicæ veritatis puriſſimum ſenſum ſequatur.* Huc uſque Agobardus.

[a] D. 3. Oct.

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

ANNUS

CHRISTI		819.		
LUDOVICI	IMP.	6.		
	REG.	39.	14.	2.
LOTHARII	IMP.	3.		
	REG.	5.		
PIPPINI III.	REG.	5.	3.	
LUDOVICI	REG.	3.		
INDICTIO		12.		

I. LUDOVICUS IMP. AQUISGRANI CONVENTUM CELEBRAT.

IN EUNTE anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, Ludovicus Imperator apud Aquiſgranum, ubi Natalem Domini celebrarat, generalem habuit Conventum, de quo ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Conventus Aquiſgrani poſt Natalem Domini habitus, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & Monaſteriorum tractata atque ordinata ſunt. Legibus etiam Capitula quædam neceſſaria, quia deerant, conſcripta atque addita ſunt.* Et Aſtronomus in ejuſdem Ludovici vita, ſic. *Hyeme Imperator in eodem* Aquiſgranenſi *Palatio Conventum publicum populi ſui celebravit, & renunciantes ſibi Miſſos de omni ſuo Regno, quos pro ſtatu Sanctæ Eccleſiæ reſtaurando dejecto, vel confirmando ſtante miſerat, audivit,*

Digitized by Google

divit, & quicquid utile judicavit, ſanctâ impellente devotione ſuperaddidit, nihilque intactum reliquit, quicquid ad honorem Sanctæ Dei Eccleſiæ proficere poſſe viſum fuit. Interea Capitula quædam Legibus ſuperaddidit, in quibus cauſa forenſes claudicare videbantur, quæ hactenus veluti perneceſſaria ſervantur. AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

Stephanus Baluzius ad hunc annum ſex edidit Capitularia, quæ vel ad Salicæ Legis additamentum aut interpretationem, vel ad inſtructionem Miſſorum Dominicorum pertinent. Capitulorum potiſſima pars occurrit in quarto libro Capitularium à Capitulo decimo-tertio ad finem uſque libri. Poſt duodecimum Capitulum legitur hic titulus, qui materiam ſubſequentium Capitulorum ad quartum uſque ſupra quadrageſimum ſic complectitur. *Capitula, quæ conſtituit Domnus Ludovicus Imperator Salicis Legibus addenda, quæ & Miſſi & Comites habere, & ceteris nota facere debent.* Deinde poſt Capitulum quadrageſimum-tertium hic habetur titulus, qui materiam quoque ſubſequentium Capitulorum ad finem uſque libri ſic indicat. *Hæc ſunt Capitula præcipuè ad Legationem Miſſorum noſtrorum ob memoriæ cauſam pertinentia.* Utraque rejiciemus in annum ſequentem, quia in Capitularibus ad Miſſorum Legationem ſpectantibus occurrunt Capitula non pauca, quæ Capitulis Legi Salicæ nuper adjectis poſteriora comprobantur. Ludovicus autem apud Theodonis villam anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo Capitula, quæ *præterito anno* ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo Legi Salicæ cenſuerat addenda, non ampliùs Capitula, ſed Legem dici & pro Lege teneri præcepit. II.

III. EMITTIT PRÆCEPTA, PRO ECCLESIA MAGALONENSI,

Extat ejuſdem Imperatoris Diploma pro Eccleſia Magalonenſi, datum Idibus Martiis Aquiſgrani, ſexto Imperii anno. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Conſtat nos divinâ ordinante gratiâ ceteris mortalibus ſupereminere, unde oportet, ut cujus præcellimus munere, ſtudeamus modis omnibus Eccleſiaſticis rebus opem ferre. Idcircò notum fieri volumus omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, ſeu ſucceſſoribus noſtris, fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, quia placuit nobis pro mercedis noſtræ augmento & æternæ remunerationis fructu, quandam villam, quæ eſt in territorio Magalonenſi, cujus vocabulum eſt Villa-Nova, ſicuti eam Robertus Comes in beneficium habuit, Eccleſiæ Sancti Petri Magalonenſis, ubi Deo auctore Argemirus præeſt, quia conſtat eum ex prædictis rebus Eccleſiæ, cum omni integritate reddere, ita duntaxat ut quidquid Rectores ac Miniſtri prædictæ Sedis deinceps pro opportunitate ipſius Eccleſiæ de eadem villa, vel de iis quæ ad eam moderno tempore pertinent, facere voluerint, libero potiantur arbitrio ad hæc facienda. Et ideo omnibus præcipimus, ac per has literas ſtatuimus, ut nullus quilibet fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum, prædictam villam cum omnibus ad ſe pertinentibus de prædicta Sede abſtrahere, aut aliquid imminuere, aut injuſtam interpellationem ingerere præſumat, ſed ſicut à nobis injunctum eſt, & per hanc noſtram auctoritatem prædictæ Eccleſiæ confirmatum, ita perpetuò permaneat. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, & per futura tempora melius conſervetur, de annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durantus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit. Dat. Id Mart. anno, Chriſto propitio, ſexto Imperii Dom. Ludovici Excellentiſſimi Auguſti, Indictione* XII. *Aquiſgrani in Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Diploma legitur apud Garielem in Serie Præſulum Magalonenſium, & apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana. Longè ante hos Auctores, qui noſtrâ ſcripſerunt ætate, floruit Arnaldus *de Verdale* Magalonenſis Epiſcopus, qui ſedere cœpit anno Chriſti milleſimo trecenteſimo undequadrageſimo, ſuorúmque deceſſorum à Ricuino Secundo ad Pictavinum uſque cui ſucceſſit Hiſtoriam collegit, nec Ludovici Pii munificentiam erga Eccleſiam Magalonenſem Argemiro tunc Pontifice prætermiſit. *Inter cetera*, inquit, *beneficia, quæ Magalonenſi Eccleſiæ Ludovicus Imperator plurima contulit, Sanctiſſimo Argemiro Eccleſiæ Magalon. præſulante, pro æternæ vitæ pra-*

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

mio capeſſendo, Villam Novam prope Magalonam, ut dictum ſuprà, *pleno dominio perpetuùm poſſidendam reſtituit; praterea Villam de Terrali, Villam de Bajanicis, Villam de Vedatio, Villam de Montellis, Villam de Chauleto, & Villam de Cocone cum omnibus pertinentiis ſuis eidem Epiſcopo donavit.* Idem etiam Imperator ſub illud tempus Eccleſiam Magalonenſem, cum omnibus ad eam juſtè legalitérque pertinentibus, ſub ſua defenſione, tuitione & immunitate conſtituit, ut Clerici liberiùs Deo famularentur. Initium Diplomatis à Gariele ſic refertur. *In Nomine Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus, ſi erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, omnibus in iiſdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur. Ideóque notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Eccleſiæ & noſtris, tam præſentibus quàm futuris, quia placuit nobis pro mercedis noſtræ augmento, & æternæ retributionis fructu, Sedem Eccleſiæ Magalonenſis, quæ eſt conſtituta in honorem Sancti Petri Principis Apoſtolorum, ubi Venerabilis Argemirus Epiſcopus præeſt, cum omnibus juſtè & legaliter ad ſe ſpectantibus, ſub noſtra conſtituere defenſione, ac immunitate & tuitione, qualiter Clerici in eadem Sede degentes abſque ullius juſta infeſtatione quietè vivere, Deóque liberiùs militare valeant,* &c. Denique ut nihil eorum omittamus, quæ prænominati Scriptores ad Argemiri commendationem publicarunt, obſerva quid iidem de Monte * Peſſulano ſubjecerint, ubi Sedes hodie Pontificalis. *Argemirus aſſurgentem Montis Peſſulani gloriam mirificè provehit, digeſtis tum primùm in Paræcias populis, & ſacris Ædibus Divis Dionyſio & Firmino* Ucetienſi quondam Epiſcopo, *quos tutelares elegerat, excitatis.*

* *Montpellier.*

IV. Ludovicus Imperator poſtridie quàm Præceptum ſuprà deſcriptum pro Eccleſia Magalonenſi dederat, aliud emiſit Aquiſgrani decimo-ſeptimo Kalendas Aprilis, ſexto Imperii anno, Indictione duodecima, per quod Arnulfo Abbati tunc Herenſi conceſſit, ut aquam ex fluvio Bedonia * in Monaſterium Deenſe pagi Erbadellici recèns exſtructum deduceret. Extat illud Diploma ſic editum inter probationes Hiſtoriæ Trenorcienſis *. *In Nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divina ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, ſagacitati, qualiter Vir Venerabilis Arnulfus Abba ex Monaſterio Sancti Filiberti, quod eſt ſitum in Inſula Æri, propter incurſiones barbarorum, qui frequenter ipſum Monaſterium depopulantur, foras in pago, qui dicitur Erbadellicus, in loco cujus vocabulum eſt Deas, per noſtrum conſenſum atque adjutorium, novum Monaſterium ædificaſſe, & ob commoditatem ejuſdem Monaſterii & Congregationis ibidem degentis, ex fluvio, qui dicitur Bedonia, aquam ibi velle perducere, obſecrans Clementiam Excellentiæ noſtræ, ut tranſitum per viam Regiam, quam ſtratam ſive calcitatam dicunt, eidem aquæ concederemus, qualiter ad prædictum Monaſterium noſtris & futuris temporibus abſque alicujus impedimento venire potuiſſet, & in eodem loco velle pontem facere, ut tranſeuntibus nihil impedimentum eſſet. Cujus petitioni, quia juſta & prædicto Monaſterio utilis eſſe videbatur, adſenſum præbuimus, & licentiam aquæductum per prædictam ſtratam eſſe tantum, ut pons deſuper talis fieret, qui tranſeuntibus nihil obeſſet, conceſſimus. Idcircò præcipimus atque jubemus, ut nullus quilibet noſtris nec futuris temporibus aliquod obſtaculum, aut impedimentum, vel calumniam, Rectoribus prædicti Monaſterii de prædicto aquæducto facere aut ingerere præſumat, ſed abſque ullius infeſtatione hoc, quod nos conceſſimus, ratum & ſtabile omni tempore permaneat. Et ut hæc noſtra juſſio omni tempore ſtabilis & inconvulſa permaneat, de annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Ego Durandus Diaconus ad vicem Helizachar recognovi & ſubſcripſi. Data* XVII *Kalendas Aprilis, anno, Chriſto propitio,* VI *Imperii Domni Hludowici Piiſſimi Auguſti, Indictione* XII. *Actum Aquiſgrani Palatio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Fuit per annos aliquot ſolemne Monachis, hyemem quidem agere in Hero Inſula, reliquo autem tempore, piratis mare obtinentibus, ad *Deas*

* *la Bolegne.*

* *de Tournus.*

PRO MON. DEENSI,

ſe recipere. Qua de re rurſum diſſerendi locus erit ſub Hilbodo Abbate, proximo Arnulfi ſucceſſore. AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3. V. PRO MON. CONCHENSI,

Sexto Idus Aprilis, eâdem Indictione duodecimâ, Ludovicus Auguſtus anno Imperii ſui ſexto pro Monaſterio quoque Conchenſi Præceptum emiſit, in quo multa, cùm ad inſtaurationem Cœnobii, tum ad Abbates Dadonem & Medraldum ſpectantia, continentur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Multis fidelium noſtrorum & præcipuè his, qui in Occiduas partes ſunt conſtituti, noſſe credimus, qualiter vir religioſus Dado quidam nomine, qui noſtris temporibus religione & ſanctitate divinâ ſibi adminiculante gratiâ emicuit, dum quietem adpeteret, & vacando videre vellet quàm ſuavis eſt Dominus, quoddam locellum in pago Rutenico ſuper rivulum Dordunum, cujus vocabulum eſt Concas, inveniens huic negotio aptum, quo in loco nonnulli Chriſtiani propter metum Sarracenorum, qui illam terram penè totam devaſtarunt & in heremum redegerunt, dudum confugientes permodicum conſtruxerunt Oratorium, ipſe adſumpto labore propriis manibus eundem locum juxta vires mundare atque ſtipare curavit, &, ut aptus ejus quieti foret, operam dedit. Sed non poſt multos dies vir religioſus Medraldus nomine eundem locum ſimul cùm memorato Dadone ad habitandum elegit. Et quia famam bonæ opinionis vera religio illorum apud convicinos ſparſerat, nonnulli poſtponentes ſeculum, quietam nihilominùs, quam ipſi degebant, appetere vitam conati ſunt, & eorum religioſis exemplis imitatores fieri cupientes, eorum ſe magiſterio ſubdidere, ac dum paulatim ipſa Congregatio creſceret, Eccleſiam ibidem in honore Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti conſtruxerunt, & ut Dado, juxta divinitus ſibi conlatum deſiderium, remotiorem adhuc locum, qui dicitur Grande Vabrum, ſicut & fecit, peteret, & ut Medraldus Abbas fieret, & ut ipſa Congregatio Regularis, juxta quod eis facultas & intellectus à Domino tribuebatur, exiſteret, communi voluntate actum eſt. His verò ita patratis, contigit eandem Congregationem in noſtra propria ſpeciali defenſione atque tuitione devenire. Nam nos, ut plenius ſub Regula Sancti Benedicti Domino militarent, & per bonorum Monachorum conſultum & per noſtram creberrimam admonitionem efficere Domino opitulante ſtuduimus, & ad proprias eorum neceſſitates ſulciendas de rebus noſtris quiddam ibidem delegavimus, Eccleſiam videlicet de Cermangis, & Eccleſiam quæ nominatur Campus hiacus, & Eccleſiam Sancti Chriſtophori in Montiniaco conſtructam, cum omni integritate earum. Simili modo & Eccleſiam de Garcanga cum curte de Gammaleria, iterum alteram Eccleſiam ad portum Acri ſub honore Sancti Saturnini conſtructam, cum omnibus appendiciis earum. Necnon ſimiliter contulimus ibidem Eccleſiam Sancti Salvatoris in Cicerniaco, & alias duas Eccleſias, unam in Burnacello, & alteram in Rucenniaco, cum omnibus adjacentiis earum; aliam quoque Eccleſiam in Ruhilia cum omni integritate ſua; à quo quidem tenore & Selvaniacum, & omnia quæ ibidem delegata ſunt, per noſtram auctoritatem ſub Immunitatis tuitione pleniter conſiſtere fecimus, ut videlicet omni tempore memoratum Monaſterium cum eadem Congregatione, & cum prædicto loco, qui vocatur Grande Vabrum, in quo memoratus Dado exoptatam ſibi quietem tenuit & vivendi finem fecit, cum omnibus rebus ſibi juſtè pertinentibus, ſive quæ in præſenti tempore poſſidet, ſive quæ inantea Dominus ibidem augeri voluerit, cum his omnibus prædictus locus, qui dicitur Conchas, ſub ſpeciali noſtra videlicet & filiorum vel ſucceſſorum, Deo annuente, tuitione * inviolabiliter conſiſtat, ut eadem Congregatio quietè ſemper Imperiali & Regali defenſione tuta abſque cujuſlibet impedimento propoſitum ſuum, Deo opem ferente, indefeſſè valeat obſervare, & pro nobis vel pro communi Imperii noſtri ſtabilitate Dominum exorare. Hæc verò auctoritas ut ab omnibus veraciùs credatur, manûs noſtræ ſignaculo ſubter eam roborare & de anulo noſtro ſigillare fecimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Heliſachar recognovit & ſubſcripſit. Data* VI *Idus Aprilis, anno ſexto, Chriſto propitio, Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* XII. *Actum Aquiſgrani Palatio Re-*

* Edit. tempore

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

gio in Dei Nomine feliciter. Amen. In hoc Diplomate, quod ex Archivo Conchenſi à Stephano Baluzio poſt Notas ad Capitularia publicatum reperies, multa ſunt obſervanda. Imprimis inſtauratio Monaſterii. Inter Cœnobia, quæ ſuperſtite Carolo patre vel *reparata* vel *à fundamentis ædificata* ſunt à Ludovico Rege tunc Aquitaniæ, *Concas* Auctor vitæ nominat, & ipſemet Ludovicus inter Aquitaniæ Monaſteria, quæ Regi nec militiam nec dona, ſed ſolas orationes debent, collocat *Monaſterium Conquas*. Hoc Cœnobium, ut Tomo quinto [a] jam obſervavimus, Alteſerra vetuſtiſſimum prædicat, à Saracenis everſum, à Pippino reſtitui cœptum, à Carolo & Ludovico perfectum ac Reliquiis ditatum. Ut autem hæc cum Ludoviciano Præcepto ſtare poſſint, in ipſo Ludovici Diplomate varia diſtingue tempora. Sub poſtremis Meroveicæ familiæ Regibus, cùm Saraceni Septimaniæ domini vicinas Aquitaniæ partes metu percellebant, apud Conchas tanquam in occulto tutóque loco conſtructum fuit à profugis quibuſdam Chriſtianis Oratorium. Facilè perſuaſum habemus illic aliquot degiſſe Monachos. Anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, Saraceni, poſtquàm à Francis in agro Pictavienſi profligati ſunt, luctuoſa monumenta ſui reditûs in Septimaniam per Diœceſes, Lemovicinam, Arvernenſem, Anicienſem, Cadurcenſem, Gabalitanam, & Rutenenſem, reliquerunt. Conchæ tunc ab eis dirutæ. Regnante pòſt Pippino, iiſdémque Saracenis in Hiſpaniam è Gallia penitus ſummotis, Dado, cujus mentio fit in Ludoviciano Diplomate, locum ſolitariæ vitæ commodum inter Concharum rudera quæſivit. Ne tamen talem duceret vitam, qualem ſe ſperabat acturum, prohibuerunt Medraldus aliique complures, qui ſe tradiderunt in ejus diſciplinam, ſimúlque juncti Regularem ſeu Monaſticam Congregationem inſtituerunt, Cœnobio, quod everſum jacebat, à fundamentis inſtaurato. Dadonem & Medraldum Abbates reparatarum Concharum antiquiſſimos agnoſcunt Sammarthani. Dado Monaſterii Præfecturam in Medraldum transfudit, &, ut Ludovicus Auguſtus teſtatur, in *Grande Vabrum* ſeceſſit, ubi *exoptatam ſibi quietem texuit & vivendi finem fecit.* In Conchenſium Abbatum Catalogo [b] Sanctus ita prædicatur. *S. Dado, qui in Gaubabro*, ſive in Grandi Vabro *requieſcit.* Ad Deum migravit Ludovico Aquitaniæ Rege. *Noſtris temporibus*, ait ipſemet Ludovicus, *religione & ſanctitate, divinâ ſibi adminiculante gratiâ, emicuit.* Ejus ſucceſſor Medraldus Abbas Conchenſe Monaſterium adminiſtravit annis, Ludovici Regis viceſimo, Auguſti ſexto, id eſt, annis Redemptoris octingenteſimo & octingenteſimo decimo-nono, ut ex Charta quam ad annum Redemptoris octingenteſimum duodecimum [c] citavimus, & ex Ludoviciano Diplomate quod proximè deſcripſimus, apertè liquet.

[a] Adan. 752. n. 153.

[b] Tom. 4. Gall. Chriſt.

[c] Num. 33.

VI. PRO MON. GANDENSI.

Ludovicus Auguſtus Idibus Aprilis hoc eodem anno, Imperii ſui ſexto pro Monaſterio quoque Bavoniano ſeu Gandenſi Præceptum emiſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcircò noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum ſolertia, quòd Vir Venerabilis Einhardus Abbas ex Monaſterio, quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Brachbatenſe, conſtructum in honore Sancti Petri Principis Apoſtolorum, ubi etiam Sanctus Bavo Confeſſor Chriſti corpore requieſcit, detulit obtutibus noſtris auctoritatem Immunitatis Domini & Genitoris noſtri Caroli, bonæ memoriæ, Præſtantiſſimi Imperatoris, in qua continebatur inſertum, qualiter ipſe ob amorem Dei tranquillitatémque fratrum in eodem Monaſterio degentium ſemper ſub pleniſſima defenſione & Immunitatis tuitione habuiſſet. Pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit nobis prædictus Einhardus Abbas, ut paternæ auctoritati, firmitatis gratiâ, noſtram quoque ſuperadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & hanc noſtram auctorita-*

Digitized by Google

tem, erga prædictum Monaſterium ejúſque Rectores, Immunitatis atque tuitionis gratiâ fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quiſlibet ex Judiciaria poteſtate, in Eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quod moderno tempore in quibuſlibet pagis ac territoriis infra ditionem noſtri Imperii juſtè ac legaliter poſsidet, vel quæ deinceps in ipſius ſancti loci commodum voluerit divina pietas augeri, ad cauſſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti Monaſterii, tum omnes fredos conceſſos, ſicut in Præcepto Domini & Genitoris noſtri continetur, ſub Immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſsidere, & noſtro fideliter parere Imperio, quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis, & conjuge, proléque noſtra, atque ſtabilitate totius Imperii noſtri, à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei Nomine obtineat firmitatem, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs certiúſque credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data Idibus Aprilis, anno, Chriſto propitio, Imperii noſtri ſexto, Indictione XII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Apud Antonium Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ, Briddo Gandenſis Abbas obit undecimo Kalendas Martias, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto. Poſt ejus mortem Monachi diſperguntur ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſextum, quo Eynardus in Abbatem aſſumitur. At hæc Chronologia ſtare non poteſt cum Diplomate proximè recitato ex Miræo [a]. De tempore, quo Briddo vitam clauſit, haud diſputamus. Factam tunc Gandenſium fratrum diſperſionem non inficiamur. Eynardum autem ſive Einhardum, vel, ut uſitatiùs vocant, Eginhardum, Abbatem Gandenſem longè ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſextum agnoſcimus. Abbas enim illius loci jam erat Idibus Aprilis anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, cùm à Ludovico Imperatore Præceptum accepit. Laudatur ab eodem Sandero, quòd ſtatim ac factus eſt Abbas, Monaſterium incendio priùs deformatum reſtituit, vagóſque Monachos illuc à diſperſione revocavit, quam certè vix ultra biennium prorogandam arbitramur.

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

[a] Cod. Donat. c. 14.

VII.

Ad Ludovicum Imperatorem, cùm adhuc eſſet Aquiſgrani, perductus eſt Sclaomir Abotritorum Dux ſeu Præfectus, à pleriſque Rex impropriè vocatus. Audi Annaliſtam Laureshamenſem. *Sclaomir Abotritorum Rex, ob cujus perfidiam ulciſcendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodem anno trans Albim miſſus fuerat, per Præfectos Saxonici limitis & Legatos Imperatoris qui exercitui præerant, Aquaſgrani adductus eſt. Quem cùm Primores populi ſui, qui ſimul juſſi venerant, multis criminibus accuſarent, & ille rationabili defenſione objecta ſibi refellere non valeret, exilio condemnatus eſt, & Regnum Ceadrago Traſiconis filio datum.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Haud diſſentit Aſtronomus. *Ubi*, inquit, id eſt, Aquiſgrani, *cùm moratur* Ludovicus, *exhibitus eſt ei Sclaomirus Abodritorum Rex à Ducibus Saxonum. Qui quum inſimularetur defectionis, nec objectis obviare quiviſſet, exilio eſt deportatus, Regnúmque ejus Ceadrago filio Traſconis traditum.* Traſco ſeu Thraſico Dux Abotritorum à Danis per dolum, ut ſuo loco dictum eſt, anno Redemptoris octingenteſimo nono cæſus occubuit. Huic filius fuit Ceadragus, quem Ludovicus Abotritorum Ducem hoc anno conſtituit. Abotritos ſuprà diſtinximus in Trans-Albianos qui Danis erant vicini, & in Prædenecentos qui Daciam Danubio adjacentem incolebant. De Trans-Albianis intelli-

SCLAOMIRO IN EXILIUM MISSO CEADRAGUS FIT DUX ABOTRITORUM.

AN. CH. 819.

gendi ſunt Annaliſtæ, cùm de Thraſicone & Ceadrago loquuntur; Abotritos enim, quibus hi Duces præfuerunt, in vicinia cùm Danorum tum Saxonum trans Albim collocant. Clariſſimus eſt in hac materia textus Annaliſtæ Laureshamenſis proximè deſcriptus. Atque inde jam refutavimus Joannem Lucium, qui Prædenecentos interpretari non dubitavit Abotritos, quorum Legatos anno ſuperiore Ludovicus apud Hariſtallium audivit. Aſtronomus ab Abotritis ad Waſcones ſive à Sclaomiro ad Lupum Centulli ſic tranſit. *Eodem itidem tempore quidam Waſco Lupus, Centulli cognomento, in rebellionem aſſurgens, Werinum Arvernorum Comitem & Berengarium Toloſanum prælio laceſſivit. Ibidémque cum aliis plurimis fratrem quoque germanum amiſit, & tunc quidem fugæ ſubſidio evaſit. Poſt autem Imperatori deductus, & cauſam dicere juſſus, atque ratione victus, exilio eſt damnatus.* Annaliſta Laureshamenſis, poſtquàm Sclaomirum exilio condemnatum dixit, hæc de Lupo proximè ſubjungit. *Simili modo & Lupus Centulli Waſco, qui cum Berengario Toloſæ & Varino Arverni Comite eodem anno prælio conſtixit, in quo & fratrem Garuhandum ſingularis amentiæ hominem perdidit, & ipſe, niſi fugiendo ſibi conſuluiſſet, prope interitum fuit, cùm in conſpectum Imperatoris veniſſet, ac de perfidia, cujus à memoratis Comitibus accuſabatur, ſe purgare non potuiſſet, & ipſe eſt temporali exilio damnatus.*

LUPUS WASCO PERDUELLIONIS REUS PUNITUR.

VIII. LUDOVICUS AUG. DUCIT JUDITHAM.

Proceres Francorum veriti, ne Ludovicus nuntium rebus ſecularibus remitteret, Regnóque ſe penitus abdicaret, aſſiduis apud eum precibus hortationibúſque contenderunt, ut uxorem duceret. *Tandem*, inquit Aſtronomus, *eorum voluntati ſatisfaciens, & undequaque adductas Procerum filias inſpiciens, Judith filiam Welfonis nobiliſſimi Comitis in matrimonium junxit.* Annaliſta Laureshamenſis innuit nuptias in Aquiſgranenſi Palatio celebratas fuiſſe, *Conventu peracto*, de quo ſuprà. Ludovicus, quod Idibus Aprilis hoc anno Præceptum pro Monaſterio Gandenſi dedit, illud emiſit uxore jam ductâ, mentionem enim ſuæ conjugis in ipſo Diplomate ſuprà deſcripto facit. Theganus [a] Judithæ genus ſic declarat. *Accepit* Ludovicus *filiam Welfi Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bavarorum, & nomen virginis Judith, quæ erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eámque Reginam conſtituit. Erat enim pulchra valdè.*

[a] Cap. 26.

IX. CELEBRAT CONVENTUM APUD INGELHEIMIUM.

Imperator ex Aquiſgranenſi Palatio profectus eſt ad Ingelheimienſe, ibique alterum Conventum celebravit menſe Julio, ut habet Annaliſta Laureshamenſis, ſive *æſtate ſubſequente*, ut loquitur Aſtronomus. Eodem verò tempore, quo Conventus Francorum apud Ingelheimium celebrabatur, geſtum eſt bellum adversùs Liudewitum Pannoniæ Ducem, qui res novas moliebatur. Audi Annaliſtam Laureshamenſem, qui totum hoc negotium accuratè claréque ſic deſcripſit. *Conventus menſe Julio apud Ingelheim Palatium habitus, & exercitus de Italia in Pannoniam propter Liudewiti rebellionem miſſus, qui rebus parum proſperè geſtis, infecto penè negotio regreſſus eſt. Liudewitus verò ſuperbiâ elatus, Legatos quaſi pacem petendo ad Imperatorem miſit, conditiones quaſdam proponens, ad quarum conceſſionem ea quæ juberentur ſe facturum pollicebatur. Quas cùm Imperator non reciperet, aliáſque ei per ſuos Legatos proponeret, permanendum ſibi in inchoata perfidia velut optimum judicans, miſſis circumquaque Legatis, vicinas juxta ſe gentes ad bellum ſollicitare curavit. Timotianorum quoque populum, qui dimiſſâ Bulgarorum ſocietate ad Imperatorem venire ac ditioni ejus ſemper inniti geſtiebat, ne hoc efficeret curare cœpit, ac falſis perſuaſionibus illexit, ut omiſſo quod facere cogitabant, perfidiæ illius ſocius & adjutor exiſteret. Exercitu verò de Pannonia reverſo, Cadolach Dux Foro-Julienſis febre correptus in ipſa Marchia deceſſit. Cui cùm Baldricus eſſet ſubrogatus, & in Carantanorum regionem, quæ ad ipſius curam pertinebat, fuiſſet ingreſſus, obvium ibi habuit Liudewiti exercitum, quem circa Dravum fluvium iter agentem parvâ manu aggreſſus, pluribus interfectis & avertit, & de illa provincia fugavit. Borna verò Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Colapium fluvium Liudewito ad ſe ve-*

BELLUM PER LEGATOS GERIT ADVERSUS LIUDEWITUM PANNONIÆ DUCEM REBELLEM.

Digitized by Google

nienti occurrens, in prima congreſſione à Guduſcanis deſeritur: auxilio tamen Prætorianorum ſuorum protectus evaſit. Periit in eo prælio Dragamoſus ſocer Lindewiti, qui in exordio defectionis relicto genero, Borna ſe conjunxerat. Guduſcani domum regreſſi, iterum à Borna ſubiguntur. At Lindewitus occaſionem nactus cum valida manu menſe Decembri Dalmatiam ingreſſus, ferro & igne cuncta devaſtat. Cui cùm Borna ſe penitus imparem conſpiceret, omnia ſua caſtellis incluſit, & ipſe cum delecta manu nunc à tergo, nunc à latere inſiſtens, Lindewiti copias & noctu & interdiu quacumque potuit laceravit, neque eum in ſua provincia impunè verſari permiſit, ad extremum gravi damno affectum regione ſuâ coegit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & CCC vel eo amplius caballis captis præter ſarcinas & ſpolia diverſi generis directa. Quæ qualiter geſta fuerint, per Legatos ſuos Imperatori nunciare curavit.

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

X. PIPPINUS R. PACAT WASCONIAM. HERIHOLTUS IN DANIAM REDIT.

Idem Auctor à bello Liudewitico ſermonem ad res in Waſconia & in Dania geſtas ſic convertit. *In partibus Occiduis Pipinus Imperatoris filius juſſu patris Waſconiam cum exercitu ingreſſus, ſublatis ex ea ſeditioſis, totam eam provinciam ita pacavit, ut nullus in ea rebellis aut inobediens remanſiſſe videretur. Heriholtus quoque juſſu Imperatoris ad naves ſuas per Abotritos reductus, in patriam quaſi Regnum ibi accepturus navigavit. Cui ſe duo ex filiis Godefridi, quaſi unà cum eo Regnum habituri ſociaſſe dicuntur, aliis duobus patriâ expulſis, ſed hoc dolo factum putatur.*

XI. EPISCOPI CREMONENSES.

Hoc anno conſignanda videtur mors Wulfoldi Cremonenſis Epiſcopi, quem in carcere, ſive in Monaſterio, quod ei loco carceris erat, mortuum omnes aſſerunt. Succeſſit Atho, in cujus gratiam Ludovicus Imperator, ut Ughellus [a] obſervat, ampliſſimo Privilegio Cremonenſem Eccleſiam cohoneſtavit.

[a] Tom. 4. in Epiſc. Cremon. 31.

XII.

Wulfoldo feliciores extiterunt Anſelmus Mediolanenſis Metropolitanus & Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, poſt ærumnas enim triennis exilii ſuas ad Eccleſias revocati ſunt, ut ſuo loco dicturi ſumus. Theodulfus hoc ut arbitramur anno, cùm exularet, Carmen inſcripſit Aïulfo Bituricenſi Metropolitæ, quod ante quadriennium ex parte jam deſcripſimus, hîc autem illos tantùm recitabimus Verſus, qui præclara Theodulfi monita complectuntur, eúmque probant exulare, nec confeſſum eſſe crimen cujus inſimulatur.

THEODULFI EP. AURELIAN. CARMEN AD AÏULFUM ARCHIEP. BITURICENS.

Hoc Aiulfe tibi, Præſul Sanctiſſime, mitto
Teudulfus Carmen exul ab exilio. &c.
Es bona magna gerens, ut agas majora precamur,
Poſcimus optatam ut det tibi Chriſtus opem.
Sunt exempla tibi Patrum ſectanda priorum,
Exemplo & verbis ut docceare tuis.
Et tua continuis creſcat doctrina diebus,
Atque ut qui caput es per pia membra meet.
Es Patriarchali primæ prælatus honore
Sedis, & alma Patrum eſt ſubdita turba tibi.
Inde manere tibi prudens ſolertia debet,
Omnibus ut ſpecimen ſis, decus, ordo, modus.
Quò magis es celſus, humilis magis eſſe memento,
Gratia te altithroni ditet ut alma Dei.
Eſto bonis agnus, leo fervidus eſto malignis,
Pars amet iſta patrem, ac illa paveſcat herum.
Cúmque piis fueris pius, & diſtrictus acerbis,
Te pars hæc matrem ſentiat, illa patrem.
Sit tibi larga manus, placidum cor, dulcia verba,
Sis probus & ſolers, promptus ad omne bonum.
Sed quid ago, vel quò me nunc mea fiſtula ducit?
Doctoris ſimilis ſum modò factus ego.

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

Te precor interea, noſtra memor eſto ruina,
Oratu & precibus fors mala noſtra leves.
Forſan te orante, Fratrúmque juvante catervâ,
Omnipotens veniam det miſerando mihi.
Et nos exilio relevet miſeratus ab iſto,
Joſeph qui exemit carcere, ſive Petrum.
Ipſe Deo, fateor, peccamina multa peregi,
Quæ ſuperant numero temet, arena maris,
Et pluviæ guttas, maris undam & ſidera cæli,
Herbarum frutices, germina cuncta ſoli.
Hæc ſunt ærumnas ego cur ſum miſſus in iſtas,
Eſſe nec ut debent ſunt mala tanta mihi.
Non Regi, aut proli, non ejus, crede, jugali
Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, Frater Sanctiſſime, crede,
Me objecti haudquaquam criminis eſſe reum.
Perderet ut ſceptrum, vitam, propriúmque nepotem,
Hæc tria ſum numquam conſiliatus ego.
Addimus & quartum, mihi non fuit illa voluntas,
Utcumque ut rerum hæc mala tanta forent.
Hoc ego clamavi, clamo, clamabo per ævum,
Hæc donec animæ membra liquor vegetat.
Qui modò non credit, cogetur credere tandem,
Ventum erit ut magni Judicis ante thronum.
Qui mihi teſtis erit pius & juſtiſſimus ultor,
Omnia cui ſemper nuda & aperta manent.
Qui non acceptat perſonas, munera ſive
Diligit, æquum æquus diligit omne bonum.
Ejus in adſpectu falſiſſima cuncta peribunt,
Hic meus alterius non ope teſtis eget.

XIII. ARCHIEPISCOPI ARELATENSES. In Pontificio Arelatenſi Joannes Arelatenſis Archiepiſcopus hoc anno moritur, ſucceſſorémque nanciſcitur Notonem, de quo ſæpè locuturi ſumus.

XIV. GUNDULFUS FIT EP. METENSIS. In Epiſcoporum Metenſium Catalogo, quem Marcus Antonius Dominicius ex Metenſi Codice deſcripſit, & ad calcem libri de Anſberti familia rediviva publicavit, poſt Angelramni mortem longum his verbis notatur Interpontificium. *Ceſſavit Epiſcopatus ann.* XXVII. *& menſ.* III. Id eſt, ad hunc uſque annum quo Gundulfus Epiſcopatum ſuſcepit. Obiit enim Angelramnus ſeptimo Kalendas Novembris, anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-primo. Lege quæ dicta ſunt ad illum annum Tomo ſuperiore. Gundulfus in Metenſium Epiſcoporum Chronico, quod Tomo ſexto Spicilegii Dacheriani reperies, *converſatione ac fide venerandus* prædicatur.

XV. PETRUS FIT EP. LUCENSIS. Petrus, anteà Lucenſis Eccleſiæ Diaconus, poſt annuum Interpontificium Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ factus eſt hoc anno, ut obſervat Ughellus in Appendice ad Lucenſes Epiſcopos quinto Italiæ Sacræ Tomo ſubjecta.

XIV. FULDENSIS ECCLESIÆ DEDICATIO, ET TRANSLATIO S. BONIFACII. Haiſtulfus Moguntiacenſis Archiepiſcopus hoc eodem anno rogatus ab Ægile Abbate Fuldenſi Baſilicam Fuldenſem dedicavit, & Reliquias Sancti Bonifacii Martyris tranſtulit, aſſiſtente Humberto Chorepiſcopo ſeu Suffraganeo, Wirceburgenſi Epiſcopo, cujus mentionem anno ſuperiore poſt Wolfgeri deceſſoris obitum jam fecimus.

XVII. Annaliſta Fuldenſis ad hunc annum ſic ſcribit. *Hoc anno Baſilica Sancti Bonifacii Martyris in Cœnobio Fuldenſi ab Heſtulfo Archiepiſcopo dedicata eſt in honorem Domini Salvatoris & omnium Sanctorum ejus, tranſlatáque ſunt oſſa Sancti Martyris Kal. Novembr.* Ex præcitato textu dilucidè non apparet, utrùm eodem die, an diverſis diebus factæ ſint Dedicatio Baſilicæ & Tranſlatio Reliquiarum,

liquiarum, clariſſimè verò liquet ex Rabani Martyrologio, quod ad Kalendas Novembres ſic habet. *Item in eodem die in Monaſterio Fulda Dedicatio Eccleſiæ Sancti Bonifacii, & Tranſlatio Corporis ejuſdem Sancti Martyris.* Eaſdem Kalendas Novembres Dedicatione ac Tranſlatione prædictis inſignes Chriſtophorus Browerus [a] oſtendit ex vetere ſcripto, quod ad calcem Verſuum à Candido Fuldenſi Monacho ſcriptorum ſic reperit. *Denotatio Dedicationis Eccleſiæ Sancti Salvatoris conſtructæ in Monaſterio Fuldæ, ubi pretioſus Martyr & electus Dei Pontifex Bonifacius corpore ſacro quieſcit, intercedens pro famulis ibidem Deo fideliter ſervientibus ad Dominum Deum ſuum, qui eum piâ miſeratione ſibi elegit in Sacerdotem magnum ad ſacrificandum ei hoſtiam laudis. Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXVIII, *Indictione* XII *menſis Nov.* I *die, dedicatum eſt hoc Templum ab Heiſtolfo Archiepiſcopo Moguntiacenſis Eccleſiæ in honorem Sancti Salvatoris, Domini videlicet noſtri Jeſu Chriſti, & in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Petri Apoſtoli, & ceterorum Apoſtolorum Domini, & Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Bonifacii Martyris Chriſti, & aliorum plurimorum Sanctorum. Et tranſlatum eſt ipsâ die, ab eodem Archiepiſcopo & ceteris Epiſcopis atque Sacerdotibus, corpus Sancti Martyris Chriſti Bonifacii, poſt Martyrium ejus expletis annis* LXV, *menſibus* IIII, *diebus* XXVI, *in locum, quem ei præparaverat Venerabilis Abbas Ægil, unà cum fratribus ejuſdem Monaſterii cum magno ſtudio & pia devotione.* Mendum in annum & Indictionem irrepſit. Annum Incarnationis Dominicæ octingenteſimum decimum-nonum & Indictionem decimam-tertiam jam inchoatam ſic repone. *Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXVIIII, *Indictione* XIII, *menſis Nov.* I *die.* Hunc annum, cui per menſem Novembrem illigatur Indictio decimatertia, rudi metro Rabanus expreſſit in Verſibus ad Haiſtulphum Archiepiſcopum Moguntiacenſem, cùm illi poſteà tres de Clericorum Inſtitutione libros inſcripſit tranſmiſitque.

Hæc tibi, Sancte Pater, devoto munera trado,
Quæ tu dignanter qualiacumque cape.
Tu decus es noſtrum, Doctor, ſummúſque Sacerdos,
Dux ſacer, & Princeps, Lux, Via, Paſtor, honor.
Nam quia tu Templum dedicaſti Martyris almi
Per ſervum donum hoc Martyr & ipſe dedit.
Nam eſt nonus & decimus octingenteſimus annus,
Ex quo Salvator venit in arva pius.
Qui te perfectum tribuat, faciátque beatum,
Inſerat & lætum cœtibus Angelicis.
Abbas namque meus veſtérque fidelis amicus
Ægil hæc voluit reddere dona tibi.
Se totum atque offert, ſuáque omnia ſponte miniſtrat,
Quem tecum ſummus ſalvet in arce Deus.

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

[a] In Antiq. Fuld. lib. 2. c. 3.

Eſt & error in annis à Sancti Bonifacii Martyrio ad ejus Tranſlationem computandis. Sancti Bonifacii Martyrium anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto Nonis Junii, Tranſlatio Kalendis Novembris anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono conſignari debent. Utrumque prævalidis probatum auctoritatibus. Ergo præter menſium ac dierum minutias non anni LXV completi ſed tantùm LXIV à Sancti Bonifacii cæde ad ejus Tranſlationem effluxerunt. Inde colligimus falli Browerum, ubi ſcriptionem, de qua loquimur, attribuit Rabano, qui certè cum ea non conſentit, Tranſlationem enim Sancti Bonifacii Martyris in annum Redemptoris octingenteſimum decimum-nonum rejicit, ut patet ex hoc Verſu jam allegato. XVIII.

Eſt nonus & decimus octingenteſimus annus.

Adparatum Dedicationis ipsámque Tranſlationem ſic deſcripſit Candidus. XIX.
Cùm Ægil Abbas *multa diverſarum ſpecierum ornamenta in Templo Domini conlocaſſet, accepto fratrum conſilio, miſit epiſtolam ad Heiſtolphum Archiepiſcopum,*

AN. CH. 819. LUDOV. IMP. 6. LOTHAR. IMP. 3. PIPPINI R. 5. LUDOV. R. 3.

ut dignaretur venire ad dedicandam Ecclesiam, in laudem Dei Omnipotentis constructam, quatenus per hæc piæ operationis officia utrisque à Deo merces maneret in futuro, ac benigna memoria sanctæ orationis apud homines frequentaretur in mundo. Venit igitur Archiepiscopus, juxta petitionem Abbatis, tempore sibi condicto. Venerunt nihilominùs alii quamplurimi Episcopi, Abbates, Presbyteri, Comites, ab Abbate Monasterii honorificè invitati. Insuper, etiam famâ vocante, vulgus ordinis inferioris ad Templi hujus Dedicationem è diverso veniens confluxit in unum. Interea quoque venerat alma dies Dedicationis illustrata Solis perpetui luce coruscâ. Processit Pontifex cum omni ornatu Ecclesiæ & dedicavit Templum in Monasterio Fuldæ, constructum in honorem Sancti Salvatoris, Dei videlicet & Domini nostri Jesu Christi. Et translatum est corpus Martyris Christi Bonifacii in locum, quem præparaverat ei Pater Ægil unà cum fratribus suis. &c. In Dedicatione verò Templi, populus Dei decantabat Deo laudem, & in ore eorum dulcis resonabat sonus, & erat jucunditas magna in Ecclesia Dei in ejus nomine congregata. Cùmque igitur opus Dei perficeretur, Præsul invitabatur ad mensam, ut refectus cibo spiritali, propter infirmitatem corporis reficeretur & carnali. Erat enim ibi ad mensam recitata lectio Legis Dei, & interdum intermixta quæstio lectioni. Quâ sanè perlectâ, oriebatur inter eos, sicut erant graves animóque insignes, confabulatio spiritalis, & diversa utilitates Ecclesiarum Dei multipliciter apud eos agebantur. Post refectionem verò surgentes à mensâ dixerunt Versum. Hinc Vespertinis laudibus celebratis & Completorio finito, somno capti quieverunt. Alterâ quoque die duas Ecclesiæ cryptas Humbert Chorepiscopus, jussu Heistolfi Archiepiscopi sui, consecravit; atque omne opus ipsius diei, divinâ sibi auctoritate commissum, cum summa reverentia timoris Dei, reverenter explevit. Cujus nimirum Dedicationis diem, tempus, numerum, & annum, simul etiam & Sanctorum nomina, quorum hîc Reliquiæ plantatæ sunt, disciplinabiliter inserendo Rhabanus Magister memoriæ commendavit. In hoc textu Chorepiscopum interpretare Suffraganeum seu Comprovincialem Episcopum. Humbertus enim, cujus mentio fit, Haistulfi Moguntiacensis Archiepiscopi Chorepiscopus vocatur, quia Wirceburgensis est Episcopus, subestque Metropolitæ Moguntino.

XX. Ex operis orthographia, quam inscriptiones Rabani mox describendæ reliquerunt, satis constat Basilicam hanc, ut adhuc apparet, in Crucis morem fabricatam fuisse. Transversaria moles, quæ Templi longitudinem ab Aquilone in Austrum mediam intersecuit, eximio splendore cum cellis altarium & absidis recipiendo lumini ad imum à summo comparata fuit, habuitque vestibula utrimque à Meridie & Septentrione, & angustos aditus, in quibus, more Majorum, expositæ ad cultum Sanctorum Reliquiæ. Georgius Wicelius observat ipsa vestibula mansisse religiosa, quia Monasterii veteris pomœrio, intervallis tamen justis à templo, condita sunt ad singulas portas singula quasi sacraria, ut nisi per consecrata & pura loca in Templum via non pateret. Hinc prima porta, quæ nunc Alba dicitur, antiquitus Sancti Petri nomen est sortita; secunda ab Oratorio Sancti Pauli, jam vulgò Pauli janua; tertia à Sancto Stephano fert nomen. Ostium item, quod nuncupant Abbatis, suum olim habuisse sacellum, opinio est. Hæc fusiori stylo prosequitur Browerus [a].

[a] Lib. 2. c. 2.

XXI. In crypta Orientali leguntur hi Versus Rabani.

Hoc Heremita sacer Antonius adstat ad Altar;
Hoc senior Paulus, Martyr Anastasius.
Hîc Monachus Saba, simul & Theodosius Abbas,
Adsistunt votis atque piis precibus.

XXII. In porticu Septentrionali, hoc est, in sinistra absidæ Orientalis.

Levita hanc Stephanus simul & Laurentius aram
Exornant meritis Pancratiúsque pius.
Donatus, Victor, Vincentius, & Cyriacus,
Quintinus Martyr, atque Sebastianus.

Digitized by Google

Cúmque quater denis Fertucius ipſe precando
Inſtat Martyribus, poſcite lucis opem. AN. CH. 819.

In abſida Orientali. XXIII.

Hoc Altare Deo primùm Bonifacius ipſe,
Nam Salvatori ritè dicavit amor.
Quod ſuper extructum Heiſtolf ſacraverat, atque
Sanctorum ſpolia plura locavit ibi.
Hîc Salvatoris, pariter Genitricis & hujus,
Biſſenûm & comitum dignus habetur honor.

In porticu Meridiana, id eſt, in dextera ejuſdem abſidæ. XXIV.

Hîc Clemens Martyr pariter cum Martyre Lino,
Sanctus Alexander & Fabianus adeſt.
Marcellus, Stephanus, Cornelius, & Cyprianus,
Lactentum & turba ſanguine tincta ſuo.
Hiſque Saturninus, Martyrque Georgius aptè
Exorat junctus pro populis Dominum.

Ad Crucem, ubi Martyr Bonifacius primùm fuerat tumulatus. XXV.

Membra beata ſenex Bonifacius hîc ſua clauſit,
Poſtquàm Martyrio aſtra ſuperna petit.
Qui tranſlatus abhinc, precibus tamen adſtat honeſtis,
Munera vice ſui multa reliquit & hîc.
Pars Crucis hîc Domini eſt, ubi cæſus párſque columnæ,
Petra cruentata, Calvariæque locus.
Spongia, quæ Chriſto potum porrexit aceti,
Cum qua hîc Sancti mixta locant ſpolia.
Andreas, Paulus, Gervaſius, atque Protaſius,
Felix, & Papias, Sanctus Apollinaris.
Gregorius Præſul, Coſmas ſimul, & Damianus,
Atque Coronati quatuor ecce manent.
Landebertus honor, Leudgarius, & Nicolaus,
Cæcilia, Eugenia, Martyr Anaſtaſia.
Commanet hîc Simeon Chriſti portator honeſtus,
Zacharias vates, atque videns Samuel.

In parte Septentrionali tranſverſæ domûs. XXVI.

Martyr Agatha Dei, Petronella, & tu, Juliana,
Lucia, Perpetua, nóſque, Sabina, fove.
Regina Virgo conjuncta ſororibus iſtis,
Tu nobis pandas regna poli precibus.

In ſiniſtra illius arcûs, qui domum Orientalem reſpicit. XXVII.

Lucas, qui ſcripſit cum Geſtis Dogmata Chriſti,
Vinclis hîc Petri mixta locat ſpolia.
Auguſtinus adeſt, Germanus, & ipſe Remeins,
Maximinus Præſul, atque Medardus ovat.

In dextera ejuſdem. XXVIII.

Marcus, Evangelium qui ſcripſerat arte Pelaſgâ,
Martyre cum Paulo hîc atque Joanne manet.
Ipſe Valentinus, Gorgonius, atque Naſarus,
Germani & ſeptem, Gordianúſque ſimul.
Candidus, Exuperus, Victor, Mauricius atque,
Quos nobis, Chriſte, ritè favere facis.

In parte Meridiana ipſius tranſverſæ domûs. XXIX.

Agnes, & Euſemia, Genofefa, Suſanna, Columba,
Hoc Altare ornant ritè ſuis precibus.
Cum queis tu, Brigita, & tu, Virgo Scholaſtica, ſemper
Placatum nobis Altithronum facias,

AN. CH. 819. XXX. In abſida Occidentali, ubi Martyr Bonifacius quieſcit.

Pars hîc ecce loci eſt, quo Chriſtus ad aſtra petivit,
Præſepis partem continet ara Dei hæc.
Syndonis, menſæ, pelvis, partémque ſepulchri,
Principis & Petri ſacra tenet ſpolia.
Baptiſta & Domini hîc, Martinúſque, Hilariúſque eſt,
Hîc Leo, Sylveſter, atque Dionyſius.
Quos tumulo hîc ſacro Bonifacius adſociavit,
Albanúſque ſuus, & Kilianus adeſt.

XXXI. In crypta ejuſdem abſidæ.

Hanc, Benedicte Pater, cryptam, tutaberis, aram
Sanctus Honoratus hanc ſimul ipſe colit.
Hîcque Columbanus fixâ ſtat vitè columnâ,
Martyris & tumulo ſubſidia apta feret.

XXXII. Erigendæ atque adornandæ Baſilicæ, de qua ſermonem nunc habemus, operam egregiè navarunt, hi quatuor, ut diximus, Abbates, Sturmius, Baugolphus, Ratgarius, & Ægil. Ægilem Candidus ſic commendat. *Non multo poſt hæc temporis intervallo, cœpit hic Venerabilis Vir, magno divini cultûs amore, Eccleſiæ mundare loca; pavimenta quoque refundi conſtituit. Altaria nihilominùs locis congruis fieri demandavit, in ſummo lapidibus cooperta politis. In eadem verò Eccleſia duas cryptas magnifico opere conlocavit; unam, quæ reſpicit Solis ortum; alteram, quæ Solis occaſum intendit.* Operis architectus fuit Rahcholfus Fuldenſis Monachus, de quo ſic idem Candidus in ſuis Verſibus.

——— Rahcholfo dictante Magiſtro
Et Monacho, fratrúmque ſimul ſine felle Miniſtro;
Arcubus atque interpoſitis hinc inde columnis,
Binas magnificè erexit pulchro ordine cryptas.
Quarum prima quidem ſpectans intendit Eoum
Ternis luminibus. &c.
In parte Occidua conſtructum cernitur antrum,
Multùm dives ope interiùs ſpoliíſque piorum;
Ternis proſpiciens fixis poſt terga feneſtris. &c.

XXXIII. NECNON ET SANCTÆ LIOBÆ. Nec hoc loco prætermittenda eſt Sanctæ Liobæ Tranſlatio. Fuit Sancta Lioba Biſchofsheimienſis Abbatiſſa, de qua locuti ſumus Tomis quinto & ſexto. Poſtrema ejus Geſta memoravimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-nonum [a], quo ſuperſtes in vivis adhuc erat. Sepulturam in Fuldenſi Monaſterio prope Sanctum Bonifacium accepit, ibíque quievit ad hunc uſque annum, quo tranſlata eſt in alium locum ab Ægile Abbate. Audi quid illis de rebus ſcribat in ejuſdem Liobæ vita Radolphus Rabani diſcipulus. *Obiit* Lioba *menſe Septembri, quarto Calendas Octobris, corpúſque ejus Fuldenſes Monachi ſuſceptum, cum proſecutione nobilium perſonarum, venerabiliter ad Monaſterium ſuum tranſtulerunt. Recordati ſunt Seniores eorum, dixiſſe Sanctum Bonifacium, quòd ſuæ eſſet voluntatis, ut corpus illius ad oſſa ſua poneretur, ſed quia metuebant ſanctum ſepulchrum beati Martyris aperire, conſilio inito, ſepelierunt illud ad plagam Septentrionalem Altaris, quod ipſe Sanctus Bonifacius in honorem Domini Salvatoris noſtri & Sanctorum duodecim Apoſtolorum ejus dedicaverat. Poſt annos autem non paucos à Rectoribus loci illius Eccleſia auguſtiùs ædificata cùm futuræ conſecrationi præpararetur, Ægil Abbas cum licentia Aiſtulphi Archiepiſcopi oſſa ejus tranſtulit, & in Auſtrali porticu juxta memoriam Sancti Ignatii Martyris poſuit, ubi ſepulchro condita, miraculis vivit & gloriâ.*

[a] Num. 49.

XXXIV. ABBATES FABARIENSES. Bucelinus in Chronologia Rhætiæ, mortuum ait hoc anno, quinto Idus Maii, Vipertum Abbatem Fabarienſem, cui Victor Abbas laudatiſſimus, cognomento *Splendor Monachorum*, in adminiſtrationem Monaſterii ſucceſſerit.

AN. CH. 819.

Hoc eodem anno, Ludovici Auguſti ſexto, Savigniacenſis Abbas Aſtaneus in Gallia Chriſtiana memoratur. Succeſſerat Adalberto, quem illius loci primum Abbatem ſuprà commendavimus.

XXXV. ASTANEUS ABBAS SAVIGNIACENSIS.

Hoc quoque anno Witgarius Preſbyter Monaſterio Sancti Benigni dedit res omnes, quas apud villam Burgas in Atoariorum pago poſſidebat. Iſtius Donationis Chartam inter Monumenta Burgundica Stephani Perardi publicatam conſule. Initium tale eſt. *Sacroſancti Benigni Monaſterio, quod eſt ſub oppido Divione conſtructum, ubi ipſe Domnus, & glorioſiſſimus in corpore quieſcit, ubi & Venerabilis Vir Erlegaudus Abbas præeſſe videtur, ego in Dei Nomine Witgarius, ac ſi indignus Presbyter, cogitavi pro remedio animæ meæ vel pro æterna retributione, ut* &c. Facta eſt hæc Donatio *die Veneris tertio Idus Februarii, anno ſexto, regnante Domino Ludovico Glorioſo Imperatore.* Perperam in margine notatur *annus 820*, nam ſextus annus Ludovici Auguſti per menſem Februarium cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono componitur, & eodem anno Incarnationis Dominicæ, dies tertius ante Idus Februarii cum die Veneris coincidit currente literâ Dominicali B. Meminit hujus Donationis Chronographus Benignianus, poſtquàm enim laudavit munificentiam Dodonis, Amalbaldi, & Heraclii, de quibus anno priore locuti ſumus, ſermonem ad liberalitatem Witgerii ſeu Witgarii Preſbyteri ſic convertit. *Similiter Witgerius Presbyter quicquid in prædictis villis*, id eſt, in Salonis villa atque Bargis, *à parentibus ſuis acquirere potuit, Sancto Benigno Martyri contradidit.*

XXXVI. WITGARIUS PRESBYTER MUNIFICUS ERGA MON. S. BENIGNI.

Ludovicus Bojoariæ Rex hoc anno munificum ſe præbuit erga Lambertum Manſeæ Abbatem, cui territorium *in Abernſee*, quod poſterioribus ſeculis à Sancto Wolfgango denominatum fuit, cum toto nemore circumjacente dedit inſigni Donatione facta *in Tranſtorph*, ut Gewoldus in ſuis ad Hundium additionibus teſtatur.

XXXVII. MANSEA DITATUR A LUDOVICO R. BOJOAR.

Hoc tempore, inquit ad hunc annum Hermannus Stangefolus in Annalibus Circuli Weſtphalicici [a], *Friderina de familia Caroli Magni, cognata Ludovici Imperatoris, in terra Boſactererorum nunc in Comitatu Marchenſi ad Rhuram in loco Nonherdeke jam nuncupato ædificat Cœnobium virginum. Eſt modò Collegium nobilium virginum in Herdicke conditum.* Hæc Herdekenſis Monaſterii primordia fuiſſe non inficiamur. At valdè ſuſpecta nobis videtur cognatio Friderinæ cum Carolo Magno & Ludovico Pio, quia nullibi gradus iſtius cognationis exprimitur. Certè complures cùm Monachi tum Moniales Cœnobiorum ſuorum origines haud ſatis ſplendidas putant, niſi condita perhibeant à viris aut mulieribus Regiæ ſtirpis. In iiſdem Annalibus ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum, quo Liſbornenſe Monaſterium puellarum ad Lippiam conſtructum eſt, Roſchwindis, quæ prima illius loci fuit Abbatiſſa, Pippini Regis filia ſorórque Caroli Magni nuncupatur, nec ulla profertur hujus aſſertionis probatio. Lege Tomo ſuperiore quæ dicta ſunt eâdem occaſione de Eufraſia prima Monaſterii San-Laurentiani apud Biturigas Abbatiſſa, quam Caroli quoque Magni filiam fuiſſe nonnulli ſcribunt abſque prævio examine. Sita ſunt autem puellaria Monaſteria, Lyſbornenſe ad Lippiam in Epiſcopatu Mimigardevordenſi, Herdekenſe ad Ruram in Diœceſi Colonienſi. Catalogus Herdekenſium Abbatiſſarum noſtras in manus haud venit; Index Lyſbornenſium ſeu Leiſbornenſium extat apud Stangefolum in Annalibus [b] Circuli Weſtphalici & apud Bucelinum in altera parte Monaſteriologiæ; antiquiſſimæ celebrantur Roſwinda ſeu Roſchwindis & Thimodis ſeu Tithmodis, quarum prior apud Bucelinum obit tertio Kalendas Aprilis, poſterior Nonis Januarii; ceteras memorabimus ſequentibus Tomis.

XXXVIII. HERDEKENSE MON. ERIGITUR.

[a] Lib. 2.

LYSBORNENSES ABBATISSÆ.

[b] Lib. 2. ad 805.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

ANNUS

CHRISTI		820.		
LUDOVICI	IMP.	7.		
	REG.	40.	15.	3.
LOTHARII	IMP.	4.		
	REG.	6.		
PIPPINI III.	REG.	6.	4.	
LUDOVICI	REG.	4.		
INDICTIO		13.		

I. IN CONVENTU AQUISGRANENSI AGITUR DE DEFECTIONE LIVDEWITI PRÆFECTI INFERIORIS PANNONIÆ,

ANno post Christum natum octingentesimo vicesimo, *mense Januario*, inquit Annalista Laureshamensis, *Conventus ibidem*, id est, Aquisgrani, ubi Ludovicus Imperator hyemabat, *est habitus, in quo de Liudewiti defectione deliberatum est, ut tres exercitus simul ex tribus partibus ad devastandam ejus regionem atque ipsius audaciam coercendam mitterentur. Borna quoque primò per Legatos, deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur suggessit*, sive, ut Astronomus scribit, *de infestatione Liudeviti conquestus magnas adjutorii copias ab Imperatore suscepit, quæ terram illius atterere possent.*

II. ET DE INFIDELITATE BERÆ COMITIS BARCINON.

In eo quoque *Conventu*, ut prælaudatus Annalista subjungit, *Bero* seu Bera *Comes Barcinonæ, qui jam diu fraudis & infidelitatis à vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugnâ confligere conatus vincitur. Cúmque ut reus Majestatis capitali sententiâ damnaretur, parsum est ei misericordiâ Imperatoris, & Rotomagum exilio deportatus est.* At præstat hîc Astronomum audire, qui rem eandem paulò fusiùs ita describit. *In Palatio quoque Bera Comes Barcinonensis quum impeteretur à quodam vocato Sanila, & infidelitatis argueretur, cum eodem secundùm Legem propriam, utpote quia uterque Gothus erat, equestri prælio congressus est & victus. Sed quum Lege in eum animadvertendum esset, ut capitali sententiâ tanquam reus Majestatis feriretur, tamen clementiâ vitæ reservatus est, & Rotomagum consistere jussus.* Bera & Sanila Gothi dicuntur, utpote oriundi è Septimania, quæ Gothia seu Gallia Gothica nuncupatur, quia Wisigothis diu paruit, à quibus ad Saracenos, deinde ad Francos transiit. In Historia Comitum Barcinonensium [a] memoratur ad hunc annum Joannes Barcinonensis Episcopus.

JOANNES EP. BARCINON.

[a] Lib. 2. c. 1.

III. BELLUM PANNONICUM.

Transactâ hyeme, ut primùm herba pabulum jumentis præbere potuit, tres illi exercitus, de quibus in Aquisgranensi Conventu suprà deliberatum, *contra Liudewitum mittuntur. Quorum unus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tertius per Bajoariam & Pannoniam superiorem intravit. Et duo quidem, id est, dexter ac sinister, tardiùs ingressi sunt, eò quòd unus Alpium transitu, hostium manu resistente prohibebatur; alter & longitudine itineris, & Dravo flumine quod trajiciendum erat impediebatur. Medius autem, qui per Carantanos intrabat, quanquam tribus in locis ei resisteretur, feliciore usus fortunâ, ter hoste superato, Dravo etiam transmisso, celeriùs ad destinata loca pervenit. Contra hæc Liudewitus nihil molitus, munitione tantùm Castelli, quod in arduo monte construxerat, se suósque continuit, & nec belli nec pacis vel per se-*

Digitized by Google

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

metipſum vel per Legatos ullum ſermonem habuiſſe dicitur. Exercitus verò poſtquàm in unum convenerunt, totam penè regionem ferro & igne vaſtantes, haud ullo gravi damno accepto domum reverſi ſunt. Is tamen, qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in tranſitu Dravi fluminis ex locorum & aquarum inſalubritate ſoluti ventris incommodo graviter affectus eſt, & pars ejus non modica hoc morbo conſumpta eſt. Hi tres exercitus de Saxonia, & Orientali Francia, & Alamannia, Bajoaria quoque, atque Italiâ, congregati ſunt. Quibus domum reverſis, Carniolenſes, qui circa Savum fluvium habitant, & Foro-Julienſibus penè contigui ſunt, Baldrico ſe dediderunt. Idem & pars Carantanorum, quæ ad Liudewiti partes à nobis defecerat, facere curavit. Annaliſta Laureshamenſis ad hunc annum plura non habet de bello Liudewitico, quod ſequentes in annos protractum fuit.

IV. PAX CUM CALIPHA CORDUBENSI INITA RUMPITUR.

Idem Annaliſta pacem, quam Franci cum Calipha Cordubenſi pepigerant, hoc anno ruptam ſic affirmat. *Fœdus inter nos & Abulaz* ſive Alhacam *Regem Hiſpaniæ conſtitutum, & neutri * parti ſatis proficuum, conſultò ruptum, bellúmque adversùs eum ſuſceptum eſt.* Tunc Cordubenſe Regnum domeſtico tumultu laborabat. Inde ſpes erecta Francorum, quam obitus Alhacæ Regis anno proximo non parum auxit. Lege Rodericum Toletanum in Arabum Hiſtoria [a].

* *neutra*

[a] Cap. 24. vel 25.

V. NORTMANNI LITTORA GALLIARUM INFESTANT.

De Nordmannis XIII *piraticæ naves egreſſæ, primò in Flandrenſi littore prædari molientes, ab iis, qui in præſidio erant, repulſæ ſunt. Ubi tamen ab eis propter cuſtodum incuriam aliquot caſæ viles incenſæ, & parvus numerus pecoris eſt abactus. In oſtio Sequanæ ſimilia tentantes, reſiſtentibus ſibi littoris cuſtodibus, quinque ſuorum interfectis irritæ receſſerunt. Tandem in Aquitanico littore proſperis uſæ ſucceſſibus, vico quodam, qui vocatur Bundium, ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reverſæ ſunt.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis. Bertinianus verò poſtremam periodum ſic refert. *Tandem in Aquitanico littore proſperis uſæ ſucceſſibus, vico quodam qui vocatur Burnard integrùm depopulato, cum ingenti præda ad propria reverſæ ſunt.* Nemo non videt ibi legendum eſſe, *vico quodam qui vocatur Burn ad integrum depopulato,* uti ſcriptum reperitur in Annalibus Metenſibus. Ideóque in Notitia Galliarum rectè Hadrianus Valeſius [b] emendandos monet Annaliſtam Laureshamenſem & Aſtronomum, quorum ille *Bundium*, hic *Buin* appellat vicum, cui nomen hodie Burnum, vulgò *Born*, in Medulis ſive in agro * Medulico trans Garumnam inter duos fluviolos, qui ſtagnum maritimum Oceani æſtu augeri ſolitum ingrediuntur.

[b] In voc. *Bundium*

* *le Medoc.*

VI. SARTA FLUVIUS INSIGNI PRODIGIO SICCATUR.

Hoc anno, menſe Februario, cùm Sol eſſet in viceſimo-ſecundo Aquarii gradu, ſiccatus eſt apud Cenomannos inſigni prodigio Sarta fluvius. Tunc Ludovicus annum Regni ſui ſeptimum ab obitu Caroli patris numerabat, & Theodulfus annum in exilio quartum agebat, annum exilii primum comparando cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, quo ſub cuſtodia detineri cœpit, annum exilii ſecundum componendo cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-octavo, & ſic de ſequentibus. Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus in Carmine [c], quod Modoino Auguſtodunenſi Epiſcopo tranſmiſit, hoc portentum deſcripſit, ac prædictis Characteribus ita conſignavit.

[c] L. 4. carm. 6.

At ſi noſſe rei vis, Lector, tempora geſtæ,
Accipe, promemus ſub brevitate tibi.
Septimus hic agitur decurrens lubricus annus,
Quòd, Hludovice, tibi Regna paterna manent.
Exilii quartus, meritis non denique noſtris,
Volvitur infauſtus æger & ecce mei.
Forſan noſſe diem vis, hanc quoque diſce, canemus,
Ut res ambiguum poſſit habere nihil.
Bis partem undenam ſolidi rota Solis Aquarii
Scanderat, in ſexta Lunáque Piſcis erat.

AN. CH. 820. VII. [a] L. 4. carm. 7. MANTIO EP. TOLOSANUS.

Sequuntur apud Theodulfum alia duo Carmina, quæ de portentoſis avium pugnis inſcribuntur, & cum ſuperiore tranſmiſſa ſunt ad Modoinum Auguſtodunenſem Epiſcopum. In Carmine [a], quod eſt de avium pugna prope Toloſam, memoratur Mantio tunc Epiſcopus Toloſanus, quem proximum Arrichonis ſucceſſorem jam laudavimus ad annos Redemptoris octingenteſimum quartum, octingenteſimum quintum, & octingenteſimum undecimum. Eodem verò tempore, quo Theodulfus illa Carmina Modoino miſit, illi miſit & aliud, in quo multùm de ſuo queſtus eſt exilio, atque in fine duo poſuit diſticha, quæ tranſitionem ad prodigia ſic exhibent.

Mittere cura mihi libuit tibi carmina quædam;
Noſtra quibus luſit Muſa jocoſa parùm.
Tempore prætereà hoc quædam miracula viſa
Dicuntur, breviter è quibus iſta canam.

VIII. [b] L. 4. carm. 5. QUERELÆ THEODULFI EP. AURELIAN. AD MODOINUM EP. AUGUSTODUN.

In queribundo Carmine [b] Theodulfus juſtum modum videtur exceſſiſſe, cùm ſuam cauſam ceteris Epiſcopis communem eſſe dixit, &, quia Pallium acceperat à Papa, Coepiſcopos, à quibus in Synodo depoſitus eſt, idoneos Judices fuiſſe pernegavit. Ejus autem Verſus hi ſunt.

Hoc, Modoine, tibi Teudulfus dirigit exul
Summo Pontificum cernuus ecce melos. &c.
Obſecro, frater amans, noſtri memor eſſe memento,
Frater, pars animi portio magna mei.
Mens tua ſit ſemper noſtros miſerata labores,
Noſtræ eſt nota tibi quòd benè cauſa rei.
Quò mage res nota eſt, magis inde adhibeto laborem,
Sic medicus morbum dum videt, arte fugat,
Fumea præſentis pereunt, ſcis, gaudia mundi;
Numquam fraternus ſed perit almus amor.
Me modò pluris amas, quamquam me ſemper amaſſes,
Ægrum aliis natum plùs pia mater amat.
Feſſis, opto, libens certa ſuccurrere rebus,
Et Fratrum mentes ſollicitato pias.
Unus ego quamvis ſim, non eſt unius hæc res:
Quod factum eſt mihimet, eſſe poteſt alii.
Eſt commune malum, communis cura petenda eſt,
Quod noſtrum eſt hodie, cras erit alterius.
Hæc non quis frater timeat contagia demens,
Ne illi quæ nobis inrepat iſta lues?
Febre ſolet febris, ſeu vulnere creſcere vulnus,
Sic multa ex uno fonte fluenta fluunt.
Hæc mea ſi placidam ſit nacta plaga medelam,
Priſtinus & veniat morbo abeunte vigor.
Tale quid ulteriùs non pars inimica valebit
Appetere, & ſcelus hoc non leve prorſus erit.
Servus habet propriam & mendax ancillula legem,
Oppilio, paſtor, nauta, ſubulcus, arans.
Prò dolor! amiſit hanc ſolus Epiſcopus, ordo
Qui labefactatur nunc ſine lege ſua.
Debuit & qui aliis legalia promere jura,
Officii perdit jus ſine jure ſui.
Culpa facit ſævum confeſſa perire latronem,
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit.
Cúmque ſuis egeant mundana negotia rebus,
Cauſa quibus juſtum poſſit habere modum.
Noſtra eguit juſto rationis pondere cauſa,
Sævitiâ exceptâ, nullum habet iſta modum.

Non

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

IX.

Non ibi teſtis ineſt, judex nec idoneus ullus,
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto, forem faſſus, cujus cenſura valeret,
Dedere judicii congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani Præſulis extat,
Cujus ego accepi Pallia ſancta manu.

Modoinus prolixo Carmine, quod inter Theodulfiana [a] cuſum reperitur, ipſum Theodulfum mox reſalutavit. Tria tantùm recitabimus fragmenta, quibus Auctor in condendis Verſibus inferiorem ſe Theodulfo dicit, ejus calamitatem deflet, & ex rumore, qui per aulam ſparſus eſt, oſtendit ſpem affulgere proximi reditûs ad Eccleſiam Aurelianenſem, ſi criminis reum fateri ſe velit.

[a] L. 4. carm. 9. RESPONSORIUM CARMEN MODOINI.

Arte rudis cùm ſim, ſic me quoque poſſe negabo
Reſpondere tuis verſibus eximiis.
Vilis apud doctos namque eſt mea Muſa Poëtas,
Condere ob hoc nullum carmine nitor opus.
Sed me cunctantem compellit epiſtola veſtra
Carmina jam numeris ſcribere diſparibus. &c.
Sapè queror caſum deflendo inſontis amici,
More fluunt lacrymæ amnis ab ore meo.
Sapè tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam,
Prò dolor! amiſſo Præſul honore perit.
Exilium innocuus paterîs pertriſte Sacerdos,
Inclytus expertus Præſul enorme malum.
Nonnullis prodeſſe ſolet prudentia multa,
Læſus ab ingenio es, Pater, ecce tuo.
Præcipuè tua magna tibi ſapientia ſoli
Obfuit, & quod habes triſte paravit onus.
Livor edax petit alta fremens, conſternere tentans
Id quod ovans ſimplex pectore turba colit. &c.
Nemo gemit miſerans alienæ incommoda vitæ,
Pro Fratris pulſans utilitate ſui.
Unuſquiſque ſtudet terreno incumbere lucro,
Sectatur fragiles delicioſus opes.
Ex quorum me nolo putes numero tamen eſſe,
Qui fucata levi pectore verba ferunt.
Sed qui ceſſabo nunquam certare precando,
Pro reditu veſtro quíque laboro libens.
Ergo ego ſollicito veteres tibi ſemper amicos,
Proque tuis damnis ambitioſus ero.
Hæc te noſſe reor, quoniam citò ſpargitur Orbe
Fama celer toto, aulica dicta gerens;
Sù quòd ab infauſtâ hac demum regione movendus,
Cæſaris ad nitidam limen iturus item.
Illius ante oculos venies, latúmque videbis
Jam dudum multum, qui tibi triſtis erat.
Commiſſum ſcelus omne tibi dimittere mavult,
Si peccaſſe tamen te memorare velis.
Nam prodeſſe tibi confeſſio pura valebit,
Si te voce probas criminis eſſe reum.
Si te diſſimulas, de quo tibi crimine dicam
Scire, nota pro quo huic ſitus ipſe fores.
Elige ſed quid ages, & quod tibi cumque videtur
Conſilium melius, corde teneto precor.
Sed mihimet melius viſum eſt ut ſponte fatetur
Quódque negari ullo non valet ingenio.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Nullo alio ſuperare modo puto Principis iram
Poſſe, probes niſi te criminis eſſe reum.
Promittit, ſi te peccaſſe fateberis ipſe,
Conſilium Cæſar dedere velle tibi.
Nam tibi promittit, veniet quòd priſtina virtus,
Amiſſum ut poſſis rurſus adire gradum.
Neſcio, Frater amans, magè quod tibi ſcribere poſſim,
Cùm ſint hæc tota non tibi nota minùs.
Luce mihi magnâ tu Solis carior exſtas,
Nil, fateor, quod amem, te magè mundus habet.

X. MONACHI CORMARICENSES ELIGUNT ABBATEM ORDINIS MONACHICI.

Hoc anno, Ludovici Auguſti ſeptimo, menſe Martio, Indictione decimâ-tertiâ, Fridugiſus ſeu Frigideſius aut Fridogiſus ſeu Fridigiſus vel Fredegiſus Abbas Sam-Martinianus & Cormaricenus ab eodem Ludovico impetravit, ut deinceps apud Cormeriacum ſeu Cormaricum quinquaginta degerent Monachi, qui proprium eligere poſſent Abbatem, attamen cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini, à quo locus ille defenſionem ſemper ac protectionem haberet. Ipſum accipe Diploma, ut è Chartophilacio Cormaricenſi publicatum eſt à Sammarthanis [a]. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Omnibus fidelibus Sancti Martini, qui præſenti tempore Deo ſerviunt in loco ſancto, ubi pretioſus idem Confeſſor Chriſti corpore requieſcit, vel etiam futuri ſunt temporibus poſteris, Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, & omnibus Eccleſiaſticæ dignitatis gradibus, ſenioribus, ſeu minoribus, æternam in Chriſti charitate ſalutem & proſperitatem. Notum ſit fraternitati veſtræ, quia Venerabilis Frigideſius ejuſdem Monaſterii Abbas detulit obtutibus noſtris quandam auctoritatem Domni & Genitoris noſtri Caroli piæ recordationis Sereniſſimi Auguſti, in qua continetur inſertum, qualiter Alcuinus ejuſdem Venerabilis Monaſterii quondam Abbas conſtituit Monachos in Cella Sancti Pauli, quæ ruſtico nomine Cormeriacus dicitur, qui ſecundùm Sancti Benedicti ſtatuta in ea viverent, quem locum Itherius Abbas anteceſſor ejuſdem Alcuini ex comparatu acquiſivit, & conſtruxit, & tradidit Sancto Martino, & deprecatus eſt Celſitudinem Culminis noſtri, ut quæ prædicti Abbates, vel ipſe ob amorem æternæ patriæ & ſtabilitatem atque confirmationem prædicti loci obtulerunt, nos paternum morem ſequentes noſtrâ Imperiali auctoritate comprobaremus. Quam piam deprecationem ad effectum perducere cupientes, ratam duximus hanc auctoritatem circa ipſum ſanctum & venerabilem locum ob animæ noſtræ emolumentum & æternæ retributionis fructum fieri, eámque literis vel ſigillo confirmare, ne ulla pòſt dies illius unquam deſcriptio fieri potuiſſet à quoquam ſucceſſorum illius. Nam ſi divina pietas parentibus noſtris nobiſque poteſtatem contulit totius Monaſterii rerúmque illius facultatem dandi cui voluiſſemus, quantò magis nobis data eſt poteſtas tribuendi ad Dei ſervitium perpetualiter prædictum locum, nec fas eſt cuiquam Imperialis Benignitatis ſpernere devotionem, nec confirmationem maximè tam pio & ſalubri Præcepto. Idcircò omnimodis jubemus, ut hæc devotio noſtra & juſſio rata & inviolabiliter perpetuis temporibus permaneat, nec locum illum volumus auferri de poteſtate Sancti Martini, ſed ut ibi ſub Regula Sancti Benedicti vivant, & licitum ſit eis de eadem Congregatione Cormaricenſi Abbatem eligere, & hoc non fiat niſi cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini, à quo locus ipſe ſemper habeat defenſionem & protectionem. Et, ſi contigerit, quod abſit, ut in eodem Monaſterio talis non reperiatur, qui poſſit prædictam Congregationem ſecundùm Regulam regere, tunc liceat eiſdem fratribus à vicinis locis eligere Abbatem, qui eos ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regat; attamen, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt, cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini hoc fiat. Et placuit nobis certum numerum conſtituere, ut quinquaginta Monachi ſint, niſi Deus dederit majorem facultatem rerum in prædicto loco, ut pluriores poſſint recipi, & habeant protectionem & ſubſidium ab Abbatibus Monaſterii Sancti Martini. Si hoc noſtrum, quod abſit, quiſquam Abbatum ſpreverit Præceptum, temporibus poſteris, ſciat ſe*

[a] Tom. 4. in Abb. Cormaric. 3.

rationem reddere præſumptionis ſuæ Domino noſtro Jeſu Chriſto in die magno adventûs ſui, ne aliquid minus de rebus, quas beatæ memoriæ Itherius Abbas acquiſivit, comparavit, aut de rebus Sancti Martini Eccleſiæ Sancti Pauli tradidit, & villam quam prædictus Alcuinus de rebus Sancti Martini, quæ dicitur Talſiniacus, eidem loco adjunxit, ſeu & res quas Frigidiſius Abbas, ad cujus petitionem hanc confirmationem ſcribere fecimus, ad prædictum Monaſterium & fratribus ibidem Deo deſervientibus ad ſtipendia videlicet eorum addidit, id eſt, villam quæ dicitur Serciacus, & villam cujus vocabulum eſt Antoniacus cum Coldama villa ad eundem Antoniacum quæ eſt in pago Pictavenſi, ſed & qualibet inantea addere velit, in eleemoſyna animæ ſuæ rato ordine perpetualiter tribuat fratribus illius loci; nam refectionem annualem, quam de eadem cella fratribus Sancti Martini, ſicut prædictus Itherius conſtituit, & tempore Alcuini acceperunt, ita ſemper accipiant. Quicunque hanc legerit Chartulam, ſub timore Dei illius rationabilem ſcripturam diligenter conſervare valeat, ut habeat gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in æternum. Et ut firmior eſſet hoc noſtrum Præceptum, manu propriâ ſubter roborare decrevimus, & de anulo noſtro ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Frigideſi recognovit. Data Non. Mart. anno Chriſto propitio 7 Imperii Domini Ludovici, Indictione 13. Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen. Qui quartus in Abbatum Cormaricenorum Catalogo ponitur Jacobus, is omnium primus ſoli Cœnobio Cormaricenſi præfuit. Ex illius loci Monacho factus eſt Abbas. Id actum Fredegiſo ſuperſtite, quonam autem anno incertum, brevi ſuſpicamur interjecto tempore, poſtquàm emiſſum eſt à Ludovico Præceptum, quod proximè deſcripſimus. Abhinc Cormaricenſes Monachi ſub Abbate Monacho, Canonici Sam-Martiniani ſub Abbate Canonico vixerunt.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

XI. FRIDUGISUS ABB. CANONICUS FIT ABB. SITIVENSIS.

Hoc eodem anno, Ludovici Auguſti ſeptimo, ut Malbrancus [a] obſervat, Sitivenſibus Monachis datus eſt Abbas prælaudatus Fredegiſus ſeu Fridugiſus aut Fridogiſus, qui patriâ prædicatur Anglus, Carolo Magno conſanguineus, Ludovici Auguſti Cancellarius, Canonicus, & Abbas Sam-Martinianus in Turonibus. Quòd Anglus extiterit, quòd Ordinis Canonici, quòd Abbas Sancti Martini, non abnuinus, fuit enim Alcuini diſcipulus & poſt eum Abbas Sam-Martinianus. Cætera credimus ſuppoſititia. Sitivenſes Monachi, quia deſiderio ſervandæ Monaſtices flagrabant, ægrè tulerunt Abbatem Ordinis Canonici ſibi impoſitum. Mutata Monaſterii facies; Sitivenſium fratrum Congregatio duas in partes ſciſſa; Canonicos alii cum Abbate ſe dixerunt, alii Monachos cum Præpoſito. Turonis idem in Cœnobio Sam-Martiniano jam præſtitum.

[a] Lib. 5. c. 57.

XII. VINDICATUR A CALUMNIA.

Folquinus Sitivenſis Monachus, qui Monaſterio ſe teſtatur oblatum à parentibus anno Chriſti nongenteſimo duodequinquageſimo, id eſt, poſt aliquot annos ex quo Cœnobium illud aliáque multa in Belgio reformata fuerant, in Fridogiſum acerbiùs, quàm par erat, ſic invectus videtur. *In capitaneo*, inquit [b], *Apoſtolorum ſeu Sancti Martini loco*, LXXXIII *Monachi deſerviebant Domino*, LX *pro humana potiùs laude quàm pro Dei amore retinuit, reliquos diſtrictioris vitæ viros, quos ſuæ perverſitati putavit non conſentire, de Monaſterio expellens abire permiſit. In Sancti Audomari quoque Monaſterio, ubi regulariter viventes aderant* LX *Monachi*, XXX *Canonicos ibidem ad ſerviendum deputavit in Miniſterio Chriſti. At poſt hæc totius Abbatiæ circuiens villas, quia duplex erat Monachorum numerus, duplam eis portionem villarum eſt largitus, Canonicis autem, quia pauciores erant numero, ſimpla, contrà dupla Monachis eſt data portio. Et quia Canonicus erat, cum Canonicis in Sancti Audomari Monaſterio ſeculariter vivebat.* Adhuc iniquior poſt annos quadringentos Yperius ſic [c]. *Hic primus externæ profeſſionis, & noſtræ Religionis expers Abbas noſter, ſtatim in ſuo primo adventu, videns hanc Abbatiam tot Monachorum indiviſè ſub uno eodem Abbate Deo ſervientium uſibus delegatam, utpote centum & triginta Monachorum, nihilque aut parum ſuæ voluntatis uſibus ſequeſtratum, hanc*

[b] Ap. Malbranc. l. 5. c. 57.

[c] Ap. Locr. ann. 821. §. 10.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Abbatiam divisit. Nam Capellam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam Beatus Audomarus ad Monachos sepeliendos arce villæ dedicaverat, expulsis inde quadraginta Monachis, triginta Canonicos Seculares ibidem instituit. In capitali autem Monasterio isto pro octoginta sex Monachis, solùm quadraginta retinuit, reliquos verò districtioris vitæ viros, quos suis voluntatibus sciebat esse consentaneos, de Monasterio expellens, abire permisit. Et quia Secularis erat Canonicus, cum Secularibus Canonicis vivere præelegit in Monasterio Sancti Audomari seu Capella Sanctæ Dei Genetricis, &c. De omnibus bonis, villis, ac terris Ecclesiæ, portionem Canonicis pro suis gratibus assignavit & tradidit. Ipse etiam ea, quæ sibi maximè placuerant, suæ voluntatis usibus reservavit. Yperius anno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo-quinto factus est Abbas Sitivensis seu Bertinianus, cùm ab annis jam plurimis duplex esset Canonicorum genus, quorum alii Regulares alii Seculares dicebantur. Ætate verò Folquini Monachi nondum audiebatur illa Canonicorum distinctio. Quamobrem non parum discriminis inter utrumque Scriptorem occurrit. Apud Folquinum, Fridogisus *quia Canonicus erat, cum Canonicis in Sancti Audomari Monasterio seculariter vivebat*; & apud Yperium, *quia Secularis erat Canonicus, cum Secularibus Canonicis vivere præelegit in Monasterio Sancti Audomari*. Folquinus, quia, cùm scribit, duæ nondum classes Canonicorum distinguuntur, Fridogisum simpliciter & sine addito Canonicum vocat, additque illum vivere *seculariter*, id est, canonicè, seu non monasticè; Canonicam enim vitam respectu Monasticæ, quæ districtior est, secularem dicit, eóque sensu non Fridogisum modò sed etiam Canonicos, quibuscum hic Abbas degit, asserit vivere *seculariter*. Anonymus Folquino vetustior, qui literis vitam Alcuini commendavit, *seculum* in eadem accepit significatione, sic enim de ipso Alcuino jam Diacono & sene multorúmque Monasteriorum Abbate Canonico scripsit. *Cùm senectute unáque infirmitate plùs solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, velle se significavit Regi Karolo seculum relinquere, postulans licentiam apud Sanctum Bonifacium Monasticam ipsam secundùm Regulam Sancti Benedicti ducere, Monasteriáque sibi commissa suos ut inter discipulos divideret, si fieri posset.* At Yperius Folquino longè recentior, quia Canonicos in duplici positos differentia reperit, Fridogisum & Canonicos, quos hic secum habebat, Secularibus Canonicis accensuit, nimio, ne quid dissimulemus, erga Monasticen zelo.

XIII. Fridogisus Abbas Canonicus vixit canonicè cum Canonicis, & ut in Monasterio Sam-Martiniano sic & in Sitivensi præfuit Canonicis, juxta leges ante triennium in Aquisgranensi Concilio præscriptas, canonicè viventibus, nec prohibuit quominùs monasticè sub suo Præposito viverent Monachi, qui remanserunt in Cœnobio Sitivensi. Quamvis Monasticen numquam sit amplexus, Monachos semper coluit dilexitque. Singularem non modò munificentiam, sed & insignem prorsus zelum hoc anno testatus est erga Monachos Cormaricenses & Monasticam disciplinam. Utrumque patet ex literis

[a] Num. 10.

suprà [a] descriptis. Enumerationem enim prædiorum ab eo collatorum continent, ipsúmque Imperatorem ostendunt eo rogante ultrò concessisse Cormaricensibus Monachis, ut è sua Congregatione deinceps eligerent Abbatem, qui eos *secundùm Regulam Sancti Benedicti* regeret. Præterea Fridugisus, ut suo loco probabimus, quinto Kalendas Martias, anno duodevicesimo Ludovici Augusti, Pippini Regis decimo-septimo, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, Præceptum obtinuit Immunitatis pro Cœnobio Cormaricensi, cum peculiari Privilegio pro duabus navibus, quæ liberè & absque ulla teloneorum solutione res victui Monachorum necessarias advehant. Hæc certè non profecta sunt ab homine perdito & Monasticæs inimico, qualem Folquinus & Yperius depinxere. Quapropter isti Scriptores hoc loco, quòd acriùs in Fridugisum invehantur, meritò redargui debent. Nec censendi sunt expertes erroris, ubi illum vel Carolo Magno consanguineum vel Ludovici Pii Cancellarium prædicant. Quo consangui-

Digitized by Google

nitatis gradu, quâve lineâ Fridugiſus Carolum Magnum contigerit, nemo prodit. Ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quartum, quo Fridugiſus Sam-Martinianus ac Sitivenſis Abbas obiit, illum à Ludovici Pii Cancellario diſtinguendum probabimus. Auctores, quos examinamus, glorioſos huic Abbati Titulos non ad laudem ſed ad calumniam malo prorſus animo tribuerunt, ut & ſplendore ſuorum natalium & auctoritate muneris ad eliminandos Monachos & deprimendam Monaſticen abuſus crederetur. Nuperi Scriptores fraudem non agnoverunt, ſinceram nos veritatem ſecundùm Hiſtoriæ leges inveſtigamus.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4. XIV.

Antequàm Fridugiſus in adminiſtrationem Monaſteriorum Sam-Martiniani & Cormaricenſis Alcuino ſuccederet, imò priuſquàm Alcuinus Abbas illorum Cœnobiorum fieret, orta eſt apud Sanctum Martinum gravis inter fratres contentio, cùm alii Monaſticam ut anteà vitam, Canonicam alii vellent ducere. Data inde occaſio condendi apud Cormaricum Monaſterii, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum [a] diximus, Itherio tunc Abbate Sam-Martiniano. Nuper in primo Capitularium Tomo publicatæ ſunt literæ, quas Carolus jam Imperator Alcuino Abbati totique Congregationi Sam-Martinianæ ſcripſit, cùm Clericus Aurelianenſis è carcere, in quem ab Epiſcopo ſuo Theodulfo conjectus fuerat, elapſus ad Baſilicam Sancti Martini confugiſſet. In hac epiſtola Carolus de fratribus Sam-Martinianis queritur quòd antequàm Alcuinus ad eos acceſſerit, *aliquando Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum* ſe eſſe dixerint; quódque Imperiali juſſioni non obtemperarint ipſo Alcuino tunc Abbate, quem tanti criminis participem nuſquam ſigillat. Hæ literæ Chronologicis Characteribus deſtituuntur. A Stephano Baluzio referuntur ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium. In eandem imus opinionem. Alcuinus enim ex hac vita migravit anno Redemptoris octingenteſimo quarto, & has literas aliæ præceſſerunt, per quas Carolus jam Auguſtus Sam-Martinianæ Congregationi præcipiebat, ut Clericus Aurelianenſis ſuo redderetur Epiſcopo. Hæc ad Chronologiam. Ad ſuperiorem igitur Tomum hæ pertinent literæ, ſed, quia ſeriùs ad nos pervenerunt, ſuo non potuerunt loco deſcribi. Prætermitti tamen à nobis non debent. Res enim multas, quæ de Monaſterio Sam-Martiniano memoratæ ſunt, apertè confirmant, mentionémque faciunt litis inter Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum & Congregationem Sam-Martinianam exortæ, de qua fuit altum hactenus ſilentium. Editæ ſunt autem in hunc modum. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Karolus &c. Albino Venerabili Magiſtro & omni Congregationi Monaſterii Sancti Martini. Pridie quàm ad noſtram præſentiam à vobis miſſa veniſſet epiſtola, adlatæ ſunt nobis litteræ à Theodulfo Epiſcopo miſſæ, querimoniæ continentes de inhonoratione hominum ſuorum, & non tam illorum quàm Epiſcopi hujus civitatis vel contemptu Juſſionis Imperii noſtri; quam Juſſionem de redditione cujuſdam Clerici de cuſtodia ipſius elapſi, & in Baſilica Sancti Martini latitantis, ſub noſtri nominis auctoritate conſcribere juſſimus; cujus etiam nobis exemplaria miſiſtis, in quibus nos nequaquam injuſtè aliquid decreviſſe, ut vobis viſum fuit, putamus. Sed cùm utraſque epiſtolas, veſtram ſcilicet ac Theodulfi, nobis relegere feciſſemus, aſperior multò nobis & cum iracundia compoſita veſtra quàm Theodulfi videbatur epiſtola, & in nullo erga illum caritatis condimento reſperſa, ſed potiùs quaſi reum defendens, & Epiſcopum accuſans, & ſub velamine quodam celati nominis continens ut * poſſet veh admitti ad accuſationem deberet, cùm hoc omnino & divinâ & humanâ lege ſancitum ſit, nulli criminoſo alterum accuſandi dari licentiam, quamquam à vobis ad hoc defenſus & conſervatus ſit ſub obtentu Juſtionis nominis noſtri, ut, qui jam accuſatus & in conſpectu populi civitatis ſuæ judicatus eſt, accuſandi locum habere Cæſarei nominis appellatione deberet ad exemplum Beati Pauli Apoſtoli, qui apud Principes Judæa à gente ſua accuſatus, ſed nondum judicatus, Cæſarem appellavit, & ab eiſdem Principibus ad Cæſarem judicandus miſſus eſt. Quod nequaquam præſenti negotio*

[a] Nn. 49. & ſeqq.

LIS INTER THEODULFUM EP. AURELIAN. ET CONGREGATIONEM S. MARTINI OB CLERICUM AURELIAN. QUI PROFUGIT AD ECCLESIAM MARTINIANAM.

* Edit. vel

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

*convenit. Paulus enim Apoſtolus à Judæis accuſatus, ſed non judicatus, Cæſarem appellavit & adire permiſſus eſt. Hic verò infamis Clericus & accuſatus, & judicatus, & in cuſtodia miſſus, & de cuſtodia elapſus, Baſilicam, quam niſi poſt pœnitentiam ingredi non debuerat, contra legem ingreſſus, & adhuc, ut fertur, perversè vivere non ceſſans, ut dicitis, ſicut Paulus Apoſtolus Cæſarem appellavit, ſed nequaquam ut Paulus Cæſarem aditurus eſt. Illi enim, apud quem accuſatus, & à quo judicatus atque in cuſtodia miſſus eſt, & de cujus cuſtodia evaſit, præcipimus ut reddatur, & ille eum ad noſtram audientiam, ſive vera ſive falſa dicentem adducat, quia non decet ut propter talem hominem noſtræ primæ Juſſionis ulla fiat immutatio. Sed & valdè miramur quur vobis ſolis viſum ſit noſtræ auctoritatis ſanctioni & decreto contraeundum, cùm liquidò pateat & ex conſuetudine legum Cæſarum * decreta recta eſſe debere, nec * cuiquam permiſſum illorum edicta vel ſtatuta contemnere. Et in hoc ſatis mirari nequivimus, quòd illius ſcelerati hominis precibus quàm noſtræ auctoritatis Juſſionibus obtemperare maluiſtis, cùm nunc clariſſimè liqueat * quòd eundem hominem amor diſcordiæ & inruptio caritatis de hoc loco vetuit egredi. Ipſi quippe noſtis, qui Congregatio hujus Monaſterii, ac ſervi Dei, & utinam verè, dicimini, qualiter jam crebrò vita veſtra à multis diffamata eſt, & non abſque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos eſſe dicebatis. Et nos conſulendo vobis, & ad malam famam abolendam, Magiſtrum & Rectorem idoneum vobis elegimus, & de longinquis provinciis invitavimus, qui & verbis & admonitionibus rectam vitam inſtruere, &, quia religioſus erat, bonæ converſationis exemplo potuiſſet informare. Sed, prob dolor! aliorſum cuncta converſa ſunt, & diabolus vos quaſi miniſtros ſuos ad ſeminandam diſcordiam, inter quos minimè decebat, invenit, ſcilicet inter ſapientes & doctores Eccleſiæ, & qui peccantes corrigere & caſtigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiæ atque iracundiæ prorumpere. Sed illi, Deo miſerante, nequaquam aaſenſum veſtris malis ſuggeſtionibus præbituri ſunt. Vos autem qui contemptores noſtræ Juſſionis extitiſtis, ſive Canonici ſive Monachi vocamini, ad Placitum noſtrum, juxta quod præſens Miſſus noſter vobis indixerit, nobis vos adſiſtere ſcitote. Et quamvis ad nos miſſa hic factæ ſeditionis vos excuſet epiſtola, venite, & condignâ ſatisfactione inuſtum crimen eluite.*

* Edit. alitrum
* Edit. ne
* Edit. cum eodem homine amorem diſcordiæ & inruptione caritatis

XV. Ex his literis accurata totius litis ſeries deprehenditur. Clericus Aurelianenſis à Theodulfo Epiſcopo ſuo, apud quem accuſatus fuerat, judicatus eſt atque in carcerem detruſus, unde elapſus abiit Turonos, & in Sancti Martini Baſilicam tanquam in aſylum ſe recepit. Epiſcopus Clericum ſibi poſtulavit reddi, renuit Congregatio Sam-Martiniana. Graves ideò querelas ad Carolum detulit Theodulfus. Quod ab Epiſcopo jam petitum fuerat, Imperator quamprimùm fieri præcepit, miſsâ Juſſione ſeu literis Imperialibus in illum finem directis. Vim Juſſionis eluſerunt Sam-Martiniani fratres, nonnihil quoque ſeditionis enatum eſt ne jus aſyli violaretur plebe jam tumultuante. Cœtus Sam-Martinianus reſponſorias ad Carolum literas mox dedit, in quibus & crimen plebeiæ commotionis à ſe removit, & cur Imperiali Juſſioni non obtemperaſſet, excuſationis ſatis ſpecioſæ prætextum attulit, quòd Clericus, quem ſuſceperat, inſtar Beati Pauli Cæſarem appellaſſet. Rebus ſuis non defuit Theodulfus. Per literas apud Imperatorem denuò queſtus eſt. Epiſcopales hæ literæ, pridie quàm epiſtola Sam-Martinianæ Congregationis, in manus Caroli devenerunt. Imperator lectâ utrâque epiſtolâ Miſſum direxit cum literis proximè recitatis, atque tres ob cauſas fratres Sam-Martinianos vehementiſſimè redarguit; imprimis quòd multò aſperiùs ſcripſiſſent quàm Aurelianenſis Epiſcopus, ut ex utrarumque literarum collatione conſtabat; deinde quòd ad excuſandum Aurelianenſem Clericum uſi eſſent exemplo Sancti Pauli longè diſpari, nam Paulus Apoſtolus, cùm accuſatus quidem jam eſſet ſed nondum judicatus, appellavit Cæſarem, Aurelianenſis autem Clericus ab Epiſcopo ſuo priùs & judicatus & in carcerem conjectus eſt, quàm aut Turonos fugerit, aut Cæſarem ap-

pellarit; denique quòd Imperiali Juſſione ſpretâ Clericum illum proprio reddere noluiſſent Epiſcopo. Tali potiſſimùm contemptu plurimùm exulceratus, iiſdem fratribus laxiorem vitam, ſiniſteriorem famam, & ingrati animi vitium acerbiùs exprobravit. Ab antiquis temporibus in Cœnobio Sam-Martiniano Monaſtica viguerat diſciplina, ſed regnante jam Carolo pars Monachorum depoſitâ veſte Monaſticâ Canonicum habitum induit Itherio tunc Abbate. In dubium minimè vocamus, quin illa Congregatio propter hanc mutationem apud plebem in minori prorſus exiſtimatione fuerit. Abſit tamen, ut Sam-Martinianos ſeu Monachos ſeu Canonicos in profligatorum hominum numero ponas. Utrique ſuam ſectando Regulam ſine ſcandalo vixerunt, alii Monaſticè, alii Canonicè. Ne ſecus ſentiamus, vetant erectio Monaſterii Cormaricenſis & Alcuini viri pietate ſimul ac doctrinâ præſtantis ad Præfecturam Sam-Martinianam promotio. Laudat hunc Imperator haud mediocriter, & quia talem Abbatem Sam-Martinianis fratribus elegit, ac *de longinquis provinciis* invitavit, illos gravioris ideò criminis reos accuſat, quòd ſuæ Juſſioni non paruerint. In poſterioribus hiſce literis nihil remittit de prioribus, præcipit enim ut Aurelianenſis Clericus ſuo reddatur Epiſcopo, ſibi pòſt ab eodem Epiſcopo ſiſtendus, ipſique fratres Sam-Martiniani, quamvis per excuſatorias literas ſe purgaverint, ad Comitatum veniant ſeditionis apud Turonos motæ crimen eluturi.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

XVI. Licèt autem epiſtolam adeò acerbam Sam-Martinianæ Congregationi reſcribat, illam magnoperè diligit. In teſtimonium hujus amicitiæ certiſſimum duos ex Sam-Martinianis fratribus habet in ſuo Palatio diſcipulos Alcuini, Withſonem ſcilicet ſeu Wizonem & Fridegiſum ſeu Fridigiſum, de quibus conſule quæ ſub initium hujus Tomi poſt mortem ipſius Alcuini ſcripta ſunt. Ad hos extant literæ, quas Albinus ſive Alcuinus poſt Turonenſem tumultum direxit, ut Imperatoris animum ſyncerâ rerum geſtarum expoſitione mitigarent. *Cariſſimis in Chriſto filiis Candido & Nathanaheli Albinus ſalutem. Cura mea & caritas mea vobiſcum, filii, omnibus vigilat horis, optans vos moribus & religiosâ vitâ Deo placere & Domino meo David, & ut exemplo ſitis boni operis aliis in Palatio viventibus. Gratia eſt patris filius ſapiens. Sapientia vera eſt quæ ad vitam ducit æternam. Nec nobis ignobilia quædam ſtatuit præcepta, ſed valdè nobilia & omni honore dignißima, in quibus ad vitam poſſumus promereri perpetuam, & inter homines laudabilem habere honorem. De quibus ſiquidem præceptis vos ammonui in ſchola eruditionis veſtræ, ſed nuper de nido paternæ educationis educti ad publicas evolaſtis auras. Intelligatur in vobis quod audiſtis à nobis. Vivat pater in filiis, qui modò trepidus diem expectat mortis ſuæ. Opto vos habeat ſuperſtites quos habuit in ſervitio Dei laboris ſui commilitones. Plura mihi eſſent ſcribenda, quæ vobis neceſſaria ſunt obſervanda, ſed ſcio me de honeſtate vitæ ſæpiùs veſtram ammonuiſſe caritatem, literiſque monita mea ſæpiùs proſequi & renovare. Quapropter dicamus quæ modò nobis & vobis neceſſaria eſſe videntur. Igitur Venerabilis Pater Theodulphus Epiſcopus quibuſdam cum fratribus Sancti Martini fidelibus veſtræ proſperitatis anteceſſoribus, de quodam reo fugitivo habet diſceptationem. Qui reus, poſt plurima pœnarum genera, ſubitò de vinculis elapſus, ad Eccleſiam profugit Sancti Martini præcipui Confeſſoris Chriſti, confitens peccata ſua reconciliationem depoſcens, Cæſarem appellans, viam ad ejus ſanctißimam præſentiam flagitans.* Proximæ periodi nævis ac mendis ſcatent. De tumultu tamen, qui conſcribendis literis cauſam potiſſimùm dedit, hæc ex ipſo textu deprehenduntur. Congregatio Sam-Martiniana Clericum Aurelianenſem ad Imperatorem ſub cuſtodia remittere voluit, ſed ab hoc deſtitit propoſito, quoniam inſidias ab Aurelianenſi Epiſcopo in itinere poſitas audivit. Acceſſerunt poſteà ejuſdem Epiſcopi *homines quamplurimi*, & *octo* ex illis Baſilicam Sam-Martinianam ingreſſi voluerunt *rapere reum & ſanctitatem domûs Dei profanare, & ſancti Confeſſoris Chriſti Martini imminuere honorem.* Irruerunt ſiquidem *intra cancellos Altaris*, ſed *ante faciem Altaris* à

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

frattibus Sam-Martinianis repulſi ſunt. *Sonuit ſiquidem ante civitatem veniſſe hoſtem Aurelianenſem ac profananda Sancti Martini ſuffragia. Quia ſciebant commanentes ex villulis homines exinde venientes, concurſus fuit in civitate ſubitò mendicorum ex omni parte ſuum parati defenſorem defendere. Timor & tumultus ubique increpuit, de quorum manibus fratres* Sam-Martiniani *eripuerunt præfati Epiſcopi homines, ne quid malè paterentur populúmque foras Eccleſiam expulerunt.* Pergit Alcuinus. *Scio ante nominatum Pontificem multas dicendas eſſe accuſationes contra fratres noſtros,* id eſt, contra Sam-Martinianos fratres, *& quæ geſta ſunt* eundem Epiſcopum *exaggerare, & plurima addere quæ geſta non erant, ſicut in ejus legebatur literis. Quapropter, filii cariſſimi, præcipiendo præcipio, ut proſtrati veniatis ante pedes Domini mei David Imperatoris Æquiſſimi & Sereniſſimi, poſtulantes Epiſcopo veniente locum defenſandi & diſputandi cum eo, ſi juſtum ſit ut vi raperetur de Eccleſia ad eaſdem pœnas reus de quibus aufugit, & an æquum ſit ut qui Cæſarem appellat ad Cæſarem non adducatur, & utrùm fas ſit ut pœnitens & confitens ſcelera ſua ſpolietur omnibus bonis uſque corrigiam calciamenti, vel ſi benè cuſtodiatur illud Dominicum verbum, quo ait,* [*ſuperexaltat miſericordia judicium.*] *In tali ſiquidem facto è contrario ſuperexaltat judicium miſericordiam. Et ubi eſt multotiens laudata miſericordia ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, quæ inter Evangelicas legitur beatitudines.* [*Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* [*Item præceptum Dominicum.* [*Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*] *Item cautelam providam conſideremus, ubi ait.* [*Nolite condemnare, & non condemnabimini.*] *Et alia multa, quæ in Evangelio leguntur de miſericordia & ipſius Domini verbo, ubi ait.* [*Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.*] *Quapropter peccatricem mulierem, quæ ſanctos tetigit pedes, non abhorruit.* Illa *ex tactu obprobrium contulit Chriſto, ſed inſignia virtutis ejus elicuit. Neque enim immunditia ejus polluit mundum, ſed puritas mundi purificavit immundam. Recordemur nos illius eſſe ſervos, qui ductus ad Crucem pro crucifigentibus oravit. Et quomodo Venerabilis Pater dicit reum peccatorem in Eccleſia non debere recipi? Si Eccleſiam peccatores non intrant, fortaſſis Sacerdos non invenietur, qui Miſſas cantet in ea, nec qui cantanti reſpondeat niſi quiſlibet nuper baptizatus, dicente Johanne Apoſtolo.* [*Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*] *Sed eundem reum diabolum nominari in Venerabilis Epiſcopi literis invenimus, non hominem. Non cogitas quid Apoſtolus ait,* [*nolite judicare ante tempus.*] *Numquid præſcribimus potentiæ Dei, ut miſereatur cui vult, qui ait.* [*Erunt noviſſimi primi & primi noviſſimi.*] *Cujus ſapientiæ interpretationem .... in Juda & latrone. Ille de Apoſtolatu pependit in laqueo, iſte de Cruce in paradiſum intravit. Duo ſunt, dicit Beatus Gregorius de hac eadem ſententia, quæ ſollicite penſare debemus, quia enim multi vocati ſed pauci electi ſunt. Primum eſt, ut de ſe quiſque minimè præſumat, quia etſi jam ad fidem vocatus eſt, utrum perenni Regno dignus ſit neſcit. Secundùm verò, ut unuſquiſque proximum, quem forte ſæpe facere in vitiis conſpicit, deſperare non audeat, quia divinæ miſericordiæ divitias ignorat. Numquid aliquis peccator talis eſt, qui Chriſti ſanguine purgari non poſſit, & tam profundâ ſcelerum voragine demerſus ut miſericordia Chriſti eum mederi non poſſit? Quid aliud ait qui hoc dicit, niſi ut Chriſtus fruſtrà mortuus ſit? Fruſtrà autem mortuus eſt, ſi aliquos non poteſt vivificare, qui nobis veniam cotidie donat. Numquam juſtum eſt eam aliis denegare, quam nobis ſedulò optamus votis dari. Ad Eccleſiam confugimus, ut in ea exaudiantur preces noſtræ & aliorum preces in ea exaudire dedignamur. Nobis per Sanctorum preces in Eccleſia peccata dimitti confidimus, & confitenti peccata duro corde in eadem ligamus Eccleſia. At Apoſtolus præcipit delinquentes corripere in ſpiritu manſuetudinis. Et Apoſtolus Jacobus;* [*ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari,*] *& cetera quæ in ſequentibus terribili cenſurâ leguntur de his qui zelum habent amarum. Zelus ſiquidem bonus eſt, ſi ſpiritu manſuetudinis mitigetur. Curandum eſt, ut rectorem ſubditis & matrem pietas & patrem*

trem exhibeat diſciplina. Atque providendum, ne aut diſtrictio rigida aut pietas ſit remiſſa. Nam diſciplina vel miſericordia multùm deſtruitur, ſi una ſine altera teneatur. Idcircò in arca & virga & manna fuiſſe legitur, ut in pectore rectoris eſſet virga diſtrictionis & manna dulcedinis, ut Pſalmiſta: [*Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*] *Sit zelus, ſed moderatè ſaviens. Sit pietas, ſed non plùs quàm expedit parcens. Sed videamus quid de fugitivis ad Eccleſiam ſancti Canones cenſeant.* Multos citat Canones ex Synodis Aurelianenſibus; primum ex prima, viceſimum-primum ex quarta; viceſimum-ſecundum ex quinta; de quibus ſuis egimus locis Tomo primo ad annos ſexti ſeculi, undecimum [a], quadrageſimum-primum [b], & undequinquageſimum [c]. Deinde ſic exclamat. *O! Aurelianenſis Pontifex contra Aurelianenſem Synodum facere audet. An æquum & honeſtum videri poterit ejuſdem civitatis Pontificem ſuæ propriæ civitatis auctoritatem infringere?* Citat etiam Sanctiones ac Leges Imperatorum, Conſtantini Magni, Theodoſii, Valentiniani, Honorii, & Theodoſii Junioris. Utitur & auctoritate Legis Juliæ. *Lege*, inquit, *Juliâ decretum eſt, ut pro violentia dampnetur quicunque Judex appellantem, ut ad Principis præſentiam ducatur, ingenuum hominem vel civem Romanum torſerit, occiderit, vel occidi juſſerit, vel in vinculis publicis adſtrinxerit, vel flagellis ceciderit, aut damnare præſumpſerit.* Obſervat quoque *ipſam Romam aliáſque per mundum civitates aſylum ſtatuiſſe ad reorum defenſationem.* Tum ſic ratiocinatur. *An fas eſt apud Chriſtianos minoris eſſe honoris Eccleſiam Chriſti quàm templum Jovis apud paganos, vel beatæ Mariæ Genitricis Dei domum quàm impiæ Junonis aſylum inferioris venerationis haberi? Aut ipſe beatus Martinus, verus Dei cultor, in Chriſtiano Imperio minùs venerationi eſt quàm Scolapius falſator in paganorum poteſtate habuit? Hæc ſiquidem omnia ſi Domino meo David Imperatori Chriſtianiſſimo & in omni honore Dei devotiſſimo legantur vel verbis pacificis dicantur, ſcio ſanctiſſimum illius animum, & pietate pleniſſimum, & in cuſtodia mandatorum Dei cautiſſimum, qui nullis poterit muneribus de via veritatis averti, qui omnia ita decernit & judicat, ſicut Domino Deo Jeſu Chriſto placuerit & Sanctis ejus, & ſibi erit merces perpetua in æterna beatitudine, & filiis ſuis benedictio ſempiterna.* &c. In his literis Alcuinus, ut Carolum Auguſtum Davidem, ſic & diſcipulos ſuos Wizonem & Fridigiſum tralatitiis nominibus Candidum & Nathanahelem vocat. Quis exitus negotii fuerit, haud patet, plura enim illa de controverſia non extant edita. Redeamus ad annum Ludovici Auguſti ſeptimum.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

[a] Num. 6. [b] Num. 25. [c] Num. 44.

XVII. PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA PLACENTINA.

Inter Acta vetera, quæ Petrus Maria *Campi* Canonicus Placentinus primæ parti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Placentinæ ſubjecit, extat Ludovicianum Diploma, datum Aquiſgrani quinto Kalendas Maias, Indictione decimâ-tertiâ, hoc anno Ludovici Imperatoris ſeptimo, ſic. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si res ad ſacroſanctas Eccleſias & cetera venerabilia piáque loca pertinentes, quæ aut per negligentiam, aut per quorumlibet carnaliter viventium cupiditatem, de ipſis abſtractæ ſunt, eiſdem Sanctis Eccleſiis & venerabilibus ac piis locis reſtituerimus, hæc procul dubio nobis & ad æternæ mercedis præmia faciliùs aſſequenda & ad Regni noſtri ſtabilitatem pertinere confidimus. Idcircò notum fieri volumus omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Podo Sanctæ Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopus per Miſſum ſuum nomine Rageno ldum Presbyterum oſtendit nobis Privilegia, in quibus continebantur Donationes Regum Longobardorum, Hilprandi, Haiſtulfi, Deſiderii, necnon & aliorum, bonorum hominum; de quorum Donationibus quoddam Monaſterium, qui nuncupatur Gravacus, tempore Domni & Genitoris noſtri Caroli piæ recordationis per aliquos homines, ſicut ipſe Ragenoldus Miſſus prædicti Epiſcopi aſſerebat; injuſtè abſtractum fuit. Quam rem juſſimus Miſſis noſtris Adallaho Venerabili Epiſcopo & Artmano Comiti, quos ad juſtitias faciendas in Italiam miſimus, diligenti inquiſitione inveſtigare, & nobis, ſi ita verum eſſet, renunciare. Hanc cauſam ſubtiliter inveſtigatam detulerunt jamdicti Miſſi noſtri ad noſtram notitiam, & eam, quantâ po-*

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

tuerunt, ſubtilitate nobis expoſuernnt. Quam cùm nos diligentiùs attendendo cognoſceremus, intelleximus juſtum eſſe, ut prædictum Monaſterium unà cum Cellulis & rebus ſibi ſubjectis ad partem Placentinæ Epiſcopatûs Eccleſiæ redderetur; & ideo prædictum Monaſterium ſub integritate per hanc noſtræ auctoritatis præceptionem memorato Venerabili Epiſcopo atque Placentinæ Eccleſiæ Rectori reſtituere & confirmare decrevimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus fidelium noſtrorum prædicto Venerabili Epiſcopo Podoni & Placentinæ Eccleſiæ vel ſucceſſoribus ejus de ſupradicto Monaſterio Gravaco in pago Placentino conſtructo ulteriùs inquietare, aut ullam calumniam ingerere præſumat, ſed liceat ei ac ſucceſſoribus ejus memoratum Monaſterium tam noſtris quàm ſucceſſorum noſtrorum temporibus abſque ullius poteſtatis vel perſonæ injuſtæ contrarietate quieto ordine tenere, ac ſecundùm ſacròs Canones ordinare, & quicquid exinde ſecundùm æquitatem & juſtitiam facere voluerint, liberam & firmiſſimam habeant poteſtatem. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris meliùs credatur ac diligentiùs conſervetur, annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Ego Gandulfus ad vicem Fridugiſi recognovi & ſubſcripſi. Data V Kalen. Maias, anno, Chriſto propitio, ſeptimo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione decimâ-tertiâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.

XVIII. EPISCOPATUS SALINGESTADIO HALBERSTADIUM TRANSFERTUR.

Hildegrimus Salingeſtadienſis Epiſcopus hoc anno Sedem Epiſcopalem Salingeſtadio Halberſtadium tranſtulit. Lege quæ de utroque loco ſcripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum [a]. Deinceps Hildegrimum ejúſque ſucceſſores Halberſtadienſes Epiſcopos appellabimus extincto Salingeſtadienſis Epiſcopii nomine. Ut autem Salingeſtadienſis, ſic & Halberſtadienſis Epiſcopus Moguntiacenſi Metropolitæ ſubjacuit.

[a] Num. 94.

XIX. ECCLESIA IN LUDERA DICATUR.

Erat tunc Metropolitanus Moguntiacenſis Haiſtulphus, cujus mentionem facit in Fuldenſibus Antiquitatibus [b] hæc apud Browerum Inſcriptio. *Anno* DCCCXX *dedicata eſt Eccleſia in Ludera ab Haiſtulpho Moguntiacenſi Archiepiſcopo, rogatu Eigil Abbatis, in honorem S. Mariæ Dei Genitricis, S. Petri, & S. Sebaſtiani Martyris.* Ludera pagus eſt ad cognominem rivum. Browerus annum DCCCL, quem ipſa Inſcriptio exhibebat, ut mendoſum ad oram rejecit, nec malè, Haiſtulphus enim, à quo facta Dedicatio, longè ante annum Redemptoris octingenteſimum quinquageſimum in vivis eſſe deſiit.

[b] Lib. 2. c. 12.

XX. EPISCOPI CURIENSES.

In eadem provincia Moguntiacenſi Remigius ſeu Remedius Curienſis Epiſcopus obiit quinto Kalendas Julii. Succeſſit Victor, Bucelino in Rhætiæ Chronologia non alius ab illo Victore quem anno priore Fabarienſem Abbatem conſtitutum diximus. Fabarienſes Tabulæ ſuum Victorem ex Abbate factum aſſerunt Epiſcopum, ſed cujus Sedis, haud indicant; Curienſes verò ſuorum Epiſcoporum Catalogo Victorem hoc adſcribunt anno, ſed unde poſtulatus ſit non produnt. Stamus à Bucelini conjecturis, & hoc anno ut Victorem Epiſcopum Curiæ poſt Remedium, ſic & Gunibertum Abbatem Fabariæ poſt eundem Victorem agnoſcimus.

XXI. AVENIONENSES.

Humbertus Avenionenſis Epiſcopus, cui Nouguierus annos in Epiſcopatu ſex ac viginti tribuit, obiit hoc anno, ſucceſſit Ragenutus, de quo poſt biennium ad annum Ludovici Auguſti nonum inquiremus.

XXII. LINGONENSES.

Sub eundem *annum 820*, ut Jacobus Vignerius in Chronico Lingonenſi ſcribit, *Bettone ſupernas ad Sedes meritis evecto, non impar authoritate zeloque diſciplinæ Eccleſiaſticæ datus eſt Lingonis Albericus.*

XXIII. ORDO MONASTICUS IN MON. BESUENSI RESTITUITUR;

Hic Beſuenſe Monaſterium reparavit, ibique Monachos cum Abbate reſtituit. Iſtius Cœnobii cladem Tomo quinto [c] perſtrinximus. Syrannus Abbas Beſuenſis obiit regnante Pippino. Secuta Monachorum Beſuenſium diſperſio, quia Monaſterium mulieri, nomine Anglæ, traditum, eâque poſt immiſſam à Deo corporalem punitionem reſipiſcente, Cœnobium ſplendori priſtino reddi non potuit, Lingonenſes enim Epiſcopi Monachis ſuffecerunt Canonicos, quos modò ſubeſſe Abbatibus ordinis Canonici, modò ſibi ſervire voluerunt, iſque Beſuenſis Monaſterii ſtatus ad Imperii uſque Ludo-

[c] Ad an. 754. n. 70.

Digitized by Google

vici Pii permanſit, ut illius loci Chronographus teſtatur. *Hoc*, inquit, *Monaſterium ab Epiſcopo* Lingonenſi *receptum eſt, ſed non fuit illi cura digna Paſtore, ut oves diſperſas ad proprium ovile revocaret, magis gaudens, quòd res Monachis delegatæ in ſuos ſuorúmque uſus cederent, ſícque Monaſticus ordo ex hoc loco penitus eſt deletus, nullique ſuccedentium Epiſcoporum curæ fuit, ut priſtinam religionem in hoc loco repararet. Sed alii Abbates Canonici ordinis conſtituerunt, alii ſibi ſerviendum decreverunt, donec ad piiſſimi auguſtæ recordationis Ludovici Imperium ventum eſt.* Et inferiùs. *Cùm inimicus totius boni diabolus comperiſſet hoc Beſuenſe Monaſterium religione florere, indoluit terrigenas illuc humilitate & obedientiâ conſcendere, unde ipſe ſuperbiâ & inobedientiâ corruerat. Egit itaque ut Monaſticus ordo ex hoc loco penitus deletus eſſet. Nec hoc parvi temporis intervallo, ſed à tempore Pipini Regis & tempore Caroli uſque ad tempus Hlucdovici Imperatoris duravit. Hic etenim Bettone Epiſcopo defuncto, Albericum, virum dignum Epiſcopatu, Eccleſiæ Lingonenſi conſtituit. Qui hunc locum tali ex cauſa noſcitur reſtauraſſe. Erat prædictus Epiſcopus in Beſua ſanus & hilaris, cùm ſubitò graviſſimo dolore inteſtinorum corripitur, nullúmque remedium tanti cruciatûs conſequi poterat, Medicis autem multùm laborantibus & nihil proficientibus, deſperare cœpit, & de ſola morte cogitare. Omnibus autem ſuis gementibus & flentibus, & mortem ejus expectantibus, ipſe in ſomnum deductus eſt, vidítque in ſomnis venire ad ſe venerandâ canicie reverendum virum, à quo cùm interrogaretur quomodo ſe haberet, reſpondit, ut erat, nimiis doloribus urgeri ad mortem. Tum ille requiſivit, quam mercedem retribueret illi, qui ei à Domino non ſolùm vitam impetraret, ſed & ſalutem, & diuturnitatem. Reſpondit; quamvis nulla recompenſatio digna eſſet talibus promiſſis, tamen quantùm poſſet & ab illo impetraretur, rependeret. Tum ille ſenex; Monaſterium hoc, inquit, ſub meo & fratris mei Pauli nomine, Domino conſecratum fuit, & bonis fratribus ac Deum timentibus Monachis habitatum. Nunc verò, ut ipſe cernis, deſolatum eſt, promitte ergo mihi, ut hunc locum reſtaures, & Monaſticum ordinem in eo repares, & tibi à Domino ſalutem impetrabo. Promiſit ſub jurejurando, & à ſomno excitatus eſt, ſtatímque eum omnis dolor deſeruit, ac ſi illis diebus nullum eſſet expertus cruciatum, ſurrexit ſanus, lucrúſque omnium in gaudium converſus eſt. Retulit quid viderat, quid etiam ipſe promiſerat, & ſub qua conditione ſalutem meruerit. Precatur omnes ut adjutores exiſterent ad implendam promiſſionem. Quanto autem ſtudio, quantâque curâ memor juramenti & promiſſionis hoc Monaſterium reparaverit, melius ipſa opera quàm verba teſtantur. Monachos ex Monaſteriis ſumptos adunavit, Abbatem præfecit.* Is Abbas nomine Seraphim fuit, de quo ſic idem Albericus Epiſcopus in ſuo Diplomate, quod integrum inferiùs ex eodem Chronico dabimus. *Ob amorem Dei & veniam delictorum meorum, Deo inſpirante, cogitavi readificare ſupradictum locum*, nempe Fontem Beſuum, *permittente Glorioſiſſimo Auguſto Ludovico, & conſentiente Piiſſimo filio ejus Lothario Imperatore, congregavi ibi Monachos ſub Abbate Seraphim, qui regulariter degerent, & Deo in perpetuum deſervirent.* Extat Charta commutationis inter hunc Abbatem Beſuenſem & Theutonem Abbatem Capellenſem, data *Fonte - Beſuâ Monaſterio publico, 3 Calend. April. anno 13 Imperii Domni Hlucdovici Imperatoris*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto. Atque inde viſionem Beati Petri, quam ſuprà retulimus, Alberico Epiſcopo ſub initium Præſulatûs oblatam colligimus.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Ad-ejuſdem Alberici Lingonenſis Epiſcopi Pontificatum pervenit Herlegaudus Abbas San-Benignianus. *Eo tempore*, inquit Chronographus illius loci, *præſidebat Lingonicæ Eccleſiæ Domnus Albericus Pontifex. Defuncto prænominato Abbate Herlegaudo, jam penè dilapſo Monaſtico Ordine, in hoc loco ſuſcepit curam regiminis memoratus Epiſcopus Albericus, dans Paſtorem Congregationi hic commanenti Herlebertum ſub eo Coepiſcopum.* De Herlegaudo Abbate non ſemel locuti ſumus. Inter Monumenta Burgundica, quæ Stephanus Perardus in lucem edenda curavit, extat Charta, quâ prædictus Herlegaudus Ab- XXIV.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PITPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

bas, quicquid *in Centena Oſcarenſe, in fine Curmulnenſe & in ipſa villa* poſſidebat, dedit Monaſterio Sancti Benigni, *die Dominico, Nonis Februarii*, hoc ipſo anno biſextili, qui literis Dominicalibus A & G præditus fuit. In ora rectè notatur *annus 820*, ſed is perperam in textu dicitur ſextus Ludovici Imperatoris, & ſexti loco ſeptimus reſtitui debet. Terram *in Centena Oſcarenſe, in fine Cratmulnenſe, in oppido ipſo Cratmulnenſe*, Herlegaudus Abbas ante quinquennium emerat ab Airardo & Zacharia, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quintum ex ipſa venditionis Charta probavimus. In Chronicis San Benignianis, idem Herlegaudus jure commendatur, quòd *omne patrimonium, quod ſibi ab anteceſſoribus relictum poſſidebat, vel quod à parentibus ſuis emere potuit, Eccleſiæ quam regebat*, id eſt, Monaſterio San-Benigniano, *totum contradidit*. Meritò quoque laudatur, quòd adiit Ludovicum Auguſtum, & *ſuggeſſit auribus Serenitatis ejus Baſilicam Sancti Benigni Martyris eſſe dirutam, nec ſe habere qualiter eam reſtauraret*. Unde Ludovicus Imperator piâ ſollicitudine *Principibus & Magnatibus* ita ſcripſit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus Amadeo Comiti, Heliæ, & Waldo, Iſembardo, & Barberto, Vaſiis noſtris. Notum ſit vobis, quia volumus, ut adjutorium faciatis Herlegaudo Diacono ad reſtaurandam & recooperiendam Eccleſiam Sancti Benigni Martyris Chriſti, propter illam ſcilicet rationem, quia compertum nobis eſt, quòd vos de ratione ejuſdem Eccleſiæ beneficia habeatis, & nonas & decimas in omnibus dare faciatis, quia juſtum eſt. Propterea conſtituimus vobis, ut ad reſtaurandam illam Eccleſiam & cooperiendam adjutorium præſtetis. Videte ut omnino impleatis, atque expreſſum vobis demandamus, ut nullam exinde habeatis negligentiam, ſi gratiam noſtram vultis habere. Et ut certiùs cognoſcatis hanc noſtram eſſe juſſionem, de annulo noſtro juſſimus ſigillari*. Eodem Herlegaudo Abbate, *quidam Winiterius vocabulo, de terra proprietatis ſuæ in Aſiriaco villa duos campos dedit Sancto Martyri Benigno*. Præterea *Lebrandldus Clericus, Presbyter ordine, gradu ex parentela ejuſdem Abbatis Herlegaudi exiſtens, intra Caſtrum Divion. manſum unum, & foris muros terras quæ pertinebant ad præſcriptum manſum, quem emerat à quodam Adalrao germano Farulfi, qui erant parentes ſui & præfati Abbatis, contulit Sancto Martyri*. Ceteras Donationes, quæ coincidunt cum Herlegaudi Præfectura, & in prælaudatis Chronicis recenſentur, ſuis memoravimus locis.

XXV. Quod attinet ad Herlebertum Herlegaudi proximum ſucceſſorem, hic munere Paſtoris in Monaſterio Sancti Benigni fungitur, in præcitatis tamen Chronicis non Abbas ſed Coepiſcopus ſub Alberico Lingonenſi Epiſcopo dicitur. Hujus obſervationis teſtes ſunt duo textus. Unus, ſic. *Defuncto Abbate Herlegaudo, jam penè dilapſo Monaſtico Ordine, in hoc loco ſuſcepit curam regiminis Epiſcopus Albericus, dans Paſtorem Congregationi hic commanenti Herlebertum ſub eo Coepiſcopum*. Alter, ſic. *Defuncto Herleberto Coepiſcopo, qui vices Paſtoris in hoc loco tenuerat, ſucceſſit ad regimen animarum Ingelrannus idem in Eccleſiaſticis gerens officium*. Ante ſeptennium [a] duo Chorepiſcoporum genera diſtinximus. Alii verè fuerunt Epiſcopi, alii tantùm Preſbyteri. Poſterioris generis extiterunt Herlebertus & Ingelrannus, necnon & Ingelranni ſucceſſor Bertillo. Ut faciliùs ad opinionem noſtram accedas, obſerva ſtatum Monaſterii San-Benigniani. Poſt Abbatis Herlegaudi mortem cùm Ordo Monaſticus in illo Cœnobio penè dilapſus eſſet, Albericus Lingonenſis Epiſcopus curam regiminis ex jure ſuſcepit utpote Diœceſanus Epiſcopus, & inſpectâ languentis tum Monaſtices remiſſione Congregationi San-Benignianæ Paſtorem præfecit ex Ordine Canonico, Herlebertum ſcilicet Vicarium ſuum, qui pagum Divionenſem, ubi Monaſterium San-Benignianum, ſub Chorepiſcopi ſive Epiſcopi villani titulo & ejuſdem Alberici Epiſcopi Lingonenſis auctoritate jam regebat. Ingelranni ſors eadem fuit ac Herleberti. Uterque ſub Epiſcopo Lingonenſi Chorepiſcopum in

TOTUS PENE DELETUR IN SAN-BENIGNIANO.

[a] Ad an. 813. nn. 345. 346.

pago Divionenſi & Paſtorem in Congregatione San-Benigniana geſſit. De illis déque Bertillone non ſemel recurret ſermo. AN. CH. 820.

In Armorica Sancta conſignatur hoc anno mors Wihelochi Venetenſis Epiſcopi, cui ſubrogatur Ragenarius ſeu Raynaldus. Hic Covoiono Sacerdoti permiſit, ut in ſolitudinem cum ſociis undecim auſterioris vitæ deſiderio ſecederet. *Covoionus*, de quo ſub Kermarico Wihelochi deceſſore jam locuti ſumus, *decurſis aliquot annorum ſpatiis, mundi gloriam fugiens, & veræ philoſophiæ operam gliſcens, in Venetenſi territorio ſolitudinis locum Rothonem* * *nuncupatum infra ſignum duorum millium ſitum petiit. Ipſe verò locus adeò naturali poſitione inſignis habetur, ut amœnitate ſuâ ceteris Britanniæ Gallicanæ locis præſtet, & omnium deliciarum gratiam præferat gratiſſima tellus. Hunc ergo locum paucis è Venetenſi Clerò ſecum aſſumptis Dei famulis elegit expetendum. Venientes verò ad locum ab æterno, ut domus orationis fieret, à Deo deſtinatum, cùm hæſitarent ubinam caſtra figerent & Oratorium conſtruerent, conſcenſo Belli-Montis vertice, dum preces ad Dominum fudiſſent pro hujuſmodi oſtenſione, erectis in cælum luminibus, circa tertiam ferè horam viſum eſt noſtræ Redemptionis ſignum coruſco ſplendens lumine deſcendere, ubi nunc Salvatoris veneratur Altare.* Hæc Andreas Ducheſnius [a] ex Rothonenſi membrana publicavit. Hugo Menardus in ejuſdem Covoioni vita, quam ex veteribus Rothonenſis Monaſterii monumentis à ſe compoſitam vulgavit, hæc ſcripſit haud diſſimilia. *Divinis literis imbutus, mundi illecebras fugiens & peccati occaſiones, adſcitis ſibi undecim ſociis, quorum hi præcipuæ ſanctitatis, Condelohecus Presbyter, Lohemellus, & Vincalonus, ad ſolitudinem Rothonenſem ſe contulit, ubi de licentia Neomenii tunc Aremoricæ Proregis Rothonenſe Monaſterium, quod vulgò dicitur Rhedon, ædificavit. Sed antiquus ille veterator cacodæmon omnem lapidem movit, ut viros Dei inde deturbaret quorumdam Nobilium operâ, qui hanc ſolitudinem ſibi vendicabant. Ad quorum injuriam propulſandam Sanctus Convoion Lohemellum ad Neomenium miſit, ſuâ interpoſitâ auctoritate Nobiles illos placavit. Tum ſervi illi Dei Templum de nomine Sancti Stephani, & minora clauſtra juxta illud extruere cœperunt.* In alia vita, quam Auctor Armoricæ Sanctæ texuit, Rathwilus ſylvæ Rotonenſis dominus laudatur, quòd in ea locum ad extruendum unà cum Cellulis Oratorium ſervis Dei conceſſerit; laudatur quoque Neomenius ſeu Nominoius Britanniæ Præfectus, qui non tantùm Donationem Rathwili ſuis confirmavit literis, ſed & ejus munificentiam erga novos hoſpites imitari ſtuduit. De utroque ſermonem, ut occaſio poſtulabit, infrà facturi ſumus.

XXVI. EPISCOPI VENETENSES.

* *Rhedon.* COVOIONUS IN SOLITUDINEM RHOTONENSEM SECEDIT,

[a] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc. CUM ALIQUOT SOCIIS.

Guillelmus Cruceus, qui Geſta Cadurcenſium Epiſcoporum recenſuit, Pippini Regis Aquitaniæ Diploma laudat [b], in quo memoratur permutatio quarumdam rerum inita inter ipſum Regem Pippinum & Angarium Cadurcenſem Epiſcopum cum hac ſubnotatione. *Datum* IV *Kal. Junii, anno* VI *Imperii Domini Ludovici, &* VII *Regni noſtri.* Hos Characteres anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono convenire conſtanter aſſerit, quia Ludovicus annum Imperii ſui primum per menſem Maium anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto numerabat. Sed annus Pippini Regis ſeptimus cum anno Ludovici Auguſti ſexto comparari non poteſt. Si ſextus Ludovici Imperatoris annus ſervatur, expuncto Pippini Regis ſeptimo quintus reponi debet. Suſpicamur permutatas fuiſſe notas Chronologicas, & annos, Ludovici Auguſti ſeptimum, Pippini Regis ſextum, legendos eſſe; ſimul enim rectè componuntur & annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum ſignificant annus Ludovici Auguſti ſeptimus & Pippini Regis annus ſextus. Hoc igitur anno Salutis octingenteſimo viceſimo ſedit Angarius Cadurcenſis Epiſcopus, cui Pippinus Aquitaniæ Rex Ludovici Auguſti filius, permutatione factâ vicos aliquot in pagis Ruthenico & Cadurcino ſitos dedit pro Cellula *Lonante* Sancto Martino ſacra, ubi prima Figiacenſis Monaſterii jacta quondam fundamenta.

XXVII. [b] Num. 52. ANGARIUS EPISC. CADURC.

AN. CH. 820. XXVIII. JOANNES EP. PISANUS.

Observat Ughellus [a] ab anno Redemptoris octingentesimo ad hunc usque annum Joannis Episcopi Pisani nomen in multis instrumentis reperiri. Observat [b] & Brixiæ spectari adhuc Gallum æneum, quem Rampertus illius civitatis Episcopus cudendum collocandúmque curavit in sacræ Turris fastigio cum hac Inscriptione. *Dominus Rampertus Episc. Brixianus Gallum hunc fieri præcepit ann. D. N. Jesu Christi P. M. octogentesimo vigesimo, Indictione 13. anno Translat. SS. decimo-quarto, sui Episcopatûs vero sexto.* Alludit hæc Inscriptio ad Translationem Sanctorum Faustini & Jovittæ, nec malè componit annum Redemptoris octingentesimum vicesimum cum anno decimo-quarto istius Translationis, & anno sexto Ramperti Episcopi. Rampertus enim anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Brixiensem Episcopatum post Petri mortem suscepit, & Amphridius sive Amphrigius ejusdem Petri decessor corpora Beatorum Faustini & Jovittæ tertio Idus Maias anno Redemptoris octingentesimo sexto cum solemni pompa transtulit. Laudatur etiam Rampertus, quòd è Gallia Leutgarum Abbatem & Hildemarum Monachum, pietate doctrinâque præstantes evocarit, constructóque Cœnobio dederit illis Ecclesiam, in qua prædicti Martyres quiescebant.

[a] Tom. 3.

[b] Tom. 4. RAMPERTUS EP. BRIXIENS.

XXIX. PETRUS ABB. NONANTUL. OBIT.

Petrus Abbas Nonantulanus, cùm Monasterium annis septemdecim administrasset, obiit hoc anno, quarto Kalendas Junii. De successore agemus anno sequenti. Lege Ughellum [c], simúlque confer quæ Tomo superiore dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tertium [d] in obitu Sancti Anselmi primi Abbatis Nonantulani. Laudatur ab eodem Ughello [e] Sico Dux Beneventanus, quòd Neapoli, quam prisci Parthenopen vocabant, Sancti Januarii Beneventani quondam Episcopi, Puteolis Martyrio sub Diocletiano Augusto coronati, corpus Beneventum transtulit, & in Ecclesia Cathedrali, Hierusalem tunc appellata, per Davidem Beneventanæ civitatis Episcopum perhonorificè collocari fecit quinto Kalendas Novembris. Id autem actum putamus hoc anno bisextili, qui præditus fuit Dominicalibus literis A & G, tales enim Translationes diebus Dominicis fieri consueverant, & dies quintus ante Kalendas Novembris hoc anno Dominicus fuit. Agemus post annos sex de Translatione Sancti Sebastiani, quæ Dominico quoque die facta est. Ne Translationem Sancti Januarii, quam hoc anno à Sicone Duce procuratam asserimus, vel citiùs vel seriùs collocemus, vetat hæc observatio diei Dominicæ. Ex quo enim Sico Ducatum gerit, hoc primùm anno dies quintus ante Kalendas Novembris cum Dominico coincidit, Davide Beneventano Episcopo, qui præsens eidem adest Translationi, Pontificatûs annum penè quinquagesimum jam attingente. Extat apud Camillum Peregrinium Siconis Ducis epitaphium, in quo prædicta Sancti Januarii Translatio memoratur, habenda dubio procul inter postrema Davidis opera, quia tunc ætatis erat valdè provectæ. De successore non levis est difficultas. Dans & Guinus in quibusdam ponuntur Catalogis, in aliis omittuntur. Ughellus [f] priorem secutus est opinionem in serie Præsulum Sipontinorum, re verò diligentiùs examinatâ posteriorem amplexus est [g] in Beneventanorum Episcoporum Nomenclatura, & Ursum sive Ursonem, dequo sæpè disseremus, Davidi proximè subrogavit.

[c] Tom. 5. in Abb. Nonantul.

[d] Num. 81.

[e] Tom. 8. in Ep. Benevent. 40. TRANSLATIO S JANUARII.

EPISCOPI BENEVENTANI.

[f] Tom. 7.

[g] Tom. 8.

XXX. ABBATES WELTENBURG. ET S. GERMANI AUTISSIOD.

Hoc anno memorantur apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium Peringerus Abbas Weltenburgiensis, & apud Sammarthanos in Gallia Christiana Herebaldus Abbas Sancti Germani in civitate Autissiodorensi. Successerunt, Peringerus Wieanno, de quo locuti sumus ante quinquennium, Heribaldus Alegreco, cujus mentionem ante quadriennium fecimus.

XXXI.

Ludovicus Augustus hoc anno præter Aquisgranensem Conventum, quem mense Januario celebratum diximus, alterum habuit apud Carisiacum; rerum enim ab eo gestarum narrationem sic claudit Annalista Laureshamensis. *Imperator post peractum Carisiaci Conventum autumnalémque venationem ex*

Digitized by Google

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

more completam Aquas reverſus eſt. Hic textus in Annalibus etiam Bertinianis ac Metenſibus legitur, egétque benignâ interpretatione, quia Conventum Cariſiacenſem autumnalis venatio videtur præceſſiſſe. Degebat Ludovicus Cariſiaci quarto Kalendas Novembris, illo enim die Præceptum illic emiſit pro Eccleſia Pariſienſi, quod in parvo Paſtorali ejuſdem Pariſienſis Eccleſiæ ſic habetur [a]. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si petitionibus Sacerdotum in quibuſlibet neceſſitatibus Eccleſiaſticis noſtrâ auctoritate ſublevandis conſulimus, & ad miniſterium eorum liberiùs exequendum opem ferimus, à ſummo Pontifice Domino noſtro Jeſu Chriſto æterna remunerationis largiri nobis præmia non ambigimus. Primùm notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia vir venerabilis Inchadus Pariſiacæ urbis Eccleſiæ Epiſcopus detulit Serenitati noſtræ quandam auctoritatem, quam dominus & genitor noſter bonæ memoriæ Karolus Glorioſiſſimus Imperator ad petitionem prædeceſſoris ſui Enchenradi ipſius civitatis Epiſcopi fieri juſſit, in qua continebatur inſertum, quòd per incuriam & negligentiam cuſtodum ipſius Eccleſiæ inſtrumenta Chartarum exuſta vel concremata ſive perdita fuiſſent, per quæ ſcilicet quòd plures nobiles viri pro remedio animæ ſuæ res & mancipia ad ipſam, & quòd idem genitor noſter per eandem confirmaſſet auctoritatem, ut res & mancipia quæ in eiſdem inſtrumentis inſerta fuerant, & unde prædicta Eccleſia eo tempore legibus veſtita erat, jure Eccleſiaſtico ſecurè & quietè Rectores ipſius Eccleſiæ futuris temporibus tenerent atque poſſiderent. Petiit & prædictus Inchadus Serenitatem noſtram, ut pro mercedis noſtræ augmento & firmitatis ſtudio eidem Eccleſiæ more paterno noſtram auctoritatem ſuper hoc negocio fieri juberemus, per quam modernis & futuris temporibus res & mancipia, quæ per præfata inſtrumenta Chartarum eidem tradita fuerant Eccleſiæ, firmiter quietè ac ſecurè à Prælatis ipſius Eccleſiæ haberentur vel poſſiderentur. Nos itaque inſpectâ eâdem auctoritate Domini & genitoris noſtri, libuit nobis ejuſdem venerabilis viri petitionibus aſſenſum præbere, & paternæ auctoritati hanc quoque noſtram jungere auctoritatem. Præcipimus ergo atque jubemus, ut omnes res & mancipia, quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerint Eccleſiæ, noſtris & futuris temporibus per hanc noſtram auctoritatem Rectores ipſius Eccleſiæ abſque ullius inquietudine vel injuſta interpellatione quietè & ſecurè habere vel poſſidere valeant. Quòd ſi fortè ſuper eiſdem rebus ante prædictam exuſtionem à Prælatis ipſius Eccleſiæ jure poſſeſſis quæſtio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro diſceptari neceſſe ſit, ita per hanc noſtram auctoritatem eiſdem res & mancipia ipſius Eccleſiæ defendantur, ſicuti per eadem inſtrumenta, ſi igni abſumpta non fuiſſent, legibus defendi poterant. Hæc verò auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Piiſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovit. Data* IIII *Kal. Novembr. anno Chriſto propitio* VII *Imperii Domni Ludovici Imperatoris. Actum Cariſiaco Palatio publiciter in Dei nomine. Amen.*

[a] Chartâ 35. LUDOVICUS AUG. DAT PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA PARISIENSI.

XXXII. EDIT VARIA CAPITULARIA,

Apud Cariſiacum edita quoque putamus Capitularia, de quibus nos ad hunc annum acturos polliciti ſumus anno ſuperiore, nec omiſimus rationem, quâ noſtram tueremur Chronologiam.

XXXIII. PRO SUPPLEMENTO ET INTERPRETATIONE LEGIS SALICÆ,

Ex his Capitularibus quod in noviſſima Collectione primo loco refertur, viginti & uno conſtat Capitulis, quorum primum idem eſt cum decimo-tertio libri quarti Capitularium, & ultimum idem cum triceſimo-quinto ejuſdem libri, quia in illo Capitulari Capitula decimum-quintum & viceſimum-ſextum prædicti libri quarti prætermittuntur. Editionem Capitularium ſequemur, & ex eodem libro quarto Capitulare, de quo nobis hîc agendum, à Capitulo decimo-tertio ad triceſimum-quintum depromemus.

XXXIV.

In quarto Capitularium libro; Capitulum decimum-tertium *de honore Eccleſiarum* inſcribitur. *Si quis aut ex levi cauſa, aut ſine cauſa, hominem in Eccleſia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in*

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per sacramentum adfirmet se defendendo eum interfeciſſe, & post hæc sexcentos solidos ad partem Ecclesiæ, quam ille homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur; is verò, qui interfectus est, absque compositione jaceat; ac deinde interfector secundùm judicium Canonicum congruam facinori, quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrùm hoc sponte, an se defendendo feciſſet; &, si manus ejus exusta fuerit, interficiatur; si autem non fuerit, dominus ejus, juxta quod Wirgildus ejus est, ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat. De Ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo volumus, ut pro una vice Wirgildus ejus pro eo componatur; alterâ vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesiæ, cujus porta Reliquiis Sanctorum consecrata est, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si verò porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet quod in Immunitate violata committitur. De aquæ ferventis examine, quod inter vulgares probationes tunc habebatur, alio loco fusiùs ac commodiùs agemus.

XXXV. XIV Capitulum *de injuriis Sacerdotum vel quorumlibet ex Clero in Ecclesia factis* inscribitur. *Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, triplo componatur; duæ partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono similiter in triplo secundùm suam compositionem. Et de uniuscujusque Ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplum persolvatur, & insuper bannus noster. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscujusque Ordinis Clerico secundùm suam compositionem in triplo, & bannus noster. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesiæ, usquedum totum debitum persolvat.*

XXXVI. XV Capitulum, quod à Baluzio prætermittitur, connexionem habet cum superiori, statuit enim, cui solvendus sit wirgildus pro Sacerdotis occisi compositione. *Presbyteri interfecti Episcopo, ad cujus Parochiam pertinent, solvantur secundum Capitulare Glorioſi Karoli Genitoris nostri, ita videlicet, ut medietatem Wirgildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ, cui præfuit, tribuat, & alteram medietatem in Eleemosyna illius justè dispertiat, quia nullus nobis ejus hæres proximior videtur, quàm ille, qui ipsum Domino sociavit.*

XXXVII. XVI Capitulum est de causis viduarum, pupillorum & pauperum. *Præcipimus, ut quandocunque in mallum ante Comitem viduæ, pupilli, & pauperes venerint, primò eorum causa audiatur & definiatur. Et, si testes per se ad causas suas quarendas habere non potuerint, vel Legem nescierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem, qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.*

XXXVIII. XVII Capitulum est de raptu viduarum. *Qui viduam intra primos triginta dies viduitatis suæ vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos in triplo componat. Et, si invitam eam duxit, Legem suam ei componat, illam verò ulteriùs non attingat.*

XXXIX. XVIII Capitulum est de wirgildo hominis interfecti, cùm publicam pœnitentiam ageret. *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & Wirgildum ejus proximis ejus persolvat.*

XL. XIX Capitulum homini libero potestatem relinquit, ut cuicunque voluerit, res suas donet pro animæ suæ salute. *Si quis res suas pro salute animæ suæ vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, vel cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore intra ipsum Comitatum fuerit, in quo res illæ positæ sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quòd si eodem tempore, quo illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in Palatio, sive*

Digitized by Google

ſive in alio quolibet loco, adhibeat ſibi vel de ſuis pagenſibus, vel de aliis qui eâ- AN. CH.
dem Lege vivunt quâ ipſe vivit, teſtes idoneos, vel ſi illos habere non potuerit, 820.
tunc de aliis quales ibi meliores inveniri poſſint, & coram eis rerum ſuarum tra- LUDOV.
ditionem faciat, & fidejuſſores veſtituræ donet ei qui illam traditionem accipit ut IMP. 7.
veſtituram faciat. Et poſtquàm hæc traditio ita facta fuerit, hæres illius nullam LOTHAR.
de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Inſuper & ipſe per ſe fidejuſſionem IMP 4.
faciat ejuſdem veſtituræ, ne hæredi ulla occaſio remaneat hanc traditionem immu- PIPPINI
tandi, ſed potiùs neceſſitas incumbat illam perficiendi. Et, ſi nondum res ſuas cum R. 6.
cohæredibus ſuis diviſas habuit, non ei hoc ſit impedimento, ſed cohæres ejus, ſi LUDOV.
ſponte noluerit, aut per Comitem, aut per Miſſum ejus diſtringatur, ut diviſionem R. 4.
cum illo faciat, ad quem defunctus hæreditatem ſuam voluit pervenire. Et, ſi cui-
libet Eccleſiæ eam tradere rogavit, cohæres ejus eam legem cum illa Eccleſia de præ-
dicta hæreditate habeat, quam cum alio cohærede ſuo habere debebat. Et hoc obſer-
vetur erga patrem & filium & nepotem uſque ad annos legitimos. Poſteà ipſæ res
ad Immunitatem ipſius Eccleſiæ redeant.

XX Capitulum pœnas ſtatuit in homicidas. *Quicumque hominem aut* XLI.
ex levi cauſa aut ſine cauſa interfecerit, wirgildum ejus his, ad quos ille pertinet,
componat. Ipſe verò propter talem præſumptionem in exilium mittatur ad quantum
tempus nobis placuerit. Res tamen ſuas non amittat.

XXI Capitulum decernit, quid in wirgildi compoſitionem dari de- XLII.
beat aut non dari. *In compoſitionem wirgildi volumus ut ea dentur, quæ in Lege*
continentur, excepto ancipite & ſpatâ, quia propter illa duo aliquoties perjurium
committitur, quando majoris pretii, quàm illa ſint, eſſe jurantur. Vulgati Codi-
ces habent *accipitre*, Baluzius reſtituit *ancipite*. Hanc emendationem confirmat
quod conſuli poteſt Capitulum ultimum libri tertii Capitularium.

XXII Capitulum eſt de raptu alienarum ſponſarum. *Si quis ſponſam* XLIII.
alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui Legibus ejus defenſor eſſe debet, cum
ſua Lege eam reddat, & quicquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſe-
cundùm Legem reddat. Et, ſi hoc defenſor ejus perpetrari conſenſerit, & ideo ra-
ptori nihil quærere voluerit, Comes ſingulariter de unaquaque re freda noſtra ab
eo exactare faciat; ſponſo verò Legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum,
id eſt, ſexaginta ſolidos ſolvat, vel in præſentiam noſtram Comes eum advenire
faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam fœminam ei
habere non liceat.

XXIII Capitulum *de falſis teſtibus convincendis*, XXIV *de proprio in* XLIV.
bannum miſſo, & XXV *de mannire*, à nobis ex Friderico Lindenbrogio deſ-
cripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum,
Imperii Ludoviciani tertium.

XXVI Capitulum omittitur à Baluzio, ſtatuit autem quomodo quis XLV.
de ſtatu ſuo pulſatus libertatem ſuam evindicare poſſit. *Homo de ſtatu ſuo*
pulſatus, ſi is, qui eum pulſat, ad convincendum illum procinctum habuerit, ad-
hibeat ſibi octo conjuratores legitimos ex ea parte unde pulſatur, ſive illa paterna
ſive materna ſit, & quatuor aliunde non minùs legitimos, & jurando vindices li-
bertatem ſuam. Quod ſi procinctus defuerit, adſumat undecunque XII *liberos*
homines, & jurando ingenuitatem ſuam defendat. Omnis controverſia coram Cen-
tenario definiri poteſt, exceptâ redditione terræ & mancipiorum, quæ non niſi coram
Comite fieri poteſt.

XXVII Capitulum eſt de faidis coërcendis. *Si quis aliquâ neceſſitate co-* XLVI.
gente homicidium commiſit, Comes, in cujus Miniſterio res perpetrata eſt, & com-
poſitionem ſolvere & faidam per ſacramentum pacificare faciat. Quòd ſi una pars
ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt, aut ille qui homicidium commiſit, aut is qui
compoſitionem ſuſcipere debet, faciat illum Comes, qui ei contumax fuerit, ad præ-
ſentiam noſtram venire, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mit-
tamus, donec ibi caſtigetur, ut Comiti ſuo inobediens eſſe ulteriùs non audeat, &
majus damnum inde non adcreſcat.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4. XLVII. XLVIII.

XXVIII Capitulum eſt de locis, in quibus habendus mallus jurandáque ſacramenta. *Ubi antiquitus conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adhramire vel jurare; ibi mallum habeatur, & ibi ſacramenta jurentur. Mallus tamen neque in Eccleſia neque in atrio ejus habeatur. Minora verò placita Comes ſive intra ſuam poteſtatem vel ubi impetrare potuerit habeat. Volumus utique ut domus à Comite in loco, ubi mallum tenere debet, conſtituatur, ut propter calorem Solis & pluviam publica utilitas non remaneat.*

XXIX Capitulum eſt de his, qui de furto accuſati fuerint. *Si liber homo de furto accuſatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad præſentiam Comitis ſe adhramiat. Et ſi res non habet, fidejuſſores donet, qui eum adhramire & in placitum adduci faciant. Et liceat ei primâ vice per ſacramentum ſe ſecundùm Legem idoneare, ſi potuerit. At ſi aliâ vice duo vel tres eum de furto accuſaverint, liceat ei contra unum ex his cum ſcuto & fuſte in campo contendere. Quòd ſi ſervus de furto accuſatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum ſacramento excuſet, niſi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad ſupplicium tradi debeat.*

XLIX. XXX Capitulum eſt de contemptu literarum Dominicarum ſive Imperialium. *Si quis litteras noſtras deſpexerit, id eſt, tractoriam, quæ propter Miſſos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco, ubi prædictos Miſſos ſuſcipere debuit, tamdiu reſideat, & de ſuis rebus Legationes illuc venientes ſuſcipiat, quouſque animo noſtro ſatisfactum habeat. Qui verò epiſtolam noſtram quocumque modo deſpexerit, juſſu noſtro ad Palatium veniat, & juxta voluntatem noſtram congruam ſtultitiæ ſuæ caſtigationem accipiat. Et, ſi homo liber vel Miniſterialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, ſive beneficium amittat. Et, ſi ſervus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tondeatur.*

L. XXXI Capitulum eſt de tholoneis. *Ut ubi tempore avi noſtri Domini Pipini conſuetudo fuit tholoneum dare, ibi & in futurum detur. Nam ubi noviter incœptum eſt, ulteriùs non agatur. Et ubi neceſſe non eſt fluvium aliquem per pontem tranſmeare, vel ubi navis per mediam aquam aut ſubter pontem ierit, & ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulteriùs tholoneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire, ubi juxta pontem aquam tranſmeare poteſt. Et qui ulteriùs in talibus locis, vel de eis, qui ad Palatium ſeu in hoſtem pergunt, tholoneum exactaverit, cum ſua Lege ipſum tholoneum reddat, & bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos componat.*

LI. XXXII Capitulum pœnas ſtatuit in eos, qui bonos denarios accipere nolunt. *Quicunque liber homo denarium merum & benè penſantem recipere noluerit, bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos componat. Si verò ſervi Eccleſiaſtici aut Comitum aut Vaſſallorum noſtrorum hoc facere præſumpſerint, ſexaginta ictibus vapulent. Aut ſi Magiſter eorum, vel Advocatus, qui liber eſt, eos vel Comiti vel Miſſo noſtro juſſus præſentare noluerit, prædictum bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos componat.*

LII. XXXIII Capitulum pœnas decernit in adulteratores monetæ. *De falſa moneta jubemus, ut qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc conſentit, ſi liber eſt, ſexaginta ſolidos componat, ſi ſervus eſt, ſexaginta ictus accipiat.*

LIII. XXXIV Capitulum eſt de proprio Dominico. *Si quis proprium noſtrum, quod in veſtitura genitoris noſtri fuit, alicui quærenti ſine noſtra juſſione reddiderit, aliud tantum nobis de ſuo proprio cum ſua Lege componat. Et quicunque illud ſcienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia ſacramentum fidelitatis, quod nobis promiſit, irritum fecit, & ideo ſecundùm noſtram voluntatem & poteſtatem dijudicandus eſt.*

LIV. XXXV Capitulum eſt cùm de pueris qui tonſi fuerunt invitis parentibus, tum de puellis quæ invitis quoque parentibus velatæ fuerunt. *Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, Legem ſuam in triplo componat, aut ipſi puero vel puellæ, ſi jam ſuæ poteſtatis ſunt, aut illi in cujus*

Digitized by Google

poteſtate fuerint. Illi verò poteſtatem habeant capitis ſui, ut in tali habitu permaneant qualis eis complacuerit. In hoc Capitulo deſinit Capitulare, quod ad hunc annum primo loco prodiit in editione Baluziana. Capitulis autem, ex quarto Capitularium libro proximè deſcriptis, in eodem libro ſubjiciuntur octo, quæ quia ſpectant ad eandem materiam, & Capitulis ad Legationem Miſſorum præcipuè pertinentibus præponuntur, ſuperioris Capitularis partem cenſemus, ideóque hîc ſubnectimus. AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

XXXVI Capitulum eſt de forcapiis. *Si mancipia dominos fugerint in alienam poteſtatem, præcipimus ut propter hoc nullum præmium accipiat ille, in cujus poteſtate fuerint inventa, pro eo quòd ea vel reddiderit vel foras ejecerit. Et non ſolùm hoc, ſed etiam ſi ea nec reddere nec foras ejicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa inde poſteà effugerint, ſecundùm Legem ea ſolvere cogatur.* LV.

XXXVII Capitulum eſt de terra tributaria. *Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam vel cuilibet alteri tradiderit, is, qui eam ſuſceperit, tributum, quod inde ſolvebatur, omni modo ad partem noſtram perſolvat, niſi fortè talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipſum tributum ſibi perdonatum poſſit oſtendere.* LVI.

XXXVIII Capitulum eſt de beneficiis deſtructis. *Quicunque ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit, & intra annum; poſtquàm ei à Comite vel à Miſſo noſtro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipſum beneficium amittat.* LVII.

XXXIX Capitulum eſt de terra cenſali. *Si quis terram cenſalem habuerit, quam anteceſſores ſui vel ad aliquam Eccleſiam vel ad villam noſtram dederunt, nullatenus eam ſecundùm Legem tenere poteſt, niſi ille voluerit, ad cujus poteſtatem vel illa Eccleſia vel illa villa pertinet, niſi fortè filius aut nepos ejus ſit qui eam tradidit, & ei eadem terra placitata ſit. Sed in hac re conſiderandum eſt, utrùm ille qui hunc tenet dives an pauper ſit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, erga hunc miſericorditer agendum eſt, ne ex toto diſpoliatus in egeſtatem incidat, ut aut talem cenſum inde perſolvat, qualis ei fuerit conſtitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat, unde ſe ſuſtentare valeat.* LVIII.

XL Capitulum eſt de nonis & decimis. *Conſideratum eſt ut de frugibus terræ & animalium nutrimine nonæ & decimæ perſolvantur. De opere verò vel reſtauratione Eccleſiarum Comes & Epiſcopus ſive Abbas unà cum Miſſo noſtro, quem ipſi ſibi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant, ut unuſquiſque eorum tantùm inde accipiat ad operandum & reſtaurandum quantùm ipſe de rebus Eccleſiarum habere cognoſcitur. Similiter & Vaſſi noſtri aut in commune tantùm operis accipiant, quantùm rerum Eccleſiaſticarum habent, vel unuſquiſque per ſe juxta quantitatem quam ipſe tenet. Aut ſi inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta eſtimationem operis in argento perſolvant; cum quo pretio Rector Eccleſiæ ad prædictam reſtaurationem operarios conducere & materiam emere poſſit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primùm quidem illas cum Lege ſua reſtituat, inſuper & bannum noſtrum ſolvat, ut ita caſtigatus caveat ne ſapiùs iterando beneficium amittat.* LIX.

XLI Capitulum eſt de mancipiis in villas Dominicas confugientibus. *Si cujuſlibet mancipia in villam noſtram confugerint, Actor ejuſdem villæ quærenti domino ea non contradicat, ſed ſtatim ea foras de eadem villa ejiciat. Et, ſi ſe putat ad ea repetenda juſtitiam habere, repetat illa, & ſecundùm Legem adquirat. Si verò tempore Domni Karoli Genitoris noſtri in villam illam confugerunt, & dominus ea quærit, Actor ejuſdem villæ aut ea legitimè contineat, aut quærenti domino reddat. Et Actor propter veſtituram Domni Karoli Genitoris noſtri eadem mancipia contradicere non audeat, ſi illius propria eſſe noſcuntur.* LX.

XLII Capitulum eſt de foreſtibus noviter inſtitutis. *Ut quicunque illas habet dimittat, niſi fortè indicio veraci oſtendere poſſit, quòd per juſſionem ſive* LXI.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

per permiſſionem Domni Karoli Genitoris noſtri eas inſtituiſſet; præter illas quæ ad noſtrum opus pertinent, unde nos decernere volumus quicquid nobis placuerit.

XLIII Capitulum eſt de pontibus per diverſa loca reparandis. *Volumus ut Miſſi noſtri per ſingulas civitates unà cum Epiſcopo & Comite Miſſos vel noſtros homines ibidem commanentes eligant, quorum curæ ſit pontes per diverſa loca emendare, & eos, qui illos emendare debent, ex noſtra juſſione admonere, ut unuſquiſque juxta ſuam poſſibilitatem & quantitatem eos emendare ſtudeat.*

Stephanus Baluzius non tantùm Capitula, quæ hactenus ex quarto Capitularium libro deſcripta ſub uno Capitulari complexi ſumus, in duo diſtinxit Capitularia, ſed ſecundo etiam loco publicavit hoc Capitulare novem diſtributum in Capitula Legi addenda Salicæ. I. *Ut pagenſes per ſacramenta aliorum hominum cauſas non inquirant niſi tantùm Dominicas. Attamen Comes ille ſi alicujus pauperis aut impotentis perſonæ cauſa fuerit, tunc Comes ille diligenter & .... ſine ſacramento per veriores & meliores pagenſes inquirat.* II. *Vult Domnus Imperator, ut in tale Placitum, quale ille tunc juſſerit, veniat unuſquiſque Comes, & adducat ſecum duodecim Scabinos, ſi tanti fuerint. Sin autem, de melioribus hominibus Comitatûs ſuppleat numerum duodenarium. Et Advocati tam Epiſcoporum quàm Abbatum & Abbatiſſarum cum eis veniant.* III. *Statuendum eſt, ut unuſquiſque, qui cenſum Regium ſolvere debet, in eodem loco illum perſolvat, ubi pater & avus ejus ſolvere conſueverunt.* IV. *Si homini cuilibet cauſam ſuam in Placito aut coram Comite Palatii..... alius fuerit impedimento, & cauſam ejus injuſtè diſputando impedierit, tunc volumus, ut ſive Comes Palatii, ſeu Comes ipſe in Comitatu ſuo, jubeat eum exire foras. Et, ſi noluerit obedire, tunc ſolvat bannum Dominicum, id eſt, ſexaginta ſolidos, & illi, cui adverſatus eſt, donet Wadium ſuum pro Lege ſua.* V. *Volumus, ut Comes poteſtatem habeat in Placito ſuo facere quæ debet, nemine contradicente. Et, ſi aliter fecerit quàm juſtè, ad quem factum illud pertinet, veniat in præſentiam noſtram, & nos illi de eodem Comite faciamus juſtitiam.* VI. *Veſtitura Domni & Genitoris noſtri eo modo volumus ut teneatur, ubicunque eſſe dicitur, ut ..... diligentiſſimâ inveſtigatione perquiratur. Et, ſi invenitur eſſe juſta atque legitima, tunc veſtitura dicatur. Nam aliter ne veſtitura nominari debet, ſive ſit in Eccleſiaſticis ſive in Palatinis rebus.* VII. *De proprio, quod in Caſtellis ab avo noſtro conquiſitis, eo modo videtur nobis eſſe faciendum atque diſcernendum, ut illi tantùm propriarum rerum ſui poteſtatem non habeant, qui quandiu potuerunt reſtiterunt, & contra illorum voluntatem in poteſtate avi noſtri venerunt. Nam quicunque ſociis ſuis pertinaciter reſiſtentibus ſe dediderunt, quamvis Caſtellum per vim fuiſſet captum, propriè ſuum tamen in eo habere debent.* VIII. *De rebus, unde Domnus Karolus Imperator legitimam veſtituram habuit, & hoc ita poteſt inveſtigari, ut ſecundum juſtitiam ad nos debeant pertinere, nequaquam volumus, ſi noſtri teſtes boni & idonei ſunt, ut alii adversùs eos in noſtram contrarietatem conſurgant. Attamen in tua ſit providentia ac fidelium noſtrorum, qui tecum ſunt, qui noſtri teſtes eſſe debent, boni & veraces ſint. Porrò adversùs Eccleſiaſticas res eadem ſententia maneat, quæ tempore Domni & genitoris noſtri fuerat prolata, ut Eccleſiarum defenſores res ſuas contra ſuos adpetitores eadem Lege defendant, quâ ipſi vixerunt, qui eaſdem res Eccleſiis condonaverunt. Similiter & Eccleſia eandem Legem habeat adversùm petitores ſuos, tantùm ſalvâ noſtra juſtitiâ.* IX. *De quarto Capitulo expectandum cenſuimus, donec cum plurioribus fidelibus noſtris inde conſideremus.*

LXIV. In editione Baluziana tertium ſequitur Capitulare, quod inſcribitur *de interpretatione Legis Salicæ*, dividitúrque duodecim in Capitula, de quibus per ordinem hic nobis agendum cum relatione ad Legem Salicam, quæ diſtinguitur in Capitula ſeu Titulos unum & ſeptuaginta.

LXV. Primum Capitulúm, quid judicatum ſit de primo Legis Salicæ Capitulo, quod eſt *de mannire*, ſic oſtendit. *De hoc Capitulo judicatum eſt, ut ille, qui mannitur*, id eſt, qui vocatur in judicium, *ſpatium mannitionis ſuæ per qua-*

Digitized by Google

draginta noctes habeat. Et, ſi Comes infra ſupradictarum noctium numerum mallum ſuum non habuerit, ipſum ſpaticum uſque ad mallum Comitis extendatur, & deinde detur ei ſpatium ad reſpectum ad ſeptem noctes. Inde non noctium ſpatia, ſed proximus mallus Comitis ei concedatur. In hoc Capitulo noctes non dies numerantur. Olim enim Galli & Germani non dierum ſed noctium numerum computabant, omniſque temporis ſpatia non numero dierum ſed noctium finiebant, ut alibi jam notavimus ex Cæſare & Tacito. AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4.

Secundum Capitulum interpretatur Articulum ſumptum ex undecimo Legis Salicæ Capitulo *de mancipiis furatis*. Sunt in illo Legis Salicæ Capitulo ſex Articuli, quorum hic eſt tertius. *Si quis ſervum alienum occiderit aut vendiderit vel ingenuum dimiſerit, mille quadringentis denariis, qui faciunt ſolidos triginta-quinque, culpabilis judicetur, excepto capitali & dilaturâ.* Porrò *de hoc capite*, ſive de hoc Articulo, *judicatum eſt ab omnibus, ut ſi ille ſervus qui injuſtè venditus vel ingenuus dimiſſus apparet, non alter pro eo in loco illius reſtituatur, quia dixerunt aliqui, quòd idem ſervus, qui ingenuus dimiſſus fuerat, denuò ad ſervitium redire non debeat, ſed priſtino & domino & ſervitio reſtitutus fiat judicaverunt.* PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4. LXVI.

Tertium Capitulum interpretatur Articulum Legis Salicæ, qui eſt undecimus Capituli decimi-quarti *de ingenuis hominibus qui mulieres rapiunt*. Articulus talis eſt. *Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipſe cum ea in ſervitium implicetur.* Sequitur interpretatio. *De hoc capite judicatum eſt ab omnibus, ut ſi ingenua fœmina quemlibet ſervum in conjugium ſumpſerit, non ſolùm cum ipſo ſervo in ſervitio permaneat, ſed etiam omnes res quas habet, ſi eas cum parentibus ſuis diviſas tenet, ad dominum, cujus ſervum in conjugium accepit, perveniant. Et, ſi cum parentibus ſuis res paternas vel maternas non diviſit, nec alicui quarenti reſpondere, nec cum ſuis haredibus in rerum paternarum hereditate ultrà diviſor accedere poſſit. Similiter & ſi francus homo alterius ancillam in conjugium ſumpſerit, ſic faciendum eſſe judicaverunt.* Huic Capitulo propter materiam conjungendum videtur ſextum, quod eſt de illis, qui cùm ingenui eſſent, ſervitio ſponte ſe addixerunt. *Judicatum eſt ab omnibus, ut ſi francus homo vel ingenua fœmina in ſervitio ſponte ſuâ ſe implicaverit, ut ſi res ſuas, dum in libertate ſua permanebat, ad Eccleſiam Dei aut cuilibet legibus tradidit, ipſe, cui tradita fuerint, eas habere & tenere poſſit. Et ſi filios vel filias, dum in ſua fuit libertate, generavit, ipſi liberi permaneant.* LXVII.

Quartum Capitulum Articulum hunc duodecimum, qui legitur in eodem decimo-quarto Capitulo Legis Salicæ, *ſi quis uxorem alienam vivo marito tulerit, octo millia denar. qui faciunt ſolidos ducentos, culpabilis judicetur*, ſic interpretatur. *De hoc Capitulo judicatum eſt, ut vivo marito, cui eadem uxor contra Legem ſubtracta fuerat, ab illo, qui eam ei injuſtè tulerat, cum Lege reddita fiat ſupraſcripta, id eſt, ducentis ſolidis.* LXVIII.

Quintum Capitulum interpretatur Articulum Legis Salicæ, qui poſtremus eſt Capituli viceſimi ſexti, *ſi quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiſerit, fredus ei non requiratur.* Interpretatio ſequitur in hunc modum. *De hoc Capitulo judicatum eſt, ut ſi infans infra duodecim annos res alterius injuſtè ſibi uſurpaverit, eas, excepto fredo, cum Lege ſua componat, & ita manniatur, ſicut ille manniri ..... qui contra Legem fecit, & ita à Comite ad mallum ſuum adducatur, ſicut ille adduci poteſt qui contra Legem fecit. De hereditate verò paterna vel materna ſi aliquis eum interpellare voluerit, uſque ad ſpatium duodecim annorum expectare judicatum eſt.* LXIX.

Sextum Capitulum cum tertio conjunctum fuit ſuprà. LXX.

Septimum Capitulum hunc exhibet Articulum, quo Capitulum triceſimum-ſeptimum Legis Salicæ *de homicidiis* clauditur, *ſi quis ſervus ingenuum hominem occiderit, ipſe homicida pro medietate compoſitionis hominis occiſi parentibus tradatur, & aliam medietatem dominus ſervi ſe noverit ſoluturum, aut ſi Legem intellexerit*, id eſt, ſi intellexerit ſecundùm Legem ſe defendere, *poterit ſe ob-* LXXI.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

mallare seu causam agere in mallo, *ut leudem* sive compositionem *non solvat.* Subditque hanc observationem de servis Ecclesiasticis & Beneficiariis. *Quia nullam de Ecclesiastico aut Beneficiario vel alterius persona servo discretionem Lex facit, si ita Ecclesiastici aut Beneficiarii servi sicut liberorum tradi aut dimitti possunt, ad interrogationem Domni Imperatoris reservare voluerunt.*

LXXII. Octavum Capitulum tale est. *De* XLVI *Capitulo, id est, qui viduam in conjugium accipere vult, judicaverunt omnes, ut non ita, sicut in Lege Salica scriptum est, eam accipiat, sed cum parentum consensu & voluntate, velut usque nunc antecessores eorum fecerunt, in conjugium sibi eam sumat.* Hæc Constitutio longissimè differt à quadragesimo-sexto Salicæ Legis Capitulo, quod *de reippo* inscribitur, & antiquam supponit consuetudinem, quâ si quis viduam in uxorem expetebat, non pretio tantùm, sed publico Concilio impetratâque priùs à Magistratu venià compos voti fiebat. In illo Legis Salicæ Capitulo sunt undecim Articuli. I. *Si quis homo moriens viduam dimiserit, & eam quis in conjugium voluerit accipere, antequàm eam accipiat, Tunginus aut Centenarius mallum indicent, & in ipso mallo scutum habere debent, & tres homines causas tres demandare; & tunc ille, qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui adprobare debent, tres solidos æquè pensantes & denarium habere debet, & hoc facto, si eis convenit, viduam accipiat.* II. *Si verò ista non fecerit, & sic eam acceperit, illi, cui reippus debetur,* IID *den. qui faciunt sol.* LXII *s. culp. jud.* id est, duobus millibus ac quingentis denariis, qui faciunt solidos sexaginta-duos ac semis culpabilis judicetur. III. *Si autem, quæ superiùs diximus, omnia secundùm Legem impleverit, & tres solidos & denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tunc eam legitimè accipiat.* Parcimus ceteris Articulis, nihil enim aliud statuunt, quàm cui reippus debeatur. Ut autem præcitatos Articulos meliùs intelligas, nonnullarum vocum interpretationem accipe. Tunginus Judex est medius inter Comitem & Centenarium, atque ut postponitur Comiti, sic Centenario præponitur, quia pluribus Centenis seu Centuriis præest. Reippus viduæ pretium est emptæ matrimonii causâ, colligitur ab ejus propinquis, nec in fiscum redigitur nisi post sextum genuculum seu post sextum gradum, ut patet ex Articulo undecimo Capituli proximè citati. *Si autem nullus nisi post sextum genuculum proximus fuerit, in fiscum ipse reippus, vel causa quæ inde orta fuerit, colligatur.*

LXXIII. Nonum Capitulum est *de* XLVII *Capitulo* Legis Salicæ, quod *de eo qui villam alienam occupaverit,* inscriptum reperies. *De hoc Capitulo judicaverunt, ut nullus villam aut res alterius migrandi gratiâ per annos tenere vel possidere possit, sed in quacunque die invasor illarum rerum interpellatus fuerit, aut easdem res quærenti reddat, aut eas, si potest, juxta Legem se defendendo sibi vendicet.*

LXXIV. Decimum Capitulum. *De affatomia dixerunt quòd traditio fuisset. De hoc Capitulo judicatum est, ut sicut per longam consuetudinem antecessores eorum facientes habuerunt, ita & omnes, qui Lege Salicâ vivunt, inantea habeant & faciant.* Affatomia dicitur, cùm quis alium in possessione rei donatæ posuerit, projiciendo festucam in laisum sive in sinum ejus, cui fecerit Donationem. Capitulum duodequinquagesimum Legis Salicæ totum est de affatomia, cujus ritum sic describit. *Hoc convenit observare, ut Tunginus vel Centenarius mallum indicent, & scutum in ipso mallo habeant, & tres homines causas tres demandare debent in ipso mallo, & requiratur postea homo, qui ei non pertinet, & sic festucam in laisum jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, dicat verbum de fortuna sua, quantùm ei voluerit dare. Postea ipse, in cujus laisum festucam jactaverit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere, & de facultate sua, quantùm ei datur, in potestate sua habere debet, & postea ipse, cui creditum est, ista omnia cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante Regem, aut in mallo legitimo, illi, cui fortunam suam deputavit, reddere debet, & accipiat postea festucam in mallo ipso ante duodecim menses ipse, quem hæredem deputavit, in laisum suum jactet, & nec minus nec majus, nisi quantum ei creditum est. Et, si contra*

Digitized by Google

hoc aliquid dicere voluerit, debent tres teſtes jurati dicere, quòd ibi fuiſſent in mallo, ubi Tunginus vel Centenarius indixerunt, & quòd vidiſſent hominem illum, qui fortunam ſuam dedit, in laiſum illius, quem jam elegerat, feſtucam jactare; & nominare illum debent, qui fortunam ſuam in laiſum electi jactavit; necnon & illum, in cujus laiſum feſtucam jactavit, & hæredem appellavit, ſimiliter nominent. Et alteri tres teſtes jurati debent dicere quòd in caſâ illius hominis, qui fortunam ſuam donavit, ille, in cujus laiſum feſtucam jactavit, ibidem manſiſſet, & hoſpites tres vel amplius collegiſſet & paviſſet, & ei ibidem gratias egiſſent, & in bendo ſuo, id eſt, in menſa ſua, *pultes manducaſſent, & teſtes collegiſſent. Iſta omnia alii tres teſtes jurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo, vel ante Regem, ille qui accepit in laiſum ſuum fortunam in mallo publico, hoc eſt ante Theada* ſive ante populum *vel Tunginum fortunam illam, quem hæredem appellavit, publicè coram omnibus feſtucam in laiſum ipſius jactaſſet, & hæc omnia novem teſtes debent adfirmare.* AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Undecimum Capitulum. *Et hoc judicaverunt, ut ſi ſervus Chartam ingenuitatis attulerit, ſi ſervus ejuſdem Chartæ auctorem legitimum habere non potuerit, domino ſervi ipſam Chartam falſare liceat.* LXXV.

Duodecimum Capitulum. *Et hoc judicaverunt, ut omnis, qui alteri aliquid quærit, licentiam habeat priùs ſua teſtimonia producere contra eum. Et ſi ille, cui quæritur, dixerit quòd Legibus teneat ea quæ tenet, & talia ſunt teſtimonia qui hoc veraciter adfirmare poſſint, judicaverunt, ut hujus rei veritas ſecundùm Capitula Domni Imperatoris, quæ priùs pro Lege tenenda conſtituit, rei veritas comprobetur.* LXXVI.

E ſex Capitularibus, quæ rejecimus in hunc annum, quatuor jam recenſuimus, quia ſunt additamenta ſeu ſupplementa vel interpretationes Legis Salicæ, quam hoc anno Ludovicus Auguſtus non parum auxit. Quæ verò ſuperſunt, ad Miſſorum Legationem præcipuè pertinent. Unum habetur in quarto Capitularium libro; alterum è Codice San-Gallenſi publicatum eſt. De utroque nobis hîc agendum, quia primum, quod in Anſegiſi Collectione totum occurrit, proximè ſubjicitur Capitulis, *quæ conſtituit Domnus Ludovicus Imperator Salicis Legibus addenda.* LXXVII. ET PRO LEGATIONE MISSORUM DOMINICORUM.

Hoc Capitulare duobus ac triginta conſtat Capitulis in quarto Capitularium libro, undetriginta tantùm in Codicibus Baluzianis. Editionem Capitularium ſequemur, ipsáque Capitula per ordinem ex prædicto Capitularium libro deſcribemus, initio ducto à Capitulo quadrageſimo-quarto, cui ſicut & ſequentibus ad finem uſque libri præfigitur hæc Præfatiuncula. *Hæc ſunt Capitula præcipuè ad Legationem Miſſorum noſtrorum ob memoriæ cauſam pertinentia.* LXXVIII.

XLIV Capitulum libri quarti Capitularium. *Legatio omnium Miſſorum noſtrorum hæc eſt. Primò, ut ſicut jam aliis Miſſis injunctum fuit, juſtitiam faciant de rebus & libertatibus injuſtè ablatis, &, ſi Epiſcopus, aut Abbas, aut Vicarius, aut Advocatus, aut quiſlibet de plebe, hoc feciſſe inventus fuerit, ſtatim reſtituantur. Si verò vel Comes, vel Actor Dominicus, vel alter Miſſus Palatinus hoc perpetraverit, & in noſtram poteſtatem redegerit, res diligenter inveſtigata & deſcripta ad noſtrum judicium reſervetur.* LXXIX.

XLV Capitulum. *Volumus autem ut de his libertatibus & rebus reddendis, quæ in noſtra veſtitura ſunt, primò per optimos quoſque inquiratur. Et ſi per illos inveniri non poſſit, tunc per eos qui poſt illos in illa vicinia meliores ſunt. Et ſi nec per illos rei veritas inveniri poteſt, tunc liceat litigantibus ex utraque parte teſtes adhibere. Et ſi diſcordaverint, ſecundùm conſtitutionem à nobis promulgatam examinentur*, id eſt, ſecundùm inſtitutionem promulgatam Capitulo viceſimo-tertio ejuſdem libri, quod inſcribitur *de falſis teſtibus convincendis*, recenſetúrque inter Capitula, quæ Ludovicus Auguſtus hoc ipſo anno Salicis Legibus addenda conſtituit, ut dictum ſuprà. LXXX.

XLVI Capitulum. *De pauperibus, viduis, & pupillis injuſtè oppreſſis; volumus ut adjuventur & releventur.* LXXXI.

LVII Capitulum. *De Placitis ſiquidem, quos liberi homines obſervare debent, Conſtitutio generalis Genitoris noſtri penitus obſervanda atque tenenda eſt, ut videlicet in anno tria ſolummodò generalia Placita obſervent, & nullus eos amplius Placita obſervare compellat, niſi fortè quilibet aut accuſatus fuerit, aut alium accuſaverit, aut ad teſtimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera verò, quæ Centenarii tenent, non alius venire jubeatur, niſi qui aut litigat, aut judicat, aut teſtificatur.* In Lege Longobardorum [a] Ludovicus Imperator hanc adjecit clauſulam. *Et quicunque hujus Conſtitutionis tranſgreſſor de Miſſis noſtris inventus fuerit, bannum noſtrum componat.* AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

LVIII Capitulum. *Ut de debito, quod ad opus noſtrum fuerit rewadiatum, talis conſideratio fiat, ut is, qui ignoranter peccavit, non totum ſecundùm Legem componere cogatur, ſed juxta quod poſſibile viſum fuerit. Is verò qui tantùm malâ voluntate peccavit, totam Legis compoſitionem cogatur exſolvere.* XCII.

[a] Lib. 1. Tit. 43. Art. 3.

LIX Capitulum. *Ut nullus ad Palatium vel in hoſtem pergens, vel de Palatio vel de hoſte rediens, tributum, quod tranſituras vocant, ſolvere cogatur.* Hujuſcemodi tributum dicitur *tranſitorium*, in Lege Longobardorum, libro primo, Titulo decimo-quarto. XCIII. XCIV.

LX Capitulum. *Ut pontes publici, qui per bannum fieri ſolebant, anno præſente in omni loco reſtaurentur.* XCV.

LXI Capitulum. *Ut Clerici & Monachi & ſervi fugitivi ad loca ſua redire jubeantur.* XCVI.

LXII Capitulum. *Ut nullus Epiſcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatiſſa, Centenarium Comitis Advocatum habeat.* Perperam in Lege Longobardorum [b], *Centenarium Comitis vel comitem ad Advocatum habeat.* XCVII.

[b] Lib. 2. Tit. 48. Art. 4.

LXIII Capitulum. *Ut Vicarii vel Centenarii, qui fures & latrones vel celaverint vel defenderint, ſecundùm ſibi datam ſententiam dijudicentur.* XCVIII.

LXIV Capitulum. *Ut Comites, & Vicarii, & Centenarii, de conſtitutione Legis admoneantur, quâ jubetur, ut propter juſtitiam pervertendam munera non accipiant.* XCIX.

LXV Capitulum. *De foreſtibus noſtris, ut ubicunque fuerint diligentiſſimè inquirant, quomodo ſalva ſint & defenſa, & ut Comitibus denuntient, ne ullam foreſtem noviter inſtituant, & ubi noviter inſtitutas ſine noſtra juſſione invenerint, dimittere præcipiant.* Cum hoc Capitulo confer quadrageſimum-ſecundum ejuſdem libri *de foreſtibus noviter inſtitutis*, quod pertinet ad Capitulare Salicis Legibus additum nuperriméque deſcriptum. C.

LXVI Capitulum. *Ut ubicunque ipſi Miſſi aut Epiſcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui juſtitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipſius rebus vivant, quandiu in eo loco juſtitias facere debent.* CI.

LXVII Capitulum. *Ut in illius Comitis Miniſterio, qui benè juſtitias factas habet, iidem Miſſi diutiùs non morentur, neque illuc multitudinem convenire faciant; ſed ibi moras faciant, ubi juſtitia vel minùs vel negligenter facta eſt.* CII.

LXVIII Capitulum. *Ut in illius Comitis Miniſterio iidem Miſſi noſtri Placitum non teneant, qui in aliquod Miſſaticum directus eſt, donec ipſe reverſus fuerit, ut cauſa, quæ adhuc coram Comite non fuit, & is qui ſe reclamat & propter ſuam ſtultitiam aut contumaciam Comitem inde appellare noluit, iterum Comiti commendetur.* CIII.

LXIX Capitulum. *Ut Miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi, vel Abbates, vel Comites ſunt, quandiu prope ſuum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant. Poſtquàm verò inde longè receſſerint, tunc accipiant ſecundùm quod in ſua tractoria continetur. Vaſſi verò noſtri & Miniſteriales, qui Miſſi ſunt, ubicunque venerint, conjectum accipiant.* CIV.

LXX Capitulum. *Ut Vaſſi noſtri, & Vaſſi Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, qui anno præterito in hoſte non fuerunt, heribannum rewadient, exceptis his, qui propter neceſſarias cauſas & à Domno ac Genitore noſtro* CV.

AN. CH. 820. LUDOV. IMP. 7. LOTHAR. IMP. 4. PIPPINI R. 6. LUDOV. R. 4.

Karolo conſtitutæ domi dimiſſi fuerunt, id eſt, qui à Comite propter pacem conſervandam & propter conjugem ac domum ejus cuſtodiendam, & ab Epiſcopo vel Abbate vel Abbatiſſa ſimiliter propter pacem conſervandam & propter fruges colligendas & familiam conſtringendam & Miſſos recipiendos dimiſſi fuerunt.

LXXI Capitulum. *Ut omnis Epiſcopus, Abbas, & Comes, exceptâ infirmitate vel noſtrâ juſſione, nullam excuſationem habeat, quin ad Placitum Miſſorum noſtrorum veniat, aut talem Vicarium ſuum mittat, qui in omni cauſa pro illo reddere rationem poſſit.*

LXXII Capitulum. *Ut Miſſi & unuſquiſque in ſuo Miniſterio hæc Capitula relegi faciant coram populo, & nota ſint omnibus, ne aliquis excuſationem habere poſſit. Et non priùs bannum exigant à quoquam homine, donec omnibus hæc nota fiant.* Hoc Capitulum deſideratur in Codicibus, quas Baluzius conſuluit.

CVI. CVII. CVIII.

LXXIII Capitulum. *De diſpenſa Miſſorum noſtrorum, qualiter unicuique juxta ſuam qualitatem dandum vel accipiendum ſit, videlicet Epiſcopis panes quadraginta, friſinga tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii quatuor. Abbati, Comiti, atque Miniſteriali noſtro, unicuique dentur cotidie panes triginta, friſinga duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii tres. Vaſſallo panes decem & ſeptem, friſinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii duo.*

CIX.

Quæ ſuperſunt duo Capitula, LXXIV *de eo qui in aliena patria de qualibet cauſa fuerit interpellatus*, & LXXV *de ſolutione atque compoſitione*, deſiderantur in Capitulari ad hunc annum relato in editione Baluziana, ſuprâque jam à nobis ex Friderico Lindenbrogio deſcripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum [a], Imperii Ludoviciani tertium.

[a] Nn. 41. 42.

CX.

Superiori Capitulari de Miſſorum Dominicorum Legatione conjungendum nobis videtur alterum ejuſdem materiæ, quod à Stephano Baluzio publicatum eſt ex Codice San-Gallenſi, atque in undecim diſtributum Capitula ſic invenitur.

CXI.

Primum Capitulum. *De ſtatu Eccleſiæ & honore Pontificum; ut canonicè & ſecundùm juſſionem Dominorum noſtrorum vivere & converſari debeant.*

CXII.

Secundum Capitulum. *Ut Sacerdotes & Clerici* [1] *ſecundùm normam priorum Patrum vivant.*

[1] *Clericos*

CXIII.

Tertium Capitulum. *Ut tam Monachi quàm Monachæ* [2], *ubicunque fuerint, regulariter vitam degant.*

[2] *Monachas,*

CXIV.

Quartum Capitulum. *De reſtauratione Eccleſiarum, vel luminaribus* [3], *ſeu Officiis* [4] *etiam & Miſſis* [5], *necnon & ſacris* [6] *tectis, ut in quantùm poſſibilitas fuerit, per juſſionem Dominorum noſtrorum, ubi neceſſitas, reſtaurata & emendata fiant.* In hoc Capitulo, cujus ut & quorumdam aliorum barbariem adoram rejecimus, non Templorum modò, ſed etiam Luminarium, ceterarúmque rerum, quæ cùm ad divinum Officium perſolvendum, tum ad celebranda Miſſarum Solemnia neceſſariæ ſunt, inſtauratio commendatur.

[3] *Luminaria,* [4] *Officia* [5] *Miſſus* [6] *ſacristia,*

CXV.

Quintum Capitulum. *De Eccleſiis & Monaſteriis* [7] *& Xenodochiis* [8], *quæ ad mundium* [9] ſeu protectionem *Palatii pertinent aut pertinere debent; ut unuſquiſque juſtitiam Dominorum noſtrorum Regum & eorum rectum conſentiat.*

[7] *Monaſteria* [8] *Xenodochia,* [9] *mundio*

CXVI.

Sextum Capitulum. *De cauſis inlicitis conjunctionibus omnibus vel etiam ceteris nefandis rebus* [10]; *ut unuſquiſque in ſua Parrochia unà cum conſenſu & adjutorio Comitis ſui hoc pleniter ſub celeritate amputare & emendare ſtudeat. Et qui hoc facere non potuerit, ad aures piiſſimi Domini noſtri vel ejus Proceribus* [11] *hoc innoteſcat abſque tarditate, ut malum, quod perpetratum eſt, canonicè emendatum fiat.*

[10] *nefandas res*

[11] *Poſteribus*

CXVII.

Septimum Capitulum. *De viduis, & orfanis, & pauperibus, vel omnibus impotentibus, ut in eleemoſyna Dominorum noſtrorum Regum eorum juſtitiam pleniùs accipiant.*

CXVIII.

Octavum Capitulum. *De homicidiis, & perjuriis, ſacrilegiis, & falſis teſtimoniis, & hoc quod nefandum aut contrarium ſacris Canonibus* [12] *eſſe videtur;*

[12] *Canonis*

Digitized by Google

ut [13] *hoc pleniter per veſtram monitionem & per judicium Comitis emendatum fiat. Et qui hoc facere noluerit abſque tarditate auribus Præcellentiſſimi Domini noſtri vel ejus Proceribus* [14] *hoc patefaciat.* AN. CH. 820.

[13] & [14] *Poſteribus*

Nonum Capitulum. *De decimis; ut unuſquiſque ſuam decimam ad Eccleſiam offerat, ſicut mos vel ſacra conſuetudo eſſe dinoſcitur.* CXIX.

Decimum Capitulum præcipit, ut electi Epiſcopi remotâ dilatione conſecrentur ſtatim ac id canonicè fieri poteſt. Admodùm barbarè ſic effertur. *Ut illi electi, qui illos Epiſcopatos tenent, qui canonicæ eſſe poteſt, ſub celeritate ſacratos fiant.* Sic autem videtur emendandum. *Ut illi electi, qui illos Epiſcopatus tenent, qui canonicè eſſe poteſt, ſub celeritate ſacrati fiant.* CXX.

Undecimum Capitulum obſervationem præcedentium commendat phraſi valdè corruptâ, cujus ſenſum mutatis quibuſdam vocabulis ſic reſtituere conati ſumus. *Volumus quidem ut ea quæ ſuperiùs retulimus ut unuſquiſque bonum certamen exinde habeant, ſeu & de aliis cauſis quas minimè in hoc Capitulare inſeruimus, & neceſſariò* [15] *ſunt emendanda* [16], *per veſtram ſanctiſſimam monitionem emendata* [17] *fiant* [18]. *Et qui hoc facere neglexerit, ſi Sacerdos aut Clericus fuerit, ſciat ſe Canonicum ſuſtinere* [19] *ſervitium; & ſi laicus, Dominorum noſtrorum judicio & ejus Proceribus ſubjacere* [20]. CXXI.

[15] *neceſſarii*
[16] *commendandi*,
[17] *emenda*
[18] *deeſt fiant.*
[19] *ſubjacere*
[20] *ſuſtinere.*

AN. CH. 821.

ANNUS CHRISTI 821.

LUDOVICI IMP. 8. REG. 41. 16. 4.
LOTHARII IMP. 5. REG. 7.
PIPPINI III. REG. 7. 5.
LUDOVICI REG. 5.
INDICTIO 14.

LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

LUDOVICUS Imperator tres Conventus anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo celebravit, unum Aquiſgrani menſe Februario, alterum Noviomagi Kalendis Maii, tertium in Theodonis villa medio menſe Octobri. I.

De primo ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Conventus menſe Febr. Aquiſgrani habitus, & in eo de bello Liudewitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futurâ æſtate perfidorum agros per vices vaſtarent. Simili modo de Marca Hiſpanica conſtitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum eſt. Iterúmque Conventus menſe Maio Noviomagi habendus conductus eſt, Comitéſque, qui illuc venirent, deputati.* II. CONVENTUS AQUISGRAN.

Benedictus Indenſis Abbas, cùm Aquiſgrani Conventus habebatur, ibi cœpit ægrotare ſeptimo Idus Februarias, & ad ſuum poſtero die delatus eſt Monaſterium, ubi tertio eaſdem Idus obiit. Ea de re conſulendæ Monachorum Indenſium ad Ardonem literæ, quæ ſic clauduntur. *Sanctus vir uſque ad obitum ſuum in Palatio Regis pro augmento fidelium non pro terrenis rebus* III. BENEDICTUS ABB. INDENSIS ÆGROTAT AQUISGRANI.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5. DEFERTUR AD INDENSE MON.

*perſeveravit, quia juxtà erat Monaſterium in quo degebat. Ante quartum verò exitûs ſui diem adhuc ſanus omnia Imperatori, quæ ei ſolitus erat dicere, replicavit. Et in ipſa die febre correptus, ad manſionem ſuam uſque pervenit. Alterâ verò die audientes hoc omnes Magnates Imperatoris ad eum viſitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo Epiſcoporum, Abbatum, ac Monachorum, ut nobis, qui eum ibi cuſtodiebamus, vix ad eum accedere facultas eſſet, Heliſacar autem Abbas primus ad eum venit. Quintâ ſiquidem feriâ ægrotavit, in ſexta autem feria nocte miſit Imperator Tanculfum Camerarium jubens, ut eum in ipſa nocte ad Monaſterium ferremus, quem levantes ante gallorum cantum, unà cum Heliſachar, & ſuis ac noſtris hominibus primâ horâ diei ad Monaſterium deduximus, cúmque eſſet tertia diei hora, omnes à ſe exire præcepit, & uſque ad ſextam horam ſolus permanſit. Poſt hæc ingreſſus ſupradictus Abbas cum Præpoſito noſtro, percunctati ſunt quomodo ageret. Quibus ipſe reſpondit, numquam ſe tam benè fuiſſe, adjunxítque; uſque modò inter choros Sanctorum coram Domino adſtiti. In craſtina autem, fratribus ad ſe vocatis, eis monita ſalutis dedit, & tunc profeſſus eſt, quia quadraginta anni eſſent, ex quo Monachus fuerat, in quibus annis nullo die antèa panem comedit, donec Deo lacrymas funderet. In ipſa die brevem admonitionem Imperatori miſit, & alia per diverſa Monaſteria direxit. Iſdem verò Venerabilis Vir omne officium ſuum de quinque annis & duobus menſibus ante obitum ſuum, ſicut in ejus tabulis poſt ejus deceſſum reperimus, & ipſe vivens quibuſdam dixit, notatum * per ſemetipſum reliquit. Obiit autem ſeptuagenarius tertio Idus Februarii, anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo vigeſimo-primo, Indictione decimâ-quartâ, Concurrente 1, Epactâ decimâ-quartâ, anno nono Imperii Ludovici Piiſſimi Imperatoris. Poſt tertium verò diem ſepulchrum ejus aperuimus, & eum in vas lapideum, quod Imperator paraverat, mutavimus, diſcooperientes autem faciem ejus vidimus in fronte & circa oculos ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis & ita ſe habentibus, nos famuli ex Monaſterio Inda, videlicet Deidonus, Lewigildus, Bertadus, & Deſiderius, tibi Ardoni Magiſtro noſtro ſalutem in Domino optamus, petimúſque caritati tuæ, ut ſecundùm tuam ſapientiam de vita Patris noſtri Benedicti libellum componas, & eum nobis dirigas. Salutant vos omnes fratres noſtri, & vos ſalutate omnes fratres noſtros. Amen.*

* al. cantatum

IV. Ardo Preſbyter ac Monachus Anianenſis, ut rogatus à fratribus Indenſis Monaſterii fuerat, vitam Sancti Benedicti ſui quondam Abbatis ac Magiſtri conſcripſit, & ejus obitum breviter ſic attigit. *Invaleſcente ægritudine, Imperatorem familiariter alloquutus, in Monaſterio deducitur, fratribuſque valefaciens, totâ nocte orationibus pſalmodiíſque pernoctans, ipſius diei regulare officium peregit. At cùm alterius diei regulare expleret officium, & curſum perſolvere vellet, ventum eſt ad clauſulam, [juſtus es, Domine,] quem verſiculum decantans ait, deficio, & adjecit, fac cum ſervo tuo, Domine, ſecundùm miſericordiam tuam; ſícque inter verba orationis virtutibus decoratum emiſit ſpiritum. Adſunt autem ejus omnibus divitiis dulciores epiſtolæ, quas pridie, quàm migraret à ſeculo, fratribus Anianæ poſitis proprio dictavit ore, in quibus teſtatur faciem ſuam amplius non viſuros. Aiunt etiam quidam, quoniam horâ, quâ migravit ad Chriſtum, Epiſcopo Stabulo Magalonenſi obitus ejus revelatus eſt, à ſomno ſiquidem ſurgens, mox ſuis quod acciderat retulit.* Adeò pauca de obitu ſcripſit, quia ſubjunxit ipſas Indenſium Monachorum literas, quæ prolixiùs in eadem materia verſabantur. *Obitum*, inquit, *ejus curſim attigimus, quoniam fratres, qui eo tempore præſentes adfuerunt, latiùs explicati ſunt, quod ſequens demonſtrat pagina.* Eaſdem literas, quæ dè vita & obitu Sancti Benedicti inſcriptæ ſunt, citavimus ſuprà.

V. Qui poſterioribus ſeculis calamo manum admoverunt, ii ſuam vel ab Indenſibus Monachis vel ab Ardone mutuati ſunt auctoritatem, quapropter neglectis ceteris ſolas, quas allegavimus, lucubrationes, & epiſtolas ipſius Benedicti contuliſſe ſufficiet, ut nihil omnino difficultatis amputandum ſuperſit.

Digitized by Google

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5. VI. VII. VIII.

Benedictus, ut ipſemet in literis ad Georgium Abbatem Aniani Monaſterii teſtatur, cœpit ægrotare *ſeptimo Idus Februarii*, ſeu *quintâ feriâ* ut Indenſes Monachi loquuntur. Febre correptus *manſionem ſuam* repetiit. Illo die *primus ad eum venit, & cum eo ad obitum uſque perſeveravit Heliſacar Abbas.*

Nocte proximâ, quæ ſextam feriam aperuit, Imperator per Tanculfum Camerarium præcepit, ut Abbas in ipſa nocte ſuum ad Monaſterium ferretur, juſſioni paruerunt Monachi, &, quod imperatum fuerat, primâ diei horâ confecerunt, adjuvante ac comitante Heliſacharo Abbate Sam-Maximiniano jam laudato. Illo die, id eſt, ſexto Idus Februarii, factus eſt ad Indam magnus Epiſcoporum, Abbatum & Monachorum concurſus, quem Indenſes in ſuis notarunt literis.

Die craſtino ſeu Sabbati, quinto Idus Februarii, Benedictus *brevem admonitionem Imperatori miſit, & fratribus*, quos ad ſe vocavit, *monita ſalutis dedit.* Utrumque in eadem legitur epiſtola. Sed difficultas in hoc occurrit, quòd Benedictus aſſeritur tunc dixiſſe, *quia quadraginta anni eſſent, ex quo Monachus fuerat*, & in duobus Codicibus, quos Bollandus [a] à ſe viſos ait, *quadraginta octo anni* ſcribuntur. Utraque tamen lectio ſervari poteſt. Prior initium annorum quadraginta ducit ab anno ſexto poſt extinctum Longobardiæ Regnum, id eſt, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo, quo Benedictus in Burgundia ſive ex Cœnobio Sancti Sequani reverſus Cellam ad Anianum rivum in Gothia conſtruxit. Poſterior, quamvis Benedicti Monachatum repetat ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, quo Sigeſtrenſe Sancti Sequani Monaſterium ingreſſus eſt, benignâ eget interpretatione, quâ recurrendum ad annos incompletos, ut quod ſupereſt anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi ſeptuageſimi-quarti, primus annus habeatur Benedictini Monachatûs, & annus Redemptoris octingenteſimus viceſimus-primus per aliquot duntaxat hebdomadas inchoatus numeretur annus ejuſdem Monachatûs quadrageſimus-octavus. Prior lectio, quam ſecuti ſumus, poſteriori videtur præſtare.

MITTIT IMPERATORI SALUTARIA MONITA.

[a] D. 12. Febr. in not. ad vit. S. Benedicti.

IX. SCRIBIT GEORGIO ABB. ANIAN.

Die Dominico, ſive *quarto Idus Februarii*, Benedictus hanc ad Georgium Anianæ Abbatem epiſtolam dictavit. *Summæ in Chriſto beatitudinis ac felicitatis Georgio, Monaſterii Anianæ Abbati, ac cunctis filiis ac fratribus benè ac vigilanter ſub norma Patris degentibus Benedictus, ultimus omnium Abbatum Benedictus optat jam in extremis poſitus ſalutem. Super omnibus, quæ meum exurunt animum, hoc eſt, quòd de veſtro ſollicitor vitæ Regularis ordine. Nequaquam enim ignoro vos nobiliter deſudare, ac noſtri fideliter ſæpe memores, neque ullo indigos exhortationis verbo. Verumtamen in ultimis conſtitutus ignoro, utrùm jam vos videre queam. Noſtis qualiter totis, quantùm valui, niſibus, quamdiu potui, vitæ exhortationis exempla monſtravi ſollicitus veſtrûm. Nunc ergo filium Dei precor, & per ipſum teſtor, ut unanimes in caritatis nexu, illos, quos vel mecum adduxi, vel alicubi propter aliquod exemplum, aut pro re aliqua miſi, non habeatis quaſi extraneos. Sed quicumque ad vos ex illis iterum redire voluerint, & regulariter vobiſcum verſari, piè benignéque velut fratres recipite, ut decet. Deo enim gratias, non deerit vobis corporale ſubſidium. Omnibus autem generaliter, maximè verò illis, quos nobis in amicitia junctos noſtis, diligentiſſimum ſemper appendite affectum, &, ut poteſtis, aliis pauperibus, quæ ſuperſunt neceſſaria, miniſtrate. Abbati quoque Modario Sancti Tiberii auxilium, in quibus indiguerit, ferte. Et de iis & aliis veluti in vita noſtra, magis autem poſt mortem agite meam. Sicut ergo Monaſteria dudum vitiata jam aliquid emendationis à nobis accepiſſe videntur, largiente Domino; ita maximè nunc cavete, ne (quod abſit, te poſco, miſericors Deus) ſiniſtram viam ullo tempore tendant. Monaſterio verò Indæ tanquam fratribus eſtote juncti unicè. Heſizachar quoque, qui præ omnibus ſupra terram omni tempore nobis extitit amicus fideliſſimus Canonicorum, & fratres ipſius, in meo habetote ſemper loco, & ad eum ſemper ſit refugium veſtrum.*

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5. ET NIBRIDIO ARCHIEPISC. NARBON.

Sed vobis ita nunc ſuggero, quia ignoro utrùm in præſenti vos videam ſeculo. Nam ſeptimo Idus Februarii, acerbiſſimo, donante miſericordiâ, tactus verbere, nihil aliud quàm ultimum expecto diem vocationis. Sequitur additamentum, per quod Indenſes Monachi poſteris ſignificarunt quo die dictata ſit hæc epiſtola. *Juſſit hæc*, inquiunt, *Dominus Benedictus adhuc vivens quarto Idus Februarii ſcribere, & obiit tertio Idus ejuſdem menſis.* Actum ante quadriennium de Modario Sancti Tiberii Abbate in Diœceſi Agathenſi. Actum quoque non ſemel de Helizacharo Canonici Ordinis Abbate San-Maximiniano. Ceterùm eodem die quo Benedictus prædictas ad Abbatem Anianæ literas dictavit, has quoque Nibridio Metropolitæ Narbonenſi ſcribendas curavit. *Venerabili in Chriſto Patri, Nibridio Archiepiſcopo, Benedictus ultimus omnium Abbatum Abbas ſempiternæ felicitatis ſalutem opto. Eia, vir Dei, parcat modò caritas ac dilectio ſeu benevolentia, quâ ſemper modò, in quantùm potes, ſive per temetipſum ſeu familiares & amicos, necnon per omnia Monaſteria, quocumque potueris, tranſmitte, ut orationes tam in Pſalmis quàm in Miſſis pro me ad Dominum fundere non ceſſent, quia modò valdè mihi neceſſarium eſt. Scito, Pater dilecte, quia jam in extremis pugno, ad finem curro, jam anima à corpore ſeparatur, & in hac luce oculis corporeis te minimè videre ſpero. Ille, qui poteſt facere de immundo mundum, de peccatore juſtum, de impio caſtum, faciat nos pariter Regno perfrui ſempiterno, ibique cum omnibus Sanctis cantare canticum novum. Supplico, cariſſime Pater, ut ſicut mercedem habuiſti ſemper de fratribus, qui degunt in Monaſterio Aniano, ita ſemper, dum anima à corpore egredietur, meliùs ac meliùs habeatis in veſtra ſancta dilectione. Omnes illis in partibus amicos, familiares, & propinquos commendo. In Monaſterio quoque noſtro totis niſibus ſic, credo, facietis arguendo, obſecrando, increpando, ut liberâ voce cum Pſalmiſtâ aliquando dicere valeatis:* [*Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.*] *Jam omnia in caritate & diſcretione agite, vóſque Trinitas ſancta cuſtodiat, & præmia largiatur æterna. Amen.* Erat Nibridius ſeu Nifridius aut Nefridius Narbonenſis Archiepiſcopus, & ad Narbonem provinciam pertinebat Magalonenſis Diœceſis, in qua Monaſterium Anianum.

X. OBIT.

Sequenti die, ſeu tertio Idus Februarii, vel, ut ex prædictis patet, feriâ ſecundâ, rebus humanis exemptus eſt Benedictus. *Obiit autem ſeptuagenarius, tertio Idus Februarii, anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo vigeſimo-primo, Indictione decimâ-quartâ, Concurrente* 1, *Epactâ decimâ-quartâ, anno nono Imperii Ludovici Piiſſimi Imperatoris.* Omnes hi Characteres cum feriis ſuprà notatis annum Chriſti deſignant octingenteſimum viceſimum-primum, qui prædictus fuit literâ Dominicali F. In duobus manuſcriptis Codicibus, quos Bollandus legit, deſunt, Indictio, Concurrens & Epacta, quæ ſingula in prædictum annum conveniunt, Cyclo Lunæ V, Solis XVIII, literâ Dominicali F. Quod attinet ad annum Imperii Ludoviciani nonum, hæc temporis nota, ne ceteris refragari videatur, paulò fuſiùs eſt explicanda. Ludovicus à patre Carolo in conſortium Imperatoriæ dignitatis aſſumptus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio ad exitum jam urgente; patrem amiſit quinto Kalendas proximi Februarii, currente tunc anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, qui præterito menſe Decembri, octavo Kalendas Januarii, die Natali Domini cœptus fuerat. Inde duplex Imperii Ludoviciani deprehenditur epocha. Prior ſumitur à die, quo Ludovicus Imperatorii Nominis factus eſt particeps; poſterior à die, quo Carolus Auguſtus ex hac vita ſublatus eſt; utraque verò, ſi de completis annis accipitur, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo per menſem Februarium annum duntaxat octavum Ludovici Imperatoris repræſentat inchoatum ſive ab octavo Kalendas Januarii ſive à quinto Kalendas Februarii. Sed præcitatus Indenſium Monachorum textus de annis incompletis ſic intelligi debet, ut quod reſiduum eſt anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-tertii à die quo Ludovicus Imperialem Titulum geſſit, annus

Digitized by Google

Imperii primus habeatur, deinde annus Redemptoris octingenteſimus decimus-quartus numeretur annus Imperii Ludoviciani ſecundus, ſic enim per annos procedendo quod occurret initium anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi viceſimi-primi aperiet annum Imperii Ludoviciani nonum. Porrò cùm Benedictus Indenſis Abbas obiit, erat Abbas Anianæ Georgius, cui literas ipſemet Benedictus pridie ſcripſit quàm moreretur, ut obſervatum ſuprà. Erat & Magalonenſis Epiſcopus Stabilis ſeu Stabelus aut Stoebulis vel Stabellus ſive Stabulus, cujus meminit Ardo jam citatus. AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Pridie Idus Februarii ſeu poſtridie mortem ſepultus fuit Benedictus. Dies hic depoſitionis celebrior evaſit quàm dies obitûs, ideóque Sanctus Benedictus pridie Idus Februarii coli ſolet, ejúſque memoria illo die celebratur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano, necnon & in Faſtis Colonienſibus Ægidii Gelenii. *Poſt tertium diem* Indenſes Monachi, ut ipſimet ſuis in literis teſtantur, *ſepulchrum ejus* aperuerunt, *& eum in vas lapideum, quod Imperator paraverat*, mutaverunt, *diſcooperientes autem faciem ejus* viderunt *in fronte, & circa oculos ac labia ejus tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat.* XI. SEPELITUR.

Sanctus hic Benedictus author cenſetur Capitulorum, quæ pro Monaſteriis ante quadriennium in Aquiſgranenſi Conventu conſtituta ſunt. Illo de Capitulari capiendus Ardonis textus, quem ex ejuſdem beati Benedicti vita, ut occaſio poſtulabat, ad annum Redemptoris octingenteſimum decimumſeptimum allegavimus. Præter illud Capitulare quatuor eidem quoque Abbati Indenſi apud Ardonem tribuuntur opera, Compendium videlicet Regulæ, Liber ex Regulis diverſorum patrum collectus, Concordia Regularum, & Liber de virtutibus ac vitiis Monachorum. XII. EJUS SCRIPTA.

Ardo Compendium Regulæ ſic laudat. *Propter plurimorum indiſcretum fervorem & quorumdam ineptum teporem minúſque capacem ſenſum, optimum conſtituit terminum, Ordinemque obſervandum cunctis tradidit, illos retrahens ne ſuperflua peterent, his imperans ut torporem excuterent, alios nihilominùs admonens ut ſaltem juſſa implere expeterent. Denique multa Regula implere jubet, ſed permulta ſunt quæ uſus explere quotidianus expetit, ipſa tamen reticet, ex quibus omnibus habitus Monachi veluti gemmis ornatur, & ſine quibus diſſolutus ac fluxus incompoſitúſque eſſe probatur. Nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter obſervantiam honeſtatis, ſeu propter conſiderationem fragilitatis commutantur. Quapropter piæ recordationis Venerabilis Abbas, quæque obſervanda comperit, abſque ulla cunctatione vel excuſationis fuco implere decrevit. Ea verò, quæ certis pro cauſis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inſpexit, nihilominùs prout rectiùs, & ſecundùm poſſe locíque poſitionem decere cognovit, ſuis obſervanda diſcipulis tradidit: ſi qua nempe minùs lucidè pagina Regulæ pandit aut omnino ſilet, rationabiliter aptéque inſtituit atque ſupplevit, de quibus ope divinâ adjutus pauca relatu perſtringam. Primitus ſiquidem quàm ſignum horis nocturnis pulſetur, in fratrum dormitorium ſquillam tangere juſſit, ut prius Monachorum Congregatio orationibus fulti propria reſiderent per loca, tunc demùm Eccleſiæ oſtiis patefactis hoſpitibus pateret ingreſſus. Surgentes verò concitè, juxta quod Regula præcipit, fratres aquis ſe ſanctificatis perfundant, & cuncta Altaria humiliter & cum reverentia percurrant, ſic demùm ad propria loca accedant, ſintque parati, ut cùm tertium pulſaverit ſignum, abſque mora ſurgentes, attonitis auribus Sacerdotem expectent, qui officium incipiendi ſortitus eſt, nec cuiquam liceat per hoc ſpatium per angulos Eccleſiæ ſiſtere, eorum ſcilicet quibus ingredi juſſum eſt, ſed in Choro ſedentes inſtituti ſecretè concinant Pſalmos. Pſalmos autem cantare juſſit quinque pro omnibus fidelibus in toto terrarum Orbe vivis, quinque etiam pro omnibus fidelibus defunctis; pro eis quoque qui nuper defuncti ſunt qui ad notitiam ſingulariter noſtram * pervenerunt, ut jugiter canerentur inſtituit nihilominùs quinque. Decurſis verò Pſalmis quinque, pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit Deo commendans, & tunc demùm pro aliis rogaturus initium ſumat. Nec* XIII.

* Edit. cauſa pervenit

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

pigritandum eſt pro certò defixíſque Pſalmodiis æterno Regi, demerſo in terram corpore, ſupplicare, cùm Potentibus ad ſingula verba non revereatur quis inflectere caput, maximéque quia hoc modo gratia provocetur divina, & compunctionis ſuſcitetur fervor. Tempore ſiquidem æſtatis poſt expletum Matutinorum Officium, mox egredi ab Eccleſia propter ſomnolentiam juſſit, ſeſéque calceantes lotis faciebus denuò ad Eccleſiam concitè redeant, & juxta præfatum ordinem Altaria cum reverentia circumeant, ſanctíſque ſe aquis perfundant, & ſic deinceps ad loca ſibi conſtituta accedant, diurnum expleturi recitare honeſtè Officium, quæ Officia juxta Romanum ..... ſintque parati, ut pulſato ſigno horæ Primæ, mox ad Chorum occurrant, ſignum autem ita prolixè tangere juſſit, ut omnes illo ſonante occurrant, illo ceſſante Sacerdos incipiat horam. Expletâ Primâ, in unum aggregati ſolvant Capitulum, quo expleto, cum ſilentio aut Pſalmos decantando exeant ad opus ſibi injunctum: in Monaſterio quoque remanentes non fabulis occupentur otioſis, ſed bini & bini, aut certè ſinguli, in coquina, in piſtrino, in cellario, Pſalmos canant. Poſt Completorium verò inſtituit, ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur aut moretur in Oratorio, ſed hyemis tempore decem priùs canant Pſalmos, æſtate verò quinque, ſícque pulſato ſigno omnes pariter juxta præfatum modum Altaria cuncta circumeant, & ſic ad lecta ſua ſinguli pauſaturi accedant; in his tribus per diem vicibus circumire cuncta præcepit Altaria, & ad primum ex eis Orationem Dominicam dicant & Symbolum, ceteris Orationem Dominicam, vel ſua confiteantur delicta. Diurnis autem Orationum horis ad ſuum quiſque accedat oraturus locum, ſi autem peculiariter ſibi vult orare, quibuſcumque vacat horis, licenter peragat. Has igitur tres ideo conſtituit Orationis vices, ut hi, qui torpore pigreſcunt & orare faſtidiunt, ſaltem compulſi agant, quæ libenter nolunt, & conſtitutas non præſumant relinquere horas, hi verò qui nimiùm ſuccenduntur amore, ne cetera indiſcretè petant, retrahantur. Sic enim accidere ſolet, ut nimiis vigiliis alterantur unius noctis indiſcretione, horis autem, quibus divinis Pſalmodiis eſſe intentum oportet, præoccupati ſomno non valeant divinum exſolvere penſum. In habitu quoque diſſimiles fecerat multorum conſuetudo, ſiquidem nonnullis uſque ad talos tuculæ pendebant. Quamobrem vir Dei uniformem cunctis tenendum Monachis inſtituit modum, ut non ampliùs à duobus cubitis excederet menſura, vel uſque ad genua pertingere poſſent. Conceſſit etiam neceſſitatis causâ, præterquàm Regula jubet, duas ſcilicet ſtamineas & femoralia, pelliceas quoque & tegumenta eorum, cappas duas & quæcumque neceſſaria proſpexit; ut omnem amputaret occaſionis ambagem, tribuit & conceſſit. Oſtendit quoque per ſcripturam Imperatori rationem de his quæ jubet Regula, ſed certis ex cauſis intacta remanent, & de his quæ illa prorſus reticuit ſed utiliter ſupplentur. Omne quippe deſiderium ſuum in obſervationem Regulæ converterat, ſuumque hoc permaximè erat ſtudium, ut nihil intellectui ejus excederet, quam ab cauſam quos peritos eſſe compererat; attentè ſciſcitabatur circà longéque poſitos, eos etiam qui iſtis in partibus ad Montem Caſinum accederent, veluti qui non audita ſolummodo ſed viſa perciperent; ob quam dilectionem intelligentiæ cùm quiſlibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter ſuſcipiens ſummâ reverentiâ aiebat, necdum poſſe occultos ſenſus Regulæ noſſe, & cùm cunctis non dicam tironibus, ſed ipſis ſapientibus ipſe eam elucidaverit, nova & inaudita ſe non tantùm à peritis verùm etiam à ſimplicioribus recepiſſe fatebatur.

XIV. Has Benedicti Abbatis Indenſis Conſtitutiones plerique confundunt cum Regula, cui apud Antonium Yepezium Titulus eſt, *Cærimoniale Ordinis*; apud Hugonem Menardum, *Memoriale, qualiter in Monaſterio converſandum ſit*; apud Arnoldum Wionem, *Ordo Monaſterii*; apud alios, *Ordo, qualiter fratribus in Monaſterio religioſè ac ſtudioſè converſari ac Domino militare oportet*; apud Benedictum Haeftenum, *Ordo converſationis Monaſticæ*, necnon & *Diarium Monaſticum*, quia *ordinatâ ſerie omnia nocturna & diurna Officia explicat, & Monachum è lecto noctu ſurgentem per omnes diei horas & quotidiana exercitia deducit, & ad eundem veſperi rectà reducit.* Hoc Diarium in duodecim ab Haefteno capita diſtributum ac notis illuſtratum reperitur in Appendice ad

Diſquiſi-

Diſquiſitiones Monaſticas. Auctor operis hodie controvertitur. Aliis enim eſt Sanctus Benedictus Abbas Caſinenſis, aliis Sanctus Benedictus Indenſis Abbas. Neutra nobis opinio placet, ratis etiam illud Diarium à præcitato Ardonis textu multùm diſcrepare. Singula per ordinem capita deſcribemus, conferemúſque cum ſcriptis Sancti Benedicti Caſinenſis & Ardonis, ut aſſertioni noſtræ potior inde fides habeatur. AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Primum caput eſt de nocturnis Vigiliis. *In primis, nocturnis horis, cùm ad opus Divinum de lecto ſurrexerit frater, primùm ſibi ſanctæ Crucis ſignum imponat per invocationem Sanctæ Trinitatis; deinde dicat Verſum,* [*Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam;*] *deinde Pſalmum,* [*Deus in adjutorium,*] *& compleatur totus, cum* [*gloria Patri.*] *Tunc provideat frater corporeæ neceſſitatem naturæ, & ſic ad Oratorium feſtinet, pſallendo Pſalmum,* [*Ad te, Domine, levavi animam meam,*] *qui Pſalmus compleatur totus cum* [*gloria Patri.*] *cum ſumma reverentia & cautela intrans, ne alios orantes impediat. Et profectus in locum congruum effundat preces in conſpectu Domini magis corde quàm ore, ita ut illius vox vicinior ſit Deo, quàm ſibi. Et tunc referat gratias Deo, dicendo ita. Gratias tibi ago, Omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire, deprecor immenſam Clementiam tuam, ut concedas mihi venturum diem ſic peragere in tuo ſervitio cum humilitate & diſcretione, quatenus tibi complaceam. Tunc omnes ſint parati, ſtantes in loco ſuo in Choro per ordinem, ut cùm ſignum noviſſimum ceſſaverit, cum ſumma humilitate & honeſtate referant laudes Deo in conſpectu Angelorum. Et, ſi fortè alicui frequens tuſſis aut phlegma evenerit, aut ex pectore aut ex naribus excreſceret, poſt dorſum projiciat aut juxta latus. Caveat autem curiosè, ut infirmis fratribus non vertatur in nauſeam; & ſemper quod ſpuitur pede conculcetur, ut dum ad orationem curritur, veſtimenta eorum non ſordidentur, & infra Eccleſiam, & omni loco, & conventu, ſeu in porticu, hoc obſervetur, ut quod ſpuitur pedibus conculcetur.* At apud Ardonem longè diverſa leguntur in textu ſuprà citato. Benedictus Abbas Indenſis ſurgentibus ad nocturnas Vigilias Monachis preces alias præſcribit, ſtatuitque ut priuſquàm officium incipiatur, cuncta percurrant Altaria, deinde in Choro ſedentes, ſinguli ſuis in locis, ſecretè quindecim Pſalmos recitent, id eſt, Pſalmos Graduales, quos Haeftenus ex hac Benedicti Indenſis auctoritate multis temporibus in Ordine Benedictino receptiſſimos probat, allegatis Cluniacenſium Conſuetudinibus, Statutis Sancti Dunſtani, & Notis Petri Boerii ad caput nonum Regulæ Benedictinæ, quamvis non deeſſent, qui ritum illum improbarent, atque inter hos Auctor Epiſtolæ ad fratres de Monte Dei, ſic. *In præveniendis nocturnis Vigiliis non expedit multitudine Pſalmorum obtundere intellectum, & exhaurire ſpiritum vel extinguere. Sed quamdiu ſobrius invenitur, pietati afficiendus eſt, & ſuo itinere dirigendus ad Deum, donec dilatato corde currere incipiat uſque ad finem operis Dei.* Ut autem primum Diarii Monaſtici caput, de quo nobis hîc ſermo, multùm differt à Sancti Benedicti Abbatis Indenſis Conſtitutionibus, quas Ardo breviter exponit in ejus vita, ſic & multùm diſcrepat à Regula [a] Sancti Benedicti Caſinenſis Abbatis, hic enim Pſalmum nonageſimum-quartum ſeu *Venite exultemus*, præcipit *omnino protrahendo morosè dici*, ut qui finito eodem Pſalmo venerit ad Vigilias, is negligentiæ pœnitentiam ſuſtineat, *quod locum vix haberet*, inquit Haeftenus, *ſi antequàm noviſſimum ceſſaret ſignum*, Monachi *variis & ſibi congruis diſperſi locis, magis corde quàm ore, ut hîc*, in Diario nempe Monaſtico, *præſcribitur, preces effunderent.* [a] Cap. 43.

Secundum caput eſt de intervallo poſt nocturnas Vigilias & de matutinis Laudibus. *Poſt expletionem verò nocturnæ Laudis, in illo intervallo ſummum ſilentium fiat, tam in voce quàm in inceſſu, ſine ſono alicujus rei, ut liceat unicuique ſine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, & veniam & remiſſionem pro ipſis flendo Deum poſtulare. Cùm verò inchoante Auroræ diei ſignum inſonuerit, omnes feſtinent cum humilitate cordis, quaſi ad Deum clamantes, ac mi-* XV. XVI.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

sericordiâ sibi placabilem factum matutinis Laudibus promptâ voluntate, vocum modulis, nec nimis productè, nec multùm correptè, cum summa gravitate & honestate officium persolvere divinum. Ex hac autem matutina Laude summum & præcipuum fiat silentium in orando & legendo. Auctor hujus Diarii, Vigilias, seu Matutinum ut hodie loquimur, nocturnam Laudem vocat, quas verò Laudes appellamus, matutinas Laudes dicit, eaſdémque Laudes Ardo Matutinorum officium, Benedictus Caſinenſis Abbas Matutinos nuncupat. Ardo nihil ad intervallum poſt Vigilias, nihil ad matutinas Laudes obſervat; quid autem Benedictus Indenſis Abbas poſt illas Laudes æſtivo tempore faciendum imperarit, in hunc ſubjungit modum. *Tempore ſiquidem æſtatis, poſt expletum Matutinorum officium, mox egredi ab Eccleſia propter ſomnolentiam juſſit.* Hoc autem loco rurſus inter ſe diſſentiunt Ardo & Auctor Diarii, ille interſtitium, quod à Laudibus ad Primam intercedit, ſomno capiendo indulget, hic *in orando & legendo* vult inſumi, quibus exercitiis Sanctus Benedictus Caſinenſis Abbas aliud interſtitium à Vigiliis uſque ad Matutinos ſive uſque ad Laudes devovet, unde iterum colligimus eundem Benedictum Abbatem Caſinenſem non eſſe Auctorem Diarii Monaſtici. Ut hæc tibi clariora fiant, lege Regulam Benedictinam capite octavo ſexque proximè ſequentibus, ſimúlque confer quæ Tomo primo [a] ſcripſimus ad illa capita.

[a] Ad an. 544. nn. 23. & ſeqq.

XVII. Tertium Diarii caput inſcribitur de Prima, Capitulo, & Culpis. *Convenientes verò ad Primam, dum completur ipſum officium, ante Pſalmum quinquageſimum donent confeſſiones ſuas viciſſim, pariter ſupplici voto eorum certatim pro ſe orantes. Hoc expleto veniant omnes ad Capitulum, & converſi ad Orientem ſalutent Crucem, & ceteris fratribus ſe undique humilient, ſimilitérque faciant in omni Conventu. Poſt recitata nomina Sanctorum, quorum feſta craſtina dies excipiet, ſurgentes pariter dicant Verſum,* [*Pretioſa in conſpectu Domini,*] *quem ſequatur Oratio à Priore, deinde Verſus* [*Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me feſtina,*] *tribus vicibus, & ſubjungent,* [*Gloria Patri & Filio.*] *Surgentes iterum dicant Verſum,* [*Reſpice, Domine, in ſervos tuos*] *uſque in finem Pſalmi, ſubjungentes,* [*Gloria Patri*] *humiliter. Poſt hunc Verſum ſequatur Oratio à Priore,* [*dirigere & ſanctificare.*] *Poſt hæc qui culpabilis eſt veniam poſtulet, & ſecundùm modum culpæ, vindictam recipiat. Et tam in Clauſtro quàm in quolibet Conventu vel loco veniam poſtulet frater ante Dominum Abbatem, vel Præpoſitum, aut Decanum, aut quemlibet alium de Senioribus. Cùm enim ille Senior dixerit. Quæ eſt cauſa? Frater ille, qui veniam poſtulat, primum omnium reſpondeat, mea culpa, Domine. Si verò aliud quodcumque dixerit, judicetur exinde culpabilis. Poſteà dicatur à Domno Abbate vel ceteris, à quibus obedientia eſt facienda, quidquid eſt neceſſarium, & utile fuerit in communi Monaſterii. Frater verò, qui veniam poſtulat pro culpa, quantò plùs ſe humiliat, & ſe culpabilem aſſerit, tantò miſericordiùs & leviùs à Priore judicetur: neceſſe eſt enim ut omnes negligentias noſtras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis, in præſenti vita per humilem confeſſionem & humilitatem ſemper indicemus, ut non poſt mortem nos reos faciant.* In hoc tertio capite Capitulum interpretare locum Capitularem, in quem Monachi poſt Officium Primæ conveniunt, ut ante quadriennium [b] ad Decreta ſexageſimum-nonum & ſeptuageſimum Conventûs Aquiſgranenſis obſervavimus. Indictum habes tempus Capituli, poſt Primam. *Convenientes fratres ad Primam, dum completur ipſum Officium,* ut Venetum habet exemplar, vel potius ut alia quæ magis ſequaris, *poſtquàm completum fuerit ipſum Officium, ante Pſalmum quinquageſimum donent confeſſiones ſuas viciſſim, pariter ſupplici voto eorum certatim pro ſe orantes,* id eſt, hinc inde dicant, *Confiteor;* & in fine addant Pſalmum quinquageſimum, *Miſerere mei, Deus,* &c. *Hoc expleto, veniant omnes ad Capitulum.* Quid in illo ſit agendum loco, textus exponit proximè deſcriptus, cui Conventus Aquiſgranenſis quibuſdam in rebus ſimilis eſt, in aliis nequaquam. In Aquiſgranenſi Conventu, Lectio cùm Martyrologii tum Regulæ commendatur, in Diario

[b] Ad an. 817. nn. 224. 225.

Digitized by Google

Monaſtico ſola Lectio Martyrologii. Deinde in eodem Diario ſequitur præparatio ad laborem per Verſum, *Deus, in adjutorium meum intende*, &c. de qua nullum verbum in Decreto Aquiſgranenſi. Denique Diarium Monaſticum accuſationem culparum, & impoſitionem pœnitentiæ rebus accenſet agendis in Capitulo, nullam autem mentionem illarum facit Conventus Aquiſgranenſis. Ardo in vita Sancti Benedicti Indenſis Abbatis ſcribit tantùm, ut Monachi *expletâ Primâ in unum aggregati ſolvant Capitulum*, nihil autem addit de rebus, quas agere debeant in eodem Capitulo. AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R 5.

Quartum Diarii caput eſt de labore & reditu ad Oratorium. *Surgentes à Capitulo, atque ad opera exeuntes, ſimul omnes circumſtantes dicant Verſum*, [*Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me feſtina*,] *ſubjungendo*, [*Gloria Patri*] *& Orationem Dominicam, flectentes genua. Poſt Orationem Dominicam dicat Prior* [*Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*,] *& reſpondentibus omnibus*, [*qui fecit cælum & terram*,] *vadant omnes ſimul aut ſeparatim ad opus injunctum ſibi, cuſtodientes ſilentium; decantent Pſalmos, aut* [*Pater noſter*,] *aut bini, aut ſinguli, juxta quod congruum eſt, nihil aliud loquentes, niſi fortè de ipsâ arte neceſſarium fuerit dicere, quod dicatur cautè. Cùm ad opus divinum horis Canonicis auditum fuerit ſignum, ſicut continet Regula, relinquant ſtatim quidquid in manibus eſt, ſic tamen ut non pereat. Et tunc conveniant ſimul omnes ad oſtium Oratorii, aut certè ſint parati ad obedientiam, & dicant Verſum*, [*Benedictus es, Domine Deus, quia adjuviſti me, & conſolatus es me*,] *tribus vicibus, Priore tantùm incipiente, ſubjungentes* [*Gloria Patri*,] *flectentes genua. Oratione autem completâ ſurgant, & dicat Prior*, [*Miſereatur noſtri Omnipotens Deus*,] *& reſpondeant omnes. Amen. A Calendis Octobris uſque ad Paſcha tertiâ horâ hoc faciant; à Paſcha autem uſque ad Calendas Octobris hoc horâ ſextâ & nonâ fiat.* Hic textus in illis verbis, *ſicut continet Regula*, reſpicit ad Regulam Benedictinam, cujus caput quadrageſimum-tertium ſic inchoatur. *Ad horam divini Officii, mox ut auditum fuerit ſignum, relictis omnibus qualibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur.* Diarium igitur Monaſticum præcipit ſecundùm Regulam Benedictinam, ut Monachi, *cùm ad opus divinum horis Canonicis auditum fuerit ſignum, relinquant ſtatim quicquid in manibus eſt*, addit autem hanc clauſulam, *ſic tamen ut non pereat*, quæ certè non videtur incongrua. Lege in Regula Benedictina caput duodequinquageſimum, quod *de opere manuum quotidiano* inſcribitur, ſimúlque confer prædictum de eodem opere manuum quotidiano, cùm *à Calendis Octobris uſque ad Paſcha*, tum *à Paſcha uſque ad Calendas Octobris*, factâ enim collatione facilè deprehendes Auctorem iſtius Diarii alium fuiſſe à Sancto Benedicto Abbate Caſinenſi. Benedictus Indenſis Abbas apud Ardonem præcipit, ut Monachi Capitulo *expleto, cum ſilentio aut Pſalmos decantando exeant ad opus ſibi injunctum*, nec aliud habet quod ad hoc caput pertineat. XVIII.

Quintum Diarii caput eſt de ſilentio in Templo, de mutua compellatione, & de juramento non proferendo. *Omni tempore in Eccleſia ſummum ſilentium teneatur, excepto hoc quod ad aures Dei pertinet. Et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, ſed, ſicut decet, ſeniores minores ſuos Fratres nominent, juniores verò ſeniores ſuos Nonnos, quod eſt paterna reverentia. Abbas verò Domnus & Pater vocetur. Juramentum aliud nullus proferat, niſi, crede mihi, quod in Evangelio Joannis 4 cap. legimus mulieri Samaritanæ Dominum affirmaſſe, aut planè S. Auguſtinum legimus ſæpè teſtificatum fuiſſe, aut certè, aut ſanè, quod eſt Monachorum aſſuetudo affirmandi.* Multa huic capiti conformia reperiuntur in Regula Benedictina. Lege caput quinquageſimum-ſecundum de ſilentio ſervando in Oratorio Monaſterii, quod enim Oratorium Sanctus Benedictus in ſua Regula, Eccleſiam Auctor Diarii vocat. Lege & caput ſexageſimum-tertium, in quo ſic idem Legiſlator *de ordine Congregationis* ſtatuit. *Juniores priores ſuos honorent; priores minores ſuos diligant. In ipſa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare no-* XIX.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

mine ; ſed priores juniores ſuos fratres nominent ; juniores autem priores ſuos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Chriſti creditur agere, Domnus & Abbas vocetur, non ſuâ aſſumptione, ſed honore & amore Chriſti. Præterea capite quarto inter inſtrumenta bonorum operum, quæ Monacho conveniunt, illud refert articulo viceſimo-ſeptimo, *non jurare ne forte perjuret.*

XX. Sextum Diarii caput eſt de increpatione & obedientia. *Si frater increpatur à priore qualibet de cauſa, aut ab alio quolibet, aut certè à minore reprehenditur pro aliqua re, ſtatim cum ſumma velocitate in faciem ſuam cadens veniam poſtulet, quia hæc humilitas Deo exhibetur non homini, &, ſi ex corde fiat, indulgentiam promerebitur. Oportet autem ante omnia, ut obedientes ſibi invicem ſint, & ipſa obedientia, ſi recto corde omnino Deo offertur, ipſa eſt quæ ducit ad vitam ; citius enim exanditur una oratio obedientis, quàm decem mille contemnentis. Cùm verò ſibi obviant fratres, ubique dicat junior ſeniori inclinato capite, benedicite. Si junior ſedeat, tranſeunte ſeniore, ſurgat ; ſi ſenior voluerit ſedere, junior tamen, niſi juſſus, non ſedeat, juxta Regulam. Si deprehenſus fuerit frater aliquis invidiam vel iram aliquam modicam aut triſtitiam in corde retinere, ſtatim corripiatur ut emendetur, & quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies pœniteat, &, ſi humiliter reſponderit, & veniam poſtulaverit, cum venia judicetur. Cùm autem Domnus Abbas, aut certè quis ex ſenioribus alicui ex fratribus aliquod opus præceperit, ſuſcipiat junior cum ſumma honeſtate jubentis imperium, ſicut Regula docet, & ſit auris parata ad audiendum, ac ſi divinitus dicatur, ſint pedes recti, manus expedita ad faciendum opus, & humiliato capite dicat, benedicite. Similiter, cùm iterum juſſerit, ita faciat. Egredientes de domo aut de conventu dicant, benedicite, etiamſi ſolus ſit, quia Dominus ubique præſens eſt, unicuique poſtulanti paratus reddere rationem. Si aliquid in Cellario, vel Refectorio, vel coquina, vel quolibet alio loco, frater neglexerit, ſtatim ſine ulla mora currat ad veniam poſtulandam. Et, ſi talis eſt res quam neglexerit, manu teneat, in terram proſtratus, veniam poſtulando de eo quod egerit.* Multa huic quoque capiti conformia leguntur in Regula Benedictina. Capite ſeptuageſimo-primo. *Obedientia bonum non ſolùm Abbati exhibendum eſt ab omnibus, ſed etiam ſibi invicem ita obediant fratres, ſcientes per hanc obedientiæ viam ſe ituros ad Deum.* Eodem capite. *Si quis frater pro quavis minima cauſa ab Abbate vel à quocumque priore ſuo corripitur quolibet modo, vel ſi leviter ſenſerit animum prioris cujuſcumque contra ſe iratum vel commotum, quamvis modicè, mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes ejus jaceat ſatisfaciens, uſquedum benedictione ſanetur illa commotio.* Capite ſexageſimo-tertio. *Ubicumque ſibi obviant fratres, junior à priore benedictionem petat. Tranſeunte majore, minor ſurgat, & det ei locum ſedendi ; nec præſumat junior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus, ut fiat quod ſcriptum eſt ; [honore invicem prævenientes.]* Capite quadrageſimo-ſexto. *Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit ubi ubi, & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem, ipſe ultrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum ; dum per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi.*

XXI. Septimum Diarii caput eſt de ſermone cum laicis, de diſcurſu per Monaſterium, & de proprio non habendo. *Caveant à ſeculari & ſuperfluo riſu, & de frequenti locutione cum amicis ſecularibus. Et, ſi neceſſe fuerit, ubi aliter eſſe non poterit, non loquatur ſolus cum ſeculari, niſi præſentibus & audientibus aliis fratribus, de quorum fide certa ſit fiducia ; & hoc maximè in juvenibus obſervetur. Mens enim, quæ Deo ſervire cupit, ſecularium locutionem & converſationem contemnere & derelinquere debet. Non vadant infra Monaſterium paſſim ubicumque voluerint, niſi obedientia uniuſcujuſque exigat, vel licentiam impetraverint. Nullum opus, etiamſi bonum videatur, ſine juſſione agere præſumant, nihil dare aut accipere ſine juſſione Abbatis, nec habere proprium, niſi quod Abbas*

Digitized by Google

dederit aut permiſerit. Non debet aliud unicuique in cibo vel potu vel veſtimento dari, quàm Regula præcipit; qui autem plùs habere deſiderat, occaſionem contra ſe occulti hoſtis noſtri excitare non pertimeſcit. Textus Regulæ Benedictinæ, quibuſcum hunc locum Diarii Monaſtici conferas, paucis indicabimus. Capite quarto, Sanctus Benedictus inter inſtrumenta bonorum operum ponit, *verba vana aut riſui apta non loqui, & riſum multum aut excuſſum non amare.* Capite ſexto, *verba riſum moventia, æternâ clauſurâ in omnibus locis* damnat. Capite undequinquageſimo, *cum voluntate Abbatis omnia agenda* dicit, vetátque capite ſexageſimo-ſeptimo, *quidpiam, quamvis parvum, ſine Abbatis juſſione facere.* Capite triceſimo-tertio prohibet, *ne quis præſumat aliquid dare aut accipere ſine juſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino.* Agit quoque de menſura ciborum capite triceſimo-nono, de menſura potûs capite quadrageſimo, & de veſtimentis capite quinquageſimo-quinto. Quod attinet ad veſtimenta, Sanctus Benedictus Indenſis Abbas non Regulam Sancti Benedicti Caſinenſis ſed Aquiſgranenſe Decretum ſecutus videtur, idque non obſcurè patet, ſi textus Ardonis, qui vitam ejuſdem Indenſis Abbatis in literas retulit, cum viceſimo-ſecundo Conventûs Aquiſgranenſis Decreto conferatur. Atque inde rurſum colligimus Diarium Monaſticum, de quo loquimur, ut non à Sancto Benedicto Abbate Caſinenſi, ſic nec à Sancto Benedicto Indenſi Abbate compoſitum fuiſſe.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Octavum Diarii caput eſt de correptione fraterna. *Nullus alii aliquod præteritum vel turpe peccatum improperet. Si ſenior viderit juniorem delinquere, corripiat eum inter ſe & ipſum ſolum, ſemel, ſecundò, & tertiò de levioribus tantùm culpis, quia de aliquibus gravibus culpis, ſi continget opere perpetrari, ſtatim emendetur ſecundùm Regulam. Et qui alium vult caſtigare, leniter ſolidare ſtudeat, ſecundùm qualitatem neglecti, quia ſæpè frangitur deteriùs membri fractura, quæ incautè ligatur. Pro immundis verò cogitationibus, & nocivis, vel ineptis locutionibus ſemper ad Confeſſionem recurratur. Humiliter ſibi invicem reſpondeant fratres.* In capite ſeptimo Regulæ Benedictinæ, *undecimus humilitatis gradus eſt, ſi, cùm loquitur Monachus, leniter & ſine riſu, humiliter & cum gravitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non ſit clamoſus in voce.* XXII.

Nonum Diarii caput. *Horâ Canonicâ, audito ſigno, citò ad Oratorium recurratur. Et non contendant de aliquo, &, ſi contigerit, qui priùs tacuerit, ſapientior reputetur. Ante horam vel poſt horam nihil cibi recipiant, exceptis infirmis & infantibus, quorum imbecillitas à Priore,* (vel, ut quædam editiones habent, *ab Abbate*) *conſideranda eſt. Non detrahat quis, aut detrahenti conſentiat. Pacem ſint ſeminantes inter ſe fratres, non diſcordiam. Secularium fabulæ longè ſint ab eis. Certis horis ſtatutis non negligant opera manuum agere, quia virtus eſt animæ & corporis. Ceteris autem horis Lectioni vacent. Et, ſi fieri poſſit, in uno loco aut in Claustro ſedeant, ut invicem ſe videntes coarctentur, & ſub ſilentio legant. Et ne alius ad alium jungatur, niſi neceſſitas expoſcat, idipſum tamen ſine inquietudine alterius fiat.* In hoc capite multæ ſunt Sanctiones. Primò, præcipitur maxima cum feſtinatione reditus ad Oratorium, audito cujuſpiam horæ Canonicæ ſigno. Lege quartum ejuſdem Diarii caput ſuprà deſcriptum [a], & Regulam Sancti Benedicti Caſinenſis Abbatis ad illud caput allegatam. Secundò prohibetur contentio. Sanctus Benedictus capite quarto ſuæ Regulæ inter inſtrumenta bonorum operum ponit loco ſexageſimo-ſexto, *contentionem non amare*, & capite ſeptuageſimo-tertio ſtatuit, ut *ſi quis contentioſus reperitur corripiatur.* Tertiò cibus ante vel poſt horam ſtatutam ſeu Canonicam interdicitur. *Ne quis*, inquit Sanctus Benedictus capite quadrageſimo-tertio, *præſumat ante ſtatutam horam, vel poſteà, quidquam cibi vel potûs ſumere.* Et capite triceſimo-tertio ſenes infantéſque ſic excipit. *Licèt ipſa natura trahatur ad miſericordiam in hîs ætatibus, ſenum videlicet & infantum, tamen & Regula auctoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nulla-* XXIII.

[a] Num. 18.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

tenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, & præveniant horas Canonicas. Auctor Diarii senes omittit, eorúmque loco ponit infirmos, sed qui senes sunt, iidem & infirmis ob ætatem suam meritò possunt accenseri. Quartò vetatur detractio. Præivit Sanctus Benedictus, capite enim quarto suæ Regulæ inter bonorum operum instrumenta quadragesimo loco recensuit *non esse detractorem.* Quintò, pax inter fratres commendatur, & inter instrumenta bonorum operum illud in Regula Benedictina [a] reperitur vicesimo-sexto loco, *caritatem non derelinquere.* Sextò, secularium interdicuntur fabulæ, ut *verba vana* capite quarto Regulæ Benedictinæ. Septimò, labor manuum & Lectio statutis horis imperantur. Lege caput duodequinquagesimum Regulæ Benedictinæ, quod in eadem materia totum versatur. Ex eo solam duntaxat hanc periodum accipe. *Ante omnia sanè deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres Lectioni, & videant ne forte inveniatur frater accidiosus, qui vacet otio aut fabulis, & non sit intentus Lectioni; & non solùm sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat,* id est, auferat, seu subducat à Lectione. Tales Monasterii circumitores *Circa* dicti reperiuntur & *Circatores.* Horum non meminit Auctor Diarii, quia Lectionem vult ab omnibus fratribus in uno loco fieri, eâque Sanctione Sancto Benedicto Abbate Casinensi recentiorem se prodit.

[a] Cap. 4.

XXIV. Decimum Diarii caput. *Æstivo tempore post prandium, unusquisque ad proprium lectum* * *pergat cum summa cautela, & sine alterius perturbatione aut legat aut dormiat. Nullus ex fratribus suum aliquid dicat, aut rem aliquam, aut membrum corporis, sed semper nostrum. Hoc solum oportet dicere proprium, mea culpa. Omnia quæ Deus donat nobis communia esse debent, peccatum verò non commune, quia ex nostra fragilitate est. Providendum magnoperè est, ut jussum Domni Abbatis de quacumque re impleatur sollicitè, quia hæc eadem obedientia si rectè perficitur, non illi ministratur qui præcipit, sed Deo qui videt. Et, si fortè negligatur (quod absit) qui deliquerit corde vel opere, citò ad indulgentiam postulandam recurrat. Quando in Choro ad psallendum stant, consonâ voce & corde psallant. Et illi incipiant Versum qui præ ceteris utiliùs possunt, ut ad primam aut secundam syllabam ceteri convenire possint juvenculi pronuntiantes voce.* In hoc capite quatuor sunt articuli. Primus agit de rebus post prandium peragendis, videtúrque sumptus ex capite duodequinquagesimo Regulæ Benedictinæ. *Post sextam surgentes à mensa pausent in lectis suis cum omni silentio, aut fortè qui voluerit legere sibi sic legat, ut alium non inquietet.* Propter hæc verba, *in lectis suis*, retinuimus in textu Diarii vocem hanc, *lectum*, & ad oram rejecimus vocem, *locum*, quæ legitur in editione Veneta. Secundus articulus vetat ne Monachus quidpiam suum esse dicat. Id quoque reperitur in Regula Benedictina, capite tricesimo-tertio. *Omnia omnibus sint communia, ut scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat.* Tertius articulus est de Obedientia, quam Sanctus quoque Benedictus capite quinto suæ Regulæ plurimùm commendat. Quartus articulus est de Psalmodia, describitúrque penè totus ex Regula [b] Sanctorum Pauli & Stephani, quæ recentior est Benedictinâ.

* *locum*

[b] Cap. 5.

XXV. Undecimum Diarii caput est de refectione, cibo & potu. *Ad horam verò refectionis, post expletionem,* id est, expleto Sextæ vel Nonæ Officio, *expectent in Ecclesia, psallentes in Choro. Cùm audierint cymbalum, ordinatè & sine ullo strepitu festinent lotis manibus introire Refectorium, salutantes Crucem versis vultibus ad Orientem, & sedeant omnes ad mensam singuli ordine suo cum omni silentio, nullúsque præsumat quidquam accipere cibi aut potûs ante Dominum Abbatem, ipse autem Abbas non tardet accipere. Cùm autem accipit panem, dicat frater fratri, benedicite, & respondeant, Dominus; & similiter faciant de potu cùm primùm biberint. De ceteris pulmentis, quæ tunc in mensa sunt, non est necesse amplius benedictionem petere. Et antequàm incipiant cibum sumere, petat Lector benedictionem, & incipiat legere, & sicut docet Regula, nullius vox ibi audiatur,*

Digitized by Google

niſi ſolius legentis, niſi fortè pro ædificatione aliquid breviùs dicatur. Poſteà verò quidquid pulmentarii ex coquina miniſtratur, qui miniſtrat, à noviſſimo incipiat, & uſque ad Domnum Abbatem miniſtrando perveniat, & tunc ſonent cymbalum tacitè, & dicant fratres, benedicite, æquâ voce & productè. Datâ benedictione in communi, expectent (ſicut jam diximus) ut Abbas priùs accipiat, poſteà ſinguli, dicentes, benedicite. Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud quidquam, non ſedendo ſed ſtando benedicant. Si autem cum talibus mixtum fuerit, Cellerarius faciat modicè ſignum ad miniſtrum, & ſtatim ſurgant juvenculi ad miſcendum, & lotos calices impleant potu æquâ menſura, & ſtent ordinati ut ſunt converſi. Tunc Cellerarius iterum ſonet cymbalum tacitè, & dicant fratres unâ voce productè, benedicite. Et datâ benedictione à Priore, frater junior qui dat calicem in manu ſedentis, caput inclinet humiliter. Cùm verò impletum fuerit opus miſcendi, inclinet ſe in circuitu ad omnes fratres, ſic quoque ad menſas ſuas. Poma autem & quælibet naſcentia terræ quæ cruda ſunt, ſive horâ prandii ſive cœnæ, æqualiter cum alio cibo in menſa antequàm fratres veniant aut ſedeant, à Cellerario unicuique fratri partiantur. Et ſtatim poſt alium cibum, illa ad menſam adjuncta comedantur. Quo expleto ſtatim ſiniatur Lectio. Et ſurgentes à menſa, dicto Verſu, ſiniſter Chorus exeat prior ordinatè, dexter verò poſterior, noviſſimè autem Domnus Abbas, pſallentes Pſalmum quinquageſimum diſtinctè, & non feſtinanter. Cùm introierint Oratorium, pſallentes inclinent ſe uſque ad Gloriam. Ad Gloriam verò flectant genua, & poſt Orationem Dominicam ſurgentes vadant cum ſilentio ſecundùm quod tempori congruit. In Regula Benedictina nihil occurrit huic capiti conforme, præter ſilentium ad menſam capite duodequadrageſimo ſic præſcriptum. *Summum fiat ſilentium ad menſam, ut nullius muſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis, ibi audiatur. Nec præſumat ibi aliquis de ipſa Lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occaſio; niſi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breviter dicere.* Quæcunque autem in capite Diarii Monaſtici proximè recitato memorantur de Abbate cum Monachis vel comedente in Refectorio vel inde exeunte, plurimùm diſcrepant à capite quinquageſimo-ſexto Regulæ Benedictinæ, quod inſcribitur *de menſa Abbatis*, & eandem Abbatis menſam à communi fratrum menſa ſic diſtinguit. *Menſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quotiens tamen minùs ſunt hoſpites, quos vult de fratribus vocare in ipſius ſit poteſtate. Seniores autem unum aut duos ſemper cum fratribus dimittendos procuret propter diſciplinam.* Hæc differentia facilè ſuadet Regulam Benedictinam & Diarium Monaſticum non eſſe fœtum unius ejuſdem Legiſlatoris.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Duodecimum hujus Diarii caput eſt de Lectione Collationis, de Completorio & Dormitione. *Poſt Veſperas autem horâ competenti, facto ſigno omnes conveniant in Capitulo, & legatur Scriptura quæ ædificet audientes, quantùm hora permittit, ſicut præcipit Regula. Et finitâ Lectione ſurgant omnes pariter, & ipſe dicat Dominus Abbas*; [*Adjutorium noſtrum in Nomine Domini,*] *& omnes reſpondeant,* [*qui fecit cœlum & terram.*] *Et rectè cum ſilentio & reverentia intrent ad Completorium, & orent cum intentione mentis, & dent confeſſiones ſuas ad alterutrum, & ſic incipiant Completorium. Expleto verò Officio ſummum ſilentium teneant: & ore & corde fiant orationes ſecretæ, & recordatio peccatorum cum gemitu, & lacrymis, & fletu, ſine ſuſpirio, ita ut nullus alii noceat. Tunc agant gratias Deo, ita referendo. Gratias tibi ago, Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die per tuam ſanctam miſericordiam cuſtodire, concede, quæſo, mihi hanc noctem mundo corde & ſano corpore ſic tranſire, quatenus tuæ gratum tibi ſervitium exſolvere poſſim. Et ſic cum magna cautela vadant ad dormitorium, & dum ad proprium lectum redierit frater, dum ſe collocat, dicat Pſalmum, Deus in adjutorium meum intende, totum cum Gloria Patri. Et poſteà dicat Verſum, pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Et ſic muniat ſe ſigno venerabili ſanctæ Crucis, & dormiat in Domino. Amen.* Sanctus Benedictus capite quadrageſimo-ſecundo ſuæ Regulæ multa præſcribit huic

XXVI.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

capiti conformia. *Omni tempore, ſive jejunii, ſive prandii, ſi tempus fuerit prandii, mox ut ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes. Si autem jejunii dies fuerit, dictâ Veſperâ, parvo intervallo mox accedant ad Lectionem Collationum ut diximus, & lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantùm hora permittit, omnibus in unum occurrentibus, per hanc moram Lectionis, ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus occurrat. Omnes ergo in unum poſiti compleant, & exeuntes à Completorio nulla ſit licentia denuò cuiquam loqui aliud.* In ultimo Diarii capite, de quo nunc agimus, Monachi *dant confeſſiones ſuas ad alterutrum*, ut capite quarto *donant confeſſiones ſuas viciſſim*, id eſt, hinc inde dicunt, *confiteor*. Cetera non egent interpretatione. Sanctus Benedictus Indenſis Abbas *poſt Completorium inſtituit ut non pro libita quis voluntate aut egrediatur aut moretur in Oratorio, ſed hyemis tempore decem priùs canant Pſalmos, æſtate verò quinque, ſicque pulſato ſigno omnes pariter juxta præfatum modum*, qui nimirum ante Vigilias & ante Primam præſcribitur, *Altaria circumeant, & ſic ad lecta ſua ſinguli pauſaturi accedant. In his tribus per diem vicibus*, nempe ante Vigilias, ante Primam, & poſt Completorium, *circumire cuncta præcepit Altaria, & ad primum ex eis Orationem Dominicam dicant & Symbolum, ceteris Orationem Dominicam, vel ſua confiteantur delicta.* Hæc apud Ardonem leguntur, abſunt autem cùm à Regula Benedictina tum à Diario Monaſtico.

XXVII. Quamvis hoc Diarium nec Sancto Benedicto Abbati Caſinenſi nec Sancto Benedicto Indenſi Abbati tribuendum cenſeamus, noſtris tamen Annalibus inſerere placuit, quia ſapit antiquitatem, reperitúrque laudatum ac citatum à pleriſque, ſeu Benedictinum Ordinem reformarent, ſeu peculiares Congregationes inſtituerent.

XXVIII. Præter Compendium Regulæ, de quo ſuprà, Sanctus Benedictus Indenſis Abbas, ut in ejus vita teſtatur Ardo, *fecit librum ex Regulis diverſorum Patrum collectum, ita ut prior*, ſive excellentior, *Beati Benedicti Regula cunctis eſſet, quem omni tempore ad Collectam matutinam legere juſſit.* Ad hunc locum ſic commentatur Hugo Menardus. *An iſte liber adhuc extet, non mihi compertum eſt. In Teſtamento Sancti Gennadii Epiſcopi Aſturicenſis* * *inter libros, qui ab eo dantur Monaſterio Sancti Petri de montibus, recenſetur liber Regularum virorum illuſtrium. Qui an idem ſit cum eo, qui à noſtro Benedicto collectus eſt, non adeò conſtat.* Reverendiſſimus atque Illuſtriſſimus Dominus Fabius Chiſius, Neritonenſis * tunc Epiſcopus, cùm ad tractum Inferioris Rheni ſub Urbano Octavo Papa Nuncium ageret Apoſtolicum, Coloniæ Codicem *titulo Benedicti Abbatis Anianenſis*, qui & Indenſis, prænotatum reperit apud Canonicos Regulares domûs Beatæ Virginis, ac longo pòſt annorum intervallo, cùm Innocentio Decimo Papæ jam ſucceſſiſſet dictus Alexander Septimus, Apographum communicavit cum Luca Holſtenio Vaticanæ Baſilicæ Canonico & Bibliothecæ Præfecto, qui typis edendum curavit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, publicavitque eidem Alexandro Septimo ſic inſcriptum. *Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII Pont. Opt. Max. Codicem antiquum Regularum Monaſticarum ante annos octingentos à S. Benedicto Anianenſi Abbate collectum, & ab ipſo Fabio Chiſio Neritinorum tunc Epiſcopo, & apud Ubios Apoſtolico Apocriſario, ex veteri Colonienſi manuſcripto Codice accuratè deſcriptum, & collatum nunc bono publico typis editum cum humillimo Pedum oſculo offert, dat, dicat, conſecrat, Sedis Apoſtolicæ obſequiis deditiſſimus Lucas Holſtenius.* Imus in ſententiam Holſtenii, & librum illum non alium exiſtimamus ab eo, quem Benedictus Anianenſis Abbas *ex Regulis diverſorum Patrum* collegit, ideóque non poſſumus non probare titulum, qui præfixus ab eodem Holſtenio ſic legitur. *Codex Regularum, quas Sancti Patres Monachis & Virginibus Sanctimonialibus ſervandas præſcripſere, collectus olim à S. Benedicto Anianenſi Abbate.* Codex ille tres diſtinguitur in partes, quarum unaquæque plures Regulas complectitur.

* d'Aſtorga.

* de Nardo.

In

In prima parte ſunt Sanctorum Patrum Orientalium Regulæ ad Monachos; Regula Sancti Antonii Abbatis in Thebaide; Præcepta ſeu Conſilia Sancti Abbatis Iſaiæ poſita tironibus in Monachatu; Regula Sanctorum Patrum, Serapionis, Macarii, Paphnutii, & alterius Macarii; altera Regula Sanctorum Patrum; tertia Regula Sanctorum Patrum; Regula Sancti Macarii Nitrienſis Abbatis; Regula Sancti Pachomii Tabennenſis Abbatis; Epiſtolæ Sanctorum, Pachomii videlicet jam laudati, & Theodori Preſbyteri; Doctrina Monaſtica Sancti Orſieſii Tabennenſis Abbatis; Regula Orientalis ſeu Patrum Orientalium, ex Patrum ſcilicet Orientalium Regulis à Vigilio Diacono collecta; Regula Sancti Baſilii Cæſareenſis in Cappadocia Epiſcopi. Tot è Regulis in Oriente conditis vix duas ad noſtros Annales pertinere cognovimus; unam Sancti Macarii Nitrienſis Abbatis, Tomo primo [a]; alteram Sancti Baſilii Cæſareenſis Epiſcopi, Tomo tertio [b]; quia regnantibus Meroveadis Monachi Reomaenſes in Diœceſi Lingonenſi ſub Regula Sancti Macarii diu vixerunt, & Sanctus Giſlenus, cujus obitum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo [c] conſignavimus, Regulam Sancti Baſilii, quam in Græcia profeſſus fuerat, à ſuis diſcipulis in Francia voluit obſervari.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5. XXIX.

[a] Ad an. 496. nn. 114. & ſeqq.
[b] Ad an. 651. nn. 7. & ſeqq.
[c] Num. 26.

In altera Codicis parte ſunt Sanctorum Patrum Occidentalium Regulæ ad Monachos; Regula Sancti Benedicti Caſinenſis Abbatis; Conſenſoria Monachorum Incerti Auctoris; alia Regula Incerti quoque Auctoris; Regula Sanctorum Abbatum Pauli & Stephani; Regula Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi; Regula Sancti Aureliani Arelatenſis etiam Epiſcopi; Regula Sancti Ferreoli Ucetienſis Epiſcopi; Regula Sancti Columbani Luxovienſis Abbatis; Regula Monaſterii Tarnatenſis; Regula Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi; Regula Sancti Fructuoſi Bracarenſis Epiſcopi; ejuſdem Sancti Fructuoſi Regula Monaſtica communis; Regula cujuſdam Patris; Regula Magiſtri; Regula Grimlaici Preſbyteri. Pleraſque, quia viguerunt in Monaſteriis Francorum, ut res poſtulavit, Annalibus noſtris inſeruimus, Regulam Sancti Benedicti Caſinenſis Abbatis, Tomo primo, ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-quartum [d], quo Beatus Mautus ejus diſcipulus Monachos apud Glannafolium ad Ligerim in Diœceſi Andegavenſi congregare cœpit; Regulam Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, eodem Tomo, ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum [e], quo maximam Galliæ Narbonenſis partem Francis Oſtrogothi ceſſerunt; Regulam Sancti Aureliani Arelatenſis etiam Epiſcopi, eodem quoque Tomo, ad annum Chriſti quingenteſimum duodequinquageſimum [f], quo florebat idem Aurelianus Epiſcopus; Regulam Sancti Ferreoli Ucetienſis Epiſcopi, eodem Tomo, ad annum Chriſti quingenteſimum duodeſexageſimum [g], quo multa de eodem Sancto Ferreolo & Cœnobio Ferriolacenſi ſcripſimus; Regulam Sancti Columbani Luxovienſis Abbatis, Tomo ſecundo, ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum [h], quo locum, cui nomen Anagrates, idem Beatus Columbanus reliquit, & Luxovium perrexit; Regulam Monaſterii Tarnatenſis, ſive Agaunenſis, Tomo primo, ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum [i], quo Tarnadæ oppidum, quod & Agaunum plerique vocant, Oſtrogothis ultrò cedentibus in Francorum poteſtatem devenit. Ceteras omiſimus, quia vel non pertinebant ad noſtrum inſtitutum, vel dubium erat an ad illud pertinerent. Auctores Conſenſoriæ ſubſequentiſque Regulæ penitus ignorantur. Ætatem ac patriam Sanctorum Abbatum Pauli & Stephani nemo prodit. Obſervatas in Francia non legimus Regulas, quas Cœnobiis in Hiſpania ſitis præſcripſerunt Sanctiſſimi Epiſcopi, Iſidorus Hiſpalenſis & Fructuoſus Bracarenſis, ſive, ut Hugo Menardus contendit, Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Sanctus Fructuoſus Epiſcopus Bracarenſis, & alter Sanctus Fructuoſus Abbas Conſtantinæ. Auctor Regulæ, cui titulus Regula cujuſdam Patris, planè neſci-

XXX.

[d] Nn. 3. & ſeqq.
[e] Nn. 123. & ſeqq.
[f] Nn. 11. & ſeqq.
[g] Nn. 6. & ſeqq.
[h] Nn. 38. & ſeqq.
[i] Nn. 199. & ſeqq.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

tur. Regula Magiſtri ſic appellatur, quia in ea Diſcipulus interrogat, & Magiſter reſpondet; eidem Menardo videtur compoſita vel à Gallo vel ab Anglo in Galliis aliquandiu morato temporibus Clodovei Secundi Regis Francorum; ſapit quidem Gallicum idiotiſmum, habétque vocabula quædam à Gallis uſitata, numquam tamen aut apud Gallos aut apud Francos viguit, idque ſatis patet ex capite nonageſimo-quarto, quod eſt de Abbatis electione. Diſcipulus ſic interrogat. *Si ſubitò Abbas moriatur, quo ordine de incertis fratribus Abbas alius conſtituatur, cùm ſe vivo nullum deſignaverit meliorem, & dum ſubita eum mors perurſerit.* Reſpondet Magiſter. *Repentinum humanitatis caſum conſiderantes, & adventum, ut aſſolet, ſubitæ mortis, hoc de incertis inveniendum ad ordinationem convenienter taxavimus, ut de incertis certa poſſit ratio inveniri. Cùm ergo ſuperiùs diximus diverſorum Monaſteriorum conſuſos debere eſſe gradus, & nullum certum redhibere de honore ſecundorum, cùm ergo non judicaverit Abbas vivens poſt ſe ordinandum, quem ceteris probaverit meliorem, qui ſi ſubitò migret ad Dominum, reſpondemus quid; ne cùm unuſquiſque de ſe ſuo judicio ſucceſſionem præſumens, univerſos in ſeditionem exagitet, & ſtudioſam partibus pugnam ſcandali domum pacis faciat in contentionem converti. Ideo hoc decernimus, ut judicio Pontificis ipſius territorii & Cleri quæratur Abbas Sanctiſſimus, qui acceptam hanc Regulam ſupra hanc Congregationem ad vicem prioris defuncti, ſupra omnes fratres triginta habitet diebus, & ipſe conſideret ſecundùm hujus Regulæ conſtituta, quis ſuperior de omnibus obſervantiâ poterit inveniri. Qui ergo Abbas triceſimo die coram illo Sacerdote vel Clero per ſacroſancta jurans Evangelia dicat ſe à nullo promiſſionibus vel adulationibus eſſe redemptum, ſed in cauſam Dei quam invenerit integrè pandere. Mox verò ſtante ante eum omni Congregatione ſubitò apprehendat ejus manum, quem invenit in omnibus meliorem, in omni obſervantia mandatorum Dei, vel Regulæ conſtituta, & tunc demùm in eo, ab illo Pontifice vel Clero ipſius territorii, ſecundùm hujus Regulæ conſtituta, ut ſuperiùs diximus, Primatûs ordinatio celebretur.* Talis electionis nullum apud Francos veſtigium. Quod attinet ad Grimlaicum, qui Regulam Solitariorum edidit, nihil de illo ſcriptum repetimus.

XXXI. In tertia Codicis parte ſunt Sanctorum Patrum Regulæ ad Virgines; Regula Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi; Regula Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi; Regula Sancti Aureliani Arelatenſis etiam Epiſcopi; Regula Sancti Donati Epiſcopi Veſontionenſis; Regula cujuſdam Patris; Regula Sancti Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi; Regula Beati Aelredi Rievallenſis Abbatis. Inſertas noſtris Annalibus invenies; Regulam Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, Tomo primo, ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum [a], quo conferendam illam cenſuimus cum Tarnatenſi; Regulam Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, eodem Tomo, ad eundem annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum [b], quo civitas Arelatenſis parere Francis cœpit; Regulam Sancti Aureliani Arelatenſis etiam Epiſcopi, eodem quoque Tomo, ad annum Chriſti quingenteſimum duodequinquageſimum [c], quo utramque ejuſdem Sancti Aureliani Regulam, unam ad Monachos, alteram ad Virgines, ſimul comparavimus; Regulam Sancti Donati Veſontionenſis Epiſcopi, Tomo ſecundo, ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-quintum [d], quo Remenſem Synodum idem Sanctus Donatus cum aliis quadraginta Præſulibus celebravit. Omiſimus Regulam cujuſdam Patris, quia nomen, ætatem, ac patriam Auctoris deprehendere nondum potuimus. Omiſimus & Regulam Sancti Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, quia pro Monialibus in Hiſpania degentibus condita fuit, nec ad Annales Francorum pertinet. Quod ſpectat ad Regulam Aelredi Rievallenſis Abbatis in Eboracenſi Diœceſi, miramur illam ab Holſtenio recitari, prædictus enim Aelredus Davidi Scotorum Regi familiariſſimus fuit, & multis poſt Benedictum Anianenſem Abbatem ſeculis vixit, nec id ipſemet Holſtenius diffitetur allegato Centuriatoris Angli textu, quem ejuſdem Aelredi Regulæ præfixum

[a] Nn. 213. & ſeqq.

[b] Nn. 46. & ſeqq.

[c] Nn. 11. & ſeqq.

[d] Nn. 67. & ſeqq.

Digitized by Google

conſule. Sanctorum igitur Patrum pervetuſtis ad Virgines Regulis, ex quarum Collectione Sanctus Benedictus Anianenſis Abbas librum fecit, Regula Beati Aelredi Rievallenſis Abbatis adjecta eſt à recentiore Tranſcriptore, qui Lucam Holſtenium decepit, & Lectores, niſi caverint, in errorem facilè trahet. AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Ardo, poſtquàm *librum ex Regulis diverſorum Patrum* à Benedicto Anianenſi Abbate *collectum* laudavit, ad alium tranſit cui nomen Concordia Regularum. *Rurſus*, inquit, *ut oſtenderet contentioſis nulla frivola caſſáque à Beato Benedicto* Caſinenſi *edita fore, ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam, alium collectis Regularum ſententiis compoſuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit; ita dumtaxat, ut Beati Benedicti præcederet ſententia, ei verò rationabiliter convenientes jungerentur deinceps.* XXXII.

Hugo Menardus hunc librum è Bibliotheca Floriacenſi primus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodequadrageſimo publicavit, & præter notas, quibus unumquodque caput illuſtravit, inſtar præfationis Diſſertationem præpoſuit *de hujus Concordiæ Regulis earúmque Auctoribus*. Sunt autem Regulæ omnino ſex ac viginti; Regula Sancti Benedicti Caſinenſis Abbatis; Regula Sancti Pachomii Tabennenſis Abbatis; Doctrina Monaſtica Sancti Orſieſii Tabennenſis Abbatis; Regula Orientalis ſeu Patrum Orientalium, ex Patrum ſcilicet Orientalium Regulis à Vigilio Diacono collecta; Regula Sancti Macarii, ſeu Regula Sanctorum Patrum, Serapionis, Macarii, Paphnutii, & alterius Macarii; item Regula Sancti Macarii Nitrienſis Abbatis; Regula Sanctorum Patrum; altera Regula Sanctorum Patrum; tertia Regula Sanctorum Patrum; Regula Sancti Baſilii Cæſareenſis Epiſcopi; Regula Sancti Hieronymi, ſive Epiſtola quam Sanctus Hieronymus Regulæ Sancti Pachomii præfixit; Regula Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, ſive Epiſtola Sancti Auguſtini centeſima nona Sanctimonialibus inſcripta, quam propoſito ſuo Sanctus Benedictus Anianenſis Abbas accommodavit fœmininis nominibus in maſculina commutatis; Regula Caſſiani Abbatis; Regula Sanctorum Abbatum Pauli & Stephani; Regula Monaſterii Tarnatenſis; Regula Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi; Regula Sancti Aureliani Arelatenſis etiam Epiſcopi; Regula Sancti Ferreoli Ucetienſis Epiſcopi; Regula Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi; Regula Sancti Fructuoſi Bacarenſis Epiſcopi; Regula alterius Sancti Fructuoſi Abbatis Conſtantinæ; Regula Sancti Columbani Luxovienſis Abbatis; Regula Sancti Donati Veſontionenſis Epiſcopi, quam ſuo quoque propoſito Benedictus Anianenſis Abbas accommodavit fœmininis nominibus in maſculina transformatis; Regula Magiſtri; Regula cujuſdam Patris; altera Regula cujuſdam Patris. In tanto Regularum numero duæ tantùm occurrunt, Regula videlicet Sancti Hieronymi & Regula Caſſiani, quarum nulla mentio fit in libro, quem Benedictus Anianenſis Abbas *ex Regulis diverſorum* Patrum collegit. Regulam omiſimus Sancti Hieronymi, ne videremur extra limites Annalium noſtrorum divagari. De Regula verò Caſſiani diſſeruimus Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimumſextum [a] quo Maſſilia, ubi Caſſianus Monaſterium Sancti Victoris erexit, in Francorum poteſtatem cum maxima provinciæ Narbonenſis parte primùm venit. XXXIII.

[a] Nn. 12. & ſeqq.

Præter libros ſuprà laudatos, Benedictus Anianenſis Abbas, ut Ardo ſubjungit, *alium nihilominùs ex Sanctorum Doctorum Homiliis, quæ in exhortationem Monachorum ſunt prælata, connexit librum, eúmque omni tempore in Veſpertinis Collectis legere juſſit.* Hic liber poſt Regularum Codicem, inſtar Appendicis, ex duobus manuſcriptis Codicibus Chriſtinæ Sereniſſimæ Suecorum Reginæ publicatus eſt ab Holſtenio cum hoc titulo. *Codicis Regularum Appendix, in qua Sanctorum Patrum exhortationes ad Monachos & Virgines de obſervantia Vitæ Religioſæ, collectæ olim à S. Benedicto Anianenſi Abbate.* XXXIV.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5. XXXV. In hac Appendice varia ſunt Opuſcula Sanctorum Patrum paræneticа; Sancti Athanaſii Epiſcopi Alexandrini liber de obſervationibus Monachorum; ejuſdem Sancti Athanaſii Exhortatio ad Sponſam Chriſti; Sancti Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi Admonitio ad Filium Spiritualem; Evagrii Monachi Sententiæ ad fratres, qui habitant in Cœnobiis & in Xenodochiis; ejuſdem Evagrii Sententiæ ad Virgines; Fauſti Lerinenſis Abbatis, Reienſis pòſt Epiſcopi, Sermones quatuor ad Monachos; Sancti Eucherii Monachi Lerinenſis, Lugdunenſis pòſt Epiſcopi, Exhortatio ad Monachos, Sententia ad eoſdem Monachos, & Admonitio ad Virgines; Sancti Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis Epiſtolæ duæ ad Cæſariam Abbatiſſam ejúſque Congregationem, & alia hortatoria ad Virginem Deo dedicatam; Novati Catholici Sententia de humilitate & obedientia; Sancti Paulini Nolani Epiſcopi Reſponſio ad Monachos de pœnitentia; Eutropii Abbatis Epiſtola de diſtrictione Monachorum; incerti Auctoris Sermones duo de decem Virginibus. Nullus è tot Scriptoribus in Francia vixit, excepto Sancto Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, qui florebat anno Chriſti quingenteſimo tricesimo-ſexto, cùm Franci ditiones ſuas Arelato & magnâ parte provinciæ Narbonenſis auxerunt, vitámque clauſit anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſecundo, ut ad illos annos probatum Tomo primo.

XXXVI. Inter Acta vetera, quæ Stephanus Baluzius poſt Notas ad Capitularia publicavit, è Codice San-Gallenſi prodiit [a] *excerptus diverſarum modus pœnitentiarum à Benedicto* Anianenſi ſive Indenſi *Abbate diſtinctus de Regula Sancti Benedicti* Caſinenſis *Abbatis*, ſic.

[a] Act. 11.

XXXVII. *Plurimi nequaquam pleniter intelligentes judiciorum ſententias in Regula Sancti Patris noſtri Benedicti, aliter quàm præcepit judicare ſolent. Sciendum itaque eſt quatuor ibi contineri modos, quibus delinquentium error corrigitur.*

XXXVIII. *Primus namque eſt, quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit. Ut eſt. Qui per negligentiam tempore conſtituto ad nocturnos non pulſaverit ſignum, unde in Oratorio ſatisfieri jubet. Et qui ad Officium divinum tardè occurrerit; & qui per negligentiam horâ refectionis ad menſam. Et ſi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit. Et ſi quis, dum pronunciat Pſalmum aut Lectionem, fefellerit. Et qui pro aliqua arte extollitur.*

XXXIX. *Secundus eſt de ſpiritalibus rebus. Unde ipſe dicit. Si quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, vel in aliquo, id eſt, ſpiritali tantùm, contrarius exiſtens Sanctæ Regulæ. Qui proficiendo uſque ad ſeptem gradus extenditur. Occultè videlicet caſtigando, publicè corripiendo, in levioribus culpis excommunicando, in jejuniis nimiis affligendo, verberibus coercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum de Monaſterio expellendo.*

XL. *Tertius de rebus exterioribus. Hoc eſt. Si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit Monaſterio.*

XLI. *Quartus de criminalibus delictis.*

XLII. *De primo ſciendum eſt, quòd nullatenus aliter, niſi juxta quod Regula jubet, fieri debet, hoc eſt, non alienum ſed proprium eſt judicium ponendum.*

XLIII. *De ſecundo ſollicitè conſiderandum, quia non omnibus perſonis ſuprascripti gradus conveniri poterunt, quia aliter corrigendi ſunt honeſti, aliter improbi. Nam Regula præcipit de contumacia, ut ſecretè ſemel aut bis ammoneatur. Et alibi dicit. Si contumax fuerit, de Monaſterio expellatur. Neceſſe eſt ergo, ut juſto moderamine utrumque decernatur, qualiter ſecundùm Regulam & contumax ſecretè moneri poſſit & de Monaſterio expelli. Ille namque ſecretè eſt ammonendus, quia licèt aliquid à Priore imperatum refutans, mox tamen emendatus emendationem promittens, qui & honeſtus jure dici poterit. Et ille de Monaſterio expellendus, qui & contumax exiſtit, & nullo unquam pacto adquieſcit ſuſcipere diſciplinam, quem omnino contumacem Regula vocat, unde & meritò improbus eſt dicendus. Quamquam & improbum illum etiam vocet, qui, licèt frequenter corripiatur, diſciplinæ tamen Regulari contradicit: qui honeſtatem, quam priùs dum ſe emendare profitens*

Digitized by Google

habere videbatur, relinquens ad improbam durámque mentem transit. Neque, ut AN. CH.
suprà dictum est, omnibus personis omnes gradus conveniri poterunt, quia videli- 821.
cet diversæ sunt qualitates mentium, unde unus medetur, inde alter perimitur. LUDOV.
Quapropter quorundam verberibus sunt coercendæ personæ; minimè verò quorun- IMP. 8.
dam, de quorum qualitatibus Regula dicit. Secundùm uniuscujusque, inquit, qua- LOTHAR.
litatem vel intelligentiam omnibus se conformet & aptet. Itémque alibi. Ut vide- IMP. 5.
rit cuique expedire, prudenter & cum caritate studeat amputare vitia. Et notan- PIPPINI
dum tria inspicienda semper in judicio esse, personam videlicet, intentionem, at- R. 7.
que modum delicti. Personam, utrùm intellectu & modestiâ vigeat, vel duritiâ LUDOV.
& inquietudine mentis contradictor existat. Intentionem, utrùm studio an infirmi- R. 5.
tate deliquerit. Modum, utrùm graviter vel certè leviter erraverit, unde & Regula dicit. Secundùm modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Igitur omnis spiritaliter delinquens tamdiu secretè moneri debet, donec seipsum ipse improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum. In qua publica correptione si non emendaverit, ad excommunicationem leviorum culparum transibit. Ubi cùm diutiùs nequiverit corrigi, nimiùm jejuniorum maceratione affligatur. Per quam non correptus si persona extiterit talis, flagellorum coerceatur acredine. Sin verò personæ non admiserit consideratio, communiter ab omnibus misericordia imploretur Omnipotentis. Quòd si nec isto modo sanatus fuerit, præcidatur à corpore Monasterii. Et si contigerit ut per negligentiam, dum aut in occulto aut in publico ammonetur, aliquid damni Monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundùm modum culpæ; & peractâ pœnitentiâ iterum revertatur ad id ubi priùs tenebatur. Et non solùm dum verbis monetur, verùm etiam si aliquo ex supradictis gradu deprimatur. Primus Capitulus est XXII. (lege XXIII.) Ibi omnes gradus inveniri valent. Secundus verò Capitulus est de pueris, minore qualiter ætate corripiantur. XXX. Ubi facilè patet quod in vicesimo-tertio scriptum est. Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur. In fine videlicet capitis XXX, ubi dicit. Hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acriùs verberibus coerceantur, ut sanentur. Hunc sequitur XXVIII, de his qui sapiùs correpti emendare noluerint, ubi similiter septem prædicti gradus inserti sunt. Ut hæc tibi clariora fiant, consule quæ citantur Regulæ Benedictinæ capita, vicesimum-tertium, vicesimum-octavum, & tricesimum.

De tertio autem modo judiciorum, sicut suprà dispositum est, de damno cujuslibet XLIV.
rei exteriori est intelligendum, ubi solummodo animadvertendum, si negligentiâ interveniente damnum extiterit factum. Tunc secundùm modum delicti, & personam, & intentionem, levioris culpæ judicium subjacebit. In quo modo continetur quicquid in Regula invenitur, sive gravissimæ vindictæ subjaceat, seu graviori, seu regulari; seu excommunicetur, seu excommunicationi subjaceat. Præter hoc, quod in quibusdam locis invenitur, districtiori disciplinæ subjaceat. Quod quidam ita intelligi volunt, ut si occultè aut publicè verbis monebatur, in eodem gradu acriùs corripiatur.

Quartus quoque modus, ut prædictum est, de capitalibus criminibus constat, XLV.
fornicatione videlicet, adulterio, atque ebrietate assiduâ, ceteríque, quæ nullo modo nisi pœnitentiâ corporali secundùm auctoritatem canonicam purgantur. In quibus & modus, necnon & persona, atque intentio, semper inspicienda sunt. Ubi pariter quoque Sanctorum Patrum institutio sollicitè est perpendenda.

Huc usque de Sancto Benedicto Indensi Abbate, qui migravit ad Domi- XLVI.
num mense Februario, cùm apud Aquisgranum Conventus habebatur, ubi CAPITULA-
condita videntur duodecim Capitula, quæ quartum Capitularium librum RE AQUIS-
apud Ansegisum aperiunt. Opinioni nostræ plurimùm favet Capitulum sex- GRANENSE.
tum, in quo Ludovicus Augustus Placiti meminit *ante proximum quinquennium in Compendio* habiti, nempe anno Redemptoris octingentesimo decimosexto, sic enim Annalista Laureshamensis ad illum annum. *Imperator Compendium Palatium petiit. Ibi cùm moraretur, Legatos Abotritorum, & de Hispania Legatos Abdirachman filii Abulaz Regis ad se missos suscepit. Completisque*

AN. CH. 821. *ibi* XX *vel eo amplius diebus Aquaſgrani ad hyemandum reverſus eſt.* Hæc ad Chronologiam. De ſingulis Capitulis nunc agendum.

LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Primum Capitulum. *Si ſervi per contumaciam collectâ multitudine alicui vim intulerint, id eſt, aut homicidium, aut incendium, aut qualiumcunque rerum direptiones fecerint, Domini, quorum negligentiâ hoc evenit, pro eo quòd eos conſtringere noluerunt, ut talia facere non auderent, bannum noſtrum, id eſt,* LX *ſolid. ſolvere cogantur.*

XLVII. XLVIII. XLIX.

Secundum Capitulum. *De rebus ſive mancipiis, quæ dicuntur à fiſco noſtro eſſe occupata, volumus ut Miſſi noſtri inquiſitionem faciant ſine ſacramento per veraciores homines pagi illius circà manentes; & quicquid de hac cauſa verius ac certius inveſtigare potuerint, ad noſtram faciant pervenire notitiam, ut nos tunc definiamus, quicquid nobis juſtum eſſe videatur.*

Tertium Capitulum. *Si ſervi, vel Eccleſiaſtici, vel quorumlibet liberorum hominum, in fiſcum noſtrum confugerint, & à Dominis vel Advocatis eorum repetiti fuerint, ſi Actor fiſci noſtri intellexerit, quòd eos juſtè non poſſit tenere ad noſtrum dominium, ejiciat illos de eodem fiſco. Et poſtquam ab eiſdem repetitoribus fuerint recepti, habeat cum eis legitimam actionem; & ſic eos, ſi poterit, ad noſtram evindicet poſſeſſionem.*

L. Quartum Capitulum. *De Vaſſis noſtris, qui ad Marcham noſtram conſtituti ſunt cuſtodiendam, aut in longinquis regionibus ſua habent beneficia, vel res proprias, vel etiam nobis aſſiduè in Palatio noſtro ſerviunt, & ideo non poſſunt aſſidua cuſtodire Placita; quam rem volumus ut Miſſi noſtri vel Comes nobis notam faciant, & nos faciemus ut ad eorum Placita veniant.*

LI. Quintum Capitulum. *Volumus ut Comites qui ad cuſtodiam maritimam deputati ſunt, quicunque ex eis in ſuo miniſterio reſidet, de juſtitia facienda ſe non excuſet propter illam cuſtodiam; ſed ibi ſecum ſuos Scabineos habeat, & ibi Placitum teneat, & juſtitiam faciat.*

LII. Sextum Capitulum. *De his, qui ſe dicunt propter inceſtum res proprias amiſiſſe, conſtitutum eſt, ut ſi ante proximum quinquennium, quando Placitum noſtrum habuimus in Compendio, eaſdem res amiſerint, non eis reſtituantur.* Ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto quo Carolus Ludovici pater obiit ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum quo Capitularium Collectionem Anſegiſus Abbas in lucem emiſit, Ludovicus Auguſtus bis Compendium pervenit; ſemel anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, ut ex Annaliſta Laureshamenſi jam probavimus; iterum ad Kalendas Novembris anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, ut ad illum annum his verbis idem Auctor teſtatur; *peractâ autumnali venatione ad Cal. Novemb. ſicut condixerat, Compendium venit.* Anſegiſus, quia Collectioni Capitularium, quam ſub initium anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi viceſimi-ſeptimi publicavit, inſeruit Capitulum nuperrimè deſcriptum, in quo mentio fit Placiti *ante proximum quinquennium in Compendio* habiti, palàm ſignificavit illud Capitulum editum fuiſſe anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo, ſive anno quinto poſt Placitum in Compendio habitum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto; nam ſi rejicias idem Capitulum in annum quintum poſtquàm Ludovicus Imperator Compendium ſecundò profectus eſt, id eſt, in annum Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum, poſterius fit Anſegiſi Collectione, nec in ea memorari poteſt. Idem Capitulum legitur etiam in additione, quam Ludovicus paulò pòſt Longobardicis Legibus adjecit, ut infrà dicturi ſumus.

LIII. Septimum Capitulum. *De conjurationibus ſervorum, quæ fiunt in Flandris & in Mempiſco, & in ceteris maritimis locis, volumus, ut per Miſſos noſtros indicetur dominis ſervorum illorum, ut conſtringant eos, ne ultrà tales conjurationes facere præſumant. Et ut ſciant ipſi eorundem ſervorum domini, quòd cujuſcunque ſervi hujuſcemodi conjurationes facere præſumpſerint poſtquàm eis hæc noſtra juſſio fuerit indicata, bannum noſtrum, id eſt,* LX *ſolid. ipſe dominus perſolvere debeat.*

Digitized by Google

Octavum Capitulum. *De terra in littore maris, ubi ſalem faciunt, volumus, ut aliqui ex eis, veniant ad Placitum noſtrum, & ratio eorum audiatur, ut tunc ſecundùm æquitatem inter eos definire valeamus.* AN. CH. 821. LIV.

Nonum Capitulum. *Volumus, ut uxores defunctorum poſt obitum maritorum tertiam partem conlaborationis, quam ſimul in beneficio conlaboraverunt, accipiant, & de his rebus, quas is, qui illud beneficium habuit, aliunde adduxit vel comparavit, vel ei, ab amicis ſuis collatum eſt, has volumus tam ad orphanos defunctorum quàm ad uxores eorum pervenire.* LV.

Decimum Capitulum. *De aggeribus juxta Ligerim faciendis, ut bonus Miſſus eidem operi præponatur, & hoc Pipino* Aquitaniæ Regi *per noſtrum Miſſum mandetur, ut & ille ad hoc Miſſum ordinet, quatenus prædictum opus perficiatur.* LVI.

Undecimum Capitulum. *De duodecim pontibus ſuper Sequanam volumus, ut hi pagenſes, qui eos facere debent, à Miſſis noſtris admoneantur, ut eos celeriter reſtaurent, & ut eorum vanæ contentioni non conſentiant, quando dicunt ſe non alibi eoſdem pontes facere debere, niſi ubi antiquitus fuerant, ſed ibi ubi nunc neceſſe eſt, eoſdem pontes facere jubeantur.* LVII.

Duodecimum Capitulum. *De omnibus pontibus per Regnum noſtrum faciendis in commune Miſſi noſtri admoneant, ut ab ipſis reſtaurentur, qui eos facere ſolebant.* LVIII.

In Aquiſgranenſi Conventu, ut Annaliſta Laureshamenſis ad hunc annum teſtatur, *iterum Conventus menſe Maio Noviomagi habendus conditus eſt; Comitéſque, qui illuc venirent, deputati.* Hoc autem de Conventu ſic Aſtronomus. *In eodem anno Kalendis Maii Conventum alterum habuit Imperator Noviomagi, in quo Regni partitionem, quam inter filios ſuos jamdudum,* anno videlicet Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, *fecerat, coràm recitari fecit, & à cunctis Proceribus, qui tunc affuere, confirmari. Ibidem etiam Miſſos Paſchalis Apoſtolici, Petrum Centumcellenſem Epiſcopum & Leonem Nomenclatorem ſuſcepit, audivit, remiſit.* Addit Annaliſta Laureshamenſis deſtinatos in eodem Conventu Comites, qui bellum in Pannonia contra Liudewitum gererent, deinde quibus in rebus Imperator reliquam ætatem ac mediam autumni partem tranſegerit, ſic exponit. *Suſceptis ibidem Paſchalis Romani Pontificis Legatis, Petro videlicet Centumcellenſi Epiſcopo & Leone Nomenclatore, eiſdémque celeriter abſolutis, Comitibus etiam qui aderant ad expeditionem Pannonicam deſtinatis, ipſe paululum ibi remoratus, Aquaſgrani reverſus eſt. Et poſt paucos dies per Arduennam iter faciens, Treveros ac Metis venit, indéque Rumerici Caſtellum petens, reliquum æſtivi caloris & autumni dimidium exercitatione venatoriâ in Voſego ſaltu atque ſecretis exegit.* LIX.

Interèa Borna Dux Dalmatiæ atque Liburniæ defunctus eſt, & petente populo, atque Imperatore conſentiente, nepos illius, nomine Ladaſclavus, ſucceſſor ei conſtitutus eſt. Allatum eſt & de morte Leonis Conſtantinopolitani Imperatoris, quòd conſpiratione quorundam Optimatum ſuorum, & præcipuè Michaelis, Comitis Domeſticorum, inſidiis, priore menſe Decembri, *in ipſo Palatio ſit interemptus. Qui ſuffragio civium & Prætorianorum militum ſtudio Inſulæ Imperii ſuſcepiſſe dicebatur.* Verba ſunt Annaliſtæ Laureshamenſis, quibus conſentanea ſcribit Aſtronomus. Si de Leonis cæde plura ſcire deſideras, lege Michaelem in vita Theodori Studitæ & Leonem Grammaticum in Geſtis Leonis Armeni. Nec hoc loco prætermitti debet mors Alhacæ Cordubenſis Caliphæ, qui teſte Roderico Toletano [a], *cùm ſedatis ſuorum diſſidiis, ad recuperandas terras, quas amiſerat,* adversùs Chriſtianos *ſe pararet, mortis imperio eſt præventus, anno Arabum ducenteſimo ſexto, Regni ſui vigeſimo-ſeptimo,* id eſt, hoc Redemptoris anno, cujus dies octavus ante Idus Junias initium dedit anno Hegiræ ſexto ſupra ducenteſimum. *Poſt Alhacam regnavit filius ejus Abderramen, quadraginta & unius annorum erat cùm regnaſſe cœpiſſet.* LX. MORS BORNÆ DUCIS DALMAT. LEONIS IMP. CONSTANTINOPOL. ALHACÆ CALIPHÆ CORDUBENSIS.

[a] In Hiſt. Arab. cc. 24. 25. vel 25. 26.

Sub idem tempus, *Fortunatus Patriarcha Gradenſis, cùm à quodam Presbytero ſuo, nomine Tyberio, apud Imperatorem fuiſſet accuſatus, quòd Liudewitum* LXI.

AN. CH. 821.

ad perſeverandum in perfidia quâ cæperat hortaretur, eúmque ad caſtella ſua munienda artifices & murarios mittendo juvaret, & ob hoc ad Palatium ire juberetur, primò velut juſſionem impleturus in Hiſtriam profectus eſt. Inde ſimulato reditu ad Gradum civitatem, nullo ſuorum, præter eos cum quibus hoc tractaverat, ſuſpicante, nactus occaſionem clàm navigavit, veniénſque Jaderam Dalmatiæ civitatem Joanni Præfecto provinciæ illius fugæ ſuæ cauſas aperuit. Qui eum ſtatim navi impoſitum Conſtantinopolim miſit. Hæc Annaliſta Laureshamenſis.

FORTUNATUS PATRIARCHA GRADENSIS ABIT CONSTANTINOPOLIM.

LXII. CONVENTUS APUD THEODONIS VILLAM.

Tertium hujus anni Conventum idem Auctor poſteà ſic deſcribit. *Medio menſe Octobri Conventus generalis apud Theodonis villam magnâ populi Francorum frequentiâ celebratur, in quo Dominus Lotharius primogenitus Imperatoris Ludovici Irmingardim Hugonis Comitis filiam ſolenni more duxit uxorem. Illuc etiam Legati Romani Pontificis, Theodorus Primicerius ac Florus, cum magnis venere muneribus. Affuere & Comites in eodem Conventu jam de Pannonia regreſſi, qui depopulatâ deſertorum & Lindewito adhærentium univerſâ regione, cùm nullus eis ibidem copiam pugnandi feciſſet, domum regreſſi ſunt. Eminuit in hoc Placito Piiſſimi Imperatoris miſericordia ſingularis, quam oſtendit ſuper eos, qui cum Bernhardo nepote ſuo in Italia contra caput ac Regnum ſuum conjuraverunt. Quibus ſibi ad præſentiam venire juſſis, non ſolùm vitam & membra conceſſit, verùm etiam poſſeſſiones judicio Legis in fiſcum redactas magnâ liberalitate reſtituit. Adelhardum quoque de Aquitania, ubi exulabat, revocatum Corbeïæ Monaſterio, ut priùs fuerat, Abbatem ac Rectorem eſſe juſſit, & Bernarium fratrem ejus reconciliatum eidem Monaſterio reddidit. Completíſque iis, quæ ad Regni utilitatem inchoaverat, & ſacramento, quod apud Noviomagum pars Optimatum juraverat, generaliter conſummato, ipſe Aquaſgrani revertitur. Filium autem Lotharium, poſt nuptias ritu ſolenni celebratas, Wormaciam miſit.* Theganus [a] ad illas nuptias refert originem diſcordiarum, quæ poſteà Ludovicum inter ac primogenitum ejus. Lotharium exarſerunt; Hugonem enim, cujus filiam Lotharius duxit, authorem pravorum conſiliorum totiúſque mali ſic conſtituit. *Dominus Imperator habuit Placitum ſuum generale; & ibi Lotharius filius ſuus primogenitus ex Regina ſuſcepit in conjugium filiam Hugonis Comitis, qui erat de ſtirpe cujuſdam Ducis nomine Edith, qui erat timidus ſuper omnes homines, ſic enim cecinerunt ei domeſtici ſui, ut aliquando pedem foris ſepem auſus ponere non fuiſſet. Jam tunc imminebat ei infidelitas, quam per ſuggeſtionem ſupradicti ſoceri ſui & aliorum iniquorum multorum oſtendit in patre. Inde regrediens Lotharius venit Wormaciam cum uxore.*

[a] Cap. 18.

LOTHARIUS IMP. DUCIT UXOREM.

LXIII. AB EXILIO REVOCANTUR.

In Annalibus Laureshamenſibus proximè citatis duo diſtinguuntur exulum genera, quos hoc anno Ludovicus Imperator ab exilio revocavit. Alios enim eodem anno quo Carolum patrem amiſerat, alios eo relegarat anno quo Bernhardum Italiæ Regem exauctorarat, illos videlicet anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, hos anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo. De utrorumque reditu diſtinctiùs hîc agendum.

LXIV.

Primi generis fuerunt tres fratres, Adelhardus, Wala, & Bernarius, eorúmque ſoror Gundrada, quorum pater Bernardus Comes, Pippini Regis frater, Caroli Magni patruus extitit. Exularunt *per ſeptennium*, inquit Paſchaſius Radbertus; id eſt, ad hunc uſque annum, quo Ludovicus Adelhardum Abbatem & Bernarium Monachum ſuæ reddidit Corbeïæ, ſic enim de illo Imperatore præcitatus Annaliſta Laureshamenſis. *Adelhardum quoque de Aquitania*, ſive de Hero Aquitaniæ ſecundæ Diœceſíſque Pictavienſis Inſula, *ubi exulabat, revocatum Corbeïæ Monaſterio, ut priùs fuerat, Abbatem ac Rectorem eſſe juſſit; & Bernarium fratrem ejus reconciliatum eidem Monaſterio reddidit.* Hic autem Auctor ſilet de Wala & Gundrada, quia non receſſerunt è Monaſteriis in quibus tunc habitabant. Wala, qui Monaſticen in Corbeïenſi profeſſus fuerat, ibidem manſit. Gundrada in Pictavienſi Sanctæ Radegundis Monaſterio, quod exuli primùm patuerat, reliquam inter Moniales vitam duxit.

Adelhardus

Digitized by Google

Adelhardus maximum ſui deſiderium Herenſibus Monachis reliquit, ac præſertim Ragnardo, qui, ne videret abeuntem, in obſcurum ſe locum recepit, nec tamen ejus conſpectum atque amplexus fugit. Omnes ut lætitiâ perfundebantur quòd Imperator Abbatem adeò illuſtrem ab exilio revocaſſet, ſic & afficiebantur mœrore quòd virum virtute tam inſigni præditum non ampliùs viſuri eſſent. Adelhardus relictâ Hero Inſulâ Imperatorem adiit, apud quem maximo deinceps fuit in honore. Corbeïam reverti juſſus, ut exauctorato altero Adelhardo priſtinum gradum recuperaret, à Monachis amantiſſimè ſuſceptus eſt. Paulò pòſt rediit ad Ludovicum Auguſtum cum Wala fratre, quocum profectus eſt & in Saxoniam, ut anno proximo cùm ex ejus vita tum ex libello de conſtructione novæ Corbeïæ probaturi ſumus. Quàm charus quámque dilectus Ludovico tunc extiterit, ex eo patet, quòd, ut Paſchaſius Ratbertus in ejus vita ſcribit, ab eodem Imperatore conſenſum obtinuit, ut Hildemannus, quem ipſe Monachum Corbeïæ nutrierat, Epiſcopus Eccleſiæ Bellovacenſi præficeretur. Idque conſtat hiſce temporibus factum. Ragimbertus enim Hildemanni deceſſor in vivis eo ſuperſtes erat anno, quo pulſus eſt in exilium Adelhardus, & anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, cùm idem Adelhardus in morbum apud Corbeïam incidit, illuc ſtatim ſe contulit Hildemannus Bellovacenſis Epiſcopus, ut probabimus ex eodem Paſchaſio Ratberto. AN. CH. 821.

LXV. ADELHARDUS ABB. CORBEÏÆ,

Aſtronomus de Adelhardo ejúſque fratre Bernario ab exilio revocatis ita ſcribit in vita Ludovici Pii. *Dominus Imperator Adalhardum etiam Abbatem quondam Corbeïæ Monaſterii, ſed tunc in Sancti Filiberti Monaſterio conſiſtentem, Magiſterio priori reddidit. Itidémque fratrem ejus Bernarium, à Monaſterio Sancti Benedicti evocatum & reconciliatum, eidem cum fratre reſtituit loco.* Per Monaſterium Sancti Filiberti deſignatur Herenſe in Diœceſi Pictavienſi, quod ut ab Hero Inſula Herenſe * Monaſterium, ſic & à Sancto Filiberto illius loci primo Abbate Monaſterium Sancti Filiberti promiſcuè vocatum reperitur. Per Monaſterium Sancti Benedicti denotatur Floriacenſe ad Ligerim in Epiſcopatu Aurelianenſi, quod primitus à loco, cui nomen Floriacum *, dictum eſt Floriacenſe, deinde nuncupatum eſt Monaſterium Sancti Benedicti, poſtquàm hujus ſanctiſſimi Patriarchæ corpus illuc ex Italia tranſlatum fuit, ut Tomo tertio [a] fusè docuimus. Oritur autem nonnihil difficultatis ex Aſtronomo præcitato, quia revocatum è Monaſterio Sancti Benedicti ſcribit Bernarium, quem in Cœnobium Lerinenſe Paſchaſius Radbertus ablegatum teſtatur. Ut hos Auctores conciliare poſſis, tria tempora diſtinguas oportet. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, cùm Adelhardus & Bernarius è Corbeïa pulſi ſunt, miſſus eſt Bernarius ad Lerinum mediterranei maris Inſulam, ubi Monaſterium erat Antipolitanæ Diœceſeos in provincia Narbonenſi ſecunda. Poſt aliquot annos, fortè cùm Bernardus Italiæ Rex in Ludovicum Imperatorem inſurgebat, reductus eſt in interiorem Galliam ad Monaſterium Floriacenſe ſeu Sancti Benedicti, quod ripæ Ligeris amnis adſidebat in Aurelianenſi Diœceſi. Denique hoc anno ſuæ redditus eſt Corbeïæ cum Adelhardo fratre, qui totum ſeptennium apud Herum Inſulam exularat. Tunc Abbates erant, Herenſis Arnulfus, Adalgaudus Floriacenſis. De utroque jam locuti ſumus.

LXVI. BERNARIUS MONACHUS ejus FRATER,

* *Nermouſtier.*

* *Fleuri.*

[a] Adan. 673. nn. 42. & ſeqq.

LXVII. ANSELMUS ARCHIEP. MEDIOLAN. ET THEODULFUS EP. AURELIAN.

Alterius generis exules fuerunt, Anſelmus, Wolfoldus, & Theodulfus, Epiſcopi. Wolfoldus Cremonenſis Epiſcopus obiit in exilio, ut dictum ſuprà. Suis Eccleſiis hoc anno redditi ſunt Anſelmus & Theodulphus, ille Mediolanenſi, hic Aurelianenſi.

LXVIII. FABULA DE THEODULPO.

De Theodulfo circumfertur fabula, quam paucis refutare non pigebit. *Theodulphus*, inquiunt [b], *Andegavi detruſus eſt in carcerem: ibi detentus, vir poëtica facultatis, literis præcipuè inſtructus, ſcripſit Eccleſiaſticum Carmen ad diem Palmarum in Eccleſia canendum accommodatum, obſervánſque tempus, cùm eâ die Ludovicus inde tranſiret, è feneſtra carceris, uti licuit, illud cecinit in au-*

[b] Sauſſeyus in Annal. Aurelian. l. 6. n. 4.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

res ejus; quod cùm Imperatori mirificè placuisset, eo permotus, ipsum jussit quamprimùm è carcere liberari. Illud Carmen apud Andegavos scriptum fuisse res ipsa loquitur, an autem Theodulphi censendum sit opus, & an decantatum sit in aures Ludovici Pii, non adeò patet. Citatum reperitur in libro de Divinis Officiis, capitulo de Dominica in Palmis, sic. *Inchoantur à duobus Cantoribus quidam Versus* [*Israel es tu Rex.*] *Respondet Chorus adspiciens seu inclinans se ad suprascriptum Sanctum Evangelium*, [*Gloria, laus & honor tibi sit.*] *Et ordine sequuntur alii Versus.* Qui librum illum de Divinis Officiis Alcuino tribuunt, prædictum Carmen temporibus Ludovici Pii Augusti à Theodulfo tunc exule compositum negant, quia vitam clausit Alcuinus Ludovico Pio nondum Imperatore. Sed librum illum non esse fœtum Alcuini jam observarunt multi, nec semel observavimus. Deinde Lupus Ferrariensis Abbas, qui hoc eodem seculo floruit, Carmen, de quo nunc inquirimus, epistolâ vicesimâ Theodulfo sic adjudicat. *Nundinas in Theodulfi Carmine legi productâ penultimâ.* Alludit enim ad hunc Versum Carminis in die Palmarum concinendi.

Fruge, ope, nundinis, pulchris & rebus abundans.

LXIX. Auctor igitur istius Carminis Theodulfus, cùm exularet Andegavi, sed nec illud Carmen cecinit in aures Ludovici Augusti, nec tali cantilenâ libertatem in die Palmarum recuperavit. Ludovicus anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo Theodulfum in exilium misit *post Pascha*, proximis annis in die Palmarum à civitate procul abfuit Andegavensi, nec anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo ante mensem Octobrem, quo Conventum Francorum apud Theodonis villam celebravit, Theodulfum aliósque, qui ejusdem conjurationis insimulati fuerant, ab exilio revocavit. Lege veteres Annalistas. Laureshamensis ad hunc annum sic habet. *Medio mense Octobri, Conventus generalis apud Theodonis villam magnâ populi Francorum frequentiâ celebratur. Eminuit in hoc Placito Piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernhardo nepote suo in Italia contra caput ac Regnum suum conjuraverunt.* Et Fuldensis ad hunc eundem annum, sic. *In villa Theodonis, omnes, qui suo tempore in exilium missi fuerunt, revocavit, & singulos in statum pristinum restituit.*

LXX. Ejus CARMEN IN DIE PALMARUM.

Ipsum Carmen integrum [a] ex editione Sirmondana nunc accipe, ut simul & illud Andegavi conditum intelligas, & florentem Andegavensis Ecclesiæ civitatisque statum per illud tempus admireris.

[a] Lib. 2. carm. 3.

Gloria, laus & honor tibi sit, Rex Christe Redemptor,
Cui puerile decus prompsit osanna pium.
Israel es tu Rex, Davidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis.
Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis;
Et mortalis homo, & cuncta creata simul.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obvia venit;
Cum prece, voto, Hymnis, adsumus ecce tibi.
Hi tibi passuro solvebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat devotio nostra,
Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis alti,
Nos facit Hebræos transitus ecce pius.
Inclyta terrenis transitur ad æthera victis,
Virtus à vitiis nos capit alma tetris.
Nequitiâ simus pueri, virtute vieti,
Quod tenuere patres, da teneamus iter.
Degenerésque patrum ne simus ab arte priorum,
Nos tua post illos gratia sancta trahat,

Digitized by Google

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Tu pius aſcenſor, tuus & nos ſimus aſellus,
Tecum nos capiat urbs veneranda Dei.
Veſtis Apoſtolicæ rutilo fulgore tegamur,
Te benè tecta ut eâ noſtra caterva vehat.
Tegmina ſic animæ ſternamus corpora noſtra,
Quò per nos ſemper ſit via tuta tibi.
Sit pia pro palmæ nobis victoria ramis,
Ut tibi victrici ſorte canamus ita.
Caſtáque pro ramis ſalicis præcordia ſunto,
Nos operum ducat prata ad amœna viror.
Pro ramis oleæ pietas, lux, dogmáque Sancti
Flaminis in nobis ſit tibi ritè placens.
Arbore de Legis cædamus dogmata quædam,
Queis veniendi ad nos ſit via tuta tibi.
Noſtráque ſic præſens celebret devotio feſtum,
Continuò ut valeant annua feſta ſequi.
Urbem ut cum ramis & laudibus imus ad iſtam,
Celſa poli meritis fac ita adire piis.
Hanc in amore tuo collectam reſpice plebem,
Suſcipe & illius vota precéſque libens.
Ecce Sacerdotum turbæ, popularis & ala,
Concinit & laudes ſexus uterque tibi.
Quos habet Andegavis venerabilis ambitus urbis,
Qui pia devotâ carmina mente canunt.
Quam Meduana morans fovet, & Liger aureus ornat,
Quam rate cum lævi Sarta decora juvat.
Fruge, ope, nundinis, pulchris & rebus abundans,
Obſita ſeu ſanctis eſt benè tota locis.
Plebs venit Albini ſancta hæc de ſede beati,
Cum voto & ramis carmina digna ferens.
Illáque Baptiſtæ concurrit ab arce Joannis,
Conſocians ramis dicta canora ſuis.
Nec, Martine, cohors tua ſerior, alme, recurrit,
Férque manu ramos, mentéque & ore melos.
Turba Saturnini venit his ſociata beati,
Quam crux, & rami, laus & adornat ovans.
Et, Petre, cella tuo vocitata è nomine ſancto,
Quos quit, ad hoc laudum mittere geſtit opus.
Sergius & proprios Martyr venerandus alumnos
Mittit ad officii geſta beata pii.
His tua, Maurili, conjungitur, alme, caterva,
Et prece, laude, ſono ſic pia vota canit.
Tardior Aniani non currit turba beati,
Iſtas ut laudes, Rex, tibi, Chriſte, canat.
Plebſque ſalutiferæ procurrit ab Æde Mariæ,
Huc quam tranſmittit pons, Meduana, tuus.
Plebs quoque Germani venit huc de ſede beati,
Præſulis eximii Pontificiſque ſui.
Scandimus en ſanctum Michaelis ad atria clivum,
Chriſte, tuus dulcis nos ubi jungit amor.
Quo ſua Pontifici jungatur turba benigno,
A capite & membris laus ſonet iſta Deo.
Hinc pia Mauricii veniamus ad atria ſancti,
Quò ſimul & laudum & vox ſonet iſta precum.
Illic & titulis nos mater colligat una,

AN. CH. 821.

Quæ caput & ſpecimen iſtius urbis habet.
Noſtra ubi nos prex & benedicti Præſulis ornet,
Cum laude ac mittat ad ſua quemque loca.

LXXI. Theodulfus recuperatâ libertate profectus eſt ad Aquiſgranenſe Palatium, & annuente pòſt Imperatore redire ſtatuit ad Eccleſiam ſuam, atque in ipſo itinere mortuus [a] dicitur, obtentâ priùs ab eodem Ludovico Auguſto confirmatione Donationum, quas ejus Anteceſſores, Francorum Reges, Aurelianenſi Eccleſiæ fecerant. Lege Carolum Sauſſeyum in Annalibus illius Eccleſiæ [b]. Verſantur in eadem materia duæ Ludovici Chartæ, quarum initia recitavimus ante ſexennium, cùm Theodulphum Aurelianenſem Antiſtitem, quia Pallium à Romano Pontifice acceperat, in illis Archiepiſcopum Aurelianenſis Eccleſiæ non ſemel appellatum obſervaremus. Unà Ludovicus confirmat Immunitatem, quam Carolus pater, avus Pippinus, anteceſſoréſque Francorum Reges Monaſterio Sancti Aniani conceſſerunt.

[a] Simond. in notis ad Theodulph.

OBITUS.

[b] Lib. 6. n. 58.

PRÆCEPTA PRO MON. S. ANIANI. *Præcipimus*, inquit, *atque jubemus, ut nullus Judex publicus, aut quilibet ex judiciaria poteſtate, nec aliquis ex fidelibus noſtris, in Eccleſiis, aut locis, aut agris, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter in quibuſlibet pagis ac territoriis infra ditionem Imperii noſtri, Rectores præfati Monaſterii poſſident, nec in eas, quas demùm in jure & poteſtate ipſius Sancti loci divina angeri voluerit pietas, ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, nec fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii ſupra terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas, noſtris futuriſque temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati*, id eſt, Theodulpho Archiepiſcopo Aurelianenſis Eccleſiæ & Abbati Monaſterii Sancti Aniani Confeſſoris antè nuncupato, *ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti Monaſterii ſub immunitionis noſtræ tuitione, quieto ordine poſſidere, noſtro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate noſtra, ſeu conjugis ac prolis, vel ſtabilitate totius nobis conlati Regni per immenſum ejus largiſſimâ miſeratione conſervandi, unà cum Congregatione Canonicorum in eodem Monaſterio Deo famulantium, jugiter Dei miſericordiam exorare, & quidquid de rebus præfati Monaſterii fiſcus exigere poterat, præfato Monaſterio ejuſque Congregationi conceſſimus, ut eis, ad divinum ſervitium peragendum, augmentum vel ſupplementum fiat.* Alterâ Chartâ Ludovicus Præceptum avi ſui Pippini de variis vehiculorum generibus, ac præcipuè de ſex navibus, quæ per Ligerim aliósque fluvios ob utilitatem ac neceſſitatem ejuſdem Monaſterii Sancti Aniani liberè diſcurrebant, ita confirmat. *Jubemus & præcipimus, ut nemo fidelium noſtrorum, nec quilibet exactor Judiciariæ poteſtatis, de carris vel ſagmariis, molendinis, vel ceteris vehiculis, ſeu villis ipſius Monaſterii, vel de quolibet commercio, unde videlicet fiſcus teloneum exigere poteſt, illum teloneum accipere vel exigere; ſuper naves verò ſex, quæ ſive per Ligerim flumen, ſive per cetera flumina, infra ditionem Imperii noſtri, ob utilitatem & neceſſitatem Monaſterii, ubicumque velint diſcurrere, nullus teloneum, aut ripaticum, aut pontaticum, aut ſaltuaticum, aut ceſpitaticum, aut cenaticum, aut paſtitionem, aut laudaticum, aut pulveraticum, aut ullum occurſum, vel cenſum, aut redhibitionem accipere vel exigere præſumat, ſed licitum ſit abſque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc noſtram auctoritatem naves & homines, qui eas providere debent, cum his quæ deferunt, per Imperium noſtrum liberè atque ſecurè ire atque redire. Has itaque Immunitates & Præcepta Regum infrà ſupràque conſcripta quamvis ſatis perpetuo jure teneant ſupradicti Canonici firmâ traditione ſubnixa, ob rei firmiorem ſtabilitatis & memoriæ certitudinem hoc noſtræ Regalis auctoritatis ſcriptum ipſis Canonicis contra omnes æmulorum latratus & inſidias, ob amorem Dei & reverentiam Sancti Confeſſoris Chriſti Aniani concedimus, ut illis liceat quieto ordine Canonicè Deo & Sancto Aniano devotè ſervire, & illis placeat pro incolumitate noſtra, & noſtræ conjugis & prolis, Dominum deprecari. Propter quod præcipimus atque jubemus, ut nullus futurorum*

Abbatum, aut Judex, de omnibus, quæ ad prædictas res Canonicorum pertinent, AN. CH.
auferre aut immutare præſumat, ſed ſicut alii Reges firmando ſanxerunt, ita etiam 821.
noſtris futuríſque temporibus ſtabile in perpetuum teneatur, inconcuſſúmque ſervetur. Theodulpho ſucceſſit in Epiſcopatum Jonas, de quo ſermonem ſæpè facturi ſumus. JONAS EP. AURELIAN.

In Conventu apud Theodonis villam habito, de quo loquimur, contra Clericorum percuſſores conditi ſunt etiam quatuor Canones, quos ex Burchardo [a] & Ivone [b] Collectionibus Conciliorum inſertos reperies cum hac Præfatione. *In Concilio apud Theodonis villam, ubi interfuerunt* XXXII *Epiſcopi, Aiſtolfus Moguntienſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, Hadabaldus Colonienſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, Hetto Trevirenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, Ebbo, Remenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, cum nuntiis reliquorum Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ, ob nimiam præſumptionem quorumdam tyrannorum in Sacerdotes Domini debacchantium, & propter factum quod in Waſconia noviter acciderat de Epiſcopo Joanne inhoneſtè & inauditè mordidato, decretum eſt, ut communi conſenſu & humili devotione ſupplicarent auribus Principis, ſi ſua pietati complaceret, ut calumnia in Chriſti Sacerdotes peracta juxta Synodica determinaretur pleniter Statuta, hoc idem Epiſcoporum judicio placeret, ſi ex toto ſecundùm poteſtatem ipſorum poſſet definiri, id eſt, ut Canonicâ ferirentur ſententiâ, hi videlicet, qui timorem Domini poſtponentes, in miniſtros ſuos graſſari præſumerent. Quòd ſi verò pietati illius complaceret, juxta Capitula Regum præcedentium, ubi eorum proviſio miſericorditer in offenſis pecuniæ quantitatem interpoſuit pro conſolatione Sanctæ Eccleſiæ, ut præfata res per pecuniam ab Imperatoribus Sacerdotibus ad defenſionem conceſſam & per pœnitentiam determinarentur Epiſcoporum judicio, ſi pietas illius collaudare voluerit, ſic definiri eis complaceret.* LXXII. CANONES CONTRÁ PERCUSSORES CLERICORUM.

[a] Lib. 6. c. 5.
[b] Part. 10. c. 134.

I. Si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque Quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, & CCC *ſolidos cum ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas Quadrageſimas cum ſequentibus annis pœniteat, &* CCCC *ſolidos cum tripla ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.* LXXIII.

II. Si Diaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, ſex Quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, & CCCC *ſolidos cum compoſitione ſua & Epiſcopalibus bannis componat. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas ſex Quadrageſimas cum ſequentibus annis pœniteat, &* DC *ſolidos cum tripla ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.* LXXIV.

III. Si quis Presbyterum calumniatus vulneraverit vel debilitaverit, & convaluerit, duodecim Quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, & DC *ſolidos cum triplici ſua compoſitione & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, duodecim annorum pœnitentia ſecundùm Canones ei imponatur, &* DCCCC *ſolidos cum triplici compoſitione ſua & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.* LXXV.

IV. Si quis Epiſcopo inſidias poſuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehoneſtaverit, decem Quadrageſimas cum ſubditis annis pœniteat, & Presbyteri non occiſi triplicem compoſitionem componat. Si autem caſu & non ſponte occiditur, cum comprovincialium Epiſcoporum conſilio homicida pœniteat. Si quis autem ſponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ, cingulum militare deponat, abſque ſpe conjugii in perpetuum maneat. LXXVI.

Aiſtolfus Moguntienſis Archiepiſcopus dixit. Si Principibus placuerit, aliíſque ſuis fidelibus, rogemus ut collaudetur & ſubſcribatur. Et collaudatum eſt, & ſubſcriptum eſt, tam à Principe quàm à ceteris omnibus. Huc uſque Synodus. Quis ille fuerit Epiſcopus in Vaſconia, nomine Joannes, de cujus nece Patres conqueruntur, haud ſciri poteſt, quia Ludovici Pii temporibus mutili ſunt Indices Epiſcoporum, qui per illam ætatem Eccleſias Vaſconiæ ſeu No- LXXVII.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

vempopulaniæ rexerunt, excepto duntaxat Auſcienſium Epiſcoporum Catalogo, qui Auſcienſis Eccleſiæ Chartulario reperitur inſertus, ut Arnaldus Oihenartus [a] in Notitia Vaſconiæ teſtatur. In illa quidem Nomenclatura poſt Salvium ſeu Salvinum vel Galvium aut Galinum, cujus mentionem ad annos Redemptoris octingenteſimum nonum & octingenteſimum undecimum fecimus, nominatur Eliſæus, tum Joannes. At hic Joannes longè poſt ſynodum, de qua nunc agimus, ſedere cœpit, Salvius enim ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum triceſimum-primum vixit, & Eliſæus Epiſcopatum annis uno ac viginti tenuit. Auſcienſium Antiſtitum Chronologiam accuratiùs examinabimus, cùm pervenerimus ad Airardum, cujus epocha conſtat ex literis Joannis Octavi Papæ. Quod attinet ad Epiſcopos, qui Concilio apud Theodonis villam interfuerunt, hi numerantur duo ſupra triginta, congregati quatuor ex provinciis, ex duabus videlicet Germanicis quarum Metropoles Moguntiacum & Colonia, & ex totidem Belgicis quarum Metropoles Treviri ac Remi. Quatuor illarum provinciarum ſingulas Diœceſes cum ſuis Epiſcopis ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum recenſuimus. Metropolitæ Moguntino ſuberant undecim Epiſcopi, ſex Colonienſi, Trevitenſi tres, Remenſi novem. Proximo decennio numerus Epiſcoporum in illis provinciis nec auctus eſt nec imminutus. Ex Epiſcopis igitur tribus ac triginta, quorum Diœceſes ad provincias Germanicas ac Belgicas pertinebant, unus duntaxat hoc anno non interfuit Concilio apud Theodonis villam habito. De rebus in illa Synodo tractatis anno proximo recurret ſermo.

[a] Lib. 3. c. 8.

LXXVIII. CAPITULARE.

Stephanus Baluzius ad hunc annum Capitulare in quinque diſtinctum Capitula publicavit cum hoc Titulo. *Capitulare anni* DCCCXXI, *ſive Capitula data apud Theodonis villam anno* DCCCXX (lege *anno* DCCCXXI) *nunc primùm edita ex duobus antiquis exemplaribus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ.* Idem Titulus errore Typographi duos repræſentat annos, DCCCXXI & DCCCXX. Utrobique legi debet annus DCCCXXI. Nec alium annum ſcripſit idem Baluzius in ſuis ad Capitularia Notis, paginâ 1055, ubi laudavit Capitulare, *quod à Ludovico Pio editum eſt anno* DCCCXXI. In poſtremo Capitulo hujus Capitularis, Imperator Capitula, quæ *præterito anno* Legi Salicæ cenſuit addenda, non ampliùs Capitula, ſed Legem dici & pro Lege teneri præcipit, talique mentione Legis Salicæ non obſcurè ſignificat ipſum Capitulare hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo conſignandum eſſe. Non poteſt enim in dubium vocari, quin anno priore, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo Salicam Legem multis Capitulis auxerit. Deinde Capitulare Triburienſe, quod anno proximo recitabimus, datum eſt ad petitionem Epiſcoporum anno ſuperiore, id eſt hoc anno, in Theodonis villa congregatorum. Hæc ad Chronologiam.

LXXIX. DE TELONEIS.

In Capitulari, de quo nobis hîc agendum, Capitula primum & ſecundum ſunt de teloneis. Primum ſic. *Volumus firmiter omnibus in Imperio noſtro nobis à Deo commiſſo notum fieri, ut nullus teloneum exigat niſi in mercatibus, ubi communia commercia emuntur ac venundantur; neque in pontibus, niſi ubi antiquitus telonea exigebantur, neque in ripis aquarum, ubi tantum naves ſolent aliquibus noctibus manere; neque in ſylvis, neque in ſtratis, neque in campis, neque ſubtus pontem tranſeuntibus; nec alicubi, niſi tantùm ubi aliquid emitur aut venditur quâlibet causâ res ad communem uſum pertinens; & ubi emptor cujuſlibet utitur herbâ, aut lignis, aut aliis villaticis commodis, cum eo cujus ſunt quibus utitur agat juxta æſtimationem uſûs, & quod juſtum eſt de tali re illi perſolvat. Quòd ſi aliquis conſtituta mercata fugiens, ne teloneum ſolvere cogatur, & extra prædicta loca aliquid emere voluerit, & hujuſmodi inventus fuerit, conſtringatur, & debitum telonei perſolvere cogatur. Et quiſquis hujuſmodi juſta telonea ſolvere declinantem ſuſceperit ſive celaverit, id ſecundùm ſuam Legem*

Digitized by Google

emendare compellatur. Is tamen, quem celavit, debitum teloneum perſolvat. Ceterùm, ſicut ſuperiùs dictum eſt, niſi in memoratis locis nemo à quolibet exigat telonea. Et, ſi fecerit contra hæc præcepta noſtra, ſciat ſe eſſe damnandum ſexaginta ſummâ ſolidorum. Secundum, ſic. *Sive carris, ſive ſagmariis, ſive friſkingis, ſive aliis quibuſlibet vehiculis, tam eorum qui nobis aſſiduè in Palatio deſerviunt, quámque & eorum qui ad Palatium eorum diſpenſam ducunt, nemo in pontibus, neque in navibus, neque in quibuſlibet aliis locis, ab eis teloneum exigere præſumat. Quòd ſi fecerit, noverit ſe ſimiliter ſexaginta ſummâ ſolidorum pœnâ plectendum. Quòd ſi aliquis repertus fuerit, qui ea, quæ præmiſſa ſunt, non ad ſuam diſpenſam, nec ad proprios uſus, ſed potiùs venundandi causâ ea duxerit, noverit ſe, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt, eſſe damnandum.* His duobus Capitulis in pleriſque ſimillimum eſt, quod in quarto Capitularium libro triceſimum-primum ponitur, & à nobis anno priore [a] jam deſcriptum fuit.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

[a] Num. 10.

Tertium Capitulum eſt de pontibus emendatis. *Nemo ex hìs qui pontes faciunt aut de Immunitatibus aut de fiſcis aut de liberis hominibus, cogantur pontaticum de eodem quem fecerunt ponte perſolvere. Et ſi fortè quilibet voluerit ex propriis facultatibus eundem pontem emendare vel reficere, quamvis de ſuis propriis rebus eundem pontem emendet vel reficiat, non tamen de eodem ponte majorem cenſum exigere præſumat, niſi ſicut conſuetudo fuit, & juſtum eſſe dinoſcitur.*

LXXX. DE PONTIBUS.

Quartum Capitulum eſt de broliis Dominicis. *Omnibus*, inquit Ludovicus, *notum ſit, quia nolumus ut liber homo ad noſtros brolios operari cogatur. Attamen de aliis publicis functionibus, quas ſolebant juxta antiquam conſuetudinem facere, nemo ſe pro hac cauſa excuſet.* Brolius autem ſeu broilus vel brolium ſeu broilum ſylvam cæduam ſignificat, ut Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum [b] jam obſervavit.

LXXXI. DE BROLIIS.

[b] In *Cotia ſylva.*

Quintum Capitulum eſt de Capitulis anno præterito Legi Salicæ adjectis. *Generaliter omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ per omnium conſenſum addenda eſſe cenſuimus, jam non ulteriùs Capitula ſed tantùm Lex dicantur, immo pro Lege teneantur.* Hoc Capitulum idem eſt cum Carolino, quod occurrit in Lege Longobardorum, libro tertio, titulo triceſimo-primo, & à nobis Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [c] jam deſcriptum fuit. Editum eſt igitur à Carolo Magno, deinde repetitum à Ludovico Pio, poſtquàm Legem Salicam aliquot Capitulis exemplo patris adauxiſſet.

LXXXII.

[c] Num. 120.

Imperator è Theodonis villa reverſus eſt Aquiſgranum, ibíque decimo-quarto Kalendas Novembris hoc pro Eccleſia Pariſienſi Præceptum emiſit, quod ex parvo ejuſdem Eccleſiæ Paſtorali [d] deſcriptum ſubjicimus. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quod vir venerabilis Ynchadus Pariſiacæ Eccleſiæ Epiſcopus detulit Serenitati noſtræ quaſdam autoritates, quas Domnus avus noſter Pipinus & genitor bonæ memoriæ Karolus piiſſimus Imperator ad petitiones prædeceſſorum ſuorum ipſius civitatis fieri juſſerunt. In quibus continebatur inſertum, qualiter pro mercedis æternæ augmento & firmitatis ſtudio eidem jam nominatæ Pariſiacæ Eccleſiæ per eorum autoritates firmaverunt, ut res & mancipia ac telonea, quæ ex liberalitate Regum vel Imperatorum, vel per inſtrumenta Chartarum eidem præfatæ tradita fuerunt Eccleſiæ, deinceps ſecuriùs poſſidere potuiſſent. Nos verò per hanc noſtram autoritatem eaſdem res & mancipia ac telonea ipſius Eccleſiæ confirmavimus ac roboravimus, ut in poſterum rectores ipſius Eccleſiæ abſque ullius inquietudine vel injuſta interpellatione quietè teneant & ſecurè poſſideant. Inſuper & eidem jam nominato Ynchado Epiſcopo ſuíſque ſucceſſoribus conceſimus, atque more paterno per noſtram auctoritatem confirmavimus, ut nullus Comes neque ulla judiciaria poteſtas in terra Sanctæ Mariæ in ipſa Inſula conſiſtente ullum cenſum de terra Sanctæ Mariæ accipiat, nec de familia ipſius Eccleſiæ,*

LXXXIII. [d] Chart. 33. PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA PARISIENSI.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

neque de aliis liberis hominibus vel incolis, qui ruſticè Albani appellantur, in ipſa terra Sanctæ Mariæ manentibus hoc agere præſumant. Nec etiam eis quiſlibet ullam inquietudinem vel damnationem ſeu ullum bannum contra legem vel illicitam occaſionem facere ſtudeat, neque cenſum, quem dicunt foraticum, neque ripaticum, neque ſalutaticum, ſeu ullam reddibitionem de terra Sanctæ Mariæ, vel de ſuper manentibus accipere aut exactare audeat, ſed liceat ſæpenominato Epiſcopo Tnchado ac ſucceſſoribus ſuis quietè ipſam Inſulam ſecundùm propriam voluntatem ordinare atque gubernare, & in ipſa terra Sanctæ Mariæ tam tabernas quàm alias ſuas neceſſitates ſine alicujus reddibitione exercere. Præcipimus etiam atque jubemus ut de regali via ex parte Sancti Germani à Sancto Mederico uſque ad locum qui vulgò vocatur tudella in ruga Sancti Germani, neque in aliis minoribus viis, quæ tendunt ad Monaſterium ejuſdem prænominati Sancti Germani, ullus Miſſus Dominicus aliquam judiciariam poteſtatem ibi exerceat, neque aliquem cenſum, neque ripaticum neque foraticum, nec ullum teloneum recipiat, ſed Miſſus Epiſcopi ſecundùm propriam voluntatem ordinet, & Advocatus ejuſdem Eccleſiæ tam de ipſa terra Sancti Germani quàm de prædicta terra Sanctæ Mariæ in Inſula poſita rectam ac legalem rationem reddat ſine aliqua judiciaria poteſtate inibi vel banno niſi in mallo legitimo vel Regali Placito, ſicut lex Eccleſiarum præcipit. De liberis autem hominibus, qui ſuper terram ipſius ſupradictæ Eccleſiæ Pariſiacæ commanere videntur ac eam perſervire noſcuntur, volumus ut ſicut in Præcepto Pipini avi noſtri continetur, nullus in hoſtem pergat, niſi unà cum Epiſcopo ipſius Eccleſiæ, vel ſecundùm ordinationem ſuam remaneat, & neque de ipſis hominibus ſuper terram Sanctæ Mariæ manentibus aliquem cenſum vel aliquam reddibitionem aliquis de capite eorum accipere præſumat, qui à longo tempore dare conſueverant & futuris temporibus perſolvere debent, ſed quicquid inde fiſcus noſter exigere aut ſperare potuerit, per omnia pro amore Dei & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, præfato Tnchado Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus libenter concedimus, & gratuito animo auctoritate noſtrâ confirmamus, ut nullam etiam diſtrictionem de hominibus ſuper terram Sanctæ Mariæ manentibus judiciaria poteſtas exercere præſumat, niſi, ut ſuprà diximus, in mallo legitimo Comitis, & ibi unà cum Advocato Pariſiacæ Eccleſiæ venire non differant, & rectam rationem ac legalem juſtitiam adimplere cogantur. Hæc verò auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, & à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs conſervetur, manu propriâ eam ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Durandus Notarius ad vicem Fridugiſi recognovi & ſubſcripſi. Datum XIIII *Kal. Novembris, anno Chriſto propitio* VIII *Imperii Domni Ludovici piiſſimi Imperatoris. Actum Aquiſgrani Palatio publicè in Dei nomine feliciter. Amen.* Stephanus Baluzius hoc Præceptum, ut & aliud, quod anno priore pro Eccleſia quoque Pariſienſi recitavimus, ſuis ad Capitularia Notis inter Acta [a] vetera ſubjecit è parvo ejuſdem Pariſienſis Eccleſiæ Chartulario ſeu Paſtorali, quod & ipſi conſuluimus. Eandem tamen non inimus Chronologiam, quia utramque Chartam per amanuenſis errorem ſeptimo Ludovici Imperatoris anno, Redemptoris octingenteſimo viceſimo conſignavit; nos verò, qui Codicem accuratè deſcripſimus, unam quidem, quæ data reperitur apud Cariſiacum anno ſeptimo Ludovici Auguſti, retulimus ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum, alteram verò, quæ data legitur apud Aquiſgranum octavo anno Ludovici Imperatoris, in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum rejecimus.

[a] Act. 36. 37.

LXXXIV. DANI QUIESCUNT.

Quod attinet ad res Danorum & Abotritorum, quarum mentionem noſtrates hoc anno faciunt Auctores, Annaliſtam conſule Laureshamenſem. *De parte*, inquit, *Danorum, omnia quieta eo anno fuerunt, & Heriholtus à filiis Godefridi in ſocietatem Regni receptus; quæ res tranquillum inter eos hujus temporis ſtatum feciſſe putatur. Sed quia Ceadragus Abotritorum Princeps perfidiæ & cujuſdam cum filiis Godefridi factæ ſocietatis notabatur, Sclaomir æmulus ejus in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam veniſſet, ægritudine decubuit, perceptóque Baptiſmatis Sacramento defunctus eſt.*

SCLAOMIR BAPTIZATUS OBIT.

Apud

AN. CH. 821. LXXXV.

Apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium [a] legitur Diploma, quod in gratiam Altaichii Inferioris Ludovicus Imperator emiſit quinto Kalendas Auguſtas, hoc anno Imperii ſui octavo, Indictione decimâ-quartâ. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris Jeſu Chriſti. Hludovicus* * *divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, vel Agentibus, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter Vir Venerabilis Teutpaldus Abbas ex Monaſterio, quod eſt conſtructum in honore Sancti Mauritii Martyris, in loco qui dicitur Altaha, ad noſtram veniens præſentiam indicavit nobis, quòd per defenſionem Domini & Genitoris noſtri Caroli Imperatoris uſque in præſens tempus res & homines memorati Monaſterii quieti abſque cujuſlibet injuſta interpellatione reſidiſſent, petiitque ut nos eum cum rebus & hominibus ſupradicti Monaſterii ſimiliter ſub ſermone tuitionis noſtræ ſuſciperemus. Quod nos libenti animo fecimus. Idcircò has literas firmitatis noſtræ ei conſcribere juſſimus, per quas jubemus atque præcipimus, ut nullus noſtrum aut juniorum noſtrorum, neque ipſum Teutpaldum Abbatem, neque homines ſuos per quaſlibet injuſtas occaſiones vexare, aut calumniam quamlibet ingerere præſumat, neque de rebus ſuis aut Monaſterii ſui ad dominium ejus legitimè pertinentibus abſtrahere vel minuere. Sed liceat illi in Monaſterio ſuo & in poſſeſſionibus ſuis ad eum legitimè pertinentibus quietè abſque perturbatione reſidere, & nobis ac filiis noſtris deſervire. Et, ſi talis cauſa contra illum aut contra homines ſuos exorta fuerit, quæ abſque gravi & iniquo diſpendio in patria illius definiri non poſſit, liceat illi & ſuis poteſtatem habere ad nos veniendi, ut in noſtra præſentia cauſa, quæ contra illum vel ſuos exorta fuerit, juſtum & legitimum terminum accipiat. Et ut hæc auctoritas noſtris ſucceſſorúmque noſtrorum temporibus firmiorem valeat obtinere vigorem, manu propriâ ſubtus firmavimus, & de annulo noſtro eam juſſimus ſigillari. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Sigibertus ad vicem Fredegiſi Abbatis. Data* V *Cal. Aug. anno Chriſto propitio Hludovici Piiſſimi Auguſti octavo, Indict.* XIV. *in Dei Nomine. Amen.*

[a] Tom. 2.

* *Hludovicus I.*

PRÆCEPTUM PRO MON. ALTAICHII INFERIORIS.

LXXXVI. EPISCOPI NOVARIENSES. PLATO FIT EP. PISANUS.

Si Chronologiam Novarienſium Epiſcoporum ad annum Redemptoris octingenteſimumun decimum benè aſſecuti ſumus, obiit hoc anno Atto Novarienſis Epiſcopus, eique ſucceſſit Adelgiſius, de quo conſule Ughellum, ut & de Platone qui factus eſt hoc eodem anno Piſanus Epiſcopus, necnon & de Antfrido Nonantulano Abbate, Petri, quem quarto Kalendas Junias anno priore mortuum diximus, ſucceſſore.

ANTFRIDUS ABB. NONANTULÆ. LXXXVII. CLAUDIUS EP. TAURINENSIS SCRIBIT COMMENTARIOS IN EXODUM.

Claudius, cujus adhuc Preſbyteri mentionem non ſemel fecimus, ad Epiſcopatum Taurinenſem aſſumptus Commentarios in Exodum hoc anno ſcripſit, eóſque Theodemiro Abbati dicavit, ut patet ex ejus Præfatione in Leviticum, quam Joannes Mabillonius [b] publici juris fecit. Claudius enim in illa Præfatione, quam *ſeptimo Idus Martii, anno Incarnationis* DCCCXXIII conſignat, biennium effluxiſſe teſtatur, ex quo quatuor libros eidem tranſmiſit Abbati, quem ſic initio ſuæ Præfationis alloquitur. *Cogis & compellis, cariſſime frater Theodemire Abba, atque, ut ita dicam, ſtomachanti animo me reprehendis diu ſiluiſſe, nec paruiſſe juſſioni tuæ in expoſitione Levitici. Biennium eſt quòd tibi direxi expoſitionum atque informationum litteræ & ſpiritûs in Exodo libros quatuor.* Annus, quo Claudius Epiſcopatum ſuſcepit à nemine notatur. Quomodo quáve de cauſa promotus ſit ad Epiſcopatum, docet Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in Præfatione librorum de cultu Imaginum, ſic. *Ludovicus Deo dilectiſſimus Princeps, inter cetera bonitatis ſuæ ſtudia, erga divinum cultum amplificandum multiplici modo ferventia, quendam Presbyterum natione Hiſpanum, nomine Claudium, qui aliquid temporis in Palatio ſuo in Presbyteratûs militaverat honore, cui in explanandis Sanctorum Evangeliorum Lectionibus quantulacumque notitia ineſſe videbatur, ut Italicæ plebi, quæ magna ex parte à Sanctorum Evangeliſtarum ſenſibus procul aberat, ſacræ doctrinæ conſultum ferret, Taurinenſi Præſulem ſubrogari fecit Eccleſiæ.* Deinde ſub initium libri primi, ſic. *Per aliquod tempus in Palatio memorati Glorioſiſſimi ac Sereniſſimi*

[b] Tom. 1. vet. Analect.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

Deóque amabilis Auguſti Ludovici *in officio Presbyteratûs militávit. Sed ut aliorum utilitati, doctrinâ prædicationis Evangelicæ, quæ illi admodùm ineſſe videbatur, conſuleret, ipſius Piiſſimi Principis clementiâ Præſul Taurinenſis ſubrogatus eſt Eccleſiæ.* Id factum arbitramur ante annum Redemptoris DCCCXXII, ſeu priuſquàm ederetur Attiniacenſe Capitulare, cujus ſecundum Capitulum eſt *de Epiſcopis eligendis*, & præcitatis Jonæ textibus adverſatur.

In Capitularibus, quæ partim hoc anno partim ſuperiore tranſcripſimus, multa reperiuntur Capitula, quæ Ludovicus Auguſtus Legi Longobardorum adjecit. Ut autem hujuſcemodi Longobardicæ Legis auctionem ad hæc quoque tempora pertinere cenſeamus, præter ipſam plerorumque Capitulorum ſimilitudinem Chronologica ſuadet ratiocinatio. Ludovicus enim Longobardiæ, quam ſub initium anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi duodeviceſimi poſſidere cœpit, Regem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo præfecit Lotharium filiorum natu maximum, quem in Dignitatis Imperatoriæ conſortium anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo jam adſciverat. De ſingulis Capitulis agemus eo prorſus ordine quo leguntur in prædicta Lege.

ADDITIO AD LEGEM LONGOBARDICAM.

LXXXIX. Libri primi Titulus ſecundus eſt *de ſcandalis & compoſitionibus ad Regem pertinentibus*, conſtátque undecim Articulis, quorum poſtremus editus eſt à Ludovico, nec differt à Capitulo duodeſexageſimo libri quarti Capitularium, quod eſt *de debito ad opus Dominicum rewadiato*, ſitque pars Capitularis ad Miſſorum Legationem pertinentis ſuprâque deſcripti [a] cum hac Præfatiuncula. *Hæc ſunt Capitula præcipuè ad Legationem Miſſorum noſtrorum ob memoriæ cauſam pertinentia.*

[a] An. 820. nn. 77. & ſeqq.

XC. Ejuſdem libri Titulus nonus inſcribitur *de homicidiis liberorum hominum*, atque in Articulos undequadraginta diſtribuitur, quorum undetriceſimus & quinque ſubſequentes à Ludovico Auguſto non Legi tantùm Longobardorum additi ſunt ſed etiam Salicæ, ut patet ex Capitulari jam recitato [b], quod in quarto Capitularium libro legitur à Capitulo decimo-tertio ad Capitulum quadrageſimum-tertium cum hac Præfatiuncula. *Capitula, quæ conſtituit Dominus Ludovicus Imperator Salicis Legibus addenda, quæ & Miſſi & Comites habere, & ceteris nota facere debent.* Prædicti ſex Articuli Legis Longobardicæ cum quarto Capitularium libro ſic conveniunt. Capitulo decimo-tertio, quod eſt *de honore Eccleſiarum*, ſimillimi ſunt Articuli viceſimus-nonus ac triceſimus. Capitulo duodeviceſimo, quod eſt *de homine interfecto* cùm *publicam pœnitentiam* ageret, ſimillimus eſt Articulus triceſimus-primus. Capitulis viceſimo & viceſimo-primo, quæ ſunt *de homicidiis prohibendis* & *de hoc quod in compoſitionem wirgildi dari debet*, ſimillimi ſunt Articuli triceſimus-ſecundus & triceſimus-tertius. Denique Capitulo triceſimo-ſeptimo, quod eſt *de faidis coercendis*, ſimillimus eſt Articulus triceſimus-quartus.

[b] An. 820. nn. 33. & ſeqq.

XCI. Eodem libro, Titulo decimo-quarto *de exercitalibus & his qui in hoſtem ire contempſerint*, Articulus decimus-ſextus *de his qui ad Palatium vel in hoſtem pergunt, vel inde redeunt*, eſt Ludovici Auguſti, convenitque cum Capitulo undeſexageſimo libri quarti Capitularium ſuprà deſcripto ex Capitulari ad Miſſorum Legationem pertinente. Nullum inter utramque editionem occurrit diſcrimen, excepto quòd idem tributum liber quartus Capitularium *tranſituræ*, Lex Longobardorum *tranſitorium* vocat, ut ſuo loco jam notavimus [c].

[c] Ann. 820. n. 94.

XCII. Ejuſdem libri Titulus decimus-ſeptimus inſcribitur *de aggreſſione in vico facta & de collectionibus ruſticorum*, dividitúrque in Articulos undecim, quorum octavus nomen præfert Ludovici Imperatoris, convenítque cum primo Capitulo libri quarti Capitularium, quod eſt *de ſervis per contumaciam alicui vim inferentibus.*

XCIII. In eodem libro Titulus undeviceſimus inſcribitur *de damno in via dato & de incendio*, clauditúrque hoc Articulo promulgato à Ludovico Imperatore.

Digitized by Google

Volumus, ut, ſi qualibet perſona in finibus Regni noſtri ignem in ſylva comminare auſa fuerit, diligenter inquiratur; &, ſi ſervus comprobatus fuerit hoc feciſſe, dominus ejus ad flagellandum, & caput tondendum, eum tradat, aut pro eo quidquid damni fecerit, emendare cogatur, & inſuper bannum noſtrum componat, &, ſi non habuerit unde componat, flagelletur. Quod ſi factum fuerit, per meliores illius loci inquiratur, &, ſi in qualibet perſona ſuſpectio fuerit; ſi ſervus eſt, aut dominus ejus mittat cum ad judicium, aut ipſe pro eo ſacramentum faciat; quòd ſi libera perſona fuerit, proprio ſacramento ſe idoneam, id eſt, innocentem, *reddat.* AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

In ejuſdem libri Titulo viceſimo-quinto *de furtis, & ſervis fugacibus, & de advenis hominibus, & ſi quis eis auxilium præſtiterit,* Articuli ſunt tres & octoginta, atque ex his Ludovico Imperatori ſeptuageſimus-ſextus quatuórque ſubſequentes attribuuntur. Sunt autem jam deſcripti [a] ex quarto libro Capitularium, tres quidem priores ex Capitulari ad leges Salicas adjecto, duo verò poſteriores ex Capitulari ad Miſſorum Legationem pertinente. Conveniunt enim, Articulus ſeptuageſimus-ſextus cum Capitulo undetriceſimo prædicti libri quarti Capitularium *de his qui de furto accuſati fuerunt;* Articulus ſeptuageſimus-ſeptimus cum Capitulo triceſimo-ſexto *de forcapiis;* Articulus ſeptuageſimus-octavus cum Capitulo quadrageſimo-primo *de mancipiis in villas Dominicas confugientibus;* Articulus ſeptuageſimus-nonus cum Capitulo ſexageſimo-primo *de Clericis, Monachis, & ſervis fugitivis;* Articulus octogeſimus cum Capitulo ſexageſimo-tertio *de Vicariis vel Centenariis ſi latrones celaverint.* XCIV.

[a] An. 820. nn. 46. 55. 60. 96. 98.

Ejuſdem libri Titulus duodetriceſimus eſt *de eo qui falſam vel adulterinam monetam fecerit,* illiúſque Tituli poſterior Articulus, cujus Author Ludovicus, idem eſt cum Capitulo triceſimo-tertio libri quarti Capitularium, quod eſt *de adulteratoribus monetæ,* pertinétque ad Capitulare priori anno [b] Legibus Salicis additum. XCV.

[b] An. 820. n. 52.

Ejuſdem libri Titulus triceſimus inſcribitur *de raptu.* Sub illo Titulo ſunt Articuli quindecim, decimus-tertius, cui nomen Imperatoris Ludovici præfigitur, ſimillimus eſt Capitulo viceſimo-ſecundo libri quarti Capitularium, quod eſt *de raptu alienarum ſponſarum* in eodem Capitulari [c] Legibus Salicis adjecto. XCVI.

[c] An. 820. n. 42.

Ejuſdem libri Titulus triceſimus-tertius eſt *de eo, qui ſervum alienum aut mulierem in ſacramento miſerit, vel ſervum aut puerum clericaverit vel puellam celaverit.* Hujus Tituli poſtremus Articulus in quarto Capitularium libro conſtituit Capitulum triceſimum-quintum, quod anno [d] priore Legibus Salicis additum fuit cum multis aliis, inſcriptúmque reperitur *de pueris invitis parentibus detonſis aut puellis velatis.* XCVII.

[d] An. 820. n. 54.

In eodem libro Titulus triceſimus-quartus, *ſi Actor Regis res Regias per fraudem alienaverit,* tribus conſtat Articulis, quorum ultimus convenit cum Capitulo triceſimo-quarto libri quarti Capitularium *de proprio Dominico ſine juſſione illius reddito,* párſque legitur Capitularis anno priore [e] Legibus Salicis adjecti. XCVIII.

[e] An. 820. n. 53.

Secundi libri Titulis, ſexto, nono, duodeviceſimo, viceſimo-ſecundo, triceſimo-quarto, triceſimo-quinto, triceſimo-ſexto, quadrageſimo, quadrageſimo-ſecundo, quadrageſimo-tertio, quadrageſimo-quarto, duodequinquageſimo, undequinquageſimo, quinquageſimo-ſecundo, quinquageſimo-tertio, & quinquageſimo-ſexto, inſerta quoque Capitula Ludovici Auguſti, quorum pleraque jam recitavimus. XCIX.

Titulus ſextus, *infra quod tempus permiſſum ſit viduis, velum vel maritum accipere,* quatuor habet Articulos, horum verò tertius partem conſtituit Capitularis anno priore Legibus Salicis adjuncti, nec differt à Capitulo decimo-ſeptimo libri quarti Capitularium *de raptu viduarum.* C.

Titulus nonus, *ſi ſervus liberam puellam vel mulierem in conjugio acceperit,* quatuor quoque conſtat Articulis, quorum poſtremum accipe. *Jubemus,* CI.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

inquit Ludovicus Imperator, *ut ſi cujuſcunque ſervus liberam fœminam ſibi eâ conſentiente in conjugio ſociaverit, & infra anni ſpatium ſecundùm Legem ad vindictam traditi non fuerint, ſicut Lex tales perſonas noſtro fiſco ſociat, ita noſtrâ liberalitate concedimus, ut in poteſtate & in ſervitio domini illius, cujus ſervus fuerit, ambo revertantur.*

Titulus duodeviceſimus eſt *de ultimis voluntatibus*, habétque ſeptimum Articulum omnino conformem undeviceſimo Capitulo libri quarti Capitularium quod pertinet ad Capitulare anno priore Legibus Salicis adjectum, éſtque *de homine libero, ut poteſtatem habeat, ubicunque voluerit, res ſuas dare, & qualiter hoc facere debeat.*

CII. CIII.

Titulus viceſimus-ſecundus eſt *de quantitate Solidorum*. Hunc Titulum, ut & librum quartum Capitularium, claudit Ludovici Auguſti Sanctio *de quantitate Solidorum*, quam ex Friderico Lindenbrogio ante quinquennium [a] jam recitavimus.

[a] Ad a. 816. n. 42.

CIV.

Titulus triceſimus-quartus eſt *de his qui ſe in poteſtate alterius ſubdiderint*, & Articulo ſecundo Ludovicus ita decernit. *Primum omnium placuit nobis, ut cartulæ obligationis de ſingulis hominibus factæ, qui ſe aut uxores eorum aut filios vel filias in ſervitio tradiderint, ubi inventæ fuerint frangantur, & ſint liberi ſicut primitus fuerint.*

CV.

Titulus triceſimus-quintus eſt *de manumiſſionibus*, & hoc terminatur Articulo. *Si quis per Chartam ingenuus dimiſſus fuerit, & à quolibet homine ad ſervitium interpellatus fuerit, primùm legitimum auctorem ſuæ libertatis proferat, & in ſua libertate perſeveret. Si verò legitimus Auctor defuerit, cum teſtimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimiſſus fuerit, ſe defendere permittatur. Si verò teſtes defuerint, cum duabus aliis Chartis, quæ ejuſdem Cancellarii manu fuerint firmatæ vel ſcriptæ, ſuam Chartam, quæ tertia eſt, veram & legitimam eſſe confirmet. Cancellarius tamen talis eſſe debet, qui pagenſibus loci illius notus ſit & acceptus. Si verò qui interpellatus fuerit ad ſervitium, nec auctorem nec teſtimonia habuerit, neque alias duas Chartas ad ſuam Chartam confirmandam invenire potuerit, tunc ii, qui eum interpellavit, ſecundùm Legem ipſam Chartam falſam efficiat, & ſervum conquirat. Si verò interpellator aut auctore aut teſtimoniis aut Chartarum collatione victus fuerit, & hoc, quod voluit, efficere non potuerit, multam, quæ in ipſa ingenuitatis Charta continetur, cogatur exſolvere.* Hic Articulus editus eſt primùm à Carolo Magno, deinde Legi Longobardorum inſertus à Ludovico filio, in Codice enim Bibliothecæ Regiæ deſcriptus reperitur ſtatim poſt ultimum Capitulum Capitularis anno Redemptoris octingenteſimo tertio editi & in tertio Capitularium libro, qui totus eſt de Capitulis *ad mundanæ augmentum Legis* à Carolo promulgatis, Capitulum conſtituit quadrageſimum-tertium.

CVI.

Titulus triceſimus-ſextus eſt *de præſcriptionibus*. Articulo decimo-tertio Ludovicus Imperator ita loquitur. *Placuit nobis de liberis, vel illis hominibus qui ſe per* XXX *annos liberos eſſe dicunt, ut per hanc poſſeſſionem liberi non ſint, niſi de ingenuo patre aut matre nati ſint, aut Chartam libertatis oſtendant.*

CVII.

Titulus quadrageſimus eſt *de reverentia Eccleſiæ ſeu Immunitatibus debita, vel de his qui ad Eccleſiam confugium fecerint, aut in Immunitate damnum dederint.* Articulos hujus Tituli quintum & ſextum edidit Ludovicus Imperator. Utrumque tamen hîc omittimus. Quintum enim, quem Capitulo quadrageſimo libri primi Capitularium *de confugio ad Eccleſiam* ſimillimum reperies, Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium [b] jam deſcripſimus ex Capitulari, quod illo anno *ad Legem Salicam Auguſtus Karolus addere juſſit.* Et ſextum, qui Capitulo quoque decimo-quarto libri quarti Capitularium *de injuriis Sacerdotum vel quorumlibet ex Clero in Eccleſia factis* ſimillimus eſt, pariter anno priori [c] nupertimè recitavimus ex Capitulari, quod Ludovicus Imperator Legibus Salicis addendum conſtituit.

[b] Num. 16.

[c] An. 820. n. 35.

Digitized by Google

Titulus quadrageſimus-ſecundus Articulos complectitur ſeptem, quorum poſtremo Ludovicus Imperator ſancit, *quando Actor forum rei ſequi debeat.* Hunc autem Articulum, qui Capitulo ſeptuageſimo-quarto libri quarti Capitularium, *de eo qui in aliena patria de qualibet cauſa fuerit interpolatus*, ſimillimus eſt, ante quinquennium jam deſcripſimus [a] ex Friderico Lindenbrogio. AN. CH. 821. CVIII. [a] An. 816. n. 41.

Titulus quadrageſimus-tertius *de his qui ad Placitum venire coguntur*, Ludovici quoque Imperatoris Articulo clauditur, quem recitavimus [b] ex Capitulari ad Miſſorum Legationem pertinente, contulimúſque cum Capitulo quinquageſimo-ſeptimo libri quarti Capitularium *de Placitis à liberis hominibus obſervandis.* CIX. [b] An. 820. n. 92.

Titulus quadrageſimus-quartus *de his qui ad Placitum venire contempſerint, & quibus de cauſis mannitio fieri debeat*, quatuor conſtat Articulis, quorum duo poſteriores à Ludovico Imperatore promulgati ſunt, ſupráque jam deſcripti ſunt [c] à nobis ex Capitulari, quod idem Ludovicus Legibus Salicis adjecit. Lege quarto Capitularium libro Capitulum viceſimum-quartum *de proprio in bannum miſſo*, & Capitulum viceſimum-quintum *de mannire.* Hæc enim Capitula prædictis Articulis Legis Longobardicæ ſunt conformia. CX. [c] An. 816. nn. 44. 45.

Titulus duodequinquageſimus *de Advocatis & Vicedominis* conſtat Articulis undecim. Quartus & quintus ſunt Imperatoris Ludovici. Primum horum jam contulimus [d] cum Capitulo ſexageſimo-ſecundo libri quarti Capitularium, quod eſt *de Advocatis Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatiſſarum*, ſitque pars Capitularis ad Miſſorum Legationem pertinentis nuperrimèque deſcripti. Quod attinet ad alterum Articulum, idem eſt cum Canone quinquageſimo Synodi Moguntinæ, qui *de Præpoſitis vel Advocatis ſive Vicedominis* inſcribitur, & à nobis jam relatus eſt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [e], quo celebratum Concilium Moguntiacenſe. CXI. [d] An. 820. n. 97. [e] Num. 126.

Titulus undequinquageſimus *de viduis, pupillis, orphanis, & pauperibus*, tres Articulos habet, atque in his unum ab Imperatore Ludovico editum, qui Salicis quoque Legibus ab eodem Auguſto adjectus eſt, idem eſt enim cum Capitulo decimo-ſexto libri quarti Capitularium *de viduis, pupillis, & pauperibus*, quod ad Salicæ Legis additamentum pertinere ſuo loco monuimus [f]. CXII. [f] An. 820. n. 37.

Titulus quinquageſimus-ſecundus *de teſtibus* in ſeptemdecim dividitur Articulos, quorum decimus duóque proximi ſanciti ſunt ab Imperatore Ludovico. Decimus, ſic. *Si duo teſtimonia de qualibet re teſtimoniaverint, & inter ſe diſcordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera; & illi duo decertent cum ſcutis & fuſtibus, & ipſius, qui de ipſa falſitate convictus fuerit, dextera manus amputetur.* Undecimus idem eſt cum Capitulo viceſimo-tertio libri quarti Capitularium *de falſis teſtibus convincendis*, & à nobis ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum [g] ex Friderico Lindenbrogio jam deſcriptus fuit. Duodecimus verò ſic habetur. *Conſtitutum eſt, ut nullus laicus crimen Clericis audeat inferre. Teſtimonium Clerici adversùs laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter, pro qualibet cauſa intret in curiam, nec ante Judicem cauſam dicere præſumat. Quoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatione ſimulacrorum. Et ſi quis Clericus Clericum accuſans in curiam introierit, anathema ſit.* In hoc Articulo Ludovici multa ſunt conformia Decreto Caroli Magni, quod in tertio Legis Longobardicæ libro ſexdecim conſtituit Articulos Tituli primi *de Epiſcopis & Clericis, & de his quæ ad utilitatem publicam pertinent*, nec à nobis omiſſum fuit ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octingenteſimum-primum [h] Tomo ſuperiore. CXIII. [g] Num. 40. [h] Nn. 9. & ſeqq.

Titulus quinquageſimus-tertius *de officio Judicis* conſtat Articulis quatuor ac viginti. Tres ex illis editi ſunt ab Imperatore Ludovico, nempe decimus-ſeptimus, decimus-octavus, & decimus-nonus. Hic tamen à nobis CXIV.

AN. CH. 821. LUDOV. IMP. 8. LOTHAR. IMP. 5. PIPPINI R. 7. LUDOV. R. 5.

prætermittuntur, quia in Capitulari ad Miſſorum Legationem pertinente nuper recitati ſunt [a] ex quarto Capitularium libro; Articulus decimus-ſeptimus partim ex Capitulo quadrageſimo-quarto *de Legatione omnium Miſſorum Dominicorum, de quibus videlicet cauſis agere debeant*, partim ex Capitulo quadrageſimo-quinto, *de illis libertatibus & rebus reddendis, quæ in Dominica veſtitura ſunt, qualiter inquirantur*; Articulus decimus-octavus ex Capitulo ſexageſimo-quarto *de Comitibus & Vicariis admonendis de conſtitutione Legis*; Articulus decimus-nonus ex Capitulo ſexageſimo-ſeptimo *de Miſſis Dominicis, ubi diutiùs non debeant immorari.*

[a] An. 820. nn. 89. 90. 99. 102.

CXV. Titulus quinquageſimus-ſextus, *qualiter quiſque ſe defendere debet de waidiis, & in quibus cauſis pugna prohibeatur, vel fieri debeat*, dividitur in Articulos quadraginta. Ludovicus Imperator duos ex his edidit, nempe viceſimum-ſextum & viceſimum-ſeptimum, eóſque non Legibus tantùm Longobardicis ſed etiam Salicis adjecit, ut patet ex additamento ad Leges Salicas, quod ex quarto Capitularium libro ſuprà deſcripſimus [b], ambo enim ſimillimi ſunt Capitulo duedetriceſimo illius libri *de Sacramentis, ubi juranda ſint.*

[b] An. 820. n. 47.

CXVI. Tertii libri Titulis, primo, tertio, ſeptimo, & triceſimo-quinto, inſerti quoque ſunt à Ludovico Articuli, quorum pleroſque ſuprà deſcripſimus, nec repetemus.

CXVII. Titulo primo *de Epiſcopis & Clericis, & de his quæ ad utilitatem publicam pertinent* Ludovicus adjecit Articulum triceſimum-primum alióſque ſeptem ſubſequentes, quos fermè omnes ex quarto Capitularium libro jam recitavimus [c], partim in additamento ad leges Salicas, partim in Capitulari ad Miſſorum Legationem ſpectante. Conveniunt enim, Articulus triceſimus-primus cum Capitulo triceſimo-primo prædicti libri *de injuſtis tholoneis & conſuetudinibus*, Articulus triceſimus-ſecundus cum Capitulo quadrageſimo-tertio *de pontibus per diverſa loca emendandis*, Articulus triceſimus-tertius cum Capitulo quadragoſimo-ſeptimo *de injuſtis conſuetudinibus noviter inſtitutis*, Articulus triceſimus-quartus cum Capitulo duodequinquageſimo *de honore Eccleſiarum*, Articulus triceſimus-quintus cum Capitulo ſexageſimo *de pontibus publicis*, Articulus triceſimus-ſextus cum Capitulo quinquageſimo-primo *de obſervatione Præceptorum Dominicorum*, Articulus triceſimus-octavus cum Capitulo undeſeptuageſimo *de Miſſis Dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.* Quod attinet ad Articulum triceſimum-ſeptimum, is ita profertur. *Ut omnis ordo Eccleſiarum Lege Romanâ vivat, & ſic inquirantur & defendantur res Eccleſiaſticæ, ut emphiteuſeos contractus, unde Eccleſia damnum patitur, non obſerventur, ſed ſecundùm Legem Romanam deſtruantur, & pœna non ſolvatur.* Emphyteuſis, malè recentioribus emphiteoſis, derivatur à Græco ἐμφυτεύω, quod eſt, *confero*, dicitúrque cùm quis prædium ad certos annos accipit eâ lege ut illud vel conferat vel emendatius reddat. Gregorius Magnus in literis ad Petrum Subdiaconum ſic ſcribit [d]. *Multi huc veniunt, qui terras aliquas vel inſulas in jure Eccleſiæ noſtræ, in emphyteuſim ſibi poſtulant dari; & aliquibus quidem damus, aliquibus verò jam conceſſimus. Sed tua experientia Sanctæ Eccleſiæ utilitatem conſpiciat, memor quòd ante ſacratiſſimum beati Petri Apoſtoli corpus poteſtatem patrimonii ejus acceperit, &, licèt hinc ſcripta decurrant, quod utilitatem patrimonii impedit, fieri nullomodo permittat, quia nec nos ſine ratione aliquid dediſſe reminiſcimur, vel dare diſponimus.* Emphyteuſes igitur à ſe conceſſas, niſi in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedant, executioni demandari vetat, ut in Titulo *de jure emphyteotico* rectè colligit eruditiſſimus Cardinalis Carafa, qui Titulorum Indicem ex Regiſtro Gregorianarum Epiſtolarum diligenter excerpſit. Hanc diſtinctionem obſervat Ludovicus Pius in Articulo, quem examinamus, ſolos enim contractus emphyteuſeos *unde Eccleſia damnum patitur*, deſtrui ſeu reſcindi præcipit, idque vult fieri *ſecundùm Legem Romanam*, quia ſuprà præmiſit, *ut omnis Ordo Eccleſiarum*

[c] An. 820. nn. 50. 62. 83. 86. 104.

[d] Lib. 1. ep. 70.

Digitized by Google

Lege Romanâ vivat. Per Legem autem Romanam Codicem intellige Theodoſianum, qui, prout Stephanus Baluzius in Notis ad Legem Ripuariorum [a] advertit, *erat valdè favorabilis Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, adeóque propter hanc cauſam & Principes Eccleſiis conceſſerunt uſum hujus Legis, & qui in Clerum aſſumebantur, relictis Legibus ſecundùm quas hactenus vixerant, ad iſtam ſe conferebant.* AN. CH. 821.

[a] Cap. 58.

Titulo tertio *de decimis* Ludovicus adjecit quintum Articulum, qui ſimillimus eſt Capitulo quadrageſimo libri quarti Capitularium *de nonis & decimis* à nobis ſuprà deſcripto [b] in additione ad Leges Salicas. CXVIII.

[b] An. 810. n. 59.

Adjecit & integrum Titulum ſeptimum in duos diſtinctum Articulos, quos ex quarto quoque Capitularium libro jam recitavimus [c], unum in Capitulari Legibus Salicis addito, alterum in Capitulari ad Miſſorum Legationem ſpectante. Primus enim idem eſt cum triceſimo prædicti libri Capitulo *de deſpectu literarum Dominicarum;* ſecundus idem cum Capitulis, quinquageſimo-quinto *de falſa moneta & de aliis diverſis cauſis prohibendis,* & quinquageſimo-ſexto *de Miſſorum Dominicorum obſervatione.* CXIX.

[c] An. 810. nn. 49. 90.

Denique Ludovicus adjecit Titulum triceſimum-quintum, *ut Imperatoris foreſtes cuſtodiantur, & alieno jure non fiant.* Hæc autem Sanctio in quarto Capitularium libro conſtituit Capitulum ſexageſimum-quintum *de foreſtibus Dominicis,* quod in Capitulari ad Miſſorum Legationem pertinente jam deſcriptum [d] reperies. CXX.

[d] An. 810. n. 100.

AN. CH. 822.

ANNUS CHRISTI 822.

LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

LUDOVICI	IMP.	9.		
	REG.	42.	17.	5.
LOTHARII	IMP.	6.		
	REG.	8.		
PIPPINI III.	REG.	8.	6.	
LUDOVICI	REG.	6.		
INDICTIO		15.		

I. VARIA LUDOVICI AUG. DIPLOMATA.

UTRÙM anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, an ſequenti, datum ſit à Ludovico Pio Præceptum pro Eccleſia Mutinenſi, quod emiſſum dicitur Aquiſgrani ſexto Idus Februarii, diſputant Sigonius & Ughellus. Ille primam opinionem, alteram hic amplectitur. Controverſiæ locum Chronologici faciunt Characteres, annus Ludovici Imperatoris nonus qui convenit cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, & Indictio prima quæ per menſem Februarium anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio illigatur. Sigonius ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum de Ludovico ſic ſcribit. *Ibi,* nempe Aquiſgrani, *ſedens* VI *Idus Februarias Adeodato Epiſcopo Mutinenſi confirmavit omnia prædia atque omnia jura, quæ ſuperiores Reges Eccleſiæ Mutinenſi indulſerant, Cunipertus, Luitprandus, Hildebrandus, Rachis, Deſiderius,*

Digitized by Google

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

& genitor ſuus Carolus, ſanciens ne quis Judex publicus, aut Comes, aut Gaſtaldius, ſuper his litem movere poſſet, & ut in demortui Epiſcopi locum, ſi quis illo honore dignus in Clero reperiretur, ipſi ſuis ſuffragiis deligere Epiſcopum poſſent. Ughellus [a] verò ſic in Adeodato Epiſcopo Mutinenſi. *Ludovicus Imperator omnia Privilegia Mutinenſi Eccleſiæ à ſuis prædeceſſoribus olim indulta rata habuit an. 823.* Ipſum Diploma refert integrum cum notis hiſce Chronologicis. *Dat. ſexto Idus Februarii, anno, Chriſto propitio, nono Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione primâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regis in Dei Nomine feliciter. Amen.* Diſceptationem omnem dirimit locus, ubi datum Diploma. Ludovicus enim anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo menſem Februarium Aquiſgrani tranſegit, ubi tunc hyemabat, ut ex ejus vita per Aſtronomum ſcripta & ex Annalibus Laureshamenſibus liquet. Eodem anno, Natalem Domini celebravit Francofurti ad Mœnum, ibique manſit anno ſequenti per menſem Februarium, imò & per menſem Maïum, ut inferiùs patebit. In Charta igitur, cujus ſubſcriptionem examinamus, retinendus eſt annus Ludovici Imperatoris nonus, & Indictionis 1 loco reponenda 15. Atque hi Characteres cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo per menſem Februarium comparantur. Diploma ſic editum eſt ab Ughello. *In nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si petitionibus Sacerdotum ac ſervorum Dei ad divini cultûs augmentum opem accommodamus, id nobis non ſolùm ad ſtabilitatem Regni noſtri, verùm etiam ad æterna præmia faciliùs aſſequenda plurimùm pertinere confidimus. Idcircò notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris; qualiter vir venerabilis Eccleſiæ Mutinenſis Epiſcopus, quia pro ſenectute & infirmitate corporis ad nos pervenire non poterat, miſit quendam Presbyterum ſuum, nomine Julianum, per quem nobis ſuggeſſit petendo de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus, quas Reges Longobardorum, propter timorem & amorem Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti & Sancti Geminiani Confeſſoris ejus, eidem Eccleſiæ vel donaverunt vel ab aliis datas confirmaverunt, ut inſpectis eorum Regum Præceptis & confirmationibus eaſdem res ſive poſſeſſiones ad eandem Eccleſiam noſtræ auctoritatis Præcepto confirmaremus. Cujus petitioni, quia juſta & ratione ſubnixa videbatur, opem libenter accommodare & aſſenſum præbere nobis placuit. Inſpectis igitur ac benè lectis prædictorum Regum Longobardorum Præceptis vel confirmationibus, placuit nobis Donationes & conceſſiones ſive confirmationes eorum hoc noſtræ auctoritatis Præcepto juxta petitionem memorati Epiſcopi ad eandem Eccleſiam confirmare, id eſt, in primis confirmationem quam Cunibertus Rex fecit ad Eccleſiam Sancti Geminiani de villa Purcili, ſive tributum, vel ſubſidiales, atque angarias, quas ſervi ejuſdem Sancti Geminiani ad ipſum caſalem laborandum & excolendum habuerunt; ſimiliter & præcipuè quod fecit Luitprandus Rex ad ſupraſcriptam Eccleſiam de ſervis & aliis rebus ad jus Eccleſiæ S. Geminiani pertinentibus, & in fine Saliſtina reſidentibus in villis, quarum vocabula ſunt, Gandazetum, Gabellum caſtrum cum ſuis piſcariis, quod fuit ab antiquo tempore Maſſa Sancti Geminiani, ſuper quibus eſt præceptum Rachiſii Regis nobis oſtenſum; ſimiliter & Deſiderii, necnon & Præceptum Hildeprandi Regis, quod fecit ad Eccleſiam Sancti Geminiani, propter petitionem Joannis Epiſcopi, de Eccleſia Sancti Petri juxta muros civitatis Geminianæ, quæ nunc nova civitas vocatur, cum omnibus rebus atque appendiciis; quæ ad ipſam Eccleſiam pertinent, vel quod ab Epiſcopis juſtè acquiſitum fuerit; ſimiliter & Donationem, quam fecit piæ Recordationis Dominus & genitor noſter Carolus Imperator petenti Geminiano Mutinæ Epiſcopo de molendino prope ſtratam cum acceſſione ſive aquario, quod pertinebat ad curtem Regis civitatis nova, necnon & res, quas duo Romani homines, Gonderaldus videlicet & Conſtantinus, & eorum uxores Maria & Agnita, ad Eccleſiam Sancti Geminiani donaverunt. Item Oratorium Sancti Apollinaris in Agnano ſitum intra judiciarium montem Belienſem, ſive Oratorium Sancti Donnini conſtructum prope Cluſiam ſuper fluvium Nicuven, necnon*

PRO ECCLESIA MUTINENSI,

[a] Tom. 2.

Digitized by Google

necnon & oliveta infra muros caſtri Mombelienſis poſita & ad Eccleſiam eandem pertinentia. Hæc res jam enarratas Mutinæ Eccleſiæ vel Sancti Geminiani juxta petitionem prædicti viri venerabilis & Oratoris noſtri Deuſdedit Epiſcopi, quas Reges donaverunt vel confirmaverunt, ſive alii devoti ac Deum timentes homines ad eandem Eccleſiam ſolenni Donatione contulerunt, & modò in ejuſdem Eccleſiæ jure tenentur, vel inde injuſtè ac violenter abſtractæ erunt, hoc noſtræ auctoritatis Præcepto ad eandem Eccleſiam confirmare placuit. Quapropter præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel Comes, vel Gaſtaldus, ſive qualibet poteſtate prædita perſona, memoratum Epiſcopum, vel ſucceſſores ejus, atque Eccleſiam Sancti Geminiani, de ſupradictis rebus, quas ſupranominati Reges ad eandem Eccleſiam confirmaverunt, & nos hac noſtrâ auctoritate confirmamus, inquietare aut injuſtè pulſare, aut aliquid ex iis contra juris ordinem abſtrahere, alienare, aut eis calumniam ingerere præſumat, ſed liceat eas memoratæ Eccleſiæ & Rectoribus ejuſdem ſub noſtra ſucceſſorúmque noſtrorum defenſione quieto ordine tenere ac poſſidere, abſque cujuſlibet, ſicut jam diximus, injuſtâ contrarietate. Conceſſimus & hoc Privilegium memoratæ Eccleſiæ, ut ſi poſt deceſſionem Epiſcoporum ipſius Sedis talis in Clero inventus fuerit, qui ſecundùm Canones Epiſcopatûs honorem & officium habere poſſit, licentiam habeant eligendi inter ſe. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & noſtris ac futuris temporibus Domino protegente valeat incorrupta manere, manu propriâ ſubſcripſimus, & eam de annulo noſtro ſigillari juſſimus, violatorem duabus libris auri condemnantes. Signum Ludovici Sereniſſ. Imperat. Durceden Diaconus ad vicem Fridegili recognovi. Dat. ſexto Idus Februarii, anno, Chriſto propitio, nono Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione primâ (legendum monuimus, Indictione decimâ-quintâ.) *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Donationes, quas Reges Longobardorum, Chunibertus, Luitprandus, Hildeprandus, Rachiſius, & Deſiderius, Eccleſiæ Mutinenſi vel fecerunt vel confirmarunt, ad noſtros Annales nullatenus pertinent. Caroli Magni Præceptum pro eadem Eccleſia laudavimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſecundum, quo datum legitur, cùm Carolus annum Regni decimum-quartum in Francia, nonum in Italia ſeu Longobardia numeraret, Geminiano Mutinenſis Eccleſiæ tunc Epiſcopo. Huic ſucceſſit in Epiſcopatum Geiſo, deinde Adeodatus ſeu Deuſdedit, qui ſenex atque infirmus anno Ludovici Imperatoris nono dicitur in Charta proximè deſcripta. Quot annos ſuperſtes vixerit, nemo prodit. In Epiſcoporum Mutinenſium Catalogo ſequitur Jonas, de quo recurret ſermo.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

II. PRO ECCLESIA PADERBORNENSI.

Ludovicus Auguſtus hoc eodem anno, Imperii ſui nono, menſe Aprili, Indictione decimâ-quintâ, cùm apud Aquiſgranum eſſet, hoc emiſit Præceptum pro Eccleſia Paderbornenſi, cui Baduradus Epiſcopus Hathumari ſucceſſor tunc præſidebat. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejuſque in eis locis ſibi famulantes beneficia potiora largimur, præmium apud Dominum eternæ remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum eſſe volumus cunctis fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia Venerabilis Vir Baderadus Epiſcopus Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis & Sancti Kiliani in loco, qui dicitur Paderbrunno, miſſâ petitione deprecatus eſt, ut prædictam Sedem cum omnibus ad ſe juſtè & legaliter moderno tempore pertinentibus vel aſpicientibus ſub noſtra tuitione & Immunitatis defenſione cum rebus & mancipiis conſtitueremus, quod ita & feciſſe omnium fidelium cognoſcat Induſtria. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus vel quiſlibet ex Judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memoratæ Eccleſiæ, quas moderno tempore infra ditionem Imperii noſtri legibus poſſidet, vel quæ deinceps in jure ipſius loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas judiciario more audiendas vel freda exigenda aut manſiones vel paratas faciendas aut fidejuſſores tollendos aut homines*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

ipſius Eccleſiæ contra rationem diſtringendos, nec ullas redibitiones vel inlicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus res prædictæ Eccleſiæ cum omnibus, quas poſſidet, quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere Imperio. Quicquid verò fiſcus exinde ſperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ Eccleſiæ ad ſtipendia pauperum & luminaria concinnanda concedimus, qualiter meliùs delectet Clericos in eadem Sede degentes pro nobis, conjuge & prole noſtra, Domini miſericordiam exorare, & ut hæc auctoritas per futura tempora meliùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Hirminmarus Diaconus ad vicem Fridagiſi Abbatis recognovi. Data quarto Non. April. anno VIIII *Imperii Domni Hludowici Piiſſimi Auguſti, Indictione* XV. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Diploma reperitur editum in Cenſura Diplomatis Lindavienſis, capite tertio.

III. PRO MONASTERIIS SENONENSIBUS,

Ludovicus Auguſtus hoc eodem anno, Imperii ſui nono, menſe Maio, cùm apud Aquiſgranum adhuc morabatur, pro tribus Monaſteriis Senonenſibus, Sancti Petri, Sancti Joannis, & Sancti Remigii, Præceptum dedit, cujus autographum Clariſſimus Dominus Antonius *de Vyon d'Heronval* nobis commodavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati ſumus, ſoli Deo ſub ſanctâ Religione militantibus, ad laudem honorémque ipſius & ad animarum ſalutem ſupernis Angelorum cœtibus in æterna beatitudine adſcribendarum, terrena commoda ſubſidii temporalis, ſine quibus præſens vita tranſigi non poteſt, comparamus, ut illi tantummodo ſine impedimento, quantùm præſentis mortalitatis ſinit fragilitas, liberè deſerviant, cui ſemel ſe mancipaſſe ad laudem obſequiúmque ipſius toto vitæ ſuæ curſu noſcuntur, noſtri laboris ſtudium & pietatis opus apud Deum nullatenus fore ſine fructu credimus, ſine quo nec velle quiſque benè poteſt, quantò magis perficere. Igitur comperiat omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ tam præſentium quàm futurorum ſinceritas, quia Vir Venerabilis Hieremias Sanctæ Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus humili ſuggeſtione Clementiæ noſtræ innotuit, eò quòd Cellæ Cœnobiales Epiſcopii, cui authore Deo præeſt, id eſt, Cella Sancti Petri, & Cella Sancti Joannis, & Cella Sancti Remigii, in quibus Monachi ſub ſanctâ Regulæ diſciplina Religioſam vitam divinæ pietati toto laboris adniſu debent exhibere, variis caſibus diverſíſque indigentiis, quibus humana fulcitur fragilitas, anteadicti ſub manibus & poteſtate anteceſſorum ipſius urguente omnimodâ inopiâ longè à ſuo propoſito aberrantes exorbitaverunt, dum videlicet memoratarum ſubſtantia Cellarum per diviſionem olim factam imminuta fuiſſet, & qui præerant Epiſcopi non habentes unde ſubſidia ſumptuum ſuis uſibus neceſſaria caperent, ex eiſdem Cellis, quantùm extorquere quibant, dum aliunde ſufficientiam habere non poſſent, dari ſibi cogebant, ſícque fiebat, ut hii, qui devotâ ſtabilitate mentis & corporis ibidem ſuperna pietati laudes perſolvere, ſuámque vitam commendare, pro noſtra quoque & conjugis ac liberorum incolumitate & pro Regni divinâ nobis miſeratione conceſſi conſervatione, próque totius Eccleſiæ indulgentia interpellare debebant, dum à Monaſterii clauſtris turpiter quæritando ea, quibus ſuam tuerentur inopiam, longè latéque vagarentur confuſo ordine, quem ſervare debebant, non ſolùm eorum uſu, quæ præmiſimus, nobis nihil prodeſſe poterant, verùm etiam ſibi ſuiſque Prælatis non abſurdè plurimùm crederentur obeſſe. Cujus gratiâ, & memorati Epiſcopi precibus admoniti, dignum opus ſuprà fieri duximus, ut dum adhuc in hoc mortali corpore ſubſiſtimus, non ſolùm qui nunc temporis in eiſdem locis divinis cultibus mancipati eſſe noſcuntur, ſed illis quoque, qui futuris temporibus amore ſuperna ſapientiæ illuſtrati eadem ad ſerviendum Deo expetierint loca, proſpiciamus, quatenus ex eiſdem temporalium ſolatia ſumptuum ſuo ordini congruentia habeant, quibus in hac peregrinatione interim ſuſtentari queant, donec ad æterna patriæ gaudia divina miſeri-*

Digitized by Google

tordiâ vocati valeant pervenire. Conſtituentes itaque hoc noſtræ autoritatis Præceptum juxta memorati Epiſcopi petitionem decrevimus fieri, ut ex rebus, quaſcumque ſuprà jam nominatæ Cellæ tunc temporis uſibus Monachorum ibidem Deo deſervientium deputatas habent, nullus Epiſcoporum, quicumque divinâ vocatione per tempora ſucceſſerit, præſumat aliquid ſubtrahere vel imminuere quolibet argumento vel occaſione, neque in beneficium dare, aut ſuis uſibus adplicare, ſed ita per omnia conſervari ſtudeat, ſicuti memoratus Epiſcopus in libelli ſerie ſingula præſertim loca adnotando digeſſit, & manu ſuâ ſubſcripſit, & in Conventu Epiſcoporum eos, qui aderant, ſubſcribere rogavit, propter cavendas omnimodas contentiones, quæ futuris temporibus poterant oboriri, ſed nec etiam aliud ſervitium vel majora munera inde ſibi pro tempore uſurpet, præter ea quæ in libello eodem idem ipſe Epiſcopus inſerere putavit, ac ne hujus decreti causâ in eiſdem Cœnobiis Abbates vel Monachi conſtituti contra ſuum incipiant ſuperbire Epiſcopum, præcavimus omnem occaſionem amputandam, neque locum diabolo dandum, ſalvâ ſcilicet in omnibus autoritate & poteſtate Epiſcopi in cunctis Eccleſiaſticæ Regulæ diſciplinis, videlicet ut eaſdem Cellas ſub proprio ſemper regimine gubernans ſecundùm inſtitutionem ſanctæ Regulæ Abbates conſtituat, &, ſi neceſſe fuerit, mutet, prava quoque corrigat, ſuperflua reſecet, virtutes nutriat, eradicet vitia, ùtque bonus agricola evellens frutices, Patrum ſequens inſtituta, diſcernat qualemcumque terræ ſementem mandare debeat. Hanc autem noſtræ Conſtitutionis autoritatem ideo factam, ne Religionis ordo in ſuprafcriptis locis, noſtris futuriſque temporibus confundatur, ſed per omnia in Dei ſervitio, ad cujus laudem & obſequium conditi ſumus, inviolabiliter in perpetuum conſervetur, ut pleniorem in Dei Nomine cunctis temporibus obtineat firmitatem, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludowici Sereniſſimi Auguſti. Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovi. Data XV *Calendas Junii, anno, Chriſto propitio,* VIIII *Imperii Domini noſtri Hludowici Sereniſſimi Auguſti, Indictione* XV. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Præceptum ex eodem autographo poſt Notas ad Capitularia [a] publicavit Stephanus Baluzius adjecto ad oram *an. 822.* Sed errore typographico perperam irrepſit Imperii Ludoviciani annus VIII, qui certè per menſem Maium nec cum Indictione decimâ-quintâ, nec cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, ſed cum Indictione decima-quarta & anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo convenit. Multò graviùs peccatum eſt Tomo quarto [b] Galliæ Chriſtianæ, in quo Characteres Chronologici Chartæ, de qua loquimur, ſic editi reperiuntur. *Data 15 Kal. Junii, anno Epiſcopi propitio 14 Imperii Domini noſtri Hludovici Sereniſſimi Auguſti, Indict. 12.* Loco *Epiſcopi* reſtituenda vox *Chriſto*, ſic, *anno Chriſto propitio 14.* Porrò per menſem Maium annus Imperii Ludoviciani decimus-quartus, quia cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo comparatur, non Indictioni duodecimæ ſed quintæ debet illigari. Standum autem ab autographo ſuprà deſcripto, magnoperéque laudandus Hieremias Senonenſis Archiepiſcopus, quòd tantam Monaſteriorum curam geſſerit. Hunc zelum egregiè confirmabunt infrà, quæ ſpeciatim pro Cœnobio Sancti Petri confecit Frodeberto illius loci tunc Abbate. Nec minorem adhibuit diligentiam, ut Monaſticen à Ferrarienſibus Canonicis nuperrimè ſuſceptam promoveret. Aldricum, virum eruditione ac pietate conſpicuum, qui Canonicam vitam ſub Abbatibus Alcuino & Sigulfo duxerat, agebátque Monaſticam ſub Adelberto Abbate, plurimùm dilexit [c]; Diaconum, deinde Preſbyterum ordinavit, à Ludovico Auguſto Scholæ Palatinæ paulò pòſt præficiendum, futurúmque proximum Abbatis Adelberti ſucceſſorem.

[a] Ad. 31.

[b] In Abb. S. Remig. Senon.

[c] Vit. MS. Aldrici; Tavell. in Hieremia Arch. Senon.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOVI R. 6.

Hactenus tria deſcripſimus Præcepta, quæ duobus Characteribus hunc annum deſignantibus nituntur, anno videlicet nono Imperii Ludoviciani & Indictione decimâ-quintâ. Sequitur quartum, quod ad hunc quoque annum pertinet, quamvis Indictione primâ conſignetur, datum eſt enim

IV. PRO MON. S. CHRISTINÆ,

AN. CH 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

quarto Kalendas Octobris Indictione primâ Kalendis Septembribus jam inchoatâ. Extat in Regiſtro *Immunitatum Civitatum, Papiæ, Vercellarum, Terdonæ, Novariæ & Alexandriæ*, quod mihi communicatum eſt à Clariſſimo Viro Antonio *de Vyon* Domino *d'Herouval*, publicique juris factum nuper prodiit in Appendice veterum Actorum poſt Notas ad Capitularia. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſuperni muneris donum nobis à Domino impertiri credimus. Idcircò notum eſſe volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtriſque, præſentibus ſcilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Petrus Abbas ex Monaſterio Sanctæ Chriſtinæ, quod eſt ſitum prope villam noſtram Ollonnam, obtulit obtutibus noſtris auctoritatem Immunitatis Domni & Genitoris noſtri Karoli bonæ memoriæ Sereniſſimi Imperatoris, in qua continebatur inſertum, qualiter ipſe prædictum Monaſterium cum omnibus rebus & hominibus, quos tam de Donatione Regum Reginarumque, quàm etiam reliquorum Deum timentium hominum, idem Monaſterium eo tempore legitimè poſſidebat, ſub ſuo munimine & defenſione conſiſtere fecit, & ejus auctoritate Immunitatis hactenus ab inquietudine judiciariæ poteſtatis idem munitum atque defenſatum fuiſſe Monaſterium. Et pro firmitatis ſtudio poſtulavit idem Petrus Abba Serenitatem noſtram, ut paternæ auctoritati noſtram quoque adderemus auctoritatem. Cujus precibus, ob divini cultûs amorem & venerationem ipſius ſancti loci, adſenſum præbentes, hanc auctoritatem Immunitatis noſtræ eidem Monaſterio fieri juſſimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut memoratum Monaſterium cum omnibus rebus & hominibus ad ſe præſenti tempore juſtè & legaliter pertinentibus vel aſpicientibus ſub Immunitatis noſtræ defenſione modis omnibus conſiſtat, & nullus Judex publicus vel quilibet ex Judiciaria poteſtate, in Eccleſias aut villas, curtes, loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quas moderno tempore juſtè & legaliter poſſidet in quibuſlibet pagis vel territoriis infra ditionem Imperii noſtri, vel deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, ſive fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii diſtringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occaſiones requirendum, noſtris futuriſque temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati ejuſque ſucceſſoribus res prædicti Monaſterii cum omnibus quæ poſſidet, ſicut in Præcepto Domini & Genitoris noſtri continetur, ſub Immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere Imperio, quatenus Congregationi ibidem Deo famulanti pro nobis & conjuge proléque noſtra, vel pro ſtabilitate totius Imperii noſtri à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas noſtris futuriſque temporibus valeat inconvulſa manere, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovit. Datum IIII Kal. Oct. anno Chriſto propitio VIIII Imperii Domini Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione primâ. Actum Ciſpiacho in Ardenna, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Ollonna & Monaſterium Sanctæ Chriſtinæ pertinent ad Regnum Italicum ſeu Longobardicum, ideóque Reges ac Reginas quorum Donationes in Præcepto proximè recitato commendantur, interpretare Reges ac Reginas, qui prædictum Cœnobium variis donis locupletarunt, antequàm Longobardia in poteſtatem Caroli Magni deveniret. Ut autem Sanctæ Chriſtinæ Monaſterium in Diœceſi Vercellenſi poſitum exiſtimemus, ſuadent Regiſtrum ſuprà laudatum & Glaber Rodulphus in vita Sancti Guilelmi Abbatis San-Benigniani ſi ſimul conferantur. Regiſtrum enim, ex quo Ludovicianum Diploma tranſcripſimus, Immunitates Vercellarum complectitur, & Glaber de Sancto Guilelmo ex Galliis Romam pergente ſic ſcribit [a]. *Cæpit febricitans ægrotare. Jam jámque ad Cœnobium Sanctæ Virginis Chriſtinæ pervenieus in lectum decu-*

[a] Ap. Bolland. d. 1. Jan.

buit. Qui paullulum convaleſcens Vercellas devenit, rurſúſque ibidem prævìs periclitari cœpit. AN. CH. 822. V.

Franciſcus Nouguierus in Hiſtoria Eccleſiæ Avenionenſis [a], Diploma, quod biduo putat antiquius Senonenſi ſuprà deſcripto, ſic profert. *In Nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus Divinâ ordinante Clementiâ Imperator Auguſtus. Si fidelium noſtrorum petitionibus piè & gratanter annuimus, maximum nobis retributionis apud Deum fructum profuturum credimus, atque fidelium noſtrorum devotionem magis magíſque roborari confidimus. Itaque omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtrorum, videlicet præſentium & futurorum, comperiat multitudo, quia adeuntes Serenitatem noſtræ eximiæ poteſtatis, quidam ſpectabilis vir & propinquus noſter necnon charìſſimus nobis Hugo Comes, atque etiam Theutbertus fidelis noſter, noſtram Sublimitatem humiliter poſtularunt, ut quamdam villam, Bitteritam * nomine, cum ſuis omnibus, quæ dici & nominari poſſunt, ad eandem villam ex antiquitate juſtè & legaliter pertinentibus, ſitam in Comitatu Avenionenſi, ſeu etiam medietatem de deſcenſu Rhodani, cuidam Epiſcopo fideli noſtro, Remigio nomine, cum univerſis adjacentiis ſuis concederemus. Quorum precibus propter diuturnum famulatum ab ipſis ſinceriſſimè exhibitum libentiſſimè annuentes, hos noſtræ Sublimitatis apices fieri cenſuimus, per quos memoratam villam cum univerſis rebus ibidem pertinentibus ad Sedis Avenion. Eccleſiam in honorem Sancti Stephani conſecratam, propter remedium animæ noſtræ, ſubjectam eſſe ſtatuimus, & jure perpetuo ſub integritate firmare ſtuduimus, ut deinceps omni tempore ſupradictus Remigius Epiſcopus, & omnes Pontifices Eccleſiæ Avenion. exinde ordinare, quidquid rationabiliter decreverint, perpetualiter ratum habeant, Privilegii noſtri auctoritate, abſque cujuſlibet ſubſtractionis injuria, ſeu injuſtæ repetitionis calumnia. Hoc autem noſtræ Immunitatis Præceptum, ut invialabilem obtineat firmitatem, more Imperiali ſubter ſignavimus, & annulo noſtro illud juſſimus ſigillari. Signum Hludovici Sereniſſimi Auguſti. Gernerius Notarius ad vicem Alexandri Archicancellarii recognovi. Datum* XVII *Calend. Junii, Indictione* XIV. *anno* IX *Regni Domini Hludovici Piiſſimi Imperatoris. Actum Viennæ feliciter. Amen.* At hoc Diploma non eſt Ludovici Pii, ſed Ludovici Imperatoris, qui Boſonis Regis filius fuit, multóque ſeriùs vixit matre natus Ermengarde, Ludovici Secundi Imperatoris filiâ, Lotharii Auguſti nepte, Ludovici Pii pronepte. Sententiam hanc adverſus Nouguierum amplexus eſt in Hiſtoria Provinciæ Honoratus Bouchius [b], cui lubentiſſimè ſuffragamur. Certè Ludovicus Pius, ſi decimo-ſeptimo Kalendas Junias, anno Imperii ſui nono, morabatur Viennæ, biduo pòſt Aquiſgrani non emiſit Diploma pro Monaſteriis Senonenſibus, quod ex autogropho proximè deſcripſimus cum hac ſubſcriptione. *Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovi. Data* XV *Calendas Junii, anno, Chriſto propitio,* VIIII *Imperii Domini noſtri Hludowici Sereniſſimi Auguſti, Indictione* XV. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.* Deinde Ludovicus Pius annum Imperii ſui nonum per menſem Maium cum Indictione decima-quarta non comparavit, ſed cum Indictione decima-quinta, ſive cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo. Præterea licèt extent quamplurima Ludovici Pii Diplomata, quibus fides abrogari nequeat, in his tamen nomen Gernerii Notarii vel Alexandri Archicancellarii nuſquam occurrit. Denique in Diplomate, quod examinamus, nominantur *Hugo Comes atque Theutbertus*, quos Ludovico Boſonis Regis filio ſynchronos multæ produnt Chartæ. De Hugone teſtis eſt in Valentinis [c] Epiſcopis apud Joannem Columbum Charta, in qua Ludovicus Imperator patrem ſuum Boſonem, matrem ſuam Hermingardem, propinquum ſuum Hugonem ſic commemorat. *Nos pro remedio animæ Genitoris noſtri Boſonis, ac Piiſſimæ genitricis noſtræ Hermingardis, atque ad deprecationem Inclyti Ducis ac Marchionis noſtri Hugonis, videlicet propinqui noſtri, comperimus* &c. De Theutberto teſtis eſt apud Bouchium loco jam citato Charta, in qua Ludo-

[a] Num. 22.

AN ETIAM PRO ECCLESIA AVENIONENSI?

* Bedarridæ.

[b] Lib. 6. ſect. 1.

[c] Lib. 2. n. 15.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6

vicus Rex ita ſcribit. *Noſſe volumus, quod induſtriſſimus quidam fidelis noſter nomine Teutbertus Illuſtris Comes noſtram adiit Poteſtatem obſecrans, ut Sedem Aptenſis Eccleſiæ ipſius ſcilicet Comitatûs, variis caſibus tam paganorum quam etiam nequam Chriſtianorum adnihilatam, quantulumcumque conſolaremur.* &c. *Actum eſt hoc Præceptum anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXCVI. *Indict.* XIV. *apud Carpetratenſium Monaſterium, anno* VI *regnante Ludovico glorioſo Rege.* Dubium igitur nemini poteſt eſſe, quin Charta, quam Ludovico Pio Nouguierus adjudicat, Ludovico Boſonis filio ſit attribuenda. Porrò Ludovicus Boſonis filius Rex eſſe cœpit anno Redemptoris octingenteſimo nonageſimo, Imperator anno Chriſti duodenongenteſimo. Utrumque conſtat. In Concilio enim Valentino, quod *anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXC, *Indictione* VIII, celebratum fuit, Ludovico Boſonis filio nomen Regis delatum legitur apud Sirmondum Tomo tertio Conciliorum Gallicanorum. Et in Chronico Reginonis, *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXCVIII, *inter Ludovicum* Boſonis filium *& Berengarium in Italia plurimæ congreſſiones ſiunt, multa certaminum diſcrimina viciſſim ſibi ſuccedunt. Noviſſimè Ludovicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, ubi à Summo Pontifice coronatus, Imperator appellatur.* His obſervationibus præmiſſis, Diplomatis ſuprà deſcripti Characteres omnes in annum Redemptoris undenongenteſimum conveniunt. Illo enim anno per menſem Maium currebat Indictio decima-quarta; & Ludovicus, Boſonis filius, erat Imperator; annúmque in Regno Provinciæ nonum agebat. Hæc eſt genuina ſubſcriptionis interpretatio. *Datum* XVII *Calend. Junii, Indictione* XIV, *anno* IX *Regni Domini Hludovici Piiſſimi Imperatoris. Actum Viennæ feliciter. Amen.* Supereſt ut Epiſcoporum Avenionenſium Chronologiam examinemus. Humberti mortem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo conſignavimus. Humbertum apud Nouguierum ſequuntur, Remigius, Fulcherius, Ragenutius, Alduinus, & Ratfredus, qui Conventum *apud Mantalam* cum aliis Epiſcopis *anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXIX *Idibus Octobris* celebravit. At Remigius loco movendus eſt, quia nec anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, nec à Ludovico Pio, ut Nouguierus arbitratur, ſeu anno Redemptoris undenongenteſimo à Ludovico Imperatore Boſonis quondam Regis filio Præceptum accepit. Qui poſt Remigium nominatur Fulcherius, is nobis idem videtur cum altero Fulcherio, qui Ratfredo ſucceſſit, & apud eundem Lodovicum Boſonis filium in flagrantiſſima fuit amicitia. Proximus igitur haberi debet Humberti ſucceſſor, qui ſub Ludovico Pio ejúſque filio Lothario floruit Ragenutius.

VI. CONVENTUS ATTINIACENSIS,

Hoc anno, menſe Auguſto, apud Attiniacum habitus eſt Francorum Conventus, de quo ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Dominus Imperator conſilio cum Epiſcopis & Optimatibus ſuis habito, fratribus ſuis, quos invitos tonderi juſſit, reconciliatus eſt; & tam de hoc facto, quàm & de iis quæ erga Bernhardum filium fratris ſui Pipini, necnon & iis quæ circa Adelhardum Abbatem & fratrem ejus Walachum geſta ſunt, publicam confeſſionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo Conventu, quem eodem anno menſe Auguſto Attiniaci habuit, in præſentia totius populi ſui peregit. In quo quicquid ſimilium rerum vel à ſe vel à patre factum invenire potuit, ſummâ devotione emendare curavit.* Et Aſtronomus in ipſius Ludovici vita, ſic. *Dominus Imperator Conventum generalem coire juſſit in loco, cujus vocabulum eſt Attiniacus. In quo convocatis ad Concilium Epiſcopis, Abbatibus, ſpiritualibúſque viris, necnon & Regni ſui Proceribus, primò quidem fratribus reconciliari ſtuduit, quos invitos attonderi fecerat, deinde omnibus, quibus aliquid leſuræ intuliſſe videbatur. Poſt hæc autem palàm ſe erraſſe confeſſus, & imitatus Theodoſii Imperatoris exemplum pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit, tam de his, quàm quæ in Bernardum nepotem proprium geſſerat: & corrigens ſi quid talium vel à ſe vel à patre ſuo geſtum reperire alicubi potuit, etiam plurimarum eleemoſynarum elargitione. ſed & ſeruorum Chriſti orationum inſtantiâ,*

Digitized by Google

necnon propriâ ſatisfactione adeò Divinitatem ſibi placare cupiebat, quaſi hæc quæ legaliter ſuper unumquemque decurrerant, ſuâ geſta fuerint crudelitate. Breviùs Annaliſta Fuldenſis ad hunc eundem annum, ſic. *Hludowicus Imperator Sacerdotum uſus conſilio, de omnibus, quæ publicè perperam geſſit, publicam pœnitentiam egit; & poſt hæc cuncta, quæ in Regno ſuo corrigenda invenire potuit, corrigere atque emendare curavit.* Adjungi poteſt & Theganus capite viceſimotertio, ubi de Bernhardi morte loquitur. Inſignem Ludovici pietatem erga Deum, & implacabile odium adversùs peccatum, ut Cæſar Baronius obſervavit, commendat locus ubi publicam egit pœnitentiam, quam enim præ foribus alicujus Eccleſiæ coram populo unius civitatis agere potuiſſet, eam in generali Conventu Francorum, ad quem Epiſcopi, Abbates, Proceres, Magiſtratus, aliique denſo agmine convenerant, ſive, ut Laureshamenſis Annaliſta loquitur, *in præſentia totius populi ſui* peragendam duxit. Iſtius pœnitentiæ tres ab eodem Annaliſta recitantur cauſæ, quòd Imperator in fratres, in nepotem ex fratre, & in agnatos peccaſſet; prima tantùm & altera memorantur ab Aſtronomo, ſola hæc à Thegano. De ſingulis per ordinem hîc agemus.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. IN QUO LUDOVICUS AUG. PUBLICE POENITENTIAM AGIT,

VII. QUOD PRECARIT IN FRATRES SUOS, DROGONEM, HUGONEM, ET THEODORICUM,

Ludovicus Auguſtus fratres ſuos, Drogonem, Hugonem, & Theodoricum, quos Carolus pater in tenera ætate reliquerat, poſt Bernhardi Regis mortem anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo licèt invitos tonderi præcepit. Qualem à patris obitu ſe geſſerit erga fratres ac nepotem ex fratre, paucis ita complectitur Nithardus [a]. *Fratres adhuc tenerâ ætate, Drogonem, Hugonem & Theodericum, participes menſæ effecit, quos & in Palatio unà ſecum nutriri præcepit, & Bernardo nepoti ſuo, filio Pippini, Regnum Italiæ conceſſit. Qui, quoniam ab eo paulò pòſt defecit, capitur, & à Bertmundo Lugdunenſis provinciæ Præfecto luminibus pariter & vitâ privatur. Hinc autem metuens ne pòſt dicti fratres populo ſollicitato eadem facerent, ad Conventum publicum eos venire præcepit, totondit, ac per Monaſteria ſub libera cuſtodia commendavit.* Theganus de Bernhardi morte ſic ſcribit [b]. *Tertio die poſt amiſſionem luminum Bernhardus obiit.* Deinde hæc addit capite ſequenti. *Eodem tempore* Imperator *juſſit fratres ſuos tonſurari, Drogonem, Hugonem, & Theodoricum, ad diſcordiam mitigandam, & liberalibus diſciplinis juſſit inſtrui.* Similia narrat Chronographus Moiſſiacenſis. *Fratres*, inquit, *ſuos, quos ei pater commendaverat, Clericos fieri juſſit, & per ſingula miſit Monaſteria.* Annaliſta Laureshamenſis & Aſtronomus cùm agunt de pœnitentia Ludovici, reum illum non diſſimulant, quòd fratres *invitos* attonderi juſſit. Peccavit igitur Imperator in fratres ſuos eò quòd illos & impuberes & invitos tonderi præcepit. Initâ reconciliatione, eoſdem fratres, ut Theganus proximè ſubjungit [c], *honorificè conſtituit. Drogoni Epiſcopatum dedit, & Hugoni Cœnobialia Monaſteria.* De Theodorico nec hic Auctor, nec quis alius impoſterum quidquam ſcribit, ideóque conjicimus eum paucis pòſt annis denatum, cùm pubertatem vix adeptus eſſet. Drogo poſt Gundulfum, ut ſuo loco dicemus, Metenſem Epiſcopatum geſſit. De illo ut & de Hugone fratre ſermo ſæpiùs recurret.

[a] Lib. 1.

[b] Cap. 23.

[c] Cap. 24.

VIII. IN BERNARDUM NEPOTEM SUUM EX FRATRE;

Apud Aquiſgranum Ludovicus Auguſtus in generali Francorum Conventu Lotharium, filiorum ſuorum natu maximum, Imperatorem dixit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo. Hæc novorum tumultuum cauſa fuit, de quibus ita Chronographus Moiſſiacenſis. *Audiens autem Barnardus filius Pipini Regis Rex Italiæ quod factum erat, cogitavit conſilium peſſimum, voluítque in Imperatorem & in filios ſuos inſurgere, & per tyrannidem Imperium uſurpare. Quo comperto Imperator miſit confeſtim nuncios per univerſum Regnum & Imperium, ut pariter conglobati occuparent omnes aditus Italiæ; quod ita factum eſt. Barnardus autem cùm hæc audiſſet, terruit eum Dominus, ipſum & omnes qui ea conſenſerant. Et comprehenſi ſunt ab exercitu, quem Imperator miſerat ante faciem ſuam, & comprehenſos cum ipſo Rege adduxerunt ad Imperatorem, qui erat tunc apud Cavallono, quod eſt ſuper Sagona flumine. Tunc ſub cuſ-*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

todiam missus est præfatus Rex cum Architeo Comite, qui auctor consilii maligni fuerat, & alii, qui illi consenserant, ducti sunt Aquis. Post hæc ipse Imperator fecit Conventum Francorum, & retulit eis hanc causam, ut viderent quid judicarent, vel fideles eorum, vel de his qui consenserant ut insurgerent contra Imperatorem. Tunc pariter eos judicaverunt dignos ad mortem. Sed Pissimus Imperator pepercit vitæ illorum, jussitque ipsi Regi Barnardo oculos eruere. Sed cùm factum fuisset, die tertio mortuus est. Annalista Laureshamensis, Theganus, & Astronomus, in hoc cum prædicto Chronographo consentiunt, quòd Imperator sententiam mortis in Bernardum latam aversatus est, nec ei quamvis capitali pœnâ digno vitam permisit auferri. Reus igitur, in quem totâ legum severitate patruus animadverti noluit, per indulgentiam orbatus fuit oculis. At cujus jussu supplicium hoc irrogatum sit, non apertè liquet. Apud Chronographum, Annalistam, & Astronomum, præcitatos, Imperator Bernardum luminibus privari vel jubet vel consentit. Apud Nithardum, Bernardus, quoniam ab Imperatore defecit, *capitur, & à Bertmundo Lugdunensis provinciæ Præfecto luminibus privatur.* Apud Theganum [a], Bernardo vitam concedit Imperator, oculos eruunt Consiliarii. *Judicium mortale, quod à ceteris factum est, Imperator exercere noluit, sed Consiliarii Bernhardum luminibus privarunt.* Ludovicus Imperator, quantùm ex Auctorum collatione conjicimus, non tantùm vitam sed etiam membra Bernardo concedere voluit, tamen ubi rescivit latam esse sententiam ut auctores participésque conjurationis capite plecterentur, satis esse tunc duxit si Bernardum eriperet morti, sanúmque sub diuturna custodia servaret absque ulla membrorum mutilatione. Proceres autem tantæ obstiterunt pietati, &, sive Imperator post primum judicium in excæcationem consenserat aut se consentire simulaverat, sive super ea re mentem suam non aperuerat, Bernardum oculis privarunt. *Tertio die*, inquit Theganus [b], *post amissionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator magno eum dolore flevit multo tempore.* Qui Bernardum luminibus orbarunt, ei mortem inferre non statuerant. Oculorum amissionem post triduum mors est subsecuta. Neutram imperavit Ludovicus, ideóque pœnitentiam suscepisse dicitur, ut expiaret, non quam præcepisset crudelitatem, sed quam non prohibuisset. Auditâ Bernardi morte, ait idem Theganus, *Imperator magno eum dolore flevit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & judicio eorum pœnitentiam suscepit propter hoc tantùm quia non prohibuit Consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.*

[a] Cap. 22.

[b] Cap. 23.

IX. IN AGNATOS SUOS ADELHARDUM, WALAM, BERNARIUM, ET GUNDRADAM AGNATAM;

Anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Ludovicus Augustus agnatos suos, Adelhardum, Walam seu Walachum, & Bernarium, necnon & Gundradam illorum sororem in exilium egit, quo prætextu non obscurè sic insinuat Astronomus in ejus vita. *Ludowicus Imperator alium atque alium* de Caroli patris obitu *tristes suscipiens nuncios, post quintum diem* à Tehotuado *, quod Regium erat in Aquitania Diœcesique Andegavensi Palatium, ubi generalem populi Conventum tunc celebrabat, pedem movit, & cum tanto, quantum passa est angustia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quammaximè Wala, summi apud Carolum Imperatorem habitus loci, ne fortè quid sinistri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citissimè ad eum venit, & humillimâ subjectione se ejus nutui, secundùm consuetudinem Francorum, commendans subdidit. Post cujus ad Imperatorem adventum, æmulati eum omnes Francorum Proceres certatim gregatímque ei obviam ire certabant. Tandémque ad Heristallium prospero itinere pervenit, & die tricesimo, postquàm ab Aquitania promovit, Palatio Aquisgranensi pedem feliciter intulit.* Wala Caroli Magni frater patruelis, utpote patre natus Bernardo Pippini Regis fratre, fidem, ut ex textu proximè citato constat, erga Ludovicum Caroli filium ac successorem illibatam servavit, nec ullam affectatæ tyrannidis suspicionem incurrere debuit, à novo tamen Imperatore, qui pravâ quorumdam Procerum per invidiam

* Doué en Anjou.

Digitized by Google

vidiam calumniantium ſuggeſtione deceptus odium ſemel ſuſceptum non depoſuit, eodem anno miſſus eſt in exilium atque in Corbeïenſe Monaſterium retruſus. Eandem ſortem experti ſunt fratres ejus Adelhardus & Bernarius, necnon & ſoror Gundrada. Corbeïenſis Abbas erat Adelhardus, in Corbeïenſi quoque Cœnobio Monaſticen profitebatur Bernarius, integerrimam in aula Regia vitam ducebat Gundrada. In Herenſe Monaſterium relegtus eſt Adelhardus, Bernarius in Lerinenſe atque inde in Floriacenſe, Gundrada verò in Cœnobium puellare, quod Sancta Radegundis in civitate Pictavienſi quondam erexerat. In Corbeïenſi Monaſterio Wala Monachum induit, Gundrada Monacham in Pictavienſi. Peccavit graviter Ludovicus, quia Walam virum innocentem falsóque perfidiæ inſimulatum relegavit; peccavit adhuc graviùs, quia Walæ fratres, Adelhardum & Bernarium, illum Abbatem, hunc Monachum, qui nuntium rebus ſecularibus à multis annis remiſerant, eâdem affecit calamitate cum ſorore etiam Gundrada cujus mores erant ſanctiſſimi. Poſt ſeptennium, ut anno priore diximus, Adelhardum & Bernarium Corbeïenſi Monaſterio reddidit, eóſque deinceps habuit in amicitia cum Wala & Gundrada. Hæc in Cœnobio Pictavienſi ad obitum uſque permanſit. De fratribus ſermonem ſæpè faciemus.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

X. Attiniacenſem Conventum, de quo loquimur, Hincmarus univerſalem totius Imperii Synodum, cui Legati Sedis Romanæ interfuerunt, & generale Placitum vocat in libro [a] de divortio Lotharii Regis & Tetbergæ Reginæ, narrátque quid ibidem in cauſa Northildis de Agemberto viro ſuo conquerentis actum ſit. *Quidam noſtrûm*, inquit, *tempore ſanctæ memoriæ Domni Hludovici Pii Auguſti, in Attiniaco Palatio tunc fuerunt, quando in univerſali Synodo totius Imperii, etiam cum Sedis Romanæ Legatis, & in generali Placito, fœmina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibuſdam inhoneſtis inter ſe & virum ſuum vocabulo Agembertum, ad Imperatorem publicè proclamavit; quam Imperator ad Synodum deſtinavit, ut inde Epiſcopalis auctoritas quid agendum eſſet decerneret. Sed Epiſcoporum generalitas ad laicorum ac conjugatorum eam remiſit judicium, ut ipſi inter illam & ſuum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus ſeculi ſufficientiſſimè præditi, eorúmque legalibus judiciis eadem fœmina ſe ſubjiceret, & quod de quæſtione ſua decreviſſent, ſine repetitione teneret, ſi verò crimen aliquod eſſet, inde pœnitentiæ modum, poſt illorum judicium, ab Apoſtolica auctoritate depoſceret, ſecundùm quod ſacri Canones præfixerunt, ei imponere non negarent. Nobilibus autem laicis Sacerdotalis diſcretio placuit, quia de ſuis conjugibus eis non tollebatur judicium, nec à Sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præjudicium, & legem proclamationi fœminæ protulerunt, ac legali judicio quæſtioni terminum contulerunt.*

[a] In Reſponſ. ad Interrog. 5.

XI. EDITQUE CAPITULARE. In eodem Attiniacenſi Conventu Ludovicus Auguſtus edidit Capitulare, cujus mentionem ſic facit Agobardus. *In illis diebus, quando ſacer & religioſus Dominus noſter Imperator evocato Conventu in Attiniaco agebat, ſtrenuè providens de omnibus utilitatibus commiſſorum ſibi populorum, pervenit ad ſublimiorem inquiſitionem perneceſſarii conſilii, cupiens ſcilicet invenire, qualiter congruentiſſimæ profectam doctrinæ & abolitionem negligentiarum Sacerdotibus & cunctis honoratis ſuis commendare potuiſſet. Quod utique laudabiliter, inſpirante Dei gratiâ, quæſivit, eleganter invenit, fideliter ore ſuo adnuntiavit. Quæ cuncta nunc replicare, nimis prolixum eſt, quia & tunc diſtinctis Capitulis comprehenſa ſunt, & omnibus nota eſſe debent.* Ita ſcribit Agobardus in libro de diſpenſatione Eccleſiaſticarum rerum, capite ſecundo; deinde capite quinto hæc habet. *Sequenti anno, cùm adeſſent juſſi in Compendio Palatio, & de his inter eos ſermo haberetur; ad hunc modum poſt multa colloquia, in quantùm ego intellexi, ratiocinia ſunt perducta, ut* &c. Conventum deſignat habitum Compendii, menſe Novembri, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, ut Annaliſtæ Laureshamenſis & Bertinianus aſſerunt. Conventus igitur Attiniacenſis, cujus ſuprà meminit, non alius eſt ab eo, quem hoc anno, poſt Chriſtum

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. XII.

natum octingenteſimo viceſimo-ſecundo, menſe Auguſto, conſighant iidem Annalium conditores. Attiniacenſe verò Capitulare quodnam fuerit, haud patet.

Tria celebrantur apud Sirmondum [a] Capitularia, quorum author Ludovicus Pius. Tertium duntaxat Chronologico Charactere munitur, *anno* videlicet Ludovici Auguſti *ſexto-decimo*, videtúrque conflatum ex duobus, quorum unum editum ſit exeunte anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-octavo, alterum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-nono, ut idem Sirmondus jam adnotavit. Alia duo Chronologicis numeris deſtituuntur. Primum, quod in Capitula undetriginta diſtribuitur, libro primo [b] Capitularium poſt Aquiſgranenſe Caroli Magni reperitur inſertum. Secundum, quod in Capitula duodetriginta diſtinguitur, initium facit libro ſecundo eorumdem Capitularium. Sirmondus primum Capitulare in Aquiſgranenſi Palatio poſt Aquiſgranenſem Synodum, quam ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum retulimus, conditum arbitratur, ſuámque opinionem ſatis confirmatam putat ex Capitulo tertio quod ita legitur. *Quia Canonica profeſſio à multis, partim ignorantiâ, partim deſidiâ dehoneſtabatur, operæpretium duximus, Deo annuente, apud ſacrum Conventum, ex dictis Sanctorum Patrum, velut ex diverſis pratis quoſdam vernantes floſculos carpendo, in unam Regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel Sanctimonialibus ſervandam contradere, ut per eam Canonicus ordo abſque ambiguitate poſſit ſervari.* Sed in illo Capitulo nihil occurrit, unde Ludovicum de Patrum dictis pro Canonica profeſſione congeſtis tanquam de re nuperrimè facta locutum cenſeas. Deinde Capitulum ejuſdem Capitularis decimum-ſextum, quod eſt *de Epiſcopis in Longobardia conſtitutis*, oſtendit ipſum Capitulare editum eſſe, cùm Ludovicus Longobardiâ poſt Bernardi Regis mortem potiretur, & aliquot anni poſt Aquiſgranenſem Synodum effluxiſſent. Primum illud Ludovici Capitulare, quod Sirmondus Aquiſgranenſe nominat, Attiniacenſe nuncupamus ab Attiniacenſi Conventu, in quo conditum putamus hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-ſecundo. Alterum Ludovici Capitulare, quod Sirmondus in ſuis Notis Attiniacenſe dicit, & hoc eodem anno in Attiniacenſi Conventu promulgatum arbitratur, vocamus Aquiſgranenſe, atque in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum rejicere non dubitamus. Ne conveniamus de loco vel titulo cum Sirmondo vetat Capitulum quintum, in quo Ludovicus Imperator Conventûs Attiniacenſis tanquam ab aliquot annis jam celebrati meminit. *Schola*, inquit, *ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.* Vetat & Capitulum decimum-quartum, in quo Ludovicus de pace in itinere exercitali cuſtodienda ſic ſtatuit. *De pace verò in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quòd quicumque auctorem damni ſibi præterito anno inlati nominatim cognoſcit, ut juſtitiam de illo quærat & accipiat.* Habitus eſt Conventus Attiniacenſis anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, ſed anno præcedente nullum memoratur negotium, propter quod militaribus copiis iter per Regni provincias eſſe debuerit. Secus autem ſentiendum de anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, ad quem Annaliſta Laureshamenſis, hæc inter alia ſcribit. *Imperator iter, quod in Britanniam facere inſtituerat, propter famem, quæ adhuc prævalida erat, uſque ad initium Autumni aggredi diſtulit. Tunc demum adunatis undique omnibus copiis, Redonas civitatem terminis Britanniæ continguam venit. Et inde diviſo in tres partes exercitu, duabúſque partibus filiis ſuis Pipino & Ludovico traditis, tertiâque ſecum retentâ Britanniam ingreſſus, totam ferro & igne vaſtavit. Conſumptiſque in hac expeditione* XL *vel eo amplius diebus, acceptis, quos perfido Brittonum populo imperave-*

[a] Tom. 2. Conc. Gall. [b] Capp. 83. & ſeqq.

rat, obſidibus, Rotomagum civitatem, ubi conjugem ſe operiri juſſerat, ad XV *Cal. Decembr. reverſus eſt.* Exercitalis hujus itineris habitâ ratione in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum rejicimus ſecundum Ludovici Pii Capitulare, in cujus Capitulo decimo-quarto jam citato Imperator *de pace in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham hoc omnibus notum* vult *fieri, quòd quicumque auctorem damni ſibi præterito anno inlati nominatim cognoſcit, ut juſtitiam de illo quærat & accipiat;* & Capitulo decimo-quinto vult *deinceps omnibus denuntiare, ut cognoſcat unuſquiſque omnes, qui in ſuo obſequio in tali itinere pergunt, ſive ſui ſint ſive alieni, ut ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Unicuique Capitulari poſt exactam diſcuſſionem epochâ ſuâ ſic attributâ, nunc inſpiciamus Attiniacenſe, quod undetriginta conſtat Capitulis, excepróque Capitulo octavo totum primo Capitularium libro inſertum eſt à Capitulo octogeſimo-tertio ad decimum ſupra centeſimum, nec immeritò propter materiam, quam complectitur, in libro de diſpenſatione Eccleſiaſticarum rerum commendatur ab Agobardo. XIII.

Primum Capitulum eſt de rebus Eccleſiæ non dividendis. *Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolùm habita conſervare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab Eccleſiaſticis de non dividendis rebus illius ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoveremus, ſtatuimus ut neque noſtris, neque filiorum, &, Deo diſpenſante, ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diviſionem aut jacturam patiatur.* Hoc Capitulum in primo Capitularium libro legitur, éſtque octogeſimum-tertium illius libri in veteribus editionibus, ſeptuageſimum-ſeptimum in Baluziana. Illam de Capitulorum numero diſcrepantiam ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum examinabimus. Majoris eſt momenti, quæ ſuper Auctore Capituli movetur quæſtio. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus hoc Capitulare Carolo Magno ſic attribuit in literis [a] ad Carolum Calvum. XIV.

[a] Ep. 29.

Avi veſtri Magni Imperatoris Caroli non eſt prætereunda memoria. Cui cùm ſicut aſſolet adulantium linguis ſubreptum fuerit, ut Eccleſiis de rebus ſuis præjudicium quoddam inferret, obſiſtentibus Epiſcopis & ſpecialiter Paulino Patriarchâ, ſicut vobis benè notum eſſe cognoſco, adeò ſe recognovit, & Eccleſiæ ac Epiſcopis ſatisfecit, ut præſens oris ſui confeſſio ei non ſuffecerit, ſed ad poſteros ſuos, qui ex illius progenie exorturi erant, confeſſionis & correctionis ſuæ ſcriptum manu ſuâ firmatum tranſmiſerit. De quo Edicto partem in libro veſtro, qui appellatur liber Capitulorum Imperialium ſcriptum habetur Capitulo LXXVII. *ubi ſcriptum eſt. Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ,* &c. ut ſuprà. Jacobus Sirmondus ad oram iſtius textûs reponit *lib. 1. Capitul. c. 83.* Paulinus Patriarcha, cujus meminit Hincmarus, non alius eſt à Paulino Patriarcha Foro-Julienſi, cujus obitum anno Redemptoris octingenteſimo quarto, menſe Januario, conſignavimus. *Carolus Imperator,* ut Chronographus Moiſſiacenſis teſtatur, *anno* DCCCII, *menſe Octobri, congregavit univerſalem Synodum in Aquis,* & *anno* DCCCIII *celebravit Paſcha apud Aquis Palatium* decimo-ſexto Kalendas Maii. Rerum in illo Aquiſgranenſi Conventu geſtarum narratio, qualis in Chronico Moiſſiacenſi legitur, facilè ſuadet Synodum ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum tertium protractam fuiſſe. Stephanus Baluzius ita jam cenſuit, ideóque ad illum annum Aquiſgranenſe Capitulare publicavit in ſeptem diſtinctum Capitula, quorum primum *de rebus Eccleſiæ non dividendis* & ſecundum *de Epiſcopis eligendis* à Capitulis quoque primo ac ſecundo Capitularis Attiniacenſis ne quidem apice differunt. Atque inde ſibi perſuaſum habet Capitulum, de quo loquimur, primò conditum fuiſſe à Carolo Magno, deinde repetitum à Ludovico Caroli filio. Sed conjecturâ tantùm ductus eſt, ut Aquiſgranenſi Capitulari,

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

quod ad annum Redemptoris octingentesimum tertium retulit, Paulinum Patriarcham interfuisse scriberet, hunc enim titulum præfixit. *Capitulare Aquisgranense, sive Capitulare primum anni* DCCCIII, *factum, ut videtur, in magna Synodo, quando Paulinus Patriarcha Aquileiensis vices Apostolicæ Sedis tenuit in Aquis.* Deinde contextus ipsius Capitularis huic opinioni refragatur. Capitulare septem constat Capitulis. Primum Capitulum est de rebus Ecclesiæ non dividendis; secundum de eligendis Episcopis; tertium de privilegiis & facultatibus Ecclesiarum; quartum, quintum, & sextum, sunt de Chorepiscopis; septimum de Sacerdotum purgatione. In quarto Carolus meminit Synodi Reginoburgensis. *Decretum est,* inquit, *in Synodo, quam Reginisburg pro eadem vel pro aliis causis Apostolicâ auctoritate præfato prætexto habuimus.* Synodum intelligit Reginoburgensem, in qua tres Sanctiones adversùs Chorepiscopos editæ; prima, ut Chorepiscopi de ministerio Episcopali nihil præsumerent; altera, ut in posterum Chorepiscopi non fierent; tertia, ut quæ gesta fuerant à Chorepiscopis, haberentur irrita. Philippus Labbeus [a] Synodum illam Reginoburgensem refert ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum. Sed illo anno Carolus à Bojoaria procul abfuit, semélque deinceps illuc profectus legitur, anno videlicet Redemptoris octingentesimo tertio, quo Concilium illud Reginoburgense consignavimus. Variæ profectiones à Carolo per illum annum susceptæ sic à probatis Auctoribus distribuuntur. Ut Natalem Domini, sic & totam hyemem necnon & Paschalem Solemnitatem egit Aquisgrani decimo-sexto Kalendas Maias, imò degebat adhuc ibidem Idibus Junii, quando Præceptum pro Monasterio Acutiano Characteribus hisce Chronologicis communivit [b]. *Datum Idibus Junii, anno* III, *Christo propitio, Imperii nostri, &* XXXV *Regni nostri in Francia, atque* XXIX *in Italia, Indictione* XI. *Actum Aquis nostro Palatio publico, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Aquisgrano Moguntiacum profectus est; Moguntiâ perrexit ad Salam fluvium; in Palatio, quod huic adsidebat amni, morabatur Idibus Augusti, cùm Immunitatis Præceptum Fortunato Gradensi Patriarchæ concessit [c]. Inde contendit in Bojoariam, & Octobri mense Salisburgum pervenit, ibique curam erudiendorum Hunnorum, quam, *usque ad præsentiam genitoris sui,* Pippinus Italiæ Rex anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto post debellatam illam gentem Arnoni Episcopo Salisburgensi commiserat, eidem Arnoni tunc Archiepiscopo confirmavit, ut Anonymus editus à Canisio [d] testatur his verbis. *Anno Domini octingentesimo tertio Carolus Imperator Bojoariam intravit, & in mense Octobrio in Salizburg venit, & præfatam concessionem filii iterans potestativè multis astantibus fidelibus suis affirmavit, & in ævum inconvulsam fieri concessit.* Mense Novembri, cùm esset Reginoburgi, Præceptum emisit pro Ecclesia Comensi, quod in Italia Sacra [e] cum Notis hisce Chronologicis publicatum reperies. *Datum quinto-decimo Kalend. Decembris, anno tertio, Christo propitio, Imperii nostri, & trigesimo-sexto Regni nostri in Francia, Ind. undecimâ. Actum Reguntiburg Palatio publico in Dei Nomine feliciter. Amen.* Denique Carolus *Decembrio mense,* ut Annalista Loiselianus asserit, *Aquasgrani reversus est, ibique Natale Domini celebravit, & immutatus est numerus annorum in* DCCCIV. Ex hac accurata Carolinorum itinerum recensione liquet Synodum Reginoburgensem, quæ prædictas Sanctiones adversùs Chorepiscopos anno Redemptoris octingentesimo tertio promulgavit, Octobri vel Novembri mense convocatam fuisse, nec illius mentionem initio ejusdem anni factam in Synodo Aquisgranensi, quæ priori mense Octobri cœpta esset anno Redemptoris octingentesimo secundo. Quod igitur in postrema Collectione Capitularium ad annum Redemptoris octingentesimum tertium laudatur Aquisgranense Capitulare, non potest ad initium illius anni referri, cùm Capitula de Chorepiscopis in Synodo Reginoburgensi seriùs edita complectatur. Censeri quoque non debet opus Carolinum, sed aliquot Capitulorum partim Carolinorum

[a] Tom. 7. Concil.

[b] Vide Tom. 6. a. 803. n. 44.

[c] Tom. 6. a. 803. nn. 52. 54.

[d] Tom 6. ant. Lect.

[e] Tom. 5. in Ep. Comens. 29.

partim Ludovicianorum Collectio paulò recentior. Hanc Hincmarus Remensis non ignoravit regnante Ludovico Balbo Pii nepote. Epistolâ enim quadragesimâ-sextâ, quam post *Karoli* Calvi *nuper defuncti* mortem scripsit de officio Episcopi, & de cura quâ res & facultates Ecclesiarum tueri debet, Collectionem illam Edictum Carolinum vocat, & ex eo in primum librum Capitularium ab Ansegiso Abbate duo Capitularia, unum *de non dividendis rebus Ecclesiasticis*, alterum *de Episcoporum electione*, translata sic ait. *Duo Capitula, quæ sequuntur, ex Edicto assumpta sunt ab Ansegiso Abbate Capitulorum Imperialium ex diversis Synodis & Placitis Collectore; causâ brevitatis in primo libro Capitulorum, septuagesimo-septimo & septuagesimo-octavo, de non dividendis rebus Ecclesiasticis & Episcoporum electione, ex superioribus excerpta, in præfato libro inveniuntur. Quod Edictum ex integro Domnus Karolus Magnus Imperator cum interrogatione de Chorepiscopis per Arnonem Archiepiscopum ad Leonem Papam direxit, & ad ejus consultum aliud Edictum de non dividendis rebus Ecclesiasticis & de Episcoporum causis edidit, & Apostolicæ Sedis atque auctoritate sua confirmavit, & per omnes Metropolitanas Ecclesias Imperii sui perpetuò servanda direxit. Memorata itaque Capitula ita se habent. Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ*, &c. ut suprà. *Sacrorum quoque Canonum non ignari*, &c. ut infrà Capitulo Attiniacensi secundo de eligendis Episcopis. *Et in eodem Edicto, unde hæc fuerunt adsumpta, subsequitur. Præcipimus etiam omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullus Privilegia Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Ecclesias diripere pertentet, quia sicut à Sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoscitur.* In Aquisgranensi Capitulari, de quo disputamus, tertium Capitulum prolixius est in hunc modum. *Præcipimus omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullus Privilegia Ecclesiarum vel Monasteriorum infringere, resque Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diripere præsumat, nec sine precaria possidere pertentet, quia sicut à Sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoscitur, testante sacrâ Scripturâ quæ ait.* [*Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidii particeps est.*] *Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ fraudat vel rapit sive vastat vel alienat, homicida ante conspectum justi Judicis esse deputabitur. De quo quidam Sapientium dicit.* [*Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit. Qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.*] Posteriorem hujus Capituli partem Hincmarus in iisdem literis ex Anacleto [a] Papa sic profert. *Sanctus quoque Anacletus Papa, ab ipso Beato Petro Apostolo Presbyter ordinatus, postea in Sede Romana successor illius factus Episcopus cum totius mundi Sacerdotibus judicavit; qui abstulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel prædatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justi Judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est.* Anacletus, aut is potiùs qui suppositi epistolas Anacleto Papæ, respexit ad caput duodetricesimum Proverbiorum, cujus versus vicesimus-quartus hic est. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* De Anacleti epistolis actum alia occasione [b]. Sequuntur in Aquisgranensi Capitulari tria Capitula de Chorepiscopis; tum Capitulum de purgatione Sacerdotum, quo ipsum clauditur Capitulare. Licèt autem Collectio septem Capitulorum, quæ constituunt Aquisgranense Capitulare, venerit in manus Hincmari, non inde patet Carolum Magnum istius Collectionis seu Capitularis Aquisgranensis authorem fuisse. Non sibi constat Hincmarus hoc loco. In præcitato enim textu tribuit Edicto Caroli Magni Capitula de rebus Ecclesiæ non dividendis & de eligendis Episcopis, quæ li-

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Epist. 1.

[b] Tom. 6. a. 785. n. 88.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

bro primo Capitularium inſerta ſunt ab Anſegiſo Abbate. Et paulò ſuperiùs in alio earumdem literarum textu, primum illorum Capitulorum, quod de rebus Eccleſiæ non dividendis inſcribitur, non à ſolo Carolo ſed & à Carolo & à Ludovico ſtatutum ſic aſſerit. *Res & facultates Eccleſiaſtica oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet hujuſmodi tradere Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Quod noſtri Glorioſi Principes Karolus & Hludowicus in primo libro Capitulorum ſuorum ita inſeruerunt, quia, inquiunt, juxta Sanctorum Patrum traditionum novimus res Eccleſiæ,* &c. ut ſuprà. Hincmarus, qui prædictam Collectionem ſeptem Capitulorum vidit, præ manibus etiam habuit Capitulare Ludovicianum, ſive, ut vocamus, Attiniacenſe, primo quoque libro Capitularium ab Anſegiſo inſertum, diſtinctúmque in Capitula multò plura, quorum primum eſt de rebus Eccleſiæ non dividendis, ſecundum de eligendis Epiſcopis. Inde dubius hæſiſſe nobis videtur Hincmarus, utrùm hæc duo Capitula Carolo, an Ludovico, vel utrique tribueret. Stamus à Sirmondo, qui duo hæc Capitula refert ad Capitulare Ludovici, damnátque Anſegiſum Abbatem, quod immemor inſtituti ſui Ludovicianum Capitulare primo libro Capitularium injecerit, quamvis illum Legibus Eccleſiaſticis ſolius Caroli deſtinaſſet. Hæc opinio validiùs confirmabitur ex iis, quæ dicentur ad ſecundum Capitulum de Epiſcopis eligendis, quod certè Ludovico convenit, Carolo nequaquam.

XV. Secundum Capitulum eſt de Epiſcopis eligendis. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei Nomine Sancta Eccleſia ſuo liberiùs potiretur honore, adſenſum Ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundùm ſtatuta Canonum, de propria Diœceſi, remotâ perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant.* Hoc Capitulum varios mores ritúſque complectitur, qui ſpectant ad antiquas Epiſcoporum promotiones in Gallia, ſeu pareret Imperio Romano, ſeu Francorum Regibus obediret. In hac materia verſatur erudita Præfatio, quam Jacobus Sirmondus Appendici Tomo ſecundo Conciliorum Gallicanorum ſubjectæ præfixit cum hoc titulo. *Quo more olim ritúque, tum in cetera Eccleſia, tum maximè in Gallia, promoti fuerint Epiſcopi.* Ex accurata doctiſſimi viri lucubratione mutuabimur haud pauca, quæ videbuntur ad inſtitutum noſtrum conducere, cúmque ad Carolum Magnum pervenerimus, prævalidis argumentis oſtendemus eum neutiquam authorem extitiſſe Capituli proximè deſcripti.

XVI. Totius Eccleſiæ mos antiquiſſimus fuit, ut Epiſcopi crearentur ſuffragiis cùm Cleri tum plebis cui præfuturi erant. Id apud omnes eſt in confeſſo. Synodus autem Laodicena, quæ Nicænam aliquot annis anteceſſit, Canone duodecimo præcepit Epiſcopos Metropolitanorum & eorum qui circumcirca ſunt Epiſcoporum judicio ad Eccleſiæ Principatum conſtitui. Ἐπισκόπους κεῖσθαι τὴν μητροπολιτῶν, καὶ τὴν περιοίκων ἐπισκόπων, καθίσασθαι εἰς τὸν ἐκκλησιαστικὸν ἀξίωμα. Et Canone decimo-tertio turbis ſeu populis interdixit electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi. Μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίσασθαι εἰς ἱερατεῖον. Deinde Synodus [a] Nicæna, quæ celebrata eſt anno Chriſti trecenteſimo viceſimo-quinto, Epiſcopum ab Epiſcopis provinciæ conſtitui juſſit nullâ Cleri plebiſve factâ mentione. Ἐπίσκοπον μᾶλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίσασθαι. In Oriente deinceps uſus invaluit, ut in Epiſcoporum electionibus ſuffragia populi non exquirerentur. Ideóque Sanctus Baſilius Nicopolitanis ſcripſit Epiſcoporum partes eſſe populo Epiſcopum dare, populi datum ſuſcipere.

[a] Can. 4.

XVII. In Occidentalibus Eccleſiis poſt Synodum Nicænam populus in renuntiandis Epiſcopis jus ſuffragii retinuit, ut ex Romanorum Pontificum, Siri-

Digitized by Google

cii, Cæleſtini, Leonis Decretis, & multorum Epiſcoporum electionibus conſtat. Mos ille Galliarum fuit, quandiu ſub Imperio Romanorum ſteterunt. Idque facilè poteſt exemplis comprobari. Conſtantini Magni filiis Imperatoribus, Pictavienſis Epiſcopus factus eſt Sanctus Hilarius *concordante favore populi*, ut in ejus vita ſcribit Fortunatus ejuſdem loci pòſt Epiſcopus. Anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo-primo, Valentiniano & Valente Auguſtis, delatæ ſunt Sancto Martino Turonenſes Infulæ; *mirum* autem *in modum*, inquit Severus ejus diſcipulus, *incredibilis multitudo non ſolùm ex illo oppido ſed etiam ex vicinis urbibus ad ſuffragia ferenda convenerat; una omnium voluntas, eadem vota, eadémque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam Sacerdote.* Honorio & Theodoſio Juniore Auguſtis, anno Chriſti quadringenteſimo duodeviceſimo Sanctus Germanus Epiſcopatum Autiſſiodorenſem obtinuit admirabili Cleri populique conſenſu, de quo ſic Conſtantius Preſbyter in ejuſdem beatiſſimi Præſulis vita. *Clerici omnes, cunctáque Nobilitas, plebs urbana vel ruſtica in unam venere ſententiam, Germanum Epiſcopum omnium una vox poſtulat.* Ex his exemplis, aliiſque id genus, apparet in Galliis, quandiu Romanorum Imperatoribus morem geſſerunt, in Epiſcoporum electione poſtulata fuiſſe Cleri plebiſque ſuffragia.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

XVIII. Imperio Romanorum cis Alpes extincto, Reges diverſarum gentium in Galliis exorti ſunt, híque, quoniam dignitas Epiſcoporum apud Gallos erat eximia, ſuâ intereſſe duxerunt, illos niſi arbitratu & voluntate ſua non creari. Reclamaverunt ſæpiùs Epiſcopi, priſtinámque libertatem electionum ſartam tectam retinere conati ſunt in Synodis. Extra Franciam non divagabimur. Synodos conſulemus Aurelianenſes, ſecundam, tertiam, & quintam; Arvernenſes, primam & ſecundam; Pariſienſes, tertiam & ſextam; Remenſem; necnon & Cabilonenſem tertiam; inſeremúſque interim ex probatiſſimis Auctoribus quomodo Reges iiſdem ſe temporibus geſſerint.

XIX. Clodoveus Magnus idola primus è Francorum Regibus fregit, & exeunte anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-ſexto Baptiſmum ſuſcepit. Biennio nondum revoluto Virodunum ob civium defectionem iratus obſedit. *Quo in tempore Epiſcopus ejuſdem civitatis, nomine Firminus, diem clauſit ultimum.* Rex precibus Euſpicii Preſbyteri Virodunenſis adeò flexus eſt, *ut impunitatem quamvis nocentiſſimis contribueret. Tertiâ* pòſt *die* eundem *Sanctum Euſpicium ſuis aſpectibus evocari voluit, & ut urbi, cujus ſubventor fuerat, quámque ab imminenti excidio eripuerat, Epiſcopali dignitate & honore præeſſet ammonuit, & ammonendo petivit.* Recuſavit Euſpicius Epiſcopatum, ſuam Rex nihilominùs auctoritatem ſignificavit. Lege vitam Sancti Maximini Miciacenſis Abbatis, quam Ducheſnius [a] inter coætaneos Hiſtoriæ Francicæ Scriptores edidit. Anno Chriſti quingenteſimo undecimo, paucis ante ejuſdem Clodovei Regis mortem menſibus, habita eſt prima Synodus Aurelianenſis, ſanè omnium antiquiſſima, quas in Francia celebratas accuratiſſimi produnt Auctores. In ea nihil ſtatutum de electione Epiſcoporum, quia tum ſuperſtes Clodoveus, cujus auctoritas prævalebat.

[a] Tom. I.

XX. Idem Clodoveus, quod magis mireris, in prædicta Synodo non eſt paſſus, ut Epiſcopi ſe dicerent Epiſcopos civitatum, in quibus fixam Sedem habebant. In pleriſque Synodis olim prohibitum fuerat Epiſcopos in pagis minoribúſve locis collocari, atque inde uſus invaluerat, ut cùm ſolis in civitatibus inſtituerentur, illarum quoque civitatum Epiſcopos ſe nominarent. Concilium Arelatenſe primum, quo vetuſtius in Gallia non memoratur, celebratum eſt anno Chriſti trecenteſimo decimo-quarto, Conſtantino Magno tunc Imperatore; ſubſcripſerunt, *Imbetauſius Epiſcopus, Primigenius Diaconus, de civitate Remorum; Avitianus Epiſcopus, Nicetius Diaconus, de civitate Rotomagenſium; Reticius Epiſcopus, Amandus Presbyter, Philomatius Diaconus, de civitate Auguſtodunenſium;* & alii ſimiliter Epiſcopi, nomine civitatis, ubi Sedes Epiſcopalis erat, ſemper expreſſo. Concilio Turonenſi primo, quod

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo celebratum est, eodem modo subscripserunt, *Perpetuus Turonicæ civitatis Episcopus, Victorius Episcopus Cenomannicæ civitatis, Leo Episcopus Biturice civitatis, Eusebius Episcopus Namnetice civitatis, Amandinus Episcopus Catalaunicæ civitatis, Germanus Episcopus Rotomagensis civitatis, Athenius Episcopus Redonicæ civitatis.* Et ut ad primam Synodum Aurelianensem propiùs accedamus, Agathensi Concilio, quod illam Synodum quinquennio duntaxat antecessit, & è parte Galliarum Alarico Wisigothorum Regi tunc obtemperante convocatum est, subscripserunt Episcopi magno numero; *ill. Ecclesiæ*, nullus; *ill. civitatis* Episcopum se quisque dixit. Anno Christi quingentesimo sexto celebratum est Agathense Concilium. Proximo biennio Clodoveus bellum contra Wisigothos Arianos feliciter gessit; auxitque Franciam tribus Aquitaniis, Turonis Metropoli provinciæ Lugdunensis tertiæ, Ucetiâ & Tolosâ civitatibus provinciæ Narbonensis primæ. Inde factum, ut Episcopi non pauci, qui Concilio Agathensi sub Alarico Wisigothorum Rege interfuerant, Aurelianensi quoque primo interfuerint sub Clodoveo Francorum Rege. Subscriptionum autem maxima fuit disparitas. In Agathensi Concilio, *ill. Ecclesiæ*, nullus; *ill. civitatis*, quisque; in Aurelianensi Concilio, *ill. civitatis*, nullus; *ill. Ecclesiæ*, quisque se scripsit Episcopum. Agathensi Concilio subscripserunt, *Cyprianus Episcopus de Burdigali Metropoli, Tetradius Episcopus de Biturica Metropoli, Quintianus Episcopus Rutenæ civitatis, Chronopius Episcopus de civitate Petrocorica, Paulinus Presbyter missus à Domino Eufrasio Episcopo civitatis Arvernæ, Polemius Presbyter missus à Domino Sextilio Episcopo de Vasatis.* Aurelianensi verò, *Cyprianus Episcopus Ecclesiæ Burdegalensis Metropolis, Tetradius Episcopus Ecclesiæ Biturica Metropolis, Quintianus Episcopus Ecclesiæ Rutenicæ, Chronopius Episcopus Ecclesiæ Petrocoricæ, Eufrasius Episcopus Ecclesiæ Arvernicæ, Sextilius Episcopus Ecclesiæ Vasaticæ.* Hæc styli mutatio, cujus author Clodoveus, confirmatur ex Conciliis Epaonensi & Arvernensi. Synodus Epaonensis è Burgundiæ Regno, quod partem Galliarum complectebatur, & Sigismundo Burgundionum Regi subierat, congregata est anno Christi quingentesimo decimo-septimo. Qui subscripserunt Episcopi vix tribus aut quatuor exceptis, Episcopos non Ecclesiarum sed civitatum se nuncuparunt, ut ante annos undecim factum fuerat ab iis, qui Synodum Agathensem in Regno Wisigothorum celebrarant. Epaonensi definitioni subscripserunt inter alios, *Gregorius Episcopus civitatis Lingonicæ, Bubulcus Episcopus civitatis Vindonissæ, Venantius Episcopus civitatis Albensium* seu Vivariensium. Anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto, Reges Francorum Childebertus & Clotarius filii Clodovei Magni nepósque Theodobertus triumpharunt de Burgundionibus, subactámque Burgundiam inter se diviserunt. Anno sequenti convocata est Synodus ex ea Franciæ parte, quæ Theodoberto Regi parebat. Inter Episcopos qui subscripserunt, tres reperiuntur, Lingonensis, Vindonissensis, & Albensis seu Vivariensis, quorum Diœceses ad Burgundiæ Regnum anteà pertinuerant. Nota subscriptionum dissimilitudinem. Epaonensi Concilio sub Sigismundo Burgundionum Rege subscripserunt, ut dictum suprà, *Gregorius Episcopus civitatis Lingonicæ, Bubulcus Episcopus civitatis Vindonissæ, Venantius Episcopus civitatis Albensium.* Arvernensi Concilio subscripserunt, *Gregorius Episcopus Ecclesiæ Lingonicæ, Gramatius Episcopus Ecclesiæ Vindonissæ, Venantius Episcopus Ecclesiæ Vivariensis.* Ex his liquet Reges Francorum veritos esse, ne Dignitas Episcopalis nimiæ fieret auctoritatis, indéque colligimus eos valdè sollicitos fuisse, ne quis se insciis Episcopus in Francia constitueretur.

XXI. Eodem anno, quo prima Synodus Aurelianensis habita est, obiit Clodoveus Magnus quinto Kalendas Decembris. Quatuor successerunt filii, Theodoricus, Clodomeres, Childebertus, & Clotarius. Anno Christi quingentesimo decimo-quinto, Theodoricus Sanctum Quintianum Arvernis Episcopum dedit. *Cùm autem hoc*, inquit Gregorius Turonensis [a], *Theodorico nuntiatum*

[a] Lib. 3. c. 2.

tiatum fuiſſet, juſſit ibi Sanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ. Anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo, idem Theodoricus Sanctum Nicetium Trevirorum & Sanctum Gallum Arvernorum Epiſcopos conſtituit. De utroque teſtis eſt Gregorius Turonenſis. De Nicetio ſic in ejus vita [a]. *Venerabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eò quòd ſæpiùs vitia ejus nudaret & crimina, & caſtigatus emendatior redderetur, & ob hanc gratiam, decedente Trevericæ urbis Sacerdote, eum ad Epiſcopatum juſſit accerſiri.* Et in vita beati Galli [b] ſcribit, quòd *congregati Clerici civitatis* Trevirenſis *ad Theodoricum Regem, Sanctum Gallum petebant Epiſcopum. Quibus ille ait. Abſcedite, & alium requirite, Gallum enim Diaconum alibi habeo deſtinatum.* Additque hæc de Clericis Eccleſiæ Arvernenſis ad eundem Theodoricum paulò pòſt profectis. *Ii audiunt à Rege, quòd Sanctum Gallum habituri eſſent Epiſcopum. Quo Presbytero ordinato, juſſit Rex, ut datis de publico expenſis cives invitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli futuri Epiſcopi. Quod ita factum eſt. Poſt hæc Rex, datis ad ſolatium ejus duobus Epiſcopis, Arvernis direxit.* Chlodomeres Diniſium & Ommatium Epiſcopos Turonis præfecit. De priore ſic Gregorius Turonenſis in Catalogo Turonenſium Antiſtitum. *Undecimus Diniſius Epiſcopus, & ipſe ex Burgundia veniens, qui per electionem præfati Regis* Chlodomeris *ad Epiſcopatum acceſſit.* De poſteriore ſic libro tertio [c] Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. *Ommatius tribus annis præfuit. Hic enim ex juſſo Chlodomeris, cujus ſuprà meminimus, ordinatus eſt.* Vitam clauſit Chlodomeres anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quarto. Soboles ejus poſt biennium partim extincta eſt, partim exauctorata. Plebs Viromandenſis viciníque Epiſcopi Sanctum Medardum, ut in ejus vita Fortunatus ſcribit, Epiſcopum popoſcerunt, *Regis*, nempe Clotarii, *& Optimatum aſſenſu*, idque anno Chriſti quingenteſimo triceſimo contigit.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] De vit. Patr. c. 17.
[b] De vit. Patr. c. 6.
[c] Cap. 17.

XXII. Anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-tertio, cùm Francia tribus Clodovei Magni filiis adhuc ſuperſtitibus, Theodorico, Childeberto, & Clotario, ſubjacebat, convocatum eſt ex illorum Regum ditionibus ſecundum Concilium Aurelianenſe, in quo Patres Canonem hunc ſeptimum de electione & ordinatione Metropolitarum condiderunt. *In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis antiquam inſtitutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque Metropolitanus Epiſcopus à comprovincialibus Epiſcopis, Clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Epiſcopis ordinetur, ut talis Deo propitio ad gradum hujus dignitatis accedat, per quem Regula Eccleſiæ in melius aucta plùs floreat.* In Arvernenſi Concilio, quod anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quinto congregatum eſt è ſolis ditionibus, quæ Theodoberto, prædicti Theodorici anno priore mortui filio, Francorum Regi ſubjiciebantur, Canone ſecundo Patres ita ſtatuerunt. *Epiſcopatum deſiderans, electione Clericorum vel civium, conſenſu etiam Metropolitani ejuſdem provinciæ, Pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate ſubdolâ ad conſcribendum decretum alios hortetur præmiis, alios timore compellat. Quod ſi quis fecerit, Eccleſiæ, cui indignus præeſſe cupit, communione privabitur.* Anno Chriſti quingenteſimo duodequadrageſimo, ex univerſa Francia, quæ tribus tum Regibus, Childeberto, Clotario, & Theodoberto, parebat, convocatum eſt Concilium Aurelianenſe tertium, cujus Canon tertius electionem Metropolitarum & comprovincialium Epiſcoporum ſic repræſentat. *Metropolitanus à comprovincialibus Epiſcopis, ſicut Decreta Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri vel civium eligatur, quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus ordinandis cum conſenſu Metropolitani, Cleri, & civium, juxta priorum Canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur.* Anno Chriſti quingenteſimo undequinquageſimo celebratum eſt Concilium Aurelianenſe quintum ex tripertito Franciæ Regno, quod penes Childebertum, Clotarium, & Theodobaldum Theodoberti anno ſuperiore mortui filium, tunc erat. In illo

AN. CH 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Concilio conditi ſunt duo Canones de electione Epiſcoporum. Decimus, ſic. *Ut nulli Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, à Metropolitano, vel quem in vice ſua præmiſerit, cum comprovincialibus Pontifex conſecretur. Quòd ſi quis hanc Regulam hujus ſanctæ Conſtitutionis per coemptionem exceſſerit, eum, qui per præmia ordinatus fuerit, ſtatuimus removendum.* Undecimus, ſic. *Item, ſicut antiqui Canones decreverunt, nullus invitis detur Epiſcopus, ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum cives aut Clerici, quod dici nefas eſt, inclinentur. Quod ſi factum fuerit, ipſe Epiſcopus, qui magis per violentiam, quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatûs honore in perpetuum deponatur.* Iidem Canones repetiti ſunt in Concilio Arvernenſi ſecundo, quod paulò pòſt convocatum eſt è ſolis Thedobaldi Regis ditionibus. Poſtremæ duæ Synodi, Aurelianenſis quinta & Arvernenſis ſecunda, quæ Regis voluntatem præter electionem Cleri plebiſque requirebant, Regiæ cauſæ multò magis favere viſæ ſunt, quàm præcedentes, Aurelianenſis videlicet ſecunda, Arvernenſis prima, & Aurelianenſis tertia, quæ nullam Regis mentionem faciebant. Deinde inter tot, ſive Epiſcopos, ſive miſſos ab Epiſcopis, qui Conciliis Aurelianenſi quinto & Arvernenſi ſecundo ſubſcripſerunt, nullus occurrit, qui ſe vel Epiſcopum dixerit *ill. civitatis*, vel non ſcripſerit Epiſcopum *ill. Eccleſiæ*. Secus contigit in Synodo Aurelianenſi ſecunda. Huic enim ſubſcripſerunt, *Leontius Epiſcopus Aurelianenſis Eccleſiæ, Eleutherius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis, Injuriosus Epiſcopus Eccleſiæ Turonenſis, Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Pariſienſis, Julianus Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis.* Ceteri verò longè majori numero, ab utroque abſtinuerunt vocabulo cùm Eccleſiæ tum civitatis, ſeu ſolum dignitatis titulum ſic uſurparunt, *Importunus Epiſcopus, Calliſius Epiſcopus, Marcus Epiſcopus*; ſeu cognomentum, quod & Eccleſiæ & civitati commune eſſet, ſic addiderunt, *Honoratus Epiſcopus Bituricenſis, Aſpaſius Epiſcopus Eloſenſis, Chronopius Epiſcopus Petrocoricenſis.* Quod ad Synodos Arvernenſem primam & Aurelianenſem tertiam attinet, idem in illis ac in Aurelianenſi quinta & in Arvernenſi ſecunda modus ſubſcriptionum fuit.

XXIII. Poſt Synodos Aurelianenſem quintam & Arvernenſem ſecundam ſopita nullatenus fuit contentio. Ætherius Carnotenſis Epiſcopus obiit anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-quarto. *Cùm de ſucceſſore varia eſſet inquiſitio, Rex cæli Dominus, in cujus manu cor Regum eſt, Childeberti Regis cor ita ſuâ inſpiratione inflexit, ut de beato Leobino in ſucceſſorem eligendo Regale daret decretum. Univerſi itaque qui aderant, beatum Leobinum* [a] *non ſolùm à Rege, ſed à Deo eſſe electum, alacri corde lætantes, conſono ore & concordi voto conclamare cæperunt eum in Cathedra Epiſcopali in ſucceſſione aſſore dignum.* Inter eos quoque, qui Regum vel juſſu vel aſſenſu facti ſunt Epiſcopi, Sirmondus annumerat Sanctum Germanum Pariſienſem Epiſcopum, qui regnante Pariſiis eodem Childeberto Clodovei Magni filio Pontificatum iniit anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quarto. Fortunatus in illius Epiſcopi vita ſic ſcribit. *Poſitus in ſopore, inſpicit à quodam ſene claves ſibi porta Pariſiaca porrigi. Sed interrogans, quid hoc fieret? accepit reſponſum; Ut ſalvos eos faceret. At pòſt civitatis Epiſcopo decedente, dum præcellentiſſimo Regi Childeberto occurriſſet, in ejus electione mox effectum illa vox cæleſtis promeruit.* Anno pòſt tertio, ſive anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, cùm ex Clodovei Magni filiis ſoli ſuperſtites Childebertus & Clotarius in Francia regnarent, habitum eſt Concilium Pariſienſe tertium, cujus Canon octavus talis eſt. *Quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit ut juxta antiquam conſuetudinem Canonum decreta ſerventur. Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem vel Epiſcoporum comprovincialium ingeratur. Quòd*

[a] Auct. vit. ap. Labb. tom. 2. Biblioth.

Digitized by Google

ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agneſcunt. Si quis de comprovincialibus recipere contra interdicta præſumpſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium caritate ſemotus. Nam de anteactis ordinationibus Pontificum ita convenit, ut conjuncti Metropolitanus cum ſuis comprovincialibus Epiſcopis, vel quos vicinos Epiſcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit, juxta antiqua Statuta Canonum, omnia communi conſilio & ſententiâ decernantur. Illi Concilio ſubſcripſerunt. *Probianus Epiſcopus Eccleſiæ Biturice, Prætextatus Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis, Genothigernus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Silvanectenſis, Chaletricus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis.* Nonnulli ſe ſimpliciter Epiſcopos dixerunt, *Leontius Epiſcopus, Ferrocinctus Epiſcopus.* Ceteri qui longè plures erant, ſe ſcripſerunt peccatores Epiſcopos, atque inter hos etiam Germanus Pariſienſis Epiſcopus, ſic. *Germanus peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Childeberto ſine maſcula prole mortuo, Clotarius ejus frater Monarchiam Francorum obtinere cœpit, anno Chriſti quingenteſimo duodeſexageſimo, vixitque ad annum uſque Chriſti quingenteſimum ſexageſimumprimum. Ultimis autem vitæ ſuæ temporibus Emerium elegit Epiſcopum Sanctonicum, eúmque conſecrari præcepit *abſque conſilio* Metropolitani, *quia non erat præſens.* Hoc magnæ diſcordiæ ſeminarium fuit, quam Gregorius Turonenſis [a] ſub Chariberto Rege ſic deſcripſit. *Hujus Regis tempore apud urbem Santonicam Leontius congregatis provinciæ ſuæ Epiſcopis Emerium ab Epiſcopatu depulit, adſerens non canonicè eum fuiſſe huic honori donatum. Decretum enim Chlothacharii habuerat, ut abſque conſilio Metropolis benediceretur, quia non erat præſens. Quo ejecto, conſenſum fecere in Heraclium tunc Burdegalenſis urbis Presbyterum. Quod Regi Chariberto ſubſcriptum propriis manibus, per nuncupatum Presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Toronus, rem geſtam beato Euphronio pandit, deprecans ut hoc conſenſum ſubſcribere dignaretur. Quod vir Dei manifeſtè reſpuit. Igitur poſtquàm Presbyter Pariſiacæ urbis portas ingreſſus, Regis præſentiam adiit, hæc effatus eſt. Salve, Rex glorioſe, Sedes enim Apoſtolica Eminentiæ tuæ ſalutem mittit uberrimam. Cui ille, numquid, ait, tu Romanam adiiſti urbem, ut Papæ illius urbis nobis ſalutem deferres? Pater, inquit Presbyter, tuus Leontius cum comprovincialibus Epiſcopis ſalutem tibi mittit, indicans Eymirium (ſic enim vocitare conſuevit Emerium in infantia ſua) ejectum ab Epiſcopatu, pro eo quòd, prætermiſſâ Canonum ſanctione, urbis Sanctonicæ Epiſcopatum ambivit. Ideóque conſenſum ad te direxerunt, ut alius in loco ejus ſubſtituatur, quo fiat, ut dum tranſgreſſores Canonum regulariter arguuntur, Regni veſtri potentia ævis prolixioribus propagetur. Hæc eo dicente, frendens Rex eum à ſuis conſpectibus extrahi juſſit, & plauſtro ſpinis oppleto imponi deſuper, & in exilium protrudi præcipit dicens. Putáſne, quia non eſt ſuper quiſquam de filiis Chlothacharii Regis, qui patris facta cuſtodiat, quòd hi Epiſcopum, quem ejus voluntas elegit, abſque noſtro judicio projecerunt? Et ſtatim directis viris religioſis Epiſcopum in loco reſtituit, dirigens etiam quoſdam de Camerariis ſuis, qui exactis Leontio Epiſcopo mille aureis, reliquos juxta poſſibilitatem condemnavit Epiſcopos. Et ſic Principis eſt ulta injuria.* Fuit Charibertus Clotarii filius natu maximus. De illo quoque ſcribit Gregorius Turonenſis [b] quòd Paſcentium Pictavienſem Epiſcopum fieri præcepit, Auſtrapio fruſtrà reclamante. *Cùm Pientius Epiſcopus ab hac luce migraſſet apud Pariſius civitatem, Paſcentius, qui tunc Abba erat Baſilicæ Sancti Hilarii, ſuccedit ex juſſu Regis Chariberthi, clamante Auſtrapio ſibi hunc redhiberi locum. Sed parùm ei jactati profuere ſe mones.*

[a] Lib. 4. c. 26.

[b] Lib. 4. c. 18.

XXIV.

Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo vitam clauſit Charibertus, eóque mortuo, qui priùs cum illo jam regnaverant, ejus Regnum tres inter ſe diviſerunt fratres, Guntchramnus, Chilpericus, & Sigibertus. Hic vixit ad annum uſque Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-quintum,

XXV.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Chilpericus ad annum uſque Chriſti quingenteſimum octogeſimum-quartum, Guntchramnus ad annum uſque Chriſti quingenteſimum nonageſimum-tertium. De ſingulis audi quid ſcribat Gregorius Turonenſis. Ad annum Guntchramni Regis viceſimum-quartum, id eſt, ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-quintum, ſermonem de Metropolitis Eluſanis Laban & Deſiderio, déque Burdigalenſibus Bertchramno & Gundegiſilo ſic habet [a]. *Laban Heloſenſis Epiſcopus hoc anno obiit. Cui Deſiderius ex laico ſucceſſit. Cum jurejurando enim Rex pollicitus fuerat ſe nunquam ex laicis Epiſcopum ordinaturum. Sed quid pectora humana non cogat auri ſacra fames?* Bertchramnus verò Burdigalenſis Metropolitanus *regreſſus ex Synodo* Matiſconenſi, *à febre corripitur. Arceſſitóque Waldone Diacono, qui & ipſe in Baptiſmo Bertchramnus vocitatus eſt, ſummam ei Sacerdotii deputat, omnéſque conditiones tam teſtamenti quàm benemeritorum ſuorum ipſi committit. Quo diſcedente, hic ſpiritum exhalavit. Regreſſus Diaconus, cum muneribus & conſenſu civium ad Regem properat, ſed nihil obtinuit. Tunc Rex datâ Præceptione juſſit Gundegiſilum Sanctonicum Comitem, cognomento Dodonem, Epiſcopum ordinari, geſtúmque eſt ita.* Et ad annum ejuſdem Guntchramni Regis viceſimum-quintum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-ſextum, ſic de Viennenſibus [b]. *Obiit & Evantius Viennenſis Epiſcopus, in cujus Sedem Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente ſubſtituitur.* Ab eodem Auctore deſcribitur exorta de Aquarum Tarbellicarum Epiſcopatu controverſia inter Fauſtianum & Nicetium, quorum ille à Gundobaldo Regem ſe dicente juſſus eſt ordinari, licèt Nicetius à Chilperico Rege Præceptum accepiſſet. Hanc Præceptionem Chilpericus dedit anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quarto, vitámque paulò pòſt eodem anno terminavit autumnali tempore. Gundobaldus, qui ſe Clotarii Regis filium mentiebatur, anno poſtero, cùm Burdigalæ verſaretur, Fauſtianum Aquenſem Epiſcopum conſecrari præcepit. *Dum* Gundobaldus & Mummolus, inquit Gregorius Turonenſis [c], *in urbe* Burdigalenſi *morarentur, Fauſtianum Presbyterum Aquenſi urbi Epiſcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquenſi urbe Epiſcopus obierat, & Nicetius Comes loci illius, germanus Ruſtici Vici-Julienſis Epiſcopi, Præceptionem ab Chilperico elicuerat, ut tonſoratus civitati illi Sacerdos daretur. Sed Gundobaldus deſtruere nitens ejus decreta, convocatis Epiſcopis juſſit eum,* nempe Fauſtianum, *benedici. Bertchramnus autem Epiſcopus, qui erat Metropolis, cavens futura, Palladium Sanctonicum injungit qui eum benediceret. Nam & oculi ei eo tempore à lippitudine gravabantur.* Et Palladius interrogatus poſteà *cur Fauſtianum Aquis Epiſcopum ad Præceptionem* Gundobaldi *leviſſimam* ordinaſſet, ita reſpondit [d]. *Oculi Metropolis mei valdè doloribus artabantur, & ego ſpoliatus & contemptus, invitus ab eo in eo loco adductus ſum. Non potui aliud facere, niſi quæ ille, qui omnem Principatum Galliarum ſe teſtabatur accipere, imperabat.* Denique in Synodo Matiſconenſi [e] *Fauſtianus, qui, ex juſſu Gundobaldi, Aquenſis urbis Epiſcopus ordinatus fuerat, eâ conditione removetur, ut eum Bertchramnus, Oreſtéſque, ſive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent, centenóſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent. Nicetius tamen ex laico, qui priùs ab Chilperico Rege Præceptum elicuerat, in ipſa urbe Epiſcopatum adeptus eſt.* Sigibertus Rex fratribus ſuis in eligendis Epiſcopis haud inferiorem ſepræſtitit. Nam Gregorius Turonenſis [f] de Promoto ſcribit, quòd *in Dunenſi Caſtro, ordinante Sigiberto Rege, Epiſcopus fuerat inſtitutus.* Et Sanctus Veranus Cavallicenſis Epiſcopus, ut in ejus vita legitur [g], *per judicium Regis,* nempe Sigiberti, *confidenter electus, & conſenſu populi ambienter expetitus, & cæleſti imperio fuiſſe dignoſcitur conſecratus.*

[a] Lib. 8. c. 22.
[b] Lib. 8. c. 39.
[c] Lib. 7. c. 31.
[d] Gregor. Turon. l. 8. c. 2.
[e] Greg. Turon. l. 8. c. 20.
[f] Lib. 7. c. 17.
[g] Ap. Labb. Tom. 1. Biblioth.

XXVI. E Clotarii primi filiis duo tantùm, Chilpericus ſcilicet ac Sigibertus masculam prolem reliquerunt, ille Clotarium Secundum, hic Childebertum quoque Secundum. Succeſſit Sigiberto patri Childebertus anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto, necnon & patruo Guntchramno anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio, vitámque clauſit anno Chriſti

Digitized by Google

quingenteſimo nonageſimo-ſexto. In ejus fuerunt poteſtate Virodunum & Vencia. Gregorius autem Turonenſis [a] de Præſulibus illarum civitatum ad annum ejuſdem Childeberti decimum-tertium, id eſt, ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-octavum ſic ſcribit. *Agericus Viridunenſis Epiſcopus diem obiit, adpoſitúſque eſt in ſepulchro. Buciovaldus quoque Abba ejus pro Epiſcopatu cucurrit, ſed nihil obtinuit. Charimerem enim Referendarium cum conſenſu civium Regalis decrevit auctoritas, Buciovaldo Abbate poſtpoſito. Obiit autem & Deotherius Vincienſis Epiſcopus, in cujus locum Fronimius ſubrogatus eſt. Hic autem Fronimius Biturica urbis incola fuit. Sed causâ neſcio quâ in Septimaniam abiit, ac poſt mortem Athanaeldi Regis à Leuvane ſucceſſore ejus magnificè receptus, atque in urbe Agathenſi Epiſcopus ordinatus eſt. Sed poſt mortem Leuvanis, cùm Leuvieldus in illa hæreticæ pravitatis perfidia graſſaretur, & Ingundis filia Sigiberti Regis in Hiſpaniam ad matrimonium duceretur, audivit Leuvieldus, quaſi hic Epiſcopus ei conſilium dediſſet, ut nunquam ſe veneno hæreticæ credulitatis deberet admiſcere. Et ob hoc ſemper ei moleſtus injuriarum laqueos intendebat, quouſque eum ab Epiſcopatu dejiceret. Cúmque non inveniret, quibus eum muſcipulis poſſet innectere, ad extremum emiſit, qui eum gladio deberet adpetere. Quod ille per internuncios cognoſcens, relictâ urbe Agathenſi ad Childebertum Regem pertranſiit. Sícque patefacto loco, apud ſupradictam urbem* Vincienſem *poteſtatem Pontificalem nono dejectionis ſuæ anno Rege largiente ſuſcepit.* His adde quæ leguntur [b] in vita Sancti Gaugerici Cameracenſis Epiſcopi. *Diem ſuum obiit Vedulphus Cameracenſis Epiſcopus, exemptúſque rebus humanis ad meliora commigravit. Igitur grex ejus Paſtore deſtitutus, ſpiritalis patris ſolatia, & Eccleſiæ orbatæ rectorem expetens, divino inſtinctu, compertâ jam viri ſancti famâ, uno animo & pari voluntate tum Clerus tum populus à Childeberto Auſtraſiorum Rege beatum Gaugericum ſibi Epiſcopum ordinari poſtularunt. Rex confeſtim miſſis literis ad Ægidium Remenſem Epiſcopum voluit populi votis ſatisfieri, ut bonæ exiſtimationis Levita Chriſti Gaugericus Cameracenſi Eccleſiæ Præſul ordinaretur. Id ubi cognovit Antiſtes Ægidius, cunctis acclamantibus beatum Gaugericum Epiſcopali honore eſſe digniſſimum, incunctanter illum in Cameracenſis Eccleſiæ Sede collocavit.* Childeberto ſecundo ſucceſſerunt duo filii, Theodobertus Secundus & Theodoricus Secundus. Ille Auſtraſiam avi Sigiberti Regnum, hic Burgundiam propatrui Guntchramni ditionem obtinuit. Uterque exemplum Anteceſſorum in eligendis Epiſcopis ſecutus eſt. Anno Chriſti ſexcenteſimo undecimo Sanctus Arnulphus ordinatus eſt Metenſis Epiſcopus Theodoberto Rege priùs aſſentiente, ut in vita Sancti Clodulphi teſtatur perveteſtus Auctor ab Epiſcopo Madaurenſi laudatus. Anno Chriſti ſexcenteſimo nono, *mox ut Papa* ſive Epiſcopus *Artemius Senonis defunctus eſt, ac jamdictæ civitatis Cathedram Sanctus Lupus* [c] *ſuſciperet, Clerus vel populus urbis Senonicæ aures Regis* Theodorici *unanimiter poſtulavit.* Et anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo, *decedente Biturigis Apollinare Epiſcopo, Sanctus Auſtregiſilus* [d] *in loco ejus electus ab omnibus conſenſu Regis* Theodorici, cui Bituriges parent, *Epiſcopus ſubrogatur.* Eodem anno ſublatus eſt è vivis Theodobertus cum filiis ſuis. Anno proximo Theodoricus, qui Theodoberto fratri in Auſtraſiam ſucceſſerat, cum ſuis quoque filiis extinctus eſt, eodémque anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio Clotarius Secundus inſtar avi Monarchiam Francorum ſuſcepit.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Lib. 9. cc. 23. 24.

[b] Ap. Sur. d. 11. Aug.

[c] Auct. vit. ap. Ducheſn. To. 1. Coll. Hiſt. Franc.

[d] Auct. vit. ap. Labb. tom. 2. Biblioth.

XXVII.

Hic Clotarius ab anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quarto jam regnabat in Neuſtria, pertinebant ad Neuſtriam Carnotum & Andegavum. Epiſcopatum Andegavenſem anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quarto ſic adeptus eſt Licinius. *Contigit ut præfata Andegavenſium urbs Præſule indigeret. Tunc copioſa multitudo virorum regionem illam habitantes, & cognoſcentes præfcripti Sancti Licinii prudentiam, fidem, & opera, converſationémque nobiliſſimam, & vitam clariſſimam, conſonâ voce in invicem & in Pontificem ſibi fore eligere diſponebant. Optimates verò atque viri illuſtriſſimi, qui eo tempore rectores*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Palatii videbantur, Glorioſo memorato Clotario Francorum Regi ejus conſanguineo famam beati viri innoteſcunt, & actus ejus non ſilentes teſtimonium perhibent, dignum tantum talémque virum Pontificem eorum fieri, atque ſummo fungi Sacerdotio eorum electione deberi. Quorum petitio effectum anxiliante Domino obtinuit, libentérque impetraverunt, quod devoti poſtulaverunt. Tunc omnis plebs in Spiritu Sancto ſimul paritérque accepto conſilio, cum Regis ejuſdem imperio, adminiculante Domino, à quo olim electus erat, ſubrogatus eſt ut praeſſet praedicta Eccleſia Andegavenſi. Lege Auctorem vitæ [a]. Biennio pòſt, Betharius in Epiſcopatum Carnotenſem Papulo ſic ſucceſſit [b]. *Papulus Epiſcopus ipſo in tempore ab hac luce migravit. Tunc cunctus Clerus & devotiſſimus populus divinâ admonitus inſpiratione ad Palatium pergit, aures Regis*, nempe Clotarii, *totâ fortitudine pulſat, ſcilicet petens ut beatum Betharium ſibi daret Paſtorem & Epiſcopum. Rex verò contriſtatus eſt ſuper hoc negocio, & omnes Optimates illius, qui ſicut Angelum Dei venerabantur eum. Verumtamen non diſtulit vota petentium, quin illicò expleret fidelium votum. Tunc juſſu Imperatorio, omniúmque Optimatum, Carnotenſium Eccleſiæ ſuſcepit Principatum.*

[a] Ap. Bolland. d. 13. Febr.
[b] Auct. vit. ap. Ducheſn. tom. 1. Colle&. Hiſt. Franc.

XXVIII. Ab anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo quo celebratum eſt Concilium Pariſienſe tertium, ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum decimum-tertium quo Clotarius Secundus Monarchiam Francorum obtinere cœpit, effluxerunt anni ſex & quinquaginta. Per illam tot annorum intercapedinem habitæ ſunt complures in Francia Synodi, ſecunda Turonenſis anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-ſexto, ſecunda Lugdunenſis anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, quarta Pariſienſis anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio, quinta Pariſienſis anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, prima Cabilonenſis anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-nono, Brennacenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo, tertia Lugdunenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-primo, quarta Lugdunenſis & prima Matiſconenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-tertio, Valentina & ſecunda Matiſconenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quinto, Autiſſiodorenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto, tertia Arvernenſis anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-octavo, Metenſis anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo, ſecunda Cabilonenſis anno Chriſti ſexcenteſimo tertio, & Senonenſis anno Chriſti ſexcenteſimo nono. In tot Synodis nullum occurrit verbum de electionibus Epiſcoporum. Interim Reges, qui tum regnarunt, Clotarius Primus; quatuor ejus filii, Charibertus, Guntchramnus, Chilpericus, & Sigibertus; nepotes Clotarius Secundus & Childebertus Secundus; necnon & pronepotes, Theodobertus Secundus & Theodoricus Secundus, in iiſdem electionibus eo ſe geſſerunt quo ſuprà dictum eſt modo. Genuinum Gregorium Turonenſem in hac materia ſæpè citavimus à Clodoveo Primo uſque ad Guntchramnum ejúſque nepotes Clotarium Secundum & Childebertum Secundum ex fratribus Chilperico & Sigiberto. Ne Gregoriana minueretur auctoritas, abſtinuimus à Gregorio interpolato, quamvis interpolationes occurrerent haud paucæ, quarum textus in electionibus Epiſcoporum à genuino Gregorio non diſſidebant. Inde autem argumentum eruitur haud invalidum, ut Interpolator cenſeatur priùs ſcripſiſſe, quàm apud Attiniacum ſub Ludovico Pio Conventus haberetur, de quo loquimur.

XXIX. Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quarto congregatum eſt Concilium Pariſienſe ſextum, in cujus primo Canone ſtatuitur, *ut decedente Epiſcopo in loco ipſius ille Chriſto propitio debeat ordinari, quem Metropolitanus, à quo ordinandus eſt, cum Provincialibus ſuis, Clerus vel populus civitatis, abſque ullo commodo vel datione pecuniæ elegerint. Quòd ſi aliter aut poteſtate ſubrepat, aut quacumque negligentiâ abſque electione Metropolitani, Cleri conſenſu vel civium, fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta Patrum irrita habeatur.* Clotarius Secundus, qui ſolus in univerſa tum Francia regnabat,

Digitized by Google

hujus Canonis ita meminit in Regia Conſtitutione, quam poſt eandem ſextam Synodum Pariſienſem promulgavit. *Epiſcopo decedente in loco ipſius qui à Metropolitano ordinari debet cum Provincialibus à Clero & populo eligatur, & , ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur; vel certè ſi de Palatio eligatur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur.* In Canone Pariſienſi nulla mentio fit Regiæ vel juſſionis vel ordinationis, aut aſſenſionis. At Clotarius aliter in ſua Conſtitutione loquitur; Epiſcopum enim abſque Principis ordinatione non ſinit ordinari. Quin & anno pòſt decimo, ſive anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quarto, ceteris, qui petebantur, poſthabitis, Sulpitium, cujus precibus ſanitatem paulò antè recuperarat, Epiſcopum ordinari præcepit. Audi veterem Anonymum [a] in ejuſdem Sancti Sulpitii vita. *Factum eſt ut Epiſcopus ſacer* Auſtregiſilus *glorioſo exceſſu migraret ad Dominum. Et cùm univerſus Eccleſiæ populus pro Epiſcopo eligendo conveniſſet in unum, atque alius de alio, ut fieri ſolet in talibus, conclamarent, & pars quædam inſanioris vulgi clientis favore in quibuſdam de Primoribus conſenſum præberent, & per mortalem protervúmque Præfectum, cum infinitis ponderibus auri argentíque, relationis intuliſſent Regi conſenſum, ut ſecundùm illam ſacrilegam nefandi Simonis ſectam, cæleſtem gratiam contra jus fáſque præriperent, noſtri verò, quos Salvator alloquitur,* [*noli timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum,*] *ab immortali Chriſto Deóque perfectò beatum virum ſibi poſcerent Sacerdotem fore, nihilominùs tenuem cum paucis verbis Legationis formulam mittunt, & per unum de quibus dicitur,* [*beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,*] *Regis auribus pateſiunt. Cúmque is (ut ſolet plerumque) humanæ cupiditatis veneno infectus, ad copioſam illatam pecuniam animum haberet inflexum, uxor ejus amore ſuccenſa divino virum ſuum monebat, dignum juſtúmque clamitans fore poſt talis tantíque viri exceſſum, hunc ſuæ præmittere Sedi, qui par pro merito ac miraculorum ſignis & virtutibus gratia eſſet decore ſimili fultus. Et illud mulier glorioſa ad viri memoriam revocabat, quo labore, oratione ſuâ eum paullò antè de mortis traxerat præcipitio. Tandem cæleſti indulgentiâ Princeps altius traxit conſilium, cupiditatis repreſſo veneno, ſpretis malorum ſuaſionibus, ſine dilatione juſſit impleri, quod divina fuerat providentia. Et ita Domino procurante Epiſcopalis apicis meruit primæ Aquitaniæ Sedem.* Ante biennium Clotarius Dagobertum filium teſte Fredegario [b] Regem Auſtraſiæ ſic præfecerat, ut tamen in ſua retineret poteſtate *quod Ardenna & Voſagus versùs Neuſter & Burgundiam excludebant*, id eſt, multas diœceſes cis Ligerim, necnon & plures trans eundem Ligerim ac Rhodanum, quæ prioribus Auſtraſiæ Regibus in Aquitania Burgundiâque quondam paruerant. Idque ſtudioſiùs obſervamus, ut pagum Bituricenſem, qui Guntchramno, Childeberto Secundo, & Theodoberto Secundo, Regibus Auſtraſiæ priùs ſubjiciebatur, anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quarto ſcias ad Clotarii Secundi Regnum pertinuiſſe, licèt ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo Dagobertus ejuſdem Clotarii filius à patre Rex Auſtraſiæ conſtituturus fuiſſet.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Ap. Bolland. d. 17. Jan.

[b] In Chron. c. 47

XXX. Sulpitius Bituricenſis Metropolitanus anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, ſive anno proximo poſtquàm ſedere cœpit, interfuit Concilio Remenſi, quod ex utriuſque Regis, Clotarii videlicet ac Dagoberti, ditionibus convocatum eſt. Canon autem ultimus ſic habet. *Decedente Epiſcopo, in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale & totius populi votum ac Provincialium voluntas aſſenſerit.* At qualis ante, talis & poſt Remenſe Concilium in electionibus Epiſcoporum fuit Clotarii Regis authoritas. Anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſeptimo promotus eſt ad Epiſcopatum Meldenſem Sanctus Faro. Anonymus in ejus vita ſic ſcribit apud Surium [c]. *Annuente Clotario Rege, Faro ſubrogatus eſt.* Alius apud Ducheſnium [d] ſic. *A viris religioſiſſimis hujus provinciæ miſſa eſt ſuggeſtio de eo*, nempe de Farone, *Regem ad Chlotharium, ut ſuo aſſenſu præberet conſtituendum eum digniſſi-*

[c] D. 28. Oct.

[d] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

mum Pontificem in populo. Qui gratulatione dignâ ex hoc vlaldè placidus, non ſolùm conſenſioni animum inclinavit, ſed etiam fieri ſine ſcrupuloſitate aliqua adjudicavit. Idem Clotarius anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo vitam terminavit. Anno ſequenti Dagobertus ejus filius, cùm univerſam penè Franciam obtineret, Indiculum ad prædictum Sulpitium Bituricenſem Metropolitam, & Præceptum ad Epiſcopos ac Duces cunctúmque populum Galliarum finibus conſtitutum direxit, ut Deſiderius in locum Ruſtici Cadurcenſis Epiſcopi nupertrimè mortui ſubrogaretur. Utrumque nobis ſuppeditavit Codex Moiſſiacenſis in ejuſdem Sancti Deſiderii vita. Talis eſt Indiculus. *Domino Sancto & Apoſtolico Domno meo Patri Sulpitio Papæ Dagobertus Rex. Dum & veſtræ Sanctitati benè credimus eſſe compertum, qualiter fidelis noſter vir illuſtris Deſiderius Theſaurarius noſter nobis ab adoleſcentiæ tempore fideliter deſervivit, & nos devotiſſimam ac Monaſticam converſationem ejus habemus benè compertam, ideò nos cognoſcite taliter decreviſſe, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus Domnus Ruſticus Epiſcopus præfuit, in locum ipſius honorem Epiſcopatûs in Dei Nomine debeat accipere, quia divinâ inſpirante potentiâ talis noſtra devotio manet, ut eos quos moribus ornatos & ſanctis operibus deditos perſpicimus, ſicut eſt iſte fideliſſimus Dei & noſter Deſiderius, hos ad Epiſcopale culmen provehere debeamus, quia ſic decet Regiam Celſitudinem, ut quos cognoſcit in Dei timore converſari, & fidem Catholicam integrè cuſtodire, vel Evangelica præcepta omnimodis obſervare, tale ad officium ſtudeat promovere. Proinde dum vos arcem Metropolitani ſcimus tenere, præſentes apices cum debito ſalutationis officio Almitati veſtræ ſtuduimus deſtinare, petentes ut ad eum benedicendum properare debeatis, & literas ad Comprovinciales veſtros dirigatis, ut & illi adeſſe debeant, ut canonicè & juxta Apoſtolicam inſtitutionem ſub veſtri præſentia in Paſchali Solemnitate Pontificali benedictione debeat confirmari. Illud etiam,* &c. Tale eſt & Præceptum. *Dagobertus Rex Francorum Epiſcopis & Ducibus cunctóque populo Galliarum finibus conſtituto. Condecet clementiam Principatûs noſtri ſagaci indagatione proſequi & pervigili curâ tractare, ut electio vel diſpoſitio noſtra Dei in omnibus voluntati debeant concordare, & dum nobis regiones & regna in poteſtate ad regendum largiente Domino noſcuntur eſſe collata, illis committantur privilegia dignitatum, quos vita laudabilis & morum probitas vel generoſitatis nobilitas extulit. Et quoniam virum illuſtrem Deſiderium Theſaurarium noſtrum cognovimus religionis obſervantiam ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore in omnibus cuſtodire, & ſub habitu ſeculari Chriſti militem gerere, ac mores Angelicos & Sacerdotalem converſationem habere, ut non ſolùm in contiguis ſed etiam in longinquis regionibus fama bonitatis ejus vulgata crebreſcat, ideo credimus eum meritò ad Sacerdotium debere provehi, quem, ſicut diximus, ornatis moribus videmus jugiter ad cæleſtem patriam anhelare, & dum civium Abbatúmque Cadurcorum conſenſus hoc omnimodis expoſcit, ut eum Epiſcodum habeant, & noſtra devotio ſimiliter conſentit, abſque dubio credimus nutu Dei id fieri, ut dum ſatis nobis eſt in Palatio noſtro neceſſarius, ipſi nobis quodammodo violentiam inferamus, & eum ab ædibus noſtris profectui publico procuremus. Sed dum nobis eum ab ædibus noſtris auferimus, quibus regiones & regna à Deo ſunt commiſſa, quamvis nobis inferamus diſpendium, tales debemus procurare Paſtores, qui ſecundùm Deum & juxta Apoſtolica dicta plebes ſibi ac nobis commiſſas debeant regere, unde nobis merces amplior poſſit accreſcere. Quamobrem juxta civium petitionem noſtram quoque concordantem in omnibus voluntatem decernimus ac jubemus, ut adjuvante Domino, adclamante laudem ipſius Clero vel populo vir illuſtris & verus Dei cultor Deſiderius Pontifex in urbe Caturci debeat conſecrari, & noſtra civiúmque voluntas quod decrevit in omnibus in Dei nomine perficiatur, & Pontificali benedictione ſublimatus, dum Chriſto propitio verè ac religiosè profitemur, quòd vita & converſatio ejus digna & probata ab omnibus habetur, pro nobis & pro univerſis ordinibus Eccleſiæ debeat exorare, & acceptabiles Deo hoſtias ſtudeat offerre, quia ex hoc vitam nobis largiori ævo auctore Domino credimus propagandam, ſi ille in Sacerdotio eligitur & ſublimatur, qui pro nobis vel pro vobis*

Digitized by Google

vobis ſibi commiſſis ſecurus ante tribunal Chriſti preces offerat, & in futuro judicio ut culpas excuſet precator aſſiſtat. Qua de re præſenti auctoritate decernimus, ut ſæpedictus Deſiderius Epiſcopatum in Caturcena urbe præſentialiter ſuſcipiat, & Chriſto propitio ejus temporibus teneat. Et ut hæc deliberatio, &c. Anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-primo, idem Dagobertus Rex Paulum *in Sedem* Virodunenſem *impoſuit*, ut Auctor vitæ teſtatur [a].

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Ap. Bolland. d. 8. Febr.

Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto, cùm Francorum Monarchia penes ſupradicti Dagoberti filios Sigibertum Tertium & Clodoveum ſecundum Reges erat, è Clodovei ditionibus, id eſt, è Neuſtria & Burgundia coactum eſt Concilium Cabilonenſe tertium, cujus hic eſt Canon decimus. *Si quis Epiſcopus de quacunque fuerit civitate defunctus, non ab alio niſi à Comprovincialibus, Clero & civibus ſuis, alterius habeatur electio.* Sirmondus è Synodis, in quibus Epiſcopi libertatem electionum ſartam tectam ſub Francorum Regibus retinere conati ſunt, hac Cabilonenſi tertiâ poſteriorem non allegavit, indicatiſque compluribus exemplis auctoritatem Regiam non diſſimulavit à tempore jam prævaluiſſe, quo filii Clodovei Magni Regnum adminiſtrarunt. *Vicit*, inquit, *Regum auctoritas, obtinuitque ut Epiſcopi nulli haberentur, niſi quos vel ipſi imperarent, vel à Clero civibuſque expetitos approbarent & annuerent. Ita ergo Nicetium Treviris docet Gregorius Turonenſis Theodorici Regis juſſu ad Epiſcopatum fuiſſe accitum, datóque populi conſenſu & decreto Regis ordinatum; Quintianum itidem, & hoc mortuo Gallum, Arvernis ab eodem Theodorico Rege datos Epiſcopos.* Subjicit exempla, quæ pertinent ad alios Clodovei Primi filios, prædicti Theodorici fratres. Illa conſule ſi lubet. Impræſentiarum obſerva Quintianum anno quarto poſt Clodovei Magni mortem Epiſcopum Arvernis à Theodorico Rege datum fuiſſe. Ab illo quarto Theodorici Regis anno quo Quintianus Arvernenſem Epiſcopatum ſuſcepit, imò ab anno Chriſti duodequingenteſimo quo Clodoveus Magnus Virodunum obſedit, ad Principatum uſque Clodovei Secundi cujus anno ſeptimo celebratum eſt Concilium Cabilonenſe tertium, ſub ſingulis Regibus exempla protulimus, quæ ſententiam Sirmondi validiſſimè confirmant. Marculfus Monachus formulas, quæ tunc in uſu erant, duobus libris ſeriùs publicavit. *Alte*, ſubdit Sirmondus, *populi ad Regem preces continent, hunc aut illum ſibi Epiſcopum flagitantis; alia Præceptum Regis de collato Epiſcopatu, alia Indiculos ad Metropolitanum & Epiſcopos pro Epiſcopi novi ordinatione.* Alludit ad tres primi libri formulas, quintam, ſextam & ſeptimam, quas accipe rejectis ad oram variis lectionibus.

XXXI.

XXXII.

Quæ quinta eſt primi libri formula in editione Bignoniana, prima reperitur in Lindenbrogiana; inſcribitur apud Bignonium *Præceptum de Epiſcopatu*, apud Lindenbrogium ſimpliciter *de Epiſcopatu*; deſcribitur à Sirmondo, eſtque hujuſcemodi. *Ille Rex viro Apoſtolico illi Epiſcopo. Quamvis* [1] *nos ad adminiſtrandum gubernandumque rerum ſtatum* [2] *præceſſis occupationibus Regiæ ſollicitudinis cauſa conſtringat, nihil tamen tam principale* [3] *ac Principe dignum, quàm ut cùm à Paſtorali paululum* [4] *plebs deſtituta eſt præſidio, pro ſalute animarum hujuſmodi perſonis loci* [5] *celſioris Pontificalem proſpiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter ſermo, ut populus magiſtrum, actus Chriſti imitetur diſcipulus* [6], *qui plebem non minùs pietate quàm ſeveritate conſtringat, qui ſciat commiſſa ſibi talenta aſſiduæ* [7] *prædicationis ſermonibus expolire, & adquiſitam* [8] *multiplicatámque gregis ſui ſalutem ad ovile Dominicum nullis maculis ſordidatum valeat præſentare. Et quia cognovimus Sanctæ Recordationis Domnum ill. urbis ill. Antiſtitem evocatione divinâ ab hac luce migraſſe, de ejus* [9] *ſucceſſore, ſollicitudine* [10] *congruâ, unà cum Pontificibus vel Proceribus noſtris pleniùs pertractantes* [11], *decrevimus inluſtri viro aut venerabili ill. in ipſa urbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque apud animos noſtros & actio probata commendat, & nobilitatis ordo ſublimat, ac morum probitas, vel manſuetudinis &* [12] *prudentiæ honeſtas exornat. Qua de re ſtatuta præſentibus ordinamus, ut cum*

[1] Lindenbr. Sirmond. *quamlibet*
[2] Bignon. *ſtatus*
[3] Bignon. *tam Principali quàm Principi dignum eſt ut.* Lindenbr. deeſt *ac Principe dignum*
[4] Lindenbr. Sirmond. *paululum oberrat plebs deſtituta præſid o*
[5] Bignon. *locis celſioribus*
[6] Bignon. deeſt *diſcipulus*,
[7] Lindenbr. *aſſiduâ prædicatione*
[8] Bignon. *acquiſitâ multiplicatâque gregis ſui ſalute*
[9] Lindenbr. Bignon. *cujus*
[10] Lindenbr. *ſollicitudinem congruam*,
[11] Bignon. *tractantes*.
[12] Sirmond. *ac*

AN. CH. 822.

adunatorum caterva Pontificum, ad quos tamen noſtræ Serenitatis devotio ſcripta pervenit, ipſum [13], *ut ordo poſtulat, benedicere veſtra induſtria ſtudeat, & voluntatis* [14] *noſtræ deliberationem reſeratis oraculis publicare, atque* [15] *effectum Domino annuente ſortiri. Quatenus dum Eccleſiam* [16] *ſibi à diſpenſatione divina commiſſam* [16] *ſtrenuè regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem ſuffragia largiantur, & ille pro peccatorum noſtrorum mole indeſinenter immenſum Dominum debeat deprecari.*

Quæ ſexta eſt primi libri formula in editione Bignoniana, ſecunda reperitur in Lindenbrogiana, inſcribitur utrobique *Indiculus Regis ad Epiſcopum ut alium benedicat*; deſcribitur à Sirmondo cum auctiore titulo, *Indiculus Regis ad Metropolitanum, ut deſignatum Epiſcopum ordinet cum ſuis Comprovincialibus.* Eſt autem hujuſcemodi. *Domino Sancto Sedis* [1] *Apoſtolicæ dignitate colendo in Chriſto Patri ill. Epiſcopo, ill. Rex. Credimus jam ad veſtram Reverentiam perveniſſe, Sanctæ Recordationis ill. urbis Antiſtitem evocatione divinâ de præſentis ſeculi luce migraſſe. De cujus ſucceſſore, ſollicitudine integrâ, cum Pontificibus vel Primatibus populi noſtri pertractantes, decrevimus inluſtri viro ill. aut venerabili viro ill. ad præfatam urbem Pontificalem regulariter, Chriſto auſpice, committere dignitatem. Et ideo ſalutationum jura debito honore ſolventes petimus, ut, cùm ad vos pervenerit, ipſum, ut ordo poſtulat, benedicere* [2] *veſtra Sanctitas non moretur, &, junctis vobiſcum* [3] *veſtris comprovincialibus, ipſum in ſuprascripta urbe Pontificem conſecrare, Chriſto auſpice, debeatis. Agat ergo Almitas veſtra, ut & noſtræ* [4] *voluntatem devotionis incunctanter debeatis* [5] *implere, & tam vos, quàm ipſe, pro ſtabilitate Regni noſtri jugi invigilatione plenius exoretis.*

Quæ ſeptima eſt primi libri formula in editione Bignoniana, tertia reperitur in Lindenbrogiana; inſcribitur utrobique *conceſſio civium pro Epiſcopatu*; deſcribitur à Sirmondo cum hoc titulo, *Cleri plebiſque vidnatæ civitatis preces ad Regem pro Epiſcopo inſtituendo*, eſtque hujuſcemodi. *Suggeſtio* [1] *Piiſſimo ac Præcellentiſſimo Domino ill. Regi* [2] *à ſervis ſuis, quorum ſubſcriptiones vel* [3] *ſignacula ſubter tenentur inſerta. Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia novit juſta petentibus dignanter annuere, ſui* [4] *moderaminis judicio ponderante* [5], *præſertim cùm illud* [6] *depoſcitur generali prece, cunctorum voce* [7], *quod* [8] *& communiter proficere conſtet ad Eccleſiæ regimen, &* [9] *ipſius Regalis clementiæ profit ſaluti pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir Apoſtolicus ill. urbis Epiſcopus, ſine adpropinquante, ab hac luce migravit, tempore naturæ completo, ne deſtituta ſint, quod abſit, oves decedente Paſtore, in locum ejuſdem ſuppliciter poſtulamus, ut* [10] *inſtituere dignemini* [11] *illuſtrem virum ill. aut venerabilem virum ill. Cathedræ illius ſucceſſorem, in quo eſt* [12] *perſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, caritatis locuples voluntas* [13]. *Inrefragabiliter manu noſtrâ hunc conſenſum decrevimus roborare.*

Uſus illarum formularum poſt Synodum Cabilonenſem tertiam multis exemplis comprobatur. Tertio Nonas Februarias, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio Sanctus Remaclus ordinatus eſt Trajectenſis Epiſcopus in ditione Sigiberti Tertii Regis. Quomodo Pontificatum ſit adeptus, in ejus vita ſic exponit Notgerus [a] Leodienſis Epiſcopus. *Ei*, nempe Sigiberto Regi, *Trajectenſes ex communi Sacerdotum electione, Magnatum multâ frequentiâ, & omnium Ordinum poſtulatione, ejuſmodi preces offerunt, neminem ipſis, niſi beatum Remaclum, Epiſcopum præfici debere: qui ſit & Deo & hominibus charus, nulli ejus ætatis ſanctitate ſecundus, Angelicis ſpiritibus gratus, cunctis mortalibus ſuſpiciendus & reverendus. Ejus ſe multa expertos beneficia, crebrò & apud Regem & Proceres multùm ipſis ejus profuiſſe ſuffragia commemorant. Nec ejus obſcuram eſſe prudentiam, qui non rarò Regiis conſiliis adhibitus ſit. Suppetere ei ſcientiam Scripturarum, unde poſſit & vetera & nova proferre. Denique nihil ei earum rerum deeſſe, quibus Apoſtolus Epiſcopum inſtructum eſſe velit. Iis ſermonibus Rex comiter & propenſo animi favore aſſentiens, eorúmque ſtudiis obſecundans ſtatuit præſtare quod rogabatur. Accerſit igitur ad ſe beatum Remaclum,*

[13] Bignon. *ipſum ut ordo poſtulat benedicat, veſtra induſtria ſtudeat voluntatis noſtræ*
[14] Lind. *voluntates noſtra deliberationis*
[15] Lind. deeſt *atque effectum Domino annuente ſortiri.*
[16] [16] Lindenbr. *Eccleſias commiſſas*

XXXIII.

[1] Lind. *Sedis Apoſtolicæ dignitatis*
[2] Big. *benedici*
[3] Big. *vobis cum*
[4] Lindenbr. *noſtram*
[5] Lindenbr. *impleatis*,

XXXIV.

[1] Bignon. *Suggerendo*
[2] Big. *Regi*, *vel Seniori*, *commune illius*, *à ſervis veſtris*, *quorum*
[3] Sirmond. & [4] Lindenbrog. *ſuique*, Bignon. *ſuo*
[5] Lindenbr. *ponderare*,
[6] Bignon. *illa depoſcuntur*
[7] Lindenbr. Sir. deeſt *voce*
[8] Lindenbr. *quo proficiat conſtanter Eccleſia regimen pullulare.* Bignon. *communiter quod proficiat, conſtat illud ad Eccleſiæ regimen pullulare*
[9] Lindenbr. *& ipſi Regali clementiæ.* Bignon. *& ipſum Regalis clementia*
[10] Sirmond. deeſt *ut*
[11] Lindenbr. *dignetur*
[12] Sirmond. deeſt *eſt*
[13] Bignon. *voluntatis*

XXXV.

[a] Ap. Sur. d. 3. Sept.

Digitized by Google

& ea de re cum eo confert ſermonem, & certè dici vix queat, quantâ orationis ſuavitate ad ei perſuadendum uſus ſit, quámque illi modis omnibus vir ſanctus obluctatus ſit. At Rex Sacerdotum & Procerum fretus conſilio, ab intentione ſua non deſtitit. Tandem vir Dei veritus ne divinæ reſiſteret voluntati, invitus quidem ſeptimus & viceſimus Tungrenſi vel Trajectenſi Eccleſiæ Antiſtes datur. AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Sigiberto Tertio Regi frater fuit Clodoveus Secundus, natu minor. Hoc regnante Bettolenus Epiſcopatum Sueſſionenſem abdicavit, & in ejus locum ſubrogatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto Sanctus Drauſius, de quo ſic apud Henſchenium [a] Auctor vitæ. *Videntes in tali voto perſeverantem Dei ſervum* Bettolenum, *unanimis vocibus exclamant & expetunt ſibi dari & ordinari Epiſcopum Sanctum Dei Drauſium. Non autem hæc vox ſolummodò Procerum erat nobilium ac potentum Principum, ſed etiam mediocrium & pauperum, atque penè omnium diverſi ſexûs & ætatis. At quoniam ſecundùm crebram vocem unanimis populi aliquando credimus fieri voluntatem Dei, non tantùm hoc deſiderium fuit diſcreti vulgi, imò etiam anteceſſoris Epiſcopi voluntas affuit cum conſenſu totius plebis. Audiens ergo Bettolenus unanimem precem tantarum vocum, non diſtulit, ſed magis implere ſtuduit multorum votum. Suaſit itaque Majeſtati Regiæ hoc ex eo fieri debere, cujus vita & morum ſe teſtem aſſeruit fore, cujus etiam vitam probatiſſimam noverat eſſe ex multo tempore. Denique procul dubio ibi creditur affuiſſe Dei velle, ubi ſibi conſentiunt Majeſtas Regia, Pontificalis dignitas, potentum ac pauperum conſona in tali opere voluntas. Quid plura? Evehitur itaque beatus Drauſius tanto culminis honore, præficitur plebi Sueſſionicæ, ordinatus in Pontificali Sede pro voto, ut dictum eſt, omnium & voluntate.* XXXVI.

[a] D. 5. Mart.

Tres Clodoveo Secundo fuerunt filii, Clotarius Tertius, Childericus Secundus, & Theodoricus Tertius. Exempla ſinguli ſubminiſtrabunt. Anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-nono Clotarius Sanctum Leodegarium ad Auguſtodunenſem Epiſcopatum promovit. Id in hujus vita diſtinctis verbis docet Urſinus. *Auguſtiduni*, inquit, *quæ eſt Heduorum civitas, Epiſcopum curarunt ordinandum* Leodegarium. *Quo munere decem annis ſtrenuè functus cùm eſſet, Clotarius Rex, qui eum promoverat, exceſſit è vivis.* Anonymus à Ducheſnio [b] publicatus auctoritatem quoque Regiam ſic exhibet in ejuſdem Sancti Leodegarii vita. *Balthildis Regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat Palatium, divino, ut credimus, inſpirata conſilio, ad memoratam urbem* Auguſtodunenſem, *hunc direxit virum*, nempe Leodegarium, *ut ibidem eſſet Epiſcopus.* Et in Actis Sancti Mummolini manuſcriptis legi, quòd ad Noviomagenſem Epiſcopatum promotus ſit à Clotario Rege, Clodovei filio, teſtatur Joannes Mabillonius [c] in notis ad vitam Sancti Audomari. XXXVII.

[b] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

[c] Sec. 2. Benedict.

Sub Childerico Secundo clariſſima ſunt exempla Præjecti & Lamberti Epiſcoporum. *Urbs Arvernica Præſulis deſtituta ſolatio, cùm Geneſium virum inclytum & Senatoriâ dignitate prælatum Pontificalis Cathedræ ſublimare voluiſſet in ſolio, ipſe vir potens & ſapiens honoris gradum incautè non appetens, indignum ſe huic officio fatetur coram cunctis, quin potiùs concionatur ad cives, ut Præjectum à Rege poſcerent in Sede Paſtoris. Tunc itaque favore populi concordante, imò magis Sancto Spiritu gubernante, inito conſilio, Præjectum elegerunt Antiſtitem, decreto etiam Regis populi petitionibus annuente.* Hæc leguntur in vita [d] Sancti Præjecti, geſtáque ſunt anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto, cùm Childericus Secundus, cujus nomen in eadem vita non ſemel occurrit, Auſtraſiâ potiebatur, ad quam pertinebant Arverni. Sanctus Lambertus ſeu Landebertus anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo factus eſt Trajectenſis Epiſcopus. Auctor contemporaneus, cujus fragmenta Ducheſnius [e] publicavit, rem, ut geſta eſt, in illius vita ſic expoſuit. *Optimates viri & illuſtriſſimi, qui eo tempore Rectores Palatii videbantur, Glorioſo Domno Childerico Regi famam beati viri* Landeberti *innotuerunt. Et actus ejus non ſilentes, teſtimonium perhibentes, ut dignus erat Sacerdotio fungi, & onus Pontificale accipere. Habuit itaque effectum eorum petitio, libenter obtinuerunt quod devotè poſtulave-* XXXVIII.

[d] Ap. Bolland. d. 25. Jan.

[e] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. XXXIX.

runt. Tunc omnis plebs in Spiritu Sancto uno accepto consilio, & simul cum Regis imperio, favente Domino, à quo jam dudum electus erat, subrogatus est, ut præesset Ecclesiæ Trajectense.

Sub Theodorico Tertio totius Franciæ jam Monarcha, Rotomagenses Insulas Ansbertus anno Christi sexcentesimo octogesimo-tertio, Bonitus Arvernenses anno Christi sexcentesimo undenonagesimo suscepit. De Ansberto sic in ejus vita scribit Aigradus [a]. *Ne Ecclesia de Pastore amisso jacturam pateretur, cuncti Rotomagensis urbis cives, missâ petitione ad Theodoricum Glorioſum Regem, cum ejus permissu & auctoritate, beatum Ansbertum sibi elegerunt consecrari Antistitem. Quorum electioni congaudens Rex, quoniam in eodem sancto Patre sapientiam affatim redundare & religionem pollere cognoverat, illicò eorum annuens petitionis electioni, extemplò Legatos dirigit, qui eumdem Christi famulum Regias perducerent ad ades. Nec mora. Legati ad beatum Patrem Ansbertum pervenientes, mandata Regis pandunt, ad aulam Regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa Clypiaco, quæ sita est in Parisiaco territorio, ubi Conventum magnum populorum habens de utilitate ac tutela Regni tractabat, ut ad ejus consultum, veluti agere consueverat (nam Confessor illius erat) de Regni negotiis tractaret. Sed cùm supradictus vir Dei hoc audisset, illicò agnovit, non aliud istâ evocatione fieri, nisi electioni civium Rotomagensium in ipso Regem assensum præbere velle. Fertur etiam Legatis Regis respondisse, causâ eximiæ humilitatis, indignum se fore officii curæ Pastoralis. Qui festinanter retulerunt Regi, nuntiando quale responsum acceperant. Secundò quoque ad eum mittens Rex callidè intulit, nullo modo contra suam voluntatem, postquàm unà loquerentur, super ordine Pontificatûs agere se velle. At ille, ut erat sancta simplicitatis sapientiâ plenus, ad eumdem Regem ire daliberavit. Tunc eligentibus civibus præfatæ urbis Metropoleos, cum unanimi voto sanctorum Sacerdotum, Regis & Principum eligitur, trahitur, atque in eodem Palatio à Sancto Lantberto Archiepiscopo Sedis Lugdunensis aliisque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale Placitum convenerant, in Pontificem consecratur Ecclesiæ Rotomagensis.* In vita Sancti Boniti, quam Auctor coætaneus scripsit [b], hæc occurrunt. *Avitus Pontifex, vir exterioribus studiis eruditus, sacrisque literis, omnibúsque officiis divinis præpollens, ter quinis ferè amplius annis magna cum alacritate Arvernicam sibi commissam rexit Ecclesiam. Qui non post multum languore correptus, ad extremum est usque deductus, cernénsque suæ migrationis imminere diem, divino afflatus Spiritu, acceptóque consilio, sibi Ecclesiâ concordante, virum Dei* Bonitum *sibimet successorem, suæque Sedis dignissimum judicat Sacerdotem. Eodem tempore sub Theoderico Principe, Pippinus Regni Primatum tenens, atque curam Palatii gerens, cunctáque gubernacula suo disponebantur arbitrio. Cúmque vir Dei supradictus germanus ejus* Avitus *relationem pro auctoritate adipiscenda Regia direxisset; & illi ei petitionem sibi commissam peroràssent, ita favente Domino cuncta prospera meruerunt, ut ex Regio jussu ejúsque Præcepto idem roboraretur consensus. Domino enim Princeps hæc imperante peregit, qui Ecclesiæ suæ profuturum Pastorem atque adversùs rabiem immanis bellua defensorem parabat. Unde negare non valuit, quia scriptum est. Cor Regis in manu Dei. Qui cum gaudio regressi, vota sua ad effectum cum magna alacritate perduxerunt, & Præsulatûs Cathedrâ beatum virum sublimarunt, summa cum gratia & latitia cunctorum.*

[a] Ap. Bolland. d. 9. Febr.

[b] Ap. Bolland. d. 15. Jan.

XL. Vixit Theodoricus Tertius ad annum usque Christi sexcentesimum nonagesimum-secundum. Regnante ejus filio Childeberto Tertio Bonitus Arvernensem dimisit Episcopatum, atque in Magnilocense Monasterium secessit Rege priùs rogato ut Nodobertum Arvernis Episcopum daret. Audi Auctorem coætaneum in ejusdem Sancti Boniti vita. Bonitus *Sanctum Dei virum industrium atque excellentissimum Genealogiæque nobilis apice clarum Nodobertum petiit, ut sibi successor, plebísque sibi commissæ existeret Rector, atque patriæ tutor suo robore Deo juvante constanter maneret. Qua de re ad Principem Regni dignos tali opere cum plebis Ecclesiæque convenientia dirigit Oratores. Qui*

Digitized by Google

cum ſuæ petitionis effectu ad virum Dei regreſſi, cum magno cum favore cunctorum Sanctus Sacerdos ſuæ Cathedræ ſolio ſublimavit. His ita peractis, vir Domini in Magnilocenſi Cœnobio ſub ſancto habitu atque cultu, ſicut ſemper optaverat, aliquantùm temporis degnit. Hæc geſta ſunt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-nono. Childebertus anno Chriſti ſeptingenteſimo undecimo vitam clauſit. In Regnum ſucceſſit ejus filius Dagobertus Tertius. Ebbo Senonenſis Archiepiſcopus fuit hoc Dagoberto Rege. *Temporibus Dagoberti Regis*, inquit Clarius in Chronico Sancti Petri Vivi, *fulſit Sanctus Ebbo Archiepiſcopus, miraculis & nobilitate clarus.* Ebbonis Monachatum & munus Abbatiale, necnon & Epiſcopatum cum Regis conſenſu paucis idem Chronographus ſic attingit. *In Monaſterio Sancti Petri Vivi ſub Abbatis imperio Deo militavit. In proceſſu verò temporis, mortuo ipſius loci Abbate, Abbas factus eſt. Poſteà autem obeunte Gerico Archiepiſcopo avunculo ſuo, totius Cleri & populi acclamatione, & conſenſu Regis, in Pontificali Sede Sanctæ Mariæ Sanctique Stephani Protomartyris locatus, claruit ſignis & virtutibus.* Obiit Dagobertus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto. *Hadulfus* biennio poſt *acclamatione populi, favore Cleri, & juſſu Hilperici Regis* [a], *aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Cameracenſem ſive Atrebatenſem.* Is eſt Chilpericus Tertius, poſt cujus mortem Theodoricus Quartus regnare cœpit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, puer tum ſeptennis, impar gerendis rebus. Quapropter omnis adminiſtratio Regni penes Carolum Majorem-domûs fuit. Per illud tempus è vita diſceſſit Suavaricus Aurelianenſis Epiſcopus. Aureliâ ſtatim, ut Auctor perantiquus in Actis Sancti Eucherii teſtatur, ad Carolum directi ſunt Oratores. *Ipſi verò cum velocitate, illius præſentiæ prolati, pedibus ipſius advoluti, lacrymabilem proferunt ſermocinationem, dicentes. Domine, Princeps inclyte, ſuggeſtioni familiæ tuæ plebis Aurelianorum quæſumus aſpectum minacem non averias, ſed libenter adimpleas poſtulata. Dominus atque Paſtor noſter, ſervus tuus Suavaricus, vocante Domino eum, de hoc mundo animam noſcitur emiſiſſe. Obſecramus igitur tuæ Pietatis Clementiam, ut nepotem ejus Eucherium famulis tuis plebi Aurelianorum Pontificem jubeas annecti. Ille verò poſtulationem eorum benigniter ſuſcipiens, providente Domino ratum præſtitit, quod ab eo humiliter poſtulabant, & ex aula ſua Procerem fidelem direxit miniſtrum, beatum virum, de quo loquimur, è Cœnobio, quo ſe locaverat, advocaret, etſi non ſpontaneum, invitum tamen ad urbem jam dictam duceret, quatenus ibidem jam jamque ordinaretur Epiſcopus.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Molan. d. 19. Maii.

E vita diſceſſit Theodoricus Quartus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, menſe Junio; filium reliquit ætate tunc tenerrimum, cui nomen Childericus. Poſt Theodorici Quarti mortem Francia per annos ſex & ampliùs fuit ſine Rege, Regnum adminiſtrabat Major-domûs, & publicis inſtrumentis apponebatur annus, qui currebat ab ejuſdem Theodorici Quarti Regis obitu, primus, ſecundus, tertius, & ſic de ceteris. Cùm Theodoricus Quartus obiit, Carolus, cui cognomen Martelli pòſt inditum, Majoratu potiebatur, potitúſque eſt ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum quo vivere deſiit. Succeſſerunt in eundem Magiſtratum & adminiſtrationem Regni duo filii Carolomannus & Pippinus, nec ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium jam labentem, cùm annus poſt Theodorici Regis mortem ſeptimus numerabatur, Childericus Rex eſſe cœpit. Undecimo Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio, Childerico nondum Rege, celebrata eſt Synodus Germanica, in cujus primo Canone Carolomannus Major-domus ita loquitur. *Per conſilium Sacerdotum religioſorum & Optimatum meorum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus Sancti Petri.* Synodus Sueſſionenſis ſeriùs habita eſt *ſub die ſexto Nonas Martii, in anno ſecundo Childerici Regis Francorum*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-quinto, cùm

XLI.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Childericus Rex adhuc minorennis eſſet, & Majoratum ambo fratres Carolomannus & Pippinus, ille per Auſtraſiam, hic per Neuſtraſiam, exercerent. In hac autem Synodo Pippinus ſub Rege puero non aliter ſe geſſit, quàm Carolomannus in Germanica. *Conſtituimus*, inquit Canone tertio, *per conſilium Sacerdotum & Optimatum meorum, & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos, & idcircò conſtituimus ſuper eos, Archiepiſcopos Abel & Ardobertum, ut ad judicia eorum de omni neceſſitate Eccleſiaſtica recurrant tam Epiſcopi quàm alius populus.* Quæ fuit Pippini Majoris-domûs in eligendis Epiſcopis auctoritas, fuit & Regnum pòſt adepti, tranſiitque ad ejus filios Carolum & Carolomannum. Jacobus Sirmondus, poſtquàm Regum Meroveadarum *juſſu vel aſſenſu delatos fuiſſe aut conceſſos Epiſcopatus* dixit, ad Pippinum & Carolum ſic tranſit. *Nec diverſam porrò ſub primis ſecundæ familiæ Regibus Pippino & Carolo rationem extitiſſe, tum eorum, quibus Epiſcopatus commiſerunt, exempla demonſtrant, tum Synodi illorum temporibus celebratæ, in quibus cùm multa de Epiſcoporum officio & diſciplina præcipiantur, nulla uſquam electionum Epiſcopalium fit mentio.*

XLII.

[a] Ad a. 752. n. 8.
[b] Ad an. 745. nn. 100. 101.

Zacharias Papa Pippino, ut Baronius [a] teſtatur, conceſſit *nominationem, quam vacant, ſive poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus.* Tomo quinto [b] Baronium jam deſcripſimus, citavimus & literas Lupi Ferrarienſis quibus innititur. De tempore non convenimus. Quod enim Baronius Privilegium Pippino Regi datum contendit, illud Pippino Majori-domûs necdum Regi tributum cenſuimus. Utrùm tale Privilegium perſonale fuerit an perpetuum, utrùm ad ſolum Pippinum, an etiam ad Carolum Magnum, ad Ludovicum Pium, adeóque & ad Carolum Calvum pertinuerit, diſputatum eſt poſteà ſub eodem Carolo Calvo. Conſtat ad Pippinum Regem & ad Carolum Magnum pertinuiſſe. De Pippino Rege teſtis eſt Anonymus in vita Sancti Virgilii Saliſburgenſis Epiſcopi, ſic. *Saltzburgenſis Eccleſia quæ ab antiquo vocabulo à juvando dicta fuit Juvavia, proprio carebat Epiſcopo, ſed Rex Pipinus, Princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ non modico ſuſpirans deſiderio, Epiſcopatum Saltzburgenſem, pro debito Regiæ magnificentiæ, Sancto conceſſit Virgilio.* De Carolo Magno Chronographus Fontanellenſis, ſic [c]. *Gervoldus ex nobilibus parentibus natus, dein Clericus effectus, atque ad Palatium perductus, Bertradæ Reginæ Capellanus efficitur. Cujus obtentu, Ebroicinæ civitatis Sedes, defuncto ejuſdem urbis Præſule, à Domno Rege Carolo eidem attributa eſt.* Albertus Krantzius in Metropoli Saxoniæ [d], ſic. *In Orientali Saxonia ultra Viſurgum juſſit Rex eſſe Epiſcopatum, &c. Ibi conſecratus eſt juſſu Regis Epiſcopus, vir magnæ Sanctitatis Swibertus, &c. Hujus viri zelum cernens Rex Carolus juſſit Eccleſiæ novæ Verdenſi primum Epiſcopum conſecrari* anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto. Sanctus Anſcharius in vita Sancti Willehadi primi Bremenſis Epiſcopi, ſic. *Præcellentiſſimus Princeps Carolus in Wormatia poſitus civitate ſervum Dei Willehadum conſecrari fecit Epiſcopum tertio Idus Julii*, anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo, *conſtituítque eum Paſtorem atque Rectorem ſuper Wigmodiam, & Laras, & Rnuſtri, & Aſterga, necnon Nordendi, ac Wanga, ut inibi auctoritate Epiſcopali & præeſſet populis, &, uti cæperat, doctrinâ ſalutari operibúſque eximiis ſpeculator deſuper intentus prodeſſe ſtuderet. Sícque ipſe primus in eadem Diœceſi Sedem obtinuit Pontificalem.* Gobelinus Perſona in Coſmodromio, ſic. *Anno Domini* DCCXCV, *Carolus Eccleſiæ, quam in Padeborne fundavit, quendam Canonicum Eccleſiæ Wirziburgenſis, Hatumarum nomine, de Saxonia ortum, & tempore ſuperiorum bellorum ſibi à parentibus obſidem datum præfecit Epiſcopum.* Altfridus in vita Sancti Liudgeri Mimigardevordenſis Epiſcopi, ſic. *Per diſpoſitionem miſericordiæ Dei Saxones converſi ſunt ad Dominum, & Rex Carolus virum Dei Liudgerum* anno Redemptoris octingenteſimo ſecundo *Paſtorem in parte Occidentali Saxonum conſtituit: cujus Parochiæ Sedes eſt Principalis Sudergoe, in loco cujus vocabulum eſt Mimigerneford.*

[c] Cap. 15.
[d] Lib. 1. c. 6.

Digitized by Google

Qui Capitulum de eligendis Epiſcopis, quod examinamus, à Carolo promulgatum Aquiſgrani volunt anno Redemptoris octingenteſimo tertio, non ſatis advertunt quales ſe geſſerint, idem Carolus ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum quo vitam terminavit, & Ludovicus ejus filius ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum quo Capitulare condidit Attiniacenſe. Superſtite Carolo, trans Viſurgim erecti ſunt Epiſcopatus Salingeſtadienſis & Aulicenſis, ille anno Redemptoris octingenteſimo decimo, hic anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo. Salingeſtadii primus Epiſcopus Hildegrimus, Aulicæ Guntherus. De utroque Krantzius in Metropoli Saxoniæ, libro primo, capitibus tertio ac decimo. *Rex invictus extruxit in loco Salingſtede inſignem Eccleſiam, quam in honorem Divi Stephani juſſit conſecrari, præpoſuítque primum ei Epiſcopum, egregium virum Hildegrinum, germanum fratrem Ludgeri. Aulicam aulici locum dixere, quòd crebriùs ibi Rex Glorioſiſſimus, quum eſſet in provincia, reſideret. Circumſpiciens autem opus eſſe & his populis proprio Sacerdote, quòd longius abeſſet Salingſtedenſis Epiſcopus, igitur Eccleſiæ ſuæ ibi exædificatæ Pontificem juſſit conſecrari Venerabilem Sacerdotem Guntherum, qui illam inibi rexit per reliqua Caroli Magni tempora uſque ad Ludovicum ejus filium, & Regni & Imperii ſucceſſorem.* His adde Ludovici Pii Diploma de fundatione Archiepiſcopatûs Hamburgenſis. *Genitor noſter glorioſæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam Eccleſiaſticæ religioni ſubdidit, jugúmque Chriſti ad uſque terminos Danorum atque Sclavorum, corda ferocia ferro domans, docuit, ubi inter has utraſque gentes, Danorum videlicet ſive Winedorum, ultimam Saxoniæ partem ſitam, & diverſis periculis, temporalibus videlicet & ſpiritualibus, interjacentem proſpiciens, Pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde poſtquàm terram Nordalbingorum laxatâ captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ekeberto Comiti reſtituere præceperat, non jam vicinis Epiſcopis locum illum committere voluit, ſed ne quiſquam eorum hanc ſibi deinceps Parrochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Epiſcopum Amalarium nomine direxit, qui primitivam Eccleſiam ibidem conſecraret. Sed & eidem Eccleſiæ ſacræ Reliquias ac plura Eccleſiaſtica munera piâ largitate ſpecialiter deſtinare curavit. Poſtmodum verò captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem Parrochiam cuidam Presbytero Heridac nomine ſpecialiter commendavit, quem univerſæ Nordalbingorum Eccleſiæ, ne ad ritum relaberentur Gentilium, vel quia lucrandis adhuc Gentibus locus ille videbatur aptiſſimus, diſpoſuerat conſecrari Archiepiſcopum, ut ipſi occaſione vel auctoritate ſummâ prædicandi ſancta multiplicaretur Eccleſia, dum vicinorum ipſius novitatis Epiſcoporum multa latitudinis cura non ſufficiebat diſcurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quandam Cellam Hrodnace vocatam, quatinus eidem loco undique periculis circumdato fieret ſupplementum. Sed quia conſecrationem jam dicti viri velox ex hac luce tranſitus pii Genitoris noſtri in diebus ejus fieri prohibuit, ego autem, quem divina Clementia in Sedem Regni ejus aſciverat, cùm in multis Regni diſponendis negotiis inſiſterem, hoc quoque prædicti patris mei ſtudium, velut Regni in finibus peractum, minùs cautè adtenderem, ſuadentibus quibuſdam jam dictam Cellam ad Indam Monaſterium contuli, prædictam verò Parrochiam vicinis Epiſcopis interim commendavi. Nunc autem,* &c. Hoc Diploma, quod à nobis non ſemel jam citatum fuit, editum reperies ab Erpoldo Lindenbrogio in Privilegiis Archiecclefiæ Hammaburgenſis, à Petro Lambecio in Originibus Hamburgenſibus, à Joanne Bollando in Commentario prævio vitæ Sancti Anſcharii tertio Nonas Februarii, noviſſimè à Stephano Baluzio in primo Capitularium Tomo. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Iſtrienſibus, ut Epiſcopos ſuos eligerent, licentiam dato Privilegio conceſſit. Audi Ughellum [a] in elogio Fortunati Gradenſis Patriarchæ. *Fortunatus anno Domini 818 veteris Privilegii ſui confirmatione à Ludovico Pio Imp. receptâ, & reconciliatâ cum Venetis gratiâ,*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. XLIII.

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Eccleſiam Gradenſem ſuam repetiit, ac Joannem Abbatem, qui illam invaſerat, ad Monaſterium ſuum rediſe coegit. Ejuſdem etiam Fortunati gratiâ Ludovicus Imp. Iſtrienſi populo conceſſit, ut Rectores, Gubernatores, Epiſcopos, Abbates, ſeu Tribunos, & reliquos Ordines licentiam haberent eligendi. Chronographus Beſuenſis poſt obitum Bettonis Lingonenſis Epiſcopi, qui vitam ſub annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum clauſit, de Ludovico Imperatore & Alberico Epiſcopo Bettonis ſucceſſore ſic ſcribit. *Hic*, nempe Ludovicus Auguſtus, *Bettone Epiſcopo defuncto, Albericum virum dignum Epiſcopatu, Eccleſia Lingonenſi conſtituit.* Idem Ludovicus ſexto Idus Februarias, anno Imperii ſui nono, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, peculiare Privilegium Eccleſiæ Mutinenſi conceſſit, ut poſt Epiſcopi deceſſionem ſucceſſor eligeretur ex Clero, ſi quis ſecundùm Canones Epiſcopatu dignus inveniretur. Ipſum Diploma, quoniam ad hunc annum pertinet, integrum ſuprà deſcripſimus.

XLIV. Ex prædictis liquet, quales in Epiſcoporum promotionibus ſe geſſerint Reges Francorum à Baptiſmo Clodovei Magni ad annum uſque nonum Ludovici Pii non tantùm per Galliam, ſed etiam per alias provincias, quas extra Galliam ſuæ dominationi ſubjecerunt. Jacobus Sirmondus, cùm perſpectiſſimam hujuſce rei notitiam haberet, Capitulum, quod examinamus, non Carolo Magno ſed Ludovico Pio ſic attribuit. *Primus antiquæ conſuetudinis memor Ludovicus Pius eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Eccleſiæ reſtituit lege latâ, quæ in primo libro Capitularium Capitulo octogeſimo-quarto legitur.* Hoc eſt Capitulum, quod inſcribitur *de Epiſcopis eligendis*, habetúrque ſecundum in Attiniacenſi Capitulari de quo nunc agimus.

XLV. Tertium Capitulum ejuſdem Capitularis eſt de dictis Patrum congeſtis pro Canonica profeſſione, quæ dehoneſtabatur. *Quia verò Canonica profeſſio à multis, partim ignorantiâ, partim deſidiâ dehoneſtabatur, operæpretium duximus, Deo annuente, apud ſacrum Conventum, ex dictis Sanctorum Patrum, velut ex diverſis pratis quoſdam vernantes floſculos carpendo, in unam Regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel Sanctimonialibus ſervandam contradere, ut per eam Canonicus ordo abſque ambiguitate poſſit ſervari. Et quoniam illam ſacer Conventus ita etiam laudibus extulit, ut uſque ad unum iota obſervandam percenſeret, ſtatuimus ut ab omnibus in eadem profeſſione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus ſive à Canonicis ſive à Sanctimonialibus Canonicè degentibus deinceps obſervetur.* Actum ante quinquennium de duobus libris Conventûs Aquiſgranenſis, id eſt, de Regulis Canonicorum & Canonicarum collectis non tantùm ex ſcriptis Patrum, ſed etiam ex Decretis ejuſdem Conventûs apud Aquiſgranum anno reparatæ ſalutis octingenteſimo decimo-ſeptimo celebrati, & ex Codice Canonum, quem Hadrianus Pontifex ante annos tres ac quadraginta Carolo quondam Regi ad uſum Occidentalium Eccleſiarum obtulerat.

XLVI. Quartum Capitulum eſt de Abbatibus eligendis. *Monachorum ſiquidem cauſam qualiter Deo opitulante ex parte diſpoſuerimus, & quomodo ex ſeipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere, propoſitumque indefeſſi cuſtodire valerent, ordinaverimus, in alia ſchedula diligenter adnotare fecimus, &, ut apud ſucceſſores noſtros ratum foret, & inviolabiliter conſervaretur, confirmavimus.* Illam Ludovici ſchedulam non vidimus. Duabus rebus conſtitiſſe palàm eſt, electione videlicet Abbatis, & quiete Monachorum. De utraque hîc inquirendum.

XLVII. Regnante Clodoveo Magno, qui primus inter Francorum Reges Chriſtianam fidem ſuſcepit, habitum eſt primum Aurelianenſe Concilium, cujus Canon undeviceſimus præcipit, ut *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra Regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur; qui ſemel in anno, in loco ubi Epiſcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant.* In eadem Synodo Canone ſeptimo non licet *Abbatibus vel in Religio-*

nis

Digitized by Google

nis professione viventibus ad Regem pro dono quolibet petendo proficiscí *sine discussione vel commendatione Episcoporum.* In Francorum Regno perpauca tunc erant Monasteria, nec ex iis deerant, quæ vel ab Episcopis essent fundata, vel leges ab illis præscriptas sequerentur. His observationibus & aliquot exemplis, de quibus infrà, nemo persuasum sibi non habebit sub primis Meroveicæ familiæ Regibus jus Abbates eligendi penes Episcopos Diœcesanos fuisse. AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

In Aurelianensi Diœcesi Miciacense Monasterium ædificari cœptum est anno Christi duodequingentesimo. Tres antiquissimi fuerunt Abbates illius loci, Sanctus Eusticius, Sanctus Maximinus, Sanctus Avitus. In vita Sancti Maximini multa legimus de Eusebio Aurelianensi Episcopo; quòd amantissimè susceperit *voluntatem* Eusticii petentis *ut Maximinus ad honorem proveheretur Sacerdotalem*; quòd *insuper & benedictionem, quâ Patres Abbatésque Monachorum confirmari solent, superaddidit* anno Christi quadringentesimo nonagesimo-nono, quo idem Eusticius Abbatiale munus obire cœpit; quòd anno Christi quingentesimo primo, *cùm* post Eusticii mortem Maximinum *causâ solaminis aliquot dies secum detinuisset*, eum *ad Monasterium remisit delinitum consolatione plenâ caritatis, & admonuit ut se sciret loci supradicti & Fratrum esse Præfectum, quo & Abbatis locum teneret & nomen*; quódque *Beatus Maximinus sepultus est à* prædicto *venerabili Eusebio Episcopo.* Migravit in cælum Beatus Maximinus anno Christi quingentesimo vicesimo, mense Decembri. Anno proximo, *gloriosus Confessor Avitus*, ut in vita Sancti Læti narratur, *contra voluntatem suam ad* Miciacense *Monasterium*, ex eremo *reducitur, & jubente* Eusebio *Aurelianensi Pontifice Abbas efficitur.* XLVIII.

In Carnotensi Diœcesi Leobinus anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto Brajacensis Abbas ab Ætherio Episcopo Diœcesano constitutus est. Sic enim Auctor vitæ. *Cùm Ætherius Episcopus* (is inferiùs *Carnotensis urbis Episcopus* appellatur) *beati viri Leobini prospiciens sanctitatem, ad Diaconatûs proveheret officium, & Fratribus Brajacensis* * *Monasterii præponeret, dignum duxit, ut Præfecturæ officium commodiùs ageret, si ad Presbyterii onus eum ordinabiliter sublimaret.* Carnotense territorium erat in ditione Childeberti Regis, cujus mentio fit in eadem Sancti Leobini vita. XLIX. * de Brou.

Augustodunum in Francorum potestatem venit anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto. Illic florebat illustre Sancti Symphoriani Monasterium, cujus administrationem Sanctus Germanus susceperit ante annum Christi quingentesimum duodequinquagesimum, quo Theodobertus Rex Clodovei Magni nepos interiit. Illis autem temporibus in Augustodunensi Cathedra sederunt Agrippinus & Nectarius Episcopi, quorum mentionem Fortunatus in vita Sancti Germani sic fecit. *Dominus Germanus intra terni lustri spatium à Beato Agrippino Diaconus instituitur, & sequenti triennio Presbyter ordinatur. Debinc à venerabili Pontifice Nectario Abbas ad Sanctum Symphorianum meritò dignus adsciscitur.* L.

Anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio beatus Maurus in Franciam venit, & Monasterii Glannafoliensis in Andegavensi Diœcesi prima jecit fundamenta. Regulam Sancti Benedicti secum attulit, sulsque præscripsit discipulis observandam. Hujus autem Regulæ caput sexagesimum-quartum de Abbatis electione sic habet. *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, secundùm timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quòd si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam pervenerint Episcopi, ad cujus Diœcesim pertinet locus ipse, vel Abbatibus aut Christianis vicinis claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, & domni Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro* LI.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. LII.

hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè, id eſt, ſine corruptela, *& zelo Dei faciant, ſicut è diverſo peccatum incurſuros ſi negligant.* Jus Abbatem eligendi, quod ex Regula Sancti Benedicti penes Monachos in Cœnobiis Benedictinis fuit, haud prohibuit, quominùs, ut priùs, Abbates in aliis Monaſteriis à Diœceſanis conſtituerentur Epiſcopis.

Mauro apud Glannafolium Andegavenſis territorii jam Abbate, Theodulfus in Remenſi Diœceſi factus eſt Abbas Monaſterii, quod hodie Sancti Theodorici nomen gerit. Illius loci primus Abbas extitit Sanctus Theodoricus, qui Sancto Remigio Remenſi Metropolitæ Regíque Theodorico Clodovei Magni filio ſynchronus vixit; alter ignoratur; tertius fuit Sanctus Theodulfus. Ut Sanctum Theodoricum beatus Remigius, ſic & Sanctum Theodulfum Abbatem inſtituit is penes quem tunc erant Infulæ Remenſes.

[a] Append. Sec. 1. Bened.

De Sancto Theodorico ſic Auctor [a] vitæ. *Eſt ſylva tribus à civitate diſtans millibus ſita in monte, cui vocabulum eſt Hor, in quo viſum eſt venerabili ſemper in divinis fulgenti Patri Remigio ædificari Cœnobium, ubi catervam Monachorum ſub Beati Theodorici regimine, quem videbat jam exemplo virtutum vigere, coadunaret Deo militantium.* De Sancto quoque Theodulfo ſic Auctor vitæ ſcribit [b]. *Defuncto Abbate Monaſterii illius, qui beato Theodulfo præerat, tertius in loco beatæ recordationis Domni Theoderici Abbatis iſdem eſt ordinatus Abba, Præſule annuente, & Monachorum catervâ petente.* Rectè Guilelmus Marlotus [c] opinatur eas in illo Monaſterio tunc obſervatas eſſe leges, quas beatus Remigius utpote Diœceſanus Epiſcopus Sancto Theodorico præſcripſerat.

[b] Sec. 1. Bened.

[c] Lib. 2. c. 14.

LIII.

Anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quinto, cùm apud Glannafolium Congregatio Benedictina ſub Abbate Mauro creſcebat, Epiſcopatum Pariſienſem ſuſcepit Germanus, & ut Auguſtoduni priùs Abbas Sancti Symphoriani conſtitutus fuerat ab illius urbis Epiſcopo Nectario, ſic & Epiſcopatum adeptus Pariſiis Abbatem in Monaſterio Sancti Vincentii poſt Autharii mortem Droctoveum collocavit. Interpolator Aimoinianus, qui Vincentinorum Abbatum Catalogum variis Aimoinianæ Hiſtoriæ capitibus inſeruit ex antiquis, ut exiſtimandum videtur, monumentis ejuſdem Cœnobii, capite triceſimo-ſexto libri ſecundi hæc publicavit de Sancto Germano Pariſienſi tunc Epiſcopo. *Hiſdem etiam diebus, defuncto Autharío, Sancti Germani*, antiquitus Sancti Vincentii, *Cœnobii primo Abbate, venerabilis vir Droctoveus, ex diſcipulis videlicet beatiſſimi Germani, ab eodem ſancto Pontifice, annuente Glorioſiſſimo Clotario Rege, loco ejus ſubrogatur.* Inter Acta Sanctorum ſeculi primi Benedictini prodiit in lucem vita Sancti Droctovei, quæ putatur ante annum Chriſti nongenteſimum ab Anonymo collecta. Quiſquis ille fuerit, de Sancto Germano & Monachis Cœnobii Vincentini ſic locutus eſt. *Beatus Germanus Patrem eis inſtituit ex ſuis diſcipulis unum, beatum ſcilicet Droctoveum.* Hunc autem Droctoveum, ut idem Auctor teſtatur, Auguſtoduni Sanctus Germanus tunc Abbas in Monaſterio Sancti Symphoriani piè aluerat *juxta normam Patrum, Antonii ſcilicet & Baſilii*, quia Sancti Benedicti Regula nondum in Galliis erat nota. Droctoveus Abbas inſtitutus eſt Clotario Primo Monarchiam Francorum adepto, beatóque Germano ſuperſtes quinquennio vixit.

LIV.

Eodem tempore, quo Germanus Pariſienſium Antiſtes erat, Eccleſiæ Bituricenſi præerat Probianus, qui Sanctum Auguſtum Abbatem præfecit Monaſterio Sancti Symphoriani prope muros Bituricenſes erecto. *Factum eſt*, inquit Gregorius Turonenſis [d], *ut accerſitus ab Epiſcopo Abba ordinaretur in Baſilica Sancti Symphoriani, quam memoratus Pontifex fabricaverat ante conſpectum muri Biturici.*

[d] De glor. Conf. c. 80.

LV.

Regnantibus Clotarii Primi filiis, Sanctus Columbanus in Galliam venit è Britannia, diúque degit in Burgundia ſub Guntchramno Rege, ſucceſſoribúſque Childeberto Secundo & Theodorico Secundo; deinde profectus eſt in Longobardiam, ibíque vitam clauſit. Erexit duo percelebria Monaſ-

Digitized by Google

teria, Luxovium in Burgundia, Bobium in Longobardia, ſuiſque diſcipulis Regulam præſcripſit, in qua nullum eſt verbum de Abbatis electione. Obiit in Monaſterio Bobienſi. Succeſſit in illius Cœnobii Præfecturam Attala, ſub cujus diſciplina Monachum induit Jonas, qui de Bertolfo ejuſdem Attalæ ſucceſſore ſic ſcripſit. *Cùm conditor rerum beatum Patrem Attalam ad cæleſtia Regna per arumnas hujus ſeculi tranſtuliſſet, omnis Monachorum concio voce ſimul & animo præfatum Bertolfum ſublimaverunt honore paterno, qui per tredecim annos omni diligentiæ ſtudio plebem ſibi commiſſam ſalutaribus monitis erudire non omiſit.* Ut Bobienſes in Longobardia, ſic & in Francia Luxovienſes Monachi ſuos elegerunt Abbates. Id indicat Walafridus in vita Sancti Galli. *Abbas*, inquit, *Monaſterii, quod Luxovium dicitur, nomine Euſtachius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab hujus exilio vitæ ad ſupernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem Cœnobio conſtituti conſilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, & ejus regimini ſe ſubdendo contraderent. Miſerunt itaque ſex fratres ex his, qui ab Hibernia venerunt, qui epiſtolam ferrent, continentem cauſas ejuſdem Legationis.* Utrobique electus eſt Abbas à Monachis ex jure Privilegii. Bobium extra Franciæ limites ſitum erat in Epiſcopatu Placentino. Luxovium ad Diœceſim Veſontionenſem pertinebat in ditione Francica. Privilegium Luxovienſibns Monachis ab Antiſtite Veſontionenſi conceſſum fuiſſe vel ex eo liquet, quòd apud Marculfum [a] in ipſa Privilegii formula proponuntur exempla Monaſteriorum, *Lirinenſis, Agaunenſis, Luxovienſis, quæ ſub libertatis Privilegium videntur conſiſtere.* Initium iſtius formulæ, necnon & fragmentum de Abbatis electione deſcriptum accipe. *Domino ſancto & in Chriſto Venerabili Fratri illi Abbati vel cunctæ Congregationi Monaſterii illius in honorem Beatorum illorum in pago illo conſtructi, ille Epiſcopus. Compellit nos affectio charitatis veſtræ, &c. Juxta diſpoſitionem divinam cùm Abbas de ipſo Monaſterio à Domino migraverit, quem unanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex ſemetipſis, optimæ Regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem elegerit, ſimiliter ſine præmio memoratæ urbis Epiſcopus ipſe promoveat Abbatem.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Lib. 1. c. 1.

LVI. Privilegii, quod à Metropolita Veſontionenſi Luxovienſibus Monachis indultum fuit, haud participes extiterunt ceteri, qui Deo ſub eadem Sancti Columbani Regula in aliis locis famulabantur. Exemplo ſunt Sitivenſes in Morinis. Regnantibus Sigiberto Tertio & Clodoveo Secundo Dagoberti Primi filiis, cùm Beatus Audomarus Eccleſiæ Taruannenſi præerat Epiſcopus, conditum eſt in illa Diœceſi Monaſterium Sitivenſe. Luxovienſem Monachum induit Audomarus Euſtaſio tunc Abbate, factus pòſt Epiſcopus déque conſtruendo Cœnobio ſollicitus nonnullos Luxovio Monachos evocavit, atque in his Mummolinum & Bertinum, quos Abbates ſucceſſivè conſtituit. Lege Authorem vitæ, quem Joannes Mabillonius [b] *ante Normannorum cladem vixiſſe* jam obſervavit. *Sancti*, inquit, *viri, Mummolinus atque Bertinus cum ceteris eorum in Chriſto ſociis, Monaſterium nomine Sithiu ſuper Agnionam fluvium in Dei nomine adificare cœperunt. Confluentibúſque undique religioſis viris ad prædictos Dei famulos beatus Audomarus Mummolinum multitudini præpoſuit Monachorum.* Et paulò pòſt. *Glorioſus Pontifex Audomarus poſt Mummolinum in prædicto Monaſterio ſancto Monachorum choro beatum præpoſuit Bertinum.*

[b] Sec. 2. Benedict.

LVII. Eodem anno, quo Monaſterii Sitivenſis initia conſignantur, ponuntur & initia Fontanellenſis, cujus primus Abbas Wandregiſilus nec Regulam Sancti Benedicti nec Inſtitutum Sancti Columbani ſecutus eſt, ſuiſque diſcipulis peculiarem impoſuit Regulam, quam ex variis Sanctorum Patrum Regulis concinnavit. Audoenus, Rotomagenſis Metropolitanus annum tunc octavum agebat in Pontificatu, Fontanellenſibus Monachis, ut ſuos deinceps Abbates eligerent, facilè conceſſit, viros enim, qui Monaſticis diſciplinis delectabantur, plurimùm diligebat. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

septimo discessit ex hac vita Wandregisilus. *Quo in cælestis Regni societatem ab Angelicis choris suscepto, omnis caterva Monachorum, Christi Domini exorat pietatem, triduanum celebrans jejunium. Quo expleto, jubente Deo, elegit famulum Domini Lantbertum, religione præclarum & genere nobilem, ex territorio Tarvennensi ortum.* Hæc in Sancti Ansberti [a] vita leguntur apud Aigradum, qui Sanctum Lantbertum ex Abbate Fontanellensi Lugdunensem postea Metropolitam effectum esse, eique Sanctum Ansbertum, qui Monasterium regeret, à Fontanellensibus Monachis Abbatem subrogatum sic testatur. *In prædicto Cœnobio Fontanella post recessum ejusdem Sancti Pontificis Lantberti*, qui Lugdunenses Infulas anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octavo suscepit, *divino nutu juvante, unanimes ejusdem Congregationis Monachi Beatum Ansbertum sibi elegerunt præesse Rectorem.*

[a] Sec. 2. Benedict.

LVIII. Lapsu igitur temporis non Monachi tantùm Benedictini, sed & alii plerique suos ex semetipsis Abbates elegerunt, seu Regulam Sancti Columbani, seu quamlibet aliam sequerentur. Benedictini Regulâ Sancti Benedicti quam suprà citavimus, ceteri jure Privilegii quod ab Episcopis obtinuerant, suam tuebantur causam. In formula Privilegii, quam Marculfus exhibet, *modò* Monasteria *innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis Privilegium videntur consistere.* Sæpè Monachi, postquàm ab Episcopo Privilegium impetrarant, visi sunt timere, ne Monasterio molestiam facerent futuri pòst Episcopi, quibus id, quod à prædecessore gestum fuisset, fortasse displiceret. Idcircò ab eodem Episcopo, qui Privilegium concessit, ardentissimis postularunt precibus, ut ipsum Monasterium Regiæ committeret dominationi; Regiúmque super eo negotio Præceptum fieri curaret. Pasquarius Namnetensis Episcopus Antrense Monasterium in sua Diœcesi construxit, evocatis è Fontanella Monachis, quorum antesignanus Hermenlandus. Hujus vitam [b] consule ab Auctore suppari conscriptam. Lantbertus Fontanellensis Abbas, de quo suprà, Nuncios Episcopi sic alloquitur. *Vota quidem, filii carissimi, Pasquarii Episcopi, ejúsque sancti gregis constat sicuti divinitus inspirata sanctissimâ redolere devotione, atque ideo ut particeps tanti voti esse mereat, licèt magno destituar solatio, petitionem à nostra parvitate postulatam per carissimum mihi hunc fratrem Hermenlandum aliis cum eo fratribus missis perficere studerem, si certissimè nossem ab eo ita Cœnobium constitui, ut futuris temporibus fratres in eo constituti, quantùm ab eo vitari potest, nullius infestatione turbarentur. Vita siquidem nostri Ordinis summam expetit quietudinem, & nihilominùs magnum patitur dispendium, cùm intentè cælestia contemplatur, si querimoniis pravorum à supernorum avocetur inspectione. Si igitur in sua Ecclesiæ prædio Cœnobium construxerit, in quo isti, quos mittimus, allíque divinitus inspirati eorúmque provocati exemplo conversi è sæculo habitent, temporibus quidem ejus fortassis optatâ uti pace valebunt: post obitum verò ejus si ipsum Cœnobium sub dominio sui successoris reliquerit, magni (sicuti in nonnullis Cœnobiis actum esse comperimus) cupiditatis instinctu pravorum turbabuntur inquietudinibus, itaut necessitas eos inde exire compellat, & errabundos circumquaque vagari cogat. Mihi verò si ita evenerit, qui commissos illuc dirigo Monachos, multùm incumbet periculi, illíque nihil augebitur mercedis. Si autem perpetuæ retributionis intuitu Monasterium ædificare desiderat, hortor, ut Regalibus eum manibus tuendum committat, & ut Regis clementia talem Præceptionem facere dignetur, ut nulla alia potestas maligno instigata spiritu, omni dominationis occasione sublatâ, molestiam habitantibus in eo ingerere audeat, quatenus Regali defensi præsidio, pro ejus totiúsque sui Regni perpetuâ pace liberè, remotâ pravorum impulsione, Christi interpellent clementiam.* Respondent Nuncii. *Noli, noli cunctari talibus suspicionibus, Pater. Nam certissimè de bonitate Patris nostri Pasquarii confidere potes, quia juxta tui oris imperium, omnem hujus operis causam Domino juvante perficiet.* Hermenlandus Namnetas proficiscitur, Episcopo recitat colloquium apud Fontanellam habitum inter ejus Nuncios & Abbatem Fontanellensem. Pasquarius postulationem Lantberti

[b] Part. 1. Sec. 3. Benedict.

Digitized by Google

ratam his verbis habet. *Nullus me magis, dilectiſſime frater, hujus operis perfectionem perpetuâ conſtabilire deſiderat firmitate, qui auctor fundatórque ejus videor eſſe, & ideo ſecundùm tuam Patríſque tui ſuggeſtionem noſtrorumque Nuntiorum ſponſionem, non ſolùm te cum Cella quam ædificare diſponimus, cúmque omnibus rebus quas ibi confirmavero ad ſubſidium fratrum inibi commorantium ſecundùm auctoritatem canonicam, Regiæ committam dominationi, ejúſque vobis habere perficiam Præceptum; quin etiam quidquid commodum atque utile ad perpetuam quietem illius loci tecum pertractare potuero, libentiſſimè implere curabo. Tu verò ea, quæ deſidero, quomodo ritè perficiantur, prudenti perpende conſilio.* Monaſterium ædificatur. Opere completo, *veniens illuc idem Epiſcopus ad dedicationem cum ſuis Canonicis, per conſenſum omnium Privilegium Sancto Hermenlando & Monachis ſuis ex eodem Monaſterio fecit, ſicut ſpoponderat primùm, ut nullus de ſucceſſoribus ſuis, de ipſo Monaſterio vel rebus quas ipſe vel alii divino amore compuncti ad luminaria ſubſidiáve fratrum ibidem tradiderant, aliquid ſub dominationis occaſione uſurpare tentaret, & tunc demum ad aulam Regiam ſecum Beatum Hermenlandum ducens, Regis Childeberti eum cum Monaſterio & Monachis ex eo tuendum tradidit manibus. Æterna verò retributionis intuitu iſdem Francorum Rex ſuum tunc Præceptum beato Hermenlando de eodem Monaſterio & rebus ejus fecit, ut nulla dominatio alicujus poteſtatis Monachis in eo conſtitutis aliquam inquietudinem ingerere præſumeret, ſed Regali perpetuâ freti defenſione, abſque alicujus impedimento liberè pro eo totiúſque Regni ejus pace Chriſti deprecarentur clementiam.* Tertius hic Childebertus Clodovei Secundi nepos extitit, Regnúmque ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undecimum tenuit.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Epiſcopi Privilegium apud Marculfum [a] ſequitur *Conceſſio Regis ad hoc Privilegium.* Iſtius Conceſſionis formulam penè integram neceſſe eſt hîc deſcribamus. *Ille Rex, viris Apoſtolicis, Patribus noſtris, necnon & Inluſtribus viris, illi Comiti, vel omnibus Agentibus, præſentibus & futuris. Oportet,* &c. *Ergo dum & ille Epiſcopus, aut Abbas, aut Inluſter vir, Monaſterium in honore illius, in pago illo, aut ſuper proprietate, aut ſuper fiſco, noſcitur ædificaſſe, ubi ad præſens ille Abbas vel turba plurima Monachorum adunata eſſe noſcuntur: ad petitionem illius Clementia noſtra, pro quiete ipſorum ſervorum Dei, Præceptionem vigoris noſtri placuit propalare, ſub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente, ipſi Monachi juxta Religionis normam perpetim valeant reſidere, elegimus, ut & hac ſerie debeat plenius declarari, quia nihil de Canonica Inſtitutione convellitur, quicquid domeſticis fidei pro tranquillitatis pace conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo æſtimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquis juxta conſtitutionem Pontificum per Regalem Sanctionem Monaſteria Sanctorum illorum, vel cetera in Regno noſtro ſub libertatis Privilegium videntur conſiſtere, ita & præſens valeat Deo adjutore conſtare. Ergo ſi quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuſcumque rebus, atque corporibus, aut Regio munere, aut ſuprafcripti illius, vel à quibuſlibet eſt delegatum, aut deinceps fuerit additum, juxta quod ab illo Pontifice vel ceteris Domnis Epiſcopis ad præfatum Monaſterium juxta quod eorum continet Privilegium, quod nobis præfatus ille protulit recenſendum, ſancitum eſſe cognovimus, nullus Epiſcoporum, ut diximus, nec præſens, nec qui fuerint ſucceſſores, ſeu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet perſona, poſſit quocumque ordine de loco ipſo auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo Monaſterio præter id quod ſcriptum eſt adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de miniſterii ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario inlata abſtollere, nec ad ipſum Monaſterium vel Cellulas ejus, niſi tantùm pro lucranda oratione (illud ipſum ſi fuerit cum voluntate Abbatis vel ejus Congregationis) abſque diſpendio eorum, aliter accedere penitus non præſumat. Quò facilius ſecundùm delegationis votum, vel hujus ſerici auctoritatem, ad ipſum Monaſterium abſque ullius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adjicientes, ut nulli penitus Judicum, vel cuilibet hominum, licentia ſit de rebus præfati*

LIX.

[a] Lib. 1. c. 8.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Monaſterii, abſque voluntate eorum ſervorum Dei, in aliquo iniquiter defraudare, aut temerario ſpiritu ſuis uſibus uſurpare, ne, quod primitus eſt, & Dei iram incurrat, & noſtram offenſam, vel à fiſco grave damnum ſuſtineat. Illud nobis pro integra mercede noſtra placuit addendum, ut tam quod ex noſtra largitate, quàm delegatione ipſius, vel ceterorum, aut cujuſlibet, ibidem eſt aut fuerit devoluta poſſeſſio, quoque tempore nulla Judiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidiva, aut ad cauſas audiendum, aut aliquid exactandum, ibidem non præſumat ingredi, ſed ſub omni emunitate hoc ipſum Monaſterium vel Congregatio ſua ſibimet omnia freda conceſſa debeant poſſidere. Et quicquid exinde fiſcus noſter, forſitan de eorum hominibus, aut de ingenuis, aut de ſervientibus in eorum agris commanentibus, vel undecumque poterat ſperare, ex indulgentia noſtra, in luminaribus ipſius ſancti loci, vel ſtipendiis Sanctorum Dei, tam nobis in Dei Nomine viventibus, quàm per tempora ſuccedentibus Regibus, & pro mercedis compendio debeant cuncta proficere, ut pro æterna ſalute vel felicitate patriæ ſeu Regis conſtanter delectet ipſis Monachis immenſam Domini pietatem jugiter implorare. Quod Præceptum, &c.

LX. Cùm ſingula ferè Monaſteria Francorum, lapſu temporis, & ab Epiſcopo Privilegium & à Rege Præceptum accepiſſent, Abbates & Epiſcopis morem gerere ceſſarunt & à Regibus eligi cœperunt. Poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum, ſive poſt Clodovei Secundi Regis annum ſeptimum, quo Synodus tertia Cabilonenſis habita eſt, non occurrit ampliùs facta contra Reges reclamatio, qui ſine ſuo vel juſſu vel permiſſu civitatibus Epiſcopos præfici non patiebantur ab ætate Clodovei Magni, ut adductis ſuperiùs exemplis accuratiſſimè probavimus. Abbatum electio ſeriùs in Monaſteriis perſeveravit. Exempla jam protulimus Abbatum Fontanellenſium ſub Clodovei Secundi filiis, Sancti Lantberti ſub Clotario Tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſeptimum, Sancti Anſberti ſub Theodorico Tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octavum. Audi denuò Aigradum. *Omnis caterva Monachorum elegit famulum Domini Lantbertum.* Item. *Unanimes ejuſdem Congregationis Monachi beatum Ansbertum ſibi elegerunt præeſſe Paſtorem.* Utrique ſynchronus vixit Sanctus Siviardus Aniſolenſis Abbas, quem *fratres ex Aniſolenſi Monaſterio*, ut Auctor crætaneus in ejus vita teſtatur [a], *elegerunt ſibi præeſſe optimum Paſtorem.* Illius obitus conſignatur *octavo anno Regni Domini Theodorici Regis, Calendis Martii*, ſive anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, Theodorico Tertio Monarchiam Francorum tunc obtinente. Temporibus Clodovei Tertii, qui filius ejuſdem Theodorici Tertii fuit, Monachi Dervenſes à Bertoendo Epiſcopo Catalaunenſi Privilegium impetrarunt, túncque primùm licentiam habuerunt ſuos ex ſemetipſis Abbates eligendi. Summam hujus Privilegii, quod formulæ Marculfi conſentaneum eſt, ex Camuzati notis ad Hiſtoriam Sancti Bercharii recitavimus Tomo quarto [b]. Poſt Clodoveum Tertium regnavit ejus frater Childebertus Tertius. Hoc Rege, Hermenlandus Antrenſis Abbas regimen abdicavit Monaſterii, *fratres autem ſibi Abbatem elegerunt, nomine Adalfredum.* Deinde *poſt interitum Adalfredi Abbatis, conglobati fratres beatum Ærmenlandum ſubmiſſis precibus exoraverunt, dicentes. Precamur Sanctitatem tuam, benigniſſime Pater, quia nos deſolatos relinquere tuâ præſentiâ maluiſti, ne nos, ſicuti olim, in electione Abbatis aberrare permittas, ſed dignum Deo elige nobis Patrem, qui juxta tuum exemplum viam Domini nos docere queat. Flexus itaque precibus eorum juſſit accerſiri unum è fratribus, quem ipſe divinis diſciplinis inſtruens enutrierat in bonis actibus, nomine Donatum, quem, cum voluntate omnium, Abbatem ordinans fratribuſque præponens edocuit, quemadmodum in ſpiritalibus temporalibúſque rebus miniſtrandis ſe ſollicitum præberet ac promptum.* Utrumque legitur in vita Sancti Hermenlandi [c]. Childeberto Patri ſucceſſit in Regnum Dagobertus Tertius, quo regnante Sanctus Urſmarus Lobienſis Abbas *cernens paulatim ſibi vires corporis minui, ſuaque diem vocationis imminere, curam cæpit non parvam gerere, ne grex ſibi*

[a] Ap. Henſchen. d. 1. Mart.

[b] Ad an. 694. n. 1.

[c] Ap. Henſchen. d. 25. Mart.

commiſſus relinqueretur ſine Paſtore. Tunc annuente Deo, optantibus cunctis, Sanctus Erminus eligitur, ut Ratherius Lobienſis quondam Monachus in vita Sancti Urſmari ſcribit. AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. LXI.

Poſt Dagoberti Tertii Regis obitum, quem Annaliſta Nazarianus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto conſignat, auctoritas Regia, contra quam omnis penitus reclamatio jam à multis annis in eligendis Epiſcopis ceſſaverat, in eligendis etiam Abbatibus prævaluit. Illis temporibus Abbates haud pauci juriſdictionem Epiſcopalem prætextu Privilegiorum aſpernabantur, ſuorum Monaſteriorum curam omnino negligebant, Aulæ Regiæ ſtrepitu plurimùm delectabantur, civilibus ſe bellis immiſcebant ſui muneris prorſus obliti, cùm intra Cœnobialia ſepta pro Regali familia Regnique pace ac ſtabilitate divinam deberent clementiam exorare. Dagobertus Tertius filium, nomine Theodoricum, in cunis reliquit. Tunc Francia domeſticis laborabat diſcordiis, quarum cauſam paucis aperiemus. Jampridem Neuſtraſii cum Auſtraſiis inimicitias exercebant, quoniam ambobus populis duo Reges imperarant diutiſſimè, vel ſi quandoque Rex unus præfuerat, duo ſaltem ab eo præpoſiti fuerant Majores-domûs, unus Auſtraſiis, alter Neuſtraſiis. Hi nuper ægerrimè tulerant Pippinum virum Auſtraſium pari auctoritate in Neuſtraſia æquè ac in Auſtraſia potitum eſſe. Pars idcircò poſt obitum ipſius Pippini tumultuata eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, & arreptis armis adversùs Theudoaldum Majorem-domus, ejuſdem Pippini nepotem, inſurrexit. Secutum eſt grave bellum. Theudoaldus in fugam actus paulò pòſt obiit. Ejus loco conſtitutus eſt apud Neuſtraſios Major domûs Regiæ Raginfridus. Hic victore ſtipatus exercitu, Dagobertique Regis præſentiâ munitus in Auſtraſiam profectus eſt, vocato etiam in ſocietatem fœderis atque amicitiæ Radbodo Friſiorum Rege. Sed impetum ejuſdem Raginfridi Neuſtraſiorumque plurimùm retardavit Dagoberti mors immatura. Prætermiſſo Theodorico Dagoberti filio, quia tunc in cunis erat, à Neuſtraſiis in ſolio collocatus eſt Chilpericus Tertius, Childerici Secundi quondam Regis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio mortui filius. Præcipuum Chilperici Regis & Raginfridi Majoris-domûs conſilium fuit, ut Carolum, qui ſe Majorem-domûs in Auſtraſia dicebat, & nonnullas Burgundiæ civitates ad ſuas partes jam traxerat, auctoritate Magiſtratúque ſpoliarent. Benignus Fontanellenſis Abbas, etſi Monaſterium in Neuſtraſia poſitum gubernaret, Carolinarum partium fautorem ſe præbuit; hac fraude detectâ regimine Monaſterii privatus eſt, atque in ejus locum ſuffectus eſt Wando; utrumque verò factum auctoritate Regiâ. Chronographus Fontanellenſis id non diſſimulavit, licèt in gratiam Caroli, ſub cujus pronepote Ludovico Pio ſcripſit, imputarit Raginfrido, ut vocavit, tyranno, quod Regi Chilperico tribuere debuit. *Anno*, inquit [a], *ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeptingenteſimo & decimo-ſexto* Benignus *juſſu Ragenfredi Majoris-domûs, ſive potiùs, quod verius eſt, tyranni, de regimine Monaſterii projicitur, & Wando Monachus, filius Baldrici, ejus in loco ſubrogatur*. Chilpericus & Raginfridus ter cum Carolo dimicarunt infelici exitu; ſemel eodem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto ad Amblavam locum rivo ejuſdem nominis adſidentem in Diœceſi Trajectenſi prope Stabuletum; iterum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ad Vinciacum in pago Cameracenſi; tertiò in agro Sueſſionenſi anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono. Supererat in vivis Clotarius, Theodorici Tertii Regis, cujus obitum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo conſignavimus, filius natu minimus. Hic apud Auſtraſios anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeviceſimo regnare cœpit, annóque proximo vitam clauſit Chilperico apud Sueſſionem jam profligato. Poſt Clotarii Quarti mortem, cùm nullus è Regia familia ſuperſtes eſſet præter Chilpericum Regem & Theodoricum Dagoberti Tertii quondam Regis filium adhuc puerulum, Carolus Chilpe-

[a] Cap. 3.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

ricum ex Aquitania, ubi cum Eudone Duce ſeu Præfecto provinciæ degebat, Legatione miſſâ revocare ſtuduit, quia Burgundiones & Neuſtraſii ſuperioribus prœliis victi potiùs quàm domiti, niſi Rex adeſſet, non libenter homini Auſtraſio parituri videbantur. Votorum compos facillimè factus eſt, Eudone, qui nolebat cum illo rurſum congredi, ſibique à Saracenis bellum minitantibus non parum timebat, nullatenus obſiſtente. Vixit Chilpericus ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum. Multa recenſentur Monaſteria, Metenſe Sanctorum Apoſtolorum, Corbeienſe, Bellovacenſe Sancti Luciani, San-Dionyſianum in agro Pariſienſi, Fontanellenſe, Glannafolienſe, quibus munificum ſe præbuit. Privilegia Monaſterii Glannafolienſis, atque imprimis jus Abbatem eligendi confirmavit Pariſiis octavo Kalendas Maias, anno Regni ſui ſecundo. *Talis*, inquit, *eligatur, qui corpore ſit caſtus, mente devotus, ſacris Scripturis eruditus, & converſatione regulari eruditus, ut ipſi Monachi ſub quieto ordine viventes, nihil patientes inquietudinis*, &c. Si quos igitur Abbates aut exauctoravit aut inſtituit, ut ſuperiùs obſervatum eſt de Fontanellenſibus, id nec odio in Monaſticum ordinem ſuſcepto nec auctoritatis augendæ ſtudio præſtitit, ſed laudabili veréque Regio permotus zelo publicæ tranquillitatis, quam nefarii oderant homines, Abbatiali munere prorſus indigni, utpotè, qui procul à vitæ ſuæ propoſito deviarant, rerúmque novandarum ac tumultuum ſeu concitandorum ſeu fovendorum ſolâ cupidine ducebantur.

LXII. Chilperico Tertio ſucceſſit Theodoricus Quartus, Dagoberti Tertii quondam Regis filius, puer tum ſeptennis. Hic vixit annos duntaxat tres ac viginti, vitámque terminavit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo. Eo Rege ſive puero ſive adoleſcente, Carolus Major-domûs precipuam rerum adminiſtrationem geſſit, tantámque adeptus eſt auctoritatem, ut mortuo Theodorico ſolus Regnum Francorum ad obitum uſque ſuum ſive ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum ſine Rege gubernarit. Penes ejus filios Carolomannum & Pippinum Majores-domûs ſumma quoque rerum per biennium fuit Childerico Tertio nondum Rege. Poſt hunc Childericum Dagoberti Quarti filium, qui cælebs atque adoleſcentulus annorum circiter duodeviginti Rex eſſe deſiit, regnavit idem Pippinus, tum filii Carolus & Carolomannus, deinde Ludovicus de cujus Capitulari nunc agimus. Quod autem apud Fontanellam actum eſt à Chilperico Tertio, frequentiùs ibidem atque aliis in locis uſurpatum fuit à ſucceſſoribus ſeu Majoribus-domûs ſeu Regibus, eóque tandem res devenit, ut Reges, quemadmodum Epiſcoporum de quibus ſuprà, ſic & Abbatum electionem ad ſe traxerint. Anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-nono, qui ſecundus poſt mortem Theodorici Quarti Regis numerabatur, Wido Abbas duorum Monaſteriorum, Vedaſtini ſcilicet apud Atrebatum & Fontanellenſis in Diœceſi Rotomagenſi, capite plexus eſt juſſu Caroli Majoris-domus, contra quem conjurarat. *Accuſatus apud principem Carolum, quòd conſpirationem adversùs ipſum cum aliis meditatus eſſet, juſſu ejuſdem Exarchi ad Regiam domum compellitur migrare. Qui dum pergeret cum ſatellitibus Regiis, venientes in territorium Viromandiæ, capitis præciſione damnatur, ibidémque digno in loco ſepulturæ eſt traditus. Hæc*, inquit [a] Chronographus Fontanellenſis, Auctor, ut ex hac eadem periodo patet, ſuppar, *ex relatione cujuſdam Patris, qui ipſum videre potuerat, didici, quòd ita vitâ deceſſerit.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo, ſive poſt Theodorici Quarti Regis obitum anno quinto, poſt Caroli Majoris-domûs mortem anno primo, Monachi Fontanellenſes Abbatis Raginfridi regimen exoſi, *conſilio inito tres ex ſemetipſis fratres eligunt, qui Pipino Principi ſuggererent, ut à dominatu tanti prædonis ac tyranni miſericorditer eos liberaret. Nec mora, quæ petierant, adipiſcuntur. Extemplò namque auctoritate Regiâ idem Raginfridus de ordine regiminis hujus Cœnobii depoſitus eſt.* Deinde accerſito Wandone, *Domnus Pipinus*

[a] Cap. 10.

Digitized by Google

nus curam illi Cœnobii iſtius Fontanellenſis *commiſit*, ut idem Chronographus teſtatur [a]. Anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, Wando Fontanellenſis Abbas viſum amiſit præ ſenio, cæcúſque factus Abbatiale munus, cum generali fratrum conſenſu, in Auſtrulphum ejuſdem Cœnobii Præpoſitum tranſmiſit, petitione miſſâ priùs ad Pippinum Majoremdomûs, qui Regnum adminiſtrabat Childerico Tertio Rege tunc puero. *Luminibus oculorum*, ait idem Auctor [b], *præ nimio ætatis ſenio privatur. Tunc unà cum conſenſu ac generali fratrum voluntate eligit pro ſe venerabilem virum, nomine Auſtrulphum, qui erat Præpoſitus hujus Cœnobii, regiminis loco ſubrogandum. Quo facto, miſſâ petitione ad Pipinum Principem, obſecrat uti ſuam & fratrum electionem comprobans, ſua ex auctoritate idem Auſtrulphus Cœnobio huic* Fontanellenſi *præficeretur. Quod ita & factum eſt.* Quid poſt Auſtrulphi mortem ſecutum ſit, idem Chronographus ſic declarat [c]. *Defuncto Auſtrulpho Patre Monaſterii Fontinellenſis, ſtatim iſte*, nempe Widolaicus ſeu Withlecus, *ad palatium ire deliberavit, plurima donaria auri argentíque ſecum deferens, quæ Pipino Regi ac ſuis ſatellitibus collata, ut optaverat, Abbas conſtituitur, anno ſecundo poſtquàm idem Pipinus Regale adeptus fuerat faſtigium, qui eſt annus Domini* DCCLIII.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Cap. 11. [b] Cap. 12. [c] Cap. 14.

A Monaſterio Fontanellenſi tranſeamus ad Gorzienſe, ad Prumienſe, ad Sam-Maximinianum, & ad San-Dionyſianum, pro quibus extant Diplomata varios modos conſtituendorum Abbatum complexa ſub Pippino Rege. Chrodegangus Metenſis Epiſcopus *in Compendio palatio publicè in Synodo congregata, anno* VI *Regni Pippini Glorioſi Regis, ſub die* X *Kal. Junii*, ſive anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, pro Gorzienſi Monaſterio Privilegium emiſit, in quo ſic Abbatis electionem attigit. *Juxta diſpenſationem divinam, cùm Abbas de ipſo Monaſterio ad Dominum migraverit, quem unanimiter omnis illa Monachorum Congregatio optimæ Regulæ compertum & vitæ meritis congruentem elegerint unà cum conſenſu & voluntate urbis Epiſcopi, ipſum ſibi habeant Abbatem, &, ſi in ipſam Congregationem, quod abſit, non potuerint talem invenire, qui eos regulariter regat, tum ipſe Pontifex cum conſenſu & voluntate eorum de alio Monaſterio eligat Abbatem, ſicut ſuperiùs diximus, qui eis regulariter & ſecundùm ordinem præſit.* Integrum hoc Privilegium extat in poſtrema Conciliorum Collectione [d]. Chrodegangus Marculfi formulam certis adſtringit conditionibus, Abbatis enim electionem, quæ ſibi tanquam Epiſcopo Diœceſano ex jure communi & antiquo competit, ſuo ſucceſſorúmque Metenſium Epiſcoporum nomine Gorzienſibus Monachis in perpetuum eâ relinquit lege, ut quem ex ſemetipſis elegerint *unà cum conſenſu & voluntate* Metenſis *urbis Epiſcopi ipſum ſibi habeant Abbatem*, &, ſi nullus inter illos inveniatur, qui poſſit Abbatis officio defungi, jus eligendi Abbatem redeat ad Metenſem Epiſcopum, qui *cum conſenſu & voluntate eorum de alio Monaſterio eligat Abbatem.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo *Rex Francorum Pippinus* Prumienſe *Monaſterium* in Diœceſi Trevirenſi *conſtruxit*, & *conſtitutis in eo Monachis, qui Deo ſub Regulari ordine militarent, venerabilem virum Aſuerum regiminis præfecit officio*, ut Wandalbertus illius loci Monachus teſtatur in libro de Miraculis Sancti Goaris [e]. Idem Pippinus *menſe Januario, anno Regni* XIV, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſexto, *in Palatio publico Moguntiæ*, Regium pro Monaſterio Sam-Maximiniano, Præceptum dedit, quo prædictum Cœnobium in Trevirenſi ſuburbio ſitum ſub Regali mundiburdio poſuit, & Monachis electionem Abbatis conceſſit. *Hunc*, inquit, *præſentem Abbatem Utilradum, & omnes Abbates poſt eum futuros de eodem loco, ſimul cum Monachis & Abbatia, ſub Regum mundiburdio in ſecula manere decerno, ut ab omni inquietudine expediti Deo valeant ſervire cum gaudio ſpiritali. Electionem quoque Abbatis ſupradictis Monachis Regali auctoritate concedo, ut habeant poteſtatem eligendi quemcunque voluerint, eâ ratione, ut Regulam cum ſibi ſubjectis cuſtodiat.* Illud

LXIII.

[d] Tom. 6.

[e] Sec. 2. Benedict.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Præceptum Miræus inter Diplomata Belgica publicavit [a]. In Antiquitatibus San-Dionyſianis [b] occurrit & aliud Pippini Regis Præceptum, datum *in ipſo Monaſterio Sancti Dionyſii, nono Kalend. Octob. anno 17 Regni*, ſive anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo. Hujus Præcepti tres ſunt partes; prima de confirmatione Privilegiorum Monaſterio San-Dionyſiano conceſſorum, ſecunda de Abbatum electione, tertia de ordine pſallendi. Prima & ultima Præcepto Clodovei Secundi, quod Tomo tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-tertium [c] deſcripſimus, perſimiles ſunt; ſecunda, cujus nullam mentionem Clodoveus fecit, duabus aliis inſerta eſt à Pippino, qui nec inſertionem hanc diſſimulavit. *Illud verò*, inquit, *in hoc Privilegio noſtræ Serenitatis placuit inſerendum, ut cùm Abba de ipſa caſa Dei de hoc ſeculo nutu divino fuerit evocatus, liceat ipſi ſanctæ Congregationi de ipſo Monaſterio ex ſemetipſis eligere, & quem bonum & condignum invenerint, qui ipſum onus Abbatiæ ſecundùm ordinem ſanctum poſſit regere vel gubernare, & unanimiter conſenſerint, datâ auctoritate à nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris, ibidem in ipſa caſa Dei inſtituatur Abba, & pro ſtabilitate Regni noſtri, vel pro cunctis Leudis noſtris, ſeu pro ſalute patriæ, Domini miſericordiam jugiter valeant exorare.* Porrò Clodoveus Secundus nullum in ſuo Præcepto verbum habuit de Abbatis electione, quia Monaſterium San-Dionyſianum ab ejus patre Dagoberto conditum jure tunc utebatur adhuc communi, nec Abbatem agnoſcebat præter eum, quem præfecerat Epiſcopus Diœceſanus. Quæ verò de eadem Abbatis electione poſt annos quindecim ſupra centum à Pippino Rege ſunt inſerta, varias ſuper eo negotio viciſſitudines ut in aliis pleriſque Monaſteriis ſic & in San-Dionyſiano per illam temporum intercapedinem ſupponunt; Privilegium Monachis ab Epiſcopo Pariſienſi conceſſum, ut Abbatem ex ſemetipſis eligant, quem *optimæ Regulæ comparatum & vitæ meritis congruentem* repererint; quæſitum ab iiſdem Monachis impetratúmque mundiburdium auctoritatis Regiæ contra quoſcumque perturbatores Monaſticæ quietis ac violatores jurium in ipſo Privilegio contentorum, poſteáque non protectionem tantùm Monaſterii ſed & Abbatis electionem in poteſtate Regia fuiſſe; denique emiſſum pro Cœnobio Præceptum, per quod Pippinus Rex bona Monaſterii, ut anteà, ſub Regis mundiburdio eſſe voluit, Abbatis autem electionem ſuffragiis Monachorum liberam reliquit, additâ tamen hac clauſulâ, ut is, quem illi Abbatem elegiſſent, Abbas haud inſtitueretur, antequàm acceſſiſſet auctoritas Regis ſeu mandatum Regium, *datâ*, inquit, *auctoritate à nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris*. Sic igitur Monachi San-Dionyſiani ex Regio Pippini Præcepto jus Abbatem deinceps eligendi receperunt, ut de facta electione ad Regem referre ejúſque aſſenſum expectare tenerentur.

[a] Tom. 1. c. 7.
[b] Lib. 3. c. 5.
[c] Num. 33.

LXIV. Pleraſque præcedentium aſſertionum egregiè confirmant Laureshamenſia monumenta. *Pippini Regis Francorum anno* XII. *Cancor Illuſtris Rhenenſis pagi Comes, cum matre ſua religioſa & Deo acceptabili Williſwinda, vidua Ruperti Comitis, Monaſterium Lauresham in Inſula, quæ nunc Aldenmunſter, initiantes venerabili Rutgango Metenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ad inſtituendam inibi Monaſticæ profeſſionis militiam, tradiderunt, nullius quidem Epiſcopii ſeu cujuſlibet juri aut dominio ſubjicientes; ſed quia miſſus id per ſe poterant, tanquam conſanguineo & tum in Dei rebus viro ſpectatiſſimo perficiendum gubernandúmque ſub traditionis titulo commendantes. Qui ut deſiderii ſui promptiorem ſortirentur effectum, famulorum Dei, qui illic adunandi erant, providentes commodis Eccleſiam in Scarra cum ſuis appenditiis, prædium ſuum in Magontia, villam quoque Hagenheim cum omni integritate in poſſeſſionem ejuſdem Monaſterii contulerunt, Eccleſiámque ibidem in honore beati Petri Apoſtoli præfatum Pontificem conſecrare exoraverunt, &c. Reverendus Pontifex Rutgangus votum ac petitionem venerabilis Williſwindæ filiíque ejus Cancronis gratanter amplexus, cùm ipſius Monaſterii curam gubernationémque per ſe exequi non poſſet, utpote & Eccleſiaſticis & Regalibus negotiis*

Digitized by Google

jugiter occupatus Gundelandum germanum ſuum, prudentem admodum & ſanctæ converſationis virum, fratríque per omnia ſimilem eidem loco præfecit, ipsúmque cum omnibus pertinentiis ſuis eo tenore, quo ſibi tradita fuerant, ſuæ diſpenſationi commendavit. Fratres quoque maturæ ætatis & conſilii Dominíque timentes, Reginfridum videlicet & Ulvinum cum aliis XIIII *à Gorziensi Monaſterio, quod ipſe pridem conſtruxerat, cum ipſo direxit, cuncta eis neceſſaria tam in alimentis quàm in ceteris ſubſidiis impartiens,* &c. Villa *de Birſtat* Laureshamenſi Monaſterio data eſt à Cancrone Comite & Angila ejus uxore, Kalendis Junii, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo. Donationi cum Cancrone & Angila ſubſcripſerunt Thurincbertus Cancronis frater & Heimericus ejuſdem Cancronis filius, ſic enim clauditur Diploma. *Actum in Monaſterio Lauresham publicè, ſub die Kalend. Junii, anno ſecundo, regnantibus Glorioſiſſimis Regibus Karolo & Karlomanno. Signum Cancronis Comitis & Angila conjugis ejus, qui hanc Donationem fieri & firmari rogaverunt. Signum Thurincberti fratris ipſius Cancronis, & Heimerici filii ſui, & aliorum. Ego Guario Lector hanc Donationem ſcripſi.* Heimericus poſt parentum ſuorum aviæque mortem bona Laureshamenſi Cœnobio contradita repetiit titulo proprietatis, ut Chronographus illius loci ſubjungit. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXVI. *Regni verò Karoli Regis & poſteà Imperatoris anno* VIII. *Heimericus Comes, filius Cancronis, mortuis patre & avia, cernens præfatum locum ex parvo & modico ad tantam rerum & famæ provectum eminentiam, nitebatur eum ſibi proprietatis titulo vendicare. Cujus rei actione ad Palatium delatâ, & allegatione utriuſque partis auditâ, juxta Legem Francorum diffinitum eſt, Gundelandum* Abbatem Laureshamenſem *jure poſſidere, quod ſibi fuerat à fratre* Metenſi Antiſtite *ſine contradictione collatum, nec Heimericum poſſe repetere, quod pater ejus & mater probantur ſoſpites in ſcriptis tradidiſſe. Heimerico igitur ſe de hoc loco legaliter abdicante, Gundelandus accepit à Rege Chartam evindicatoriam,* quâ confirmatus eſt in juris ſui poſſeſſione, vereri tamen non deſtitit, ne vel Heimericus iterum, vel alii moleſtiam damnúmve ſeu Monaſterio ſeu Monachis inferrent, ideóque Cœnobium cum omnibus rebus ad illud pertinentibus, ut Regalibus Privilegiis inſigniretur, *in mundeburdem* ſeu defenſionem Caroli Regis tradidit, &, quia ſciebat jus eligendi Abbatem Regi propter Regiam mundeburdem competere, novâ petitione poſtulavit à Rege, ut Abbate mortuo Monachi ſucceſſorem liberis ſuffragiis impoſterum ex ſemetipſis eligerent. Carolus hæc in ſuo Præcepto ſic complectitur. *Bonæ recordationis Domnus Ruotgangus Archiepiſcopus in Monaſterio, quod vocatur Lauresham, quod ei per traditionem Williſwindæ & Cancrini obvenerat, Monachorum normam non moditam propter ſervitium Omnipotentis Dei coadunavit, ubi ob integram devotionem ſanctum corpus Beatiſſimi Nazarii recondidit, ſupra quod etiam Gundelandum Monaſterii Abbatem atque hæredem in eodem ſancto loco poſt ſe viſus eſt reliquiſſe. Sed poſteà, dum præfatus Gundelandus Abbas cerneret ipſius ſancti loci imminere periculum, atque vereretur, ne deſolatio propter intentionem iniquorum hominum & ipſis Monachis fieret, ad noſtram viſus eſt acceſſiſſe præſentiam, qui & ipſum Monaſterium in manu noſtra tradidit, etiam & ſecum omnem Congregationem ſuam in mundeburdem & defenſionem noſtram pleniùs commendavit. Quem nos gratulanti animo, tam propter mercedis augmentum, quàm & pro eodem grege ſalvando viſi ſumus percepiſſe. Petiit etiam memoratus Abbas ſuíque Monachi talem à nobis auctoritatem, ut quotieſcunque Abbatem jam dicti Monaſterii ex hoc contigerit ſeculo migrare ad Dominum, inter ſe quem dignum honoris hujus invenerint, unanimiter ex ſemetipſis eligere deberent. Quorum petitionem ob amorem Dei & noſtræ mercedis cumulum nequivimus denegare, ſed ita præſtitiſſe vel in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim jubemus, quia cognoſcimus, quòd ipſa Congregatio ſub recto ordine vivere & in Regula Sancti Benedicti converſari deſiderat, ut noſtro quidem permiſſo ſemper ſuper ſe ex ipſa Congregatione, qui Deo acceptabilis ſit, eligere valeant Abbatem, quatenus,* &c.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Gundelandus Laureshamensis Abbas obiit anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono. *Instante sibi divino vocationis bravio, misit ad Regem Aquisgrani, consulens & obsecrans, quatenus ei liceret extremum vitæ cursum peragenti aliqua de Monasterii rebus impendia, pro animæ remedio, pauperum indigentiæ prærogare. Qui, ut erat prona in omnes clementiæ & maximæ circa inopes compassionis, indulsit ei tertiam partem rerum duntaxat mobilium, in pauperum pro arbitrio suo distributionem.* Gundelandus, ut dictum est suprà, Monasterium cum rebus ad illud pertinentibus in manus & mundeburdem seu defensionem Caroli Regis tradiderat. Habitâ istius mundeburdis seu protectionis ratione, res Monasterii sui specioso etiam eleemosynarum prætextu minuere non potuit absque Regis licentia, quem per nuncios ideircò consuluit. Ei successit in Abbatialem Perfecturam *Helmericus, vir religiosus & sapiens, fratrum quidem electione ex ipsius Congregationis corpore, & glorioſi Regis Karoli institutione.* Hæc omnia leguntur in Chronico Laureshamensi.

LXV. Anno Christi septingentesimo octogesimo Carolus Rex iter Romam suscepit. In itinere Constantiam ad Rhenum advenit, ubi tunc Episcopus erat Joannes, qui præter Episcopatum Constantiensem Monasteria quoque San-Gallense & Augiense gubernabat. Monachi pro suis Cœnobiis à Rege Privilegia postularunt impetrarúntque, Ratpertus enim Monachus San-Gallensis in libro, quem de Monasterii San-Gallensis origine diversisque casibus composuit, de Carolo Rege sic scribit [a]. *Protinus utriusque Cœnobii fratribus, Sancti Galli scilicet & Augensis, firmissimâ auctoritate Privilegium optatum contradidit, ac scripta emunitatis ad hæc eadem retinenda fieri præcepit, quæ signaculo suæ auctoritatis firmavit constituens atque præcipiens, ut, post mortem* Joannis *Episcopi, Monachi prædictorum Monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi Abbates.* Anno proximo, cùm Joannes Constantiensis Episcopus & Abbas Augiensis atque San-Gallensis obiisset, Abbates electi sunt, Petrus ab Augiensibus Monachis, Rudpertus à San-Gallensibus.

[a] Cap. 5.

LXVI. Anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, mense Martio, Carolus, cùm Capuæ morabatur, ad Abbatis Pauli petitionem Regium emisit Præceptum emunitatis pro Monasterio Sancti Vincentii prope Vulturnum, & Monachis illius loci liberam Abbatis electionem concessit, ut ex ipsomet Diplomate liquet, quod libro primo Chronici Vincentini descriptum reperies. *Concessimus*, inquit Carolus, *vel confirmavimus erga ipsum sanctum locum, sicut habet humana fragilitas, ut quandoquidem Abbas ex ipso Monasterio de hac luce migraverit, licentiam habeant, secundùm Regulam Sancti Benedicti, qualem meliorem ac digniorem & sapientiorem invenerint, absque cujuslibet inquietudine, vel contradictione, inter se eligendi Abbatem.*

LXVII. Eodem anno Carolus, cùm ad Casinense Monasterium, quod clarâ jampridem Sanctitatis & Religionis famâ nobilitatum sciebat, pietatis causâ perveniſſet, illi loco, priusquàm inde discederet, Regia contulit Præcepta, quæ commendantur in Chronico [b] Leonis Ostiensis, atque inter alia *jussit, ut Monachi, juxta præceptum Sanctæ Regulæ Abbatem sibi sine cujusquam præjudicio licenter eligerent.*

[b] Lib. 1. c. 14. vet. edit. c. 12. novæ edi.

LXVIII. Post Widonis-laici Fontanellensis Abbatis obitum, quem anno quoque Christi septingentesimo octogesimo-septimo consignavimus, Carolus Gervoldum, qui sponte Ebroïcensem Episcopatum abdicavit, Abbatem Fontanellæ præfecit, ut & Monasterio Sancti Sergii Witboldum prænominati Widonis-laici nepotem, qui Legatione fungebatur in Oriente, cùm avunculum amisit. Utrumque sic docet Chronographus Fontanellensis. *Rebus humanis exempto Widone-laico, Gervoldus suggestione suâ à Domno ac Invictissimo Rege præfatum* Fontanellæ *Cœnobium* Ebroïcensi *Episcopatu deserto impetravit. Widoni-laico erat nepos, id est, sororis suæ filius, nomine Witboldus, Glorioſissimi Regis Caroli tunc Capellanus, cui præfatum Monasterium post avunculi sui decessum ad regendum promissum fuerat. Sed dum is ad Constantinum Impera-*

Digitized by Google

torem Græcorum ac Hyrenem à Domno Rege Carolo cum alio Legatario, nomine Joanne, causâ Legationis directus fuiſſet, ac per annum & ſex menſium ſpatia in redeundo moram faceret, prædicto Gervoldo ſæpefatum Cœnobium collatum eſt. Cauſa autem Legationis erat ſuper Ruatrude filia Magni Caroli, quam iſdem Imperator Conſtantinus ad conjugium petebat. Sed illo hac Legatione, pro qua directus fuerat, ſtrenuè functo ac reverſo, Monaſterium Sancti Sergii, quod in territorio Andegavæ urbis ſitum eſt, à Domno ac Invictiſſimo Rege eidem noſcitur attributum, quod poſteà per plurimos feliciter rexit annos.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. LXIX.

Petrus ad Mediolanenſes Inſulas anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo promotus eſt. Initio ſui Pontificatûs Mediolani Monaſterium Ambroſianum erexit, cui jure communi & antiquo Abbatem præpoſuit. Huic Abbati nomen fuit Benedictus, ut apud Joannem Petrum Puriſellum inter Ambroſianæ Baſilicæ Monaſteriique Ambroſiani monumenta vetus documentum *Carolo & Pippino Regibus in Italia, anno undecimo, & quarto, Indictione ſeptimâ*, ſive anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-quarto conſignatum teſtatur. *Benedictus venerabilis Presbyter & Abbas Monaſterii, quem conſtituit ſanctiſſimus vir Petrus Archiepiſcopus.* Anno eorumdem Regum in Italia *ſexto-decimo, & nono*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo undenonageſimo, ipſemet Petrus Archiepiſcopus, de primo Ambroſiani Monaſterii Abbate ſic locutus eſt in ſuo privilegio. *Dignum eſt, ante veneranda ipſorum Sanctorum Martyrum Protaxii & Gervaxii ſeu Confeſſoris Chriſti Ambroxii corpora laus Regi æthereo ſedulò decantetur à Monachis ibidem conſtitutis, &, ne aliquo impulſu penuriæ ipſa ſacra Collegio* ſive Congregatio *ſtimulata gravetur, cui, Deo miſerante, Abbatem inſtituimus Benedictum Presbyterum, concedimus ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint*, &c. In Charta jam laudata, quam Joannes Petrus Puriſellus in lucem emiſit, Benedictus Abbas Ambroſianus recolit contextum ac tenorem Donationis à Theoperto Papienſi Clerico factæ, eique concedit uſumfructum ex permiſſione Petri Archiepiſcopi. Quapropter eidem Chartæ ſic ſubſcribit. *Benedictus indignus, nomine Abbas, in hac conceſſione ex permiſſione Domini Petri Archiepiſcopi à me facta relegi & ſubſcripſi.* Benedictus, quia nullo gaudebat Privilegio, petiit hanc permiſſionem ab Archiepiſcopo cui ſuberat. Poſt aliquot annos ab eodem Petro Archiepiſcopo Privilegium obtinuit, cujus fragmentum accipe, quod ad Abbatis electionem ſpectat. *Confirmamus per hoc noſtræ ſecuritatis munimen univerſa, quæ nunc poſſidere probatur, vel quod Dominus ibidem per ſuos fideles conferre dignatus fuerit in ipſo Monaſterio, itaut Abbas cum fratribus omnia, ſecundùm inſtituta venerabilis Patris Benedicti ejúſque Regulam, diſponat & ordinet. Sed neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore, niſi aut eodem in Monaſterio priùs Monaſticum ſumpſerit habitum ex ipſa jam Congregatione, aut quem fratres eligant, qui eos ſecundùm divinas Leges & Patrum Regulas valeat gubernare.* Hoc Privilegium Carolus Regio Præcepto ſic confirmavit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo. *Vir Venerabilis Petrus, Sanctæ Mediolanenſium urbis Eccleſiæ Epiſcopus Serenitati Regni noſtri ſuggeſſit, qualiter ob amorem Dei & venerationem Sancti Ambroſii, juxta corpora Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii, ſeu ipſius Beatiſſimi Confeſſoris Chriſti, Cœnobium inſtitutum habeat, atque Monachos ibidem ſub Regula Sancti Benedicti noviter, qui laudes Deo illic ſedulas referrent, & pro felicitate Regni, ac totius populi Chriſtiani ſoſpitate, ſeu pro ſtatu Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, exorarent, conſtituiſſet, atque inibi Venerabilem Benedictum Presbyterum Abbatem ordinaſſet, unde petiit Clementiam Celſitudinis noſtræ, ut omnia, quicquid ipſe pro divino intuitu ad jam dictum Monaſterium ex rebus Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis largitus eſt, vel moderno tempore ibidem juſto tramite delegatum fuit, & nunc juſtè & rationabiliter partibus ipſius Monaſterii poſſidere dignoſcitur, vel quod in anteà à Deum timentibus hominibus, tribuente Domino, additum vel delegatum fuerit, noſtris oraculis pleniſſimè confirmare deberemus, quatenus ſub regimine & poteſtate Rectoribus qui*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

fuerint Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, ſicut ab ipſo ſtatutum eſſe cernitur, omni tempore permanere debeat, & quandoquidem divinâ vocatione Abbas ex ipſo Monaſterio de hac luce ad Dominum migraverit, licentiam haberent Monachi de ipſo Monaſterio, Sanctæ Dei Eccleſiæ Mediolanenſium nobiſque per omnia fidelem, ſuper ſe, ſecundùm ordinem Sanctum & Regulam Sancti Benedicti, eligendi Abbatem. Cujus petitionem, propter nomen Domini & reverentiam ipſius ſancti loci, meritiſque ſanctis antedicti Pontificis compellentibus, noluimus denegare; ſed in eleemoſyna noſtra ita conceſſiſſe atque in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Quapropter per præſentem auctoritatem noſtram decernimus ac jubemus, ut, ſicut conſtat ab jam fato viro Venerabili Petro Archiepiſcopo Monaſterium, ut ſuprà memorabamus, juxta corpora Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii, ſeu Confeſſoris Chriſti Ambroſii, unà cum adjacentiis vel appenditiis ipſius Monaſterii, ſtabilitum eſſe, inſpectâ ipſius auctoritate, per hoc noſtræ Serenitatis Præceptum atque confirmationis donum perpetuis temporibus jure firmiſſimo ſtabiliter permanere habeat; & neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore, niſi ex ipſa Congregatione, ut ſuprà diximus, Sanctæ Dei Eccleſiæ Mediolanenſium nobiſque per omnia fidelis, quem fratres eligere voluerint, qui eos ſecundum Divinas Leges & Regulam Sancti Benedicti valeat gubernare. Lege Ughellum Tomo quarto Italiæ Sacræ [a].

[a] In Arch. Mediol. 51.

LXX. Regium Præceptum, quod Pippinus Monachis Sam-Maximinianis anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſexto jam conceſſerat, Carolus ejus filius altero Præcepto confirmavit anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-nono. Utrumque Miræus evulgavit inter Diplomata Belgica [b]. *Electionem Abbatis*, inquit Pippinus, *ſupradictis Monachis Regali auctoritate concedo, ut habeant poteſtatem eligendi quemcumque voluerint, eâ ratione, ut Regulam cum ſibi ſubjectis cuſtodiat.* Illius Præcepti, per quod Pippinus prædictum Monaſterium ſub ſuo mundiburdio ſuſceperat, Carolus ita meminit. *Abbatiam Sancti Maximini in Privilegio mei genitoris Pippini ſub ipſius mundiburdio conſtitutam reperi.* Deinde hæc ſubjungit de Abbatis electione. *Monachis in eodem loco Chriſto famulantibus Regali auctoritate ſeu poteſtate concedimus, ut habeant in ſecula poſt nos futura, liberam poteſtatem eligendi Abbatem inter ipſos Monachos. Si autem ibi non poteſt inveniri, eligant ſibi, ubi voluerint.* Ammiatinis etiam Monachis in Diœceſi Cluſina Privilegium eligendi Abbatem conceſſit, quod Ludovicus Pius poſteà confirmavit, ut dicemus infrà. Simile quoque dedit Anianenſibus in Epiſcopio Lutevenſi Privilegium, cujus fragmentum ex Lucæ Dacherii Notis ad Guibertum Abbatem accipe. *Quandoquidem divinâ vocatione ſuprascriptus Venerabilis Benedictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hactenus ad Dominum migraverint, qualem meliorem & nobis per omnia fidelem, ipſa ſancta Congregatio de ſuprascripto Monaſterio aut de qualicumque loco voluerint eligere Abbatem, qui ipſam ſanctam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeat, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant.*

[b] Tom. 1. cc. 7. 8.

LXXI. Regnante Carolo florebat Alcuinus multorum Abbas Monaſteriorum, utrùm à Monachis ſeu Canonicis an à Carolo Rege ſit inſtitutus Abbas, ipſemet docet cum Auctore vitæ ſuppari, qui teſtatur à ſe ſcripta, *quæ ejus*, nempe Alcuini, *noſſe* potuit *narrante fideliſſimo Sigulfo diſcipulo.* Anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-tertio *pervenit ad Regem Karolum. Quem tenens Rex loco patris complectitur. Tempore verò aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo Monaſteria, Bethleem ſcilicet, quod altero nomine Ferrarias vocatur, & Sancti Lupi apud Trecas.* Hæc apud Auctorem vitæ leguntur, ut & iſta de Monaſterio Sancti Martini. *Evoluto verò non parvo tempore, Sancti Martini apud Turonos præficitur Paſtor Monaſterii iſdem, qui dignè Deo iſtud cum aliis regens Monaſteriis, vitam ſubjectorum, quantùm valuit, corrigere ſtuduit.* Ipſemet Alcuinus apertè ſignificat ſe non Monachorum vel Canonicorum ſuffragiis ſed auctoritate Regiâ Monaſterio Sam-Martiniano datum eſſe Abbatem. *Veſtra pia providentia conſilio*, inquit in literis [c] ad Carolum, *tranſlatus ſum in ſer-*

[c] Ep. 25.

Digitized by Google

vitium Sancti Martini, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ Sanctioni, donante Deo, proficuum. Obſervandum quoque in ejus vita, quòd cùm aliquando vellet *apud Sanctum Bonifacium*, id eſt, in Monaſterio Fuldenſi, *vitam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ducere*, poſtulavit à Carolo Rege, *Monaſteria ſibi commiſſa ſuos ut inter diſcipulos divideret.* Alcuino, cujus obitus in annum Redemptoris octingenteſimum quartum incidit, ſynchronus vixit Liudgerus. Huic præter Epiſcopatum Mimigardevordenſem in Occidentali Saxonia Carolus dedit & Monaſterium in Diœceſi Cameracenſi. Neutrum omiſit Altfridus in ejus vita. Primum ſic complexus eſt. *Per diſpoſitionem miſericordiæ Dei Saxones converſi ſunt ad Dominum, & Rex Carolus virum Dei Liudgerum Paſtorem in parte Occidentali Saxonum conſtituit; cujus Parochiæ Sedes eſt Principalis Sudergoe, in loco cujus vocabulum eſt Mimigerneford.* Alterum, ſic. *Dedit quoque ei Rex Carolus in Regno Francorum, in pago Brachante, in loco, qui Lotuſa vocatur, Monaſterium Sancti Petri gubernandum cum omnibus adjacentibus ſuis Eccleſiis & villulis.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Illis temporibus florebat Anſegiſus ſive Anſigiſus, de quo ſic Chronographus Fontanellenſis [a]. *Domnus Anſigiſus Flaviacum Monaſterium, quod Sanctus Geremarus fundavit, ac ibi corpore requieſcit, quod eſt ſitum in pago Bellovacenſi, à Domno Rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini Jeſu Chriſti* DCCCVII, *qui erat annus Magni Caroli, ex quo Rex Francorum conſtitutus eſt,* XXXVIIII. *ex quo verò Imperator & Auguſtus appellatus eſt, annus* VII. Et paulo pòſt. *Ante Flaviacenſe Cœnobium duo alia ad regendum ab Invictiſſimo Rege Carolo ei commiſſa fuerant Cœnobia; unum, quod eſt ſitum prope muros urbis Remenſis & in honore Sancti Sixti primi ejuſdem urbis Præſulis conſtructum, & eſt in ditione ejuſdem civitatis; alterum in territorio Catalaunici Caſtri, quo Sanctus Epiſcopus Memmius corpore quieſcit humatus. Quibus deſertis, Flaviacenſis Rector conſtitnitur anno ſuprà ſcripto.*

LXXII.

[a] Cap. 16.

Obiit Carolus Magnus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, menſe Januario. Superſtes ei vixit duos duntaxat ac viginti dies Angilbertus Abbas Sancti Richarii ſeu Monaſterii Centulenſis. Succeſſit Hericus, de quo ſic Hariulfus [b] in ſuo Chronico. *Dum felix Francia ſub Glorioſiſſimi Cæſaris Hlugdovici moderamine omni venuſtate floreret, obtinuit beneficio ipſius Principis Hericus Abbas regimen Monaſterii Sancti Richarii.* Idem Ludovicus pridie Kalendas Junias, eodem anno Imperii ſui primo, Indictione ſeptimâ, Duſerenſibus Monachis in Arauſicano territorio liberam eligendi deinceps Abbatem licentiam dedit [c]. *Quandoquidem*, inquit, *divinâ vocatione ſupradictus Abba* Dexter *vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire poterint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum, licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus*, &c. Eodem quoque anno, iiſdem planè verbis, eandem licentiam Monachis Montis Olivi in Diœceſi Carcaſſonenſi conceſſit [d] ſexto Idus Decembris, anno Imperii ſui ſecundo & Indictione octavâ jam inchoatis. Pridie Kalendas ſequentis Februarii, eodem anno Imperii ſui ſecundo, eâdémque Indictione octavâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto, Monachis Carrofenſibus in Epiſcopatu Pictavienſi Privilegium iiſdem penè verbis ſic contulit [e]. *Quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abbas* Juſtus *vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire poterint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum, licentiam eligendi Abbates concedimus, quatenus*, &c. Item eodem anno, Nonis Auguſti, Monachis Acutianis ſeu Farfenſibus in Epiſcopatu Sabinenſi, ſic. *Quandoquidem divinâ vocatione prædictus Abbas Benedictus vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi Monachi inter ſe talem invenire poterint, qui eos ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi Abbatem.* Eodem anno Ludovicus in Diœ-

LXXIII.

[b] Lib. 3. ſub init.

[c] Vide an. 814 n. 64.

[d] Vide an. 814 n. 18.

[e] Vide an. 815 n. 25.

[f] Vide an. 815. n. 9.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

ceſi Wirceburgenſi Murhartum Monaſterium fundavit, eique primum Abbatem præfecit Walthericum, quem Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino [a] ſic laudat. *Is Eremiticam primùm ducens vitam cùm magnis effulgeret virtutibus, tanti à Ludovico Imperatore Caroli Magni filio factus eſt, ut ipſum ſecretorum animi ſui arbitrum eligeret, & ſummo in pretio haberetur, à quo & condita recèns Abbatiæ præfectus, æternum eidem loco decus eximiâ vitæ ſanctitate conciliavit.* Decimo-quinto Kalendas Decembris, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, Indictione decimâ, Ludovicus Privilegium, quod Carolus pater, ut Tomo ſuperiore notavimus [b], Monachis Ammiatinis pro Abbatis electione conceſſerat, in hunc modum confirmavit [c]. *Conceſſimus etiam eidem Sancto Monaſterio, quemadmodum Dominus & Genitor noſter conceſſit, ut quandoquidem divinâ vocatione prædictus Abbas* Audoaldus *vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam Congregationem regere valeant, per hujuſmodi noſtram auctoritatem & conſenſum vel dilecti filii noſtri Bernardi Regis, licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus,* &c. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo celebratus eſt Conventus Aquiſgranenſis, in quo multæ de Canonicorum Monachorúmque vita Sanctiones editæ. Sub illud tempus Sigulfus Ferrariarum Abbas Canonicus Abbatiale munus abdicavit, & Monalticam deinceps vitam ſub Abbate Adelberto ſuo quondam diſcipulo duxit. Adelbertum autem ad Abbatiales Infulas auctoritate Ludovici promotum Lupus Ferrarienſis pòſt Abbas in literis [d] ad Guenilonem tunc Archiepiſcopum Senonenſem ſic aſſeruit. *Certè Ferrarienſis Monaſterii quondam nobilis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui uſque ad ſenium Canonico habitu laudabiliter vixerat, ſponte ſe poteſtate exuit, & noſtram, hoc eſt, Monachicam Religionem aſſumpſit, atque donec diem obiret, ſuo paſſus eſt ſubjici diſcipulo, quem ipſius voluntate ac fratrum conſenſu Imperator Ludovicus memorato loco Abbatem præfecerat.* Sub idem tempus Imperator Monachis Sancti Hilarii prope Carcaſſonem Privilegium pro Abbatis electione conceſſit [e] iiſdem conceptum verbis, quibus alia pro Monaſteriis Duſerenſi & Montis Olivi jam citata. Poſt annum quòque Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum Iſtrienſibus licentiam & Epiſcopos & Abbates eligendi dato Privilegio contulit, ut ex Ughello ſuprà jam retulimus, cum de Epiſcoporum electione verba faceremus. Et anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo, Imperii ſui ſeptimo, menſe Martio, Indictione decimâ-tertiâ permiſit, ut deinceps apud Cormeriacum ſeu Cormaricum in Diœceſi Turonenſi quinquaginta degerent Monachi, qui proprium eligere poſſent Abbatem, attamen cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini, à quo locus ille defenſionem ſemper ac protectionem acciperet. Diploma ſic habet [f]. *Omnimodis jubemus, ut hæc devotio noſtra & juſſio rata & inviolabiliter perpetuis temporibus permaneat, nec locum illum volumus auferri de poteſtate Sancti Martini, ſed ut ibi ſub Regula Sancti Benedicti vivant, & licitum ſit eis de eadem Congregatione Cormaricenſi Abbatem eligere, & hoc non fiat niſi cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini, à quo locus ipſe ſemper habeat defenſionem & protectionem. Et, ſi contigerit, quod abſit, ut in eodem Monaſterio talis non reperiatur, qui poſſit prædictam Congregationem ſecundùm Regulam regere, tunc liceat eiſdem fratribus à vicinis locis eligere Abbatem, qui eos ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regat; attamen, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt, cum conſenſu Abbatis & Congregationis Sancti Martini hoc fiat. Et placuit nobis centum numerum conſtituere, ut quinquaginta Monachi ſint, niſi Deus dederit majorem facultatem rerum in prædicto loco, ut pluriores poſſint recipi, & habeant protectionem & ſubſidium ab Abbatibus Monaſterii Sancti Martini.* Denique Ludovicus hoc anno, qui poſt Chriſtum natum octingenteſimus viceſimus-ſecundus numeratur, in Attiniacenſi Conventu publicavit Capitulare, quartóque Capitulo, quod *de Abbatibus eligendis* inſcribitur, Monachis *ex ſeipſis ſibi eligendi Abbates licentiam* dedit.

[a] D. 29. Nov.
[b] Ad an. 801. n. 32.
[c] Vide an. 816. n. 25.
[d] Ep. 29.
[e] Vide an. 817. n. 318.
[f] Tom. 4. Gall. Chriſt. in Abb. Cormaric. 3.

Eodem

Digitized by Google

Eodem Capitulo teſtatur ordinatum à ſe, *qualiter* Monachi *Deo opitulante quieti vivere propoſitúmque indefeſſi cuſtodire valerent.* Illa de quiete Monachorum agitur apud Marculfum [a] in formula Privilegii, quod ab Epiſcopo conceſſum dicitur, *ut quatenus Monachi, qui ſolitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & ſub ſancta Regula viventes, & beatorum Patrum vitam ſectantes, pro ſtatu Eccleſiæ & ſalute Regis vel patriæ, valeant plenius Dominum exorare.* AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Quintum Capitulum Capitularis Attiniacenſis eſt de collatis Eccleſiæ dividendis. *Statutum eſt,* inquit Ludovicus, *quicquid tempore Imperii noſtri à fidelibus Eccleſiæ ſponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in uſus pauperum, tertiam in ſtipendia cedere Clericorum aut Monachorum: in minoribus verò locis æquè inter Clerum & pauperes fore dividendum, niſi fortè à datoribus, ubi ſpecialiter dandæ ſint, conſtitutum fuerit.* LXXIV. LXXV.

[a] Lib. 1. c. 1.

Sextum Capitulum de ordinatione ſervorum inſcribitur. *De ſervorum verò ordinatione, qui paſſim ad gradus Eccleſiaſticos indiſcretè promovebantur, placuit omnibus cum ſacris Canonibus concordari debere. Et ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcoporum deinceps eos ad ſacros ordines promovere præſumat, niſi priùs à dominis proprijs libertatem conſecuti fuerint. Et ſi quilibet ſervus dominum ſuum fugiens, aut latitans, aut adhibitis teſtibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus Eccleſiaſticos pervenerit, decretum eſt ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat. Si verò avus vel pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipſe filius ibidem educatus, & ad gradus Eccleſiaſticos promotus fuerit, & utrùm ſervus ſit ignoratum fuerit, & poſteà veniens dominus illius legibus eum adquiſierit, ſancitum eſt, ſi dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu ſuo permaneat; ſi verò catenâ eum ſervitutis à caſtris Dominicis extrahere voluerit, gradum amittat, quia juxta ſacros Canones vilis perſona manens Sacerdotii dignitate fungi non poteſt. De rebus verò illorum vel peculiari, qui à propriis dominis libertate donantur, ſtatutum eſt, ut in poteſtate dominorum conſiſtat, utrùm illis concedere an ſibi vindicare voluerint. Ceterùm ſi poſt ordinationem aliquid adquiſierit, illud obſervetur quod in Canonibus de conſecratis nihil habentibus conſtitutum eſt. De Eccleſiarum verò ſervis communi ſententiâ decretum eſt, ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem, Suffraganei verò illorum exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocumque de familia Eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remotâ qualibet calliditate libertatem conſequatur, & tunc demùm ad gradus Eccleſiaſticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum eſt, quos laici de familia Eccleſiarum ad ſacros ordines promovere voluerint. Sed & de his, quos Præpoſiti Canonicorum aut Monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma ſervanda eſt.* LXXVI.

Septimum Capitulum eſt de perſonis, à quibus res non ſunt accipiendæ. *Statutum eſt, ut nullus quilibet Eccleſiaſticus, ab his perſonis res deinceps accipere præſumat, quarum liberi aut propinqui hac inconſultâ oblatione poſſint rerum propriarum exhæredari. Quòd ſi aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ut acceptor Synodali vel Imperiali ſententiâ diſtrictè feriatur, & res ad exhæredatos redeant.* LXXVII.

Octavum Capitulum eſt de tonſura propter res adipiſcendas non ſuadenda. *Statutum eſt etiam, ut nullus in Canonica aut Regulari profeſſione conſtitutus aliquem tonſurare propter res adipiſcendas deinceps perſuadeat, & qui hoc facere tentaverit, Synodali vel Imperiali ſententiâ modis omnibus feriatur.* Anſegiſus in ſua Collectione hoc omiſit Capitulum, quod poſt undenonagaſimum libri primi recenſere debuit. LXXVIII.

Nonum Capitulum eſt de Preſbyteris conſtituendis. *Statutum eſt, ut ſine auctoritate vel conſenſu Epiſcoporum Presbyteri in quibuſlibet Eccleſiis nec conſtituantur nec expellantur. Et, ſi laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis* LXXIX.

AN. CH. 822. *conſecrandos, ſuiſque in Eccleſiis conſtituendos obtulerint, nullâ qualibet occaſione eos rejiciant.*

LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. Decimum Capitulum eſt de manſis uniuſcujuſque Eccleſiæ. *Statutum eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer abſque ullo ſervitio adtribuatur, & Presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque atriis vel hortis juxta Eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant præter Eccleſiaſticum. Et, ſi aliquid ampliùs habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſervitium impendant.*

LUDOV. R. 6. Undecimum Capitulum eſt de Preſbyteris uniuſcujuſque Eccleſiæ. *Statutum eſt, poſtquàm hoc impletum fuerit, ut unaquæque Eccleſia ſuum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Epiſcopo permiſerit.*

LXXX. LXXXI. LXXXII. Duodecimum Capitulum eſt de villis novis & Eccleſiis in iis noviter conſtitutis. *Sancitum eſt de villis novis & Eccleſiis in eis noviter conſtitutis, ut decimæ de ipſis villis ad eaſdem Eccleſias conferantur.*

LXXXIII. Decimum-tertium Capitulum eſt de ſacris vaſis Eccleſiæ in pignus datis. *De ſacris vaſis Eccleſiæ, quæ in pignus à nonnullis in quibuſdam locis dari comperimus, inhibitum eſt ne deinceps à quoquam fieri præſumatur, niſi ſolummodo neceſſitate redimendorum captivorum compellente.*

LXXXIV. Decimum-quartum Capitulum eſt de Eccleſiis deſtructis, de nonis & decimis, necnon & de clauſtris Canonicorum. *De Eccleſiis ſanè deſtructis, vel de nonis & decimis, ſive de clauſtris Canonicorum, qualiter conſtitui & ordinari nobis placuerit, aliis Capitulis ſubter adnotavimus.*

LXXXV. Decimum-quintum Capitulum eſt de Eccleſiarum honore. *Sed & de Eccleſiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis eſt, vigeat, ſimiliter in ſubter adnotatis Capitulis inſertum eſſe dinoſcitur.*

LXXXVI. Decimum-ſextum Capitulum eſt de Epiſcopis Longobardiæ. *De Epiſcopis verò in Longobardia conſtitutis, qui ab his, quos ordinabant, ſacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere ſoliti erant, modis omnibus inhibitum eſt ne ulteriùs fiat, quia juxta ſacros Canones uterque à gradu proprio talia facientes decidere debent.* Ex hoc Capitulo liquet, ſeriùs, quàm Sirmondus exiſtimavit, hoc editum eſſe Capitulare, cùm Ludovicus poſt Bernardi Regis mortem Longobardiâ jam potiebatur.

LXXXVII. Decimum-ſeptimum Capitulum eſt de Preſbyteris, qui fœminas in ſuis domibus habent. *Statutum eſt ab Epiſcopis de Presbyteris, qui fœminas ſecum indiſcretè habitare permittunt; & propter hoc malæ opinionis ſuſpicione denotantur, ut, ſi deinceps admoniti non ſe correxerint, velut contemptores ſacrorum Canonum Canonicâ invectione feriantur.*

LXXXVIII. Decimum-octavum eſt de Preſbyteris ad civitates aut accipiendi Chriſmatis aut diſcendi gratiâ convocandis. *De Presbyteris, qui accipiendi Chriſmatis gratiâ ad civitates in cœna Domini venire ſoliti erant, ſancitum eſt, ut de his qui longè poſiti ſunt, de octo vel decem unus ab Epiſcopo eligatur, qui acceptum Chriſma ſibi & ſociis diligenter perferat. Hi verò qui non longiùs à civitate quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more ſolito ad accipiendum Chriſma per ſeſe veniant. Diſcendi verò gratiâ, alio non Quadrageſimæ tempore ad civitates convocentur.*

LXXXIX. Decimum-nonum Capitulum eſt de Epiſcopis. *Ne verò Epiſcopi, occaſione prædicandi aut confirmandi, oneri eſſent populis, à nobis admoniti, polliciti ſunt ſe deinceps hoc cavere velle, & eo tempore ſuum miniſterium, in quantùm facultas dabatur exequi, quò eorum profectio, quantùm in illis erat, his quibus prodeſſe poſſunt & debent, non ſit importuna vel onerosa.*

XC. Viceſimum Capitulum eſt de pueris tondendis & puellis velandis. *Ne pueri verò ſine voluntate parentum tonſurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum eſt: & qui hoc facere tentaverit, multam, quæ in Capitulis legis mundanæ à nobis conſtitutis continetur, perſolvere cogatur.* In hoc Capitulo Ludovicus alludit ad Capitulum *de pueris invitis parentibus detonſis aut puellis ve-*

Digitized by Google

latis, quod apud Anſegiſum eſt triceſimum-quintum libri quarti, refertúrque in hunc modum. *Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, Legem ſuam in triplo componat, aut ipſi puero vel puellæ, ſi jam ſuæ poteſtatis ſunt, aut illi in cujuſlibet poteſtate fuerint. Illi verò poteſtatem habeant capitis ſui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis complacuerit.* AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Viceſimum-primum Capitulum eſt de fœminis viros amittentibus. *De fœminis, quæ viros amittunt, placet, ne ſe ſicut hactenus indiſcretè velent, ſed ut* XXX *dies poſt deceſſum viri ſui expectent, & poſt triceſimum diem per conſilium Epiſcopi ſui, vel, ſi Epiſcopus abſens fuerit, conſilio aliorum religioſorum Sacerdotum ſuorúmque parentum atque amicorum, id quod eligere debent eligant. Et quia à ſacro Conventu rogati, ut qui publicam gerebant pœnitentiam, & fœminæ quæ viros amittebant, noſtrâ auctoritate donec deliberent quid agant tuerentur, ſpecialiter pro his Capitula fieri, & Legis mundanæ Capitulis inſerenda decrevimus.* XCI. Lege Capitulum duodeviceſimum libri quarti Capitularium, quod ante biennium deſcripſimus [a].

[a] An. 820. n. 39.

Viceſimum-ſecundum Capitulum, duoque proximè ſequentia ſunt de raptis & earum raptoribus. *De raptis verò & de raptoribus quamquam ſpecialiter decreviſſemus, quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen ſuper his ſacri Canones præcipiant, hîc inſerendum neceſſarium duximus, quatinus omnibus pateat quantum malum ſit, & non ſolùm humanâ ſed etiam divinâ auctoritate conſtricti, abhinc hoc malum caveatur.* XCII.

Viceſimum-tertium Capitulum. *De puellis raptis necdum deſponſatis, ita in Concilio Chalchedonenſi, ubi* DCXXX *Patres adfuerunt, Capitulo* XXVII *habetur.* [*Eos qui rapiunt puellas ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes & connivентes raptoribus, decrevit Sancta Synodus, ſiquidem Clerici ſunt, decidant gradu proprio; ſi verò laici, anathematizentur.*] *Quibus verbis apertè datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnati ſunt, quando participes & conniventes tanto anathemate feriantur: & quòd juxta Canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas ſibi jure vindicare nullatenus poſſunt.* XCIII.

Viceſimum-quartum Capitulum. *De deſponſatis puellis & ab aliis raptis, ita in Concilio Ancyrano Capitulo* X *legitur.* [*Deſponſatas puellas, & pòſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.*] *Proinde ſtatutum eſt à ſacro Conventu, ut raptor publicâ pœnitentiâ multetur: raptæ verò, ſi ſponſus eam recipere noluerit, & ipſa eidem crimini conſentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quòd ſi & ipſa conſenſit, ſimili ſententiæ ſubjaceat. Quòd ſi ipſi poſt hæc ſe conjungere præſumpſerint, utrique anathematizentur.* XCIV.

Viceſimum-quintum Capitulum eſt de his, qui virginibus Deo dicatis ſe ſociant. *De his verò, qui ſacris virginibus ſe ſociant, ita in Decretis Papæ Gelaſii Capitulo* XX *continetur.* [*Virginibus ſacris temerè ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum, inceſta fœdera ſacrilegáque miſcere, quos protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi egerint publicam probatámque pœnitentiam, omnino non recipi: at his certè viaticum de ſeculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negetur.*] *Si verò de copulatione ſacrarum virginum tam ſeverè feriuntur, quantò ſeveriùs feriendi ſunt qui eas rapiunt? Ideo, ſicut præmiſſum eſt, neceſſe eſt, ut ab omnibus in Chriſtiana Religione conſiſtentibus, rigore auctoritatis divinæ vel humanæ, hoc malum radicitus amputetur.* XCV.

Viceſimum-ſextum Capitulum eſt de puellis, quo tempore velentur. *Ne verò puellæ indiſcretè velentur, placuit nobis etiam de ſacris Canonibus qualiter obſervandum ſit hîc inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano* (lege in Carthaginienſi) *Concilio Capitulo* XVI *continetur, ut non ante* XXV *annos conſecrentur. Idem in eodem* (lege in Africano) *Concilio Capitulo* XCIII *de virginibus velandis ita continetur.* [*Item placuit, ut quicumque Epiſcoporum, neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi etiam aliquo mortis periculoſo ſcrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur,* XCVI.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, si velavit ante XXV *annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.*] *Unde colligitur, quia juxta priorem Sanctionem virgines* XXV *ætatis suæ anno ritè consecrandæ sint. Quòd si præmissæ necessitates antè id fieri compellant, nullum possit Episcopo afferre præjudicium consecratio.* Vitium est in vulgatis editionibus hujus Capituli, quæ Concilium Carthaginense non distinguunt ab Africano. Ludovicus in hoc Capitulo, ut & in tribus superioribus Codicem Canonum secutus est, quem ejus pater Carolus ab Hadriano Papa sibi, cùm Romæ versabatur, oblatum ad usum Occidentalium Ecclesiarum accèpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto. Recitantur autem in illo Codice tres ac triginta Canones Concilii Carthaginiensis, deinde sub Africani Concilii nomine subjiciuntur centum ac quinque Canones ex diversis Africanæ provinciæ Conciliis simul collecti. Qui decimus-sextus est Africani Concilii, totus ad ordinationem Episcoporum pertinet, habétque præfixum hunc titulum, *quot Episcopi ordinare Episcopum debeant*, nec ullam velandarum virginum mentionem facit. At in decimo-sexto Concilii Carthaginiensis hæc leguntur. *Ante annos* XXV *ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* In Capitulo igitur Attiniacensi vicesimo-sexto, ut duo Capitula seu duo Canones, sic & duo citantur distincta Concilia, Capitulum videlicet decimum-sextum Concilii Carthaginiensis, & Capitulum nonagesimum-tertium Africani Concilii.

XCVII. Vicesimum-septimum Conventûs Attiniacensis Capitulum est de Crucis examinatione non facienda. *Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præsumat, ne Christi passio, quæ est glorificatio, cujuslibet temeritate conspectui habeatur.* Duplex examen judicii per Crucem fieri quondam solitum explicuimus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-nonum [a], Tomo superiore, nec exempla talium omisimus judiciorum, quoties occurrerunt.

[a] Num. 11.

XCVIII. Vicesimum-octavum Capitulum est de pabulo verbi divini nuntiando. *Episcopos monemus, ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini sedulò populis adnuntient, quia, ut ait Beatus Gregorius, iram contra se occulti judicii excitat Sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit. Et ut Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant, divinisque officiis imbuant, quo ritè ad sacrosanctos Ecclesiasticos ordines promoveri possint, & ut operam dent quatinus Presbyteri Missalem & Lectionarium, sive ceteros libellos sibi necessarios benè correctos habeant, & qualiter Ecclesias destructas ad se pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter instruant, quomodo etiam secundùm Apostolicam auctoritatem conversari debeant edoceant, & ut superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent. Et ut exemplo suæ innocentiæ alios ad benè vivendum provocent, & cunctis Ecclesiasticis negotiis, in quantùm Dominus juverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonemus, & ut liberiùs exequi valeant, nos in quantùm Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus.*

XCIX. Vicesimum-nonum Capitulum est de incestis nuptiis & de Ecclesiis non dividendis. *Nonnulla verò Capitula, sicut de incestis nuptiis, necnon & de Ecclesiis, quæ inter cohæredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis, quæ nimiùm rebus propriis sunt attenuatæ, vel certè de his rebus, quæ nuper necessitate compellente à nonnullis Ecclesiis sunt ablatæ, & si qua sunt alia, sive in Ecclesiasticis, sive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantùm differendum illud judicavimus, donec Domino favente consultu fidelium facultas nobis id definiendi ab eo tribuatur. Inventa verò, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, jam emendata atque correcta ac restituta scriptis confirmare optamus.* Huc usque Capitula Conventus Attiniacensis, quæ libro primo Capitularium inserta reperiuntur, excepto octavo, ut observatum suprà.

Digitized by Google

AN. CH. 822. C. LOTHARIUS REX ITALIÆ RENUNTIATUR. IT IN ITALIAM CUM WALA MONACHO CORBEIENSI ET GERUNGO OSTIARIORUM MAGISTRO ADMINISTRIS.

Illo Conventu peracto, Lotharius Auguſtus Ludovici Auguſti filius natu maximus ab eodem Ludovico patre Rex Italiæ renuntiatus eſt, illúcque miſſus ut Regii muneris partes obiret. Abhinc annos ſui per Italiam Regni numerare cœpit, ut proximis annis varia nos docebunt Diplomata. Quapropter ſingulis deinceps annis duplicem Lothariani Regni epocham præfigemus. Ludovicus autem filio in Italiam abeunti duos præcipuos addidit Adminiſtros Walachum ſeu Walam Corbeienſem Monachum & Gerungum Oſtiariorum Magiſtrum, qui ſuo cùm in privatis tum in publicis rebus conſilio juvarent. Teſtes hujus adſertionis ſunt Annaliſta Laureshamenſis ad hunc annum & Aſtronomus in vita Ludovici. *Peracto*, inquit Annaliſta, *Conventu, qui Attiniaci habebatur, Imperator venandi gratiâ Arduennam petiit, Lotharium verò filium ſuum in Italiam miſit. Cum quo Walachum Monachum propinquum ſuum, fratrem videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum Oſtiariorum Magiſtrum unà miſit, quorum conſilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur.* Conſentanea ſcribit Aſtronomus, ſic. *Finito Placito, Lotharium filium ſuum Dominus Imperator in Italiam miſit, & cum eo Walam affinem ſuum Monachum, ſed & Geruntium Oſtiarium, quorum conſilio res Italici Regni componeret, erigeret, tueretur, tam privatas quàm publicas.*

CI. EBO REMENSIS ARCHIEP. IT ROMAM. [a] D. 3. Febr. A PASCHALE PP. LICENTIAM OBTINET PRÆDICANDI EVANGELIUM POPULIS SEPTENTRIONALIBUS,

Tunc etiam Ebo ſive Ebbo Remenſis Archiepiſcopus Romam profectus eſt, &, ut Evangelium Septentrionalibus populis annuntiaret, à Paſchale Papa licentiam accepit. Id conſtat ex literis Sancti Anſcharii Hamburgenſis Archiepiſcopi, quas Commentario ejus vitæ prævio Joannes Bollandus [a] inſeruit. Solum, quod ad Ebonem pertinet, fragmentum deſcripſiſſe ſufficiet. *Ebbo Remenſis Archiepiſcopus divino afflatus Spiritu, temporibus Domini Ludovici Imperatoris, cum conſenſu ipſius ac penè totius Regni ejus Synodi congregatæ,* id eſt, Conventûs Attiniacenſis, *Romam adiit, ibique à Venerabili Papa Paſchali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit.* Sequitur apud Bollandum hoc Paſchalis Papæ Decretum ſuper Ebonis Miſſione. *Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis Sanctiſſimis Fratribus Coepiſcopis, Presbyteris, ſeu ceteris Eccleſiaſticis Ordinibus, glorioſiſſimíſque Principibus, Ducibus, ſive magnificis Comitibus, vel cunctis Chriſtianis Dei fidelibus. Cùm religioſiſſimum conſtet curam ac ſollicitudinem* impendere *erga Dominicum gregem, quem divinâ diſpenſatione ſuſcepimus gubernandum, atque celeſtia pabula ſalubri communicatione ſubminiſtrandum, maximè his, qui in compitis & pagis ſub principe tenebrarum callidâ perſuaſione perſiſtunt, & viam vitæ ignorantes, devii non quæ ſurſum ſunt, ſed quæ deorſum ſtultâ inſtigatione perquirunt. Sed quia in partibus Aquilonis quaſdam gentes conſiſtere, quæ necdum agnitionem Dei habuere, nec ſacrâ undâ Baptiſmatis ſunt renati, ſub umbra mortis exiſtere, & magis creaturæ quàm Creatori ignavâ mente ſervire cognovimus. Idcircò præſentem Reverendiſſimum Fratrem ac Coepiſcopum noſtrum Ebbonem Sanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, neceſſarium cum conſenſu fidelium Dei duximus, illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate Beatorum Principum Apoſtolorum Petri ac Pauli noſtrâ fraternâ vice informatus, ante corpus & confeſſionem ipſius Principis Apoſtolorum evangelizandi publicâ auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem, ut verbum vitæ viámque ſalutis ubique provideat, & fidei normam celeſti educatione confirmet, atque Apoſtolicæ inſtitutionis doctrinam, omni diabolico errore depulſo, vivâ voce corroboret. Et, ſi fortaſſe ad hoc divinum pertinens officium aliquid dubium emerſerit, ad Sanctam Dei Catholicam atque Apoſtolicam Romanam Eccleſiam recurrendo, ſemper ex ejus hauriat puriſſimo fonte latices, unde & à cordibus mortalium divinâ interveniente gratiâ noxios emendare poſſit errores. Collegam namque divinæ huic adminiſtrationis Legationi prospicientes, Halitgarium Religioſum adjicientes Miniſtrum, conſtituimus, quatenus ad Sedem Apoſtolicam opportuno valeat tempore de credito negotio faciliùs præſtante Domino intimare, & numquam ſe in qualibet parte huic noſtræ auctoritatis miniſterio commiſſo negligere, cui coram diſtricto Judice inde rationem reddere, &*

ADSCITO COLLEGA HALITGARIO EPISC. CAMERAC.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

de ſtatuto miniſterio pœnas recipere ſempiternas non dubium eſſe præſigimus. Pro quo omnes exhortantes unanimiter commonemus per amorem Omnipotentis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum ejus venerationem, ut in omnibus neceſſitatibus Legationis hujus, totis viribus eis ſolatiari certetis, & in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt, recipere debeatis. Qui vos, inquit, recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et iterum. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Unde magis magiſque commonemus, ut providâ devotione, & largo caritatis affectu, puràque mente, ac ſincerâ intentione quæque itineri huic neceſſaria proſpiciatis, nec piâ benignitate pro viribus ſuccurrere renuatis, ut pro certo hujus pietatis opere participes, apud Deum dignæ retributionis meritum percipiatis, ſeu cæleſti deſcriptione hujuſmodi pro compenſationis munere in conſortio Sanctorum connumerari valeatis. Si quis verò huic Dei officio ad illuminationem gentium à Sancta Catholica Apoſtolica Eccleſia pro conſulto Eccleſiaſtico deſtinato aſſenſum vel auxilium præbuerit, per interventionem Beatorum Apoſtolorum, Martyrum quoque, atque Sanctorum omnium, in cæleſtibus gaudiis talibus pro meritis mereatur adſcribi. At verò, ſi quis, quod non optamus, contrarius adverſator huic divino cultui inſtiterit, vel in quoquam præpedire conatus fuerit, & his vel cooperatoribus eorum ad hoc peragendum miniſterium temerator extiterit, ex divina juſſione & Apoſtolica auctoritate anathematis vinculo puniatur, & perpetuâ condemnatione reus diabolicâ ſorte damnetur. Ex hoc Decreto Joannes Bollandus [a] Halitgarium, quem Papa *Religioſum Miniſtrum* dicit, negat Epiſcopales Infulas jam adeptum eſſe. Sed illa locutio non excludit Epiſcopatum, maximè cùm Paſchalis eundem Halitgarium vocet *Collegam* Ebbonis, hic enim titulus ſatis magnificus videtur, ut Halitgarius Epiſcopus iſque ſuffraganeus Ebbonis Archiepiſcopi cenſeatur. *Collegam,* inquit Romanus Pontifex, *divinæ huic adminiſtrationis Legationi providentes, Halitgarium Religioſum adjicientes Miniſtrum, conſtituimus, quatenus,* &c. Deinde Auctores omnes, qui de Halitgario loquuntur, ſuper ejus Pontificatu conveniunt, quòd cœptus ſit anno Redemptoris vel octingenteſimo decimo-ſexto, vel octingenteſimo decimo-ſeptimo. Cur annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum elegerimus, expoſuimus ſuo loco.

[a] §. 10.

CII. Adelhardus & Wala fratres è Corbeia ſub initium hujus anni perrexerunt ad Regium comitatum, atque inde in Saxoniam, ut patet ex iis quæ de utroque dicta ſunt anno ſuperiore. In libello de conſtructione novæ Corbeïæ, ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto quo Junior Adelhardus prima Monaſterii fundamenta in Saxonia poſuit, ad hunc uſque annum quo primordia novæ Corbeïæ conſignantur, hæc leguntur. *Cæpit* Junior Adelhardus *ædificare in loco qui dicitur Hechi, ubi cùm per ſex & eo ampliùs annos laboraſſent, nihil proficere potuerunt, niſi quòd Religio Sancta in loco deſerto tradebatur. Nam locus ita aridus erat, ut nec victum nec veſtimentum ibidem invenire poſſent, niſi quantùm præfatus Abba à Monaſterio proprio,* id eſt, à Corbeia, *deferri faciebat. Angebatur tamen cotidie numerus Monachorum ex nobiliſſimo Saxonum genere: pueri quoque bonæ indolis nutriebantur optimè, & licèt opibus eſſent pauperes, Religione ſanctâ pollebant. Erat eo tempore Adalbertus vir religioſus præfato in loco Præpoſitus, qui cùm æſtuaret anguſtiâ, eò quòd non haberet ad opus fratrum ſtipendia, cæpit de mutatione loci cogitare, ſed ubi, vel qualiter, invenire nequibat. Sed cùm magna habitatoribus ingrueret neceſſitas, ad hoc ventum eſt, ut ſe in tres partes dividerent, cum Prioribus ſingulis. Interim neceſſitas vertitur in voluntatem, omnes pariter de mutatione loci tradere cœperunt. Affuit interèa etiam eis in tanta neceſſitate poſitis divina clementia. Aſcendit enim in cor Regis, ut* anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo *revocaret venerabilem virum Adhalardum ſenem,* Corbeïenſem ad Somonam quondam Abbatem, *& reſtitueret ei omnem priorem honorem, & multò eum ampliùs, quàm umquam anteà fuerat, ſublimaret. Qui cùm jam dictos Monachos in tanta cognoviſſet penuria eſſe, cum omni feſtinatione miſit dans pretium, juſſit-*

NOVA CORBEÏA CONDITUR AD VISURGIM,

que ut ſicubi invenirentur carra onuſta, & tam annonam quàm boves compararent, & cum feſtinatione laborantibus ſubvenirent. Poſt hæc acceſſit ad Imperatorem, & rogavit ut daret licentiam quærere inter illa loca, quæ ad ſe pertinebant, ſi fortè poſſet alicubi locum invenire, ubi Monaſterium ritè fieri poſſet. Quod à Pio Principe ſtatim conceſſum eſt. Tum venerabilis Abba, acceptâ licentiâ, pervenit in partes Saxoniæ unà cum Walone fratre ſuo. Quò cùm perveniſſent, didicerunt à fratribus, quia erat locus ſitus ſuper fluvium Wiſera in pago Auguenſi, qui pertinebat ad villam, cui vocabulum eſt Huxere, quod & anteà quidam audiverant, & idipſum Imperatori indicaverant. Ierunt ergo, & quidam ex fratribus cum eis, & invenerunt locum, quia erat optimus, & habitationi Monachorum congruus. Tunc inierunt conſilium cum Epiſcopis & Comitibus & cum nobiliſſimis viris ejuſdem gentis, ut inſtanter eundem locum excolerent, & Monaſterium ibidem collocarent. Venerunt ergo anno octingenteſimo viceſimo-ſecundo Dominicæ Incarnationis, ſub die octavo Idus Auguſti, regnante Ludovico Sereniſſimo Auguſto, &c. Cave ne poſtremam hanc periodum, *venerunt ergo*, &c. cum præcedentibus interpreteris de Adhalardo Abbate & Walone ejus fratre, citiùs enim cis Rhenum hi redierunt. Viſo ad Viſurgim loco, qui Monachorum habitationi congruus erat, *inierunt* quidem *conſilium cum Epiſcopis & Comitibus & cum nobiliſſimis viris ejuſdem gentis, ut inſtanter eundem locum excolerent, & Monaſterium ibidem collocarent.* At iter in Galliam ſtatim ſuſceperunt, ut Conventui apud Attiniacum habendo intereſſent.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

CIII. Celebratus eſt ille Conventus *menſe Auguſto*, ut ex Annaliſta Laureshamenſi probavimus ſuprà. Præſentes adfuerunt Adhalardus Abbas, ejúſque germanus Walo. De Adhalardo locupletiſſimus eſt teſtis Agobardus, qui ſedit etiam in eadem Synodo. *In illis*, inquit [a], *diebus, quando ſacer & religioſus Dominus noſter Imperator evocato Conventu in Attiniaco agebat, ſtrenuè providens de omnibus utilitatibus commiſſorum ſibi populorum, pervenit ad ſublimiorem inquiſitionem perneceſſarii conſilii, cupiens ſcilicet invenire, qualiter congruentiſſima profectum doctrinæ, & abolitionem negligentiarum Sacerdotibus & cunctis Honoratis ſuis commendare potuiſſet, quod utique laudabiliter inſpirante Dei gratiâ quæſivit, eleganter invenit, fideliter ore ſuo adnuntiavit*, &c. *Hanc igitur rem cùm miris tunc laudibus adhuc inchoatam magiſtri noſtri efferrent, & præcipuè venerandus ſenex Adalardus, qui etiam dicebat ſe nunquam ſublimiùs vel glorioſiùs cauſam profectûs publici moveri & cogitari vidiſſe à tempore Regis Pipini uſque ad diem illum; tantùm ne reſpondentium & obedientium negligentiâ humiliaretur, addidit ipſe & ceteri Primores, dicentes omni Concilio. Quicquid utile potuerit reperire ſagacitas veſtra ad cavenda peccata, ad vitanda pericula, ad erigendam religionem, ad inluſtrandam doctrinam, ad conroborandam fidem, ad excolendum ſtudium ſanctitatis, confidenter edicite, & ad explenda pariturum Deo Dominum Imperatorem minimè dubitetis. Qui (quoniam, ut Scripturæ ſacræ docent, peccata contrahunt infelicitates, perturbationes, clades, & ſterilitates in populos) totâ ſollicitudine curat, ut bona quidem ſtatuendo, mala verò deſtruendo, obtineat unà vobiſcum apud Dominum, ut remotis adverſis caſibus, Regnum ſibi commiſſum proſperè, Deo favente, valeat gubernare.* His Adalardi tum præſentis aliorúmque Primorum ſermonibus auditis locutus eſt etiam Agobardus in hunc modum. *Ecce Omnipotens Deus præparavit animos Domini Imperatoris, ut ſollicitè velit agnoſcere temporis vires, conſonas vel diſſonas æquitati. Expedit verò, ut ea quæ diſſona ſunt, ſi poſſibilitas ſuppetit, emendentur, in quantùm autem poſſibilitas non ſuffragatur, cum timore Dei tolerentur: quatinus dum inlicitum quippiam ex neceſſitate agitur quod declinari non poteſt, timor ſaltem faciat excuſabilem, quem executio non conſtituit abſolutum. Neceſſe eſt ergo ut veſtra induſtria magnanimitati ejus ſuggerat pericula de rebus Eccleſiaſticis, quas contra vetitum & contra Canones tractant & in uſus proprios expendunt homines laici. Poſtquàm enim diffuſa eſt Eccleſia Dei toto Orbe terrarum, & cæpit exaltari ac magnificari per omnes regiones & nationes, cæperúntque Templa erigi à fidelibus Impera-*

[a] In lib. de diſpenſ. Eccleſ. rer. &c. 2. & ſeqq.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

toribus ac Regibus atque Episcopis vel ceteris potentibus, ditaríque rebus, & thesauris ornari; fuit etiam consequens, ut Principum providentiâ leges promulgarentur, & Episcoporum sollicitudine Canones statuerentur de rebus sanctificatis, id est, sacris locis deputatis; qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur à gubernatoribus, vel expedirentur. Convenerunt Episcopi, viri Sancti, quibus tunc abundabat Ecclesia. Statuerunt inlibatos conservari debere sacros Canones, qui firmati sunt spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientiâ Principum, consonantiâ Scripturarum. Ex quo tempore acceptum & receptum est non aliud esse agere cuiquam adversùs Canones quàm adversùs Deum & adversùs ejus universalem Ecclesiam, neque sensum est unquam à quibusque fidelibus, ut talia statuta absque periculo Religionis violarentur. Quod ergo Deo auctore statutum est, novâ necessitate, quæ tunc temporis non accidit, excusabilem facere non potest violatorem, quia Omnipotenti Deo omnia tempora omniáque volumina seculorum præsentia sunt & stantia, neque aliquid prateriti potest recordari, nec futurum aliquid expectare. Quamobrem istæ, quas nunc homines pratendunt necessitates, & quarum causâ se impunè putant res sacras in usus communes vertere, licèt tunc hominibus futuræ essent, Deo tamen præsentes erant, quódque spiritu suo statuit Ecclesia, tenendum cunctis diebus usque in finem seculi voluit custodiri. Sed quoniam quod de sacris rebus in laicales usus inliciter translatis dicimus, non fecit iste Dominus Imperator, sed præcessores ejus, & propterea isti impossibile est omnia emendare, quæ antecedentes malè usurpata dimiserunt; saltem admonentibus vobis cogitare dignetur periculum, quod licèt & vitare nequeat, tamen dum pensat, timet, ac dolet, apud misericordem Dominum fiat per hæc excusabilis. Et vos communicate pondus periculi, sublevatéque portantem, in quantùm fieri potest, ut dum vos illi communicantes in periculis, & ille vobis compatiens extiterit in tristibus, ac defensor in persuasionibus, dúmque unum sapitis, tantúmque periculum communiter toleratis, avertatur ab illo necnon & à vobis hujuscemodi prævaricationis vindicta. Hæc dicebat Agobardus eâ mente, ut Imperatori referrentur. Utrùm relata fuerint, addit se nescire. Piam tamen nonnullorum Abbatum qui audiverant, atque in his Adalardi responsionem commendat hac proximâ periodo. *Cùm hæc igitur à me dicerentur, respondérunt piè Reverentissimi viri Adalardus & Helisacar Abbates, utrùm verò audita retulerint Domino Imperatori, nescio.* Adalardus Corbeïensis Abbas erat ad Somonam, Helisacar Monasterio Sancti Maximini prope Trevirim præerat.

CIV. TRUCTESINDUS FIT ABB. ANIANENSIS AC GELLONENSIS.

Agobardus Archiepiscopatum Lugdunensem gerebat. Sub initium hujus anni, seu priusquàm Ludovicum Augustum apud Attiniacum ad Axonam fluvium in Gallia Belgica conveniret, electioni Tructesindi Abbatis Anianensis ac Gellonensis in Septimania præsens interfuit. Propter varia Regni negotia sæpè provincias à Lugdunensi Diœcesi procul remotas adiit, aliáque vix excogitari potest ratio, cur locum non habuerit inter Missos Dominicos, quos Ludovicus Imperator anno Redemptoris octingentesimo vicesimoquinto nominavit, ut Legatione per Lugdunensem provinciam fungerentur. Cur autem in Septimaniam proficisceretur, in causa potuit esse bellum Hispanienſe seu Saracenicum, quod ab Hispanicæ Marcæ Comitibus feliciter gestum testatur Annalista Laureshamensis, *vastatis trans Sicorim fluvium agris* Saracenorum, *& incensis compluribus villis, & captâ non modicâ prædâ.* Georgium Abbatem Anianensem, cui Tructesindus successit, anno priori superstitem laudavimus. Lucas Dacherius in suis ad Guibertum Abbatem Observationibus [a] literas publicavit, quas Ludovicus auditâ Tructesindi Abbatis electione scripsit *Venerabilibus fratribus in Aniano sive Gellono Monasterio constitutis.* Hæc inscriptio non obscurè docet eundem Monachis Anianensibus & Gellonensibus Abbatem tunc præfuisse. Gellonensis autem Abbas in Gallia Christiana [b] memoratur Hucelandus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Quapropter ejusdem Hucelandi decessorem agnoscimus prædictum Tructesindum, cujus meminit Ludovicus Augustus Nebridio Archiepi-

[a] Pag. 633.

[b] Tom. 4.

Archiepiſcopo Narbonenſi adhuc ſuperſtite. Literæ tales ſunt. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus, Venerabilibus Fratribus in Aniano ſive Gellone Monaſterio conſtitutis. Proximè accidit Agobardum Archiepiſcopum ad noſtram deveniſſe præſentiam, qui * indicavit nobis, quomodo eo præſente & Nibridio Archiepiſcopo ſine morâ omnes pari conſenſu Truchteſindum ſuper vos elegiſſetis Abbatem. Cui facto, quia rationabile nobis videbatur, adſenſum præbere non diſtulimus, deſiderantes ac optantes ut pietas divina id ad ſuam & ad veſtram communem ſalutem proficere faciat, & ille Patris ac Paſtoris inter vos locum obtineat, & vos ut Chriſti oves pari humilitate ac devotione, ſicuti dignum & rectum eſt, ſubditi & obedientes ei ſitis. Et hæc obedientia vel humilitatis ſubjectio, charitatis munimine eſt roboranda, quod * ſine ſimulatione falſa extrinſecus oſtentationis in vobis fieri neceſſe eſt. Vos enim optimè noſtis, cum quanto ſtudio ac ſudore à beatæ * quo memoriæ Domno Benedicto Patre veſtro locus iſte primò inchoatus ac conſtructus eſt. Deinde quâ diligentiâ ille nitebatur, ut vos, quos divina ſuperni Paſtoris gratia per ſuæ devotionis inſtantiam inibi coadunaverat, ſecundùm Monaſticæ vitæ Regulam rectè converſaremini. Quod & Deo largiente juxta id quod deſideravit ad effectum perduxit. Sed & de ſacroſancto eodem examine, per Imperium à Deo nobis commiſſum longè latéque piæ converſationis normam coadunavit è vobis, & diſſeminare non deſtitit. Et cùm profectò ita ſe res habeat, dignum vos admonere ſtatuimus, ut Deo cooperante id efficere ſtudeatis, ne in diebus veſtris res tam egregiè inchoata & ad incrementum perducta, quolibet caſu quicquam detrimenti ſumat. Sed tales ſemper per Dei miſericordiam eſſe ſtudeatis, ut de vobis poſſint, ſicut priùs, Magiſtri & Doctores ſanctæ non ſolùm regularis vitæ, verùm omnis ſpiritalis normæ & præcipui apicis adſumi, ubicumque neceſſitas vel voluntas fuerit. Porro Truchteſindum Abbatem veſtrum ammonitum eſſe volumus, ut circa vos paternum exerceat amorem, & conſideret ſecundùm ætatem, vel valetudinem corporis, vel infirmitatis moleſtiam, quid cui conveniat ex ſubjectis ſibi, & caveat omnimodis, ne in negligentes adeò fervida zeli caſtigatio modum excedat, ut eos puſillanimes reddat, nec apud obſervantes mandata Dei talis ſit, ut torpore & deſidiâ in eis rigorem conſtantiæ frangat, ſed maximâ diſcretione juxta Apoſtolum ſit omnibus omnia factus, ut omnes ad ſe pertinentes ſalvare poſſit. Quod ſi fortè evenerit, quod nos non optamus, ut ille extra Regulam vobis à memorato Benedicto optimè traditam in aliquo deviaverit, & magis voluerit quæ agenda ſunt proprio arbitrio & voluntate, quàm veſtro communi conſilio agere, vos eum, ut chariſſimi fratres & filii, cum omni manſuetudine & patientia corrigite, &, ſi vobis adſenſum præbuerit, & per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis. Si verò ille pertinacior in ſua, quod abſit, permanere voluerit ſententia, tunc nobis id ſignificari priùs faciatis, quàm foris vicinis noſtris notum fiat, quia cùm in aliis exercemus poteſtatem, in vobis tamen paternum ſemper volumus obtinere affectum. Et quamvis hæc licentia à nobis ſit vobis conceſſa, tamen ſummopere cavendum eſt, ne de qualibet re adversùs Abbatem veſtrum levi irâ, aut pravâ inflammati perturbatione, fruſtrà pertinaci audaciâ adversùs eum commoveamini. Nam ſi aliquis veſtrum ſine ratione adversùs eum inflammabitur, & noſtras aures ſine cauſâ pulſaverit, nos adversùs ſe noverit districtâ animadverſione commotos *, ut ille, qui ejuſmodi * commotum eſt, ceteris ſit documentum, ne in poſterum aliquis audeat adversùs Magiſtrum ſuum injuſtè conſurgere. Vos quoque, Seniores, in omnibus adjuvate eum, tam in diſtrictione juniorum fratrum, quàm & in reliqua utilitate Monaſterii, nec illum ſolùm ſub tanti ponderis onere gravari patiamini, ſed juxta Apoſtolum invicem onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Vos autem, juniores Fratres, ſtatuimus ammonere, ut in omnibus Abbati veſtro & Senioribus Fratribus obedientes ſitis, & humiles, non protervi, non murmuratores, ſed cum omni humilitate ac manſuetudine ſervate propoſitum veſtrum. Nam ſi ſecus egeritis, ut aliquis veſtrum adversùs Abbatem & Fratrem inſletur, & non ſui Abbatis & Fratrum ſuſtinuerit correctionem, hunc nobis cum feſtinatione mitti præcipimus,*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

* indicans

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

*ut cum in talem dirigamus locum, unde ille vobis minimè poſsit quicquam inferre ſcandali. Hæc vobis ideo ſcribere juſsimus, ut cognoſcere poſsitis quantam curam ac ſollicitudinem de vobis habere deſideramus. Eandem enim familiaritatem, quam cum piæ recordationis Benedicto Abbate veſtro habere viſi ſumus, ſi præcepta ejus obedienter cuſtodire voluerit is, vobiſcum ſimiliter habere volumus, & curam veſtri ipſiuſque Monaſterii ſemper agere. Et quia conſtat per Chartam Donationis prædicti Patris veſtri eumdem Monaſterium Genitoris noſtri priùs & dennò noſtrum eſſe alodem, eamdem licentiam, quam ipſe priùs, & nos deinceps per Præcepta Immunitatis viſi ſumus concedere, perpetuis temporibus firmiter obſervare, & inviolabiliter conſervare promittimus, ut quandocumque divinâ vocatione prædictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu intra vos tales invenire potueritis, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per ſæpeſcriptam & roborandam noſtram authoritatem, licentiam habeat ſemper eligendi Abbatem. Optamus vos pro nobis orantes, ac ſanctum * propoſitum veſtrum cuſtodientes in Chriſto ſemper benè valere. Amen.*

* ſecundum

CV. Ut tibi perſuaſum habeas Walam ſeu Walachum aut Walonem Attiniacenſi Conventui cum Adelhardô ſive Adhalardo vel Adalardo fratre interfuiſſe, denuò relege quæ de illo ſuperiùs obſervata ſunt ex Annaliſta Laureshamenſi ad hunc annum & ex Aſtronomo in vita Ludovici Pii. Peracto enim Attiniacenſi Conventu Walachum ſeu Walam in Italiam cum Lothario Auguſto profectum ambo docent hi Scriptores. Adelhardus igitur Abbas & Wala Monachus ejus frater non habendi ſunt in illorum numero, qui rurſum venerunt ad Viſurgim hoc anno poſtridie Nonas Auguſtas, ut & Templum & habitationes fratrum menſurarent novam ibi Corbeiam condituri. Sed de Adalberto Præpoſito aliiſque Monachis, qui, relicto arido ſolo ubi morabantur, ad locum ripæ Viſurgis adſidentem & ex Adelhardi ac Walæ Saxoniam Occidentalem antè luſtrantium judicio ſtationi Monachorum magis idoneum penetrarunt, intelligendus eſt hic textus in libro de conſtructione novæ Corbeiæ. *Venerunt ergo anno octingenteſimo viceſimo-ſecundo Dominicæ Incarnationis, ſub die octavo Idus Auguſti, regnante Ludovico Sereniſſimo Auguſto nono anno* (vitiosè *undecimo* in exemplaribus editis, ubi numerus IX tranſpoſitione Characterum mutatus in XI videtur) *ad locum memoratum; circumſpectóque ex omni parte, & undique circuientes, proſtrati in orationem decantaverunt Pſalmos ad hoc officium pertinentes. Et poſtquàm compleverunt Letaniam & orationem, jactaverunt lineam, & infixerunt paxillos, & cœperunt menſurare, priùs quidem Templum, inde habitationes fratrum. Quod cùm peregiſſent, conſtituentes qui quædam habitacula initiarent, ad propria ſunt reverſi. Sed primùm petierunt Epiſcopum, ut veniret, & ſanctificaret locum, vexillúmque ſanctæ Crucis in loco Altaris poneret, noménque, ut Corbeia vocaretur, aptaret. Quod factum eſſe octavo Kalendas Septembris conſtat. Et eâdem die cœperunt, qui aderant, ædificia erigere. Erant tamen pauci numero uſque ad diem ſextam Kalendas Octobris. Septimo Kalendas namque ejuſdem menſis ſurrexerunt à loco, quo uſquequaque habitaverant, cum omni ſupellectili ſua, ſenes & pueri, & aliâ die venerunt ad locum deſtinatum, & celebraverunt Miſſarum ſolemnia cum omni gratiarum actione, laudantes Dominum, & benedicentes Domino.*

CVI. Condita fuit ad Viſurgim nova Corbeia in Epiſcopatu Paderbornenſi, diſtátque novem duntaxat leucis à Paderborna. Nomen Epiſcopi, qui tunc ſedebat, Auctor prælaudati libelli reticuit. In vulgatis Epiſcoporum Paderbornenſium Catalogis, Hathumarus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-quinto primus Epiſcopus conſtituitur, vitámque claudit anno regiminis nono, ſeu Redemptoris octingenteſimo quarto; Baduradus Hathumaro ſuccedit, & Epiſcopatum per annos duodequinquaginta regit ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum quinquageſimum-ſecundum. Annos autem egerunt in Epiſcopatu, plures Hathumarus, pauciores Baduradus. Vetus enim Anonymus, qui libellum de conſtructione novæ Corbeiæ conſcripſit,

CORBEÏA CONDITUR BADURADO TUNC EP. PADERBORNENSI.

Digitized by Google

Hathumarum tunc Epiſcopum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto commendavit. Et anno pòſt ſeptimo ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, cùm novæ Corbeïæ nomen impoſitum eſt, ſedebat in Cathedra Paderbornenſi Baduradus, ut conſtat cùm ex Diplomate Ludoviciano quod ſuprà deſcripſimus, tum ex Chronico Corbeïenſi quod editum eſt à Meibomio & in Monumento Paderbornenſi decimo ſic allegatur. *An. Incarnationis Dominicæ 822. Indict. 15. 8. Kal. Sept. 2 Feriâ, Monachi, qui in loco, qui Hetha dicitur, per ſeptem annos priùs demorabantur, inde egreſſi cum Crucibus & Reliquiis in hunc locum pervenerunt, locóque ab Epiſcopo Baduradó, qui tunc præſens aderat, Corbeia nomen impoſitum eſt, erectóque tentorio, illatíſque Crucibus & Reliquiis locum dedicaverunt in honore & nomine Sancti Stephani protomartyris, infodientes Crucem Chriſti, ubi nunc altare eſſe dignoſcitur.* Succeſſit igitur Hathumaro Baduradus, ut omnes habent Catalogi, ſed longè poſt annum Redemptoris octingenteſimum quartum, Hathumarus enim anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto ſuperſtes in vivis erat. Laudatur Baduradus, quòd oſſa Sancti Landelini, cujus honori dicatum Templum Bocæ hodiedum extat, è Diœceſi Cameracenſi tranſlata, Bocæ collocarit. Id patet ex initio Diplomatis anno Chriſti milleſimo centeſimo quarto dati, quod in Monumento Paderbornenſi undecimo ſic habetur. *In Nomine Domini. Erpo dictus Comes in Patberg, ad notitiam omnium fidelium pervenire deſideramus, quòd nos ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & ſanctæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, & ſuper reverenda oſſa Beati Landolini Confeſſoris, quæ ſanctæ memoriæ Baduradus Paderbornenſis Epiſcopus de Diœceſi Cameracenſi tranſtulit, & in loco, qui dicitur Boca, integraliter deportavit, novellam plantationem Religionis Sancti Benedicti conſtruximus, ſuper fluvium, qui dicitur Lippia; quod opus*, &c. Tomis tertio & quarto fusè diſſeruimus de Sancto Landelino ſeu Landolino Preſbytero Cameracenſi, qui quatuor Monaſteria, in eadem Diœceſi Cameracenſi condidit hoc ordine, Laubacenſe cujus primus Abbas extitit, Alnenſe & Waſſerenſe quibus Abbates præfecit, & Criſpinienſe, cujus adminiſtrationem relicto Laubaco ſuſcepit. Obiit Landelinus in Cœnobio Criſpinienſi, ibique ſepultus fuit. Joannes Mabillonius [a] in Notis ad illius vitam ait ejus Reliquias *in Criſpinienſi Monaſterio religioſè* coli, quod de parte tantùm putamus intelligendum, cùm potior pars in Diœceſim Paderbornenſem à temporibus Baduradi Paderbornenſis Epiſcopi ſub Ludovico Pio tranſlata ſit.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Sec. 2. Bened. n. cir. 686.

CVII. Hic Imperator licèt hoc anno piis officiis publicæquæ pœnitentiæ vacarit, adminiſtrandi Regni curam ſollicitudinémque non omiſit. Res ejus auſpiciis in disjunctiſſimis provinciis feliciter geſtas per ordinem exponemus.

CVIII. BELLUM PANNONICUM. *Exercitus de Italia propter Lindewiticum bellum conficiendum in Pannoniam miſſus eſt. Ad cujus adventum Lindewitus Sciſciâ civitate relictâ ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo ſe contulit, & uno ex Ducibus eorum, à quo receptus eſt, per dolum interfecto, civitatem ejus in ſuam redegit ditionem. Miſſis tamen ad exercitum Imperatoris Legatis ſuis, ad ejus præſentiam ſe velle venire promiſit.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis, cui ſuffragatur in hunc modum Aſtronomus in vita Ludovici.. *Exercitum ſanè eodem tempore miſit de Italia contra Lindevitum in Pannoniam. Quò ille conſiſtere non valens, propriam reliquit civitatem, & ad quendam Principem Dalmatiæ veniens ab eo ſuſceptus eſt intra civitatem. Qui tamen versâ vice ſuſceptorem ſuum dolo confecit, & civitatem ſuo dominatui ſubjecit. Et quamquam noſtris nec pugnam intulerit, nec collocutus fuerit, tamen miſſis Legatis & erraſſe ſe dixit, & ad Dominum Imperatorem venire promiſit.* Sciſcia * ſeu Siſcia vel Syſcia civitas erat Pannoniæ ad Colapis * confluentes in Savum. Inde Liudewitus diſceſſit adventante Francorum exercitu, confugitque profugus ad Sorabos ſeu Serblos, qui partem Orientalem Dalmatiæ poſſidebant, Imperatoríque Conſtantinopolitano ſubjiciebantur. Hæc ad textuum ſuprà

* *Siſſeg.*
* *le Culp.*

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

citatorum elucidationem dicta sunto. Quæ secuta sunt anno proximo narrabuntur.

Saxones interea jussu Imperatoris Castellum quoddam trans Albim in loco, cui Delbendo nomen, ædificant, depulsis ex eo Sclavis, qui illum prius occupaverant, præsidiumque Saxonum in eo positum contra incursiones illorum, ut testatur Annalista Laureshamensis.

Apud eundem Auctorem subjicitur Hispanicnsis expeditio contra Saracenos. *Comites Marcæ Hispanicæ trans Sicorim fluvium in Hispania profecti, vastatis agris, & incensis compluribus villis, & capta non modica præda, reversi sunt.* Astronomus in vita Ludovici consentanea scribit, observátque hæc Imperatori nuntiata esse, cùm Attiniacensis Conventus adhuc agebatur.

CIX. SCLAVICUM,

A Comitibus Marcæ Hispanicæ sic ad Comites Marcæ Britannicæ transit Annalista Laureshamensis. *Simili modo post æquinoctium Autumnale à Comitibus Marcæ Britannicæ in possessionem cujusdam Britonis, qui rebellis tunc extiterat, nomine Wihormachus, expeditione factâ, omnia ferro & igne vastata sunt.* Astipulatur Astronomus in prælaudata Ludovici Pii vita.

CX. HISPANICUM,

CXI. ARMORICANUM.

Porrò, peracto Attiniaci Conventu, Imperator, ut insinuatum suprà, Lotharium filium in Italiam misit, *Pipinum autem*, ut addit Annalista Laureshamensis, *in Aquitaniam ire præcepit, quem tamen priùs filiam Thietberti Comitis Matricensis in conjugium fecit accipere, & post nuptias celebratas ad occiduas partes proficisci.* In Charta, quam Dubouchetus [a] inter probationes Regalis Genealogiæ publicavit, Pippinus Rex uxorem suam Ingeltrudam, matrem suam Hermingardam, uxoris suæ patrem Thetbertum, avum Nebelongum sic appellat. *Pro incolumitate nostra uxorísque nostræ Ingeltrudæ Reginæ, & pro remedio animarum Hermeingardæ quondam Reginæ genitricísque nostræ, Thetberti ac Nebelongi Comitum Patre & Avo ejusdem Ingeltrudæ, & prole, Regníque statu, libentiùs Dei misericordiam delectet implorare.* Pippinus igitur, Ludovici Pii filius, Caroli Magni nepos, Pippini Regis pronepos, Caroli Martelli abnepos, Pippini Majoris-domûs & Alpaidis atnepos, hoc anno duxit Ingeltrudam, Thetberti Comitis filiam, Nibelungi Comitis neptem, Childebrandi Comitis proneptem, prædictorum Pippini Majoris-domûs & Alpaidis abneptem.

CXII. PIPPINUS UXORE DUCTA PROFICISCITUR IN AQUITANIAM.

[a] Part. 2. c. 3.

CXIII. CAPITULARE DE MON. PICTAVIENSI S. CRUCIS.

Eidem Pippino filio Ludovicus Imperator præcepit, ut Capitulare de Monasterio Sanctæ Crucis ab omnibus observandum curaret. Hoc Capitulare absque ullo Charactere Chronologico desumptum est ex libro manuscripto Parthenonis Sanctæ Crucis, cui Titulus, Testamentum Sanctæ Radegundis, & publici juris à Johanne Mabillonio factum est Tomo primo veterum Analectorum cum hac inscriptione, *Capitulare de Monasterio Sanctæ Crucis, quod est situm intra Pictavensem urbem, quod Piissimus Imperator Ludovicus fieri præcepit, atque ut idem ab omnibus observaretur, Glorioso filio suo Pipino commisit.* In octo distinguitur Capitula, de quibus sigillatim hîc acturi sumus.

CXIV. Primum Capitulum. *Ut à nemine prædictæ Sanctimoniales opprimantur injustè vel condemnentur, ab ipso Domno Pippino Rege provideatur.*

CXV. Secundum Capitulum. *Ut à nemine temporale servitium exteriùs ullo modo quæratur, nisi quantùm ab eis quæsivi, postquam eas sub Regulari norma vivere constituí.* Hujus Capituli primæ parti plurimùm lucis affert Constitutum, quod Ludovicus Augustus promulgavit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, cùm Monasteria tres in classes ita distinxit, ut Regi nonnulla militiam & dona, quædam non militiam, sed dona tantùm, alia nec militiam nec dona sed solas orationes deberent. Inter Cœnobia enim postremæ classis, à quibus solæ duntaxat orationes exiguntur *pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, ac stabilitate Imperii*, recensetur in Aquitania Monasterium Sanctæ Crucis puellarum, ut ad illum annum [b] observavimus. Alteram Capituli partem, quâ Ludovicus constituit Moniales prædicti Cœnobii *sub Regulari norma vivere*, rectè Mabillonius de Regula interpretatur Benedictina, quia, teste Astronomo in vita Ludovici, *constituit* anno Re-

[b] Num. 188.

Digitized by Google

demptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo *idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem* Indenſem *& cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* A temporibus beatæ Radegundis, ut Gregorius Turonenſis [a] docet, in Monaſterio Sanctæ Crucis obſervari cœpit Regula Sancti Cæſarii. Lege quæ Tomo ſecundo ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum [b]. Deſunt argumenta, quibus probare poſſis ante Ludovici Auguſti tempora Regulam Sancti Benedicti in illo Monaſterio ſuſceptam fuiſſe. Nuperrimè prodierunt Sanctæ Rotomagenſis Eccleſiæ Concilia ac Synodalia Decreta in unum corpus à Domno Franciſco Pommerayio è Congregatione Sancti Mauri Monacho Benedictino collecta, brevibúſque Notis illuſtrata, quas Domnus Angelus Godinus ejuſdem Congregationis alumnus concinnavit. Ad Concilium Anſberto Rotomagenſi Metropolitano Præſide celebratum, in quo ſtatutum eſt, ut Monachi Fontanellenſes Regulam Sancti Benedicti, quam ſub eodem Anſberto tunc Abbate necdum Archiepiſcopo primùm ſuſceperant, futuris deinceps temporibus obſervarent, de propagatione Ordinis Benedictini per Galliam, noſtra ſic ſugillatur ſententia. *Plura heic congeſſerat Obſervationum Auctor ex antiquioribus & melioris notæ Scriptoribus collecta, quibus Sancti Benedicti Regulam, ante Ludovici Pii tempora receptam in omnibus ferè Monaſteriis comprobaret, contra criticorum aliquot obtrectationes. At cùm luculentiùs datâ operâ id præſtiterint noſtri, Lucas Dacherius Notis ad Epiſtolam 22 Lanfranci, ac noviſſimè D. Joannes Mabillonius variis locis 1, 2 & 3 ſeculi Benedictini, ac R. P. D. Philippus Baſtideus Prior S. Cornelii Compendienſis in ea diſſertatione, quam contra R. P. Caroli Cointii opinionem conſcripſit, quæ in 2 parte ſeculi tertii per modum Appendicis poſita eſt, actum agere credidiſſem, iteratò hîc ea recantare.* Illam Philippi Baſtidei Diſſertationem Tomo quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-primum [c] refutavimus. Locum indicaſſe ſufficiat, ut æquum ſuper controverſia judicium ferre poſſis utrâque lucubratione lectâ ſimúlque collatâ. Sed temperare non poſſumus hoc loco, quin ipſum Pommerayium amicè moneamus, ut quintum Anſberti Metropolitæ Rotomagenſis annum, quem in Hiſtoria Rotomagenſium Archiepiſcoporum, & in Collectione prædictorum Conciliorum cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio comparavit, anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo nobiſcum illiget, ratus Sanctum Audoenum non anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto, ut utrobique cenſuit, ſed anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo Metropolitanum Epiſcopum Eccleſiæ Rotomagenſis ordinatum fuiſſe. Certè ſodalis ejus Joannes Mabillonius in Præfatione ſecundi Seculi [d] Benedictini nobis aſſenſus aſſeruit *Audoenum & Eligium Rotomagum acceſſiſſe die 14 Maii, non verò eodem die, ſed inſequenti Dominicâ, quæ Aſcenſionem Domini præcedebat, fuiſſe ordinatos, anno ſcilicet* DCXL, *quo Paſcha in 16 Aprilis, Dominica ante Aſcenſionem in 12 Maii incidebat.* Et Godefridus Henſchenius in Exegeſi præliminari ad Tomum tertium Aprilis, quâ Diatribam de tribus Dagobertis Francorum Regibus olim editam & ab eodem Pommerayio in Hiſtoria Rotomagenſium Archiepiſcoporum laudatam innovavit ac ſtabilivit, famæ ſuæ nihil putavit detractum iri, ſi recederet ab opinione cui diu firmiter adhæſerat, & nobiſcum ordinationem Sanctorum Audoeni atque Eligii ab anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum revocaret, ut fusè Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum [e] obſervavimus.

Tertium Capitulum. *Similiter ut res Monaſterii, quas modò habent, non priùs ab ullo auferantur, quàm ut ante Domnum Pipinum aut ante Comitem Palatii illius præfata ratio reddatur.* CXVI.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI LUDOV. R. 8. R. 6.

[a] Lib. 9. c. 40.
[b] Nn. 3. 4.
[c] Nn. 111. & ſeqq.
[d] Nn. 61.
[e] Nn. 85. & ſeqq.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. CXVII. CXVIII. CXIX.

Quartum Capitulum. *Ut temporale ſervitium in opere fœmineo ab eis ad partem Dominicam nullatenus quæratur, quia ſi hoc fieri cœperit, omnino Ordo Regularis ſtare non poterit.* Servitium, de quo loquitur Ludovicus in hoc Capitulo, totum *in opere fœmineo* conſiſtit, & diſtingui debet ab alio ſervitio, cujus ſuprà mentionem in ſecundo Capitulo fecit.

Quintum Capitulum. *De ceteris verò quæſtionibus, quas aut alii ab ipſis, aut ipſæ quærunt ab aliis, ſecundùm conſuetudinem ante Comitem vel Vicarios ejus juſtitiam reddant & accipiant: tantum ut juſtè fiant.*

Sextum Capitulum. *Ut omnino caveatur, ne ultra centenarium numerum Congregatio illa per cujuſcumque petitionem multiplicetur.* Anno duodecimo Childeberti Secundi Regis, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſeptimo, cùm Beata Radegundis ipſius Monaſterii fundatrix ex hac vita migravit, ipſa Congregatio Monialium ad numerum circiter ducentarum excreverat. Gregorius Turonenſis, qui curavit exequias ejuſdem Radegundis, illud in libro [a] de Gloria Confeſſorum ſic teſtatur. *Beata Radegundis poſt emeritos vitæ labores ab hoc mundo migravit, de cujus tranſitu accipientes nuncium, ad Monaſterium Pictavenſis urbis acceſſimus, quod ipſa inſtituerat. Reperimus autem eam jacentem in feretro, cujus ſancta facies ita fulgebat, ut liliorum roſarúmque ſperneret pulchritudinem. Stabat enim circa feretrum multitudo immenſa Sanctimonialium ad numerum circiter ducentarum, quæ per illius prædicationem converſæ vitam ſanctam agebant, quæ ſecundùm ſeculi dignitatem non modò de Senatoribus, verùm etiam nonnullæ de Regali ſtirpe hac Religionis formâ florebant.* A tanta gloria multùm excidit hoc Monaſterium orto pòſt ſcandalo, quod ex ejuſdem Gregorii Turonenſis [b] Hiſtoria fusè Tomo ſecundo [c] deſcripſimus.

[a] Cap. 106.

[b] Lib. 9. cc. 39. & ſeqq. l. 10. cc. 15. & ſeqq.

[c] Ad ann. 589. 590.

CXX.

Septimum Capitulum. *Ut omnino provideatur, ne Clericorum numerus pluſquàm* XXX *augeatur, & ipſi per omnia ad dictam Congregationem Sanctæ Crucis honeſtè & perfectè obedientes ſint atque ſubjecti ..... Sin autem, liber diſcedat. Colonus autem vel ſervus ad naturale ſervitium, velit, nolit, redeat.* Apud Gregorium Turonenſem [d] Beata Radegundis in literis, quas loco Teſtamenti ſcribit & ad omnes Epiſcopos Regni dirigit, præter puellare Monaſterium quod in civitate Pictavienſi fundavit, teſtatur extra muros urbis ædificari cœptam à ſe Baſilicam, in qua cum ceteris vult Monialibus ſepeliri. *Monaſterium*, inquit, *puellarum Pictavâ urbe conſtitui, conditúmque quantùm mihi munificentia Regalis eſt largita, factâ Donatione dotavi.* Et inferiùs. *Illud quoque vos Sanctos Pontifices & Præcellentiſſimos Domnos Reges, & univerſum populum Chriſtianum, conjuro per fidem Catholicam, in qua baptizati eſtis & Eccleſias conſervatis, ut in Baſilica, quam in Sanctæ Mariæ Dominicæ Genitricis honore cœpimus ædificare, ubi etiam multæ ſorores noſtræ conditæ ſunt in requie, ſive perfectæ, ſive imperfectæ, cùm me Deus de hac luce migrare præceperit, corpuſculum meum ibi debeat ſepeliri.* Puellaris in urbe Monaſterii nomen reticet, ſuburbanæ verò Baſilicæ Titulum prodit, eámque *Sanctæ Mariæ* Baſilicam dicit. Ludovicus Auguſtus in ſuo Conſtituto, quod ante quinquennium recitavimus, Cœnobium ab ipſa Radegunde conſtructum infra muros urbis Pictavenſis, appellat *Monaſterium Sanctæ Crucis puellarum*, & in Capitulari, quod explicamus, Moniales illius loci vocat *Congregationem Sanctæ Crucis.* Aſtronomus autem in ejuſdem Ludovici vita laudat *Monaſterium puellare Sanctæ Radegundis.* Inde liquet unum idémque puellare Cœnobium ætate Ludovici Pii promiſcuè *Monaſterium Sanctæ Crucis* & *Monaſterium Sanctæ Radegundis* in civitate Pictavienſi nuncupatum fuiſſe. Id Hincmarus apud Flodoardum [e] egregiè confirmat utrâque nomenclaturâ eidem Monaſterio attributâ, ſcribit enim *Rotrudi Deo ſacratæ & ceteris ſororibus Monaſterii Sanctæ Crucis & Sanctæ Radegundis pro electione Abbatiſſæ ipſius Monaſterii.* Sammarthani Tomo quarto Galliæ Chriſtianæ Chartam publicarunt, in qua Ludovicus Francorum Rex Ludovici Pii ex Carolo filio nepos Monaſteria Sanctæ Crucis &

[d] Lib. 9. c. 42.

[e] Lib. 3. c. 27.

Sanctæ Radegundis, illud puellarum *infra muros urbis Pictavenſis*, hoc virorum *in ſuburbio prædictæ urbis* apertiſſimè ſic diſtinguit. *Venerabilis Ava Abbatiſſa ex Monaſterio Sanctæ Crucis, quod eſt ſitum infra muros urbis Pictavenſis, obtulit obtutibus noſtris Præcepta Domni Auguſti avi noſtri Ludovici & piæ memoriæ genitoris noſtri Caroli Glorioſorum Imperatorum, in quibus erat inſertum, quòd non ſolùm ipſi, verùm etiam & prædeceſſores eorum Reges Francorum videlicet, ſub ſuo nomine & Immunitatis tuitione, cum Monaſterio Sanctæ Radegundis, quod eſt ſitum in ſuburbio prædictæ urbis, & cum omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus conſiſtere fecerant.* Et paulò pòſt. *Noſtræ Immunitatis Præceptum ob amorem Dei erga prædicta Monaſteria Sanctæ Crucis & Sanctæ Radegundis pro divini cultûs amore fieri decrevimus.* Idem inferiùs. *Nos pro æterna remuneratione prædictis Monaſteriis concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum & ſtipendia ſervorum vel ancillarum Chriſti in eiſdem Monaſteriis Deo famulantium proficiat in augmentum.* Et ſub finem Diplomatis. *Concedimus etiam prædictis fratribus Sanctæ Radegundis & ancillis Sanctæ Crucis quaſdam villas.* Hæc duorum Monaſteriorum diſtinctio patet ex ipſo quoque Capitulari quod exponimus. Cavetur enim Capitulo ſexto, ne *ultra centenarium numerum Congregatio illa*, nempe Monialium ſeu Sanctæ Crucis *multiplicetur.* Et Capitulo ſeptimo providetur, *ne Clericorum numerus pluſquàm* XXX *augeatur*; item ut *ipſi* Clerici *per omnia ad dictam Congregationem Sanctæ Crucis honeſtè & perfectè obedientes ſint atque ſubjecti.* Septimum hoc etiam Capitulum docet in ſuburbana Baſilica Sanctæ Mariæ ſive in Monaſterio Sanctæ Radegundis, Clericos ætate Ludovici Pii fuiſſe. Fatendum tamen inſtituros illic à primo Baſilicæ conditu Monachos cum Abbate, quibus Clerici ſeu Canonici poſteà ſucceſſerunt. In Sanctæ Radegundis vita, quam Baudonivia poſt Fortunatum Pictavienſem Epiſcopum conſcripſit, *Vir Venerabilis Arnegiſilus Abbas Baſilicæ Beatæ Reginæ cum ſuis Monachis* memoratur. Poſterior pars Capituli caret initio, eâque mutilatione fit obſcurior. Ludovicus Auguſtus Clericos in duplici differentiâ collocat; alios enim liberos, alios colonos ſeu ſervos agnoſcit; utroſque verò, ſi Congregationi Sanctæ Crucis ſive Monialibus honeſtè & perfectè obedientes atque ſubjecti non fuerint, à Baſilica Sanctæ Mariæ procul expellit, hoc tamen intercedente diſcrimine, quòd eos, qui liberi ſunt, liberos dimittit, colonos autem & ſervos, velint, nolint, ad naturale ſervitium revocat. Lege quæ dicta ſunt ſuprà [a] de ordinatione ſervorum ex Capitulo ſexto Capitularis Attiniacenſis, in quo *decretum eſt, ut ſervus, ſi dominum ſuum fugiens, aut latitans, aut adhibitis teſtibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus Eccleſiaſticos pervenerit, deponatur, & dominus ejus eum recipiat.*

[a] Hoc an. n. 76.

Octavum Capitulum. *Item, ſi quando neceſſe fuerit, per juſſionem Domni Pipini Regis Ramnulfum ſpecialiter Miſſum habeant. Quando verò neceſſe non fuerit, Advocatus earum per ſe juſtitiam faciat & accipiat.*

In hoc Capitulari nullus occurrit Character Chronologicus, nec annus, quo promulgatum fuit, certò deprehendi poteſt. Ut autem ad hunc annum à nobis referretur, effecit Annaliſta Laureshamenſis, Pippinum enim hoc eodem anno, quo filiam Thetberti Comitis ſibi conjugem ſociavit, in Aquitaniam à Ludovico patre miſſum teſtatur, eidémque Pippino Regi curam quoque à Ludovico Auguſto demandatam, ut hoc Capitulare ab omnibus obſervaretur, clariſſimè docet Titulus ſuprà deſcriptus.

Ludovicus Imperator, *peractâ Autumnali venatione, trans Rhenum ad hyemandum in loco, qui Franconofurd appellatur, profectus eſt.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis. Adſtipulatur Aſtronomus, ſic. *Imperator, juxta morem Francorum Regum, Autumnale tempus venationibus inſumpſit, hyemandíque gratiâ trans Rhenum locum, cujus vocabulum eſt Franconofurd, petivit.* Rhenum tranſiit ſupra Moguntiacum apud Triburiam. Extat enim Decretum contra Clericorum percuſſores ab eo Triburiæ editum anno poſt Synodum habitam apud

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

CXXI.

CXXII.

CXXIII. LUDOVICUS AUG. APUD TRIBURIAM DECRETUM EDIT ADVERSUS PERCUSSORES CLERICORUM.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Theodonis villam proximo. In notis ad illud Decretum [a] ſic ſcribit Jacobus Sirmondus. *Conventui*, qui celebratus eſt apud Theodonis villam, *alio poſt anno ſucceſſit alter apud Triburiam, in quo Ludovicus, quod in priore Synodo rogatus fuerat ab Epiſcopis, Decretum edidit adversùs percuſſores Clericorum. Quem Conventum Triburienſem incautè nonnulli cum eo confundunt, qui plurimis poſt annis habitus eſt ſub Arnulfo.* Ipſum Decretum accipe ex Sirmondo.

Placuit nobis & fidelibus noſtris, ut ſicut ab Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus ac Dei ſervis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus & rogati, ut Epiſcopi & eorum miniſtri, quos Deus ſuo non humano judicio reſervavit, juxta Sanctorum Canonum Sanctorumque Patrum ac Capitularium præcedentium Regum coràm poſitorum Statuta, & Dei Sacerdotes eorúmque cooperatores, quorum interceſſionibus & ſupplicationibus Sancta Dei Eccleſia conſtare videtur, intacti permaneant.

[a] Tom. 2. Conc. Gall.

CXXIV. CXXV. *I. Conſtituimus, ut ſi quis Subdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentiâ Canonicâ pœniteat, & CCC ſolidos Epiſcopo componat. Et, ſi mortuus fuerit, juxta id quod Canones præcipiunt pœniteat, & CCCC ſolidos Epiſcopo componat.*

CXXVI. *II. Si Diaconum quis calumniatus fuerit, & convaluerit, pœniteat ſecundùm Canones, & CCCC ſolidos componat. Si non convaluerit, juxta præcepta Synodalia pœniteat, & DC ſolidos Epiſcopo componat.*

CXXVII. *III. Si Presbyterum quis malè tractaverit & ſpaſſaverit, ſecundùm ejus Epiſcopi ſententiam pœniteat, & DCCCC ſolidos Epiſcopo componat. Sin autem mortuus fuerit, ut Synodus judicaverit pœniteat, & MCC ſolidos Epiſcopo componat.*

CXXVIII. *IV. Si quis Epiſcopo inſidias poſuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehoneſtaverit, pœniteat ſecundùm Canonum Statuta, & Presbyteri non occiſi triplicem compoſitionem cum juſtitiis, quæ in ſuperiore Capitulo ſcripta & confirmatæ eſſe videntur, componat.*

CXXIX. *V. Si quis per induſtriam Epiſcopum occiderit, juxta id quod apud Theodonis villam à XXXII Epiſcopis decretum eſt, & quod ibi à nobis & à Primatibus totius Germaniæ & Galliæ, benignâ collaudatione, collaudatum & ſubſcriptum eſt, pœniteat, & pecuniam à nobis conceſſam Eccleſiæ viduatæ perſolvat.*

CXXX. *Et hoc de noſtro adjecimus, ut ſi quis in his ſupradictis Sanctorum Canonum noſtríque Decreti Sanctionibus, Epiſcopis inobediens & contumax extiterit, primùm Canonicâ ſententiâ feriatur; deinde in noſtro Regno beneficium non habeat, & alodis ejus in bannum mittatur. Et, ſi annum unum & diem in noſtro banno permanſerit, ad fiſcum noſtrum redigatur, & captus in exilium relegetur, & ibi tam diu cuſtodiatur & conſtringatur, donec coactus Deo & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfaciat, quod priùs gratis facere noluerat. Et, ſi omnibus vobis iſta placuerint, dicite.*

CXXXI. *Et tertiò ab omnibus conclamatum eſt. Placet. Et Imperator, & penè omnes Galliæ & Germaniæ Principes ſubſcripſerunt, ſinguli ſingulas facientes Cruces, & Eccleſiaſticus Ordo, Deo & Principibus laudes referentes, Hymnum, Te Deum laudamus, decantabant. Et ſic ſoluta eſt Synodus.*

VARIARUM GENTIUM LEGATIONES AUDIT FRANCOFURTI.

CXXXII. Imperator Triburiâ Francofurtum profectus eſt, *ibíque*, ut Annaliſta Laureshamenſis teſtatur, *generali Conventu congregato, neceſſaria quæque, & ad utilitatem Orientalium Regni ſui partium pertinentia, more ſolemni cum Optimatibus, quos ad hoc convocari juſſerat, tractari curavit. In quo Conventu omnium Orientalium Sclavorum, hoc eſt, Abotritorum, Soraborum, Wilſorum, Behaimorum, Marvanorum, Prædenecentorum, & in Pannonia reſidentium Avarum Legationes cum muneribus ad ſe miſſis excepit. Fuere in eodem Conventu & Legationes de Nordmannia, tam de parte Heriholti, quàm filiorum Godefridi. Quibus omnibus auditis atque dimiſſis, ipſe in eodem loco conſtructis ad hoc neceſſariis opere novo ædificiis, ſicut diſpoſitum habuerat, hyemavit.* Iſta paulò breviùs ſic complectitur Aſtronomus. *Ibi Conventum juſſit fieri circumjacentium nationum, omnium*

ſcilicet

ſcilicet qui trans Rheni conſiſtentes fluenta ditioni Francorum obediunt. Cum quibus de omnibus, quæ utilitati conducere viſa ſunt, pertractans, ſingulorum rebus congruè proſpiciebat. In eodem Conventu, Avarum Legatio munera afferens affuit. Miſſi Nortmannorum pacem renovantes & confirmantes non defuerunt. Quos auditos quum congruè remiſiſſet, in eodem loco præparatis, ut dignum erat & tempori congruebat, novo opere ædificiis, hyemavit. Et Theganus[a] diſtinctis verbis de eodem notat Imperatore, quòd hoc anno poſt Placitum Attiniacenſe *venit ad Franconofurt, ibique Natalem Domini celebravit.* AN. CH. 822.

[a] Cap. 29.

CXXXIII. ANSELMUS ARCHIEP. MEDIOL. OBIT.

Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus obiit hoc anno, quinto Idus Maii, ſepeliri voluit in Æde Ambroſiana in tumulo Bernardi Regis cui fuerat addictiſſimus. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodequadrageſimo [b] tumulus ille à loco, ubi poſitus olim fuerat, paululùm amotus eſt ac detectus, inventáque duo corpora, unum Bernardi Regis, alterum Anſelmi Mediolanenſis Archiepiſcopi. De utroque ſic Puticellus[c]. *Tumulo detecto, quin etiam ſolutâ ejuſdem compage, ſicut oportebat ut inde transferri poſſet, commodiſſimè quid ineſſet accuratiſſimèque inſpeximus, quin etiam propriis manibus contrectavimus. Marmoreo conditorio arca inerat è quernis & benè craſſis aſſeribus compacta, operimento clavis occluſo, & pice inſuper undique illita, ejúſque longitudo quatuor circiter erat cubitorum, latitudo autem duorum. Bina illic in longum jacebant hominum cadavera, nec ea putrefacta, quorum pellis, & caro, quia oſſibus inter ſe disjunctis arefacta adhærebat, propterea opobalſamo & aliis ejuſmodi odoramentis eadem medicata cenſuimus. Bernardi Regis cadaver illic fuiſſe dexterum, indicio & argumento fuit, quia à latere ipſius dextro Regium è ligno picto ſimul & aurato extaret ſceptrum, & quia Regio cadaver illud amictu indutum eſſet. Sericus & candidus & Damaſcenâ, ſicut hodie nos loquimur, arte contextus hic erat, necnon etiam ſuperadditis ornamentis ſericis & auro intextis in extremitate circumdatus, maximè autem in utraque anteriori. Tam ſinuoſus verò amplus & oblongus erat ejuſmodi amictus, ut non minùs quàm tricenas textilis ejus menſuras cubitales capere nobis videretur. Quà ſuberat cadaveri, jam putruerat; non ſic autem, quà ſinuatus illud hinc inde ambiebat. Simul etiam propè aderant multa ſericorum rubri coloris funiculorum fruſta, ſed, quem fuerint ad uſum; fruſtrà fuit à nobis inveſtigatum. Superſtites adhuc è corio rubro calcei utrumque pedem contegebant, iidémque ligneam quiſque ſoleam hinc inde coriaceis inſutam habebant. Tam verò aptè priſéque ad ſuum quiſque pedem juxta ordinem digitorum congruebant, in acutum versùs primorem digitum deſinentes, ut calceus dexter non niſi dextro pedi, quamdiu integer ille erat, ſiniſtérque ſiniſtro adaptari potuiſſet. Ceterùm quiſque calceus duabus tantùm corii partibus invicem conſutis pedem ita contegebat, ut anterior corii pars in ſuprema versùs crura extremitate aliquantulùm ſciſſa in longum eſſet, illíque pedi ligamine adſtringeretur ad eum prorſus modum, quo ruſticana hodie calceamenta factitari ſolent. Sed & Bernardi pedibus ita calceatis aurata induerant calcaria ex ære, quod nos vulgò Rame nominamus. Figuræ tamen illa erant parum admodum ab hodiernis & noſtratibus diverſa. In exterioris cornu extremitate parvum erat & rotundum foramen, è quo ſuperne fibula, infernè autem anſula, eodem ex ære pendebant, anſulæ conſita clavicula erat corrigia è corio rubri pariter coloris, quæ de ſub pede per alterum inferioris cornu foramen modicè longum deducta, & illi fibulæ inſerta calcar pedi adſtringebat. Rotula verò è calcaris dorſo modicè prominens ſenis & perbrevibus circùm radiis acuminata vergit deorſum. Hæc ad Bernardi Regis cadaver ſpectantia. Quæ verò ad alterum ipſi adjacens, ſunt ejuſmodi; Epiſcopalis nempe tum mitra ad caput, tum etiam baculus ſed ligneus ad latus dexterum, itémque annulus ex argento & gemmatus & auratus. Hoc ipſum cadaver è Majorum traditione accepimus Archiepiſcopi eſſe Anſelmi Bernardo addictiſſimi, ut propterea cum ipſo etiam mortuus condormiſſere voluerit. Talibus ergo amborum exuviis unà cum cineribus ex arca extractis, marmoreus tumulus & arca in eum tranſlata fuerunt locum, ubi nunc ſunt. Cúmque ſolemne officium pro eorum defunctorum ſalute ab univerſo Monaſterii Conventu*

[b] Ughell. Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiep. Mediolan. 93.

[c] Num. 40.

AN. CH. 822. *celebratum fuiſſet, Abbas noſter eum ipſum locum ritè benedixit, quæve omnia priùs inerant arcæ, illic eodem quo priùs ordine compoſita & benè occluſa fuerunt, calcaribus exceptis, quæ mihi ego retinui.* Hæc ille. Anſelmo ſucceſſit in Archiepiſcopatum Bonus ſeu Donus, *acerrimus*, ut Ughellus teſtatur, *Juriſdictionis Eccleſiaſticæ defenſor.*

SUCCEDIT DONUS.

CXXXIV. EYSTETTENSIUM EPISCOPORUM CHRONOLOGIA EXAMINATUR.

Agannus ſive Agaunus Eyſtettenſis Epiſcopus, qui propter innocentem ac ſanctiſſimam vitam zelúmque propagandæ fidei multùm laudatus invenitur, hoc eodem anno vitam terminavit octavo Idus Novembris. Eyſtettenſium Epiſcoporum Chronologiam in hunc annum rejecimus examinandam. Tres hactenus Eyſtettenſes Epiſcopos, Sanctum ſcilicet Willibaldum, Gerochum, & Agannum, memoravimus. Tomo ſuperiore Sanctum Willibaldum, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo ſublatum ex hac vita vulgaris opinio contendit, oſtendimus ſexto pòſt anno rebus humanis ereptum fuiſſe. Sancto Willibaldo ſucceſſit Gerochus. Hic apud Bruſchium fit Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſecundo, ſedet annos viginti, moritúrque anno Redemptoris octingenteſimo ſecundo, die, ut addit Bucelinus, ſecundâ Februarii. Sed annos illos viginti interpretare incompletos ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſeptimo ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum. Similiter, cùm in iiſdem Auctoribus legis Agannum Epiſcopatu gaviſum eſſe per annos ſeptemdecim, atque obiiſſe die ſextâ Novembris anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono, ſeptemdecim illos annos incompletos ordire ab anno Redemptoris octingenteſimo ſexto quo Gerochum mortuum dicimus, annóque claude Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo quo mortem Aganni conſignamus.

ADELUNGUS FIT EP. EYSTETTENSIS.

In hujus locum ſubrogatus eſt Adelungus, cui Bruſchius, Gretſerus & Bucelinus annos in Epiſcopatu duos ac viginti tribuunt, id eſt, ſecundùm noſtram computationem annos viginti-duos incompletos ab anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo ad annum Redemptoris octingenteſimum quadrageſimum-tertium. In ſubſequentibus Pontificatibus occurrent multa, quæ vulgarem deſtruent Chronologiam, noſtram verò firmiſſimè conſolidabunt.

CXXXV. EPISCOPI SPIRENSES.

In eadem provincia Moguntiacenſi mortuus eſt etiam hoc anno Benedictus Spirenſis Epiſcopus, ut Eyſengreinius, Bucelinus, aliíque Nomenclatores affirmant. Annis octo Diœceſim ſuam ſumma cum integritate morum ac vitæ ſanctimonia gubernavit, ideóque Sanctus ab Eyſengreinio nuncupatur. Ei ſucceſſit Hertinus, quem Bucelinus Bertinum vocat.

CXXXVI. ECCLESIA S. MICHAELIS CUM COEMETERIO MONASTERII FULDENSIS DICATUR AB HAISTOLFO ARCHIEP. MOGUNTINO.

Nec hoc anno illaudatus abibit Haiſtolfus Moguntiacenſis Archiepiſcopus, cùm enim pro muneris ſui conditione Diœceſim obiret, cœmeterium Fuldenſis Monaſterii dedicavit. Ægil Abbas aream ſatis amplam ſepulturis Monachorum in colle Septemtrionario deſcripſit, ibique conſtruxit Eccleſiam elegantis operis figurâ rotundâ. Fuit autem hoc ſtructuræ genus. A crypta ſubterranea moles aſſurgebat arcubus circumdata, mediam columna fulciebat unica, ſupra cryptam attollebatur fabrica octoſis in orbem columnis, hujus corona fornix ex grandi ſaxo quod pro vertice parietibus ſummis incumbebat. Hujus fabricæ Myſterium accipe ex Candido. Ægil vivi Templi Chriſtianorum Eccleſiæ quamdam imaginem ſibi propoſuit; unica columna, quæ totam molem ſuſtinet, Chriſtum Dominum noſtrum ſignificat, cui tanquam columnæ ceteri firmiùs innituntur, ſi modò ſe magiſtro ſuo commendant iis virtutum actionibus, quas octo beatitudinum inſigni præconio Chriſtus ipſe complexus eſt; deinde opus univerſum uno ſuperimpoſito ſaxo conſummatur, ut poſteri recordentur illum, qui cæleſtium munerum fons & auctor opus bonum inchoavit, id & in cælis perfecturum non ſimplici quadam beneficentiæ gratiâ, ſed magnâ quadam & ubere bonorum omnium exaggeratione, quæ per orbis figuram adumbratur. Idem Auctor in ſuo Poëmate totam ædificii ſtructuram ſic delineavit.

Digitized by Google

Fratrum conſilio parvam, quâ corpora fratrum
Hinc defuncta jacent, devotè namque rotundam
Condidit Eccleſiam; latitans quâ pervia crypta
Sub tellure jacet, unâ quæ ritè columnâ
Incipit, ac ſuprà octonis ſubjecta columnis
Perpulchrè in ſummo lapide concluditur uno.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6.

Hanc Sancti Michaelis Eccleſiam, unà cum tribus Altaribus, quæ Ægil indidem erexerat, Haiſtolfus Archiepiſcopus dedicavit decimo-octavo Kalendas Februarii. Rabanus enim in ſuo Martyrologio ſic ad illum diem apud Caniſium [a]. *In Monaſterio Fulda Dedicatio Eccleſiæ Sancti Michaelis.* Ejuſdem Dedicationis memoriam & Altarium epigraphas, teſte Candido, ſic idem deſcripſit Rabanus. *Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXII. *Indict.* XV. *dedicatum eſt hoc Cymiterium ab Heiſtolfo Archiepiſcopo Moguntiacenſis Eccleſiæ, menſe Jan.* XVIII *K. Feb. in honorem S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Evangeliſtæ, S. Abundi Martyris, & S. Amandi Confeſſoris, & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum atque Confeſſorum Chriſti.*

PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6. CXXXVII.

[a] Tom. 6. antiq. lect.

Sequuntur Verſus Rabani pro primo Altari. CXXXVIII.

Hoc Altare Deo dedicatum eſt maximè Chriſto,
Cujus hic tumulus noſtra ſepulchra juvat.
Pars montis Sinai, Moyſi & memoratio digna,
Hîc Chriſti Domini eſt & genitale ſolum.
Hîc Michael Princeps; Domini Symmyſta Joannes,
Victoréſque foci tres ſimul & pueri.
Privatus Martyr, pariter & Habundius ipſe
Suſcipiunt vota, atque Deo referunt.
Sulpitius Præſul, ſimul & Confeſſor Amandus,
Hîc Monachus Mammas, hîc ovat & Simeon.
Cum quibus hîc ſemper votis adſiſte, precamur,
Virgo ſacrata Deo Martyr Anaſtaſia. CXXXIX.

Pro ſecundo Altari.

Hîc Anianus adeſt, Martyr Deſiderius, atque
Rex Siſemundus ovat, Geneſiúſque ſimul.
Tu quoque Chriſtophore noſtris pie mentibus adſis,
Cúmque tuis ſociis ipſe juvato preces.

Pro tertio Altari. CXL.

Paulinus Præſul, Briſius quoque, Perpetuúſque,
Sanctus & Iſidorus, Martialíſque Pater.
Hanc Aram meritis ſemper vivacibus ornant,
Adſiſtunt precibus quas pie quique dabunt.

Iſti Dedicationi diu ſuperſtes haud vixit Ægil Abbas, obiit enim hoc eodem anno, ut teſtatur Annaliſta Fuldenſis, cujus ad hunc annum hæc ſunt verba. *Eigil Abbas Fuldenſis Cœnobii defunctus Rabanum ſucceſſorem accepit.* Adſtipulatur ad hunc annum Hermannus Contractus in editionibus Urſtiſiana & Caniſiana, ſic. *Fuldis Eigil Abbas obiit. Cui Rabanus vir doctus & divinorum librorum tractator egregius ſucceſſit.* Et Marianus Scotus, Fuldenſis quondam Monachus, in tertio libro Chronicorum ad hunc annum, ſic. *Eigil Fuldenſis Abbas obiit. Rabanus ſibi ſucceſſit.* Vitam Ægilis in literas retulit qui ſæpè jam citatus eſt à nobis Candidus Rabani diſcipulus. Poſtremam operis partem accipe. *Venerabilis Pater correptus morbo cæpit acriter infirmari, qui cùm dehinc mortis ſuæ tempus cerneret imminere, rogabat ſe orationis gratiâ ducere in cimiterium, cujus ſuprà fecimus mentionem. Poſteà namque accepto ſarculo deſignavit locum ſepulchri ipſius in Orientali parte cimiterii, &, ut valuit, pro infirmitate ipſe primus terram percutiens fodit. Sarcophagum verò in locum monumenti aptavit, in quo ſe poſt obitum ejus condere humili ſupplicatione popoſcit. Inde igitur, cùm eſſet reductus in domum, decidit deſperatus in lectum: &*

CXLI. ÆGIL ABB. FULDENSIS OBIT.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

cognovit, quia moriturus. Quod cùm audiſſent Fratres, venerunt viſitare eum, atque pro exitu animæ illius preces fundere Deo: quibus conſpectis, gratulabatur in adventu eorum, & in oratione ipſorum delectabatur anima ejus. Intereà namque rogabatur à Fratribus, quò purior de hoc mundo migraſſet; quamvis occultâ confeſſione & dignâ pœnitentiâ purgaretur, ut ſi quem læſerat, veniam poſtularet; vel ſi à quodam læſus fuiſſet, ſimpliciter remiſſionis indulgentiam daret. Commonitionem itaque Fratrum libenter audiens, ait, ſi quem, inquit, læſi, humili ſupplicatione veniam rogo; &, ſi à quoquam læſus fuiſſem, dimittat illi Deus, & ego veraciter illi ex intimo corde dimitto. Cúmque enim hæc verba jam moriturus expleſſet commendabat ſe Deo, & precibus Fratrum ſuorum; atque in lectum corpore congregato, ſpiritum exhalavit. Quo viſo pérterriti Fratres, & jam tunc in anguſtia poſiti, ob Patris interitum ſuſpirabant; ſcientes qualem habuerant patrem, & neſcientes qualem accepturi fuiſſent. Nemo enim, frater Modeſte, cognoſcere poteſt, niſi ille ſolus, qui hoc experimento cognovit, qualis plerumque filiis miſeria eſt, quòd eis legitimus pater aufertur, & vitricus conſequenter infertur; propria mater occumbit, & noverca ſuccedit; quod apertè manifeſtabant illa duæ mulieres citra infantem vivum litigantes in judicio Salomonis Regis Hieruſalem. Fratres verò, poſt hæc, ſecundùm conſuetudinem patrum tulerunt corpus chari ſenioris; & cantantes atque orantes in Eccleſiam deferebant; & ibi oratione completâ, levaverunt corpus ejus, & ſepeliernnt in ſepulchro, quod ipſe ſibi paraverat vivens, fidem habens reſurgendi in die adventûs Domini noſtri Jeſu Chriſti.

CXLII. SUCCEDIT RABANUS. Rabanus poſt Ægilem factus Abbas, deceſſoris epitaphium condidit, in quo Tranſlatio Sancti Bonifacii Martyris & Dedicatio Fuldenſium Eccleſiarum ſuprà deſcriptæ memorantur.

Ingrediens, Lector, perparvi domatiù antrum,
Cerne legens Titulum, noſcéque facta viri.
Abbas ille fuit famoſi nominis Ægil,
Qui jacet in tumulo, ſed ſuper aſtra manet.
Hoc quoque Cœnobium rexit feliciter ipſe,
Multáque facta bona ritè peregit ovans.
Martyris ergo ſacra cum Præſule tranſtulit oſſa,
Ac binas pariter hæc dicat Eccleſias.
Poſthac alta petit, animámque ad ſidera miſit,
Corporis infirmi membra locavit & hîc.
Huic quoque Hrabanus vilis ſucceſſor amando
Conſcripſi hunc tumulum; Chriſtus utroſque juvet.

CXLIII. ARNO ARCHIEP. SALISBURG. OBIT. In Bojoaria vitam clauſit Arno Saliſburgenſis Archiepiſcopus nono Kalendas Februarii. De die convenimus cum Hundio in Archiepiſcopis Saliſburgenſibus [a], cum Bollando in notis ad vitam Caroli Magni [b], & cum Adlzreittero in Annalibus Boicæ gentis [c]. At in anno diſſentimus, niſi dicas hos Auctores ac Brunnerum [d], apud quos annus Redemptoris octingenteſimus viceſimus-primus legitur, ſecutos eſſe vetus aliquod monumentum, in quo principium anni ducebatur à Paſchate. De ſucceſſore ſic Hundius. *Ammilonius, aliàs Amilon, Abbas Sancti Petri, ſecundus Archiepiſcopus Juvavienſis* ſeu Saliſburgienſis, *vix ſeſquiannum præfuit.* Adlzreitterus Hundium ſic interpretatur. *Arno Infulas reliquit Ammiloni, quem ex Abbate Sancti Petri Sedes Archiepiſcopalis accepit, & vix ſeſquiannum retinuit.* Supponit hic textus Ammilonem, priuſquàm Archiepiſcopus fieret, Abbatem fuiſſe Sancti Petri Saliſburgenſis, idque nobis alienum à vero non videtur, licet ignoremus annum, quo regimen illius Monaſterii dimiſſum fuit ab Arnone. Bucelinus in Germania Sacra non aliter cenſet. *Ammilon*, inquit, *ſive Ammilonius in Abbatia primùm deinde etiam in Archiepiſcopatu ſucceſſit.*

[a] Num. 10.
[b] D. 28. Jan.
[c] Part. 1. l. 9. n. 26.
[d] Lib 6. n. 5.

SUCCEDIT AMMILONIUS ABB. S. PETRI.

CXLIV. In eadem Bojoaria commendatur ab Hundio *Reginarius aliàs Reinharius, Rinharius vel Reginardus dictus, anno 818 electus in Epiſcopum Patavienſem, & anno 822 in Epiſcopum ordinatus ſecundùm Annales.* Cur ejus ordinatio per

quadriennium dilata ſit, jam notavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum duodeviceſimum, quo Patavienſis Epiſcopus Urolphus in Avariam & Moraviam perrexit, ut illarum provinciarum populis Evangelium prædicaret. Addit Hundius *ſcriptum* eſſe *in Catalogo Epiſcoporum* Patavienſium, *quòd* Reinharius *cùm Arnone Archiepiſcopo Salisburgenſi pro Pallio decem annis contenderit, contra quem Arno quendam Baturicum in Epiſcopum Patavienſem ordinaverit, ſed Reinharium à Summo Pontifice Paſchali Primo, ſexto anno Pontificatûs ſui, qui fuit 822, Romæ cum Pallio in Archiepiſcopum ſolenniter ordinatum, ſediſſe Pataviæ ut Archiepiſcopum decem annis.* Id autem totum inter fabulas proximè rejicit, *cujus*, inquit, *Joannes Aventinus non meminit, neque aliud ullum documentum hujus rei extat, ac, ut ſuprà dictum eſt, Reinharium hunc in Diplomatibus non reperio Archiepiſcopum, ſed ſolùm Epiſcopum Patavienſem nominari.* Brunnerus quæ deſcripta ſunt ab Hundio ex Epiſcoporum Catalogo, partim probat, partim reprobat; Baturicum Epiſcopatu potitum non inficiatur, at negat Archiepiſcopi Titulum Reginhario collatum fuiſſe. *Anno* ſeculi noni *viceſimo-ſecundo Batavenſem Cathedram Reginharius inſcendit, cùm, Arnone vivo, ut Tabulæ illius Eccleſiæ teſtantur, jus ſuum obtinere non poſſet. Nam cùm Arnoni de Archiepiſcopali Dignitate litem moveret, ille Baturicum interim ſubrogandum curavit, verùm, Arnone mortuo, non modò Sede ſuâ potitus, ſed Pallium inſuper Archiepiſcoporum inſigne à Paſchali Pont. impetraſſe iiſdem Tabulis perſcribitur. Sed hoc poſterius manifeſtè vanum eſt, cùm vetuſtis Diplomatibus nunquam nomen Archiepiſcopi præfigatur, ſuperſunt enim Ludovici Bojariorum Regis literæ, quibus Reginhario Epiſcopo in Avarum terris poſſeſſiones aſſignat.* Adlzreitterus à Brunnero non diſcrepat. Nos neutri ſuffragamur, ſtamus enim ab Hundio, qui nec Baturicum Paravienſibus Epiſcopis accenſet, nec Reginario nomen Archiepiſcopi tribuit. Anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, cùm Urolphus Patavienſis Epiſcopus in Avariam & Moraviam ſtudio propagandæ extra Bojoariam fidei profectus eſſet, Reginarius, ne Patavia Pontifice diu careret, deſignatus eſt illius civitatis Epiſcopus, tamen ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum non eſt ordinatus, poſtquàm certiſſimè conſtitit Urolphum ad Eccleſiam Patavienſem non rediturum, quoniam Hunorum Moravorúmque copioſa multitudo feliciter Chriſto ſe ſummittebat. Teſtes Epiſcopatus, Favianenſis, Speculunenſis, Nitravienſis, & Vetuarenſis, tunc erecti, de quibus poſt biennium fuſiùs ex literis Eugenii Papæ, qui ſedere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto. Sic autem conventum exiſtimamus inter Urolphum & Reginarium annuente Metropolitâ Saliſburgenſi, ut Epiſcopatus Laureacenſis & Patavienſis, qui per annos centum ſexaginta-duos ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſub novem Præſulibus, Brunone, Theodoro, Vivilone, Sidonio, Anthelmo, Wiſcario, Walderico, Hattone, & Urolpho, ſimul uniti fuerant, iterum disjungerentur, eâque disjunctione factâ Reginarius ordinaretur Epiſcopus Patavienſis, Urolphus verò Laureacenſem Diœceſim regeret cum jure Metropolitico, *quò majori cum dignitate*, inquit Velſerus, *Evangelii cauſam apud barbaros tractaret.* E novem Pontificibus, qui Laureacenſem & Patavienſem Epiſcopatus ſimul geſſerunt, ſeptem, nempe Bruno, Theodorus, Vivilo, Sidonius, Anthelmus, Wiſcarius, & Waldericus, Metropolitæ totius Bojoariæ per annos duos ac triginta ſupra centum fuerunt ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, quo Metropolitana Sedes poſt Anſologi Saliſburgenſis Metropolitæ mortem Saliſburgo Pataviam tranſlata eſt, ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum, quo jus Metropoliticum Eccleſiæ Saliſburgenſi poſt Walderici Laureacenſis ſeu Patavienſis Metropolitæ mortem reſtitutum eſt. Hoc autem anno, quo Reginarius conſecratus eſt Patavienſis Epiſcopus, provincia Saliſburgenſis, quæ per Bojoariam & Carantaniam protendebatur, imminuta fuit Laureaco, cui Metropolitana quoque dignitas eſt

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

REGINARIUS ORNATUR EP. PATAVIENSIS.

UROLPHUS ARCHIEP. LAUREACENSIS.

AN. CH. 822. collata, ſubditique complures Epiſcopatus in Avaria, in Moravia, in Pannonia, & in Moeſia, cùm recèns erecti, tum deinceps erigendi.

CXLV. ABBATES S. EMMERAMMI.

Richpaldus Sancti Emmeramni apud Reginoburgum Abbas hoc anno vitam claufit, cùm ad Ludovici Auguſti Comitatum proficiſceretur. Succeſſit Sigefridus. Utriuſque meminit Hundius in Metropoli Saliſburgenſi [a]. Tunc Reginoburgenſis Epiſcopus erat Baturicus, cujus nomen Catalogo Patavienſium Epiſcoporum perperam inſertum fuit, ut dictum ſuprà.

[a] Tom. 2.

CXLVI. BATURICUS EP. REGINOBURGENSIS.

Anſovinus hoc eodem anno factus eſt Epiſcopus Camerinenſis, Epiſcopatum enim annis geſſit octodecim, ut Eginus Monachus in ejus vita teſtatur, obiitque anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo, ut aſſerit Ughellus [b]. Eginus vitam Sancti Anſovini, ſive, ut vocat, Anſuini ſcripſit dicavitque Petro Camerinenſi Epiſcopo, quem Baronius ad annum Chriſti nongenteſimum ſexageſimum-tertium laudat. Illam publici juris fecit Henſchenius [c] ex Codice Vallicellano, ſed in principio deeſſe nonnulla, quæ geſta ſunt ante Pontificatum, non vanâ ſuſpicatus eſt conjecturâ, quapropter præmittendas cenſuit Lectiones Officii, quas Eccleſia Camerinenſis ita recitat. *Anſovinus Camerini in Umbria natus, Eccleſiaſticis muneribus à puero addictus, cùm literis eſſet non mediocriter eruditus, Sacerdotio demùm eſt initiatus. Vixit eo in gradu inſigni modeſtiâ, admirabili abſtinentiâ & vitæ integritate. Solitudinem deinde, ut Deo liberiùs vacaret, adamavit, quam pluribus annis prope Caſtrum Raymundi omni virtutum genere excoluit. Ad templum ſacrificandi causâ properans, flumen ſtrato ſuper aquas pallio trajecit, cùm verò ſacrificantem Solis radii interpellarent, ſuſpenſo ipſo in aere linteolo, mirabiliter umbram invenit. Expetitus à ſuis in Epiſcopum, Romam pergit; reverſus, difficile dictu eſt, quanta cum laude munus impoſitum geſſerit. Nihil eo mitius, nihil temperantius excogitari poterat. Summum in illo precandi ſtudium, accuratiſſima in paſcendo grege diligentia, effuſa in pauperes benignitas. Horrea ipſa ſolitus eleemoſynis exhaurire, cùm ſemel nihil frumenti ſupereſſe famuli renuntiaſſent, ſcrutari iterum juſſit non irrito eventu. Itaque horreum, quod beneficentia vacuaverat, fides replevit. Ægris quamplurimis ſanitatem reſtituit, ſolo Crucis ſigno graſſantis flammæ incendia reſtinxit. Nec viri Sanctitas hominibus modò perſpecta aut in admiratione erat, ſed muta etiam animantia eam, quâ poterant impensâ veneratione, intelligere videbantur. His aliiſque virtutibus atque ornamentis clarus, ætate jam longævus, tertio Idus Martii evolavit in cælum*, anno Redemptoris, ut ſuo loco dicemus, octingenteſimo quadrageſimo Caſtrum Raymundi diſtat Camerino ſeptem millibus paſſuum trans Potentiam flumen Septentrionem versùs; juxta quod Jacobillus vicum Torricellæ collocat, in quo Sanctus Anſovinus eremiticam vitam duxit; atque inde facile eſt definire quis ſit ille fluvius, quem ſuo pallio inſtratum tranſiit, cùm iret ad Miſſæ ſacrificium celebrandum. Apud Eginum Anſovinus nondum Epiſcopus ſit Ludovici Auguſti Confeſſarius, nec Epiſcopum ſe priùs ordinari patitur, quàm pactus ſit immunitatem à militia. Ughellus in gratiam Anſovini ſancitum ait Imperatorio Diplomate, ne deinceps Epiſcopi tractarent arma. Henſchenius arbitratur id ab Ughello laxiùs accipi, quódque ſoli Anſovino conceſſum fuit, ad omnes Epiſcopos temerè referri. Nos nec Ughello nec Henſchenio ſuffragari poſſumus, quia quod ab Egino ſcriptum hoc loco fertur, nullius apud nos eſt auctoritatis, perverſum enim morem, de quo queſtus apud Ludovicum Auguſtum dicitur Anſovinus, à Carolo Magno ejuſdem Ludovici patre jam ſublatum remur. Lege Tomum ſuperiorem ad annos octavi ſeculi octogeſimum-primum [d], octogeſimum-ſeptimum [e], & nonageſimum-nonum [f].

[b] Tom. 1. Ital. Sacr.
[c] D. 13. Mart.
[d] Num. 114.
[e] Num. 14.
[f] Num. 48.

CXLVII. HERILANDUS EP. VIRODUN. OBIT.

Herilandus Virodunenſis Epiſcopus hoc anno vitam terminavit. Annos ſedit quatuor. Lege ſuprà quæ dicta ſunt ad annos Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [g] & octingenteſimum duodeviceſimum [h]. De Herilando ſic ſcribit Bertharius [i]. *Herilandus ſuſcepit iſtum locum*, nempe Virodunenſem Epiſcopatum, *vir multùm ſimplex & ultra modum infirmus, cujus*

[g] Num. 345.
[h] Num. 22.
[i] Num. 16.

Digitized by Google

etiam tempore multa mala perpeſſa eſt iſta Eccleſia. Poſt viginti-quatuor annos ſui Epiſcopatûs obiit Aquis, & eſt ſepultus juxta Auſtrannum in Baſilica Sancti Vitoni. Bertharium penè ad verbum tranſcripſit Hugo Flaviniacenſis, ſic. *Herilandus ſuſcepit Virdunenſem Epiſcopatum vir multùm ſimplex & ultra modum infirmus; & hic expletis in Epiſcopatu annis ſeptem obiit Aquis, & relatus inde ſepultus eſt juxta Auſtrannum in Baſilica Sancti Vitoni.* Apud hos Auctores, expunctis annis Epiſcopatûs, ſeu ſeptem, ſeu viginti-quatuor, reponendi ſunt anni quatuor. Cetera veritati conſonant. Waſburgius multis ſcatet fabulis, imprimis ait Herilandum Viroduno Aquiſgranum fugiſſe ne caderet in manus Bernardi Regis Italiæ, quid magis alienum à vero fingi poteſt? Ludovicus Imperator, ut ex ejus Diplomatibus ſuprà deſcriptis conſtat, Aquiſgrani per menſes Aprilem ac Maium hoc anno morabatur. Illuc Viroduno profectus eſt Herilandus, atque in ipſo Ludovici Comitatu vitam clauſit. Tranſeamus ad ſucceſſorem. *Defuncto iſto,* inquit Bertharius [a], *abiit pars Cleri & plebis ad Ludovicum Imperatorem, & petierunt ſibi dari Hildinum de Alemannia, virum bonum & ſanctum, qui conſtruxit multas Eccleſias in iſto Epiſcopatu, & multa bona operatus eſt.* Eadem ſcribit Hugo Flaviniacenſis, ſed perperam notat annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum, cujus loco reſtitui debet octingenteſimus viceſimus-ſecundus.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

[a] Num. 17. SUCCEDIT HILDINUS.

Si nec mutilus eſt Redonenſium Epiſcoporum Catalogus, nec interpontificio laboravit Eccleſia Redonenſis, ætatem valdè longævam duxit Auriſmundus, cujus obitus hoc anno in Armorica Sancta poſt annos Epiſcopatûs undeſexaginta conſignatur.

CXLVIII. AURISMUNDUS EP. REDONENSIS OBIT.

Illis temporibus florebat in Diœceſi Remenſi Benedictus Abbas Sancti Baſoli, de quo ſic Flodoardus [b]. *Tempore Domni Ebonis Archiepiſcopi, ejus ordinatione quidam vir religioſus, Benedictus nomine, Abbas conſtituitur hujus Abbatiæ. Qui cum modeſtia familiam Sancti Baſoli tractans, & in ſimplicitate Domino ſerviens, diverſis Eccleſiam donariis ornavit, & poſt non modica vitæ ſuæ ſpatia divinâ præceptione vocatus ad Dominum tranſiit.*

CXLIX. [b] Lib. 3. c. 3. ABBATES S. BASOLI.

Succeſſit Spernus ejus frater, de quo ſic idem Auctor. *Frater cognomine Spernus Abbas in eodem loco ſubrogatur, qui moribus fratri diſſimilis, & diræ facibus ardens cupidinis, dum temulentus aliquando ſederet, cæpit dicere, quòd frater ſuus de illa Abbatia nihil boni ſciverit habere, præcipiens villarum procuratoribus in craſtinum ſibi ruricolas exhibere, quos variis faceret ſuppliciis torqueri, ut facultates ipſorum ab eis poſſet extorquere. Audientes ergo villarum incolæ, quanta intentabantur ſibi pœna, omnes Sancti Baſoli ſuppliciter expetunt ſuffragium, ne tam crudeli lanio traderentur ad dilacerandum, lugubréſque in gemitu pernoctantes non ceſſabant Sancti Baſoli implorare ſolatium. Nec renuit audire Sanctus Domini querelas ſuæ plebis. Nam facto mane Spernus idem reperitur mortuus, quem lecto nitentibus extrahere ſuis crepuit medius, tantúſque fœtor eundem locum replevit, ut nemo inibi remanere voluerit. Sicque familia Sancti Baſoli trepidatò eripitur defenſa ſuppliciis.*

CL.

Hoc anno, *Vinigiſus Dux Spoletanus jam ſenio confectus, habitu ſeculari depoſito, Monaſticæ ſe mancipavit converſationi, ac non multò poſt tactus corporis infirmitate deceſſit. In cujus locum Suppo Brixiæ civitatis Comes ſubſtitutus eſt,* ut teſtatur Annaliſta Laureshamenſis.

CLI. DUCES SPOLETANI.

Referri quoque debent ad hunc annum, quæ de Walcando Leodienſi Epiſcopo & Andainenſi Monaſterio in vita Sancti Huberti [c] memorantur. Ab aliquot annis cœperant undequaque in illum locum *Religioſitatis cultores confluere, & maximè nobiles ex Monaſterio Sancti Lamberti,* ſive ex Leodienſi Baſilica, *qui Apoſtolicæ,* id eſt, Monaſticæ, *vitæ deſiderio accenſi erant, illuc convolare, viriliter ejus Ordinis,* nempe Monaſtici, *vitam, morum actuúmque probitatem tenere. Qui poſtquàm detritâ ſanctæ converſationis viâ, quæ olim ſibi fuerant aſpera, Chriſto ductore cœperunt fieri levia, augmenta ſuæ perfectionis & devotionis requirentes, adierunt præfatum Venerabilem Antiſtitem Walcandum,*

CLII. [c] Ap. Sur. d. 3. Novembr. TRANSLATIO S. HUBERTI POSTULATUR A MONACHIS ANDAINENSIBUS.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

uti Beatiſſimi Huberti Præſulis oſſa eis à loco ſepulturæ permitteret transferre, & in Cellam ſuæ habitationis ob ſui conſolationem & Confeſſoris Domini ampliorem honorem tranſportare. Qui vocis eorum petitionem, ut pius Pater, clementer audivit, indignúmque locum, in quo ſancta membra jacebant, tanto Confeſſore judicavit. Sed piam petitionem eorum impleri poſſe atque debere non abnuit. Attamen ne incautè ac paſſim levitatis errore dictante id feciſſe videretur, fermè tribus annis eorum petitionem diſtulit, ad annum videlicet Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum, quo Tranſlationem illam conſignabimus. In textu proximè recitato vitam Apoſtolicam interpretare cum Surio Monaſticam, quia vita Monachorum imitatur eam, quam Hieroſolymis inchoarunt Apoſtoli, quando, ut Beatus Lucas in Actibus Apoſtolorum [a] ſcribit, *omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia.*

[a] Cap. 2.

CLIII. ADALOCHUS EP. STRASBURG. ECCLESIAM COLLEGIATAM S. THOMÆ INSTITUIT.

Wimphelingius, Bruſchius, & Guillimannus, qui Catalogos Argentinenſium ſeu Straſburgenſium Epiſcoporum texuerunt, in hoc conveniunt unanimi conſenſu, quòd Adelochus ſive Adalochus Epiſcopus Monaſterium Sancti Thomæ ſeu Scotorum Monachorum auxit, atque in Collegium Canonicorum mutavit. Wimphelingius encomium Adelochi ſic orditur. *Hic Eccleſiam Collegiatam Sancti Thomæ inſtituit, cùm anteà exiguum clauſtrum à Scotis Monachis Religioſis inhabitatum fuiſſet; ac plurimis bonis dotavit anno Chriſti octingenteſimo-triceſimo.* Pauciora ſcribit hoc loco Bruſchius abſque nota Incarnationis Dominicæ. *Adelochus Scotorum Cœnobium ad S. Thomam mutavit in Canonicorum Collegium.* Fuſiùs exſpatiatur Guillimannus, adjecto non determinatè ſed circiter anno DCCCXXX. *Adalochus labantem ætate & inopiâ Ædem ſacram & Monaſterium S. Thomæ reſtituit, aut, ut vult Jacobus Regiovillanus, à fundamentis excitavit novam, eamdémque auxit & locupletavit, pro Monachis Canonicos inſtituit circa ann. D. N.* DCCCXXX. *Sepultus eſt ibidem ſaxo evecto prope princeps Altare. Ejus memoriam tanquam ſecundi fundatoris, haut minùs atque S. Florentii, qui Scotos Monachos eò priùs induxerat, poſteri Canonici percoluere.* Bucelinus in Epiſcopis Argentinenſibus Adelochi quoque munificentiam erga Monaſterium Sancti Thomæ commendat, ſed, quia Monachus eſt Benedictinus, Canonicos pro Monachis illic inſtitutos omittit. *Adelhous, Adelochus, vulgò Adelhoc, Monaſterium Scotorum Ord. noſtri S. Thomæ dictum locupletat. Obiit 840.* Anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, ut ex Imperatoris Ludovici Diplomate probavimus, in Argentinenſi Cathedra ſedebat Adalochus; Pontificatum geſſit annis decem, ut Wimphelingius & Guillimannus teſtantur, ad ſummum duodecim ut Bruſchius & Bucelinus contendunt, ergo nec vitam clauſit anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo, nec ſuperſtes in vivis erat anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo. Pontificatum illius decennio circumſcribimus ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum, ſub cujus initium Bernaltus ſedere cœpit priùs ad Epiſcopatum promotus quàm Victor Curienſis Epiſcopus illo anno moreretur. Hæc ratiocinatio Chronologica nos adducit, ut quæ præcitati Scriptores in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum rejecerunt, ea citiùs ad hunc annum reparatæ Salutis octingenteſimum viceſimum-ſecundùm, Adalochi Epiſcopi ſeptimum, referamus.

CLIV. PRÆCEPTUM PRO MON. ELNONENSI. ADALEODUS ABB. ELNONENSIS.

In priori parte quarti Seculi Benedictini, quæ nudiuſtertius in lucem prodiit, Joannes Mabillonius hoc Ludovici Auguſti Præceptum ex Elnonenſi Tabulario publicavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Cùm locis divino cultui mancipatis ob divinæ ſervitutis amorem opem congruam ferimus, & Regium morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda veraciter credimus. Idcircò notum eſſe volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia adiens Serenitatem Culminis noſtri Vir Venerabilis Adaleodus Abba Monaſterii Sancti Amandi*

*unà cum Aldrico Miſſo noſtro, quem ad prædictum Cœnobium direximus ad ordinem Regulæ Sancti Benedicti confirmandum, ſuggeſſerunt Manſuetudini noſtræ, qualiter Congregationi Confeſſoris Chriſti Amandi aliqua de rebus & villis ejuſdem Eccleſiæ deputare & confirmare ad uſus & neceſſitates illorum præjudicaremus. Ideóque ad precationem vel ſuggeſtionem prædictorum Abbatum, Adaleodi videlicet & Aldrici, immo ob emolumentum animæ noſtræ, conjugis, atque prolium noſtrarum, res ſubter annotatas prædictis Fratribus & Congregationi Sancti Amandi ad victum, veſtimenta, & calciamenta, ſeu etiam ceteros uſus & neceſſitates ipſorum, tradere & confirmare decrevimus, & ſuper hanc ceſſionis auctoritatem hos noſtros Imperiales apices fieri decrevimus atque jubemus, ut abhinc in futurum à nobis & noſtris Deo diſpenſante, ſucceſſoribus, piis oraculis noſtris conſervanda mandavimus. Quod nos pro æternis capeſſendis præmiis & memorata Congregationi conſulendis neceſſitatibus feciſſe & conceſſiſſe veſtra cognoſcat Induſtria, ita dumtaxat ut quidquid de ipſis rebus, Deo donante, per bonum ſtudium potuerit haberi vel adquiri, totum in Fratrum ſine ulla ſubtractione uſibus cedat. Pari etiam noſtrâ Imperiali auctoritate præcipimus ac jubemus, ut nullus quilibet Sanctæ Dei Eccleſiæ, præſentium videlicet & futurorum, de prædictis & ſubter notatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium vel violentiam facere tentet, ſed potiùs ſine ulla ſubreptione, aut ſubtractione, vel diminutione, atque diviſione, liceat eas eidem Congregationi Monachorum Deo militantium cum omni integritate inviolabiliter abſque ulla calumnia & contradictione ſecuriter ac perpetualiter habere, poſſidere, & frui. Solummodo videlicet ad hoc, ſicut præmiſſum eſt, ſpecialiter à nobis ſunt pro mercede noſtra delegata & confirmata, ut nec humana poteſtas ſine ſui periculo diſcriminis poſſit eas convertere, ſed ſemper ſub Regali & Imperiali tuitione infrefragabiliter ſalva Fratrum uſibus conſiſtant, quatenus ejuſdem loci devotæ Deo amabili Congregationi pro nobis ac pro totius Imperii hujus ſtabilitate ac pace, noſtræ pietatis munere adjuti, Dominum propenſiùs exorare delectet. Et hæc nomina de ipſis rebus, quas illis dari decrevimus. In pago Bracbatinſi, in locis nuncupatis Baceroth *, Decla, Neoniſo, & Securiaco, manſi* XLVIII. *In pago Oſtrebantinſe, in loco qui dicitur Halciacus, cum appendiciis ſuis manſi* LVIII. *In pago qui dicitur Menpiſcus, in loco nuncupante Roſtar, cum appendiciis ſuis manſi* CXVIII. *Manſioniles circa Monaſterium* IV, *& piſcationem, atque Seoncurtem. Et in Flandras mariſcos* VIII. *Sed & in pago Laudunenſi Beriſiacum cum omnibus appendiciis ſuis. Inſuper cenſuimus etiam illis dari novam partem de omni ſupellectili ejuſdem Eccleſiæ per totas villas & poſſeſſionem ipſius Cœnobii Rectoris, id eſt, de annona, de legumine, de fœno, de formatico, de porcis, de poledris, de camſilis, de paſtis, de vino, de ovis. Et ut hæc auctoritas per futura tempora invielabilem obtineat firmitatem, manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovi. Data* III *Kal. Julii, anno Chriſto propitio* VIII (legendum VIIII) *Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* XV. *Actum Stratellâ villâ in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictio decima-quinta per menſem Junium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo convenit. At ſive à die quo Ludovicus Imperatorii Nominis particeps à patre Carolo factus eſt, ſive à die quo Carolus pater obiit, initium Imperii Ludoviciani repetas, annum ejuſdem Ludovici Auguſti non octavus ſed nonus per menſem Junium anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi viceſimi-ſecundi debet numerari.

* vulgò Baſarode

In hoc Diplomate duo celebrantur Abbates, Adaleodus & Aldricus. Adaleodus vocatur *Abba Monaſterii Sancti Amandi*. Cui Cœnobio præſit Aldricus, haud indicat Ludovicus. Hujus Aldrici mentionem hoc anno [a] per occaſionem jam fecimus, cùm de Hieremia Senonenſi Metropolita loqueremur, à quo Diaconus, deinde Preſbyter ordinatus eſt. Nonnulla diſtinctiùs hîc adnotabimus è vita, quam Joannes Mabillonius [b] noviſſimè publicavit. *Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quinto ab Incarnatione Domini, regnante*

CLV.

[a] Num. 3. ALDRICUS ABB. FERRARIENSIS.

[b] Sec. 4. Benedict. part. 1.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

AN. CH. 822. LUDOV. IMP. 9. LOTHAR. IMP. 6. PIPPINI R. 8. LUDOV. R. 6.

Carolo Magno, Beatus Aldricus in territorio Vaſtinenſi * *de Principis Palatinis extitit oriundus.* Vixit in Monaſterio Ferrarienſi ſub Abbatibus, Alcuino, Sigulfo, & Adalberto. Vitam clauſit Alcuinus anno Redemptoris octingenteſimo quarto. Sigulfus Abbatiale munus dimiſit ſub Ludovici Auguſti Principatu. Hieremias Senonenſes Infulas anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo ſuſcepit Adalberto Ferrarienſi tunc Abbate, Aldricum Monachum *ordine Diaconii inſignivit, poſteà verò delapſo biennio eum ad Sacerdotalem ſublimavit honorem.* Eundem Aldricum Ludovicus Auguſtus *Præceptorem Palatinum inſtituit*, ſeu Scholis Palatii præfecit ut jam interpretati ſumus [a], nec aliter ſenſit Mabillonius in ſuis ad ipſius Aldrici vitam adnotationibus. *Adalbertus Ferrarienſis Cœnobii Abbas eximius poſt quartum annum ſuæ adminiſtrationis à carnis ergaſtulo feliciter abſolutus eſt. Quo ſepulto, in Aldricum probatæ religionis virum, omnium unanimis & Canonica convenit electio, qui licèt piâ ſimplicitate reniteretur, ſe tanto apice indignum judicans, victus tamen protervâ Fratrum inſtantiâ, tandem eorum petitioni benignè adquievit. Quo audito, Venerabilis Auguſtus prædictæ electioni aſſenſum hilariter præbuit & favorem, & non ſolum Privilegia Abbatiæ ſuæ à prædeceſſoribus ſuis impetrata ſuâ petitione renovavit, ſed etiam nova eidem Monaſterio in poſterum profutura conceſſit.* Hic Auctor ſcripſiſſe creditur ineunte ſeculo undecimo, quia nulla Miracula poſt illud tempus à Sancto Aldrico facta memorat. Sibi non ſatis videtur conſtare, ſive Aldricum, quando ſit Diaconus, vocat adoleſcentem, ſive quando Preſbyter ordinatur, in ætate juvenili poſitum ſic aſſerit. *Hieremias ordine Diaconii illuſtrem inſignivit adoleſcentem; poſteà verò delapſo biennio, eum ad Sacerdotalem ſublimavit honorem. Accendebat enim diſcreta Præſulis diſpenſatio in ipſo morum maturitatem redimere, quicquid ætas juvenilis videbatur invidere.* Cùm Magnus Hieremiæ Senonenſis Archiepiſcopi deceſſor obiit, Aldricus annos natus erat tres & quadraginta, priùs igitur quàm ad Diaconatum & Preſbyteratum ab Hieremia promoveretur, ætate maturitatem morum eſt conſecutus. Chronologiam autem in rebus, quæ cùm ad Hieremiam Archiepiſcopum, tum ad Adalbertum & Aldricum Abbates ſpectant, ſic inſtituendam putamus. Adalbertus ſive Adelbertus anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Ferrarias regere cœpit cum Abbatis titulo, ut ad illum annum jam inſinuavimus [b]. Hieremias anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo Senonenſem iniit Pontificatum, & Aldricum eodem anno Diaconum, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo Preſbyterum ordinavit. Adalbertus, cui quadriennium in Abbatiali munere tribuitur, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo vitam clauſit. Huic eodem anno ſubrogatus eſt Aldricus, quem in Diplomate ſuprà deſcripto Ludovicus Auguſtus Abbatem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo prædicavit. Quod attinet ad Adaleodum & alios Abbates, qui temporibus Caroli Magni & Ludovici Pii Cœnobio Sancti Amandi ſive Elnonenſi Monaſterio præfuerunt, de illis inquiremus ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum poſt mortem Lotharii, qui Cuſtos ſive Ædituus illius loci fuit, & Sancti Amandi corpus elevavit Ernono tunc Abbate.

* *le Gaſtinois.*

[a] Hoc an. n. 3.

[b] Ad an. 17. n. 241.

ANNUS					AN. CH. 823.
CHRISTI	823.				LUDOV. IMP. 10.
LUDOVICI IMP.	10.				LOTHAR. IMP. 7.
LUDOVICI REG.	43.	18.	6.		PIPPINI R. 9.
LOTHARII IMP.	7.	1.			LUDOV. R. 7.
LOTHARII REG.	9.	1.			
PIPPINI III. REG.	9.	7.			
LUDOVICI REG.	7.				
INDICTIO	1.				

I. LOTHARIUS A PASCHALE PP. CORONATUR REX LONGOBARDIÆ ET IMPERATOR.

ANno DCCCXXIII, *Lotharius, cùm ſecundùm patris juſſionem in Italia juſtitias faceret, & jam ſe ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paſchale Papâ Romam venit, & honorificè ab illo ſuſceptus, in ſancto Paſchali die apud Sanctum Petrum & Regni* Longobardici *Coronam & Imperatoris Auguſti nomen accepit.* Verba ſunt Annaliſtæ Laureshamenſis. Apud hunc Auctorem Romanus Pontifex duo præſtat. Lotharium Italiæ ſeu Longobardiæ Regem anno priori jam à Ludovico patre dictum coronat, exemplo Hadriani Papæ, qui Pippinum Italiæ Regem à Carolo patre jam vocatum Romæ inunxit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo. Deinde eundem Lotharium, quem Ludovicus pater in conſortium Imperatorii Nominis ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo jam adſcivit, Imperatorem coronat, exemplo Stephani Quinti deceſſoris ſui, qui Ludovicum à tribus annis Imperiali Dignitate gaviſum Remis Imperatorem coronavit anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto. Lotharium à Paſchale Papa Romæ ſuſceptum atque coronatum in Imperatorem ſic etiam ad hunc annum teſtatur Aſtronomus in vita Ludovici Pii. *Lotharius filius Domini Imperatoris, quum, ſicut ſuprà dictum eſt, à patre in Italiam miſſus eſſet, & ſecundùm virorum, qui cum eo miſſi erant, conſilium, opportunitates negotiorum ordinaſſet, & quibuſdam perfectis, quibuſdam adhuc infectis, de ſingulis reſpondere, & ad patrem de reditu cogitaret, rogatu Paſchalis Papæ Romam imminente Sanctâ Paſchæ Solemnitate adiit, atque ab eodem Papa clariſſimâ ambitione ſuſceptus, ipſo ſancto die apud Sanctum Petrum Diadema Imperiale cum nomine Auguſti ſuſcepit.* Ab illo die ſumitur in multis Diplomatibus altera Lothariani Imperii epocha, quacum priorem in apicibus hujus anni ſic contulimus, ut qui prioris annus eſt ſeptimus, poſterioris annus primus habeatur. Stephanus Baluzius utramque breviter in notis ad Diploma, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum pro Monaſterio Derventi recitabimus, ſic attingit. *De annis Lotharii, quomodo computentur, non conveniunt inter ſe varia ejus Diplomata, quæ in manus meas venerunt. In quibuſdam enim exordium Imperii ejus conſtituitur in anno* DCCCXVII, *in aliis quinquennio tardiùs.* Obſervandum autem hîc maximè, quòd Lotharius antequàm domeſticos tumultus cieret, Ludovici patris exemplum in connotandis annis Imperii ſecutus eſt. Ut enim Ludovicus annos Imperii

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

ſui nunquam numeravit à die, quo Remis unctus eſt Imperator à Stephano Quinto Papa; ſic & Lotharius ante annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum, quo civile bellum concitare cœpit, in Diplomatibus annos Imperii ſui non exorſus eſt à die, quo Romæ coronatus eſt Imperator à Paſchale Stephani Quinti ſucceſſore, ſed vel initium Imperii ſui repetiit à die, quo particeps Imperatorii Nominis à Ludovico patre factus eſt, vel omiſſo Imperii anno annum Italici ſeu Longobardici Regni publicis inſtrumentis appoſuit; neque etiam Longobardicum Regnum in computandis illius annis exorſus eſt à Paſchali Solemnitate, in qua Rex Longobardiæ coronatus fuit à Romano Pontifice, ſed à præcedenti menſe Auguſto, quo Rex Longobardiæ dictus eſt à Ludovico patre. Legitur apud Ughellum [a] Diploma Lotharii pro Eccleſia Comenſi. Sic inchoatur. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Lotharius Auguſtus, Invictiſſimi Domini Imperatoris Ludovici filius.* In fine munitur hiſce Characteribus Chronologicis. *Signum Lotharii Glorioſiſſimi Imperatoris. Maredo ad vicem Vitgarii recognovi. Datum* II *Nonas Junii, anno, Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici Sereniſſimi Imperatoris decimo, Regnique Lotharii Glorioſiſſimi Auguſti in Italia primo, Indictione primâ.* Hi Characteres in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium conveniunt. Annus decimus Imperii Ludoviciani non petitur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, quo Ludovicus Remis à Stephano Papa Quinto coronatus eſt Imperator, ſed ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio, quo conſors Imperatoriæ Dignitatis à Carolo patre factus eſt. Et annus Lothariani Regni in Italia ſeu Longobardia primus inchoatur à die, quo Lotharius à Ludovico patre Rex Italiæ ſeu Longobardiæ renuntiatus eſt peracto apud Attiniacum generali Francorum Conventu, cujus mentionem ad menſem Auguſtum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo fecimus. Apud eundem Ughellum pro Eccleſia quoque Comenſi legitur alterum Lotharii Diploma, cujus, ut & præcedentis, initium Characteréſque Chronologicos hîc damus. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Lotharius Auguſtus, Invictiſſimi Domini Imperatoris filius. Si providè, &c. Signum Lotharii Glorioſiſſimi Imperatoris. Maredo ad vicem Vitgarii recognovi. Datum tertio Nonas Januarii, anno, Chriſto propitio, undecimo Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Lotharii filii ejus Glorioſiſſimi regnantis ſecundo, Indictione ſecundâ.* Id eſt, tertio Nonas Januarias, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto. Menſis Januarius illius anni cùm ad annum undecimum Ludovici Auguſti tum ad annum ſecundum Lotharii Regis pertinet, ſi principium Imperii Ludoviciani petitur à die quo Ludovicus à patre Carolo renuntiatus eſt Imperator, & exordium Regni Lothariani ducitur à die quo Lotharius Rex Italiæ ſeu Longobardiæ dictus eſt à patre Ludovico. Certè annus ſecundus Imperii Lothariani cum menſe Januario Indictionis ſecundæ comparari non poteſt, ſive initium iſtius Imperii repetas ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo quo Lotharius à patre vocatus eſt Imperator, ſive ſumas ab anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio quo idem Lotharius à Papa coronatus eſt Imperator in Solemnitate Paſchali. Annus igitur Lotharii ſecundus, quem hîc examinamus non ad Imperium Lotharii ſed ad ejus Regnum referri debet. Duplex autem hactenus occurrit Lotharii Regnum, quia Lotharius à patre Ludovico Rex primùm Bojoariæ anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, deinde Rex Italiæ ſeu Longobardiæ conſtitutus eſt anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo. Prius cum Lothariano Diplomate non convenit, annus enim Redemptoris octingenteſimus decimus-ſextus Indictioni nonæ per menſem Januarium illigatur. Recurrendum igitur ad Longobardiæ Regnum, cujus annum ſecundum Lotharius per menſem Januarium cum ſecunda Indictione componit; idque procul dubio faciendum duæ res oſtendunt, quoniam Lotharius Indictione ſecundâ ſive anno Redemptoris octin-

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Comenſi 30.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

genteſimo viceſimo-quarto non erat ampliùs Rex Bojoariæ, Comenſíſque Diœceſis non Bojoariæ ſed Italiæ ſeu Longobardiæ partem conſtituebat. Quòd annus ille Lotharii Secundus non de Imperio ſed de Regno ſumendus ſit egregiè confirmat vox *regnantis*, quæ nullo modo referri poteſt ad Imperatoriam Dignitatem, & in ipſa ſubſcriptione ſic habetur, *anno Lotharii filii ejus Glorioſiſſimi regnantis ſecundo*. Quòd autem & annus ille Lotharii Regis in Italia per menſem Januarium ſecundus haud repetatur à Paſchali Solemnitate, in qua Lotharius anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio Rex Longobardiæ coronatus eſt à Papa, manifeſtiſſimè docet Indictio ſecunda, quia per menſem Januarium anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto illigatur, & menſis ille Januarius non ad ſecundum Lotharii Regis annum ſed ad primum adhuc currentem pertinet, ſi principium Regni ducitur à præcedenti Paſchate. Decimus annus Imperii Lothariani cum decimo-tertio Ludoviciani ſic apud Holſtenium & apud noviſſimos Conciliorum Cellectores in Præfatione Concilii Romæ per menſem Novembrem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto celebrati comparatur. *In Nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperante Domino noſtro Piiſſimo Aug. Hludowico à Deo coronato, Magno Imperatore, anno* XIII. *ſed & Hlothario novo Imperatore ejus filio anno* X. *menſis Novembris die* XV. Id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, qui per menſem Novembrem ut decimus-tertius Imperii Ludoviciani numeratur, ſic & decimus eſt Lothariani, cujus initium repetitur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, quo Lotharius à Ludovico patre dictus eſt Imperator *in ipſa æſtate*, quando Conventus Francorum apud Aquiſgranum habebatur. Tomo primo Capitularium habetur Imperatorium pro Dervenſi Monaſterio Præceptum, cujus exordium & Characteres Chronologicos accipe. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus & Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Auguſti. Si petitionibus ſervorum Dei*, &c. *Signum Hludowici Glorioſiſſimi Imperatoris. Signum Hlotharii Sereniſſimi Auguſti. Durandus Diaconus ad vicem Fredugiſi recognovit. Data* II *Idus Februarii, anno, Chriſto propitio,* XIV *Imperii Domini Hludowici Auguſti & Hlotharii* X. *Indict.* V. Indictio quinta per menſem Februarium illigatur anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo, quocum decimus-quartus Imperii Ludoviciani decimúſque Lothariani conveniunt, habitâ ratione cùm diei quo Carolus Ludovicum filium Imperatorem dixit, tum diei quo idem Ludovicus Lotharium filium in conſortium Imperatoriæ Dignitatis adſcivit. In Appendice veterum Actorum poſt Notas ad Capitularia publicatum eſt pro Eccleſia Andegavenſi Præceptum cum hoc initio. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus & Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Auguſti.* Subſcriptio talis eſt. *Data* VI *Kalendas ..... anno, Chriſto propitio,* XV *Imperii Hludowici Sereniſſimi Imperatoris, & Hlotharii* VII. *Indictione* VII. Cùm ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-octavum pervenerimus, Kalendas Decembres reponemus, oſtenſóque, quòd neutra Imperii Lothariani epocha ſeptimum annum cum decimo-quinto Ludoviciani vel cum Indictione ſeptima conciliare poſſit, anni VII loco reſtituemus XII. Sic enim Characteres omnes in annum Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum per menſem Novembrem rectè convenient, quia illo anno viceſimus-octavus Januarii dies annum Imperii Ludoviciani decimum-quintum aperuit ab obitu Caroli Magni; menſe Julio cœptus eſt annus Lotharii Auguſti duodecimus, initio Imperii ducto à die quo Ludovicus Pius eundem Lotharium conſortem Imperatoriæ Dignitatis conſtituit; & Kalendæ Septembres Indictioni ſeptimæ principium dederunt. Anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-nono nonnihil diſſenſionis ortum eſt in Regia familia, quoniam Ludovicus Carolum filium Regem appellavit, Alamanniâ, Rhætiâ, & Burgundiæ parte non

Digitized by Google

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

modicâ novo illius Regno contributis. Exarſit poſtmodum civile bellum. Tunc Lotharius, qui factionem concitarat, annos Imperii ſui numerare cœpit à die, quo Romæ coronatus eſt Imperator à Paſchale Papa. Promptiſſimum habes exemplum in prima parte [a] quarti Seculi Benedictini jam laudata. Præcepti de Cella Bariſiacenſi, quod à Ludovico & Lothario Auguſtis emittitur, hi ſunt Characteres Chronologici. *Data* XV *Kal. Februarii, anno, Chriſto propitio,* XVII *Imperii Domni Hludovici Sereniſſimi Imperatoris, & Lotharii Auguſti* VIII. *Indict.* VIIII; ſive anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-primo, cui nona Indictio per menſem Januarium illigatur, nec dubium, quin illo anno, decimo-quinto Kalendas Februarii, Ludovicus annum adhuc Imperii ſui decimum-ſeptimum poſt mortem Caroli patris, & Lotharius octavum ageret ex quo coronatus fuerat Imperator à Paſchale Papa. Lotharius poſteriore hac epochâ delectari viſus eſt, ut Romani Pontificis amicitiam ſibi conciliaret. Is erat Gregorius Quartus, de cujus adventu cis Alpes ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-tertium fusè diſſeremus. In epitaphio Arſenii, ſive in vita Walæ Corbeienſis Abbatis, quæ quarto quoque Seculo Benedictino publicata eſt, probare non poſſumus quod Ludovico patri Lotharius dixiſſe memoratur de ſuo Romam versùs & ad Paſchalem Papam itinere. *Ad eandem Sedem*, nempe Romam, *clementer me veſtra Imperialis Eximietas miſit ad confirmandum in me quicquid pia dignatio veſtra decreverat, ut eſſem ſocius & conſors non minùs ſanctificatione quàm poteſtate & nomine. Unde quia coram Sancto Altare & coram Sancto Corpore Beati Petri Principis Apoſtolorum à Summo Pontifice, veſtro ex conſenſu & voluntate, benedictionem, honorem, & nomen ſuſcepi Imperialis Officii, inſuper diademata capitis & gladium ad defenſionem ipſius Eccleſiæ & Imperii veſtri, nemo vobiſcum magis, qui eam, quàm ego, defendere velit aut debeat.* Sanè Ludovicus Auguſtus anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo Lotharium filium, quem ante quinquennium participem Imperatorii Nominis, nuperrimè verò conſortem Italici ſeu Longobardici Regni fecerat, in Italiam non direxit, ut Romam pergeret, & Imperatoriæ Dignitatis ante annos quinque à parte ſibi collatæ confirmationem poſtularet à Romano Pontifice, ſed ut in Italia ſeu Longobardia juſtitias faceret. Imò Lotharius, cùm huic negotio diligenter vacaſſet, atque in Gallias reditum ad patrem pararet, à Paſchale Papa rogatus eſt Romam proficiſci. Teſtes hujus aſſertionis ſunt Auctores coætanei jam citati. Laureshamenſis Annaliſta, ſic. *Anno* DCCCXXIII, *Lotharius, cùm ſecundùm patris juſſionem in Italia juſtitias faceret, & jam ſe ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paſchale Papâ Romam venit.* Aſtronomus in vita Ludovici Pii, ſic. *Lotharius filius Domini Imperatoris, quum à patre in Italiam miſſus eſſet, & ſecundùm virorum, qui cum eo miſſi erant, conſilium, opportunitates negotiorum ordinaſſet, & quibuſdam perfectis, quibuſdam adhuc infectis, de ſingulis reſpondere, & ad patrem de reditu cogitaret, rogatu Paſchalis Papæ Romam imminente Sanctâ Paſchæ Solemnitate adiit.* His Auctoribus, ſi lubet, Annaliſtam adde Fuldenſem, ſic. DCCCXXIII. *Hlotharius juvenis rogante Paſchale Papâ Romam veniens ab eodem coronatur, & à populo Romano Imperator Auguſtus appellatur.* Illis profectò temporibus, cùm Carolus ex Juditha nondum natus eſſet, omniáque tranquilla perſiſterent in Palatio, nec Ludovicus neceſſarium duxit, ut quod Lothario filio Nomen Imperatoris contulerat, à Romano Pontifice confirmaretur, nec Lotharius ſibi Romam eundum putavit, ut talem à Paſchale Papa confirmationem obtineret. Eodem prorſus modo quo Carolus Ludovicum, Ludovicus Lotharium Imperatorem fecit nullo cujuſpiam conſenſu vel aſſenſu poſtulato; & quemadmodum Ludovicus ex eo quòd anno Imperii ſui tertio ſive anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto Remis à Stephano Quinto Papa coronatus eſt Imperator, ſic & Lotharius ex eo quòd anno Imperii ſui ſexto ſive anno Redemptoris octingenteſimo vi-

[a] Pag. 68.

ceſimo-tertio Romæ coronatus eſt Imperator à Paſchale Papa, nihil ſibi juris ad Imperatoriam Dignitatem vel adquiſitum vel confirmatum putavit, ideóque neuter horum, poſtquàm à Romano Pontifice digreſſus eſt, priorem in annis Imperii ſui computandis epocham deſeruit, quâ ſolâ Ludovicus ſemper, Lotharius ad civiles uſque diſcordias uſus invenitur. Textus igitur è vita Walæ Corbeïenſis Abbatis ſuprà deſcriptus à vero non parum diſſidet. Plures ſunt errores in eodem opere, cujus Auctor, ſeu Paſchaſius Radbertus, ſeu quis alius extitit, favit Lothario qui reus perduellionis in patrem fuit. Vitam illam, cui nomen etiam Epitaphii ſeu funebris Orationis tribuitur, ſæpè cum aliis Auctoribus ejuſdem ætatis conferemus.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

II. EMITTIT PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA COMENSI.

Lotharius Româ Papiam, atque inde Francofurtum, ubi Ludovicus pater morabatur, menſe Junio pervenit. *Inde*, id eſt, Româ, *Papiam regreſſus, menſe Junio ad Imperatorem* Ludovicum *venit.* Verba ſunt Annaliſtæ Laureshamenſis. Adſtipulatur Aſtronomus. *Poſt hæc*, inquit, *quum Papiam veniſſet, aliquantiſper neceſſitatibus ſemet impedientibus, ibidem moratus eſt, & ſic ad patrem menſe Junio pervenit.* In itinere rogatus à Leone Comenſium Epiſcopo Præceptum emiſit, quo pacificam ei conceſſit poſſeſſionem omnium bonorum & mancipiorum, quæ tam in agro Comenſi, quàm in finibus Sibrienſis habebat. Chartam ipſam nævis aliquot purgatam accipe ex Ughello [a]. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Lotharius Auguſtus, Invictiſſimi Domini Imperatoris Ludovici filius. Dignum eſt, ut quicunque ab igne ſeu à quolibet accidente * caſu damnum perpeſſus fuerit, & Imperiali ope ſe munire quæſierit, ut ab ejus Clementia relevetur, à quo ſe credit imploraturum auxilium poſſe adipiſci. Proinde noverit Sagacitas ſeu Induſtria omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum, eò quòd Vir Venerabilis Leo * Comenſis Epiſcopus noſtræ innotuit Serenitati qualiter per quandam negligentiam * atque incuriam, omnia inſtrumenta Chartarum, per quæ res tam à parentibus, quámque ab extraneis perſonis ſibi traditas, ab eo emptas ſeu commutatas, jure proprietatis tenere atque defendere debuiſſet *, exuſta vel concremata fuiſſent. Idcirco petiit Serenitatem noſtram, ut pro noſtræ mercedis augmento & firmitatis ſtudio noſtram auctoritatem ſuper hoc negotium ei fieri juberemus, per quam modernis & futuris temporibus res & mancipia, quæ per præfata inſtrumenta Chartarum ei traditæ fuerant, aut ab eo emptæ ſeu commutatæ, ſive per quamlibet ſcripturam juſtè, legaliter in jure ipſius, tam in pago Comenſi quàm in finibus Sibrienſis perveniſſent *, atque quietè ſeu ſecurè dignoſcitur poſſediſſe, tenere atque poſſidere valeret. Nobis itaque libuit ejuſdem Venerabilis Viri petitionibus aſſenſum * præbere, & ad ejus petitionem hanc noſtram Imperialem auctoritatem fieri decrevimus. Præcipimus ergo atque jubemus, ut omnes res atque mancipia, quæ ei per quamlibet ſcripturam, à quibuſcumque perſonis, tam à propinquis, quámque * ab extraneis juſtè & legaliter collatæ fuerunt, & uſque ad diem ſuprаſcriptæ executionis quietè & ſecurè, nemine inquietante atque pulſante, jure proprietario tenere atque donare viſum fuit, per hanc noſtræ auctoritatis confirmationem abſque ullius inquietudine vel injuſta interpellatione ritè & ſecurè habere vel poſſidere valeat. Quòd ſi fortè ſuper ejuſdem rebus ante prædictam executionem ab eo jure quietè poſſeſſis quæſtio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro diſceptare neceſſe ſit, ita per hanc noſtram auctoritatem prædictæ res & mancipia defendantur, ſicuti per eadem inſtrumenta, ſi igne abſumpta non fuiſſent, legibus defendi poterant. Hæc vero auctoritas, ut noſtra eſſe credatur, & à fidelibus dictæ S. Eccleſiæ & noſtris per futura tempora conſervetur, manu propriâ & annuli noſtri effigie ſubtus eam voluimus eſſe roborandam. Signum Lotharii Glorioſiſſimi Imperatoris. Maredo ad vicem Vitgagii recognovi. Datum II Nonas Junii, anno, Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici Sereniſſimi Imperatoris decimo, Regníque Lotharii Glorioſiſſimi Auguſti in Italia primo, Indictione primâ. Actum Venonicâ villâ Vifredi Comitis. In Dei Nomine feliciter. Amen.* Additur apud Ughellum *an. Domini* DCCCXXIII. Hic annus Incarnationis Dominicæ per menſem Junium rectè convenit cum

[a] Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Comenſi 30.

* Ughell. *audiente*

* Ughell. *Leo primus*

* Ughell. *diligentiam*

* Ughell. *debuiſſe*

* Ughell. *pervenſſe*

* Ughell. *aſſenſum*

* Ughell. *quamcumque*

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

anno Imperii Ludoviciani decimo, Lothariani in Italia Regni primo, & Indictione prima, tamen omittendus nobis videtur, quia talis Character Chronologicus per illa tempora Regiis Diplomatibus nondum apponi consueverat. In eadem Charta Comensis Episcopus non simpliciter Leo sed cum addito Leo primus appellatur ad distinctionem aliorum, quos ejusdem posteà nominis esse contigerit. At in more numquam positum fuit, ut Episcopus tum superstes primus sui nominis diceretur, quis enim alterum ejusdem nominis aliquando futurum auderet asserere? Quapropter qui Lothario apud Ughellum est *Leo primus Comensis Episcopus*, nobis est *Leo Comensis Episcopus*. Ceteras mendas ad oram rejecimus. Observandum quoque potissimùm, quòd in Diplomate suprà descripto non annus Imperii Lothariani primus sed annus Lothariani in Italia Regni primus per mensem Junium cum anno decimo Imperii Ludoviciani & Indictione prima sic comparatur. *Datum* II *Nonas Junii, anno, Christo propitio, Imperii Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris decimo, Regnique Lotharii Gloriosissimi Augusti in Italia primo, Indictione primâ.* Annus autem ille Lothariani Regni in Italia primus, ut suprà notavimus, inchoatur à die, quo Lotharius à Ludovico patre Rex Italiæ seu Longobardiæ renuntiatus est peracto apud Attiniacum generali Francorum Conventu, cujus mentionem ad mensem Augustum anno priori fecimus.

III. WALA EX ITALIA REVERSUS NOVAM ADIT CORBEIAM CUM ADELHARDO FRATRE.

Wala seu Walo Corbeiensis Monachus, qui Lotharium Imperatorem in Italiam euntem anno priore comitatus fuerat, reversus in Galliam videtur, statim ac idem Lotharius suum cis Alpes reditum præparavit. Vetustus Auctor libelli de constructione novæ Corbeiæ, postquàm res enarravit gestas *anno octingentesimo vicesimo-secundo Dominicæ Incarnationis*, aggreditur annum proximum initio ab Adelhardi & Walæ fratrum profectione in Saxoniam sic ducto. *Sequenti anno venit iterum Venerabilis* Adalhardus *Abba, & plures ex fratribus cum eo, & convocans totam Congregationem, instruxit eos de omnibus, quæ ad cultum divinum & Religionem sanctam pertinebant; quomodo & qualiter, qui scire voluerit, in libello, qui de vita ejus dictus est, plenius invenire potest. Cùm autem appropinquare cerneret diem mortis suæ, misit Venerabilem Virum Walonem ad Palatium, ut talem libertatem & tuitionem ex parte Imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque sublimia Monasteria per Franciam habebant. Quod ille fideliter egit, & Dominus Imperator benignè concessit* sexto Kalendas Augustas, ut dicemus infrà. Sanctus Anscharius, qui posteà primus Hamburgensis Archiepiscopus fuit, præcipuus annumerari debet inter Monachos, qui teste libello proximè citato è Corbeia vetere seu Gallicana in novam seu Saxonicam hoc anno migrarunt. Præfectus erat Scholæ veteris Corbeiæ, gavisus est eodem Magisterio in nova Corbeia, nec dubium quin plerosque discipulos è Gallia in Saxoniam secum annuente Adelhardo Abbate duxerit, ut Corbeiæ Saxoniæ plùs splendoris accederet. Gesta Sancti Anscharii, quæ literis mandata fuerant ab ejus discipulo ac successore Remberto, non extare suo tempore questus est non semel Cæsar Baronius. At ea ter in lucem nostrâ prodierunt ætate, primùm edita Coloniæ à Philippo Cæsare in Triapostolatu Septemtrionis anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-secundo ex Codice Hamburgensi; deinde Hamburgi à Petro Lambecio in Originibus Humburgensibus anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-secundo ex Codice veteris Corbeiæ, denique Antuerpiæ à Joanne Bollando in Actis Sanctorum [a] anno Christi millesimo sexcentesimo duodesexagesimo ex eodem Codice Corbeiensi, qui & Parisiensis meritò vocari potest, nam pertinet quidem ad veterem Corbeiam, sed Parisiis in Monasterio Sancti Germani de Pratis asservatur. Primordia Sancti Anscharii paucis contracta nunc accipe. *Referebat*, inquit Rembertus, *quòd in tempore pueritiæ suæ, cùm quinque ferè esset annorum, mater sua in Dei timore admodum religiosa defuncta fuerit, ac non multo*

[a] D. 3. Febr.

PRIMORDIA S. ANSCHARII,

multo pòſt tempore ipſum pater ſuus cauſſâ diſcendi literas, ad Scholam miſerit. Ubi cùm eſſet poſitus, cœpit, ut ætati tali familiare eſt, cum coævis ſuis pueriliter agere, & diſcurſibus inanibus atque jocis magis operam dare, quàm diſcenda diſciplinæ inſtare. In viſione à Beata Virgine monitus puériles mores exuit, *ita ut ſocii ejus valdè mirarentur, quòd tam ſubitò in aliam mutatus ſit converſationem. Cumque poſt hæc apud vos*, id eſt, in vetere Corbeia, *tonſuratus, atque in Monaſticis diſciplinis poſitus adoleſcentior fuiſſet factus, humanâ ſubrepente fragilitate aliquantulùm cepit à propoſiti prioris rigore frigeſcere. Interim verò contigit eum Domini Excellentiſſimi Karoli Imperatoris obitum audiſſe, quem ipſe antè in magna potentia glorioſum viderat, atque cum magna prudentia Regni ſceptra laudabiliter gubernaſſe audierat. De tanti itaque Imperatoris exceſſu ipſe nimio terrore atque horrore perculſus, rurſus cœpit ad ſe redire, & admonitionis Sanctæ Dei Genitoris ad memoriam verba reducere, ſícque omni poſtpoſitâ levitate, compunctionis divinæ cœpit amore langueſcere, totúmque ſe in Dei ſervitium convertens, orationi & vigiliis atque abſtinentiæ operam dabat. Poſt hæc cùm Magiſter fuiſſet Scholæ ad Sanctum Petrum*, id eſt, in Monaſterio veteris Corbeiæ, quod in honore Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum & Sancti Stephani protomartyris ædificatum fuit, *cœptum eſt in partibus Saxoniæ Monaſterium fieri, quod auctoritate & magiſterio ſanctitatis veſtræ, & primò fundatum, & ſuccedenti tempore Deo donante feliciter conſummatum eſt, noménque mutuatum à loco habitationis veſtræ accepit, ut vocaretur nova Corbeia. Ad hunc ergo locum Dei famulus unà cum aliis fratribus veſtris, primò directus eſt, ut inibi officio fungeretur docendi, in qua re ipſe per omnia tam probabilis & acceptus inventus eſt, ut omnium electione, publicè quoque in Eccleſia verbum Dei populis prædicaret. Sícque factum eſt, ut ejuſdem loci ipſe primus & Magiſter Scholæ & Doctor fieret populi.* Ex hoc textu nihil de Anſcharii patria certò ſtatui poteſt. Patre natus videtur illuſtri & in aula Caroli Magni ſolito verſari. De ejuſdem Anſcharii ætate ſtudioſiùs inquiremus Tomo ſequenti, cùm fiet primus Hamburgenſis urbis Archiepiſcopus. Nunc duos duntaxat in prædicto textu Chronologicos adverte Characteres. Anſcharius jam tonſuratus ac veteris Corbeiæ Monachus imò adoleſcentior factus à propoſiti ſui rigore frigeſcit, cùm Carolus Magnus ex hac vita diſcedit, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto, deinde cum pleriſque ſociis è vetere Corbeia in novam migrat hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio. Caroli Magni mortem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto veteres conſignant Annaliſtæ, migrationem Anſcharii aliorúmque Monachorum è Corbeia Gallicana in Saxonicam refert ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium libellus de conſtructione novæ Corbeiæ jam allegatus. Porrò, cùm Anſcharius ad novam Corbeiam abiit, infantiam agebat hoc anno Rembertus, qui poſteà fuit ejus diſcipulus atque in Archiepiſcopatu Hamburgenſi ſucceſſor, ut ſuis locis oſtendemus.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

MONACHATUS IN VETERE CORBEIA.

PRÆFECTURA SCHOLÆ IN UTRAQUE CORBEIA.

REMBERTUS ADHUC INFANS.

IV.

EBO ARCHIEP. REMENSIS CUM HALITGARIO EPISC. CAMERACENSI AD FINES USQUE DANORUM PROGRESSUS MULTOS EX ILLIS BAPTIZAT.

Ebo Remenſis Archiepiſcopus, qui Romam profectus anno priore, licentiam à Paſchale Papa nuper acceperat, ut Evangelium cum Halitgario Cameracenſi Epiſcopo Septentrionalibus populis annuntiaret, ſub initium hujus anni, ut utar verbis Flodoardi [a], *cum conſilio Ludovici Imperatoris & auctoritate Paſchalis Romani Pontificis, prædicandi gratiâ, ad terminos uſque Danorum acceſſit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizavit.* In ipſa ætate facta eſt hæc complurium Danorum ad fidem acceſſio. Per autumnum Ebo reverſus eſt in Gallias, menſe Novembri interfuit Conventui Compendienſi, rursúmque Compendio profectus eſt in Daniam cum Theothario & Rodtmundo Comitibus illuc ab Imperatore directis, ut cauſam Heriholti, quem filii Godefridi quondam Regis volebant expellere, diligentiùs examinarent. Annaliſta enim Laureshamenſis ad hunc annum de Conventu poſt Kalendas Novembres apud Compendium celebrato ſic ſcribit. *Venerat & Heriholtus de Nordmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patriâ pellere mi-*

[a] Lib. 2. c. 19.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

nabantur. Ob cujus causam diligentiùs explorandam ad eosdem filios Godefridi Theotharius & Rodmundus Comites missi fuerunt. Cum quibus Ebo Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate prædicandi gratiâ ad terminos Danorum accesserat, & æstate præteritâ multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regressus est. Eboni se socium prioris ad Danos profectionis adjunxit Halitgarius Cameracensis Episcopus, de quo consule Decretum Paschalis Papæ, quod anno priori recitavimus. Subscribit Adamus in Historia Hammaburgensis Ecclesiæ [a], sic. *Ebo Remensis, cùm de salute gentium Religionis studio ferveret, Legationem ad gentes cum Halitgario suscepit à Paschali Papa.* Reversi autem Conventui adfuerunt Compendiensi post Kalendas Novembres, ut dicemus infrà.

[a] Cap. 12.

V. LUDOVICUS AUG. CONVENTUM CELEBRAT FRANCOFURTI.

Ludovicus Augustus apud Francofurtum hoc anno mense Maio Conventum celebravit. Id ita testatur Astronomus. *In eadem villa, Franconofurd scilicet, Imperator hyeme exactâ, Maio mense, Conventum habuit Orientalium * Francorum, Saxonum, aliarúmque gentium eis collimitantium.* Gentes illas distinctiùs Annalista Laureshamensis sic enumerat. *Mense Maio Conventus ibidem,* id est, in villa Franconofurt, *habitus est, in quo non universæ Franciæ Primores, sed de Orientali Francia, atque Saxonia, Bajoaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundiæ, & regionibus Rheno adjacentibus, adesse jussi sunt.*

* Austrasium

CONTROVERSIAM DIRIMIT DE PRÆFECTURA WILSORUM.

In illo Conventu Ludovicus imprimis ortam inter Milegatum & Cealadragum fratres de Wilsorum Regno seu Præfectura controversiam diremit. Audi prælaudatum Annalistam. *Inter ceteras barbarorum Legationes, quæ vel jussæ vel suâ sponte venerunt, duo fratres, Reges videlicet Wilsorum, controversiam inter se de Regno habentes, ad Imperatoris præsentiam venerunt. Quorum nomina Milegatus & Cealadragus. Erant iidem filii Liubi Regis Wilsorum. Qui licèt cum fratribus suis Regnum suum divisum teneret, tamen propterea quod natu major erat, ad eum totius * Regni summa pertinebat. Qui ubi commisso cum Orientalibus Abotritis prælio cecidisset, Wilsi * filium ejus Milegatum, quia major natu erat, Regem sibi constituunt. Sed cùm is secundùm ritum gentis commissum sibi Regnum parum dignè administraret, illo abjecto, juniori fratri Regium honorem detulerunt. Quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt. Quos cùm audisset, & gentis voluntatem proniorem in junioris fratris honorem agnovisset, statuit ut is delatam sibi à populo suo potestatem haberet. Ambos tamen muneribus donatos, & sacramento firmatos, in patriam remisit.*

* citiùs
* populus Wilsorum

CEADRAGUM PRÆFECTUM ABODRITORUM AD SE VENIRE JUBET.

Quem Codex Armaniacus Milegatum, alii Meligastum, Astronomus Mileguastum vocat, damnátque, quòd *nimis segniorem se, quàm res poscieret, in Regia administratione exhiberet,* deinde Imperatorem laudat, quòd ambos fratres & *inter se & sibi dimisit amicos.* Egimus de Wilsis Tomo superiore, eos enim subegit Carolus Magnus, ideóque Duces potiùs seu Præfectos appella, quos Wilsorum Reges in probatis Auctoribus sub Ludovico Pio legis. Ad occasum Wilsorum siti erant Abotriti sive Abodriti, quos Francis etiam obnoxios diximus. Illorum Ducem seu Principem in Conventu, de quo nobis hîc sermo, accusatum sic idem refert Annalista Laureshamensis. *Accusatus est in eodem Placito apud Imperatorem Ceadragus Abotritorum Princeps, quòd se erga partem Francorum parum fidelem * ageret, & ad Imperatoris præsentiam jam diu venire dissimulasset. Propter quod ad eum Legati directi sunt. Cum quibus ille iterum quosdam ex Primoribus gentis suæ ad Imperatorem misit, pérque illorum verba promisit se ad proximum hyemis tempus ad illius præsentiam esse venturum.*

* fideliter

VI. LOTHARIUS AD PATREM REDIT. ADALHARDUS COMES PALATII ET MAURINGUS BRIXIÆ COMES IN ITALIAM MITTUNTUR.

Mense Junio, ut insinuatum suprà, cùm Placitum adhuc agebatur, Lotharius Imperator ad Ludovicum rediit, & rerum per Italiam à se gestarum narrationem texuit. Sic enim scribit Astronomus. *Ad patrem mense Junio pervenit, perfecta nuncians, de inchoatis interrogans. Ad supplenda autem quæ minùs perfecta erant, missus est Adalhardus Comes Palatii, adhibito sibi socio Mauringo.* Brixiæ Comes erat Mauringus. *Cum* Lotharius, inquit Annalista Laureshamensis, *Imperatori de justitia in Italia à se partim facta partim in-*

Digitized by Google

choata feciſſet indicium, miſſus eſt in Italiam Adalhardus Comes Palatii, juſſúmque eſt, ut Mauringum Brixiæ Comitem ſecum aſſumeret, & inchoatas juſtitias perficere curaret. AN. CH. 823.

Eodem *menſe Junio*, quo Lotharius ad Ludovicum patrem rediit, *natus eſt* eidem Ludovico Auguſto *filius ex Judith Regina, quem tempore Baptiſmi Carolum vocitare placuit.* Tunc Hildrico in Meldenſem Epiſcopatum ſucceſſit Hucbertus Palatii Præceptor, de quo poſteà ſic Hincmarus in literis ad eumdem Carolum tunc Imperatorem. *Domino Glorioſo Karolo Imperatori Auguſto, Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus ac plebis famulus Dei. Quando Deo diſponente in Franconofurd Palatio nati eſtis, Hucberto Præceptori Palatii Epiſcopium Meldenſis civitatis commiſſum eſt, ubi propter Hildrici Epiſcopi ætatis prolixitatem & diutinam ægritudinem, quædam ad ſcientiam & religionem pertinentia, necnon ædificia ac cetera quoque neceſſaria neglecta invenit. Quapropter à familiari ſuo Bodone Clerico Domni & Nutritoris mei Hilduini Abbatis ſacri Palatii Clericorum Summi, quendam Clericum ipſius Baudonis, nomine Wandelmarum, qui cantilenam optimè à Teurgario Magiſtro in Sancti Dionyſii Monaſterio didicit, ad erudiendos Clericos ſuos obtinuit, cui Abbatiolam Sancti Sanctini in beneficium dedit.* Eaſdem literas aliâ rurſum occaſione citabimus. In fragmento ſuperiùs allegato nota longævam Hildrici Meldenſis Antiſtitis ætatem, quæ noſtro Meldenſium Epiſcoporum Indici noſtræque Chronologiæ non repugnat.

VII. CAROLUS LUDOVICI AUG. FILIUS NASCITUR. HUCBERTUS FIT EP. MELDENSIS.

Ab Hundio laudatur Diploma Ludovicianum, quod hoc anno Ludovici Auguſti decimo, Indictione primâ, Francofurti, quarto Kalendas Julii datum aſſeritur [a]. In hac Charta Ludovicus Reginario Patavienſi Epiſcopo confirmat inſignem Donationem, quâ Carolus Magnus Eccleſiam Patavienſem multùm locupletavit attributis prædiis haud paucis inter Anaſum & Arabonem, cùm Waldericus Patavienſes Infulas gerebat, ut Hundius quoque ſub eodem Walderico notavit. In Additionibus ad eundem Hundium extat aliud apud Gewoldum Diploma, quod pro Altaichio Inferiore Ludovicus Rex hoc eodem anno, decimo-quinto Kalendas Septembris emiſit, rogatus à Goſbaldo ſeu Gozbaldo vel Goſbaldo illius loci Abbate. *Ludovicus divinâ favente gratiâ Rex Bajoariorum. Cùm Regalis Excellentia unius fidelis rationabilem petitionem ad effectum perducere ſatagit, non ſolùm ipſius ſed etiam cunctorum fidelium ſuorum animos ad fidelitatem debitam ſyncerißimè conſervandam promptiores devotioréſque efficit. Idcircò notum eſſe volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, & Deo diſpenſante ſucceſſoribus noſtris, qualiter petente ac ſuggerente Goſbaldo Venerabili Abbate & fideli noſtro, complacuit nobis propter ſuum devotißimum erga noſtræ manſuetudinis obſequium, quaſdam res proprietatis noſtræ, quæ ſunt in villa quæ vocatur Ingolſtat, & quas præfatus vir hactenus in beneficium habuit, ei deinceps ad proprium per noſtræ largitionis munificentiam concedere. Id ſunt Eccleſiæ duæ, curtis Dominicata, cum ceteris ædificiis deſuper poſitis, de terra arabili jornales centum triginta, de pratis ubi poſſunt colligi de fœno carrada quadringentæ. Mancipia infra curtem inter pueros & fœminas genecias, numero viginti-duo. Manſi ſerviles veſtiti ad eandem curtem aſpicientes viginti-duo ſint manſorum duodecim. Unde etiam pro firmitatis ac majoris ſecuritatis ſtudio præſentem auctoritatem largitionis noſtræ fieri juſſimus, per quam memorato Abbati rem ſuperiùs nominatam cum ſuis pertinentiis, campis ſcilicet, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, molendinis, mobilibus atque immobilibus, ſervis quoque vel ancillis, & quicquid ad eandem curtem juſtè & legaliter pertinere dinoſcitur, & noſtri juris atque poteſtatis jure proprietatis eſt, totum & ad integrum, quod ille, ſicut præfati ſumus, in beneficium habuit, largimur, de poteſtate noſtra in ejus transfundimus dominationem jure proprietario ad habendum, ita ut ab hodierna die nulla perſona noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum temporibus aliquam ex his præſumat ei afferre inquietudinem, ſed per hoc noſtræ Donationis Præceptum hoc eum quietè tenere liceat. Et inde quicquid egerit vel*

VIII. PRÆCEPTUM OBTINENT, REGINARIUS EP. PATAVIENSIS PRO SUA ECCLESIA, GOSBASDUS ABB. PRO ALTAICHIO INFERIORI.

[a] Aventin. l. 4.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

facere voluerit, liberam in Dei Nomine in omnibus habeat faciendi potestatem. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Datum XV *Cal. Septembr. anno* VII *Regni Domini Ludovici Regis in Orientali Francia, Indictione* IV (lege I.) *Actum Heilicobrunno Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Annus septimus Ludovici Regis per mensem Augustum convenit cum hoc anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, nequaquam verò cum Indictione IV, cujus loco reponi debet I. Gosbaldus Abbas, cujus nomen in Præcepto proximè descripto memoratur, Inferiori præerat Altaichio, susceperátque regimen illius Monasterii post mortem Teutpaldi, quem suprà quinto Kalendas Augustas, anno Ludovici Augusti octavo, Indictione decimâ-quartâ, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo laudavimus.

IX. LIUDEWITUS OCCIDITUR.

Peracto Francofordiensi *Placito & dimissis Proceribus, cùm* Ludovicus *Imperator jam inde*, nempe Francofurto, *digredi statuisset, allatum est ei de interitu Liudewiti, quòd relictis Sorabis cùm in Dalmatiam ad Liudemulsum avunculum Bornæ Ducis pervenisset, & aliquantùm temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus.* Liudewitus anno priore profugus confugerat ad Sorabos seu Serblos, qui partem Orientalem Dalmatiæ possidebant, Imperatorique Constantinopolitano subjiciebantur, hoc autem anno relictis Sorabis seu Serblis ad Occidentalem Dalmatiæ partem, quæ Francis parebat, se recepit, ibique peremptus fuit.

X. THEODORUS S.R.E. PRIMICERIUS ET LEO NOMENCLATOR EXCÆCANTUR AC DECOLLANTUR.

Nunciatum est etiam Theodorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primicerium & Leonem Nomenclatorem generum ejus in Patriarchio Lateranensi primò excæcatos, ac deinde fuisse decollatos: & hoc ideo eis contigisse, quòd se in omnibus fideliter erga partes Lotharii juvenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel jussu vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum ac diligenter investigandum missi sunt Adalungus Abbas Monasterii Sancti Vedasti & Hunfridus Comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt Legati Paschalis, Joannes Episcopus Sylvæ Candidæ & Benedictus Archidiaconus Sanctæ Sedis Apostolicæ, rogantes Imperatorem ut illam infamiam à Pontifice auferret, quâ ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cùm ille juxta quod ratio postulabat respondisset, eósque dimisisset, prædictos Legatos suos ad investigandam rei veritatem, sicut priùs disposuit, Romam ire præcepit. Ipse verò reliquum æstatis tempus in pago Vormaciensi, ac deinde in Arduenna transigens, peractâ autumnali venatione ad Cal. Novembr. sicut condixerat, Compendium venit. Legati Romam venientes, rei gestæ certitudinem assequi non potuere, quia Paschalis Pontifex se ab hujus facti communione cum magno Episcoporum numero jurejurando purificavit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia Sancti Petri erant, summoperè defendens, mortuos velut Majestatis reos condemnabat, jurèque cæsos pronunciabat. Atque ob hoc cum prædictis, qui ad eum missi fuerant, Legatis, Joannem Sylvæ Candidæ Episcopum, & Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque Subdiaconum, ac Leonem Magistrum Militum ad Imperatorem misit. Hæc Annalista Laureshamensis. Observat Theganus de Paschale, quòd *cum juramento purificavit se in Lateranensi Patriarchio coram Legatis* Imperatoris *& populo Romano, cum Episcopis* XXXIIII. *& Presbyteris & Diaconibus quinque.* Legatos illos nominat *Adalungum venerabilem Abbatem & Presbyterum, & Hunfridum qui erat Dux super Rhetiam*, seu Comes Curiensis, ut dictum suprà. Cùm apud Compendium agebatur jam Conventus, id est, post Kalendas Novembres, hi redierunt ad Ludovicum Legati cum Missis Apostolicis. Imperator autem *cùm tam per illos* Missos *quàm per suos Legatos de sacramento Pontificis & excusatione rerum comperisset, nihil ultrà in hoc negotio sibi faciendum ratus, memoratum Joannem Episcopum & socios ejus ad Pontificem dato convenienti responso remisit.* Horum reditum in Italiam referemus anno sequenti. Res interim hoc gestas anno persequamur.

LEGATI ROMAM MITTUNTUR INVESTIGANDÆ VERITATIS ERGO.

PASCHALIS PP. AB HUJUS FACTI COMMUNIONE SE PURIFICAT CUM JURAMENTO.

Digitized by Google

AN. CH. 823. XI. CONVENTUS COMPENDIENSIS INDICITUR.

In Conventu Francofordienſi *locus & tempus alterius Conventûs habendi indicta ſunt, Novembris videlicet menſis & Compendium Palatium.* Imperator egreſſus Francofurto *reliquum æſtatis tempus in pago Wormacienſi ac deinde in Arduenna peractâ autumnali venatione ad Cal. Novemb. ſicut condixerat Compendium venit.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Porrò Ludovicus Francofurto digreſſus Ingelhemium adiit, ut docent res ibi geſtæ, proximéque cùm ex decimo Monumento Paderbornenſi, tum ex Annalibus Circuli Weſtphalici deſcribendæ.

XII. PRÆCEPTA PRO CORBEÏA SAXONICA.

Adelhardus Corbeïenſis Abbas, de cujus profectione in Saxoniam ſub initium hujus anni diſſeruimus, *cùm appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, miſit* è nova Corbeïa *Venerabilem Virum Walonem* fratrem ſuum *ad Palatium, ut talem libertatem & tuitionem, ex parte Imperatoris, loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque ſublimia Monaſteria per Franciam habebant. Quod ille feliciter egit, & Domnus Imperator benignè conceſſit* ſexto Kalendas Auguſtas, ut patet ex ipſo Diplomate, quod illo die, anno Imperii Ludoviciani decimo, Indictione primâ datum Ingelhemii, atque in decimo Paderbornenſi Monumento ſic deſcriptum reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante clementiâ Imperator Auguſtus. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſuperni muneris donum largiri non diffidimus. Idcircò noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum Sagacitas, quia adiens Serenitatem Culminis noſtri vir reverentiſſimus Adalardus Abba ex Monaſterio Corbeïæ, quod ei dudum in provincia Saxonica ad augmentum mercedis noſtræ ex novo conſtruere juſſimus ſuper fluvium Wiſera in villa Regia, in loco nuncupante dudum Huxori dicatum in honore Sancti Stephani protomartyris, ſuggeſſit Manſuetudini noſtræ, ut idem Monaſterium & Monachos ibidem per tempora degentes cum rebus & hominibus non ſolùm ſub noſtra tuitione & defenſione conſtitueremus, verùm etiam & talem Immunitatem fieri juberemus, qualem omnes Eccleſiæ in Francia habent. Cujus petitioni dignam & proficuam judicantes, hanc auctoritatem immunitatis erga prædictum Monaſterium Corbeïæ ejúſque Rectores fieri juſſimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii, quas præſenti tempore in quibuſlibet pagis & territoriis habet, vel deinceps ibidem conlatæ fuerint, ad cauſas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & litos * diſtringendos, aut ullas redhibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti Monaſterii ſub immunitatis noſtræ defenſione poſſidere, quieto ordine vivere ac reſidere, & quicquid exinde jus fiſci exigere poterat, totum & ad integrum nos pro æterna retributione ad pauperes alendos & luminaria concinnanda concedimus, qualiter Monachos ibidem degentes, pro nobis proléque noſtra atque ſtatu totius noſtri Imperii nobis ad regendum commiſſi, Domini miſericordiam adentiùs exorare delectet. Sed & hoc placuit nobis huic inſerere auctoritati, ut licentiam habeant Rectores hujuſce Monaſterii cum quibuſlibet hominibus liberis res & mancipia legaliter commutare. Videlicet, ut quicquid juſtè & rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneant atque poſſideant, & quicquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quicquid elegerint. Et ut hæc auctoritas immunitatis atque confirmationis noſtræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludowici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridagiſi recognovi. Data* VI *Kalend. Auguſt. Anno, Chriſto propitio,* X *Imperii Domni Hludowici Auguſti, Indictione primâ. Actum Ingilinheim Palatio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* latis

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7. XIII.

Hermannus Stangefolus in Annalibus [a] Circuli Weſtphalici refert alterum Ludovici Auguſti pro Corbeïa Saxonica Præceptum, quod hoc eodem anno, Imperii Ludoviciani decimo, datum eſt etiam apud Ingelheimium ſeptimo Idus Auguſtas. *In Nomine Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Neminem fidelium noſtrorum dubitare credimus, quàm magnum quondam Dominus ac Genitor noſter Carolus Chriſtianiſſimus Imperator cum Saxonibus habuerit laborem, ut eos ad cognitionem veræ fidei adduceret, quod & divinâ cooperante gratiâ effecit. Nos verò in ejus ſolio ſuperni Numinis dono ſublimati, cuidam Venerabili Viro Adelhardo ſeni Abbati de Monaſterio, cujus vocabulum eſt Corbeïa vel Corbegia in eadem provincia Saxonia, ob mercedis noſtræ augmentum Monaſterium conſtruere juſſimus, & ad idem Cœnobium dedicandum ex ſacro Palatio à Capella noſtra miſimus Venerabiles & Sacroſanctas Reliquias Beati Stephani protomartyris, quod eſt conſtruendum ſupra Wiſera in Villa Regia in loco nuncupato dudum Huxter, ac quia auctore Deo prædictus divæ memoriæ Dominus ac Genitor noſter in eadem gente primùm Chriſtianæ Religionis fidem confirmavit, ita & nos ad augmentandum ſolidumque* [1] *prædicto Adalhardo Abbati ſeni, cui hanc curam commiſimus, aſſumpto germano ſuo Walone* [2]*, cum ceteris ex quibus oportebat Monachis, infra provinciam quendam locum aptum & congruum eligerent, atque ibi, prout opportuniùs potuiſſent, præfatum Monaſterium ſtabilirent. Idcircò placuit Excellentiæ* [3] *noſtræ, ut prædictam villam, quæ dicitur Huxori vel Huxor cum omnibus finibus vel terminis ſuis, & cum terris, ſylvis, aquis aquarúmve decurſibus, cum omnibus adjacentiis & appenditiis ſuis ad idem Monaſterium per noſtræ Serenitatis* [4] *auctoritatem jure perpetuo conferre, & ..... jus & dominationem prædicto Monaſterio præſentialiis tradere, necnon & res ſeu poſſeſſiones, quæ à Deum timentibus vel Deum diligentibus Saxonibus intra ipſam Saxoniam ad opus inchoandum vel adjutorium præſtandum collatæ ſunt, per hanc auctoritatem confirmare, etiam & res, quæ ad antiquiorem Corbegiam traditæ fuerant, infra ipſos ſupradictæ Saxoniæ fines in terris, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus propriis vel communibus, domibus ac ædificiis vel priùs habitis vel poſteà conſtructis, mancipiis quoque diverſi generis vel conditionis, mobilibus vel immobilibus* [5]*, cum omni integritate ad prædictum Monaſterium unà cum conſenſu prædicti Abbatis, vel Congregationem ejus, celebri Donatione contulimus, & perpetuò Monachis ibidem Deo militantibus ad poſſidendum fruendúmque conceſſimus atque confirmavimus. Ideo autem ita fieri debere rationabile judicavimus, quia conſtabat prædictum locum à Monaſterii prioris Corbegiæ Monachis conſtructum, & quia in omni loco uni Deo ſervitur, uni Regi militatur, dignum erat, ut poſſeſſiones illæ Monachorum obſequiis deputarentur, qui infra ipſam provinciam ejuſdem Monaſterii primi ædificatores* [6] *& perpetuò laboratores in Omnipotentis Dei ſervitio ſub ſancta Regula deputati fuiſſe dignoſcuntur. Nam ſi talis* [7] *eſſet cauſa, ut idem locus ex propriis in eadem provincia ſibi collatis nequiviſſet ſubſiſtere rebus, dignum ut de prioris Monaſterii rebus benignitatis & largitatis cauſâ* [8]*, prout ex utraque parte rationabile eſſe potuiſſet, largâ* [9] *manu porrigi debuiſſet, quantò magis de his, quæ infra eandem provinciam collata, ut dictum eſt, priùs fuiſſe noſcuntur, cum omni benignitate ardentiſſimo charitatis affectu largiri. Statuentes etiam decrevimus, atque per hos Imperiales apices* [10] *ſancimus, ut qui Monachi quandocunque divinâ vocatione Abbas prædicti Monaſterii de hac luce migraverit, quandiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire potuerint* [11] *qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo militant, pro nobis, conjuge proléque noſtra, & ſtabilitate totius Imperii, jugiter Dei miſericordiam exorare delectet. Sed de hoc placuit nobis hîc* [12] *inſerere auctoritatem. Licentiam habeant Rectores hujuſmodi Monaſterii cum quibuſlibet hominibus liberis res & mancipia commutare, videlicet, ut quicquid juſtè & rationabilis pars alii contulerit parti per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneant atque poſſideant, &*

[a] Lib. 2.

[1] *locus corruptus.*

[2] Edit. *Varino,*

[3] Edit. *Excellentia Majeſtatis noſtræ,*

[4] Edit. *Majeſtatis*

[5] Edit. *mobilibus datum vel traditum fuit,*

[6] Edit. *ædificationes*

[7] Edit. *ſi fcire vel ſcientia talis eſſet cauſa,*

[8] Edit. *cauſam.*

[9] Edit. *largâ manus*

[10] Edit. *Apoſtolos*

[11] Edit. *poterint,*

[12] Edit. *huic*

quicquid exinde facere voluerint, liberè in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quicquid elegerint. Et ut hæ [13] *auctoritatis, largitionis atque confirmationis noſtræ litteræ per futura tempora immobilem obtineant firmitatem, manu propriâ ſubterfirmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridagiſi* [14] *recognovi. Data* VII *Idus Auguſti, anno Chriſto propitio* X *Imperii Domni Ludovici* [15] *Piiſſimi Auguſti, Indictione* I. *Actum Ingylheim* [16] *Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

AN. CH. 823.

[13] Edit. *hæc*
[14] Edit. *Willegiſi*
[15] Edit. *Ludovici Regis*
[16] Edit. *in Gylheim*

XIV. Hoc poſterius Diploma non adeò ſyncerum ac prius ex multis apparet nævis quos ad oram rejecimus, ac præſertim ex Adelhardi germano ſeu fratre quem Varinum perperam vocat. Warinum enim Monachum, de quo poſt biennium locuturi ſumus, cum Wala ſeu Walone Adelhardi fratre malè confundit. Ut autem utrumque Ludovici Præceptum cum libello de conſtructione novæ Corbeïæ jam citato conveniat, Adelhardum arbitrare per Walam Corbeïenſem Monachum fratrem ſuum ſuggeſſiſſe Ludovico, ut pro Corbeïa Saxonica Præceptum emitteret, quod nuperrimè recitavimus.

XV. ADELHARDUS ABB. INTEREST CONVENTUI COMPENDIENSI. Adelhardus ad veterem Corbeïam è Saxonica rediit, & Conventui, quem ad Kalendas Novembres indictum fuiſſe jam notavimus, apud Compendium interfuit.

XVI. LUDOVICUM AUG. ADEUNT, CEADRAGUS PRÆFECTUS ABODRITORUM, ET HERIHOLTUS R. DANIÆ. EBO REMENSIS ARCHIEP. IT DENUO IN DANIAM PRÆDICANDI GRATIA. Annaliſta Laureshamenſis res in illo Conventu geſtas ita deſcribit. *Ceadragus Abotritorum Princeps pollicitationibus* Imperatoris *fidem adhibens cum quibuſdam Primoribus populi ſui Compendium venit, dilatíque per tot annos adventûs ſui rationem coram Imperatore non improbabiliter reddidit. Qui licèt in quibuſdam cauſis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum ſuorum non ſolùm impunitus, verùm muneribus donatus ad Regnum* ſive ad Præfecturam ſuam *redire permiſſus eſt. Venerat & Heriholtus de Nordmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patriâ pellere minabantur. Ob cujus cauſam diligentius explorandam ad eoſdem filios Godefridi Theotharius & Rodtmundus Comites miſſi fuerunt. Qui cauſam filiorum Godefridi & ſtatum totius Regni Nordmannorum diligenter explorantes, adventum Heriholti præceſſerunt, & Imperatori omnia, quæ in illis partibus comperire potuerunt, patefecerunt. Cum quibus Ebo Remorum Archiepiſcopus, qui conſilio Imperatoris, & Romani Pontificis auctoritate, prædicandi gratiâ ad terminos Danorum acceſſerat, & æſtate præteritâ multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regreſſus eſt.* Remanſit in Galliis Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus, qui priùs ad fines Danorum cum Ebone profectus fuerat, ut dictum ſuprà.

XVII. COLLOQUIUM HABETUR DE RERUM ECCLESIASTICARUM DISPENSATIONE. Actum eſt etiam in Conventu Compendienſi de rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatione. *Sequenti anno*, inquit Agobardus [a], ſive anno poſt Attiniacenſem Synodum proximo, *cùm adeſſent juſſi in Compendio Palatio* Adalardus & Heliſacar Abbates, de quibus anno priore locuti ſumus, *& de his*, id eſt, de rebus Eccleſiaſticis, *inter eos ſermo haberetur, ad hunc modum, poſt multa colloquia, in quantùm ego intellexi, ratiocinia ſunt perducta, ut primùm quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus ſacris inliciteè uſis; poſt verò cum Dei timore in illis quas habent laici cautiores effecti; etiam in his, quæ remanſerunt Eccleſiis, fideliores atque clementiores exiſterent; ita ut & ſuis adhiberent pietatem, ut & Eccleſiis defenſionem; fierétque compatienti concordia remediabilis ac veniabilis, offenſióque comitante pietate de indulgentia quoque eſſet ſecura. Hanc rem cùm Dominus Imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, quantùm in ſe fuit, fecit uniri Epiſcopos & Comites in conſenſum & pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quòd eodem modo, quo Dominus Imperator penſavit atque intellexit rationem, ſopiríque fecit diſſenſionem, omnes etiam Comites vel Honorati ejus intellexiſſent atque voluiſſent. Sed è contrario, ut audio, iſti, de quibus nobis ſermo eſt, inchoatam diſcordiam magnificant, & de concordia in conſpectu Domini Imperatoris nihil*

[a] In lib. de diſpenſ. Eccleſ. rer. cc. 5. 6.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

se audisse vel intellexisse dicunt. Quæritur potissimùm de incolis Septimaniæ ac Provinciæ, librum enim ipsum *de dispensatione Ecclesiasticarum rerum* sic auspicatus invenitur. *Significavit mihi fidelis ac veneranda dilectio tua, quòd clari & honorati viri per Septimaniam & Provinciam consistentes de me incessanter obtrectando loquantur.* In hoc opere, quod capitibus uno ac triginta distinguitur, multa conglobantur non tantùm adversùs laicos, sed etiam adversùs ipsos Clericos, cujuscumque sint Dignitatis, *qui aliud faciunt de sacris rebus, quàm quod faciendum est, aut aliter eas, quàm à Deo & Sanctis Patribus ac Rectoribus constitutum est, tractant.* Adalardus sive Adelhardus Abbas Compendio ad veterem Corbeiam atque inde ad Saxonicam reversus est.

XVIII. VARIA PRODIGIA.

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt, in Aquensi Palatio terræ motus, & in territorio Tullensi juxta villam Commerciacum puella quædam annorum fere XII *ab omni cibo per* X *menses,* (legendum nobis videtur per XXX menses) *abstinens. Et in Saxonia in pago, qui vocatur Frihsazi,* XXIII *villæ cælesti igne consumptæ, & fulgura sereno atque interdiu de cælo cadentia, & in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ, atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, iique ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cælo tactæ, hominésque ac cetera animalia passim fulminum ictu præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia atque hominum mortalitas, quæ per totam Franciam immaniter usquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diversi sexûs & ætatis gravissimè sæviendo consumpsit.* Hæc Annalista Laureshamensis. Bertinianus aliud addit, quod à Sigonio quoque recensetur *In territorio Cometense Italicæ civitatis, in vico Grabadona,* (sive *in oppido Lacûs Comensis, Grabadona,* ut habet Sigonius) *in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, imago Sanctæ Mariæ puerum Jesum gremio continens, ac Magorum munera offerentium in absida ejusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata & penè abolita, tantâ claritate per duorum dierum spatia effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ vetustatis pulchritudine cernentibus penitus vincere videretur. Magorum tamen imagines propter munera quæ offerebant minimè claritas illa irradiavit.* Astronomus sola prodigia, quæ sinistri videbantur ominis, & ab Annalista Laureshamensi commemorata sunt, in vita Ludovici Pii perstrinxit, ejusdémque Imperatoris pietatem sic commendavit. *Quædam prodigiosa signa apparentia animum Imperatoris sollicitabant, propter quæ singula Piissimus Imperator crebrò fieri jejunia, orationúmque instantiâ atque eleemosynarum largitionibus Divinitatem per Sacerdotum officium monebat placandam, certissimè dicens, per hæc portendi magnam humano generi futuram cladem.*

XIX. EPISCOPI MANTUANI.

Sublato è vivis Gregorio, primo Episcopo Mantuano, Maxentius Patriarcha Foro-Julienſis Erfulfum in ejus locum hoc anno consecravit, ut observat Ughellus Tomis Italiæ Sacræ primo & quinto in Mantuanis Episcopis & Patriarchis Aquileiensibus seu Foro-Julienſibus.

XX. ARCHIEP. SALISBURGENSES.

Hoc anno discessit è vivis Ammilonius Salisburgensis Archiepiscopus, cùm sedisset *sesquiannum*, ut habet Hundius, cui suffragatur Adlzreitterus adversùs eos, qui loco sesquianni dimidium annum seu sex menses reponunt. Erat etiam Ammilonius Abbas Sancti Petri Salisburgensis. In utrumque munus successit Adalramus ex Archidiacono Salisburgensi. Bucelinus in Germania Sacra Catalogum edit Abbatum, qui Salisburgi Monasterio Sancti Petri præfuerunt, observátque eosdem post Ammilonium cùm Abbates illius loci tum Archiepiscopos Salisburgenses ad annum usque Redemptoris nongentesimum duodenonagesimum extitisse. Quod semel notasse sufficiat. Porrò laudatur apud Hundium Adalramus, quòd Ottonem Carantanorum constituit Episcopum, témque divinam multùm promovit.

OTTO EP. CARANTAN.

XXI. Heyto sive Heito vel Hetto aut Ahyto Basileensis Episcopus & Augiensis Abbas utrumque munus hoc anno sponte dimisit, ut infrà probabimus adversùs eos, qui Chronologiam uno hîc anno prævertunt. Capitulare Presbyteris

teris ſuis ordinavit, quibus monerentur, qualiter *ſeipſos ac plebem ſibi commiſſam caſtè & juſtè regere, atque in Religione divina confirmare* deberent. Opus illud viginti-quinque conſtat Capitulis: in lucem primùm prodiit operâ Lucæ Dacherii [a], deinde Tomo ſeptimo Conciliorum à poſtremis Collectoribus inſertum fuit. Caret Characteribus Chronologicis, ideóque quonam editum ſit anno, determinatè ſciri non poteſt. Singula recitabimus Capitula, &, ut occaſio poſtulabit, notas adjiciemus. AN. CH. 823.

[a] Tom. 6. Spicileg. HETTO EP. BASILEENS. ET ABB. AUGIENS. EDIT CAPITULAR Ba

Primò omnium diſcutienda eſt Sacerdotum fides, qualiter credant, & alios credere doceant; ubi & exempla proponenda ſunt, quatenus à creatura Creator quantulumcumque poſſit intelligi.

Secundò jubendum, ut Oratio Dominica, in qua omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur, & Symbolum Apoſtolorum, in quo fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſcatur tam Latinè quàm barbaricè ſeu vernaculè, *ut quod ore profitentur corde credatur & intelligatur.* Lege Canonem quadrageſimum-quintum Synodi Moguntiacenſis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio celebratæ. XXII. XXIII.

*Tertiò intimandum eſt, ut ad ſalutationes Sacerdotales congrua reſponſiones diſcantur, ubi * non ſolùm Clerici & Deo dicatæ Sacerdoti reſponſionem offerant, ſed omnis plebs devota conſonâ voce reſpondere debet.* XXIV. * f. ni

Quartò, ut fides Sancti Athanaſii à Sacerdotibus diſcatur, & ex corde ſeu memoriter *die Dominico ad horam primam recitetur.* Lege quæ Tomo tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-tertium [b] occaſione Auguſtodunenſis Concilii ſcripta ſunt de fide ſeu ſymbolo Sancti Athanaſii contra neotericos quoſdam heterodoxos audacter inficiatos neminem, qui mentionem Athanaſiani Symboli fecerit, inveniri vetuſtiorem Oratoribus, quos Gregorius Papa Nonus Conſtantinopolim anno Chriſti milleſimo ducenteſimo undequadrageſimo direxit, & argumentis non paucis, quibus errorem adverſariorum refutavimus, hoc etiam adde Capitulum, quod in Capitulari Heytonis Epiſcopi Baſileenſis occurrit nono ſeculo, vel ſub Carolo Magno, vel ſub ejus filio Ludovico Pio. XXV. [b] Num. 22.

Quintò, ut ſciant, quid ſit Sacramentum Baptiſmatis & Confirmationis, & quale ſit Myſterium Corporis & Sanguinis Domini, quomodo in eiſdem Myſteriis viſibilis creatura videtur, & tamen inviſibilis ſalus ad æternitatem animæ ſubminiſtratur, quæ in ſola fide continetur. XXVI.

Sextò, quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, id eſt, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Computus, Canon Pœnitentialis, Pſalterium, Homilia per circulum anni Dominicis diebus & ſingulis Feſtivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit, quia valdè periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur. [*Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*] XXVII.

Septimò, ut ſciant tempora legitima ad baptizandum in anno, id eſt, Sabbato Sancto Paſcha, ut illa trina merſio in Baptiſmate imitetur triduanam mortem Domini clarificatam Reſurrectione. Et idcirco uſque ad octavum diem ipſa regeneratio ſacra ab omni populo Chriſtiano celebrabitur. Aliud verò tempus Baptiſmatis Sabbato Sancto Pentecoſtes celebrandum eſt. Si verò neceſſitas contigerit, omni tempore ſubveniendum eſt, quia neceſſitas vix habet legem, & ut vas ad fontem Baptiſmatis habeant, quod ad reliquos uſus nullatenus adſumatur. De ſtatis Baptiſmi temporibus, déque caſu neceſſitatis qui ſemper exceptus à communi lege fuit, ſæpè diſſeruimus, ac præcipuè Tomo primo ad annum Chriſti quadringenteſimum nonageſimum-quartum [c] in Baptiſmo Ingomeris, qui filius Clodovei Magni Regis & Chlotildis Reginæ fuit primogenitus, obiitque in albis patre adhuc ethnico. XXVIII. [c] Num. 7.

Octavò, pronuntiandum eſt, ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam, ne Judaiſmo capiantur. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies, ut ſuprà exſi ſimus Natalis Domini, Sancti Stephani, XXIX.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

Sancti Johannis Evangeliſtæ, Innocentium, Octava Domini, Theophania, Purificatio Sanctæ Mariæ, Sanctum Paſcha ſicut in ſuperiori Capitulo comprehenſum eſt, Rogationes tribus diebus, Sabbatum Sanctum, Pentecoſtes, Sancti Johannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, maximè tamen Sanctorum Petri & Pauli, qui Europam ſuâ prædicatione illuminaverunt, Aſſumptio Sanctæ Mariæ, Dedicatio Baſilicæ Sancti Michaelis Archangeli, Dedicatio cujuſcunque Oratorii, ſeu cujuſlibet Sancti, in cujus honore eadem Eccleſia fundata eſt, quod vicinis tantùm circummorantibus indicendum eſt, non generaliter omnibus. Indictum verò jejunium quando à Palatio vel à Domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter obſervetur. Reliquæ verò feſtivitates per annum, Sancti Remedii, Sancti Mauricii, Sancti Martini, non ſunt cogendæ ad feriandum, nec tamen prohibendum, ſi plebes hoc caſtè & zelo Dei cupiunt exercere. Depravatus eſt in hac editione locus ille, *Sabbatum Sanctum, Pentecoſtes*, ſicque reſtitui debet, *Sabbatum Sanctum Pentecoſtes*, expunctâ virgulâ, quæ duos dies, nempe Sabbatum ante Pentecoſten & ipſum diem Pentecoſtes diſtinguebat. Ne talis enim admittatur duorum dierum diſtinctio, vetat contextus verborum, quia dies, de quibus anteà ſermo fit, non in obliquo caſu ſed in recto ponuntur, & cum illis duo quoque, de quibus hîc inquirimus, *Sabbatum Sanctum* & *Pentecoſte* ſic exprimi debent. *Octava Domini, Theophania, Purificatio Sanctæ Mariæ, Sanctum Paſcha ſicut in ſuperiori Capitulo comprehenſum eſt, Rogationes tribus diebus, Aſcenſio Domini, Sabbatum Sanctum, Pentecoſte.* Nihil autem prohibet, quominùs textum, ut in manuſcripto Codice legitur, ſic retineamus, *Sabbatum Sanctum Pentecoſtes*, & per iſta vocabula ſolum intelligamus Sabbatum ante Pentecoſten, quia neceſſe non eſt, ut Pentecoſte ſpeciatim nominetur, in diem enim Dominicam quot annis cadit, & collectivè comprehenditur inter dies Dominicas, de quibus initio Capituli ſic. *Pronuntiandum eſt, ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam.* Quod attinet ad jejunium *à Palatio vel à Domo* denuntiatum, Dacherius hîc nævum agnoſcit, aitque legendum non *à Domo*, ſed *à Domno*, id eſt, *à Domno Apoſtolico ſive Papa*. Notatiunculam quoque de jejuniis *à Palatio* denuntiatis ſic habet *De jejuniis à Regibus noſtris indictis Greg. Turon. l. 19. c. 21. Carolus Mag. in epiſt. ad Faſtradam Reg.* Nos textum Capitularis, ut editus eſt, hoc loco ſervandum arbitramur. Domum, de cujus ſignificatione conſule Joannem Molanum in tertio libro [a] de Canonicis, & Michaelem Antonium *Frances de Urrutigoyti* in Tractatu [b] de Eccleſiis Cathedralibus, Epiſcopalem ſeu Cathedralem interpretamur Eccleſiam, in qua reſidet Epiſcopus ut Rex in Palatio, & quemadmodum *à Palatio* Regiam Juſſionem, ſic *à Domo* Epiſcopalem dicimus Conſtitutionem proficiſci, nec aliam putamus Heytonis mentem eſſe, quàm ut indictum jejunium generaliter obſervetur ab omnibus, ſive *à Palatio* ſive *à Domo*, id eſt, ſive à Rege ſive ab Epiſcopo denuntietur. In notatiuncula Dacherii de jejuniis *à Palatio* denuntiatis duo proferuntur teſtimonia; unum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Gregorii Turonenſis, alterum ex Caroli Magni literis ad Faſtradam Reginam. Error irrepſit in numerum libri Gregoriani, & è Dacheriano Spicilegio in poſtremam Conciliorum Collectionem tranſiit. Libri 19 loco reponendus eſt liber 9, cujus capite viceſimo-primo hæc de Guntchramno Rege commemorantur. *Tunc ferebatur Maſſilia à lue inguinaria valdè vaſtari, & hunc morbum uſque ad Lugdunenſem vicum, Octavum nomine, fuiſſe celeriter propalatum. Sed Rex, ac ſi bonus Sacerdos, providens remedia, quibus cicatrices peccatorii vulgi mederentur, juſſit omnem populum ad Eccleſiam convenire, & Rogationes ſumma cum devotione celebrari, & nihil aliud in uſu veſcendi niſi panem hordeaceum cum aqua munda adſumi, vigiliſque adeſſe inſtanter omnes jubet*, ut Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum duodenonageſimum [c] obſervavimus. Tomo quoque ſexto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum [d] poſt reportatam de Avaris victoriam recitavimus præcitatas Caroli Regis ad

[a] Cap. 3.
[b] Cap. 15.
[c] Num. 2.
[d] Num. 5.

Digitized by Google

Faſtradam Reginam literas, quarum fragmentum repetemus, ut obſerves illo anno in Rogationibus extraordinariis, quæ menſe Septembri factæ ſunt, nihil actum omnino præter id quod priùs à Sacerdotibus ordinatum fuit, atque ex eodem Carolinarum literarum fragmento ſuppleas, quod in ſimili cauſa Gregorius Turonenſis proximè citatus ſubintelligendum reliquit. *Nos*, inquit Carolus ad Faſtradam, *Domino adjuvante, tribus diebus Litaniam fecimus, id eſt, Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, & Martis, & Mercurii, Dei miſericordiam deprecantes, ut nobis pacem & ſanitatem, atque victoriam, & proſperum iter tribuere dignetur, & ut in ſua miſericordia & pietate nobis adjutor & conſiliator, atque defenſor in omnibus anguſtiis noſtris exiſtat. Et à vino & carne ordinaverunt Sacerdotes noſtri, qui præter infirmitatem, aut ſenectudinem, aut juventudinem, abſtinere poterant, ut abſtinuiſſent; & qui redimere voluiſſet, quod vinum licentiam habuiſſet bibendi ipſis tribus diebus, ditiores & potentiores homines in unaquaque die ſolidum unum dediſſent, minùs potentes juxta poſſibilitatem ipſorum, & qui amplius dare non poterat, & vinum bibere volebat, ſaltem vel unum denarium donaſſet. Eleemoſynam verò unuſquiſque ſecundùm propriam atque bonam voluntatem vel juxta poſſibilitatem feciſſet. Et Sacerdos unuſquiſque Miſſam ſpecialem feciſſet, niſi infirmitas impediſſet; & Clerici, qui Pſalmos ſciebant, unuſquiſque quinquaginta cantaſſet, & interim quòd ipſas Litanias faciebant, diſcalceati ambulaſſent. Sic conſideraverunt Sacerdotes noſtri, & nos omnes ita aptificavimus, & Domino adjuvante complevimus. Unde volumus, ut tu cum ill. & ill. vel ceteris fidelibus noſtris conſiderare debeas, qualiter ipſæ Litaniæ ibidem factæ fiant. Tu autem juxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio.* Obiter autem ex textu Gregorii Turonenſis & ex epiſtola Caroli nota Rogationes ſeu Litanias, quales ſingulis annis ante Feſtum Aſcenſionis fieri ſolent, qualibet anni tempeſtate, cùm ſubitaneæ cauſæ poſcebant, olim celebratas fuiſſe, ut ſuperioribus Tomis ſæpè probavimus, inculcandúmque cenſuimus adversùs eos, qui, quoniam duplex Rogationum genus, unum ordinarium ante diem Aſcenſionis, alterum extraordinarium quolibet alio tempore, non diſtinxerunt, temerè nos ſugillarunt, quaſi Feſtum Aſcenſionis anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quarto, quo Sanctus Gallus ex hac vita diſceſſit, ultra Kalendas Julii rejecerimus.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

Nonò, jubendum eſt eiſdem Sacerdotibus, ut non permittant ſecum mulieres habitare extraneas juxta Nicænum Concilium, niſi eas tantùm, in quibus ſuſpicio nulla malæ famæ oberiri poteſt. Alludit ad tertium hunc Nicæni Concilii Canonem. Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήθ' ὅλως τῷ ἐν τῷ κλήρῳ τινὶ εἰζεῖναι συνείσακτον ἔχειν. πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα προσωπα διαπέφευγε πᾶσαν ὑποψίαν. *Magna Synodus pleniſſimè vetuit Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, aut ullum Clericorum habere ſecum mulierem introductam, niſi fortè matrem, vel ſororem, vel amitam, vel denique eas ſolas perſonas, quæ omni ſuſpicione carere ſolent.* XXX.

Decimò, ut tabernæ non ingrediantur, nec ſedendo domi, nec in itinere occupati. Si verò neceſſe habent ibidem aliquid emendi, Miſſos ſuos dirigant, & oblata in aliam domum conferant, & cum gratiarum actione fideliter percipiant. Tabernarum ingreſſus Preſbyteris à pleriſque Conciliis interdictus fuit, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [a] obſervavimus. XXXI. Nn. 179. 215.

Undecimò, ut Placita ſecularia non obſervent, nec fidejuſſores exiſtant, nec canes ad venandum, nec accipitres, vel falcones, nec ſparvarios, nec ullius ludi aut ſpectaculi licentiam habeant. Sufficit enim eis quod in primo Pſalmo legitur [*in lege Domini eſſe eorum voluntatem, & in lege ejus meditari die ac nocte.*] *Et quod in Apoſtolo præcipitur.* [*Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.*] Harum Sanctionum pleraſque ad annum XXXII.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

quoque Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [a] jam recitavimus ex Concilio Remenſi & ex Capitulari Caroli Magni.

Duodecimò, ut ſciant quia nemo per pecunias ordinandus eſt, nec per munera Eccleſiam debet occupare, quia ſi factum fuerit, & ipſe, & ordinator ejus deponendi ſunt, quia manifeſtum eſt eos, qui talia agunt, ſimoniacâ hæreſe agrotare, & talem non per oſtium in ovili ovium juxta Evangelii verba, ſed aſcendentem aliunde, furem eſſe & latronem. Et non ſolùm ipſi qui hoc faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, excommunicandi ſunt. Synodus Remenſis, ut etiam diximus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [b], quò celebrata fuit, Capitulo viceſimo-primo præcipit, *ut quicumque Presbyter per pretium gradum & Eccleſiam acquiſierit deponatur.*

Nn. 63 444.

XXXIII. [b] Num. 54.

Tertio-decimò, ut nullus vagantem ex aliena Parochia audeat recipere, aut ſecum commorandi, aut Miſſam celebrandi, niſi permiſſione noſtrâ, det facultatem. *Nec ullius Eccleſiæ aut plebis gubernacula ſuſcipiendi, niſi præveniente conſcientiâ noſtrâ,* faciat poteſtatem. *Qui ſecus fecerit, excommunicabitur.* In hoc textu ſupplevimus has voces, *faciat poteſtatem*, necnon & illas, *det facultatem*, ex Dacherii notatiuncula, quæ ſic ad oram legitur. *Deſunt duo verba, nempe det facultatem, aut faciat poteſtatem.* Alioquin phraſis manebat imperfecta.

XXXIV.

XXXV. *Quarto-decimò, ut in tuguriis, vel in Eccleſiis conſecratis, vel in domibus, niſi fortè viſitandi gratiâ in infirmitate detentus, Miſſarum Myſteria non celebrent. Quòd ſi fecerint, propter inobedientiam degradandos ſe ſciant.*

XXXVI. * cenſo

*Quinto-decimò, quòd decima, quæ à fidelibus datur, Dei cenſus * nuncupanda eſt, & Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars, ſecundùm Canonem Toletanum, Epiſcoporum debet eſſe. Nos verò hac poteſtate uti nolumus, ſed tantùm quartam partem, juxta conſtituta Romanorum Pontificum & obſervantiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de eadem habere volumus. Quòd ſi quis contentioſus inde repertus fuerit, ſive ille Clericus, ſive Diaconus ſit, communione privabitur, & Synodali cenſurâ judicabitur.* Per Canonem Toletanum intellige ſextum hunc Canonem nonæ Synodi Toletanæ, menſe Novembri, anno ſeptimo Receſvinthi Regis, paulò poſt medium ſeptimum ſeculum celebratæ. *Cùm præteritis Sanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus Parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur, opportunè duximus decernendum, ut ſi Epiſcopus tertiam, quam de rebus eiſdem Sanctione Paternâ ſibi debitam novit, aut ipſi Eccleſiæ cujus res eſſe poteſcit, aut alteri Eccleſiæ cui elegerit, conferre decreverit, & licitum maneat, & irrevocabile robur ejus ſententia ferat.* Ut autem Heytonis ſententiam magis probes, relege quæ ſcripta ſunt ad annos Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium [c] & octingenteſimum ſeptimum [d] de quadripertita bonorum Eccleſiaſticorum diſtributione.

[c] Nn. 26. 30.
[d] Num. 25.

XXXVII. *Sexto-decimò, ut unuſquiſque hoc provideat, ut mulieres ad Altare non accedant, nec ipſa Deo dicata in miniſterio Altaris intermiſceantur. Quòd ſi pallæ Altaris lavandæ ſunt, à Clericis abſtrahantur* ab Altari, *& ad cancellos fœminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & à Presbyteris, cùm oblata ab eiſdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad Altare deferantur.* Ex notatiuncula Dacheriana ſupplevimus has voces, *ab Altari;* deinde locum illum, *ſimiliter & Presbyteri*, ſic emendavimus, *ſimiliter & à Presbyteris*, ne phraſis vitio laboret. In Concilio Laodiceno, Canone quadrageſimo-quarto ſtatuitur, *quòd non oportet mulierem ad Altare ingredi.* Ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι. Hunc Canonem Tomo ſuperiore jam recitavimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum, quia pars eſt Capitularis apud Aquiſgranum tunc editi.

XXXVIII. *Septimo-decimò, ut ipſi Sacerdotes verbo & exemplo omnibus prædicent, ut nullus uſuras accipiat, nec ſexcupla, nec ſpeciem pro ſpecie. Quia valdè infidelis & rebellis Dei juſſionibus eſt qui hoc agit, quod omnibus Chriſtianis æquè interdictum eſſe dignoſcitur, maximè tamen Sacerdotibus, qui forma & exemplum ſi-*

Digitized by Google

dei omnibus esse debent. Capitulo quinto Capitularis Aquisgranensis, quod anno Christi septingentesimo undenonagesimo promulgatum fuit, *omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.* In hoc Capitulo citantur, Concilium Nicænum, Decreta Leonis Papæ Primi, & Canones Apostolorum. Canone decimo-septimo Concilii Nicæni damnatur ἡμιολίας ἀπαιτῶν, is qui exigit hemiolias seu sescuplas, vel, ut alii vertunt, hemiolia seu sescupla vel sexcupla. Porrò sescuplum sive sesquiplum dicitur, quod numerum seu pondus aut mensuram totam in se continet cum ejus dimidio; sic senarium est sescuplum quaternarii, quia in senario totum est quaternarium ac præterea pars dimidia quaternarii. In Collectione Canonum ac Decretorum, quam Hadrianus Papa Carolo Francorum Regi, cùm Romæ esset, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad usum Occidentalium Ecclesiarum dedit, tertio Decreto Leonis Papæ Primi præfigitur hic titulus. *Quòd usuram non solùm Clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani.* Et Canon quadragesimus-tertius Apostolorum præcipit, ut *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, pecunias mutuò datas cum fœnore exigens, vel cesset, vel deponatur.* Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τοκοις ἀπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ πανσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Rectè igitur Heyto statuit, *ut nullus usuras accipiat,* idque *omnibus Christianis aquè interdictum* ait, *maximè tamen Sacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus esse debent.* Duo distinguit usurarum genera; *sescupla* videlicet, & *speciem pro specie.* De sescuplis actum suprà. In specie pro specie committebatur usura, cùm quis pro specie, quam commodaverat, aliam exigebat speciem, quæ majoris esset pretii. Carolus Magnus hoc malum eradicare voluit. In ejus enim Capitulari, quod in undesexaginta distinctum Capitula Stephanus Baluzius è Jacobi Sirmondi schedis evulgavit, Capitulum duodevicesimum sic habetur. *Ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eandem speciem, quantùm dederit, accipiat.*

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

Decimo-octavò, ut nullus ordinatus sive ordinandus migret de sua Parochia ad aliam; nec ad limina Apostolorum, causâ orationis, Ecclesiæ suæ curâ derelictâ; nec ad Palatium causâ interpellandi; nec à communione suspensus ab alio communionem recipiendi, sine permissione & præscientia Episcopi sui. Quod si fecerit, nihil valet hujusmodi communio, aut ordinatio, aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causâ orationis ad limina Beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur; quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo. XXXIX.

Nono-decimò, ut aliud in Ecclesia non legatur aut cantetur, nisi ea, quæ auctoritatis divinæ sunt, & Patrum Orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa Angelorum nomina colant, sed ea tantùm, quæ Prophetica & Evangelica docet Scriptura, id est, Michael, Gabriel, Raphael. Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium, cùm unus minùs, alter majùs, alteri adulando, alteri detrahendo placere velit, sed consideratâ qualitate personæ juxta modum culpæ agatur censura vindictæ. XL.

Lege quæ Tomo quinto scripta sunt ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-sextum [a] adversùs Aldebertum hæreticum, qui plurima fingebat Angelorum nomina. Lege & Tomo sexto Capitulare Aquisgranense ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum [b], necnon & ejus epitomen hoc Tomo septimo ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum [c], Capitulo enim decimo-sexto præcipitur *ut ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate. Hi sunt, Michael, Gabriel, Raphael.*

[a] Num. 17. [b] Num. 10. [c] Num. 30.

Vigesimò, admonendi sunt, ut perpendant, quia quicquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est; ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in veteri Testamento de Sacerdotibus dictum est. [*Iniquitatem populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore solliciti sint, quorum donis participantur, quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.* XLI.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

Vigesimo-primò, ut sciant & intelligant, quid sit incesti crimen, & hoc unusquisque in sua Parochia provideat ne fiat, &, si factum fuerit, quantùm celerrimè potuerit, emendetur, id est, ut nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto genu, id est, usque in quinto gradu, sive usque in quinta generatione, ut Tomo quinto [a] in Concilio Vermeriensi sub Pippino Rege jam observavimus. *Quòd si ignoranter factum fuerit, non facilè credatur, sed judicio Dei examinetur; & non separentur in quarto genu, sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Similiter & vir duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut compater, aut commater, filiolus, aut filiola spiritualis de Fonte, aut de Confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nullâ ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo verò genu vel secundo si inventi fuerint scelus perpetrasse fornicationis, matrimonii jura ulteriùs sciant se funditus perdidisse. In tertio verò genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna pœnitentia eos subsequatur, & tamen matrimonii jura eis non vicissim, sed ad alios non negentur.* In hac periodo post *vicissim* videtur deesse vocabulum *concedantur*, aut aliud simile, ut is sit sensus, *matrimonii jura eis non vicissim concedantur, sed ad alios non negentur*, id est, *vicissim* seu simul non conjungantur, sed licentiam habeant matrimonium cum aliis contrahendi. *Ubi verò mancipia non unius sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit.* Quæ proximè sequitur, hæc egèt emendatione periodus. *Quicquid verò negligendo sentitur, & virtute quâ potuerit non emendetur, nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit.* Dacherius sic legendum putat. *Quicquid verò negligendo consentitur, eâ virtute quâ potuerit emendetur, nam*, &c. Denique Capitulum sic clauditur. *Plura sunt quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, & filia, & noverca, & penè innumera, quæ menti ad scribendum non occurrunt, hujusmodi tamen & his similibus personis copula maritalis in sempiternum substrahitur.*

[a] Ad an. 753. n. 4.

XLII.

XLIII. *Vigesimo-secundò, ammonendi sunt, ut sciant populis denuntiare, quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ Evangelica & Apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam, quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omnimodo devitent, quia non solùm in Evangelio vel Reliquiis Sanctorum crimen perjurii, sed in veritate quæ Deus est, si mentitur, perpetrare dinoscitur.*

XLIV. *Vigesimo-tertiò, ammonendi sunt, ut sciant, quia in Ecclesiis, quibus præsunt, sponsi facti sunt, & ideo omni vigilantiâ qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.*

XLV. *Vigesimo-quartò, ut horas Canonicas tam nocturnas quàm diurnas nullatenus prætermittant. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solùm novi Testamenti documenta sunt eamdem formulam observandi, sed etiam veteris Testamenti, patet ratio, quia Propheta Spiritu Sancto instinctus profert.* [*Septies in die laudem dixi tibi.* [*Et,* [*mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.*]

XLVI. *Vigesimo-quintò, ut plebibus denuntient, qui filios & filias spirituales, quos in Baptismate suscipiunt, & eis fidejussores & sponsores fidei existunt, & pro eis diabolo, cui anteà mancipati fuerant, abrenunciant, & ideo usque cùm adulti fuerint, & eis fidei suæ sponsionem & abrenuntiationis exposuerint, & reddiderint, in sua providentia habeant. Et quòd illi, qui pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant.* Huc usque Heytonis Capitulare.

XLVII. UTRUMQUE MUNUS DIMITTIT. Idem Heyto, cùm annos septemdecim Augiensi Cœnobio, sexdecim Episcopatui Basileensi præfuisset, hoc anno, ut insinuatum suprà, utrumque munus sponte dimisit. Hermannus Contractus in editione Canisiana sic ad annum Redemptoris octingentesimum sextum scribit. *Augia Waldone Abbate ad regendum Sancti Dionysii Cœnobium transposito, Heyto nonus Ab-*

Digitized by Google

bas præfuit annos 17. Id eſt, ad hunc uſque annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium. Triplex autem ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum error eſt in hoc ejuſdem editionis textu. *Augiæ Heytone Abbate & Epiſcopo privatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas* XIII *præfuit annis 13.* Primò, quæ de ſpontanea Heytonis abdicatione proferuntur, in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium rejici debent, ut patet ex prædictis, in eadem enim editione Heyto fit Abbas *anno 806*, & Augiæ præeſt *annos 17.* Deinde Erlebaldus inter Augienſes Abbates non XIII ſed X numerari debet, deceſſor enim Heyto *nonus Abbas* ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum ſic dicitur. *Augiæ Waldone Abbate ad regendum Sancti Dionyſii Cœnobium tranſpoſito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.* Nec plures à nobis hactenus Abbates Augiæ recenſiti ſunt hoc ordine, primus Pyrminius, ſecundus Heddo, tertius Kebas, quartus Ernfridus, quintus Sidonius, ſextus Joannes, ſeptimus Petrus, octavus Waldo, nonus Heyto. Denique Erlebaldus Augiæ præfuit non annos 13 ſed 15, ut Bruſchius & Bucelinus in Catalogis Abbatum Augienſium legunt, ab hoc videlicet anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodequadrageſimum, quo Chronicon Hermanni Caniſiani ſic habet. *Augiæ Erlebaldo Abbate cedente, Ruddhelm Abbas* XI *præfuit annis 4.*

AN. CH 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

ERLEBALDUS FIT ABB. AUGIENSIS.

In Augienſi Monaſterio, ſub utroque Abbate, Heytone ſcilicet & Erlebaldo vixit, atque in Eremo Martyrium poſteà paſſus eſt Meinradus ſeu Meginradus ejuſdem Erlebaldi propinquus. Hujus beatiſſimi Martyris vitam vetuſtus ſcripſit Anonymus, quam Chriſtophorus Hartmannus Einſidlenſis Monachus ex antiquiſſimis illius Cœnobii membranis edidit, & Joannes Bollandus Actis Sanctorum ad diem viceſimam-primam Januarii cum notis inſeruit. *Meginradus in Alemannia natus eſt, in pago, quem ex villa Sulichgewe vocavit antiquitas. Parentes verò ejus ex Alemannis fuerunt, morum nobilitate magis conſpicui quàm divitiis perituris. Qui cùm eam attigiſſet ætatem, quâ aptari poſſet literarum ſtudiis, à patre ducitur ad Inſulam, quam veteres Sindlocheſaugiam vocabant. Huc puer præfatus à patre ductus, commendatur viro per omnia honeſtiſſimo Erlebaldo Monacho, qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis fuit. Is cùm infantulum bonæ indolis conſpiceret, gratanter nutriendum ſuſcepit, ſtudioſè docuit, atque eò uſque imbuendo produxit, ut Sanctarum Scripturarum ſcientiam infudiſſet. Nam puer à primæva ætate jocos atque errores, quibus tenerior ætas implicari ſolet, vitavit, atque ad ea mentem occupavit ſuſcipienda, quæ docuerat Magiſter. Cùm autem viceſimum-quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatûs officium, & non multùm poſt ad Presbyterii gradum, faciente eodem ſuo Magiſtro, ſublimatus eſt. Fuit autem tunc temporis, regnante Ludovico Cæſare, filio Caroli, in ipſa Inſula Abbas nomine Hatto, vir valdè in doctrina & operibus bonis morúmque nobilitate fulgens, qui & Baſileenſis Eccleſiæ Præſul extitit. Quo actuoſæ vitæ negotia reſpuente, atque ad contemplativæ vitæ pulchritudinem ſe transferente, præfatus Erlebaldus cum licentia Ludovici Cæſaris electus ab omnibus prædictæ Inſulæ & fratribus præficitur, atque in Abbatis officium ſubſtituitur. Qui ſtatim hac poteſtate ſuſceptâ, jam ſæpè dictum virum venerandum Meginradum ſuaſit jugum ſuſcipere, normámque Monaſticæ vitæ ſubire tenendam. Conſenſit ergo ſalubri conſilio, & promiſſionem fecit, atque omni intentione ſtuduit promiſſa ſervare, promptus ſemper ad obediendum, in jejunando ſtrictus, in oratione aſſiduus, in miſericordiæ operibus largus, & maximè humilitate ſubſtratus omnibus.* Ex hoc textu & ex notis, quas Bollandus ex vita quadam Germanica & ex Annalibus Einſildenſibus concinnavit, ætas Meginradi ſic colligitur. Anno Redemptoris octingenteſimo quinto natus eſt Meginradus Sulgoviæ, quæ olim villa, nunc oppidum, vulgò *Sulgen*, juxta Danubium; patet Bertholdus & Sulgoviæ Comes ab Hartmanno vocatur. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo puer quinquennis ad Augienſe Monaſterium à patre perductus eſt, ibique

XLVIII. MEINRADUS ERUDITUR IN MON. AUGIENSI.

AN. CH. 823. anno ætatis ſuæ duodeviceſimo, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, cùm Heyto ſive Hatto munus Abbatiale dimiſit, ab Erlebaldo Monacho & propinquo ſuo nondum Monachus erudiebatur, nec ab eo poſt Heytonem Abbate facto deſiit edoceri. Septimo ejuſdem Erlebaldi Abbatis anno, ſive anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo promotus eſt ad Diaconatum, priùs autem Monachum induerat hortante eodem Abbate, ut infrà fuſiùs ac diſtinctiùs exponemus.

XLIX. THEODORICUS FIT EPISC. BASILEENSES. Heytoni, ut in Abbatiam Augienſem Erlebaldus, ſic & in Epiſcopatum Baſileenſem ſucceſſit Theodoricus, de quo Bruntrutani Scriptores hoc unum in Baſilea ſacra memorant, quòd tertio Nonas Novembris hoc eodem anno, Ludovici Auguſti decimo, Chartæ Ebersheimienſi ſubſcripſit.

L. ELEVATIO S. URSMARI. Ad hunc annum *Elevatio Sancti Urſmari Confeſſoris Lobienſis* in Chronographia Sigeberti *celebratur*. Eandem Elevationem Fulcuinus in Geſtis [a] Abbatum Lobienſium ſub Abbate Folrado non omiſit. *His*, inquit, *diebus lucernam ſuam Dominus, quam juſtificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam Miraculis clarificaverat, nolens diutiùs deliteſcere, ſed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis* Folradi *cor tetigit, & ut Sancti & venerandi & cum omni amore nominandi Urſmari corpus de ſepulchro elevaret, accendit. Quæ Elevatio facta eſt juſſu & permiſſu ejus*, nempe Halitgarii, *qui tunc erat Cameracenſis Epiſcopus, agentibus Clericis utriuſque Ordinis, cum frequentia magna populari. Expletâ itaque Elevatione diem illam feſtivam duxêre, nobiſque & poſteris celebrem eſſe ſanxêre. Facta eſt autem hæc Elevatio anno Domini octingenteſimo viceſimo-tertio, ab ipſius verò Sancti, non dicam obitu, ſed Natalitio, quo verè cœpit vivere in Chriſto, decimo poſt centum exacto. Abhinc ergo cœpit beati viri celebris fama crebreſcere, & confluentibus languentium turmis ad diverſa ſanitatum genera Miraculis coruſcare.*

[a] Cap. 10.

L I. ABBATES LOBIENSES. Hildricus, ut Tomo ſuperiore diximus [b], anno Redemptoris octingenteſimo primo factus eſt Abbas Lobienſis, eique ſub Ludovico Pio ſucceſſit Ramnericus, tum Folradus apud Viromanduos Abbas jam San-Quintinianus. De tribus hiſce Canonicis Abbatibus ita Fulcuinus [c] Abbas Monachus erga Canonicos Abbates haud æquus ex omni parte. *Abbatiam uſurpavit Hildricus Canonicus ſub ipſo Imperatore* Carolo. *Et poſt eum Ramnericus tempore Domni Hludovici Imperatoris. Deinde pervenit ad Dominum Folradum, Piiſſimum Abbatem avunculum jam dicti Ramnerici ſub eodem Imperatore. Priorum tantùm nomina, non geſta ſciuntur; credo propter annorum paucitatem aut commemorationem non multò utilem. Tertius quis fuerit, Geſta docent, fuit enim multæ nobilitatis & Regiæ affinitatis.* In Hildrico Abbate paucitas annorum ad excuſationem ſilentii non poteſt afferri, Dignitatem enim Abbatialem hic obtinere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo primo, annóque pòſt decimo-tertio ſuperſtes interfuit Concilio Noviomenſi. De genere Folradi ſeu Fulradi, qui patre natus eſt Hieronymo, Pippini Regis filio, jam locuti ſumus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum [d], quo celebrata Synodus Noviomenſis.

[b] Ad an. 801. n. 36.

[c] Cap. 9.

[d] Num. 36.

L I I. THEODEBERTUS EP. MASSILIENSIS ET ABB. S. VICTORIS. In elenchis Epiſcoporum [e] Maſſilienſium & Abbatum [f] Victorinorum per hæc tempora commendatur Theodebertus ſeu Teutpertus aut Tutpertus, qui primùm Abbas Sancti Victoris, deinde Maſſilienſis etiam Epiſcopus fuit. Prædicatur Ludovico Pio percharus, à quo confirmationem accepit Donationis à patre Carolo quondam factæ pro jure vectigalis, quod naves in portu Maſſiliæ juxta Monaſterium Sancti Victoris ad anchoras collocatæ penſitarent.

[e] Gall. Chriſt. Tom. 3.

[f] Gueſnayus in Caſſiono illuſtrato l. 2. c. 25. n. 50.

L I I I. Hoc anno Claudius Taurinenſis Epiſcopus edidit *libros informationum litteræ & ſpiritûs ſuper Leviticum.* Præfationem enim ad Theodemirum Abbatem Tomo primo veterum Analectorum apud Joannem Mabillonium ſic abſolvit. *Adgredimur hoc opus annuente pietate divinâ Quadageſimæ tempore ſub die ſeptimo Idus Martii, anno Incarnationis* DCCCXXIII *Salvatoris noſtri Jeſu*

Jeſu Chriſti. Illo anno Paſcha celebratum fuit Nonis Aprilibus, & dies ſeptimus ante Idus Martii coincidit cum Sabbato ante Dominicam tertiam Quadrageſimæ. AN. CH. 823.

LIV. CONTENTIO INTER LAUDUNENSES CANONICOS ET MONACHOS CONCHENSES COMPONITUR.

Impoſitus eſt hoc eodem anno finis contentioni, quæ vertebatur inter Monachos Conchenſes & Laudunenſes Canonicos pro poſſeſſionibus in Arvernia ſitis. Anaſtaſius Abbas Conchenſis Ludovicum Auguſtum Aquiſgrani commorantem adiit. Imperator auditâ totius litis causâ permutationem quarumdam poſſeſſionum agendam exiſtimavit. Aſſenſit Abbas. Electus à Ludovico Stabilis Arvernorum Epiſcopus, qui prævio judicandarum rerum examine controverſiam omnem dirimeret. Id actum felici prorſus exitu, ut conſtat ex Charta, quæ numero eſt quadringenteſima octogeſima-prima in Chartulario Conchenſi, datáque reperitur menſe Septembri, hoc anno, Ludovici Imperatoris decimo. Initium duntaxat & finem producemus, ut noſtræ Chronologiæ plùs auctoritatis accedat. *Inclytus atque triumphator in ſolio ſancto elevatus Ludoicus divinâ ordinante gratiâ Imperator Auguſtus, cùm ipſe potens Aquis Palatii in aula Regali omnia univerſáque luſtraret, &c. Facta concambiaria iſta in menſe Septembris & anno decimo Regni Ludoici Glorioſiſſimi Regis. Stabilis indignus Epiſcopus jubente Domino Ludoico Imperatore ſignavit.* Integram Chartam ſi legere cupis, conſule veterum [a] Actorum Appendicem, quam Stephanus Baluzius poſt Notas ad Capitularia publicavit.

[a] AD. 40.

LV. EPISCOPI ARVERNENSES.

Ex illo Diplomate deprehendimus duos Stabiles Epiſcopos Arvernorum fuiſſe nono ſeculo; Seniorem, qui floruerit anno Ludovici Auguſti decimo, ſeu Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio; Juniorem, qui Concilio Tuſiacenſi præſens interfuerit *anno Incarnationis Domini Jeſu Chriſti* DCCCLX, *Indictione* IX jam inchoatâ. Quæſtio eſt, uter Kalendis Januarii colatur. Stamus pro Seniore, quia quem Arverni Stabilem venerantur, is ſolus occurrit in multis Arvernenſium Epiſcoporum Catalogis, & Epiſcopatum aſſeritur geſſiſſe Ludovio Pio Imperatore. Poſt Fridigiſum igitur, qui Carolo Magno ſuperſtes vixit, in Arvernenſi Cathedra ſedit Sanctus Stabilis; tum Adebertus, qui Moſacenſe Monaſterium à Pippino Rege, Ludovici Pii filio, inſtauratum dedicavit; deinde alter Stabilis, qui Concilio Tuſiacenſi ſubſcripſit. Atque hæc eſto Arvernenſium Epiſcoporum ſeries, ad quam revocandi ſunt omnes Indices expuncto Benigno, quem ex Anianenſi pſeudo-charta nonnulli fruſtrà conantur obtrudere.

LVI. ABBO ABB. S. MAXENTII.

In Diœceſi Pictavenſi florebat Abbo Sancti Maxentii Abbas, de quo ſic Chronographus illius loci. *Anno* DCCCXXIII, *Abbo Abbas & Gudacher Prior præerant Abbatiæ Sancti Maxentii.*

LVII. ABBATES S. CRUCIS MELDIS,

In Diœceſi Meldenſi Grimoaldus Abbas Sanctæ Crucis obiit. Subrogatus eſt Rainerius. Uterque memoratur in manuſcripto Catalogo, quem citare conſuevimus Ille Monaſterium annis tribus ac viginti rexit, hic decem.

LVIII. FONTANELLÆ,

Eginhardus Fontanellenſis & Gandenſis Abbas adminiſtrationem Fontanellenſis Monaſterii dimiſit, eique ſucceſſit Anſegiſus Abbas Luxovienſis. Chronographus Fontanellenſis caput operis ſui decimum-ſextum ſic exorditur. *Anſegiſus vir glorioſus ac tranquillus, omníque ſcientiâ divinæ ſcilicet atque humanæ Philoſophiæ ſufficienter inſtructus, à patre Anaſtaſio nomine mâtréque vocabulo Himilrada procreatus, divinâ ordinante Clementiâ regimen accepit loci hujus anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXIII, *qui erat annus Ludovici Glorioſiſſimi Auguſti decimus, porrò Paſchalis Apoſtolici circiter ſeptimus, ſub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I.* Hi Characteres ſimul rectiſſimè conveniunt. Indictio prima per menſem Aprilem cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, Paſchalis Papæ ſeptimo, Ludovici Auguſti decimo, componitur. Hæc Chronologia in eodem quoque capite ſic confirmatur. *Anno Imperii Domni Ludovici Auguſti tertio*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, *Traſarus Rector hujus Cœnobii cum licentia ejuſdem Imperatoris ad locum ſuæ nativitatis repedavit* abdicato Monaſte-

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7. LIX.

rii regimine. *Poſt quem Einhardus hoc Cœnobium per ſeptem fermè tenuit annos. Quod demùm ultrò derelictum, divinâ ut credi fas eſt juſſione, ac Glorioſiſſimi Imperatoris Ludovici largitione, Domnus Anſegiſus ad gubernandum ſuſcepit anno jam ſuprà taxato*, ſive anno Redemptoris octingenteſimo vicesimo-tertio, qui ſeptimus poſt octingenteſimum decimum-ſextum numeratur.

Qualem Anſegiſus in Monaſterio Fontanellenſi ſe præſtiterit, idem Author ita ſubjungit. *Cœnobium ſolerti ſtudio ſummâque induſtriâ nobilitavit, ut novus Wandregiſilus credi poſſet, aut etiam magnus Præſul Ansbertus redivivam ad lucem regreſſus fore putaretur. Verùm ſicut illi in exordio ſui ædificiis nobilitaverunt, Clerum auxerunt, diſciplinis Eccleſiaſticis imbuerunt, ita iſte diruta emendare ſtuduit, ac vetuſtate conſumpta in majori elegantia reparavit, Clerum nobiliſſimè auxit, ac regulari ordine ſecundùm egregii Patris Benedicti normam ut vitam degerent multipliciter decertavit. Nam ex deſidia priorum Patrum, qui gregis ſibi commiſſi curam minùs devotè geſſerunt, ſtatus almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti quaſi caſurus videbatur, licèt illi, qui Domino militabant, Canonico Ordine irreprehenſibiliter converſarentur. Contigerat enim ob incuriam, ut jam dixi, Prælatorum, qui ea, quæ Regulæ auctoritas ſacræ dare mandabat, parvipendendo impertiri diſtulerant; ſed prædictus Reverendiſſimus Pater Anſegiſus hoc modis omnibus ſategit, ut priſtinum ſtatum ac legem recuperaret, juxta quod voluntatem Domni Imperatoris ſuper hoc noverat, & quæ Regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret. Denique ex Luxovio Cœnobio, quod in Galliarum terris in Religione ac Regulari diſciplina non inferius uſque ad præſens videtur, Monachos Deum timentes virôſque religioſos ſecum huc adduxit, qui & legem iſtinc Monachorum docerent, & exempla ſalubria oſtenderent (licèt olim à viro juſto Benedicto Foſſacenſis Cœnobii Abbate eruditi in hac Philoſophia viderentur) qui plurimis diebus in hoc Monaſterio converſantes nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis ſuæ iſtic reliquerunt. Nam, ut verè fatear, non inferius Franciæ ſeu Galliæ Monaſteriis iſtud in omni Religione comparabatur Cœnobium.*

LX. In hoc textu laudantur qui Fontanellæ ſanctiſſimi præfuerunt Abbates ſeptimo ſeculo Wandregiſilus & Anſbertus. Anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, Clodovei Secundi Regis undecimo, Wandregiſilus Monaſterium conſtruere cœpit, rexitque ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſeptimum, quo ſublatus eſt ex hac vita. Regulam diſcipulis ſuis præſcripſit collectam ex ſcriptis antiquiorum Patrum, qualem ſequebantur Monachi prope ſaltum Jurenſem, quibuſcum integro decennio poſt ſuum è Bobienſi Monaſterio reditum vixerat. Ei ſucceſſit in munus Abbatiale Lantbertus, qui cuncta ſtrenuè atque irreprehenſibiliter in adminiſtrando Cœnobio *ſecundùm Regulam Sanctorum Patrum* geſſit, donec ex Abbate Fontanellenſi factus eſt Epiſcopus Metropolitanus Eccleſiæ Lugdunenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octavo. Tunc Anſbertus regimen Fontanellæ cum Abbatis Titulo ſuſcepit. Hic quinque duntaxat annis, priuſquàm ad Rotomagenſes Infulas aſſumeretur, Monaſterio præfuit; per illud tempus Regulam Sancti Benedicti primus illuc introduxit; deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo, cùm annum in Rotomagenſi Pontificatu quintum ageret, Synodum celebravit, in qua ſancitum, *ut ſicuti ſub ejus regimine, ita & deinceps ipſi* Monachi Fontanellenſes, qui tunc Hiltbertum Abbatem venerabantur, *& poſteri eorum, ſecundùm Regulam Sancti Patris Benedicti fidèliter Chriſto deſervirent.* Lege vitam Sancti Anſberti Auctore Aigrado, necnon & ea quæ de Sanctis Abbatibus, Wandregiſilo, Lantberto, Anſberto, & Hiltberto, Tomis tertio & quarto ſcripſimus ad annos notatos ſuprà. Quod pleriſque Monaſteriis accidiſſe jam monuimus, Fontanellenſi quoque contigit. In eo penè defecit Monaſtice, cunctis fermè Monachis ad Ordinem Canonicum migrantibus. Ut Monaſtica diſciplina reſtitueretur, allaboravit fruſtrà Benedictus, qui præcitato

FOSSATI, Chronographo *Foſſacenſis* eſt ſeu Foſſatenſis Abbas. In Abbatum Foſſaten-

Digitized by Google

ſium Catalogo Benedictus inter Optatum & Ingelbertum medius ita collocatur, *Optatus, Benedictus, Ingelbertus.* At ille Benedictus, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum [a] jam obſervavimus, non eſt alius à Benedicto Anianenſi ſive Indenſi Abbate, qui Foſſatum ac Fontanellam ut & alia pleraque Galliarum Monaſteria luſtravit, nec Abbas dici debet illorum Cœnobiorum, in quibus ad inſtaurandam tantùm Monaſticen aliquandiu degit. Duæ res ad Fontanellæ commendationem memorantur à Chronographo. Qui Monaſticen ejurare noluerunt, à Benedicto Monaſticis imbuti ſunt documentis, alii *Canonico Ordine irreprehenſibiliter* converſari non deſtiterunt. Anſegiſus autem Fontanellenſis Abbas hoc anno factus ea, quæ Benedictus perficere non potuerat, feliciter adimplevit Monachis ad opus tam arduum evocatis Luxovio, quod per univerſam Galliam famâ celeberrimum tunc erat Monaſterium. In Abbatum Luxovienſium Catalogo poſt Anſegiſum ponitur Fulbertus, de cujus præfectura diſputabimus Tomo ſequenti.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

[a] Num. 173.

LUXOVII.

Monachi Luxovienſes à primo Cœnobii conditu Regulam ſui conditoris amplexi ſunt, Regulam videlicet Sancti Columbani, retinuerúntque donec Benedictinæ tandem ſe ſummiſerunt Id hoc loco repetendum ducimus, ne ſcrupulum tibi moveat, quòd Sancti Benedicti Regulam ad Fontanellenſe Monaſterium aſſerimus è Cœnobio revocatam eſſe Luxovienſi, cujus Monachi ſub alia Inſtitutoris ſui Regula diu militarunt. Ab hac ſententia non recedit Joannes Mabillonius è Congregatione Sancti Mauri Monachus Benedictinus, quem pietate ac doctrinâ inſignem amicitiâque ſingulari nobis conjunctum ſæpè laudamus. *Initio*, inquit, *ſeculi noni Fontanellenſe Cœnobium ad Regulæ noſtræ ſtrictiorem diſciplinam revocatum eſt per Monachos Luxovienſes, procurante Anſegiſo Abbate, ut patet ex Chronici Fontanellenſis Scriptore æquali.* Hæc nuperrimè ſcripſit in Præfatione [b], quam quarto Seculo Benedictino præfixit. In eandem lucubrationem multa congeſſit ad terminandam diſceptationem, quæ mota fuit inter nos de antiqua Ordinis Benedictini intra Gallias propagatione. Hoc illi conſilium gratulamur. Unicum olim omnium Monachorum in Occidente, quamvis & Regulis & ritibus inter ſe differrent, Ordinem extitiſſe contendit. *Una* [c] *quippe erat eorum ſocietas, facilis & promiſcuus in alia Monaſteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus, tametſi omnia ſeparata erant, ſed unâ caritatis lege confœderata. Primaria vitæ Monaſticæ Regula erat abdicatio rerum omnium, tum propriorum ſtudiorum, qualis in Evangelio præſcribitur. Ad hæc receſſio à ſeculi tumultu, officia divina ſtatis horis, obedientia ſumma, juge ſilentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis caſtigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in ſumma, propriæ ſalutis una ferè & maxima cura; pro aliena continentes ac ſollicitæ preces; pro Eccleſia etiam ſuſcepti labores, ubi poſtulabat caritas, aut neceſſitas. Legumlatorum omnium Regula eò ſpectabant; & quæ ad id magis conducere videbatur, eam ſuſcipiebant Monachi cujuſque Monaſterii pro Rectorum arbitrio & voluntate apud Occidentales ſeu Latinos.* Ex hac infert [d] aſſertione fruſtrà diſputatum de Sanctorum delectu à Sodalibus Benedictinis habendo in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini recenſendis. *Hæc cùm ita ſint*, inquit, *non tantoperè diſceptandum erat de Monachis Sanctis, qui ævo Sancti Benedicti vixere, nimirum an & quando ejus Regulam ſuſceperint; déque Inſtituto Columbani, an fuerit à Benedictino diverſum, an Regula ejus peculiaris. Certum quippe eſt, unicum fuiſſe, non ſolùm Benedicti & Columbani, ſed etiam omnium Monachorum eo tempore Ordinem, tametſi varias Regulas atque ritus habuerint diverſos. Conſtat etiam non ſolùm Sanctum Benedictum, ſed & Columbanum, cùm duo in Gallia Cœnobia ædificaſſet, Spiritu Sancto repletum, ut teſtatur Jonas, condidiſſe Regulam quam tenerent. Præter hanc Regulam Columbanus ſcripſit Pœnitentialem librum: quod utrumque opus habemus in Codice Regularum. Tota lis eſt, an hæc Regula ſemper in unoquoque Columbani Monaſterio cum Benedictina ita coa-*

[b] §. 3. n. 105.

[c] §. 4. n. 58.

[d] §. 4. n. 62.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

luerit, ut nullo tempore ab illa ſejuncta ſit: aut ſi ſejuncta aliquando, quo demùm tempore cum ea coaluerit. Quod ſanè non magni momenti eſſe videbitur, ſi attendamus utriuſque Patris diſcipulos unius Ordinis conſodales ac commilitones fuiſſe. Diverſi quidem in nonnullis fuere Columbani ejúſque diſcipulorum mores à Latinorum Monachorum ritibus, quos Regulæ Sancti Benedicti profeſſores ſectabantur. At ſi quædam diſcidiola inde exorta excipias, unius Ordinis unionem non magis violabat illa diverſitas, quàm variæ nunc commentationes in Regulam noſtram. Tametſi verò quidam Columbani ritus à noſtris differebant, eodem tendebant præcipua quæque, penitúſque ſimilia erant; qualis eſt oblatio infantium in Monaſteriis, cujus oblationis ritum Columbanus ex Regula Sancti Benedicti forſan acceperit, nam ea de re nullum in ejus Regula Decretum invenio. Certè Donatus puer in Monaſterio Luxovienſi alitus, ibidemque Deo à teneris conſecratus eſt Columbano Abbate; quod

[a] 5. 5. n. 127.

etiam de Agilo puero legitur. Et inferiùs [a] circa Regulam Sancti Columbani, de qua præcipuè contentio fuit, tria ſubjungit hîc non omittenda. *Uno verbo, hac in re duo mihi certa & explorata videbantur, tertium omnino probabile. Certum quidem unum, Regulam Sancti Columbani à Regula Sancti Benedicti eſſe diverſam, neque hujus commentarium eſſe; alterum certum, ambas in unam haud ſeriùs apud Luxovienſes convenìſſe, quàm ſub primis Columbani diſcipulis: tertium, quod omnino probabile exiſtimo, eſt, hanc conjunctionem factam eſſe poſt Synodum Matiſconenſem, ſi non ſub Euſtaſio Abbate, qui intra annum à Synodo facta deceſſit, certè ſub Waldeberto ejus ſucceſſore. Is enim, referente Adſone Abbate in ipſius vita, ſi quid in rebus vel ceteris utriuſque vitæ commoditatibus, temporibus illorum duorum Patrum, Columbani videlicet & Euſtaſii, imperfectum reſtabat, omni induſtriâ ſupplevit, auxit, & ad unguem perfectiùs elimavit. Quicquid ſit tandem de hoc tertio capite, non dubito quin duobus primis aſſenſuri fuiſſent Trithemius & Tepeſius, ſi Sancti Columbani Regulam atque Vitam à Jona ſcriptam, quas numquam viderunt, attentè legiſſent.* In hoc textu multa ſunt, quæ numquam impugnavimus. *Regulam Sancti Columbani à Regula Sancti Benedicti eſſe diverſam, neque hujus commentarium eſſe,* ſemper arbitrati ſumus. Auctoritatem Jonæ, quam quidam elevare conati ſunt, conſtantiſſimè tuiti ſumus illibatam. Solam quoque Regulam Sancti Columbani numquam non exiſtimavimus à Luxovienſibus Monachis ante Matiſconenſem Synodum atque etiam aliquandiu poſt idem Concilium receptam fuiſſe. Sunt & in eadem Præfatione alia non pauca, quæ neutiquam in dubium vocavimus, ideóque de nobis hæc in ea momorantur [b]. *Non longè à ſententia noſtra recedere videtur eruditus vir Carolus Cointius, profeſſus ſe nuſquam negaſſe, ſub Carolo Magno Regulam Sancti Benedicti communi uſu receptam in Gallia. Tum ſubdit. Sub Meroveadis Regibus & Pippino Caroli Magni patre ſteterunt in Galliis multa Benedictinæ Familiæ Monaſteria. Hæc, ut & alia ceterorum Ordinum, quoniam Monaſtice plurimùm remittebatur, ad antiquos mores veterémque diſciplinam revocare conatus eſt Carolus; rémque, quamvis arduam, non parum promovit, ut inferiùs pleraque Synodi docebunt. Opus autem à patre tam feliciter inchoatum, triennio poſt ejus obitum vix elapſo, perfecit Ludovicus filius.* Hæc ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [c] Tomo priore ſub Carolo Magno ſcripſimus, & quod ſpeciatim per anteceſſum inſinuavimus de Ludovico Pio, poſteà prævalidè Tomo hoc ſeptimo probavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum [d], quo Ludovicus *Deo amabilis Imperator,* ut Aſtronomus in illius vita ſcribit, *conſtituit Benedictum Abbatem* Anianenſem *& cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam virís quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* Accedit auctoritas Ardonis æquè coætanei, qui vitam prædicti Benedicti Abbatis Anianenſis ſive Indenſis in literas retulit. *Aggregatis Cœnobiorum Patribus, unà cum quampluribus Monachis* Benedictus Abbas *perplures reſedit dies, ut ſicut una omnium erat profeſſio, fieret quoque om-*

[b] Num. 93.

[c] Num. 153.

[d] Num. 136.

Digitized by Google

nium Monaſteriorum ſalubris una conſuetudo. Et paulò pòſt. *Perfectum itaque propagatúmque eſt opus divinâ opitulante miſericordiâ, & una cunctis generaliter poſita obſervatur Regula, cunctáque Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, ac ſi ab uno Magiſtro & in uno imbuerentur loco.* Habes igitur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Regulam Sancti Benedicti per omnia Monachorum Gallicanorum Monaſteria poſt Aquiſgranenſe Concilium vel diffuſam vel propediem diffundendam, ſive unus Ordo Monachorum ſive plures per univerſam Galliam ævo Sancti Benedicti proximíſque ſeculis extiterint. Anno certè poſt Aquiſgranenſe Concilium proximo, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, Ludovicus Auguſtus Regulam Benedictinam in Landevenecenſe Monaſterium apud Armoricos induxit. *Neſcio*, inquit Mabillonius [a], *an ullum aliud fuerit*, illis videlicet temporibus, *alieni Inſtituti Cœnobium in Gallia.*

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

[a] Num. 91.

LXII. VARIA MONASTERIORUM GENERA.

Cunctis Galliarum Cœnobiis unam Sancti Benedicti Regulam tandem amplexis ſopita lis eſt omnis, quæ circa Monachorum Ordines vertebatur. Deinceps igitur labor noſter verſabitur in diſtinguendis non Monachorum ſed Monaſteriorum generibus. Sunt enim alia Canonicorum, alia Monachorum, nonnulla utrorumque vel ſimul, vel diviſim modò Canonicorum modò Monachorum. Exemplum non longè petemus. Monaſterium Fontanellenſe, de quo nobis nunc eſt ſermo, Monachos habuit à primo conditu; fervore Monaſtices pòſt remiſſo pars Monachorum adjunxit ſe Canonicis. Is erat Monaſterii ſtatus, quando illuc introducendæ Reformationis ergò directus eſt Benedictus Abbas Anianenſis. Quod autem Benedictus perficere non potuit, Anſegiſus hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-tertio Fontanellenſis Abbas factus feliciter adimplevit, Monachis ad opus tam arduum, ut ſuprà diximus, evocatis Luxovio.

LXIII.

Ante Anſegiſum in Fontanellenſi Monaſterio multi floruerunt Abbates, quorum memoria propter Sanctitatem celebris eſt in pleriſque Martyrologiis. E tanto numero, Chronographus, quem ſuprà tranſcripſimus, duos duntaxat, quibuſcum Anſegiſum compararet, Sanctos Wandregiſilum & Anſbertum ſelegit, nec hos immeritò præ ceteris, quia Sanctus Wandregiſilus Fontanellenſi Cœnobio Regulam primus præſcripſit, & Sanctus Anſbertus in idem Monaſterium Regulam Sancti Benedicti primus introduxit, Monaſtice verò lapſu temporis per Abbatum negligentiam collapsâ, neceſſe fuit Anſegiſo, ut quam priſtino ſplendori reſtituere Fontanellam volebat, vel inſtar Sancti Wandregiſili novæ Regulæ, vel inſtar Sancti Anſberti Regulæ Benedictinæ ſubjiceret.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

ANNUS

CHRISTI		824.		
LUDOVICI	IMP.	11.		
	REG.	44.	19.	7.
LOTHARII	IMP.	8.	2.	
	REG.	10.	2.	
PIPPINI III.	REG.	10.	8.	
LUDOVICI	REG.	8.		
INDICTIO		2.		

I. LOTHARIUS Auguſtus tertio Nonas Januarias, anno Regni ſui in Italia ſeu Longobardia ſecundo, Ludovici Auguſti undecimo, Indictione ſecundâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, cùm apud Compendium in patris ſui comitatu morabatur, hoc emiſit Præceptum, quo Donationes Eccleſiæ Comenſi quondam factas confirmavit. *In Nomine Domini Jeſu Chriſti Dei æterni. Lotharius* * *Auguſtus Invictiſſimi Domini Imperatoris Ludovici filius. Si providè propter reverendum venturi atque pavendi Judicii amorem juſtis ac rationabilibus Sacerdotum atque ſervorum Dei petitionibus, quas nobis propter quietem Sanctæ atque Catholicæ ſeu decorem præſentis ſtatûs Eccleſiæ, cujus Deo auctore regimen ſortiti ſunt, innoteſcere curaverint, aures clementiæ noſtræ divinitus inſtigati accommodamus, eâſque æſtuanti deſiderio ad debitum Deo propitio perduxerimus effectum, non ſolùm Imperialem conſuetudinem exercemus, atque prædeceſſorum noſtrorum videlicet Regum Francorum facta conſervando & noſtra in poſterum à poſteris inviolabiliter ſervanda* * *roboramus, verùm etiam ad præmia patriæ cæleſtis percipienda hujuſmodi facta abſque ambage valere confidimus. Quapropter comperiat fidelitas omnium noſtrorum fidelium, modernorum videlicet & futurorum, quia Leo Vir Venerabilis, Sacroſanctæ Eccleſiæ Comenſis Epiſcopus, ubi Sanctus Confeſſor Chriſti Abundius pretioſo corpore requieſcit, magnificum Culmen noſtræ Serenitatis adiens, detulit obtutibus noſtris quamdam auctoritatem ſeu confirmationem Domini & Genitoris noſtri Ludovici Excellentiſſimi Auguſti, in qua continebatur, qualiter Præceptum piæ recordationis avi noſtri Caroli Glorioſiſſimi Imperatoris, ſeu Præceptum confirmationis, ſcilicet Cumperti, Ariperti, & Luitprandi, Ratigiſii, Heritulphi, Deſiderii, vel prædeceſſorum eorum, quæ ipſi circa eundem venerabilem locum pro divino amore fecerunt de omnibus rebus, quæ & eidem ſacro loco tam ab ipſis quàm à quibuſcumque perſonis juſtè & legaliter fuerint traditæ, ſive de iis quæ antèà cum juſtitia acquirere potuerit, more Imperiali confirmarent, videlicet & ſpecialiter in eodem inſertum erat de teloneo ſeu mercato & Gegis cum ipſo loco, necnon in Canonicale ſtipendium concedimus Comanis Eccleſiaſticis Cluſas & pontem juris noſtri de Clavenna æternaliter. Inſuper in eadem continebatur auctoritate de altercatione, quæ orta fuit inter Petrum ejus prædeceſſorem atque Rectorem Sanctæ Comenſis Epiſcopum & Waldonem Sancti Dionyſii Abbatem, qualiter idem devotæ recordationis avus noſter Pius ac Glorioſus Imperator Carolus de eadem intentione decreverat, vide-*

* *Lotharius primus Auguſtus*

LOTHARIUS DAT PRÆCEPTUM PRO ECCLES. COMENSI.

* Ughell. *ſe-cundo*

*cet de rebus quas Waldo Abbas prædicto Petro Episcopo quæsivit, quæ erant sitæ in Valle Tellina in Ducatu Mediolanensi, ut sicut hactenus per confirmationem antecessorum Regum easdem res pars Comensis Ecclesiæ retinuerat, ita & in futurum per ejus confirmationem teneret. Ipsæ verò res erant Ecclesiæ Baptismales, una in Amatia, & altera in Burmis, tertia in Postlavo, & Monasteriolum Sancti Fidelis pertinens ad Episcopatum Comensem. Videlicet pro hujus rei firmitate petiit prædictus Venerabilis Leo Episcopus quietem Serenitati nostræ, ut non solùm Præcepta Domini & Genitoris nostri, seu sanctæ recordationis Avi Caroli nostrâ auctoritate confirmaremus, verùm etiam res, quas suprascripti Reges seu antecessores eorum, videlicet Principes Longobardorum, hi sunt Anprandus, Cumbertus, & Berthrarius, per eorum auctoritates prædictæ Ecclesiæ delegaverunt vel confirmaverunt, omnia nostrâ auctoritate complectantur, atque præfatæ Sanctæ Comensi Ecclesiæ pro amore Dei & reverentia Sancti Abundii, nostræ Præceptionis confirmatione confirmarentur atque corroborarentur. Cujus petitioni, propter amorem divinum, assensum præbuimus, juxta quod petiit, antedicta Præcepta veterum Regum nostro Imperiali Præcepto confirmavimus, specialiter decernentes, ut quicquid in Præceptis Domini ac Genitoris nostri seu Magnifici Imperatoris Caroli Avi nostri continetur, quæ præscripti Reges Longobardorum præfatæ Ecclesiæ cum justitia delegaverunt, vel confirmaverunt & quietè & justè possidere, perenniter & sine ulla resultatione firmum & stabile permaneat. Decernimus insuper atque sancimus, ut omnes res prædictæ Ecclesiæ Comensis sub defensione & mundio Palatii nostri, sicut tempore Patris & Avi nostri fuerunt, perenniter consistant. Et, si aliqua alteratio de rebus prædictæ Ecclesiæ, quas per hoc nostrum Præceptum & pro mercedis nostræ augmento confirmavimus, orta fuerit, quæ ibi minimè definiri valuerit, ad sacrum Palatium nostrum reservetur, quatenus ibi secundùm rectitudinis tramitem terminum accipiat. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Lotharii Gloriosissimi Imperatoris. Maredo ad vicem Vitgarii * recognovi. Datum tertio Nonas Januarii, anno, Christo propitio, undecimo Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Lotharii filii ejus Gloriosissimi regnantis secundo, Indictione secundâ *. Actum Compendio Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Quod attinet ad annum Incarnationis Dominicæ, hic Character ad oram, unde videtur in textum translatus, à nobis rejectus est. In eodem Lotharii Diplomate pleraque Longobardorum Regum nomina vitiosè sunt edita, nam qui nominantur, *Berthrarius, Cumbertus* seu *Cumpertus, Aripertus, Anprandus, Luitprandus, Ratigisius, Heritulphus*, & *Desiderius*, rectiùs efferrentur, Pertharitus, Ragumbertus, Aripertus, Ansprandus, Liutprandus, Ratchisius, Aistulfus, & Desiderius.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

* Ughell. *Vitharii*

* Ughell. anno DCCCXXIV.

Ludovicus Augustus eodem anno, Imperii sui undecimo, Indictione secundâ, mense Martio, cùm Aquisgrani degeret, pro Ultrajectina Ecclesia Præceptum emisit, quod à Wilhelmo Heda in elogio Rixfridi Episcopi sic editum reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Imperialem Celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solùm inviolabiliter observare sed etiam censuræ suæ authoritate confirmare. Unde noverit Industria seu Sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quia Rixfridus Venerabilis Vir, veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honore Sancti Martini Confessoris vel ceterorum Sanctorum, detulit mansuetudini nostræ quasdam auhoritates Constitutionum, qualiter Dominus & Genitor noster Carolus, bonæ memoriæ Piissimus Imperator, & Avus noster Pippinus, & Antecessores eorum, ad ipsam Ecclesiam concessissent omnem decimam de mancipiis, terris, ac teloniis, vel de negotio, vel de omni re, undecunque ad partem Regiam fiscus telonium exigere aut accipere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub mandiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ existerent, necnon & in ripis in Doreslado, ut nec bannum, aut fredum, aut conjectum, quod ab ipsis verschat vocatur, contingere aut exactare præsumeret, & quisquis*

II.

LUDOVICUS PRO ECCLESIA ULTRAJECTIN.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

*ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluiſſet, nullam contentionem ex hoc ſe, ciſſet eis, nec manſiones in eorum domibus ſine * permiſſu eorum accipere auderent nec eorum res, dum vixerint, auferre, aut poſt mortem eorum contingere, nec ullo modo eis in aliqua re calumniam gravare quis præſumeret, qui inilla decima parte vel ſub mandiburdo Eccleſiæ Sancti Martini conſiſtunt, vel ut ſicut illi de illis novem partibus aliquid accipere vel uſurpare ad fiſcum non præſumant, qualiter Præſul ipſius Eccleſiæ cum omni Clero ſecurè atque quietè reſidens, liberiùs atque quietiùs eidem Clero & populo ſibi ſubjecto alimoniam miniſtrare, & luminaria in eadem Sede continuare, atque gentiles, qui ad Chriſtianitatem convertuntur, alere & docere poſſit. Ob firmitatem tamen hujus, poſtulavit à nobis prædictus Epiſcopus, ut paternum ſive prædeceſſorum noſtrorum Regum morem ſequentes, ejuſdem noſtræ authoritatis Præceptum, ob amorem Dei & reverentiam Sancti Martini, circa ipſam Eccleſiam fieri cenſeremus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, & per hanc noſtram authoritatem confirmare, ut omnem decimam tam de mancipiis, quàm de terris, aut de teloneo, aut de negotio, vel undecunque ad partem Regiam jus fiſci cenſum exigere debet, vel de omnibus quæ ſuprà ſcripta ſunt, præfata Eccleſia libero in perpetuum jure poſſideat. Et ne quis contingere aut injuſtam appellationem facere præſumat, & ſicut à Domino Imperatore, & avo noſtro, & anteceſſoribus Regibus, & nobis per hanc auctoritatem conſtitutum eſt atque confirmatum, ita omni tempore inviolabiliter conſervetur atque cuſtodiatur, quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem conſiſtunt cum eorum Pontifice, & illos quos à gentili ritu ad Chriſti veram converterent fidem, pro nobis, conjuge, proléque noſtra, & omni populo Chriſtiano, jugiter miſericordiam Dei exorare delectet. Et ut hæc authoritas meliùs ab omnibus credatur, & diligentiùs confirmetur, manu propriâ ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari fecimus. Signum Ludovici Sereniſſimi Imperatoris. Data* XVII *Kalend. Aprilis, anno* XI, *Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione ſecundâ. Actum Aquiſgrani Palatio Regio. In Dei Nomine feliciter Amen. Heliſachar recognovit.*

* Edit. *ſive*

III. PRO MON. EBERSHEIM.

Hoc eodem anno Ludovicus Imperator duo quoque Privilegia Immunitatis conceſſit Ebersheimienſi Monaſterio cui præerat Sambatius Abbas Grimaldi ſeu Grimoldi ſuperiùs à nobis laudati proximus ſucceſſor. Lege Gabrielem Bucelinum in altera parte Monaſteriologiæ, ubi Catalogus Ebersheimienſium Abbatum exhibetur.

IV. PASCHALIS PP. MORITUR. ORTO SCHISMATE VINCIT PARS EUGENII.

Obiit hoc anno Paſchalis Papa. Qua de re ſic Annaliſta Laureshamenſis. *Anno* DCCCXXIV *Legati Romani Pontificis Romam regreſſi, eundem validâ infirmitate detentum & morti jam proximum invenerunt. Qui etiam paucis poſt adventum eorum diebus vitâ deceſſit. In cujus locum cùm duo per contentionem populi fuiſſent electi, Eugenius tum Archipresbyter tit. Sanctæ Sabinæ vincente nobilium parte ſubrogatus atque ordinatus eſt.* Corrigendus verò Theganus [a], qui Paſchalem Papam mortuum affirmat non hoc anno quo Miſſi Romam redíerunt è Gallia, ſed anno priore quo Româ diſceſſerunt Legationem apud Imperatorem obituri. *Illi*, inquit, *Miſſis abeuntibus, ſtatim ſupradictus Papa obiit.* Paſchalis ex hac vita diſceſſit pridie Idus Maias, Indictione ſecundâ. Quapropter apud Anaſtaſium in multis editionibus expungenda hæc additio. *Ceſſavit Epiſcopatus ejus dies quatuor in menſe Januario, Indictione primâ.*

[a] Cap. 30.

V. BERNARDUS COMES UXOREM DUCIT DODANAM,

Menſe Junio, cùm Ludovicus Auguſtus adhuc Aquiſgrani degeret, illic Dodana ſeu Duodana vel Duodena Bernardo Comiti nupſit, ut patet ex Præfatione Manualis libri, quem ipſa Willelmo filio ſuo poſteà direxit. *Anno*, inquit, *feliciter, Chriſto propitio,* XI *Domino noſtro Ludovico quondam fulgente in Imperio, concurrente* VIII *Kalendarum Julii die, in Aquiſgrani Palatio ad meum dominum tuúmque genitorem Bernardum legalis in conjugio acceſſi uxor.* Hujus libri Manualis ex autographo, quod Illuſtriſſimus Antiſtes Petrus *de Marca* Lucæ Dacherio quondam conceſſit, fragmenta nuperrimò publicavit Joannes Mabillonius inter Hiſtorica Monumenta, quibus primam illuſtravit

illuſtravit partem Seculi quarti Benedictini. Dubouchetus inter probationes, quas Hiſtoriæ de vera Francicæ Domûs Origine ſubjecit, ex manuſcripto Codice, quem à Marco Antonio Dominicyo accepit, textum proximè recitatum tranſcripſit, & exploſo Ludovici Auguſti anno undecimo poſuit decimum, quocum per menſem Junium annus Redemptoris octingenteſimus vicesimus-tertius componitur. At ſtamus à Mabillonio, non tantùm propter autographum cujus auctoritas eſt potentiſſima, ſed etiam propter ſeriem rerum anno præterito geſtarum, quæ Ludovicum Auguſtum Aquiſgrano per menſem Junium procul abfuiſſe teſtatur. Audi Annaliſtam Laureshamenſem. DCCCXXIII. *Menſe Maio Conventus ibidem*, nempe Francofurti, *habitus eſt, in quo*, &c. *Lotharius menſe Junio ad Imperatorem venit. Ipſe* Ludovicus Imperator *reliquum æſtatis tempus in pago Wormacienſi, ac deinde in Arduenna tranſigens, peractâ autumnali venatione ad Cal. Novemb. ſicut condixerat, Compendium venit.* Eadem ad illum annum ſcribit Aſtronomus in vita Ludovici. Bernardus, qui Dodonam duxit, apud Theganum [a] eſt *de ſtirpe Regia & Domini Imperatoris ex ſacro fonte Baptiſmatis filius*, id eſt, ſpiritalis filius Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, pòſt Imperatoris, & Francorum Monarchæ, quem agnatione contingebat, utpote pronepos Childebrandi Ducis, qui Caroli Martelli frater fuit. Lege de Theodorico Bernardi avo, quæ Tomo ſuperiore ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſecundum [b]. Conſule & quod ſubjicimus Stemma Genealogicum.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[a] Cap. 36. LUDOVICI IMP. FILIUS EST SPIRITALIS ET AGNATUS.

[b] Num. 13.

PIPPINUS HERSTALLIUS
Major-domûs.

- CAROLUS MARTELLUS Major-domus.
  - PIPPINUS Rex Francorum.
    - CAROLUS MAGNUS, Rex Francorum & Imperator Romanorum.
      - LUDOVICUS PIUS Rex Francorum & Imperator Romanorum.
- CHILDEBRANDUS Dux.
  - THEODORICUS Comes.
    - S. WILLELMUS Comes, deinde Monach. Gellonenſis.
      - BERNARDUS Comes uxorem ducit Dodanam an. 824. menſe Junio.

VI.

Sub initium [c] hujus Tomi, cùm de prima Monaſterii Gellonenſis origine verba faceremus, meminimus Chartæ à Catello [d] laudatæ, in qua Willelmus Bernardi pater, parentes ſuos nominat, Theodoricum & Aldanam; fratres, Theodoinum & Adaleſmum; ſorores, Aldanam, & Bertrandam; liberos, Bernardum, Guiſcarium, Gotſelinum, & Herimbruam; uxores, Gunegundem, & Guitburgem ſeu Vintburgem. Queſti ſumus in Characteribus Chronologicis, ut apud Catellum exhibentur, nævos eſſe non paucos. Eandem Chartam parte primâ Seculi quarti Benedictini Joannes Mabillonius ex Chartophylacio Gellonenſi nuperrimè ſic publicavit. *In Nomine Domini. Ego Willelmus gratiâ Dei Comes, recognoſcens fragilitatis meæ caſus humanæ, idcirco facinora mea minuanda, vel de parentibus meis qui defuncti ſunt, id eſt, genitore meo Theuderico & genitrice mea Aldana; & fratribus meis Theudoino & Adalelmo; & ſororibus meis Albana & Bertana; & filiabus meis & filiis, Barnardo, Witcharie, Gotcelmo, Helimbruch; & uxoribus meis Cunegunde & Guitburge; & nepote meo Bertranno; pro nobis omnibus ſuperiùs nominatis dono ad Monaſterium, quod dicitur Gellonis, ſitum in pago Lude-*

[c] Ad an. 804. nn. 44. 45.

[d] Hiſt. Com. Toloſan. l. 1. c. 6.

CHARTA WILLELMI COMITIS PRO MON. GELLONENSI.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

quoque Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [a] jam recitavimus ex Concilio Remenſi & ex Capitulari Caroli Magni.

Duodecimò, ut ſciant quia nemo per pecunias ordinandus eſt, nec per munera Eccleſiam debet occupare, quia ſi factum fuerit, & ipſe, & ordinator ejus deponendi ſunt, quia manifeſtum eſt eos, qui talia agunt, ſimoniacâ hæreſe agrotare, & talem non per oſtium in ovili ovium juxta Evangelii verba, ſed aſcendentem aliunde, furem eſſe & latronem. Et non ſolùm ipſi qui hoc faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, excommunicandi ſunt. Synodus Remenſis, ut etiam diximus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium [b], quò celebrata fuit, Capitulo viceſimo-primo præcipit, *ut quicumque Presbyter per pretium gradum & Eccleſiam acquiſierit deponatur.*

Nn. 63 444. XXXIII. [b] Num. 54. XXXIV.

Tertio-decimò, ut nullus vagantem ex aliena Parochia audeat recipere, aut ſecum commorandi, aut Miſſam celebrandi, niſi permiſſione noſtrâ, det facultatem. *Nec ullius Eccleſiæ aut plebis gubernacula ſuſcipiendi, niſi præveniente conſcientiâ noſtrâ,* faciat poteſtatem. *Qui ſecus fecerit, excommunicabitur.* In hoc textu ſupplevimus has voces, *faciat poteſtatem*, necnon & illas, *det facultatem*, ex Dacherii notatiuncula, quæ ſic ad oram legitur. *Deſunt duo verba, nempe det facultatem, aut faciat poteſtatem.* Alioquin phraſis manebat imperfecta.

XXXV.

Quarto-decimò, ut in tuguriis, vel in Eccleſiis conſecratis, vel in domibus, niſi fortè viſitandi gratiâ in infirmitate detentis, Miſſarum Myſteria non celebrent. Quòd ſi fecerint, propter inobedientiam degradandos ſe ſciant.

XXXVI. * cenſo

*Quinto-decimò, quòd decima, quæ à fidelibus datur, Dei cenſus * nuncupanda eſt, & Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars, ſecundùm Canonem Toletanum, Epiſcoporum debet eſſe. Nos verò hac poteſtate uti nolumus, ſed tantùm quartam partem, juxta conſtituta Romanorum Pontificum & obſervantiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de eadem habere volumus. Quòd ſi quis contentioſus inde repertus fuerit, ſive ille Clericus, ſive Diaconus ſit, communione privabitur, & Synodali cenſurâ judicabitur.* Per Canonem Toletanum intellige ſextum hunc Canonem nonæ Synodi Toletanæ, menſe Novembri, anno ſeptimo Receſvinthi Regis, paulò poſt medium ſeptimum ſeculum celebratæ. *Cùm prætereà Sanctionibus notiſſimum habeatur, quæ de rebus Parochialium Eccleſiarum pars Epiſcopo conferatur, opportunè duximus decernendum, ut ſi Epiſcopus tertiam, quam de rebus eiſdem Sanctione Paternâ ſibi debitam novit, aut ipſi Eccleſiæ cujus res eſſe poteſcit, aut alteri Eccleſiæ cui elegerit, conferre decreverit, & licitum maneat, & irrevocabile robur ejus ſententia ferat.* Ut autem Heytonis ſententiam magis probes, relege quæ ſcripta ſunt ad annos Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium [c] & octingenteſimum ſeptimum [d] de quadripertita bonorum Eccleſiaſticorum diſtributione.

[c] Nn. 26. 30. [d] Num. 23.

XXXVII.

Sexto-decimò, ut unuſquiſque hoc provideat, ut mulieres ad Altare non accedant, nec ipſæ Deo dicatæ in miniſterio Altaris intermiſceantur. Quòd ſi pallæ Altaris lavandæ ſunt, à Clericis abſtrahantur ab Altari, *& ad cancellos fœminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & à Presbyteris, cùm oblata ab eiſdem mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur, & ad Altare deferantur.* Ex notatiuncula Dacheriana ſupplevimus has voces, *ab Altari;* deinde locum illum, *ſimiliter & Presbyteri*, ſic emendavimus, *ſimiliter & à Presbyteris*, ne phraſis vitio laboret. In Concilio Laodiceno, Canone quadrageſimo-quarto ſtatuitur, *quòd non oportet mulierem ad Altare ingredi.* Ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον εἰσέρχεσθαι. Hunc Canonem Tomo ſuperiore jam recitavimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum, quia pars eſt Capitularis apud Aquiſgranum tunc editi.

XXXVIII.

Septimo-decimò, ut ipſi Sacerdotes verbo & exemplo omnibus prædicent, ut nullus uſuras accipiat, nec ſexcupla, nec ſpeciem pro ſpecie. Quia valdè infidelis & rebellis Dei juſſionibus eſt qui hoc agit, quod omnibus Chriſtianis aquè interdictum eſſe dignoſcitur, maximè tamen Sacerdotibus, qui forma & exemplum ſi-

Digitized by Google

dei omnibus esse debent. Capitulo quinto Capitularis Aquisgranensis, quod anno Christi septingentesimo undenonagesimo promulgatum fuit, *omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.* In hoc Capitulo citantur, Concilium Nicænum, Decreta Leonis Papæ Primi, & Canones Apostolorum. Canone decimo-septimo Concilii Nicæni damnatur ἡμιολίας ἁπαιτῶν, is qui exigit hemiolias seu sescuplas, vel, ut alii vertunt, hemiolia seu sescupla vel sexcupla. Porrò sescuplum sive sesquiplum dicitur, quod numerum seu pondus aut mensuram totam in se continet cum ejus dimidio; sic senarium est sescuplum quaternarii, quia in senario totum est quaternarium ac præterea pars dimidia quaternarii. In Collectione Canonum ac Decretorum, quam Hadrianus Papa Carolo Francorum Regi, cùm Romæ esset, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad usum Occidentalium Ecclesiarum dedit, tertio Decreto Leonis Papæ Primi præfigitur hic titulus. *Quòd usuram non solùm Clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani.* Et Canon quadragesimus-tertius Apostolorum præcipit, ut *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, pecunias mutuò datas cum fœnore exigens, vel cesset, vel deponatur.* Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τόκους ἁπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Rectè igitur Heyto statuit, *ut nullus usuræ accipiat,* idque *omnibus Christianis aquè interdictum* ait, *maximè tamen Sacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus esse debent.* Duo distinguit usurarum genera; *sescupla* videlicet, & *speciem pro specie.* De sescuplis actum suprà. In specie pro specie committebatur usura, cùm quis pro specie, quam commodaverat, aliam exigebat speciem, quæ majoris esset pretii. Carolus Magnus hoc malum eradicare voluit. In ejus enim Capitulari, quod in undesexaginta distinctum Capitula Stephanus Baluzius è Jacobi Sirmondi schedis evulgavit, Capitulum duodevicesimum sic habetur. *Ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eandem speciem, quantùm dederit, accipiat.*

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

Decimo-octavò, ut nullus ordinatus sive ordinandus migret de sua Parochia ad aliam; nec ad limina Apostolorum, causâ orationis, Ecclesia suæ curâ derelictâ; nec ad Palatium causâ interpellandi; nec à communione suspensus ab alio communionem recipiendi, sine permissione & præscientia Episcopi sui. Quod si fecerit, nihil valet hujusmodi communio, aut ordinatio, aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causâ orationis ad limina Beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur; quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo. XXXIX.

Nono-decimò, ut aliud in Ecclesia non legatur aut cantetur, nisi ea, quæ auctoritatis divinæ sunt, & Patrum Orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa Angelorum nomina colant, sed ea tantùm, quæ Prophetica & Evangelica docet Scriptura, id est, Michael, Gabriel, Raphael. Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium, cùm unus minùs, alter majùs, alteri adulando, alteri detrahendo placere velit, sed consideratâ qualitate personæ juxta modum culpæ agatur censura vindictæ. XL.

Lege quæ Tomo quinto scripta sunt ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-sextum [a] adversùs Aldebertum hæreticum, qui plurima fingebat Angelorum nomina. Lege & Tomo sexto Capitulare Aquisgranense ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum [b], necnon & ejus epitomen hoc Tomo septimo ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum [c], Capitulo enim decimo-sexto præcipitur *ut ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate. Hi sunt, Michael, Gabriel, Raphael.*

[a] Num. 17. [b] Num. 10. [c] Num. 30.

Vigesimò, admonendi sunt, ut perpendant, quia quicquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est; ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magìs timeant quod in veteri Testamento de Sacerdotibus dictum est. [*Iniquitatem populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore solliciti sint, quorum donis participantur, quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.* XLI.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7. XLII.

Vigesimo-primò, ut sciant & intelligant, quid sit incesti crimen, & hoc unusquisque in sua Parochia provideat ne fiat, &, si factum fuerit, quantùm celerrimè potuerit, emendetur, id est, ut nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto genu, id est, usque in quinto gradu, sive usque in quinta generatione, ut Tomo quinto [a] in Concilio Vermeriensi sub Pippino Rege jam observavimus. *Quòd si ignoranter factum fuerit, non facilè credatur, sed judicio Dei examinetur; & non separentur in quarto genu, sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Similiter & vir duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut compater, aut commater, filiolus, aut filiola spiritualis de Fonte, aut de Confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nullâ ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo verò genu vel secundo si inventi fuerint scelus perpetrasse fornicationis, matrimonii jura ulteriùs sciant se funditus perdidisse. In tertio verò genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna pœnitentia eos subsequatur, & tamen matrimonii jura eis non vicissim, sed ad alios non negentur.* In hac periodo post *vicissim* videtur deesse vocabulum *concedantur*, aut aliud simile, ut is sit sensus, *matrimonii jura eis non vicissim concedantur, sed ad alios non negentur*, id est, *vicissim* seu simul non conjungantur, sed licentiam habeant matrimonium cum aliis contrahendi. *Ubi verò mancipia non unius sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit.* Quæ proximè sequitur, hæc egèt emendatione periodus. *Quicquid verò negligendo sentitur, & virtute quâ potuerit non emendetur, nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit.* Dacherius sic legendum putat. *Quicquid verò negligendo consentitur, eâ virtute quâ potuerit emendetur, nam*, &c. Denique Capitulum sic clauditur. *Plura sunt quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, & filia, & noverca, & penè innumera, quæ menti ad scribendum non occurrunt, hujusmodi tamen & his similibus personis copula maritalis in sempiternum substrahitur.*

[a] Ad an. 753. n. 4.

XLIII. *Vigesimo-secundò, ammonendi sunt, ut sciant populis denuntiare, quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ Evangelica & Apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam, quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omnimodo devitent, quia non solùm in Evangelio vel Reliquiis Sanctorum crimen perjurii, sed in veritate quæ Deus est, si mentitur, perpetrare dinoscitur.*

XLIV. *Vigesimo-tertiò, ammonendi sunt, ut sciant, quia in Ecclesiis, quibus præsunt, sponsi facti sunt, & ideo omni vigilantiâ qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.*

XLV. *Vigesimo-quartò, ut horas Canonicas tam nocturnas quàm diurnas nullatenus prætermittant. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solùm novi Testamenti documenta sunt eamdem formulam observandi, sed etiam veteris Testamenti, patet ratio, quia Propheta Spiritu Sancto instinctus profert.* [*Septies in die laudem dixi tibi.* [*Et,* [*mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.*]

XLVI. *Vigesimo-quintò, ut plebibus denuntient, qui filios & filias spirituales, quos in Baptismate suscipiunt, & eis fidejussores & sponsores fidei existunt, & pro eis diabolo, cui anteà mancipati fuerant, abrenunciant, & ideo usque cùm adulti fuerint, & eis fidei sua sponsionem & abrenuntiationis exposuerint, & reddiderint, in sua providentia habeant. Et quòd illi, qui pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant.* Huc usque Heytonis Capitulare.

UTRUMQUE MUNUS DIMITTIT. XLVII. Idem Heyto, cùm annos septemdecim Augiensi Cœnobio, sexdecim Episcopatui Basileensi præfuisset, hoc anno, ut insinuatum suprà, utrumque munus sponte dimisit. Hermannus Contractus in editione Canisiana sic ad annum Redemptoris octingentesimum sextum scribit. *Augiæ Waldone Abbate ad regendum Sancti Dionysii Cœnobium transposito, Heyto nonus Ab-*

bas præfuit annos 17. Id eſt, ad hunc uſque annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium. Triplex autem ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum error eſt in hoc ejuſdem editionis textu. *Augiæ Heytone Abbate & Epiſcopo privatam & quietam vitam adoptante, Erlebaldus Abbas* XIII *præfuit annis 13.* Primò, quæ de ſpontanea Heytonis abdicatione proferuntur, in annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium rejici debent, ut patet ex prædictis, in eadem enim editione Heyto fit Abbas *anno 806*, & Augiæ præeſt *annos 17.* Deinde Erlebaldus inter Augienſes Abbates non XIII ſed X numerari debet, deceſſor enim Heyto *nonus Abbas* ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum ſic dicitur. *Augiæ Waldone Abbate ad regendum Sancti Dionyſii Cœnobium tranſpoſito, Heyto nonus Abbas præfuit annos 17.* Nec plures à nobis hactenus Abbates Augiæ recenſiti ſunt hoc ordine, primus Pyrminius, ſecundus Heddo, tertius Kebas, quartus Ernfridus, quintus Sidonius, ſextus Joannes, ſeptimus Petrus, octavus Waldo, nonus Heyto. Denique Erlebaldus Augiæ præfuit non annos 13 ſed 15, ut Bruſchius & Bucelinus in Catalogis Abbatum Augienſium legunt, ab hoc videlicet anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodequadrageſimum, quo Chronicon Hermanni Caniſiani ſic habet. *Augiæ Erlebaldo Abbate cedente, Ruddhelm Abbas* XI *præfuit annis 4.*

AN. CH 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

ERLEBALDUS FIT ABB. AUGIENSIS.

In Augienſi Monaſterio, ſub utroque Abbate, Heytone ſcilicet & Erlebaldo vixit, atque in Eremo Martyrium poſteà paſſus eſt Meinradus ſeu Meginradus ejuſdem Erlebaldi propinquus. Hujus beatiſſimi Martyris vitam vetuſtus ſcripſit Anonymus, quam Chriſtophorus Hartmannus Einſidlenſis Monachus ex antiquiſſimis illius Cœnobii membranis edidit, & Joannes Bollandus Actis Sanctorum ad diem viceſimam-primam Januarii cum notis inſeruit. *Meginradus in Alemannia natus eſt, in pago, quem ex villa Sulichgeuve vocavit antiquitas. Parentes verò ejus ex Alemannis fuerunt, morum nobilitate magis conſpicui quàm divitiis periturâ. Qui cùm eam attigiſſet ætatem, quâ aptari poſſet literarum ſtudiis, à patre ducitur ad Inſulam, quam veteres Sindlocheſangiam vocabant. Huc puer præfatus à patre ductus, commendatur viro per omnia honeſtiſſimo Erlebaldo Monacho, qui etiam prædicto puerulo propagine carnali affinis fuit. Is cùm infantulum bonæ indolis conſpiceret, gratanter nutriendum ſuſcepit, ſtudiosè docuit, atque eò uſque imbuendo produxit, ut Sanctarum Scripturarum ſcientiam infudiſſet. Nam puer à primæva ætate jocos atque errores, quibus tenerior ætas implicari ſolet, vitavit, atque ad ea mentem occupavit ſuſcipienda, quæ docuerat Magiſter. Cùm autem viceſimum-quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatûs officium, & non multùm poſt ad Presbyterii gradum, faciente eodem ſuo Magiſtro, ſublimatus eſt. Fuit autem tunc temporis, regnante Ludovico Cæſare, filio Caroli, in ipſa Inſula Abbas nomine Hatto, vir valdè in doctrina & operibus bonis morúmque nobilitate fulgens, qui & Baſileenſis Eccleſiæ Præſul extitit. Quo actuoſa vitæ negotia reſpuente, atque ad contemplativæ vitæ pulchritudinem ſe transferente, præfatus Erlebaldus cum licentia Ludovici Cæſaris electus ab omnibus prædictæ Inſulæ & fratribus præficitur, atque in Abbatis officium ſubſtituitur. Qui ſtatim hac poteſtate ſuſceptâ, jam ſæpè dictum virum venerandum Meginradum ſuaſit jugum ſuſcipere, normámque Monaſticæ vitæ ſubire tenendam. Conſenſit ergo ſalubri conſilio, & promiſſionem fecit, atque omni intentione ſtuduit promiſſa ſervare, promptus ſemper ad obediendum, in jejunando ſtrictus, in oratione aſſiduus, in miſericordiæ operibus largus, & maximè humilitate ſubſtratus omnibus.* Ex hoc textu & ex notis, quas Bollandus ex vita quadam Germanica & ex Annalibus Einſildenſibus concinnavit, ætas Meginradi ſic colligitur. Anno Redemptoris octingenteſimo quinto natus eſt Meginradus Sulgoviæ, quæ olim villa, nunc oppidum, vulgò *Sulgen*, juxta Danubium; pater Bertholdus & Sulgoviæ Comes ab Hartmanno vocatur. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo puer quinquennis ad Augienſe Monaſterium à patre perductus eſt, ibique

XLVIII. MEINRADUS ERUDITUR IN MON. AUGIENSI.

AN. CH. 823. anno ætatis ſuæ duodeviceſimo, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, cùm Heyto ſive Hatto munus Abbatiale dimiſit, ab Erlebaldo Monacho & propinquo ſuo nondum Monachus erudiebatur, nec ab eo poſt Heytonem Abbate facto deſiit edoceri. Septimo ejuſdem Erlebaldi Abbatis anno, ſive anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo promotus eſt ad Diaconatum, priùs autem Monachum induerat hortante eodem Abbate, ut infrà fuſiùs ac diſtinctiùs exponemus.

XLIX. THEODORICUS FIT EPISC. BASILEENSES.

Heytoni, ut in Abbatiam Augienſem Erlebaldus, ſic & in Epiſcopatum Baſileenſem ſucceſſit Theodoricus, de quo Bruntrutani Scriptores hoc unum in Baſilea ſacra memorant, quòd tertio Nonas Novembris hoc eodem anno, Ludovici Auguſti decimo, Chartæ Ebersheimienſi ſubſcripſit.

L. ELEVATIO S. URSMARI.

Ad hunc annum *Elevatio Sancti Urſmari Confeſſoris Lobienſis* in Chronographia Sigeberti *celebratur*. Eandem Elevationem Fulcuinus in Geſtis [a] Abbatum Lobienſium ſub Abbate Folrado non omiſit. *His*, inquit, *diebus lucernam ſuam Dominus, quam juſtificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam Miraculis clarificaverat, nolens diutiùs deliteſcere, ſed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis* Folradi *cor tetigit, & ut Sancti & venerandi & cum omni amore nominandi Urſmari corpus de ſepulchro elevaret, accendit. Quæ Elevatio facta eſt juſſu & permiſſu ejus*, nempe Halitgarii, *qui tunc erat Cameracenſis Epiſcopus, agentibus Clericis utriuſque Ordinis, cum frequentia magna populari. Expletâ itaque Elevatione diem illam feſtivam duxêre, nobiſque & poſteris celebrem eſſe ſanxêre. Facta eſt autem hæc Elevatio anno Domini octingenteſimo viceſimo-tertio, ab ipſius verò Sancti, non dicam obitu, ſed Natalitio, quo verè cæpit vivere in Chriſto, decimo poſt centum exacto. Abhinc ergo cæpit beati viri celebris fama crebreſcere, & confluentibus languentium turmis ad diverſa ſanitatum genera Miraculis coruſcare.*

[a] Cap. 10.

L I. ABBATES LOBIENSES.

Hildricus, ut Tomo ſuperiore diximus [b], anno Redemptoris octingenteſimo primo factus eſt Abbas Lobienſis, eique ſub Ludovico Pio ſucceſſit Ramnericus, tum Folradus apud Viromanduos Abbas jam San-Quintinianus. De tribus hiſce Canonicis Abbatibus ita Fulcuinus [c] Abbas Monachus erga Canonicos Abbates haud æquus ex omni parte. *Abbatiam uſurpavit Hildricus Canonicus ſub ipſo Imperatore* Carolo. *Et poſt eum Ramnericus tempore Domni Hludovici Imperatoris. Deinde pervenit ad Dominum Folradum, Piiſſimum Abbatem avunculum jam dicti Ramnerici ſub eodem Imperatore. Priorum tantùm nomina, non geſta ſciuntur; credo propter annorum paucitatem aut commemorationem non multò utilem. Tertius quis fuerit, Geſta docent, fuit enim multa nobilitatis & Regiæ affinitatis.* In Hildrico Abbate paucitas annorum ad excuſationem ſilentii non poteſt afferri, Dignitatem enim Abbatialem hic obtinere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo primo, annóque pòſt decimo-tertio ſuperſtes interfuit Concilio Noviomenſi. De genere Folradi ſeu Fulradi, qui patre natus eſt Hieronymo, Pippini Regis filio, jam locuti ſumus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum [d], quo celebrata Synodus Noviomenſis.

[b] Ad an. 801. n. 36.

[c] Cap. 9.

[d] Num. 56.

L I I. THEODEBERTUS EP. MASSILIENSIS ET ABB. S. VICTORIS.

In elenchis Epiſcoporum [e] Maſſilienſium & Abbatum [f] Victorinorum per hæc tempora commendatur Theodebertus ſeu Teutpertus aut Tutpertus, qui primùm Abbas Sancti Victoris, deinde Maſſilienſis etiam Epiſcopus fuit. Prædicatur Ludovico Pio percharus, à quo confirmationem accepit Donationis à patre Carolo quondam factæ pro jure vectigalis, quod naves in portu Maſſiliæ juxta Monaſterium Sancti Victoris ad anchoras collocatæ penſitarent.

[e] Gall. Chriſt. Tom. 3.

[f] Gueſnayus in Caſſiono illuſtrato l. 2. c. 25. n. 50.

L I I I.

Hoc anno Claudius Taurinenſis Epiſcopus edidit *libros informationum littera & ſpiritûs ſuper Leviticum.* Præfationem enim ad Theodemirum Abbatem Tomo primo veterum Analectorum apud Joannem Mabillonium ſic abſolvit. *Adgredimur hoc opus annuente pietate divinâ Quadageſimæ tempore ſub die ſeptimo Idus Martii, anno Incarnationis* DCCCXXIII *Salvatoris noſtri Jeſu*

Digitized by Google

Jeſu Chriſti. Illo anno Paſcha celebratum fuit Nonis Aprilibus, & dies ſeptimus ante Idus Martii coincidit cum Sabbato ante Dominicam tertiam Quadrageſimæ. AN. CH. 823.

LIV. CONTENTIO INTER LAUDUNENSES CANONICOS ET MONACHOS CONCHENSES COMPONITUR.

Impoſitus eſt hoc eodem anno finis contentioni, quæ vertebatur inter Monachos Conchenſes & Laudunenſes Canonicos pro poſſeſſionibus in Arvernia ſitis. Anaſtaſius Abbas Conchenſis Ludovicum Auguſtum Aquiſgrani commorantem adiit. Imperator auditâ totius litis causâ permutationem quarumdam poſſeſſionum agendam exiſtimavit. Aſſenſit Abbas. Electus à Ludovico Stabilis Arvernorum Epiſcopus, qui prævio judicandarum rerum examine controverſiam omnem dirimeret. Id actum felici prorſus exitu, ut conſtat ex Charta, quæ numero eſt quadringenteſima octogeſima-prima in Chartulario Conchenſi, datáque reperitur menſe Septembri, hoc anno, Ludovici Imperatoris decimo. Initium duntaxat & finem producemus, ut noſtræ Chronologiæ plùs auctoritatis accedat. *Inclytus atque triumphator in ſolio ſancto elevatus Lodoicus divinâ ordinante gratiâ Imperator Auguſtus, cùm ipſe potens Aquis Palatii in aula Regali omnia univerſáque luſtraret, &c. Facta concambiaria iſta in menſe Septembris & anno decimo Regni Lodoici Glorioſiſſimi Regis. Stabilis indignus Epiſcopus jubente Domino Lodoico Imperatore ſignavit.* Integram Chartam ſi legere cupis, conſule veterum [a] Actorum Appendicem, quam Stephanus Baluzius poſt Notas ad Capitularia publicavit.

[a] Act. 40.

LV. EPISCOPI ARVERNENSES.

Ex illo Diplomate deprehendimus duos Stabiles Epiſcopos Arvernorum fuiſſe nono ſeculo; Seniorem, qui floruerit anno Ludovici Auguſti decimo, ſeu Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio; Juniorem, qui Concilio Tuſiacenſi præſens interfuerit *anno Incarnationis Domini Jeſu Chriſti* DCCCLX, *Indictione* IX jam inchoatâ. Quæſtio eſt, uter Kalendis Januarii colatur. Stamus pro Seniore, quia quem Arverni Stabilem venerantur, is ſolus occurrit in multis Arvernenſium Epiſcoporum Catalogis, & Epiſcopatum aſſeritur geſſiſſe Ludovio Pio Imperatore. Poſt Fridigiſum igitur, qui Carolo Magno ſuperſtes vixit, in Arvernenſi Cathedra ſedit Sanctus Stabilis; tum Adebertus, qui Moſacenſe Monaſterium à Pippino Rege, Ludovici Pii filio, inſtauratum dedicavit; deinde alter Stabilis, qui Concilio Tuſiacenſi ſubſcripſit. Atque hæc eſto Arvernenſium Epiſcoporum ſeries, ad quam revocandi ſunt omnes Indices expuncto Benigno, quem ex Anianenſi pſeudo-charta nonnulli fruſtrà conantur obtrudere.

LVI. ABBO ABB. S. MAXENTII.

In Diœceſi Pictavenſi florebat Abbo Sancti Maxentii Abbas, de quo ſic Chronographus illius loci. *Anno* DCCCXXIII, *Abbo Abbas & Gudacher Prior præerant Abbatiæ Sancti Maxentii.*

LVII. ABBATES S. CRUCIS MELDIS,

In Diœceſi Meldenſi Grimoaldus Abbas Sanctæ Crucis obiit. Subrogatus eſt Rainerius. Uterque memoratur in manuſcripto Catalogo, quem citare conſuevimus Ille Monaſterium annis tribus ac viginti rexit, hic decem.

LVIII. FONTANELLÆ,

Eginhardus Fontanellenſis & Gandenſis Abbas adminiſtrationem Fontanellenſis Monaſterii dimiſit, eique ſucceſſit Anſegiſus Abbas Luxovienſis. Chronographus Fontanellenſis caput operis ſui decimum-ſextum ſic exorditur. *Anſegiſus vir glorioſus ac tranquillus, omníque ſcientiâ divinæ ſcilicet atque humanæ Philoſophiæ ſufficienter inſtructus, à patre Anaſtaſio nomine mátréque vocabulo Himilrada procreatus, divinâ ordinante Clementiâ regimen accepit loci hujus anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXIII, *qui erat annus Ludovici Glorioſiſſimi Auguſti decimus, porrò Paſchalis Apoſtolici circiter ſeptimus, ſub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I.* Hi Characteres ſimul rectiſſimè conveniunt. Indictio prima per menſem Aprilem cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, Paſchalis Papæ ſeptimo, Ludovici Auguſti decimo, componitur. Hæc Chronologia in eodem quoque capite ſic confirmatur. *Anno Imperii Domni Ludovici Auguſti tertio*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, *Traſarus Rector hujus Cœnobii cum licentia ejuſdem Imperatoris ad locum ſuæ nativitatis repedavit* abdicato Monaſte-

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7. LIX.

rii regimine. *Poſt quem Einhardus hoc Cœnobium per ſeptem fermè tenuit annos. Quod demùm ultrò derelictum, divinâ ut credi fas eſt juſſione, ac Glorioſiſſimi Imperatoris Ludovici largitione, Domnus Anſegiſus ad gubernandum ſuſcepit anno jam ſuprà taxato,* ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, qui ſeptimus poſt octingenteſimum decimum-ſextum numeratur.

Qualem Anſegiſus in Monaſterio Fontanellenſi ſe præſtiterit, idem Author ita ſubjungit. *Cœnobium ſolerti ſtudio ſummâque induſtriâ nobilitavit, ut novus Wandregiſilus credi poſſet, aut etiam magnus Præſul Ansbertus redivivam ad lucem regreſſus fore putaretur. Verùm ſicut illi in exordio ſui ædificiis nobilitaverunt, Clerum auxerunt, diſciplinis Eccleſiaſticis imbuerunt, ita iſte diruta emendare ſtuduit, ac vetuſtate conſumpta in majori elegantia reparavit, Clerum nobiliſſimè auxit, ac regulari ordine ſecundùm egregii Patris Benedicti normam ut vitam degerent multipliciter decertavit. Nam ex deſidia priorum Patrum, qui gregis ſibi commiſſi curam minùs devotè geſſerunt, ſtatus almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti quaſi caſurus videbatur, licèt illi, qui Domino militabant, Canonico Ordine irreprehenſibiliter converſarentur. Contigerat enim ob incuriam, ut jam dixi, Prælatorum, qui ea, quæ Regulæ auctoritas ſacra dare mandabat, parvipendendo impertiri diſtulerant; ſed prædictus Reverendiſſimus Pater Anſegiſus hoc modis omnibus ſategit, ut priſtinum ſtatum ac legem recuperaret, juxta quod voluntatem Domni Imperatoris ſuper hoc noverat, & quæ Regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret. Denique ex Luxovio Cœnobio, quod in Galliarum terris in Religione ac Regulari diſciplina non inferius uſque ad præſens videtur, Monachos Deum timentes virôſque religioſos ſecum huc adduxit, qui & legem iſtinc Monachorum docerent, & exempla ſalubria oſtenderent (licèt olim à viro juſto Benedicto Foſſacenſis Cœnobii Abbate eruditi in hac Philoſophia viderentur) qui plurimis diebus in hoc Monaſterio converſantes nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis ſuæ iſtic reliquerunt. Nam, ut verè fatear, non inferius Franciæ ſeu Galliæ Monaſteriis iſtud in omni Religione comparabatur Cœnobium.*

LX. In hoc textu laudantur qui Fontanellæ ſanctiſſimi præfuerunt Abbates ſeptimo ſeculo Wandregiſilus & Anſbertus. Anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, Clodovei Secundi Regis undecimo, Wandregiſilus Monaſterium conſtruere cœpit, rexitque ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſeptimum, quo ſublatus eſt ex hac vita. Regulam diſcipulis ſuis præſcripſit collectam ex ſcriptis antiquiorum Patrum, qualem ſequebantur Monachi prope ſaltum Jurenſem, quibuſcum integro decennio poſt ſuum è Bobienſi Monaſterio reditum vixerat. Ei ſucceſſit in munus Abbatiale Lantbertus, qui cuncta ſtrenuè atque irreprehenſibiliter in adminiſtrando Cœnobio *ſecundùm Regulam Sanctorum Patrum* geſſit, donec ex Abbate Fontanellenſi factus eſt Epiſcopus Metropolitanus Eccleſiæ Lugdunenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octavo. Tunc Anſbertus regimen Fontanellæ cum Abbatis Titulo ſuſcepit. Hic quinque duntaxat annis, priuſquàm ad Rotomagenſes Infulas aſſumeretur, Monaſterio præfuit; per illud tempus Regulam Sancti Benedicti primus illuc introduxit; deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo, cùm annum in Rotomagenſi Pontificatu quintum ageret, Synodum celebravit, in qua ſancitum, *ut ſicuti ſub ejus regimine, ita & deinceps ipſi* Monachi Fontanellenſes, qui tunc Hiltbertum Abbatem venerabantur, *& poſteri eorum, ſecundùm Regulam Sancti Patris Benedicti fidèliter Chriſto deſervirent.* Lege vitam Sancti Anſberti Auctore Aigrado, necnon & ea quæ de Sanctis Abbatibus, Wandregiſilo, Lantberto, Anſberto, & Hiltberto, Tomis tertio & quarto ſcripſimus ad annos notatos ſuprà. Quod pleriſque Monaſteriis accidiſſe jam monuimus, Fontanellenſi quoque contigit. In eo penè defecit Monaſtice, cunctis fermè Monachis ad Ordinem Canonicum migrantibus. Ut Monaſtica diſciplina reſtitueretur, allaboravit fruſtrà Benedictus, qui præcitato

FOSSATI, Chronographo *Foſſacenſis* eſt ſeu Foſſatenſis Abbas. In Abbatum Foſſaten-

Digitized by Google

ſium Catalogo Benedictus inter Optatum & Ingelbertum medius ita collocatur, *Optatus, Benedictus, Ingelbertus*. At ille Benedictus, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum [a] jam obſervavimus, non eſt alius à Benedicto Anianenſi ſive Indenſi Abbate, qui Foſſatum ac Fontanellam ut & alia pleraque Galliarum Monaſteria luſtravit, nec Abbas dici debet illorum Cœnobiorum, in quibus ad inſtaurandam tantùm Monaſticen aliquandiu degit. Duæ res ad Fontanellæ commendationem memorantur à Chronographo. Qui Monaſticen ejurare noluerunt, à Benedicto Monaſticis imbuti ſunt documentis, alii *Canonico Ordine irreprehenſibiliter* converſari non deſtiterunt. Anſegiſus autem Fontanellenſis Abbas hoc anno factus ea, quæ Benedictus perficere non potuerat, feliciter adimplevit Monachis ad opus tam arduum evocatis Luxovio, quod per univerſam Galliam famâ celeberrimum tunc erat Monaſterium. In Abbatum Luxovienſium Catalogo poſt Anſegiſum ponitur Fulbertus, de cujus præfectura diſputabimus Tomo ſequenti.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

[a] Num. 173.

LUXOVII.

Monachi Luxovienſes à primo Cœnobii conditu Regulam ſui conditoris amplexi ſunt, Regulam videlicet Sancti Columbani, retinuerúntque donec Benedictinæ tandem ſe ſummiſerunt Id hoc loco repetendum ducimus, ne ſcrupulum tibi moveat, quòd Sancti Benedicti Regulam ad Fontanellenſe Monaſterium aſſerimus è Cœnobio revocatam eſſe Luxovienſi, cujus Monachi ſub alia Inſtitutoris ſui Regula diu militarunt. Ab hac ſententia non recedit Joannes Mabillonius è Congregatione Sancti Mauri Monachus Benedictinus, quem pietate ac doctrinâ inſignem amicitiâque ſingulari nobis conjunctum ſæpè laudamus. *Initio*, inquit, *ſeculi noni Fontanellenſe Cœnobium ad Regula noſtræ ſtrictiorem diſciplinam revocatum eſt per Monachos Luxovienſes, procurante Anſegiſo Abbate, ut patet ex Chronici Fontanellenſis Scriptore æquali.* Hæc nuperrimè ſcripſit in Præfatione [b], quam quarto Seculo Benedictino præfixit. In eandem lucubrationem multa congeſſit ad terminandam diſceptationem, quæ mota fuit inter nos de antiqua Ordinis Benedictini intra Gallias propagatione. Hoc illi conſilium gratulamur. Unicum olim omnium Monachorum in Occidente, quamvis & Regulis & ritibus inter ſe differrent, Ordinem extitiſſe contendit. *Una* [c] *quippe erat eorum ſocietas, facilis & promiſcuus in alia Monaſteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia commeatus, tametſi omnia ſeparata erant, ſed unâ caritatis lege confœderata. Primaria vita Monaſtica Regula erat abdicatio rerum omnium, tum propriorum ſtudiorum, qualis in Evangelio præſcribitur. Ad hæc ſeceſſio à ſeculi tumultu, officia divina ſtatis horis, obedientia ſumma, juge ſilentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis caſtigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in ſumma, propriæ ſalutis una ferè & maxima cura; pro aliena continentes ac ſollicitæ preces; pro Eccleſia etiam ſuſcepti labores, ubi poſtulabat caritas, aut neceſſitas. Legumlatorum omnium Regula eò ſpectabant; & quæ ad id magis conducere videbatur, eam ſuſcipiebant Monachi cujuſque Monaſterii pro Rectorum arbitrio & voluntate apud Occidentales ſeu Latinos.* Ex hac infert [d] aſſertione fruſtrà diſputatum de Sanctorum delectu à Sodalibus Benedictinis habendo in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini recenſendis. *Hæc cùm ita ſint*, inquit, *non tantoperè diſceptandum erat de Monachis Sanctis, qui ævo Sancti Benedicti vixere, nimirum an & quando ejus Regulam ſuſceperint; déque Inſtituto Columbani, an fuerit à Benedictino diverſum, an Regula ejus peculiaris. Certum quippe eſt, unicum fuiſſe, non ſolùm Benedicti & Columbani, ſed etiam omnium Monachorum eo tempore Ordinem, tametſi varias Regulas atque ritus habuerint diverſos. Conſtat etiam non ſolùm Sanctum Benedictum, ſed & Columbanum, cùm duo in Gallia Cœnobia ædificaſſet, Spiritu Sancto repletum, ut teſtatur Jonas, condidiſſe Regulam quam tenerent. Præter hanc Regulam Columbanus ſcripſit Pœnitentialem librum: quod utrumque opus habemus in Codice Regularum. Tota lis eſt, an hæc Regula ſemper in unoquoque Columbani Monaſterio cum Benedictina ita coa-*

[b] §. 3. n. 105.

[c] §. 4. n. 82.

[d] §. 4. n. 88.

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

luerit, ut nullo tempore ab illa ſejuncta ſit: aut ſi ſejuncta aliquando, quo demùm tempore cum ea coaluerit. Quod ſanè non magni momenti eſſe videbitur, ſi attendamus utriuſque Patris diſcipulos unius Ordinis conſodales ac commilitones fuiſſe. Diverſi quidem in nonnullis fuere Columbani ejuſque diſcipulorum mores à Latinorum Monachorum ritibus, quos Regulæ Sancti Benedicti profeſſores ſectabantur. At ſi quædam diſcidiola inde exorta excipias, unius Ordinis unionem non magis violabat illa diverſitas, quàm variæ nunc commentationes in Regulam noſtram. Tametſi verò quidam Columbani ritus à noſtris differebant, eodem tendebant præcipua quæque, penitúſque ſimilia erant; qualis eſt oblatio infantium in Monaſteriis, cujus oblationis ritum Columbanus ex Regula Sancti Benedicti forſan acceperit, nam ea de re nullum in ejus Regula Decretum invenio. Certè Donatus puer in Monaſterio Luxovienſi alitus, ibidemque Deo à teneris conſecratus eſt Columbano Abbate; quod etiam de Agilo puero legitur. Et inferiùs [a] circa Regulam Sancti Columbani, de qua præcipuè contentio fuit, tria ſubjungit hîc non omittenda. *Uno verbo, hac in re duo mihi certa & explorata videbantur, tertium omnino probabile. Certum quidem unum, Regulam Sancti Columbani à Regula Sancti Benedicti eſſe diverſam, neque hujus commentarium eſſe; alterum certum, ambas in unam haud ſeriùs apud Luxovienſes convenisſe, quàm ſub primis Columbani diſcipulis: tertium, quod omnino probabile exiſtimo, eſt, hanc conjunctionem factam eſſe poſt Synodum Matiſconenſem, ſi non ſub Euſtaſio Abbate, qui intra annum à Synodo facta deceſſit, certè ſub Waldeberto ejus ſucceſſore. Is enim, referente Adſone Abbate in ipſius vita, ſi quid in rebus vel ceteris utriuſque vitæ commoditatibus, temporibus illorum duorum Patrum, Columbani videlicet & Euſtaſii, imperfectum reſtabat, omni induſtriâ ſupplevit, auxit, & ad unguem perfectiùs elimavit. Quicquid ſit tandem de hoc tertio capite, non dubito quin duobus primis aſſenſuri fuiſſent Trithemius & Tepeſius, ſi Sancti Columbani Regulam atque Vitam à Jona ſcriptam, quas numquam viderunt, attentè legiſſent.* In hoc textu multa ſunt, quæ numquam impugnavimus. *Regulam Sancti Columbani à Regula Sancti Benedicti eſſe diverſam, neque hujus commentarium eſſe,* ſemper arbitrati ſumus. Auctoritatem Jonæ, quam quidam elevare conati ſunt, conſtantiſſimè tuiti ſumus illibatam. Solam quoque Regulam Sancti Columbani numquam non exiſtimavimus à Luxovienſibus Monachis ante Matiſconenſem Synodum atque etiam aliquandiu poſt idem Concilium receptam fuiſſe. Sunt & in eadem Præfatione alia non pauca, quæ neutiquam in dubium vocavimus, ideóque de nobis hæc in ea momorantur [b]. *Non longè à ſententia noſtra recedere videtur eruditus vir Carolus Cointius, profeſſus ſe nuſquam negaſſe, ſub Carolo Magno Regulam Sancti Benedicti communi uſu receptam in Gallia. Tum ſubdit. Sub Merovæadis Regibus & Pippino Caroli Magni patre ſteterunt in Galliis multa Benedictina Familiæ Monaſteria. Hæc, ut & alia ceterorum Ordinum, quoniam Monaſtice plurimùm remittebatur, ad antiquos mores veterémque diſciplinam revocare conatus eſt Carolus; rémque, quamvis arduam, non parum promovit, ut inferiùs pleraque Synodi docebunt. Opus autem à patre tam feliciter inchoatum, triennio poſt ejus obitum vix elapſo, perfecit Ludovicus filius.* Hæc ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [c] Tomo priore ſub Carolo Magno ſcripſimus, & quod ſpeciatim per anteceſſum inſinuavimus de Ludovico Pio, poſteà prævalidè Tomo hoc ſeptimo probavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum [d], quo Ludovicus *Deo amabilis Imperator,* ut Aſtronomus in illius vita ſcribit, *conſtituit Benedictum Abbatem* Anianenſem *& cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ per omnia, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeunteſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus fœminis, vivendi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* Accedit auctoritas Ardonis æquè coætanei, qui vitam prædicti Benedicti Abbatis Anianenſis ſive Indenſis in literas retulit. *Aggregatis Cœnobiorum Patribus, unà cum quampluribus Monachis* Benedictus Abbas *perplures reſedit dies, ut ſicut una omnium erat profeſſio, fieret quoque om-*

[a] S. 5. n. 127.

[b] Num. 93.

[c] Num. 153.

[d] Num. 236.

Digitized by Google

nium Monaſteriorum ſalubris una conſuetudo. Et paulò pòſt. *Perfectum itaque propagatúmque eſt opus divinâ opitulante miſericordiâ, & una cunctis generaliter poſita obſervatur Regula, cunctáque Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, ac ſi ab uno Magiſtro & in uno imbuerentur loco.* Habes igitur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Regulam Sancti Benedicti per omnia Monachorum Gallicanorum Monaſteria poſt Aquiſgranenſe Concilium vel diffuſam vel propediem diffundendam, ſive unus Ordo Monachorum ſive plures per univerſam Galliam ævo Sancti Benedicti proximíſque ſeculis extiterint. Anno certè poſt Aquiſgranenſe Concilium proximo, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, Ludovicus Auguſtus Regulam Benedictinam in Landevenecenſe Monaſterium apud Armoricos induxit. *Neſcio*, inquit Mabillonius[a], *an ullum aliud fuerit*, illis videlicet temporibus, *alieni Inſtituti Cœnobium in Gallia.*

AN. CH. 823. LUDOV. IMP. 10. LOTHAR. IMP. 7. PIPPINI R. 9. LUDOV. R. 7.

[a] Num. 93.

LXII. VARIA MONASTERIORUM GENERA.

Cunctis Galliarum Cœnobiis unam Sancti Benedicti Regulam tandem amplexis ſopita lis eſt omnis, quæ circa Monachorum Ordines vertebatur. Deinceps igitur labor noſter verſabitur in diſtinguendis non Monachorum ſed Monaſteriorum generibus. Sunt enim alia Canonicorum, alia Monachorum, nonnulla utrorumque vel ſimul, vel diviſim modò Canonicorum modò Monachorum. Exemplum non longè petemus. Monaſterium Fontanellenſe, de quo nobis nunc eſt ſermo, Monachos habuit à primo conditu; fervore Monaſtices pòſt remiſſo pars Monachorum adjunxit ſe Canonicis. Is erat Monaſterii ſtatus, quando illuc introducendæ Reformationis ergò directus eſt Benedictus Abbas Anianenſis. Quod autem Benedictus perficere non potuit, Anſegiſus hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-tertio Fontanellenſis Abbas factus feliciter adimplevit, Monachis ad opus tam arduum, ut ſuprà diximus, evocatis Luxovio.

LXIII.

Ante Anſegiſum in Fontanellenſi Monaſterio multi floruerunt Abbates, quorum memoria propter Sanctitatem celebris eſt in pleriſque Martyrologiis. E tanto numero, Chronographus, quem ſuprà tranſcripſimus, duos duntaxat, quibuſcum Anſegiſum compararet, Sanctos Wandregiſilum & Anſbertum ſelegit, nec hos immeritò præ ceteris, quia Sanctus Wandregiſilus Fontanellenſi Cœnobio Regulam primus præſcripſit, & Sanctus Anſbertus in idem Monaſterium Regulam Sancti Benedicti primus introduxit, Monaſtice verò lapſu temporis per Abbatum negligentiam collapsâ, neceſſe fuit Anſegiſo, ut quam priſtino ſplendori reſtituere Fontanellam volebat, vel inſtar Sancti Wandregiſili novæ Regulæ, vel inſtar Sancti Anſberti Regulæ Benedictinæ ſubjiceret.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

ANNUS

CHRISTI		824.		
LUDOVICI	IMP.	11.		
	REG.	44.	19.	7.
LOTHARII	IMP.	8.	2.	
	REG.	10.	2.	
PIPPINI III.	REG.	10.	8.	
LUDOVICI	REG.	8.		
INDICTIO		2.		

I. LOTHARIUS Auguſtus tertio Nonas Januarias, anno Regni ſui in Italia ſeu Longobardia ſecundo, Ludovici Auguſti undecimo, Indictione ſecundâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, cùm apud Compendium in patris ſui comitatu morabatur, hoc emiſit Præceptum, quo Donationes Eccleſiæ Comenſi quondam factas confirmavit. *In Nomine Domini Jeſu Chriſti Dei æterni. Lotharius* * *Auguſtus Invictiſſimi Domini Imperatoris Ludovici filius. Si providè propter reverendum venturi atque pavendi Judicis amorem juſtis ac rationabilibus Sacerdotum atque ſervorum Dei petitionibus, quæ nobis propter quietem Sanctæ atque Catholicæ ſeu decorem præſentis ſtatûs Eccleſiæ, cujus Deo auctore regimen ſortiti ſunt, innoteſcere curaverint, aures clementiæ noſtræ divinitus inſtigati accommodamus, eáſque æſtuanti deſiderio ad debitum Deo propitio perduxerimus effectum, non ſolùm Imperialem conſuetudinem exercemus, atque prædeceſſorum noſtrorum videlicet Regum Francorum facta conſervando & noſtra in poſterum à poſteris inviolabiliter ſervanda* * *roboramus, verùm etiam ad præmia patriæ cæleſtis percipienda hujuſmodi facta abſque ambage valere confidimus. Quapropter comperiat fidelitas omnium noſtrorum fidelium, modernorum videlicet & futurorum, quia Leo Vir Venerabilis, Sacroſanctæ Eccleſiæ Comenſis Epiſcopus, ubi Sanctus Confeſſor Chriſti Abundius pretioſo corpore requieſcit, magnificum Culmen noſtræ Serenitatis adiens, detulit obtutibus noſtris quamdam auctoritatem ſeu confirmationem Domini & Genitoris noſtri Ludovici Excellentiſſimi Auguſti, in qua continebatur, qualiter Præceptum piæ recordationis avi noſtri Caroli Glorioſiſſimi Imperatoris, ſeu Præceptum confirmationis, ſcilicet Cumperti, Ariperti, & Luitprandi, Ratigiſii, Heritulphi, Deſiderii, vel prædeceſſorum eorum, quæ ipſi circa eundem venerabilem locum pro divino amore fecerunt de omnibus rebus, quæ & eidem ſacro loco tam ab ipſis quàm à quibuſcumque perſonis juſtè & legaliter fuerint traditæ, ſive de iis quæ antèa cum juſtitia acquirere potuerit, more Imperiali confirmarent, videlicet & ſpecialiter in eodem inſertum erat de teloneo ſeu mercato & Gegiis cum ipſo loco, necnon in Canonicale ſtipendium concedimus Comanis Eccleſiaſticis Cluſas & pontem juris noſtri de Clavenna æternaliter. Inſuper in eadem continebatur auctoritate de altercatione, quæ orta fuit inter Petrum ejus prædeceſſorem atque Rectorem Sanctæ Comenſis Epiſcopum & Waldonem Sancti Dionyſii Abbatem, qualiter idem devota recordationis avus noſter Pius ac Glorioſus Imperator Carolus de eadem intentione decreverat, vide-*

* *Lotharius primus Auguſtus*

LOTHARIUS DAT PRÆCEPTUM PRO ECCLES. COMENSI.

* Ughell. *favendo*

*cet de rebus quas Waldo Abbas prædicto Petro Episcopo quæsivit, quæ erant sitæ in Valle Tellina in Ducatu Mediolanensi, ut sicut hactenus per confirmationem antecessorum Regum eadem res pars Comensis Ecclesiæ retinuerat, ita & in futurum per ejus confirmationem teneret. Ipsæ verò res erant Ecclesiæ Baptismales, una in Amatia, & altera in Burmis, tertia in Postlavo, & Monasteriolum Sancti Fidelis pertinens ad Episcopatum Comensem. Videlicet pro hujus rei firmitate petiit prædictus Venerabilis Leo Episcopus quietem Serenitati nostræ, ut non solùm Præcepta Domini & Genitoris nostri, seu sanctæ recordationis Avi Caroli nostrâ auctoritate confirmaremus, verùm etiam res, quas suprascripti Reges seu antecessores eorum, videlicet Principes Longobardorum, hi sunt Anprandus, Cumbertus, & Berthrarius, per eorum auctoritates prædictæ Ecclesiæ delegaverunt vel confirmaverunt, omnia nostrâ auctoritate complectantur, atque præfatæ Sanctæ Comensi Ecclesiæ pro amore Dei & reverentia Sancti Abundii, nostræ Præceptionis confirmatione confirmarentur atque corroborarentur. Cujus petitioni, propter amorem divinum, assensum præbuimus, juxta quod petiit, antedicta Præcepta veterum Regum nostro Imperiali Præcepto confirmavimus, specialiter decernentes, ut quicquid in Præceptis Domini ac Genitoris nostri seu Magnifici Imperatoris Caroli Avi nostri continetur, quæ præscripti Reges Longobardorum præfatæ Ecclesiæ cum justitia delegaverunt, vel confirmaverunt & quietè & justè possidere, perenniter & sine ulla resultatione firmum & stabile permaneat. Decernimus insuper atque sancimus, ut omnes res prædictæ Ecclesiæ Comensis sub defensione & mundio Palatii nostri, sicut tempore Patris & Avi nostri fuerunt, perenniter consistant. Et, si aliqua alteratio de rebus prædictæ Ecclesiæ, quas per hoc nostrum Præceptum & pro mercedis nostræ augmento confirmavimus, orta fuerit, quæ ibi minimè definiri valuerit, ad sacrum Palatium nostrum reservetur, quatenus ibi secundùm rectitudinis tramitem terminum accipiat. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Lotharii Gloriosissimi Imperatoris. Maredo ad vicem Vitgarii * recognovi. Datum tertio Nonas Januarii, anno, Christo propitio, undecimo Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Lotharii filii ejus Gloriosissimi regnantis secundo, Indictione secundâ *. Actum Compendio Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Quod attinet ad annum Incarnationis Dominicæ, hic Character ad oram, unde videtur in textum translatus, à nobis rejectus est. In eodem Lotharii Diplomate pleraque Longobardorum Regum nomina vitiosè sunt edita, nam qui nominantur, *Berthrarius, Cumbertus* seu *Cumpertus, Aripertus, Anprandus, Luitprandus, Ratigisius, Heritulphus*, & *Desiderius*, rectiùs efferrentur, Pertharitus, Ragumbertus, Aripertus, Ansprandus, Liutprandus, Ratchisius, Aistulfus, & Desiderius.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

* Ughell. *Vitharii*

* Ughell. anno DCCCXXIV.

Ludovicus Augustus eodem anno, Imperii sui undecimo, Indictione secundâ, mense Martio, cùm Aquisgrani degeret, pro Ultrajectina Ecclesia Præceptum emisit, quod à Wilhelmo Heda in elogio Rixfridi Episcopi sic editum reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Imperialem Celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solùm inviolabiliter observare sed etiam censura sua authoritate confirmare. Unde noverit Industria seu Sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quia Rixfridus Venerabilis Vir, veterùs Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honore Sancti Martini Confessoris vel ceterorum Sanctorum, detulit mansuetudini nostræ quasdam auhoritates Constitutionum, qualiter Dominus & Genitor noster Carolus, bonæ memoriæ Piissimus Imperator, & Avus noster Pippinus, & Antecessores eorum, ad ipsam Ecclesiam concessissent omnem decimam de mancipiis, terris, ac teloniis, vel de negotio, vel de omni re, undecunque ad partem Regiam fiscus telonium exigere aut accipere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub mandiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ existerent, necnon & in vipis in Doreslado, ut nec bannum, aut fredum, aut conjectum, quod ab ipsis versebat vocatur, contingere aut exactare præsumeret, & quisquis*

II.

LUDOVICUS PRO ECCLESIA ULTRAJECTIN.

illuſtravit partem Seculi quarti Benedictini. Dubouchetus inter probationes, quas Hiſtoriæ de vera Francicæ Domûs Origine ſubjecit, ex manuſcripto Codice, quem à Marco Antonio Dominicyo accepit, textum proximè recitatum tranſcripſit, & exploſo Ludovici Auguſti anno undecimo poſuit decimum, quocum per menſem Junium annus Redemptoris octingenteſimus viceſimus-tertius componitur. At ſtamus à Mabillonio, non tantùm propter autographum cujus auctoritas eſt potentiſſima, ſed etiam propter ſeriem rerum anno præterito geſtarum, quæ Ludovicum Auguſtum Aquiſgrano per menſem Junium procul abfuiſſe teſtatur. Audi Annaliſtam Laureshamenſem. DCCCXXIII. *Menſe Maio Conventus ibidem*, nempe Francofurti, *habitus eſt, in quo*, &c. *Lotharius menſe Junio ad Imperatorem venit. Ipſe* Ludovicus Imperator *reliquum æſtatis tempus in pago Wormacienſi, ac deinde in Arduenna tranſigens, peractâ autumnali venatione ad Cal. Novemb. ſicut condixerat, Compendium venit.* Eadem ad illum annum ſcribit Aſtronomus in vita Ludovici. Bernardus, qui Dodonam duxit, apud Theganum [a] eſt *de ſtirpe Regia & Domini Imperatoris ex ſacro fonte Baptiſmatis filius*, id eſt, ſpiritalis filius Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, pòſt Imperatoris, & Francorum Monarchæ, quem agnatione contingebat, utpote pronepos Childebrandi Ducis, qui Caroli Martelli frater fuit. Lege de Theodorico Bernardi avo, quæ Tomo ſuperiore ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſecundum [b]. Conſule & quod ſubjicimus Stemma Genealogicum.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[a] Cap. 36. LUDOVICI IMP. FILIUS EST SPIRITALIS ET AGNATUS.

[b] Num. 15.

PIPPINUS HERSTALLIUS
Major-domûs.

- CAROLUS MARTELLUS Major-domus.
  - PIPPINUS Rex Francorum.
    - CAROLUS MAGNUS, Rex Francorum & Imperator Romanorum.
      - LUDOVICUS PIUS Rex Francorum & Imperator Romanorum.
- CHILDEBRANDUS Dux.
  - THEODORICUS Comes.
    - S. WILLELMUS Comes, deinde Monach. Gellonenſis.
      - BERNARDUS Comes uxorem ducit Dodanam an. 824. menſe Junio.

VI.

Sub initium [c] hujus Tomi, cùm de prima Monaſterii Gellonenſis origine verba faceremus, meminimus Chartæ à Catello [d] laudatæ, in qua Willelmus Bernardi pater, parentes ſuos nominat, Theodoricum & Aldanam; fratres, Theodoinum & Adaleſmum; ſorores, Aldanam, & Bertrandam; liberos, Bernardum, Guietearium, Gotſelinum, & Herimbruam; uxores, Gunegundem, & Guitburgem ſeu Vintburgem. Queſti ſumus in Characteribus Chronologicis, ut apud Catellum exhibentur, nævos eſſe non paucos. Eandem Chartam parte primâ Seculi quarti Benedictini Joannes Mabillonius ex Chartophylacio Gellonenſi nuperrimè ſic publicavit. *In Nomine Domini. Ego Willelmus gratiâ Dei Comes, recognoſcens fragilitatis meæ caſus humanæ, idcircò facinora mea minuanda, vel de parentibus meis qui defuncti ſunt, id eſt, genitore meo Theuderico & genitrice mea Aldana; & fratribus meis Theudoino & Adalelmo; & ſororibus meis Albana & Bertana; & filiabus meis & filiis, Barnardo, Witcharo, Gotcelmo, Helimbruch; & uxoribus meis Cunegunde & Guitburge; & nepote meo Bertranno; pro nobis omnibus ſuperiùs nominatis dono ad Monaſterium, quod dicitur Gellonis, ſitum in pago Lodo-*

[c] Ad an. 804. nn. 44. 45.

[d] Hiſt. Com. Toloſan. l. 1, c. 6.

CHARTA WILLELMI COMITIS PRO MON. GELLONENSI,

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. 11. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

*venſe, juxta fluvium Araon, conſtitutum in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, & Sancti Michaelis Archangeli, ſeu Apoſtolorum glorioſorum Petri & Pauli, necnon & Sancti Andreæ omniúmque Apoſtolorum, quod ego præfatus Comes Willhelmus conſtruere in cauſa * Domni & Senioris mei Caroli juſſu, & ex doctrina Venerabilis Patris Benedicti, Monachos & Abbatem poſui, ut Domino Deo jugiter ibi deſerviant, donatúmque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, res meas, quæ ſunt in pago jam dicto Ludovenſe, in primis videlicet fiſcum Litenis cum Eccleſiis Sancti Johannis & Sancti Geneſii ſub omni integritate, cum villis & villaribus, vineis & campis cultis & incultis, arboribus fructiferis & infructiferis, paſcuis, pratis, molendinis, piſcatoriis, aquis & aquarum decurſibus, quantumcumque ad ipſum fiſcum & ad colonicas ipſius aſpicit vel aſpicere jure videtur; omnia dono, trado ad proprium perhabendum omni tempore. Habet verò has collaterationes & infrontationes ab Oriente, & ſicut currit flumen Araon; à Meridie, ſicut torrens Lacatis divergit in ipſo flumine; ab Occidente infrontat in ipſo Aviſo, qui diſcurrit per concava montium in Bodena antiqua, quæ eſt in ſupercilio montis; ab Aquilone uſque in termino Monaſterii. Similiter in Marcomitis villa dono quantumcumque Deodatus Presbyter ibidem dato pretio comparavit, vel quantùm ibidem à me poſſeſſum eſt. Similiter dono villam Saturatis cum ipſa Eccleſia Sancti Saturnini cum omni integritate, cum caſis caſaliciis, campis, vineis, pratis, ſilvis, garricis, hortis, molendinis, aquis, aquarum decurſibus, quantumcumque ibidem viſus ſum habere vel poſſidere, culta & inculta, ad ipſam caſam Dei dono ad habendum. Similiter dono in Canneto villa, quantumcumque ibidem viſus ſum habere vel poſſidere. In pago quoque Magdalonenſe in villa Soregia, quantumcumque ibidem viſus ſum habere vel poſſidere. In pago verò Albienſe dono villam Noviciacum ſeu Wiciacum cum omni integritate ſua vel cum omnibus adjacentiis ſuis. Similiter dono in pago Rutenico in villa Bracoialo manſos duos cum vineis & terris cultis & incultis, quantum ad ipſos manſos aſpicit & aſpicere videtur. Iſta omnia ſuprà nominata ego Willhelmus jam dictus Comes pro me & pro prædictis perſonis dono & trado atque transfundo ad jam dictum Monaſterium Gellonis, & Altariis ibi Deo conſecratis, & Monachis & Abbatibus tam præſentibus quàm futuris, pro æterna remuneratione, ut Deum Omnipotentem per omnia habere poſſimus propitium, & ut iidem Monachi laudantes ibidem aſſidùè habeant unde poſſint vivere. Si quis verò (quod futurum eſſe non credo) vel ego ipſe aut aliquis de hæredibus meis, ſeu qualibet perſona contra hanc Donationem meam, quam ego prompto animo vel pleniſſimâ voluntate facio, venire, interrumpere aut aliquid diſrumpere tentaverit, non liceat facere. Quòd ſi præſumpſerit, Dei Omnipotentiam exoro, ut ipſa ultionem ſumat in eo; quia notum ſit omnibus hominibus, hunc honorem à me poſſeſſum tam ex originali parte quàm etiam ex adquiſitione abſque querimonia ullius perſonæ. Facta eſt hæc Donatio* XVIIII *Kal. Januarii, fer.* I, *anno* XXXIIII *regnante Domno noſtro Carolo Rege Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum, & anno quarto Chriſto propitio Imperii ejus. Signum Willhelmi. Signum Barnardi. Signum Gotcelmi. Signum Domni Theuderici. Signum Jamardi. Signum Fulcoaldi. Signum Rangavi. Signum Nictardi. Signum Mauringi. Signum Sibaldi. Signum Guiraldi. In Nomine Domini ego Gallarius rogitus ſcripſi.* Poſtridie datæ ſunt aliæ literæ, quas quoque deſcriptas accipe, prout editæ ſunt. *Ego in Dei Nomine Wilhelmus recogitans fragilitatis meæ caſus humanum, idcircò facinora mea minuanda, vel de parentes meos qui defuncti ſunt, id eſt, genitore meo Teuderico & genitrice mea Aldane & fratres meo Teodoino & Teoderico & Adalelmo, & ſorores meas Abbane & Bertane, & filios meos & filias Witcario & Hildebelmo & Helinbruch; uxores meas Witburg & Cunegunde, pro nos omnibus ſuperiùs nominatos dono ad ſacroſancta Baſilica, qui eſt conſtructa in honore Sancto Salvatore & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, ſeu Sancti Petri & Sancti Pauli & Sancti Andreæ & Sancti Michaelis vel omnium Apoſtolorum, in illa Cella Gellonis, quem ego ſuperiùs nominatus Wilhelmus per conſilio Domni Abbatis Benedicti, ſeu cum ſuo ad-*

* Locus depravatus

jutorio adificavi, quem ipſe Domnus Benedictus Abba regere videtur, donatúmque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, res meas quæ ſunt in pago Lutwenſe, id eſt, Litenis villa, &c. ut in ſuperiore Charta. *Iſta omnia ſuperiùs nominata pro nos ſuprà dictos ad ipſa caſa Dei vel ad ſuos Rectores dono, trado atque transfundo ab hodierno die ad ipſa caſa Dei, dummodo ſi ipſa Cella ſubjecta eſt ad Aniana Monaſterio, ſicut hodie eſſe videtur, ipſa caſa Dei vel ſui Rectores habeant, teneant atque poſſideant. Nam ſi aliquis homo propter malam cupiditatem aut iniquum ingenium ipſa Cella ſeparaverit de Aniana Monaſterio, tunc ipſas res ſuperiùs nominatas volemus eas eſſe donatas pro nos omnibus ſuperiùs nominatos ad Aniana Monaſterio ad ipſas caſas Dei Sanctæ Mariæ & Sancti Salvatoris. Nam dum ipſa Cella ſubjecta eſt ad Aniana Monaſterio, ſicut ſuperiùs diximus, precamus ut ipſe Abbas de Aniana benigniter atque miſericorditer regat ipſa Cella Gellonis ſeu fratres ibidem morantes, & quod ibidem minus habuerit de ſtipendia in ipſa parvitate quod ego in ipſa Cella donavi, ille propter Deum aliunde adjuvet & ſubveniat, ſicut decet Abbatem ſuos benivolo animo regere. Nam non adminuet de ipſa parvitate ad ipſos fratres, dummodo ipſa Cella ſubjecta fuerit ad Aniana Monaſterio, ſicut ſuperiùs diximus. Si quis verò (quod futurum eſſe non credo) ſi ego ipſe aut aliquis de hæredibus meis, vel quiſlibet perſona, qui contra hanc Donationem meam, quam ego prompto animo vel pleniſſimâ voluntate fieri rogavi, venire aut agere tentaverit, ſi ille ſine peccato eſt, forſitan poteſt noſtra totorum peccata portare. Nam ſi ille jam peccavit, puto ſe gravare ſua & noſtra ſuſtinere velit, & pro utriuſque rationem reddere, quia nos Deo juvante per iſtam Donationem ſperamus aliquid de noſtra minuari peccata. Et inſuper non valeat vindicare quod repetit, ſed inferat ad fiſco auri libra* I. *& hæc Donatio mea firma permaneat omni tempore. Factâ Donatione* XVIII *Kl. Januarii, anno* XXXIIII *regnante Domno noſtro Karolo Rege Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum, & anno* IIII *Chriſto propitio Imperii ejus.* Utraſque literas multæ res elevant, eáſque ſi non ſuppoſititias, ſaltem non eſſe ſynceras oſtendunt.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Priorem Chartam Catellus [a] aſſerit tribus munitam Characteribus, die videlicet 14 Decembris, anno 24 Regni Carolini, & anno Imperii 4. Sed hi Characteres ſimul non conveniunt, annus enim quartus Imperii Caroli ni cum anno Regni viceſimo-quarto comparari nullomodo poteſt. Annus Regni Carolini triceſimus-quartus, quem viceſimi-quarti loco reponendum jam monuimus [b], ex Codice Gellonenſi confirmatur, convenitque cum anno Imperii Carolini quarto, uterque verò cum anno Redemptoris octingenteſimo quarto, quia Carolus in Septimania, ubi Cœnobium Gellonenſe, poſt Carolomannum fratrem pridie Nonas Decembris anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-primo regnare cœpit, & Imperator Romæ dictus eſt octavo Kalendas Januarias anno Redemptoris octingenteſimo. Mabillonius *f r* 1 feriam primam ſeu Dominicam interpretatur. At dies 14 Decembris ſeu XVIIII Kal. Januarias in Kalendario notatur literâ E. Dominicalibus autem literis G & F præditus fuit qui biſextilis annus Redemptoris octingenteſimus quartus. Illo igitur anno dies 14 Decembris ſeu XVIIII Kal. Januarii cum Sabbato coincidit. Deinde non placet Patriciatus Caroli cum anno Imperii quarto conjunctus, quia Carolus, ut veteres Annaliſtæ teſtantur, ex quo cœpit Imperator & Auguſtus appellari, Patricii nomen depoſuit anno Redemptoris octingenteſimo. Præterea Willelmus in hiſce literis, ubi fratres ſuos commemorat, omittit Theodericum, quem nominat in alteris poſtridie datis; hujus differentiæ quæ ratio poteſt afferri? Similiter in utriſque, cùm de liberis ſuis agit, nec ſibi conſtat, nec Auctoribus illius ævi conſentanea ſcribit, ut fuſiùs ad poſteriores literas exponemus. Denique in prioribus meminit nepotis ſui Bertranni, nequaquam in poſterioribus; certè vix cuipiam videbitur avus anno Caroli Auguſti quarto, Redemptoris octingenteſimo quarto, cùm Bernardus ſeu Barnardus ejus filius uxorem ante annum Ludovici Auguſti undecimum,

VII.

[a] Hiſt. Com. Toloſ. l. 1. c. 6.

[b] Ad an. 804. n. 44.

EXAMINANTUR.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum haud duxerit; ſi Bertrannum nepotem non avi ſed patrui vel avunculi reſpectu dicas, nec illo ſubterfugio ſalvus evades, licebit enim iterum urgere, cur hic in unis potiùs quàm in alteris nec in utriſque literis nominetur. Poſterioris Chartæ Characteres omnes annum Redemptoris octingenteſimum quartum deſignant. Cur in priore, quæ pridie data dicitur, non eſt idem numerorum Chronologicorum conſenſus? Cur illarum ſtylus eſt adeò diverſus? Cur ut in ſtylo ſic & in rebus diſparitas arguitur? Willelmus in prioribus literis ſolos Theudoinum & Adalelmum; in poſterioribus, Teodoinum, Teodericum, & Adalelmum, fratres ſuos agnoſcit. In enumeratione liberorum magis à ſeipſo differt. In prioribus literis recenſet quatuor hoſce liberos, Barnardum, Witcharium, Gotcelmum, Helimbruch; in poſterioribus, tres, Witcarium, Hildehelmum, Helinbruch; utrobique verò liberos utriuſque ſexûs, id eſt, ut ipſemet ait, filios ac filias complectitur, ideóque nobis non diſciplicet Catellus, ubi legit Herimbruam. Ceterùm ex utrarumque literarum collatione innoteſcunt quinque tantùm liberi; quatuor filii, Barnardus ſeu Bernardus, Witcharius ſeu Witcarius, Gotcelmus, & Hildehelmus; filia Helimbruch ſive Herimbrua. In horum liberorum numero nec Heribertus ponitur nec Gerberga ſeu Gerbirch, tamen uterque Willelmi liberis ab Auctoribus coætaneis adſcribitur, Heribertus ab Aſtronomo in vita Ludovici Pii, Gerbirch à Thegano in Geſtis ejuſdem Ludovici. Cauſam omnem vel omiſſionis vel expunctionis refundimus in calamitatem quam injuſtè pertulerunt Lothario perfidæ factionis in patrem authore. *Heribertus Bernardi frater*, inquit Aſtronomus, *luminum amiſſione mulctatus eſt contra voluntatem Imperatoris*, id eſt, juſſu Lotharii, contra voluntatem Ludovici qui *ſolo nomine Imperator æſtatem* anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo *tranſegit*. Idem Lotharius, ut Theganus[a] teſtatur, *Sanctimonialem fœminam quæ erat ſoror Ducis Bernhardi, nomine Gerbirch, juſſit in vaſe vinatico claudere, & projicere in flumen Ararim*. Non exiſtimamus Heribertum & Gerbergam in Chartis ſuprà deſcriptis à Willelmo patre prætermiſſos fuiſſe, ſed facilè credimus eos à recentiore quopiam expunctos eſſe, ne vel ipſa nominum recordatio memoriam Lotharianæ perduellionis ac crudelitatis refricaret. Eandem ob cauſam ipſius Bernardi nomen in poſterioribus Willelmi literis deſiderari videtur. Hæc autem ſatis ſupérque ſunt, ut intelligas neutram Willelmi Chartam in Gellonenſi Tabulario ſynceram haberi.

[a] Cap. 51.

VIII. ABBATES GELLONENSES.

Quamvis poſteriores Willelmi Comitis literæ Cellam Gellonenſem Anianenſi Monaſterio ſubjiciant, Benedictus Anianenſis Abbas, priuſquàm Anianenſis Cœnobii curam in alium transfunderet, Abbatem Aſceterio Gellonenſi præfecit. Id liquet ex Diplomate Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, quod ex eodem Tabulario Mabillonius ita deſcripſit. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Rex Sereniſſimus Aquitaniæ. Quoniam cogitandum nobis eſt, qualiter æterni Regis amorem obſiſtente peccatorum pondere amittere non poſſimus, locis inſiſtentibus divinis cultibus placuit largiri propter Regnum æternum Salvatoris noſtri ejúſque inibi ſibi famulantibus beneficia opportuna; quatenus ab illo remunerati, gaudio ſine fine mereamur perfrui. Ideo notum eſſe volumus omnibus fidelibus præſentibus & futuris, quòd petente Domno Guillelmo Monacho, qui in aula genitoris noſtri Karoli Auguſti Comes extitit clariſſimus, ſed pro Dei amore meliorem exercens vitam ſtuduit eſſe pauper recuſando ſublimia; ob inrevocabilem verò ſuæ dilectionis circa nos fidelitatem petitioni ejus præbentes aſſenſum, placuit nobis tam pro mercedis noſtræ augmento quàm pro amore ejus, ad Monaſterium quod dicitur Gelloni, ſitum in pago Luvenſe juxta fluvium Araur ſubtus caſtrum Virduni, ſacratum in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctæ Mariæ, Sanctique Michaelis, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & Sancti Andreæ omniumque Apoſtolorum, conſtructum à jam dicto Comite Guillelmo in cauſa noſtri genitoris, ubi Juliofredus*

Rector & Abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est, fiscum quemdam nostrum in pago Biterrense, qui dicitur Miliacus, cum villa & Ecclesia Sancti Paragorii, & Miliciano villa atque Campaniano, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis sub omni integritate, sicut à Misso nostro Comite Gotcelmo per Cruces in lapidibus sculptas seu decursus aquarum in terminationibus traditum & assignatum est, à genitore nostro & à nobis possessum. Et in pago jam dicto Ludovense locum qui dicitur Gastrias, vulgare autem Castra-pastura, ad pecora eorum alenda, cum Ecclesia Sancti Martini, cum terminis & adjacentiis suis, cum omni integritate ad diversos usus eorum. Et in eodem pago villam, quæ dicitur Magarantiatis cum Ecclesia Sancti Felicis, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis. Honorem verò illum, quem Domnus Guillelmus seu alii fideles per instrumenta Chartarum præfato Monasterio tradiderunt, in quibuscumque locis sit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, totum nos pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimonia pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hæc omnia præscripta cum Ecclesiis, villis, villaribus, domibus, ædificiis, campis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarúmque decursibus, perviis exitibus & regressibus, cultis & incultis, cum omnibus adjacentiis earum, totum & integrum prædicto Monasterio Gellonensi per hanc Donationis auctoritatem perpetualiter concedimus ad habendum, ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & tempore de prædictis rebus facere vel ordinare vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Godolenus Notarius ad vicem Guigonis recognovit. Datum hoc Præceptum V *Kl. Januarii, Indictione* X, *anno* XXVII *Domni Ludovici Regis, Tolosæ publicè; Karoli verò Imperii* VIII. *Et ut hæc auctoritas nostris futurísque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus in Dei Nomine feliciter. Amen. Signum Domni Ludovici Clementissimi Regis.* In dubium non vocamus, quin hoc Diploma datum sit Tolosæ, quinto Kalendas Januarii, seu die vicesimo-octavo Decembris, anno Redemptoris octingentesimo octavo. Willelmus ex Comite Monachus, cujus ibi fit mentio, Monachum eodem anno mense Junio nuper in festo Principum Apostolorum induerat, eodémque anno Ludovicus Rex *domum* seu Tolosam, ubi regni Sedes, ad hyemandum redierat rebus feliciter adversùs Saracenos in Hispania trans Iberum gestis, ut suo loco [a] probavimus. At dissimulare non possumus nævos, quibus depravati sunt Characteres Diplomatis proximè descripti. Die enim vicesimo-octavo Decembris, anno Redemptoris octingentesimo octavo, non decima sed secunda currebat Indictio Kalendis Septembribus cœpta, Ludovicus annum Regni sui non vicesimum-septimum sed duodetricesimum numerabat à præcedenti Paschate, similiter Carolus annum agebat Imperii sui non octavum sed nonum nudiusquartus inchoatum. Sic igitur numeri sunt restituendi. *Datum hoc Præceptum* V *Kl. Januarii, Indictione* II, *anno* XXVIII *Domni Ludovici Regis, Tolosæ publicè; Karoli verò Imperii* VIIII.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[a] Ad an. 808. num. 5. & seqq.

Quot annos Juliofredus Abbas Gellonense Monasterium rexerit, quóve anno Monasteriis Anianensi ac Gellonensi simul unitis unus Abbas præesse cœperit, nemo prodit. Benedictus Anianensis Abbas Aquisgranum à Ludovico post obitum Caroli Magni vocatus, & Indæ Monasterio præfectus Senegildum Anianæ Abbatem substituit, deinde Senegildo Georgium suffecit. Benedicto superstes vixit hic Georgius, nec Anianensis tantùm sed etiam Gellonensis Abbas fuit. In administrationem utriusque Cœnobii successit Tructesindus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo secundo, ut ad illum annum observavimus. Tructesindum excepit Hucerandus Abbas, qui Tomo quarto Galliæ Christianæ memoratur hoc anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Series igitur Abbatum Anianensium à conditu Monasterii ad hunc usque annum sic instituí debet. Primus Abbas Benedictus; secun-

IX.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8. ANIANENSES.

dus Senegildus, tertius Georgius, quartus Tructeſindus, quintus Hucerandus. Abbatum verò Gellonenſium hic eſt Catalogus. Primus Abbas Benedictus, ſecundus Juliofredus, tertius Georgius, quartus Tructeſindus, quintus Hucerandus. Nonnulla, quæ noſtram diligentiam fugerant, hîc ſupplebimus ex Diplomatibus nuper editis in prima parte quarti Seculi Benedictini non ſemel jam laudata. Benedictus Anianenſis Monaſterii curam in Senegillum eodem refudiſſe videtur anno, quo Carolus Magnus obiit. Anno poſtero datum eſt hoc Diploma. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si liberalitatis noſtræ munere de beneficiis à Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis & ad mortalem vitam feliciter tranſigendam, & ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquidò credimus. Unde noverit experientia atque utilitas omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum, quia placuit nobis pro mercedis noſtræ augmento & animæ emolumento quamdam Cellulam ex re proprietatis noſtræ, quæ nuncupatur Caſa nova, quæ ſita eſt juxta caſtrum quod nuncupatur Planitium, in pago Ucetico ſuper fluvium Cicer, quam dudum Wilelmus quondam Comes à fundamento in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis conſtruxerat, & rebus quamplurimis ditaverat, & Domno & Genitori noſtro Karolo bonæ memoriæ Piiſſimo Auguſto cum rebus & omnibus, quæ eidem Cellulæ aſpicere fecerat, per Chartulam delegavit Donationis. Sed poſteà propter compendium & loci utilitatem non procul ab eodem loco eadem Cellula conſtructa eſt, quæ nuncupatur Gordanicus *, in eodem pago & ſuper eundem fluvium, ad Monaſterium, quod nuncupatur Aniana, concedere, & per hanc noſtræ auctoritatis largitionem tradere, quod eſt ſitum in pago Magdalonenſe, non longè à Caſtro quod dicitur Monſcalmus, conſtructum in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, ubi etiam Senegildus Abba præeſſe videtur: quod olim Vir Venerabilis Benedictus Abba in ſuo conſtruxerat proprio, & ſimiliter Domno & Genitori noſtro Karolo Imperatori per inſtrumenta delegaverat Chartarum. Hanc itaque Cellulam, quæ, ſicut diximus, nuncupatur Gordanicus, & illam, quæ vocatur Caſa nova, cum omnibus ibidem pertinentibus vel aſpicientibus, cum mancipiis, domibus, ædificiis, terris, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis aquarúmque decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus quæ prædictus Willelmus per venditiones, ceſſiones, donationes, adquiſierat, & præfato Domno & Genitori noſtro tradiderat; & cum his quæ poſteà prædictis locis à bonis hominibus tradita * ſunt, memorato Monaſterio Aniano præſenti tempore tradidimus, & per hanc noſtræ auctoritatis Donationem perpetualiter ad habendum conceſſimus, ita videlicet ut quidquid in ipſis locis aut de ipſis ad utilitatem & profectum Rectores aut Congregatio ipſius Monaſterii facere vel judicare voluerint, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi. Hæc verò auctoritas largitionis noſtræ ut per curricula annorum inviolabiliter inconvulſam obtineat firmitatem, & à fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, ſeu etiam & ſucceſſoribus noſtris fidelibus S. Dei Eccleſiæ veriùs certiúſque credatur, etiam manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignare juſſimus. Durandus Diaconus ad vicem Heliſacar recognovi. Data* XII *Kl. Junias, anno, Chriſto propitio, ſecundo Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* VIII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* *Goudargue.*

* Edit. *traditum eſt.*

Hi Characteres annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quintum repræſentant. Senegildi Præfectura non fuit diuturna. Georgius enim illius ſucceſſor Abbas erat pridie Nonas Decembris, anno Imperii Ludoviciani poſt Caroli Magni mortem tertio, Indictione decimâ jam inchoatâ. Joannes Mabillonius in Appendice ad vitam Sancti Benedicti Anianenſis id ex fragmento Præcepti Ludoviciani ſic aſſerit. *Præterea Ludovicus Auguſtus ad Monaſterium, quod dicitur Aniana, ubi Georgius Abba præerat, quamdam Cellam juris ſui, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Martini infra muros Arelatenſis civitatis cum his quæ ad eam pertinent, memorato Monaſterio ad ſtipendia fratrum*

Digitized by Google

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

ibidem Deo famulantium, vel ad ſubſidia pauperum conceſſit pridie Non. Decembr. anno Imperii III, *Indictione* X. In eadem Appendice Ludovicus Auguſtus Georgii tunc Abbatis meminit ſeptimo Idus Martias, anno Imperii ſui ſexto, Indictione duodecimâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, quia Vir Venerabilis Benedictus Abba unà cum conſenſu Georgii Abbatis Anianenſis Monaſterii, quem ipſe ibidem ſucceſſorem elegerat, & Monachis ibidem conſiſtentibus, ſed etiam & Nebridii Reverentiſſimi Archiepiſcopi & aliorum ſervorum Dei, cuidam Cellulæ in pago Albienſi ſuper fluvium qui dicitur Aquotis ſitæ, nuncupante Bellâ Cellâ, conſtructæ in honore Sancti Benedicti & aliorum Sanctorum, quæ nuperrimis temporibus novo opere in rebus, quas Wifarius Comes memorato Monaſterio Anianenſi delegaverat, conſtructa eſt, tale Privilegium ob firmitatem loci illius conceſſit, ut ſemper de ipſa Congregatione ibidem eligerent Abbates, quamdiu ibi tales inveniri potuiſſent. Si verò contigiſſet ibidem illum inveniri minimè poſſe, ut de prædicta Congregatione Anianenſis Monaſterii ibidem conſtitueretur. Et, ſi aliter quàm oportebat feciſſet, aut à ſuo propoſito in aliquo exorbitaſſet, ut Rector ſæpè nominati Monaſterii ſuâ auctoritate illud emendaret. Ceterùm quamdiu ſuam profeſſionem benè obſervabunt, nullatenus qualibet occaſione eos infeſtaſſent, aut eorum quietem perturbaſſent, aut aliquid contrarii eis feciſſent. Sed ut meliùs conſervaretur, petiit ut noſtræ juſſione manûs ratum maneret. Proinde has literas fieri juſſimus, per quas jubemus, ut memorati fratres in eodem loco conſiſtentes juxta ſuperiùs taxatum modum Deo quietè militent, & Abbatem, quamdiu ex ſe bonum eligere potuerint, juxta præmiſſam Conſtitutionem eligant. Et, ſi à propoſito ſuo aliorſum digreſſi fuerint, per Abbatem Anianenſis Monaſterii corrigantur. Et, ſicut intulimus, nullam infeſtationem aut inquietudinem qualibet occaſione, dum benè ſuum propoſitum conſervaverint, à Rectoribus & Congregatione præſcripti Monaſterii Anianenſis patiantur, ſed juxta præmiſſam conditionem in omnibus quietè vivere valeant. Hæc verò Cellula ſub eadem Immunitate, quam nos prædicto Monaſterio Anianenſi fecimus, indiviſibiter, ſicut res ceteræ, ad ipſum Monaſterium pertinentes, ita ea ſub noſtra defenſione conſiſtat. Et ut hæc noſtra juſſio in omnibus firmior habeatur, & meliùs conſervetur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Durandus Diaconus ad vicem Heliſacar recognovi. Data* VII *Id. Mart. anno, Chriſto propitio, Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti* VI *Indict.* XII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Quod ex munificentia Wifarii Comitis in Albigenſi pago conſtructum eſt, & in Præcepto Ludovici proximè deſcripto memoratur Monaſterium, Caſa-Nova nuncupatur à Bollando, quem ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum allegavimus. At ex prædicto Diplomate Bella Cella debet appellari, multúmque diſtat à Caſa-Nova, quæ ſita eſt in pago Ucetienſi. Indenſes Monachi ſuis in literis Bellam Cellam omiſerunt. Ejus ſitum diſtinctionémque à Caſa Nova Ludovicianis debemus Diplomatibus, quæ ſtudio Joannis Mabillonii publicata ſunt ex Anianenſi Tabulario. Georgius, cujus mentionem Ludovicus in pleriſque fecit Præceptis, non Anianenſis modò ſed etiam Gellonenſis Abbas fuit, vixit ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum, quo datus ei ſucceſſor in utroque Monaſterio Tructeſindus, deinde Hucerandus de quo Sammarthani [a] ſic in Abbatibus Gellonenſibus Sancti Guillelmi de Deſertis. *Hucerandus tempore Ludovici Pii & Epiſcopi Lodovenſis Siſemundi, anno 824.* Monachorum Anianenſium ac Gellonenſium curam ſuſcepit Hucerandus, cùm Magalonenſes Inſulæ penes Stabellum, Lutevenſes penes Siſemundum erant. Stabellum & Siſemundum Epiſcopos hîc commemoramus, quia Monaſterium Anianenſe ſitum eſt in Epiſcopatu Magalonenſi, Gellonenſe in Lutevenſi. Utrùm Nibridius Narbonenſis Archiepiſcopus, qui Tructeſindi Abbatis electioni præſens ante biennium interfuit, in vivis adhuc ſuperſtes exti-

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. 11. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

terit, cùm Hucerandus inſtitutus eſt Abbas, haud liquet. Ad eum extat Agobardi Metropolitæ Lugdunenſis exhortatoria epiſtola de cavendo convictu & ſocietate Judaica. De ſucceſſore Bartholomæo ſæpiùs acturi ſumus. Interim res proſequamur hoc anno geſtas poſt menſem Junium ſeu poſt nuptias Bernardi Comitis & Dodanæ conjugis, quarum occaſione multa, quæ pertinent ad alios annos, de Sancto Willelmo Bernardi patre, de Monaſteriis Anianenſi ac Gellonenſi, necnon & de locorum illorum Abbatibus conglobatim narravimus, quia priùs in notitiam nobis non venerant.

X. LUDOVICUS AUG. LOTHARIUM ROMAM MITTIT.

Diſſenſionis inter Romanos poſt Paſchalis Papæ mortem exortæ *nuncium cùm Quirinus Subdiaconus, unus ex iis qui priori Legatione fungebantur, ad Imperatorem detuliſſet, Conventu circiter* VIII *Cal. Jul. prænunciato atque Compendii habito, ipſe ad Britannicam expeditionem per ſe faciendam animo intento, Lotharium filium Imperii ſocium Romam mittere decrevit, ut vice ſuâ functus ea, quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice atque Romano populo ſtatueret ac firmaret. Ille ad hæc exequenda poſt medium Auguſtum in Italiam præfectus eſt.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Ludovicum Auguſtum hoc anno pridie Kalendas Julias in Compendienſi Palatio degiſſe teſtatur Diploma pro Monaſterio Glannenſi ſeu Glonnenſi, cujus mentionem in Abbate Flotberto ſic faciunt Sammarthani [a]. *Flotbertus tempore Ludovici Pii claruit, quem iſte Imperator de Italia fecit reverti cum Monachis, quos eò direxerat. Illi autem Monaſterium Glonnenſe commiſit in Pictavenſi territorio ad ripam Ligeris, ubi ſancta pignora B. Florentii quieſcunt, & Religioſos ſub Regula Benedictina militantes Regali Chartarum munimine ac poſſeſſionibus egregiis inſignivit, Diplomate Tabularii Pancartæ nigræ S. Florentii, pridie Cal. Julias, anno Chriſto propitio* XI. *Indict. 2. * dato in Compendio Palatio.* De Lotharii Auguſti profectione in Italiam teſtis eſt ad hunc annum apud Hundium Index Archiepiſcoporum Saliſburgenſium, Adalramus enim Saliſburgenſis Archiepiſcopus præſente Lothario Romæ Pallium hoc anno ab Eugenio Pontifice accepit. Annaliſta Laureshamenſis jam citatus, poſt multarum rerum enarrationem, quæ procul ab Italia geſtæ ſunt, ad Lotharium ſic redit. *Lotharius juxta patris præceptum Romam profectus ab Eugenio Pontifice honorificè ſuſcipitur.* In Lotharii comitatu fuit Hilduinus Archicapellanus Palatii multorúmque Monaſteriorum Abbas, de quo ſic apud Bollandum [b] vetus Auctor in libello [c] de Tranſlatione Sancti Sebaſtiani. *Hludowicus Imperator Auguſtus, Karoli Magni filius, inter cunctos Imperii ſui Primates, quos conſilio ſuo aſciverat, Hilduinum Abbatem Reverentiſſimum, virum quoque omni probitatis genere permodeſtum, omnique ſagacitate & induſtriâ præditum, juſtitiâ conſpicuum, ſanctitate præclarum, in tantum amavit & extulit, ut ei ſpecialiùs quicquid ſecretiùs tractandum eſſet, committeret, eúmque Archicapellanum in omni Imperio ſuo conſtitueret. Hic itaque Venerabilis Abbas inter plurima, quæ ei Auguſtali benignitate commiſſa fuerant Monaſteria, habebat in proſpectu urbis Sueſſorum, Cœnobium nobile, quod Chlotarius quondam Rex Francorum filiúſque ejus Sigebertus in honore Beatiſſimi Medardi Confeſſoris Chriſti magnis conſtruxerunt ſumptibus, in quo & ejus ſacratiſſima tumulaverant membra.* Et paulò pòſt. *A piiſſimo Cæſare, ad quotumdam improbitatem compeſcendam, qui adversùs Summum Antiſtitem Eugenium intumuerant Romæ, delegatus ſic judicium omne prudenti examinatione exercuit, ut & Cæſaris juſſum expleret, & Pontifici ſatisfaceret, & eos, qui contra hunc ſuperbè intumuerant, ſedatâ eorum contumaciâ, pacatos redderet & quietos.* Hujus Abbatis conſilio Lotharius Imperator, ut Annaliſta Laureshamenſis ad hunc annum proximè ſubjungit, *ſtatum populi Romani jamdudum quorumdam Præſulum perverſitate depravatum, memorati Pontificis benevolâ aſſenſione, ita correxit, ut omnes, qui rerum ſuarum direptione graviter fuerant deſolati, de reſtitutione bonorum ſuorum, quæ per illius adventum Deo donante provenerat, magnificè eſſent conſolati.* Hunc textum allegat Cæſar Baronius, meritóque cenſet haud levis fuiſſe momenti diſcordias Romanorum, ad quas ſedandas Lotharius in Italiam à patre directus ſit.

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt. PRÆCEPTUM DAT PRO MON. GLANNENSI.

* Edit. malè 22.

LOTHARIUM EUNTEM IN ITALIAM COMITANTUR, ADALRAMUS ARCHIEP. SALISBURG.

[b] D. 20. Jan.

[c] Cap. 1.

ET HILDUINUS ARCHICAPELLANUS.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8. LOTHARIUS AUG. JUS DICIT ROMÆ.

ſit. Annaliſtâ Laureshamenſi fuſior eſt hoc loco, qui vitam Ludovici Pii retulit in literas Aſtronomus. *Quum Lotharius*, inquit, *ut prædictum eſt, à patre miſſus Romam veniſſet, libentiſſimè ab Eugenio Papa ſuſceptus eſt. Cúmque de his quæ acceſſerant quereretur, quare ſcilicet hi, qui Imperatori & Francis fideles fuerant, iniquâ nece perempti fuerint, & qui ſuperviverent ludibrio reliquis forent & haberentur; quare etiam tantæ querelæ adversùs Romanorum Pontifices judicéſque ſonarent, repertum eſt quòd quorundam Pontificum vel ignorantiâ vel deſidiâ, ſed & Judicum cæcâ & inexplebili cupiditate, multorum prædia injuſtè fuerint confiſcata. Ideóque reddendo quæ injuſtè erant ſublata, Lotharius magnam populo Romano creavit lætitiam. Statutum eſt etiam juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes poteſtatem juſtitiam omni populo facerent, & tempore, quo viſum foret Imperatori, æquâ lance penderent. Quæ quum rediens filius patri retuliſſet, tanquam amator æquitatis, & cultor veritatis, magno gaudio perfuſus eſt, eò quòd oppreſſis iniquè relevatio pietatis occurrerit.*

XI. EDIT CONSTITUTIONEM,

Ad annum ſequentem pertinet Lotharii reditus in Gallias, ejus verò Conſtitutio, quam Carolus Sigonius ad illum annum publicavit, hoc anno conſignari debet, jámque conſignata fuit à Cæſare Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis, à Luca Holſtenio parte ſecundâ Collectionis Romanæ, & à Stephano Baluzio Tomo ſecundo Capitularium. Legitur in Lege Longobardorum, ſed ut varias in partes diſtinguitur, ſic & ad diverſos libros ac Titulos refertur. Auctior eſt apud Holſtenium, diſtinguitúrque in novem Capitula, quæ ſumpta ſunt ex Collectione [a] Canonum à Cardinale Deuſdedit poſt medium ſeculum undecimum concinnata. De ſingulis Capitulis agemus diſtinctè, variáſque ſimul editiones conferemus.

[a] Lib. 1. cc. 242. & ſeqq.

XII. Primum Capitulum. *Conſtituimus ut omnes, qui ſub ſpeciali defenſione Domni Apoſtolici ſeu noſtra fuerint ſuſcepti, impetratâ inviolabiliter utantur defenſione. Quod ſi quis in quocumque violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum. Nam & hoc decernimus, ut Domno Apoſtolico in omnibus juſta ſervetur obedientia, ſeu Ducibus & Judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam.* Hoc Capitulum abeſt ab editionibus Sigoniana & Baroniana. In Lege autem Longobardorum, undecimus libri tertii Titulus, qui *de Pontificibus* inſcribitur, tria continet Capitula, *quæ Domnus Hlotharius addidit ad limina Beati Petri*; primum ſic habet. *Conſtitutum habemus, ut omnes, qui ſub ſpeciali defenſione noſtra ſeu Domni Apoſtolici fuerint recepti, impetratâ inviolabiliter juſtâ utantur defenſione. Quòd ſi quis contemptor in quocumque tempore hoc violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ eſſe incurſurum. Nam & hoc decernimus, ut Domno Apoſtolico in omnibus obſervent obedientiam, ſeu Judicibus ac Ducibus ſuis ad juſtitiam faciendam.*

XIII. Secundum Capitulum. *Ut depredationes, quæ hactenus fieri ſolebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto. Si quis verò ulteriùs hoc fecerit, ſciat ſe legali ſententiâ condemnandum. Quæ verò retrò facta ſunt, legaliter emendentur.* Hoc quoque Capitulum apud Sigonium & Baronium deſideratur, occurrit autem in Lege Longobardorum, libro tertio, éſtque ſecundum Tituli undecimi jam laudati. *Volumus, ut depredationes, quæ hactenus fieri ſolebant, ne fiant, neque vivente, neque defuncto Pontifice. Si quis verò hoc ulteriùs fecerit, ſciat ſe legali ſententiâ eſſe damnandum. Quæ autem retrò acta ſunt, placet nobis, ut per diſpoſitionem noſtram legaliter fiant emendata.*

XIV. Tertium Capitulum. *In electione autem Romani Pontificis nullus ſive liber ſive ſervus præſumat aliquod impedimentum facere. Sed illi ſolummodo Romani, quibus antiquitus conceſſum eſt Conſtitutione Sanctorum Patrum, ſibi eligant Pontificem. Quòd ſi quis contra hanc noſtram Conſtitutionem facere præſumpſerit, exilio tradatur.* Hoc Capitulum duobus præcedentibus in Lege Longobardorum ſic ſubjicitur. *Volumus, ut in electione Pontificis nullus præſumat venire, neque liber, neque ſervus, qui aliquod impedimentum faciat illi, exceptis*

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

ſolummodo Romanis, quibus antiquitus fuit conſuetudo conceſſa per Conſtitutionem Sanctorum Patrum, ſit facultas eligendi Pontificem. Et ſi quis contra hanc juſſionem facere præſumpſerit, in exilio tradatur. Eſt autem Lotharianæ Conſtitutionis initium Sigonio & Baronio, ſic. *Volumus, ut ad electionem Pontificis nemo audeat venire, neque liber, neque ſervus, qui aliquod impedimentum inferat, exceptis illis tantùm Romanis, quibus antiqua fuit conſuetudo conceſſa per Conſtitutionem Sanctorum Patrum eligendi Pontificem. Quod ſi quis contra noſtram juſſionem facere auſus fuerit, exilio afficiatur.* Ceteris editionibus, ut Lector facilè deprehendet, hoc loco præſtat Holſteniana, quia clarior.

XV. Quartum Capitulum. *Volumus etiam, ut Miſſi conſtituantur à Domno Apoſtolico & à nobis, qui annuatim nobis renuncient, qualiter ſinguli Duces & Judices juſtitiam populo faciant, & quomodo noſtra Conſtitutio ſervetur. Decernimus itaque, ut primùm omnes clamores, qui negligentiâ Ducum aut Judicum fuerint, ad notitiam Domni Apoſtolici referantur, ut ſtatim aut ipſe per ſuos nuntios eoſdem emendari faciat, aut nobis notificet, ut Legatione à nobis directâ emendentur.*

XVI. Quintum Capitulum. *Volumus etiam, ut omnis Senatus & populus Romanus interrogetur, quali vult Lege vivere, ut ſub ea vivat; eiſque denuncietur, quòd probul dubio ſi offenderint contra eandem, eidem legi, quam profitebuntur, diſpoſitione Domni Pontificis & noſtrâ omnimodis ſubjacebunt.* Hoc Capitulum in Lege Longobardorum, libro ſecundo, Titulo duodeſexageſimo ſic legitur. *Volumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali Lege vult vivere, ut tali Lege, quali vivere profeſſi ſunt, vivant. Illiſque denuncietur, ut hoc unuſquiſque, tam Judices, quàm Duces vel reliquus populus ſciat. Quòd ſi offenſionem contra eandem legem fecerint, eidem Legi, quâ profitentur vivere, per diſpenſationem Pontificis ac noſtram ſubjaceant.* In editionibus Sigoniana & Baroniana, ſic. *Volumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur, quâ Lege velit vivere, ut eâ, quâ profeſſus ſit vivere velle, vivat, eique denuncietur, ut hoc unuſquiſque ſciat, tam Duces, quàm Judices, vel reliquus populus. Quòd ſi in offenſionem ſuam contra eandem Legem fecerint, eidem Legi, quâ profitentur, ex Conſtitutione Pontificis & noſtra ſubjacebunt.*

XVII. Sextum Capitulum. *De rebus autem Eccleſiarum injuſtè retentis ſub occaſione quaſi licentiâ acceptâ à Pontifice, volumus ut à Legatis noſtris in poteſtatem Pontificis & Romanæ Eccleſiæ celeriùs redigantur.* Hoc Capitulum in primo Legis Longobardorum libro undecimum eſt Tituli viceſimi-ſeptimi, ſic. *De rebus Eccleſiarum injuſtè invaſis ſub occaſione, quaſi licentiâ acceptâ à Pontifice, & de his quæ necdum reddita ſunt, & tamen fuerunt à poteſtate Pontificum injuſtè invaſa, volumus ut per Miſſos noſtros fiant emendatæ.* Et apud Sigonium ac Baronium ſic habetur. *De rebus Eccleſiarum injuſtè occupatis per occaſionem quaſi licentiâ acceptâ à Pontifice, & de iis quæ necdum reddita ſunt, & tamen fuerunt à poteſtate Pontificum occupatæ, volumus ut per Legatos noſtros reſtituantur.*

XVIII. Septimum Capitulum. *Præcipimus etiam, ut depræ dationes in confinio noſtro non fiant; quæ factæ ſunt, & cetera injuſtitiæ, ſecundùm Legem ab utriſque partibus emendentur.* Ex his vocibus, *in confinio noſtro*, ditiones Pontificias, ſive quas ex Francorum munificentia Romanus Pontifex poſſidet, à Francicis, id eſt, à Longobardiæ Regno quo Franci potiuntur, diſtinctas adverte. Vetat enim Lotharius, tanquam illarum Protector, harum verò Dominus, ne quid in utrarumque confiniis injuſtè fiat, & ſi quid injuſtè jam factum eſt, illud præcipit emendari.

XIX. Octavum Capitulum. *Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces & Judices, ſive alii, qui ceteris præeſſe debent, in noſtram præſentiam, dum Romæ ſumus, conveniant; volumus enim & numerum & nomina ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere.* Hoc Capitulum libro tertio Legis Longobardorum, Titulo triceſimo-ſexto, ſic refertur. *Placuit nobis, ut cuncti Judices, ſive hi, qui cunctis præeſſe debent, per quos judicia vel poteſtas in hac urbe Roma agi debeat, in præſentiam noſtram veniant, quorum volentes nomina & nu-*

merum ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere. A Sigonio & Baronio, ſic. *Placet nobis, ut cuncti Judices, ſive ii, qui cunctis præeſſe debent, per quos Judiciaria poteſtas in hac urbe Roma exercetur, aut in cæteris provinciis exerceri debet, in præſentiam noſtram veniant. Volumus numerum & nomina eorum ſcire, & ſingulos de munere ſibi credito admonere.* Eugenius Papa non in urbe tantùm Roma, ſed etiam in toto Ducatu Romano, necnon in aliis quoque provinciis dominatur, ampliſſimum enim terrarum ſpatium, quod Pippinus, Carolus & Ludovicus, variis complexi ſunt Donationibus, in ſua tenet poteſtate. Quapropter Lotharius, tanquam Pontificiarum ditionum Protector ac Defenſor, noſſe vult eos omnes, qui cùm Romæ, tum in aliis locis ad temporale Sedis Apoſtolicæ dominium ſpectantibus, juſtitiam exercere debent, ſingulóſque cupit admonere de munere, quod obeundum ſuſceperunt. AN. CH. 824. LUDOV. IMP. 11. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Nonum Capitulum. *Noviſſimè præcipimus & monemus, ut omnis homo, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet in omnibus obedientiam atque reverentiam Romano Pontifici.* Hoc Capitulum in libro tertio Legis Longobardorum, pars eſt poſtrema Tituli undecimi, ſic. *Noviſſimè admoneatur omnis homo, ut, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet obedientiam & reverentiam huic Pontifici.* Apud Sigonium & Baronium ultima quoque pars eſt Conſtitutionis Lotharianæ, ſic. *Noviſſimè admonemus, ut omnes homines, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderant, ita præſtent in omnibus obedientiam ac reverentiam huic Pontifici.* XX.

Cave, ne vel his Capitulis vel aliis ſimilibus tibi perſuadeas ſupremum Urbis dominium, quod priùs penes Carolum Magnum & Ludovicum Pium fuerat, ad Romanos Pontifices haud tranſlatum fuiſſe per ejuſdem Ludovici Donationem, quam ante ſeptennium recitavimus. Ludovicus *Paſchali Summo Pontifici ac Univerſali Papæ & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, civitatem Romanam cum Ducatu ſuo* conceſſit, ut ipſemet in prima Donationis ſuæ periodo teſtatur. Si qui reperiuntur Auctores, qui Romam, ceteráſque civitates, urbes, ac provincias, quas Donatio Ludovici Pii complectitur, Romanis Pontificibus à Pippino, Carolo & Ludovico, Francorum Regibus, eâ lege conceſſas eſſe velint, ut ſupremum illarum dominium penes eoſdem Reges eorúmque ſucceſſores remanſerit, ii certè ſupremum dominium, quo ſe prædicti Reges in gratiam Sedis Apoſtolicæ lubenter exuerunt, non ſatis diſtinguunt ab Eccleſiæ Romanæ defenſione ac protectione, quam iidem Reges ſibi cum attributis juribus ac privilegiis reſervarunt. Carolus Magnus Teſtamentum condidit, in quo filiis ſuis, Carolo, Pippino ac Ludovico, ditiones ſuas diſtribuit, Eccleſiæque Romanæ defenſionem ſic commendavit. *Super omnia jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Karolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis poſteà ſuſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantùm ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant.* Ludovicus Pius cùm Regni ſui portiones, Pippino, Ludovico & Carolo, filiis ſuis attribuit, eandem Eccleſiæ Romanæ defenſionem ſic illis imperavit. *Super omnia jubemus atque præcipimus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam à proavo noſtro Karolo, & avo noſtro Pipino, & beatæ memoriæ genitore noſtro Karolo Imperatore, & à nobis poſteà ſuſcepta eſt, ut eam * cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantùm ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant.* Iiſdem quidem verbis hæ juſſiones concipiuntur, plurimùm tamen differunt habitâ temporum, quibus eduntur ratione. Carolina conſignatur anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, cùm Carolus Româ Ducatúque Romano potitur. Seriùs emittitur Ludovicina, cùm Romanus Pontifex Urbis eſt Dominus, & Italia Lothario Ludovici filio natu maximo jam ceſſit. Atque ex hac obſervatione liquet Eccleſiæ Ro- XXI. NON UT URBIS DOMINUS, SED UT PROTECTOR AC DEFENSOR. * al. etiam

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

manæ defenſionem non ſolis commiſſam eſſe Francorum Regibus, qui facta Regni diviſione Longobardiam ſive Italiam adminiſtrabant, ſed omnibus univerſim Regibus Francicæ gentis, ubicumque terrarum dominarentur. Anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-quinto Ludovicus Pius, ut Aſtronomus in ejus vita teſtatur, *miſit Legatos ad Lotharium, monens ut memor eſſet, quia quando ei Regnum Italiæ donavit, etiam curam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſimul commiſit, & quam ab adverſariis defenſandam ſuſceperat, nequaquam à ſuis diripi permitteret.* Ex Urbis ſitu ſatis innoteſcit, è Francorum Regibus, cùm plures erant, illum qui Longobardiæ præerat, propiorem, ideóque promptiorem ad auxilium ferendum extitiſſe. Ceteri tamen, quamvis ab Urbe longiùs abeſſent, ad illud officium ſe non minùs obligatos exiſtimabant. Teſtes fratres ejuſdem Lotharii, Ludovicus & Carolus, qui Metis apud Sanctum Arnulfum anno Redemptoris octingenteſimo duodeſeptuageſimo pactiones ſimul cum juramento fecerunt, inter quas hæc legitur in Capitularibus Caroli Calvi. *Mundeburdem autem & defenſionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pariter conſervabimus, in hoc ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conſervent, ſicut eorum anteceſſores noſtris anteceſſoribus conſervaverunt.* Reges Francorum tanquam Urbis Eccleſiæque Romanæ Defenſores ac Protectores honorificentiſſimis gaudebant Privilegiis ſeu juribus, de quibus Joannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter eruditè diſſerit in Commentario de temporali Romani Pontificis dominio, capite viceſimo-quarto [a]. Imprimis cùm à Papa tum à populo Romano iis afficiebantur honoribus, qui clariſſimis Eccleſiarum fundatoribus, benefactoribus eximiis, optatæque libertatis potentiſſimis aſſertoribus in animi grati memoriam perſolvi conſueverunt. Deinde fidelitas illis à Papa populóque Romano promittebatur. Exemplum habes apud Anaſtaſium in Sergio Secundo, qui Lothario Ludovici Pii filio fidelitatem cum Romanis promiſit. Iſtius fidelitatis juramentum duabus præcipuè conſiſtebat in rebus, quarum una ſpectabat ad Pontificem, ad Francorum Reges altera. Francorum enim Regibus Romani promittebant ſe Romanis Pontificibus tanquam Urbis Dominis obedituros, & ad illam promiſſionem Lotharius Capitulo primo reſpexit. *Decernimus, ut Domno Apoſtolico in omnibus juſta ſervetur obedientia, ſeu Ducibus & Judicibus ſuis ad juſtitiam faciendam.* Item Capitulo nono, ſic. *Noviſſimè præcipimus & monemus ut omnis homo, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet in omnibus obedientiam atque reverentiam Romano Pontifici.* Romanus verò Pontifex populúſque Romanus Regibus Francorum tanquam Defenſoribus ac Protectoribus promittebant in eorum amicitia ſe permanſuros, adeóque conſtanter, ut eoſdem, quos illi, cùm amicos, tum inimicos in perpetuum habituri eſſent. Præterea Francorum Reges ex officio, tanquam Defenſores ac protectores, Urbis Eccleſiæque Romanæ tranquillitati quolibet tempore non tantùm per Legatos ſed etiam per ſe, quando res exigebat, diligentiſſimè ſtudebant. Eo conſilio, Lotharius, cùm tumultus in Urbe poſt mortem Romani Pontificis ortus fuiſſet, juſſu Ludovici patris hoc anno Romam profectus eſt, ibique Conſtitutionem edidit multa complectentem capita, quæ pertinent ad eandem Urbis quietem. Unum eſt de Pontificis electione, quia nuperrimè poſt obitum Paſchalis Urbs duas fuerat in partes diviſa. Sunt alia de judiciis déque rebus Eccleſiarum occupatis, atque hæc tota ſpectant ad æquitatem, ſine qua pax in civitate cuſtoditi nequit. Nullum igitur in Lothariana Conſtitutione verbum occurrit, quo tibi jure perſuadeas ſupremum tunc Urbis dominium non penes Papam ſed penes Francorvm Regem fuiſſe.

[a] Num. 15.

XXII. Lotharianæ Conſtitutioni Sigonius id proximè ſubjungit. *Illud etiam propter tumultus ſuperiores adjectum videtur, ut, ad vitanda comitiorum diſſidia, aut Legati Regis, aut Rex ipſe, ſi in urbe adeſſent, conſecrationi intereſſent. Sic enim ſubſequentibus annis eſt obſervatum, & poſtremò novâ etiam lege ſancitum.* Ludovicus Pius ſuam Donationem ſic clauſit. *Quando divinâ vocatione hujus ſacra-*

Digitized by Google

tiſſima Sedis Pontifex de hoc ſeculo migraverit, nullus ex Regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut privatim veniendi, aut electionem faciendi, nullúſque in civitatibus, aut in territoriis ad Eccleſiam Beati Petri pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præſumat, ſed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divinâ inſpiratione & Beati Petri interceſſione omnes Romani uno conſilio atque concordiâ, ſine aliqua promiſſione ad Pontificatûs ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate & contradictione more Canonico conſecrari. Et cùm conſecratus fuerit, Legati ad nos vel ad noſtros ſucceſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & inter illum amicitiam & charitatem & pacem faciant, ſicut temporibus piæ recordationis Domni Caroli atavi noſtri, ſive Domni Pipini avi noſtri, vel & Caroli Imperatoris genitoris noſtri, conſuetudo erat faciendi. Tunc Pontificatum gerebat Paſchalis. Eo poſt ſeptennium mortuo conflatum eſt ſchiſma. Pars Eugenii vicit. Hic Quirinum Subdiaconum, qui nuper è Gallia redierat, ad Ludovicum ſtatim remiſit. Imperator, ubi reſcivit quæ geſta fuerant, doluit concitatum Romæ tumultum poſt obitum Pontificis, cui temporale Urbis dominium ante aliquot annos inſigni liberalitate conceſſerat, veritúſque, ne, quotieſcumque Sedes Apoſtolica vacaret, potiundi talis dominii cupiditas cauſam movendæ ſeditioni præberet, Lotharium filium Romam ſtatim direxit. Quid hic egerit, ut & electioni Pontificis & Urbis tranquillitati conſuleret, docet iis de rebus promulgata Romæ Conſtitutio, quam ſuprà deſcripſimus. Quod autem eidem Conſtitutioni ſubjungit Sigonius, id examinabimus infrà, cùm ad ſubſequentium Pontificum promotiones pervenerimus, ſingulas enim, quandiu Francorum Reges Regno Longobardiæ potientur, per ordinem ſuis temporibus attingemus.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

XXIII.

Proditum eſt etiam memoriæ, ait Sigonius, *Lotharium pro foribus Baſilicæ Vaticanæ de feudis ſtatuiſſe, conſilio ſapientum, Mediolani, Papiæ, Cremonæ, Mantuæ, Veronæ, Tarviſii, Patavii, Vicentiæ, Parmæ, Lucæ, Piſarum, Syponti, Marchionum, Ducum, & Valvaſſorum majorum.* Alludit ad *Conſtitutiones feudales*, quas Lotharius Imperator temporibus Eugenii Papæ, ſi pleriſque Juriſconſultis fides eſt, *ante januam Beati Petri in civitate Romana condidit obſervandas*, ut primo [a] feudorum libro ſcriptum reperies. Sed longè recentior eſt origo feudorum, de qua Commentarium Ludovici Fabri Cantarelli conſule.

[a] Tit. 19. & ſeqq.

XXIV. LUDOVICUS AUG. PACAT BRITANNIAM ACCEPTIS OBSIDIBUS.

Porrò Ludovicus *Imperator iter, quod*, ut diximus, *in Britanniam* per abſentiam Lotharii *facere paraverat, propter famem, quæ adhuc prævalida erat, uſque ad initium Autumni aggredi diſtulit. Tum demùm adunatis undique omnibus copiis, Redonas, civitatem terminis Britanniæ contiguam, venit. Et inde diviſo in tres partes exercitu, duabúſque partibus filiis ſuis Pipino & Ludovico traditis, tertiâque ſecum retentâ Britanniam ingreſſus, totam ferro & igne vaſtavit. Conſumptiſque in ea expeditione* XL *vel eo amplius diebus, acceptis quos perfido Britonum populo imperaverat obſidibus, Rotomagum civitatem, ubi conjugem ſe operiri juſſerat, ad* XII *Cal. Decemb. reverſus eſt.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis, meritóque Redonas extra Britanniam collocat. Lege quæ Tomo primo [b] ſub Clodoveo Magno dicta ſunt de Redonis, Namnetis ac Venetis, necnon & de Britannia, quæ remotiores ad Oceanum uſque civitates complexa varios in Comitatus dividi cœpit, & teſte Gregorio Turonenſi [c] *ſemper Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obitum Regis Chlodovechi fuerunt, & Comites non Reges appellati ſunt.* Quoties autem quis illorum Comitum ſubſequentibus temporibus Regium nomen ambiit, toties ſuæ temeritatis perduellioniſque pœnas luit.

[b] Ad an. 502. n. 2.

[c] Lib. 4. c. 4.

XXV. AUDIT LEGATOS MICHAELIS IMP.

Ludovicus Auguſtus pacatâ Britannia Conventum proximo menſe Maio Aquiſgrani habendum indixit, & Rotomagum reverſus, *illuc Legatos Michaelis Imperatoris, qui ad eum mittebantur, ſibi occurrere juſſit, cum quibus & Fortunatus Patriarcha Gradenſis regreſſus ad ejus præſentiam venit. Sed Legati*

AN. CH. 824. ET FORTUNATUM PATRIARCHAM GRADENSEM.

Imperatoriâ literas & munera deferentes, pacis confirmandæ causâ ſe miſſos eſſe dicentes, pro Fortunato nihil locuti ſunt. Inter cetera tamen ad Legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque Apoſtolicæ Sedis Præſulem conſulere debere dixerunt. Quos cùm Legatione eorum auditâ ac reſponſo reddito abſolveret, ut ſe velle dicebant Romam ducere juſſit. Fortunatum etiam de cauſa fugæ ipſius percunctatus, ad examinandum eum Romano Pontifici direxit. Hæc leguntur in Annalibus Laureshamenſibus, multùm autem illuſtrari poſſunt ex literis, quas Michael & Theophilus Orientis Imperatores ad Ludovicum Auguſtum direxerunt.

XXVI. LITERÆ MICHAELIS IMP. EXAMINANTUR.

Illæ literæ ſæpiùs editæ ſunt, noviſſimè ex Thuanea prodierunt Bibliotheca, Gallicanorúmque Conciliorum Supplementis inſertæ ſunt à Petro *Delalande*. Prolixiores ſunt quàm ut integræ debeant à nobis recitari. Fragmenta quædam noſtro ſufficient inſtituto. Initium tale eſt. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, unius ſoli veri Dei; Michael & Theophilus fideles in ipſo Deo Imperatores Romanorum, dilecto & honorabili fratri Hludovico Glorioſo Regi Francorum & Longobardorum, & vocato eorum Imperatori. Notum eſſe non ambigimus veſtræ ſpiritali Dilectioni, ſcriptum eſſe*, &c. Michael & Theophilus Imperatores Romanorum ſe dicunt, Ludovicum verò non Imperatorem ſed Regem appellant, eúmque non Romanorum ſed Francorum & Longobardorum Regem nuncupant, illarum tamen gentium vocatum eum Imperatorem addunt. Eginhardus in vita Caroli Magni non diſſimulavit Conſtantinopolitanos Imperatores *ſuper hoc* indignatos eſſe, quòd *Imperatoris & Auguſti nomen* accepiſſet, *quaſi qui Imperium eis præripere vellet. Vicit* autem *eorum invidiam magnanimitate, quâ eis procul dubio longè præſtantior erat, mittendo ad eos crebras Legationes, & in epiſtolis fratres eos appellando.* Anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo Legati, quos Michael Curopalates ad eundem Carolum direxit, *Imperatorem eum & Baſileum* ſive *Imperatorem & Βασιλέα eum* appellarunt, ut Annaliſtæ Loiſelianus & Laureshamenſis teſtantur. Huic Michaeli ſucceſſit in Orientis Imperium Leo Armenus, tum Michael Balbus, qui Theophilum filium Imperii conſortem dixit. Literæ, de quibus agimus, poſterioris ſunt Michaelis, qui propter Imperatoris Titulum eâdem videtur in Ludovicum, quâ deceſſores in Carolum, invidiâ ferri.

XXVII.

In illis literis Michael longâ narratione, quam omittimus, perſequitur res à ſe geſtas adversùs Thomam hominem ſeditioſum, qui ſumpto Conſtantini nomine ſe filium Irenes Auguſtæ mentiebatur. Datæ ſunt literæ *menſe April. die* x. *Indict.* 11. *à Deo conſervatâ Regiâ Urbe*, id eſt, Conſtantinopoli, hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-quarto. Propter motus autem à prædicto Thoma concitatos excuſat ſe Michael apud Ludovicum, quòd eum per literas nondum certiorem fecerit de Imperio ſibi poſt Leonis Armeni mortem ante quadriennium collato. *Dignum*, inquit, *exiſtimavimus hac, quaſi pacifico amico & ſpiritali fratri noſtro, &, ut credimus, ſocio gaudii adeò Imperii noſtri, manifeſta facere, quæ nobiſcum acta ſunt, ut pariter ſicut unius ejuſdémque fidei & religionis cultoribus facere oportet, laudibus & hymnis conlaudemus & glorificemus Salvatorem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum. Oportuerat enim ſtatim in exordio Imperii noſtri, ſicut ſpiritali fratri noſtro & pacifico amico per veros apices noſtros, quæ erga nos geſta ſunt, vobis manifeſtare, ſed, ſicut ſuprà dictum eſt, præfati tyranni & rebellis ac turpi morte condemnati Thomæ ſeditio nos facere prohibuit. At verò nunc dedit Deus nobis hoc præſens opportunum tempus poſt ejus interfectionem, & coadunationem & concordiam populi noſtri. Et ideo juſtum exiſtimavimus mittere ad veſtram gloriam Theodorum Protoſpatarium noſtrum & Stratigon, Nicetam Sanctiſſimum Metropolitanum Myrenſem* (corruptè Myrdenſem) *Lyciæ, Fortunatum Archiepiſcopum Venetiæ, Theodorum Reverendiſſimum Diaconum & Œconomum Sanctiſſimæ Dei Catholicæ & Magnæ Eccleſiæ Sanctæ Sophiæ, & Leonem noſtrum Candidatum. Et non tan-*

Digitized by Google

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

*tùm per has ſyllabas, ſed & per ipſos viros adnunciamus veſtræ Gloriæ omnia, quæ præpoſita ſunt, ut tam per eos, quàm * & per Miſſos veſtros iterum ſcire poſſimus veſtræ Dilectionis ſanitatem, ſimúlque fidelium veſtrorum incolumitatem, necnon & omnium rerum veſtrarum apud vos conſiſtentium proſperitatem. Porrò nunc per has noſtras veras & fideles ſyllabas corroboramus & confirmamus priorem pacem & amicitiam inter vos & nos conſtitutam, deprecantes mediatorem ejuſdem pacis Dominum, qui dixit [pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis,] eandem pacem & charitatem ſplendidiorem & robuſtiorem facere, & oſtendere temporibus & poteſtatibus præteritis, quoniam & nos ſic tenemus & ſperamus, quòd & veſtra Glorioſiſſima poteſtas ita conſentiat, ſicut & noſtra.*

Paulò pòſt tranſit Michael ad cultum ſacratum Imaginum. Scriptis ſuis, quæ mendaciis non carent, Orthodoxos in contemptum & odium adducere conatur, hæreticum verò ſe prodit, ubi ſex dumtaxat univerſalia laudat Concilia, nec ullam ſeptimi ſeu Nicæni ſecundi, quod adversùs Iconoclaſtarum hæreſim Conſtantino & Irene Auguſtis habitum eſt, mentionem facit. Sic autem ille ad Ludovicum. *Et hoc veſtræ Chriſto amabili Dilectioni manifeſtamus, quia multi de Eccleſiaſticis ſeu & laicis viris alieni de Apoſtolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos cuſtodientes, facti ſunt inventores malarum artium. Primùm quidem honorificas & vivificas Cruces de ſacris Templis expellebant, & in eadem loca Imagines ſtatuebant, ponebántque lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant, atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum & vivificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſalutem. Pſallebant & adorabant, atque ab eiſdem Imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus eaſdem Imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de Baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Similiter & in tonſura puerorum, cùm capillos præciderent, eoſdem capillos decidere ſuper imagines ſinebant. Alii verò religioſum habitum Monaſticum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant, qui priùs comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis Imaginibus quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam verò Sacerdotum & Clericorum colores de Imaginibus radentes immiſcuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione poſt Miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem Corpus Domini in manus Imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli verò ſpretâ Eccleſiâ in communibus domibus tabulis Imaginum pro altariis utebantur, & ſuper eas ſacrum miniſterium celebrabant, & alia multa his ſimilia illicita & noſtræ religioni contraria in Eccleſiis fiebant, quæ à doctioribus & ſapientioribus viris ſatis indigna eſſe videbantur. Propterea ſtatuerunt Orthodoxi Imperatores & doctiſſimi Sacerdotes locale adunare Concilium ad inquiſitionem ſuper his habendam, qui in idipſum convenerunt Sancto Spiritu inſpirante. Talia ubique communi conſilio fieri prohibuerunt, & Imagines de humilioribus locis auferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus locis poſitæ erant, ut ipſa pictura pro ſcriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, ſed neque eis lucernas accenderent, neque incenſum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc ſentimus & tenemus abjicientes de Eccleſia Chriſti eos, qui hujuſmodi malignis inventionibus ſtudent. Propterea quidam illorum, qui noluerunt ſuſcipere Concilia localia, & à veritate redargui, fugerunt hinc, & venerunt ad antiquam Romam à Deo conſervatam, injuriam & calumnias Eccleſiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes, quorum peſſima verba & blaſphemiis plena poſtponentes, noſtra potiùs Orthodoxa Gloriæ tuæ manifeſta facimus, quia nos Symbolum Sanctarum & Univerſalium ſex Synodorum, quod ab omnibus Orthodoxis Chriſtianis tenetur, non tantùm prædicamus, ſed etiam inviolabiliter corde tenemus. Trinitatem in tribus perſonis diviſam colimus, unitam unius Divinitatis naturam confitentes ex Virgine temporalem Verbi nativitatem prædicamus, Divinitatis & Humanitatis duas voluntates & operationes gloriamur *, poſtulantes interceſſiones & interpellationes inviolatæ dominatricis noſtræ Dei Genitricis ſempérque Virginis Ma-*

* quàm quæ & XXVIII.

* Baron. glo riſcamus

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8. XXIX.

ria & omnium Sanctorum. Glorioſas autem & Sanctas Reliquias eorum cum fide veneramur, & quicquid aliud à Beatiſſimis Apoſtolis traditum, & à Sanctiſſimis Patribus in eiſdem ſex Synodis conſtitutum eſt, & confitemur & tenemus.

Ne Michaelem, cùm nihil aliud præter Eccleſiæ reformationem & pacem optare ſe fingat, unum exiſtimes ex optimis & Chriſtianiſſimis Principibus extitiſſe, conſule Zonaram, Cedrenum, & alios qui res ab eo geſtas literis mandaverunt. Ex his cum Bellarmino facilè cognoſces, quàm impius ac ſceleſtus fuerit. Hebraicæ magis ſuperſtitioni quàm Chriſtianæ Religioni fuit addictus; Reſurrectionem carnis pernegavit, irriſitque Prophetas & Apoſtolos qui eam prædicaverunt; fornicationem licitam eſſe dixit; ſacrum cælibatum adeò contempſit, ut è Monaſterio Sanctimonialem jam Deo dicatam ſibi conjugem elegerit; ſeptimam Synodum Oecumenicam atque ab Hadriano Pontifice approbatam reſpuit; ſacras Imagines nullo dignas arbitratus eſt honore; favit Iconomachis impenſiſſimo ſtudio; Conſtantinum Copronymum Iconoclaſtarum Principem ſibi præ ceteris imitandum propoſuit; Sanctum Euthymium, Sanctum Methodium, aliósque pios veritatis defenſores, vel exilio, vel carcere, vel morte mulctavit. In querelis autem, quas ob Eccleſiam per diſſenſiones de cultu Imaginum diviſam movet quomodo ſit audiendus, ipſemet ſatis in ſuis docet literis, ubi mortem deplorat Leonis Armeni, cui proximè in Imperium ſucceſſit. *Tyranni*, inquit, id eſt, Thomæ perduellis ſuprà memorati, *impetum non valens Leo Imperator ſuſtinere, & in his anguſtiis conſtitutus de recuperatione* amiſſarum videlicet provinciarum *deſperans, à quibuſdam improbis conjuratione in eum factâ ſubitò occiſus eſt.* At ipſe totius in Leonem conjurationis author fuit. Audi Cedrenum hæc accuratè narrantem. Καὶ δὴ πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς κατὰ σάρκα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν γενέσεως δεξάμενος τὰς μιλιούσης ὁ Βασιλεὺς, ὅτι βήματός τι ἐν τοῖς ἀσηκρητίοις, ἐκαθίσε, καὶ ἀκριβὴς ἐξέτασις τῶν μιλιουδίντων ἐγίνετο. ἁλίσκεται τοίνυν τυραννίδος ὁ Μιχαὴλ, αὐτὸς καταδικάζει ὑπὸ τῆς ἐναργείας τῶν ἐλέγχων ἀναγκαζόμενος. καὶ ψῆφος ἐκφέρεται κατ' αὐτοῦ, πυρὶ καταρρίψαι τὸν ζωὸν, ἐμβληθέντος ἐν τῇ καμίνῳ τῇ ἐν τῷ παλατίῳ λουτροῦ. εἰ δὲ ἐν αὐτὸν θεωρῶν τὸν βασιλέα τοῦ δράματος. ἤγετο μὲν οὖν τὸν δὴ θάνατον ὑπομένων, εἶπεν δὲ καὶ ὁ βασιλεὺς, θεατὴς εἶναι ὀφείλων τοῦ δρωμένου. ἐν ὅσῳ δὲ τὸ μεταξὺ περιμεῖνον διάστημα, ἡ Βασιλὶς Θεοδοσία, τὸ τοῦ Ἀρσαβὴρ θυγάτριον, μαθοῦσα τὸ μέλλον ἀναχθῆναι, ἔξεισι μὲν οὐδὲν ὅτε πολλῆς τῆς θαλάμου, ὡσάβακχόν τι ἐν μαινὰς κινουμένη, τὸν Βασιλέα τε καταλαβοῦσα, ἀλάστορά τε καὶ θυμάχον ἀποκαλεῖ, ὃς οὐδὲ τὸν θεῖαν ἡμέραν ἄγει δίχα φειδοῦς, τοῦ θείου μέλλοντος σώματος μεταλαγχάνειν. καὶ τῆς ὁρμῆς διακωλύει. αὐτὸς δὲ τῇ Θεοῦ μὴ περισκεψαμένη δίδωσιν, τὸ μὲν ἀναχθὲν παλίντροπον αὐτοῦ τῶν σωτηρίαν ἐβεβαίωσε. οἴδεσον δὲ τοῖς ποσὶ φέρεται τοῦ Μιχαὴλ, ἐν τῆς κλοιδὸς ἑαυτὸν τῶν φεύγειν δηλοῦσας, τῷ Παπίᾳ τῶν αὐτοῦ φυλακὴν ἀναπίθησι. *Pridie Natalitiorum Chriſti, Imperator perceptis indiciis, in Archivo pro Tribunali conſidet, ipſe de iis inquiſiturus. Ibi Michaelus, re accuratè exploratâ, affectata tyrannidis reus peragitur, ipſe etiam confiteri ſcelus ob probationum perſpicuitatem coactus, fertúrque in eum ſententia, ut in caminum lavacri, quod eſt in Palatio, vivus conjectus cremetur, inſpiciente Imperatore. Cùm jam vinctus ad ſupplicium duceretur, idque Imperator coràm cernere geſtiret, interim dum ſpatium, quo ad locum pœnæ venitur, perambularent, Imperatrix Theodoſia, Arſaberi filiola, illa, quid agendum eſſet cognito, celeriter thalamo exit, bacchæ cujuſdam inſtar, motu furioſo ſeſe agens, Imperatorémque apprehenſum, flagitioſum ac Deo adverſantem appellat, qui ne ſacra quidem diei parceret, Dominicum Corpus percepturus. Ita Imperatoris impetum ea inhibuit, ut metuens ne Deum offenderet, in præſentia ſalute Michaelum donarit, compedibus modò ferreis incluſum, quarum clave ſibi retentâ hominem Papiæ cuſtodiendum mandavit.* Erat is Papias conjurationis particeps. Proximâ nocte Michael ſociis proditionis per Theoctiſtum minatus eſt, *niſi ipſum celerrimè diſcrimini eriperent, ſe totam rem Imperatori nunciaturum,* ὡς οἱ μὴ τάχιον ἀπόσωσιν ἐξελίδῃ τῶν κινδύνου ἡμᾶς, πάντα τὰ τῆς φυξέως ἀνακαλύψαι.

καλύψαι τῷ βασιλεῖ. Illi, ut & ſuam & Michaelis jam in extremo vitæ periculo verſantis ſalutem conſervarent, Leonem Imperatorem *horâ noctis prope decimâ, ὥρᾳ ἰδ' ὡς δοκάτῃ τῆς νυκτὸς*, in ipſo Templo trucidarunt. Ὁ δὲ Μιχαὴλ τῆς ἐκ τῆς Παπίας φερομένας αἰτιολογίας, ἐπὶ τοῖς ποσὶ σιδηροπέδαις ἔχων κατηκριβωμένοις διὰ τὸ τὸν κλεῖν τῶν σιδήρων ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Λεόντος φυλάττεσθαι, οὔτως ὡς εἶχε μὴ τῶν σιδήρων, δεῖ τὸν βασίλειον ἐκάθισε θρόνον, καὶ ὅλῳ πάντων τῷ πόῳ ὄντων ἐν τῷ παλατίῳ ἀναχορεύσεως περισκιρτήσῃ. ἤδη δὲ μεσούσης ἡμέρας, πανταχοῦ τῆς φήμης διαβαμβούσης, τῶν δεσμῶν συνθλασθέντων ὑπὸ σφύρας βιαίας, οὐ χεῖρας ἀπονιψάμενος, οὐ τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον δεῖ νοῦν εἰληφὼς, οὐκ ἄλλο οὐδὲν τῶν δεόντων θεασάμενος, πρὸς τὸν μέγαν τῆς ἁγίας Σοφίας ναὸν προεληλύθει, χρεὶ τὸ πατεάρχου στεφθῆναι βουλόμενος, καὶ γλιχόμενος καὶ τῆς παιδήμου τυχεῖν αἰαρρήσεως, ἐκείνοις μόνοις θαῤῥῶν τοῖς συνδρώσαις τοῖς ἐξωνυκόσι τὸν φόνον. ἔνθα καὶ τις ἀμφοτέρων θαυμάσοι τὸ καταγέλαστον. τοῦ μὲν ἀπελθόντος, ὅπως οὐδένα ἔχει τὸν βοηθοῦντα ἐκ τῶν τοσούτων ἑ τηλικούτων κολάκων, ἑρπετῶν δίκην ἀπάντων καταδυομένων εἰς χαράδρας. τοῦ δὲ μετ' ἐκεῖνον τὸ αἰσθὲς καὶ αἰσθήκωτον, ὃς εἰς τὸν ἐκκλησίαν εἰσῆει οὐχ ὡς τις φονεὺς καὶ δήμιος, ἡμαγμένας ἔχων τὰς χεῖρας, ἀλλ' ὥσπερ τις ἀθλοφόρος καὶ νικητὴς, δεῖ τῷ χειροτόνῃ χαιρόμενος, ἐμφύλιον ἐκχέας αἷμα ἐκ δεῖ τῷ τυχόντος πόπου, ἀλλ' ἐν τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ, ἔνθα τὸ διαπρεπὲς καθημάξαν ἐκχέεται τῷ ἡμετέρων ἕνεκα λύτρον ἁμαρτιῶν. *Michaelus Papiæ cuſtodiâ liberatus, ita ut pedes adhuc in ferreis habebat compedibus incluſos (earum enim claves in ſinu Leonis aſſervabantur) Imperatorio ſolio conſedit, eſtque ab omnibus, qui tum in Palatio aderant, Imperator ſalutatus atque adoratus. Sub meridiem verò famâ jam undequaque diſſipatâ, malleo per vim diffiſis compedibus, neque manibus ablutis, neque Dei metu in animum inducto, neque ullâ aliâ re, quam decebat fieri, peractâ, ad magnum Sanctæ Sophiæ Templum prodiit, cupiens manu Patriarchæ coronari, & ab univerſo populo Imperator ſalutari, ſolis fidens conjurationis ſociis & Leonis percuſſoribus. Utrinſque hic miretur aliquis perverſitatem; Leonis, quòd adeò nullum habuit ſui defenſorem de tot tantiſque aſſentatoribus, qui tum omnes reptantium beſtiarum in morem in foramina ſe ſua abdiderant; Michaeli verò impudentiam, qui in Ædem intraret non ut homicida aliquis aut carnifex ſanguine pollutis manibus, ſed veluti victor, ac qui palmam meruiſſet, eo facinore ſuperbiens, cùm quidem civilem ſanguinem non quovis loco fudiſſet, ſed ad ſacram aram, ubi quotidie Dominicus ſanguis pro peccatis noſtris expiandis funditur.* Huc uſque Cedrenus. Ergo Michael, cùm deceſſorem ſuum *à quibuſdam improbis conjuratione in eum factâ ſubitò* necatum ſcripſit, imponere lectori voluit, ſuſpicione criminis à ſe quamvis reo procul remotâ.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

XXX. Simili quoque fraude queſtus eſt Eccleſiam ob diſſenſiones de cultu Imaginum eſſe diviſam, cùm ipſe potiſſimùm diſſenſionis ac diviſionis author eſſet; quia Synodum generalem, quæ diſſenſiones ſuſtulerat, id eſt, ſecundam Synodum Nicænam rejiciebat, & Iconomachiæ ſtudebat cùm fovendæ per Orientem, tum per Occidentem ſerendæ ac propagandæ. Meris etiam calumniis atque impoſturis, ut Latinos longè poſitos falleret, delectatus eſt in literis proximè citatis, ubi Græcos Orthodoxos reprehendit, quòd vivificam Crucem deſpicerent, Imagines ut deos quoſdam adorarent, eis ſacrificia offerrent, ab eis neſcio quo artificio de ſacro fonte ſuſcipi & ſacram Communionem percipere vellent, aliáſque id genus ſuperſtitiones vel ineptias in cultu earumdem Imaginum oſtenderent. Legatur Concilium Nicænum ſecundum, iſta commenta ſtatim evaneſcent. Docuit enim illa Synodus, quam verè legitimam & Oecumenicam omnes Catholici cùm Græci tum Latini ſemper agnoverunt, Imaginibus ſacris deberi quidem ſuam venerationem, ſed non majorem quàm vivificæ Cruci, neque illis ullomodo ſacrificandum eſſe, neque eas cultu latriæ, qui Deo eſt proprius, adorandas.

XXXI. Denique teſtatur Michael à ſe Pontifici Romano munera cum literis mitti per eoſdem Oratores quos in Franciam dirigit, ipſúmque Ludovicum deprecatur, ut ejus auxilio è Francia *cum omni honore & illæſione* Romam pro-

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

ficiſci poſſint. *Honorem Eccleſiæ quærentes, fecimus literas ad Sanctiſſimum Papam antiquæ Romæ, & eas miſimus per prædictos Miſſos noſtros ad eum, dantes eis Evangelium aureum ex lapidibus pretioſis ornatum, ſimiliter & patenam auream & ipſam ex lapidibus pretioſis ornatam, & calicem ſimili modo ornatum, ambobus inſcripta Imperii noſtri nomina, ut Deo jubente illuc pervenientes offerant ea ad Templum Sanctiſſimi & Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, qui intercedat pro nobis & vobis. De cetero ordinet veſtra ſpiritalis Dilectio, ut cum omni honore & illæſione ad eum veniant, auxilium eis ferentes in his, quæ Deo placeant, & ad honorem ejus pertineant in ſatisfactionem caritatis, quæ inter nos eſt.* Scriptæ ſunt illæ literæ *menſe April. die* x. *Indict.* 11. id eſt, hoc anno, cùm Paſchalis Papa in vivis adhuc ſupereſſet. Oratores Michaelis apud Rotomagum in Ludovici Auguſti præſentiam adducti ſunt menſe Novembri, atque inde iter ad Eugenium Papam poſteà ſuſceperunt. De illorum adventu in Urbem agemus anno ſequenti.

XXXII. LEGATIO BULGARORUM.

Rex Bulgarorum Omortag velut pacis faciendæ gratiâ Legatos cum literis ad Ludovicum *Imperatorem* hoc anno *miſit. Quod ille cùm audiſſet, ac literas quæ allatæ fuerant legiſſet, rei novitate non immeritò permotus, ad explorandum diligentiùs inſolitæ & nunquam priùs in Franciam venientis Legationis cauſam, Michelinum quemdam de Bojoaria cum ipſis Legatis ad memoratum Regem Bulgarorum direxit.* Ita ſcribit Annaliſta Laureshamenſis, breviùs verò Fuldenſis, ſic. *Rex Bulgarorum Omortag pacis faciendæ gratiâ ad Imperatorem Legatos & literas miſit, quos Rex auditos remiſit, & cum eis Maghelmum de Bajoaria ad memoratum Regem direxit.*

XXXIII. FRANCI PER INSIDIAS IN PYRENÆIS JUGIS INTERCIPIUNTUR.

Eblus & Aſinarius Comites hoc eodem anno *cum copiis Waſconum ad Pompelonem miſi, cùm peracto jam ſibi injuncto negotio reverterentur, in ipſo Pyrenæi jugo perfidiâ montanorum in inſidias deducti ac circumventi, capti ſunt, & copiæ, quas ſecum duxerant, penè uſque ad internecionem deletæ. Et Eblus quidem Cordubam*, quæ Saracenorum Sedes erat Regia, *miſſus; Aſinarius verò miſericordiâ eorum, qui eum ceperant, quaſi qui conſanguineus eorum eſſet, domum redire permiſſus eſt.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis. Tunc Pompelo ſeu Pampilo pertinebat ad Franciam, in eâque civitate ſedebat Epiſcopus Oppilo, cujus mentionem jam fecimus.

XXXIV. DUCES SPOLETANI.

In Ducatu Spoletano, qui partem Regni Longobardici conſtituebat, tres hoc anno Duces, Suppo, Adelhardus, & Moringus, ab Annaliſta Laureshamenſi diſtinctè ſic memorantur. *Suppo Dux Spoletanus* ſub initium anni *deceſſiſſe nunciatur. Suppone apud Spoletum defuncto, eundem Ducatum Adelhardus Comes Palatii, qui junior vocabatur, accepit. Qui cùm vix quinque menſes eodem honore potiretur, correptus febre deceſſit. Cui cùm Moringus Brixiæ Comes ſucceſſor eſſet electus, nuncio honoris ſibi deputati accepto decubuit, & paucis interpoſitis diebus vitam finivit.*

XXXV. EUGENII PP. LITERÆ AD UROLPHUM ARCHIEP. LAUREAC.

Urolphus Laureacenſis Archiepiſcopus, poſtquàm Eugenium in Apoſtolica Sede collocatum reſcivit, hoc anno Romam ſe contulit, fideliſque narratione, quæ geſta ſunt in Avaria & Moravia, palàm expoſuit. Id apertè docent ipſius Eugenii literæ, quas ex parte vulgavit Hundius in Urolpho ſive Yrolpho Laureacenſi Archiepiſcopo, Lazius integras in Commentariis Reipublicæ Romanæ [a], Gewoldus in Additionibus ad Epiſcopos Patavienſes, & ultimi Conciliorum Collectores Tomo ſeptimo ad hunc annum. *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rathfredo Sanctæ Favianenſis Eccleſiæ, & Methodio Eccleſiæ Speculi-Julienſ. quæ & Sorigiturenſis Eccleſiæ, atque Alewino Sanctæ Nitravienſis Eccleſiæ, pariſque modo Annoni S. Vetuarenſis Eccleſiæ, Epiſcopis; ſimul etiam Tuttundo necnon Moymaro Ducibus, & Optimatibus, exercitibuſque plebis Hunicæ, quæ & Avaria dicitur, & Maraviæ. Deſiderio ſalutis animarum veſtrarum, filii in Chriſto chariſſimi, cùm audivimus Chriſtianiſſimam converſationem veſtram, & ſanctæ fidei bonorúmque operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio atque lætitiâ fuimus exhilarati, quia divinâ in vobis operante Cle-*

[a] Lib. 12. ſect. 7. c. 5.

Digitized by Google

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

*mentiâ, ut Apoſtolus ait, ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundat gratia, atque quomodo Sancta Dei Eccleſia noſtris temporibus quotidianum in electione veſtra ſuſcipit incrementum. Cujus optabilis rumoris index fuit Reverendiſſimus Urolphus Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & ſanctiſſimus frater noſter, veſter autem ſpiritualis pater, qui per ſuam ſanctam prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios. Is itaque ad Apoſtolorum limina orationis causâ veniens, novam Eccleſiam noſtris Apoſtolicis Benedictionibus informandam ſubnixè commendavit, quia Domino auxiliante Catholicè gubernandam in * veſtris partibus ſuſcepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidarúmque ætate, ut lectione * certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum Parochias Anteceſſores ſui jure Metropolitano obtinuerant Diœceſim. Qua ex juſtitia & lege præfatus Deo dilectiſſimus * Archiepiſcopus debito obligatur, ut illi terræ priùs Chriſticolæ atque ſuorum antiquitus anteceſſorum creditæ providentiæ, quam nunc vos Dei Omnipotentis occulto mediante judicio velut hæreditariam poſſidetis, ipſe Evangelicus agricola diu negata cæleſtis ſpargat ſemina vitæ, atque in lucrandis Chriſto animabus redivivam de vobis nutriat ſegetem. Quem nos doctiſſimum divini Oraculi Miniſtrum ſaluti veſtræ cognoſcentes per omnia neceſſarium, fide & exemplo probatum, meritò erga illum Apoſtolicam ſervantes ſententiam quâ dicitur, [quomodo credent ſine prædicante, aut quomodo prædicabunt niſi mittantur ?] ab hac Sancta Romana matre Eccleſia vobiſcum Rectorem tranſmiſimus, atque in præfatis regionibus Hunniæ quæ & Avariæ appellatur, ſed & Moraviæ, provinciarum quoque Pannoniæ ſive Mœſiæ Apoſtolicam vicem noſtram, & Diœceſim, atque jus Eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem Anteceſſorum ſuorum, videlicet Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, ſibi ſucceſſoribúſque ſuis Canonicâ auctoritate committimus, atque hujus Conſtitutionis noſtræ decretum ſubſcriptionis privilegio roboramus. Pallium præterea juxta conſuetudinem antiquam Sanctitati ſuæ dedimus, quod ita conceſſimus, ſicut prædeceſſores noſtri ſuis prædeceſſoribus conceſſere, privilegiorum ſuorum ſcilicet integritate ſervatâ. Cujus dilectioni quamvis hoc meritò permitteremus, propter veſtras autem petitiones ſuper hac re flagitantibus ad honorem ſuum noſtram Apoſtolicam vicem & auctoritatem inſuper accumulavimus, quod nunquam ſuis permiſſum eſt prioribus. Quatenus & vos, Confratres & Coepiſcopi, deinceps ei reverentiam ampliorem exhibere ſciatis, & in ſana doctrina cæleſtis eruditionis ad ædificationem veſtram ut filii ſapientes obediatis, atque vos, laici, Primates & vulgus, ſaluberrimis præceptis ſuis non velut homini, ſed tanquam Deo humiliter obtemperetis, & in fide Catholica, quam per Dominum Jeſum conſecuti eſtis, fortes permaneatis. Nam totius doli artifex diabolus, cujus dominio & pompis in Baptiſmate abrenunciatis, jacturam & damnum veſtræ ſalutaris ſurreptionis moleſtè patitur, ac per varias occaſiones zizania perfidiæ ſeminando velut multâ injuriâ bacchatur, & ut veſtrum aliquis terga vertat ſanctæ profeſſioni, inceſſanter molitur. Quapropter ſæpedicti Archiepiſcopi, videlicet Paſtoris veſtri à Deo deſtinati, inſtitutionibus benignas aures præbete, qui vos & verſutiam ſathanæ cavere atque ejus æternos cruciatus evadere inſtruit, ac ipſe in die judicii de bonis operibus veſtris ſeculorum domino perpetuâ remunerandos gloriâ præſentabit. Ad perfectam autem & neceſſariam eruditionis veſtræ ſalutem, ut comperimus, non ſufficiant panci, qui modò conſtituti ſunt vobis Epiſcopi, quia plures ſunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconum divini verbi nondum pervenit notitia Chriſti. Idcircò enim, ut accreſcat turba fidelium, ſtudeat ſolertia veſtra, pro mercede & remiſſione peccatorum veſtrorum, adminiculum atque juvamen præbere Reverendiſſimo Urolpho Archiepiſcopo, quatenus dudum illic conſtitutorum Epiſcoporum numerus impleatur, qui congruè conſtituti, & vobis poſteríſque veſtris poterunt eſſe proficui, ſi ad reſtaurationem Eccleſiarum propter nomen Domini de poſſeſſionibus veſtris, quas reditus dotéſque earum famâ divulgante quondam fuiſſe noveritis, æternam ſufficientiam vobis comparantes, eiſdem Eccleſiis ipſi conferatis, idoneis viris ad hoc miniſterium electis, maximè in illis locis, ſi opportunitas & utilitas commendaverit, ordinentur Antiſtites, ubi indicia Eccleſiarum & ædificiorum Se-*

* Tom. 7. Conc. deeſt in veſtris partibus

* Gewold. electione

* digniſſimus

AN. CH. 824. *des Pontificales olim fuiſſe demonſtrant; ſin autem, illius arbitrio & deliberationi, qui vel ubi diſponantur Epiſcopi, concedimus, cui vicem noſtram apud vos Eccleſiaſtici regiminis per omnia commiſimus.* Huc uſque Pontificium Diploma, quod & inſtauratam Metropolim Laureacenſem & eidem Metropoli complures Epiſcopatus ſubjectos oſtendit. De ſingulis hîc agendum.

LAUREACUM ARCHIEPISCOPALI SEDE NOBILITATUR.

XXVI. Laureacum * antiqua Noricorum civitas ad Anaſi * confluentes in dexteram Danubii ripam, Epiſcopos habuit, longè antequàm ab Attila deſtrueretur. Horum Catalogum init Hundius, ac pleroſque vocat Archiepiſcopos, imò Nomenclaturam *Epiſcoporum Laureacenſium Patavienſiumque* ſic orditur. *Patavienſibus Epiſcopis Laureacenſes Archiepiſcopi dederunt originem, à Laureaco Norici oppido Metropolitano ſic dicti.* De ſingulis Gewoldus aliique non conveniunt. Eugenius Papa, cujus literas ſuprà deſcripſimus, teſtatur in ſcriptis contineri, quòd Laureacenſis Archiepiſcopus ſeptem olim ſuffraganeos Epiſcopos habuerit, cùm Romani vel Gepidæ jus illi regioni dicebant. At Eccleſia Laureacenſis, ut aliæ multæ, varias ſubiit viciſſitudines, & à Theodoro uſque ad Gerardum longo laboravit interpontificio. Theodorus Laureacenſis Archiepiſcopus, ut Velſerus, Hundius, aliique conſentiunt, obiit anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quarto. Secuta bella luctuoſæque clades ad adventum uſque Sancti Ruperti, qui Religionem in Norico penitus collopſam inſtauravit, Sede Pontificiâ Saliſburgi collocatâ. Rupertus, antequàm illuc proficiſceretur, Epiſcopus erat Vormacienſis, & Metropolitano jure per utramque Germaniam potiebatur. Apud Saliſburgum nomen Metropolitæ retinuit, vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio. Duos è ſociis Epiſcopos inſtituit, Laureaci Gerardum, Erchenfridum Pataviæ. Ruperto ejúſque ſucceſſoribus Vitali & Anſologo tanquam Metropolitis ſuffraganei ſubjacuerunt Laureacenſes Epiſcopi, Gerardus, Philo, & Bruno, necnon & Patavienſes, Erchenfridus, Othocarus, & Bruno, ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſextum, quo Saliſburgum Metropolis eſſe deſiit. Tria enim de Brunone ſunt obſervanda. Bruno poſt Othocari mortem eſt factus Epiſcopus Patavienſis anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo; Philoni quoque ſucceſſit in Epiſcopatum Laureacenſem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo; denique anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, poſt obitum Anſologi Metropolitæ Saliſburgenſis, auctus eſt Metropolitanâ Dignitate. Sex proximi ſucceſſores, Theodorus, Vivilo, Sidonius, Anthelmus, Wiſcarius, & Waldericus, Epiſcopi ſimul & Laureacenſes & Patavienſes necnon Metropolitæ Bojoariæ fuerunt ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum, quo Saliſburgum Metropolitanam auctoritatem recuperavit. Abhinc ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum Metropolita Saliſburgenſis fuit Arno. Interim Hatto Laureacenſis ac Patavienſis Epiſcopus extitit ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum, quo ſucceſſor Urolphus adminiſtrationem eorumdem Epiſcopatuum ſimul unitorum ſuſcepit. Hic anno poſtero, ſive anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo perrexit in Avariam & Moraviam, ut illarum provinciarum populos Chriſtianam Religionem edoceret. Sparſo tunc rumore, quòd reliquam vitam propagandæ extra Bojoariam fidei devoviſſet, Epiſcopus, qui Laureaco Pataviæque præeſſet, deſignatus eſt Reginarius, ordinatione tamen dilatâ, ne duo in eadem Sede collocarentur Epiſcopi. Tandem, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, poſt Arnonis Metropolitæ Saliſburgenſis obitum, res inter Urolphum & Reginarium prædictos atque Ammilonium Arnonis ſucceſſorem ſic tranſacta eſt Epiſcopatus Laureacenſis & Patavienſis, quos ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſimul unitos diximus, ab invicem disjuncti fuerunt. Laureacum, ut erigeretur in Metropolim, avulſum eſt è provincia Saliſburgenſi. Reginarius ordinatus eſt Epiſcopus Patavienſis. Urolphus factus eſt Laureacenſis Archiepi-

* *Lorch.*
* *l'Ens.*

ſcopus, eique tanquam Metropolitano ſubjecti fuerunt Epiſcopatus in Avaria, in Moravia, in Pannonia, & in Mœſia, cùm erecti tum erigendi. Provincia Saliſburgenſis penes Ammilonium Saliſburgenſem Archiepiſcopum remanſit imminuta tantùm Laureaco, quod alterius provinciæ caput evaſit. Hæc nova fuit Laureacenſis Archiepiſcopatûs erectio, quam Eugenius Papa literis ſuprà deſcriptis laudavit. AN. CH. 824.

In eodem Pontificio Diplomate primus inter Antiſtites, qui Laureacenſi Metropolitæ ſubſunt, nominatur Rathfredus Epiſcopus *Sanctæ Favianenſis Eccleſiæ*. Apud Gabrielem Bucelinum parte primâ Germaniæ Sacræ, in Fabianenſium ſeu Favianenſium ac Viennenſium Catalogo Rathfredus ſeu Radfridus duodecimum locum ſic occupat. I S. Severinus. II Mamertinus. III Marcianus. IV Lucillus. V Giſalaricus. VI Cunaldus. VII Sodomus. VIII Haymo. IX Theodoricus. X Ottho. XI Oſwaldus. XII Radfridus. De ſingulis ad Theodoricum uſque, qui nonus ponitur in Nomenclatura, Tomo ſuperiore locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-octavum [a], quo Waldericus Epiſcopus Laureacenſis & Patavienſis ac Metropolitanus Bojoariæ vitam clauſit, & Arno ex Epiſcopo Saliſburgenſi factus eſt Saliſburgenſis Archiepiſcopus Metropolitanâ Dignitate, quæ Laureacum ſeu Pataviam per annos duos ac triginta ſupra centum illuſtrarat, Saliſburgo tandem reſtitutâ. Negavimus Severinum, Giſalaricum, Cunaldum, & Haymonem, Epiſcopos unquam ordinatos fuiſſe. De Mamertino, Marciano, Lucillo, & Sodomo, nihil à nobis in veteribus monumentis lectum ingenuè faſſi ſumus. Theodoricum ab Arnone Saliſburgenſi jam Archiepiſcopo conſecratum Epiſcopum atque in Carantaniam directum obſervavimus. Sicque nullum ad illa uſque tempora Favianenſem ſeu Fabianenſem agnovimus Epiſcopum. Sequuntur apud Bucelinum, Ottho, Oſwaldus, & Radfridus, ſic. *Ottho de quo nil præter nomen. Oſwaldus Epiſcopus claruit ſub A. C. 865. Radfridus ultimus ex Epiſcopis Fabianenſibus *, poſt quem nullos reperi ad uſque Friderici III tempora, qui Epiſcopatum Viennæ denuò inſtitui impetravit.* Horum ſeries interturbatur. Radfridus enim ſeu Rathfredus Epiſcopus Fabianenſis erat, cùm Urolphus Laureacenſem gerebat Archiepiſcopatum, & Eugenius Papa Secundus Eccleſiæ Romanæ præſidebat. Urolphus autem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo Laureacenſis Archiepiſcopus dici cœpit, & Eugenius Pontificatum ab anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum tenuit. Bucelinum decepit Lazius. Hic enim in Vienna Auſtriæ [b], Catalogum exhibet *Fabianenſium ſive Favianenſium aut Wigennenſium Epiſcoporum ab anno Domini* CCCCLXVI, & ex Annalium Codice quem laudat, Epiſcopatum Radfridi rejicit in tempora Leonis Papæ Quinti, cujus Pontificatus cum anno Chriſti nongenteſimo quinto coincidit. At Eugenii Secundi Pontificium Diploma, quod ſuprà deſcripſimus, longè potioris eſt auctoritatis. Habet Lazius multa, quæ nec Hiſtoricæ veritati congruunt, nec inter ſe benè cohærent. De Laureacenſibus Archiepiſcopis & de Radfrido Fabianenſi Epiſcopo ſic ſcribit [c]. *Laureacenſes Archiepiſcopi, Anshelmus, Waldericus, Urolphus, Hatto, Reginharius, Harduicus, Ermanarichus, & Wichingus, qui anno Domini octingenteſimo trigeſimo-octavo, ſub Arnulpho Imperatore, Laureacenſi Cathedra præfuit, & miſſo Radfrido quodam ad Avarum Reges Moymar & Dudun, eos deficientes ad Chriſti ovile reduxit, Eccleſiæ Pannonum Cathedrâ denuò in Fabianis renovatâ, cui eundem præfecit Radfridum.* Laureacenſium cùm Epiſcoporum tum Archiepiſcoporum Indicem examinavimus ſuprà, nec à Lazio parùm diſſenſimus. Quod attinet ad Arnulphum, quis illum admittat Imperatorem *anno Domini octingenteſimo trigeſimo-octavo?* Celebrantur ad illum annum Ludovicus & Lotharius Auguſti, ille abavus, hic proavus Arnulphi. Fabianæ nomen à Cohortis Fabianæ ſtativis idem Auctor deducit, atque in aſſertionis ſuæ confirma-

[a] Num. 50.

* Fabianenſibus.

[b] Lib. 2. c. 3.

[c] Lib. 2. c. 3.

XXXVII. RATHFREDUS FAVIANENSIS SEU VIENNENSIS AD DANUBIUM EP.

AN. CH. 824.

tionem multa pererudite conglobat [a]. Infra Laureacum ad dexteram quoque Danubii ripam ſita eſt Fabiana, hodie Vienna *, primaria civitas Archiducatûs Auſtriæ.

[a] Lib. 1. c. 4.

* *Vienne en Auſtriche.*

XXXVIII. METHODIUS SPECULUNENS. EP.

In Eugenii Papæ literis, inter Epiſcopos qui ſubſunt Urolpho ſive Yrolpho vel Yrolfo, Laureacenſi Metropolitæ, ſecundus nominatur Methodius. Apud Hundium Eugenius ſcribit Methodio Epiſcopo *Speculunenſis Eccleſiæ*; apud Gewoldum & in Collectione Conciliorum Methodio Epiſcopo *Eccleſiæ Speculi-Julienſ. quæ & Sorigiturenſis nuncupatur*; apud Lazium Methodio Epiſcopo *Eccleſiæ Specujulienſis*, & Meſconi Epiſcopo *Origiturenſis Eccleſiæ*. Hic Auctor Eccleſias Specujulienſem & Origiturenſem, contra communem omnium ſententiam diſtinguit; Specujulienſem collocat, *ubi eſt nunc Olomucenſis Moraviæ*, arbitratúrque *Origiturenſem extitiſſe, ubi eſt hodie Turna Hungariæ, qui olim ager ad Moraviæ Regnum unà cum præcipuis Hungariæ Comitatibus iſthic ad Vagi * fontes ſitis pertinebat*. Olomucium * ſive Olomutium, Moraviæ caput, ad Moravam fluvium, qui mediam interſecat Moraviam, Epiſcopali Sede decoratur etiamnum ſub Praga Metropoli. Turna ſeu Tirna * vel Tirnavia urbs Comitatûs Piſonienſis * & Archiepiſcopatûs Strigonienſis in hodierna Hungaria Tirnæ fluvio adjacet, & à multis annis eſt Sedes Strigonienſis Archiepiſcopi, quia Strigonium * ſub Turcarum poteſtate gemit.

* *le Vag.*

* *Olmutz.*

* *Tyrnav.*

* *de Presbourg.*

* *Gran.*

XXXIX. ALBINUS NITRAVENSIS EP.

In Eugenii Diplomate ſequitur Epiſcopus *Eccleſiæ Nitravenſis* ſeu *Nitriavenſis*, qui Hundio eſt Albinus, Lazio Alchuninus, Gewoldo & Conciliorum Collectoribus Alewinus. Ceterùm Lazius Nitravenſem ſeu Nitriavenſem Epiſcopatum hodiéque ſtare & Nitrienſem appellari non inani conjecturâ ſuſpicatur. *Epiſcopus*, inquit, *Nitravenſis, fortè ubi eſt hodie Nitria Hungariæ Epiſcopalis* ad amnem Nitriam *etiamdum Sedes* ſub Strigonienſi Metropolita.

XL. ANNO VETUARIENS. EP.

Denique ab Eugenio Papa laudatur Anno Vetuarenſis ſeu Vetuarienſis Epiſcopus, & apud Lazium *Vetuarienſis antiquæ Moravorum Eccleſiæ Sedis rudera in finibus Bohemiæ & Moraviæ extant in Vetaw oppidulo ac caſtro.*

XLI.

Eugenius ſuas quidem literas quatuor duntaxat Eccleſiarum, Fabianenſis videlicet, Specujulienſis, Nitravenſis, & Vetuarenſis, Epiſcopis ſub Archiepiſcopo Laureacenſi conſtitutis inſcribit, quia plures non erecti ſunt Epiſcopatus, Laureacenſi tamen Antiſtiti jus Metropoliticum latiſſimè per Avariam, per Moraviam, per Pannoniam, & per Mœſiam attribuit. Ut autem hæ tibi provinciæ notiores fiant, lege Tomo ſecundo [b] quæ dicta ſunt de Norico, de Pannonia, & de Myſia ſeu Mœſia.

[b] Ad ann. 569. nn. 10. & ſeqq.

XLII. EXAMINANTUR SALISBURGENSIUM, LAUREACENSIUM, ET PATAVIENSIUM ANTISTITUM, CATALOGI.

Diſſimulare non poſſumus hoc loco diſſidium, quod inter nos & Lazium intercedit. Hic Auctor in prælaudatis Commentariis [c], ubi ſermonem de Laureacenſibus Antiſtitibus facit, illos à Gerardo ad Urolphum hoc recenſet ordine, Gerhardum, Erchenfridum, Vilonem aliis Philonem, Brunonem, Theodorum, Sidonium, Gerhardum Secundum, Sidonium Secundum, Anthelmum, Waldaricum, & Urolphum, cunctóſque vocat Archiepiſcopos, tribus duntaxat exceptis, de quibus ſub Urolpho ſic ſcribit. *Quos antè recenſuimus tres, ob Hunnorum & Avarum metum Batavia Sedem Diœceſis elegerant. Pallii etiam prærogativâ ab Arno & Heroldo Juvavienſibus Epiſcopis privati, quibus Carolus Magnus favebat & ejus filius Ludovicus Pius.*

[c] Lib. 12. ſect. 7. c. 5.

XLIII.

Ut ætatem & Archiepiſcopales Infulas Gerardi probet, *ex Archivis Sancti Floriani Cœnobii, Laureaco ad primum lapidem proximi*, recitat fragmentum Pontificii Diplomatis. *Agapitus ſervus ſervorum Dei fratri dilectiſſimo atque reverendiſſimo, Gerhardo S. Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, in Chriſto ſalutem. Petitiones tuas pro renovandis ſive approbandis Eccleſiæ tuæ Privilegiis*, &c. illúdque datum aſſerit *circa annum Domini 534*. Hoc Charactere deſignat Agapitum Primum. Meminit ejuſdem Diplomatis Aventinus [d], at ſub Agapito Secundo, qui decimo ſeculo vixit. Haud aliter ſentit Hundius in

[d] Lib. 4.

Digitized by Google

Epiſcopis Laureacenſibus & Patavienſibus [a]. Integras Agapiti Papæ literas recitat Gewoldus in Patavienſibus Epiſcopis. Eas quiſquis attentè legerit, non ab Agapito Primo ſed ab Agapito Secundo ſcriptas affirmabit. Ita jam cenſuerunt clariſſimi rerum Boicarum Scriptores, Andreas Brunnerus in fine libri ſeptimi, & Joannes Adlzreitterus parte primâ, libro decimo-quarto [b]. Ceteris, quæ plurima ſunt, omiſſis, duo tantùm argumenta proferemus, unum ab Hademaro Abbate Fuldenſi, alterum ab Arnone Saliſburgenſi Archiepiſcopo. Agapitus utrumque memorat; Hademarum, ſic. *Venerabilis Fuldenſis Monaſterii Abbas Hademarus huc causâ orationis veniens cum magna benevolentia ſuggeſſit*; Arnonem, ſic, *modernis nec multùm retrò elapſis temporibus Arno primus Salzburgenſis Eccleſiæ ſubrogatur Archiepiſcopus.* Vixit Hademarus Agapito Papæ Secundo ſynchronus, obiitque anno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo-ſexto, ut ex Chronographia Fuldenſium Abbatum liquet [c]. Arno factus eſt Archiepiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo-octavo, vitámque clauſit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, ut ſuis locis probatum eſt; habendus igitur ut Agapito Papâ Primo longè recentior, ſic & vetuſtior Agapito Papâ Secundo. Ab utriuſque pariter Agapiti temporibus procul abfuit Gerardus Sancti Ruperti ſocius, qui vitam terminavit anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo decimo-quinto, nec unquam fuit Archiepiſcopus ſed tantùm Epiſcopus iſque Laureacenſis ſub eodem Sancto Ruperto Saliſburgenſi Metropolita, qui ſuperſtes ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-tertium vixit. Scrupulum autem ne tibi moveant Agapiti literæ ſuprà citatæ, in quibus *Arno*, quem duobus penè ſeculis Sanctus Rupertus anteceſſit, *primus Salzburgenſis Eccleſiæ* vocatur *Archiepiſcopus*. Saltzburgenſis enim ſeu Saliſburgenſis Eccleſia, Metropolitanam Dignitatem, quam à temporibus Sancti Ruperti tenuerat, poſt Anſologi Metropolitæ mortem amiſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, póſtque annos duos ac triginta ſupra centum ſub Arnone prælaudato recuperavit.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[a] In Epiſc. 14. [b] Num. 9. [c] Lib. 4. Antiq. Fuldenſ. n. 13.

XLIV. Qui ſecundo loco à Lazio memoratur Erchenfridus, ſocius quoque fuit Sancti Ruperti, ſeditque non Laureaci ſed Pataviæ ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-quartum, quo vitam finivit Gerardo ſocio ſuo Laureacenſi Epiſcopo & Sancto Ruperto Magiſtro ac Doctori ſuo Metropolitæ Saliſburgenſi factus ſuperſtes. Lege quæ de illis ſcripta ſunt Tomo ſecundo. Sanctus Rupertus, poſtquàm in Bojoariam venit, Saliſburgi Metropolitanam Sedem fixit, eique duos ſubjecit Epiſcopatus, Laureacenſem videlicet cui Gerardum præfecit, & Patavienſem cui præpoſuit Erchenfridum. Atque is Bojoariæ ſtatus ad annum uſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum permanſit.

XLV. Quem Lazius tertio loco Vilonem nominat, alii Philonem vocant. Hic Archiepiſcopi ſeu Metropolitæ titulum numquam geſſit. Gerardo, de quo ſuprà, ſucceſſit in Epiſcopatum Laureacenſem, quem, teſte quoque Lazio, XLV *annis* rexit, ab anno ſcilicet Chriſti ſexcenteſimo decimo-quinto ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum. Interim Vitalis & Anſologus Metropolitanam Saliſburgi Sedem tenuerunt, Vitalis enim poſt Sanctum Rupertum ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſextum ſedit, & Anſologus poſt eundem Vitalem ab anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſextum.

XLVI. Lazius Brunonem Viloni ſeu Philoni *circa annum Domini 660* ſubrogat. Eget explicatione. Nam Bruno, qui poſt Othocari Patavienſis Epiſcopi mortem Patavienſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo factus fuerat, poſt obitum quoque Philonis Epiſcopi Laureacenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo conſtitutus eſt etiam Laureacenſis Epiſcopus, & anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto poſt Anſologi Metro-

AN. CH. 824 LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

politæ Saliſburgenſis mortem auctus eſt Metropolitanâ Dignitate, quæ Saliſburgo Laureacum ſeu Pataviam tunc eſt tranſlata. Fuerunt igitur iidem Laureacenſes Epiſcopi qui Patavienſes ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, Diœceſibúſque Laureacenſi & Patavienſi ſimul unitis acceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto Metropolitana Dignitas Brunone tunc illarum Eccleſiarum Antiſtite, qui deinceps ad mortem uſque, id eſt, ad annum uſque Chriſti duodeſeptingenteſimum gaviſus eſt Metropolitico jure per Bojoariam.

XLVII. XLVIII.

Sequuntur apud Lazium Theodorus, Sidonius, Gerardus Secundus, Unilo. De Theodoro & Unilone ſeu Vivilone convenimus. Sidonium & Gerardum Secundum ſuppoſititios remur.

Lazius duos diſtinguit Sidonios; unum Theodori, alterum Unilonis ſeu Vivilonis ſucceſſorem; &, ut Sidonium Primum ac Gerardum Secundum medios inter Theodorum & Unilonem tueatur, Chronologiam ſuam ſic inſtituit. *Bruno Archiepiſcopus ſecutus eſt circa annum Domini 660, qui ſedit annis* XXIII. *Brunoni Theodorus Archiepiſcopus ſubſtituitur & ſedit annis* XX. *Theodorum Sidonius excepit. Succeſſit Sidonio Secundus Gerardus, pro cujus reſtitutione Moguntinus Epiſcopus Donno Pontifici Romano literas miſit circa annum Salutis 696.* Habitâ ratione talis computi, Laureacenſes Metropolitæ fiunt, Theodorus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, Sidonius anno Chriſti ſeptingenteſimo tertio. Sed Laureacenſium Antiſtitum Chronologia longè aliter inſtitui debet, quia Bruno nonaginta vixit annos & ampliùs, pervenitque ad annum Chriſti duodeſeptingenteſimum. Theodorus ei ſucceſſit anno proximo, vitámque clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, quo Viviloni delatæ ſunt Archiepiſcopales Infulæ. Lazius de fictitio ſuo Sidonio Theodori ſucceſſore ſcribit, quòd eum *Theodorus Papa Pallio donavit, ac per omnem Germaniam totámque Galliam Vicarium ſuum bullatis literis privilegiiſque ſigillatis conſtituit. Inſuper ſuper totam Avariam, Moymariámque, & Rugorum Gepidarúmque provincias, & gentes Pannoniorum Mœſiarúmque, & omnium contiguorum Slavorum provincias, Primatem & Prædicatorem firmavit & corroboravit.* In Romanorum Pontificum Catalogis duo tantùm celebrantur Theodori. Primus, teſte Anaſtaſio, *ſedit annos ſex, menſes quinque, dies octodecim, & ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die ſecundo Idus Maii.* Id eſt, ut aliâ occaſione Tomo tertio [a] probavimus, ſedit à menſe Novembri anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi quadrageſimi-ſecundi, uſque ad menſem Maium anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi undequinquageſimi. Multò ſeriùs vixit Theodorus Secundus, ſub initium enim decimi ſeculi perbrevem Pontificatum dierum duntaxat viginti geſſit, ut Marianus Scotus, Cæſar Baronius, aliique teſtantur. Procul ab utriuſque Theodori temporibus abeſt Sidonius Lazii, dicitur enim Archiepiſcopus factus anno Chriſti ſeptingenteſimo tertio. Propiùs ad illum Sidonium accederet Theodorus antipapa, de quo conſulendus Anaſtaſius ſub Conone & Sergio legitimis Pontificibus, ad annos videlicet Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum & ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum. Inierunt enim Pontificatum Conon anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, Sergius anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo; uterque Theodoro Schiſmatico fruſtrà obnitente. De anno quo Conon ſedere cœpit, déque anno quo vivere deſiit, fusè diſputatum Tomo quarto [b]. Sed nec laudi cederet Sidonio, quòd Pallium accepiſſet à pſeudo-Pontifice, nec Lazii Chronologia cum Theodoro antipapa convenire poſſet, Theodorus enim in ſchiſmate non manſit ad annum uſque Chriſti ſeptingenteſimum tertium, quo Lazius Sidonium ad Laureacenſes Infulas aſſumptum contendit. Expungendus igitur ille Sidonius.

[a] Ad an. 642. n. 60.

[b] Ad an. 686.

XLIX.

Haud aliter ſentiendum de Gerardo Secundo. Lazius literas ad Donnum ſeu Donum Papam ab Epiſcopo Moguntiacenſi pro reſtituendo Gerardo ſcriptas

ſcriptas contendit, *circa annum Salutis 696.* Id autem apertè pugnat cum ipſiuſmet Lazii Chronologia, nam ſi Theodoro Sidonius ante annum Chriſti ſeptingenteſimum tertium haud ſucceſſit, Moguntinus Epiſcopus de Gerardo ejuſdem Sidonii ſucceſſore reſtituendo literas Donno Papæ *circa annum Salutis 696* ſcribere non potuit. Deinde inter Pontifices Romanos duo tantùm reperiuntur Donni. Prior, ut Tomo tertio [a] manifeſtiſſimè probavimus, *ſedit annum unum, menſes quinque, dies decem*, à Kalendis Decembris anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi ſeptuageſimi-ſeptimi ad diem tertium ante Idus Apriles anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi ſeptuageſimi-noni. Poſterior Pontificatum ſuſcepit anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, ut Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis, aliique confirmant. Neuter igitur ab Epiſcopo Moguntiacenſi literas accepit *circa annum Salutis 696.* Eas certè procul ab illo anno, procúlque ab utriuſque Doni Pontificatu datas oſtendit periodus, in qua Moguntiacenſis Epiſcopus mentionem Arnulphi Imperatoris nuperrimè mortui ſic facit. *Veſtræ Clementiæ innoteſcimus ſeniorem noſtrum Arnolfum de hujus vitæ exilio migraſſe.* Deceſſit enim Arnulfus anno Redemptoris undenongenteſimo, ut aſſerit Regino accuratus illorum temporum Scriptor, id eſt, anno ducenteſimo viceſimo poſt mortem Doni Primi, ſive anno ducenteſimo tertio poſt annum Salutis ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum, & anno ſeptuageſimo-tertio ante Pontificatum Doni Secundi. Commentitiis illis Archiepiſcopi Moguntiacenſis ad Donum Papam literis alias Leonis Papæ Secundi ſubjungit Lazius. *Leo*, inquit, *Secundus Pontifex Romanus, qui tertius à Donno ſedit, ad Gerhardum Secundum hoc nomine in Laureaco Archiepiſcopum, ejuſmodi literas dedit. Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Confratri noſtro Gerhardo S. Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Si Paſtores ovium*, &c. Eædem literæ in Epiſcopis Pavienſibus à Gewoldo recitantur integræ ſub nomine Leonis Papæ Septimi. Leo Secundus, teſte Anaſtaſio, *ſedit menſes decem, dies decem & ſeptem*, & *ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die quinto Nonas Julias.* Id eſt, iniit Pontificatum decimo-ſeptimo Kalendas Septembris, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, deceſſitque quinto Nonas Julias, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, ut patet ex Chronologia Romanorum Pontificum, quam Tomo quarto ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum [b] ſtabilivimus. Leo Septimus in Romana Cathedra ſedere cœpit anno Chriſti nongenteſimo triceſimo-ſexto, ut in ſuis Chronicis Flodoardus & Sigebertus atteſtantur. Certè Leo Secundus, qui mortuus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, literas non ſcripſit ad Gerardum, cujus deceſſor ad Infulas promotus ſit anno Chriſti ſeptingenteſimo tertio. Idcircò Hundius recurrit ad Gerardum Laureacenſem Archiepiſcopum, qui *ſedit Patavii, temporibus Henrici Aucupis & Ottonis Primi, & jus Pallii Anteceſſoribus ſuis ademptum, & aliquamdiu negatum, apud Leonem Septimum, Summum Pontificem, ipſe Romam profectus magna cum laude recuperavit.* In Hundii ſententiam ivit Brunnerus [c], iverunt & ultimi Collectores Conciliorum [d]. E prædictis autem literis, ſive illas Leoni Papæ Secundo perperam tribuas cum Lazio, ſive illas Leoni Papæ Septimo rectè reſtituas cum Hundio, Gewoldo, Brunnero, & poſtremis Conciliorum Collectoribus, nihil elici poteſt, ut Chronologia Lazii firmetur, & in Laureacenſium Archiepiſcoporum Nomenclatura Gerardo locus ante Unilonem ſeu Vivilonem ſervetur. *Porrò idem Pontifex Leo*, ſubdit Lazius, *reſcriptum aliud ad Epiſcopos Norici dedit, Egilolphum videlicet Juvanienſem, Iſingrinum Ratiſponenſem, Landbertum Friſingenſem, & Wiſmundum Sebanenſem, jubens ut Gerhardo Laureacenſi tanquam ipſorum vero Metropolitano pareant, ac ejus dicto audiant.* Illam Leonis epiſtolam ex Reicherſpergenſi Chronico ad verbum deſcripſit, & Leoni Septimo aſſertam primus in lucem emiſit Joannes Adlzreitterus ad annum Chriſti nongenteſimum triceſimum-ſeptimum [e], deinde

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[a] Ad an. 678.

Nn. 30. & ſeqq.

[c] Lib. 7. n. 10.

[d] Tom. 9.

[e] Part. 1. Lit. 4. n. 2.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

nono Conciliorum Tomo inter epiſtolas Leonis Septimi recudendam curarunt ultimi Collectores. Integram conſule, ne tibi pro ſua in Clerum maledicentia imponat Aventinus, à quo corruptè & fallaciter ſub finem libri quarti reddita eſt. Duo tantùm recitabimus fragmenta. *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Regibus, Ducibus, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, pari etiam modo Egilolfo Juvavienſis, Iſingrino Ratisbonenſis, Lantperto Friſingenſis, Wiſundo Sabionenſis Eccleſiæ, Venerabilibus Epiſcopis, & ceteris per Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemanniam, commorantibus. Si inſtituta Eccleſiaſtica*, &c. *Gerardus Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, causâ orationis veniens ad limina Apoſtolorum, noſtram Apoſtolicam præſentiam viſitare & benedictionis gratiam à nobis percipere ſollicitè ſtuduit*, &c. Pluribus non eſt opus ut illas literas Leoni Papæ Septimo tribuas cum Aventino, Adlzreittero, & poſtremis Conciliorum Collectoribus. Temporibus enim Leonis Septimi ſederunt, Egilolfus ſive Eglolfus Juvavii ſeu Saliſburgi, Iſingtinus Ratiſbonæ, Lantpertus ſeu Lampertus Friſingæ, Wiſundus Sabionæ, ut ex Nomenclaturis Epiſcoporum, qui Diœceſes illas rexerunt, apud Hundium & Bucelinum conſtat. Atque hæc ſufficiant adversùs Lazium, qui Sidonium & Gerardum Catalogo Laureacenſium Archiepiſcoporum fictitios Theodori ſucceſſores perperam intruſit.

L. Sidonio & Gerardo ſic exploſis, Vivilonem, quem Lazius Unilonem vocat, Theodoro proximè ſubrogamus. Ad confirmandum Vivilonis Archiepiſcopatum Lazius duas epiſtolas allegat, quas Zachariæ Romani Pontificis eſſe contendit, unam ad ipſum Vivilonem datam *anno Salutis noſtræ currente 740*, alteram ad Bonifacium regionarium tunc Archiepiſcopum ſcriptam Bojoariâ quatuor in Parochias ſeu Diœceſes nuperrimè diſtinctâ. Sed errat in multis. Primò literas *anno Salutis noſtræ currente 740* directas ait à Zacharia Papa, qui Pontificatum non eſt adeptus ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum ut ad illum annum probavimus [a]. Secundò, quas à Zacharia Papa literas ad Unilonem Bojoariorum Archiepiſcopum tranſmiſſas aſſerit, eas oſtendimus inſcriptas uni ex tribus Epiſcopis à Bonifacio Archiepiſcopo reginario noviſſimè conſtitutis in partibus Germaniæ, id eſt, Burchardo Wirtzburgenſi Epiſcopo, vel Wittæ Epiſcopo Birburgenſi, aut Adelhario Erphesfordienſi Epiſcopo. Integras Tomo quinto deſcriptas ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium [b] conſule, obſervàque illas à Lazio corrumpi, ut à Germaniæ partibus, in quibus tres Epiſcopatus, Wirtzburgenſis, Birburgenſis & Erphesfordienſis, à prælaudato Bonifacio recentiſſimè fuerunt erecti, detorqueantur ad Bojoariam quæ nuper quoque quatuor in Parochias ſeu Diœceſes ab eodem Bonifacio diviſa fuit. Lazius initium literarum ſic recitat. *Domino cooperante & ſermonem confirmante, ad dilatandam Chriſtianitatis legem & Orthodoxæ fidei tramitem, ad docendum juxta quod prædicat Sancta hæc Romana, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſia, innotuit nobis Sanctiſſimus ac Reverendiſſimus frater & Coepiſcopus noſter Bonifacius, nuper decreviſſe & ordinaſſe in Germaniæ partibus Epiſcopales Sedes, ubi præeſt veſtra Dilectio, & provincias in quatuor diviſiſſe Parochias.* Genuinus autem Zachariæ Papæ textus hic eſt. *Domino cooperante*, &c. *innotuit nobis Sanctiſſimus ac Reverentiſſimus frater & Coepiſcopus noſter Bonifacius, nuper ſe decreviſſe & ordinaſſe in Germania partibus Epiſcopales Sedes, ubi præeſt veſtra Dilectio, & provinciam in tres diviſiſſe Parochias*, id eſt, in Wirtzburgenſem, Birburgenſem, & Erphesfordienſem, extra Bojoariam poſitas. Tertiò quas Lazius literas Bonifacio, poſtquàm Bojoaria quatuor in Diœceſes diſtributa fuit, à Zacharia Papa ſcriptas affirmat, eas exaravit Gregorius Tertius, Zachariæ deceſſor, integráſque tranſcripſimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undequadrageſimum, quo facta Bojoariæ quatuor in Diœceſes partitio. Quamvis autem minimè probemus auctoritates, quibus opinionem ſuam Lazius corroborare nititur,

[a] Tom. 5 a. 71. n. 645.

[b] Num. 19.

Digitized by Google

haud inficiamur Unilonem seu Vivilonem Archiepiscopum Laureacensem ab anno Christi septingentesimo tricesimo-septimo ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-quintum temporibus Gregorii Tertii & Zachariæ Romanorum Pontificum extitisse. AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

De Vivilonis sive Unilonis successoribus ita Lazius. *Secuti sunt autem Unilonem in utraque Sede* Laureacensi videlicet ac Pataviensi, quas simul unitas ab anno Christi sexcentesimo sexagesimo diximus, *Sidonius, Anthelmus, Waldaricus*, sed hi tres, *ob Hunnorum & Avarum metum Bataviæ Sedem Diœcesis elegerant, Pallii etiam prærogativâ ab Arno & Heroldo Juvaviensibus Episcopis privati, quibus Carolus Magnus favebat & ejus filius Ludovicus Pius.* Hic textus suis non caret nævis. Omittit Wisearium seu Wisericum, qui medius inter Anthelmum & Waldaricum sedit. Sidonium ejúsque successores proximè nominatos, quos Archiepiscopis accensere debuit, Episcopos appellat. Eosdem addit Archiepiscopali prærogativâ fuisse privatos ab Arno & Heroldo Juvaviensibus seu Salisburgensibus Episcopis, quibus Carolus Magnus & Ludovicus Pius favebant; at Sidonius & Anthelmus Carolo nondum Rege mortui sunt, ille anno Christi septingentesimo quinquagesimo-sexto, hic anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto; uterque verò fuit Archiepiscopus, ut & successores Wisearius ac Waldaricus; nec ante ejusdem Waldarici seu Walderici mortem, quæ consignatur anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, Metropolitana Dignitas, quâ Salisburgum olim potiebatur, Ecclesiæ restituta est Salisburgensi, cùm Arno sive Arnus illi præsidebat, & Carolus annum Regni tricesimum à Pippini patris obitu numerabat Multò serùs sedit Heroldus sive Herolfus, qui synchronus Ottoni Primo Imperatori vixit decimo seculo, ut ex Salisburgensium Antistitum Catalogo liquet. LI.

A Waldarico ad Urolphum transit Lazius. Inter utrumque tamen medius occurrit Hatto Episcopus, qui Diœceses Laureacensem & Pataviensem ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum gubernavit, Metropolitanam interim auctoritatem obtinente Arnone Salisburgensi Antistite. Post Waldarici mortem Urolphus factus est Episcopus Laureacensis ac Pataviensis, annóque sui Præsulatûs secundo, Redemptoris octingentesimo decimo octavo abiit Evangelium per Avariam, Moraviam, vicináque regiones prædicaturus; cúmque res prosperrimè cederet, ac novi constituerentur in illis provinciis Episcopatus, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo post obitum Arnonis Metropolitæ Salisburgensis inter Ammilonium ejusdem Arnonis successorem, prædictum Urolphum, & Reginarium, pacificè sic conventum fuit. Ammilonius mansit Archiepiscopus Salisburgensis, cui quinque comprovinciales paruerunt Episcopi, Carantanus, Frisingensis, Pataviensis, Reginoburgensis, & Sabionensis. Urolphus, qui priùs Laureacensem & Pataviensem Episcopum se dicebat, Pataviensem dimisit Episcopatum, & ex Episcopo Laureacensi factus est Laureacensis Archiepiscopus, júsque Metropoliticum per Avariam, per Moraviam, per Pannoniam, per Mœsiam adeptus est. Reginarius, qui postquàm Urolphus è sua discesserat Diœcesi, mox designatus fuerat Laureacensis ac Pataviensis Episcopus, ordinatus est Episcopus Pataviensis sub Metropolita Salisburgensi. De Laureacensi Archiepiscopatu Urolphi déque provinciis ei subjectis & Episcopatibus illic recenter erectis, putà Fabianensi, Specujulensi, Nitriavensi, & Vetuariensi, consulendæ sunt Eugenii Papæ Secundi literæ, quas hoc anno datas suprà descripsimus. LII.

Ut hæc omnia clariùs innotescant, placet Tabulam subjicere, quatuor in columnas distinctam, quarum prima Salisburgenses Antistites, altera Laureacenses, tertia Patavienses, quarta Laureacenses ex Lazio usque ad Eugenii Secundi Pontificatum exhibebit initio ducto ab adventu Sancti Ruperti LIII.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

in Bojoariam. E Episcopum, E M Episcopum Metropolitanum sive Archiepiscopum; Sal. Salisburgum; Laur. Laureacum; Pat. Pataviam significabit.

SALISBURGENSES ARCHIEPISCOPI ET Episcopi.	LAUREACENSES EPISCOPI ET Archiepiscopi.	PATAVIENSES EPISCOPI ET Archiepiscopi.	LAUREACENSES ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI ex Lazio.
I. S. Rupertus E. M. Sal. obit a. 623.	I. Gerardus socius S. Ruperti E. Laur. obit a. 615.	I. Erchenfridus socius S. Ruperti E. Pat. obit a. 624.	I. Gerardus E. M. Laur. a. 534. sedet Agapito Papâ.
II. Vitalis fit E. M. Sal. a. 623. obit a. 646.	II. Philo fit E. Laur. a. 615. obit a. 660.	II. Othocarus fit E. Pat. a. 624. obit a. 638.	II. Erchenfridus E. M. Laur. obit circa a. 625. sedet temporibus Sancti Ruperti.
III. Ansologus fit E. M. Sal. a. 646. obit a. 666. Successores ad a. usque 798 Metropolitanâ carent Dignitate.	III. Bruno E. Pat. fit etiam E. Laur. a. 660. deinde & E. M. a. 666. obit a. 698.	III. Bruno fit E. Pat. a. 638. fit etiam E. Laur. a. 660. deinde E. M. a. 666. obit a. 698.	III. Vilo fit E. M. Laur. circa a. 625. sedet ann. 45. obit circa a. 660.
IV. Savolus fit E. Sal. a. 666. obit a. 680.	IV. Theodorus fit E. M. Laur. ac Pat. a. 699. obit a. 737.	IV. Theodorus fit E. M. Pat. ac Laur. a. 699. obit a. 737.	IV. Bruno fit E. M. Laur. circa a. 660. sedet ann. 23. ergo obit circa a. 783.
V. Ezius fit E. Sal. a. 680. obit a. 703.	V. Vivilo fit E. M. Laur. ac Pat. a. 737. obit a. 745.	V. Vivilo fit E. M. Pat. ac Laur. a. 737. obit a. 745.	V. Theodorus fit E. M. Laur. circa a. 783. sedet ann. 20. ergo obit circa a. 703.
VI. Flobargisus fit E. Sal. a. 703. obit a... Sequitur interpontificium aliquot ann.	VI. Sidonius fit E. M. Laur. ac Pat. a. 745. obit a. 756.	VI. Sidonius fit E. M. Patav. ac Laur. a. 745. obit a. 756.	VI. Sidonius fit E. M. Laur. circa a. 703. ut colligitur ex præcedentibus. Pallio donatur à Theodoro PP.
VII. Joannes fit E. Sal. a. 739. obit a. 759. Sequitur interpontificium.	VII. Anthelmus fit E. M. Laur. ac Pat. a. 756. obit a. 765.	VII. Anthelmus fit E. M. Pat. ac Laur. a. 756. obit a. 765.	VII. Gerardus II. E. M. Laur. circa a. 696. sedet Donno & Leone II. Romanis Pontificibus. Nota insignem anachronismum, si decessor Sidonius sedere cœpit circa a. 703.
VIII. Virgilius fit E. Sal. a. 766. obit	VIII. Wiscarius seu Wisericus fit E.	VIII. Wiscarius seu Wisericus	VIII. Unilo E. M. Laur. literas acci-

Digitized by Google

obit a. 780.	E. M. Laur. ac Pat. a. 765. obit a. 774.	cus fit E. M. Pat. ac Laur. a. 765. obit a. 774.	accipit a. 740. à Zacharia P P. Succeſſores uſque ad Urolphum Metropolitana carent Dignitate.	AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.
IX. Bertricus fit E. Sal. a. 780. obit. a. 781.	IX. Waldericus fit E. M. Laur. ac Pat. a. 774. obit a. 798. Poſt ejus mortem Metropolitana Dignitas Saliſburgenſi Sedi reſtituitur.	IX. Waldericus fit E. M. Pat. ac Laur. a. 774. obit a. 798. Poſt ejus mortem Metropolitana Dignitas Saliſburgenſi Sedi reſtituitur.	IX. Sidonius II. E. Laur.	
X. Arno fit E. Sal. a. 781. fit E. M. Sal. a. 798. obit a. 822. Poſt ejus mortem Laureacum avellitur è provincia Saliſburgenſi, & donatur iterum Metropolitanâ Dignitate.	X. Hatto fit E. Laur. ac Pat. a. 798. obit a. 817.	X. Hatto fit E. Pat. ac Laur. a. 798. obit a. 817.	X. Anthelmus E. Laur.	
XI. Ammilonius fit E. M. Sal. a. 822. obit a. 823.	XI. Urolphus fit E. Laur. ac Pat. a. 817. abit in Avariam & Moraviam a. 818. abdicat Epiſcopatum Pat. fitque E. M. Laur. an. 822. adit Eugenium II. P P. a. 824. & jus Metropoliticum obtinet per Avariam, Moraviam, Pannoniam, & Mœſiam.	XI. Urolphus fit E. Pat. ac Laur. a. 817. abit in Avariam & Moraviam a. 818. abdicat Epiſcopatum Pat. a. 822.	XI. Waldaricus E. Laur.	
XII. Adalramus fit E. M. Sal. a. 823. vivit. a. 824.		XII. Reginarius ordinatur E. Pat. a. 822. vivit an. 824.	XII. Urolphus fit E. M. Laur. júſque Metropoliticum obtinet per Avariam, Moraviam, Pannoniam, & Mœſiam, ut teſtantur Eugenii II. PP. literæ ad ejuſdem Urolphi ſuffraganeos ſcriptæ.	

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8. LIV.

Ad hunc eundem annum, quo Pontificatum Eugenius Secundus Papa ſuſcepit, multa rejecimus conglobatim dicenda de Sedunenſibus Epiſcopis & Abbatibus Agaunenſibus, quia poſtulante Adalongo Sedunenſi Epiſcopo & Agaunenſi Abbate Ludovicus Pius ab eodem Eugenio impetravit, ut Monachis Agauno expulſis Canonici triginta duo ſubſtituerentur. In Agaunenſis Monaſterii præconio, quod Agaunenſium Abbatum Catalogo præpoſuerunt Sammarthani [a], *Rex Francorum Ludovicus* id obtinet *ab Alexandro 2 Papa*. Sed in Eugenii 2 locum irrepſit Alexander 2. Rex enim ille Francorum dictus Ludovicus non alius eſt à Ludovico Pio Imperatore, de quo ſic iidem Auctores in prædicto Adalongo Epiſcopo & Abbate. *Adalongus, ſub quo, Ludovico Pio Imp. poſtulante, pulſis Monachis Canonici cum eorumdem jurium privilegio ſtatuuntur.* Pontificatum autem Alexander Secundus Papa non iniit ante annum Chriſti milleſimum ſexageſimum-primum, id eſt, poſt annos unum ac viginti ſupra ducentos ab obitu Ludovici Pii. Fuit Adalongus Abbas Agaunenſis ab anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo duodenonageſimo. Poſt Theodulum, qui vivebat anno Redemptoris octingenteſimo undecimo, factus eſt Epiſcopus Sedunenſis Ludovico Pio jam imperante. Provectioris erat ætatis, cùm Canonici in Agaunenſe Monaſterium introducti ſunt. Huic mutationi diu ſuperſtes eſſe non potuit. Nomina ſucceſſorum in Sedunenſium Epiſcoporum Catalogo deſiderantur ad decimum uſque ſeculum. De Agaunenſibus autem Abbatibus nihil legitur ante Pontificatum Hadriani Papæ Secundi, cui ſynchronus vixit Altheus Abbas Agaunenſis.

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt. AGAUNENSIBUS MONACHIS SUBSTITUUNTUR CANONICI.

LV.

Cùm Sedunenſis Epiſcopatus penes Theodulum & Adalongum erat, Auguſtenſem in eadem provincia regebat Gratus, de quo multa narravimus ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum [b]. Celebratur aquæ benedicendæ ritus, quo Gratus utebatur adversùs animantia fructibus terræ nocentia. Ritum illum accipe, ut à Petro *du Four* Sereniſſimi Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Typographo Camberiaci cuſus eſt anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo-quinto.

[b] Num. 40.

AQUÆ BENEDICENDÆ RITUS,

quo Sanctus Gratus vallis Auguſtæ Epiſcopus utebatur adversùs animantia fructibus terræ nocentia.

RITUS AQUÆ BENEDICENDÆ ADVERSUS ANIMANTIA FRUCTIBUS TERRÆ NOCENTIA.

Ponetur aqua in vaſe & ſal in caſtula ſeparatim.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc, nunc, & uſque in ſeculum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Præſta, quæſumus, tuum ſalubre, Domine, remedium ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, ut ubicunque aſperſa fuerit ad animæ & corporis proficiat ſanitatem, ſitque ipſa deſtructio bruchorum & omnium animalium terræ nocentium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. ℟. *Amen.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

℣. *Surſum corda.*

℟. *Habemus ad Dominum.*

Digitized by Google

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

℣. *Gratias agamus Domino Deo noſtro.*
℟. *Dignum & juſtum eſt.*
Verè dignum & juſtum eſt & ſalutare. Te autem creatura ſalis & aquæ adjuro per Deum vivum ✠ per Deum verum ✠ per Deum Sanctum ✠. Te adjuro per eum qui te in principio ſeparavit ab aridâ ✠. Adjuro te per Deum verum ✠ qui te de fonte paradiſi manare præcepit ✠. Adjuro te per eum ✠ qui te in Cana Galilææ ſuâ potentiâ convertit in vinum, qui tibi nomen impoſuit natatoriam. Adjuro te per eum ✠ qui per te Naaman Syrum à lepra ſuâ curavit. Adjuro te per eum, ✠ qui te immiſſo ſale per manus Eliſeæ Prophetæ mundavit, dicens, aqua iſta munda fiat ✠. Aqua, quæ omnes ſordidos lavat ✠ peccata mundat. Adjuro te per eum ✠ qui ſuper te pedibus ſiccis ambulavit. Adjuro te per Deum vivum ✠ ut te mundam exhibeas, nec in te aliquod phantaſma retineas, ſed efficiaris fons exorcizatus & ſalus in tuam virtutem credentibus; & ubicumque aſperſa fueris, ſive in ſegetibus, ſive in vineis & arboribus, ſive in domibus urbanis ſeu ruſticis, ſive in cubilibus aut aliis quibuſcunque locis & partibus adium, ſive in ſtabulis & aliis animalium & pecudum manſionibus, ſive in agris, oleribus, rapis, ceteriſque frugibus, ſive in pecoribus & jumentis, & aliis animalibus domeſticis & utilibus, vel ſi quis te ſenſerit aut ex te guſtaverit, ſis aqua exorcizata & ſis in remedium & defenſionem adversùs omnes inſidias latentis inimici. Te autem, Domine Sancte, Deum verum credentes exoramus ſuppliciter, ut ad defenſionem noſtram placatus aſpicias, & hanc ſalis & aquæ creaturam tuæ benedictionis gratiâ ſanctifices, ut quicquid hujus liquoris rore fuerit aſperſum, careat omni immunditia, & ab omni verſutia & potentia malignorum vacuum fiat & liberum. Hinc procul fiat peſtilentiæ morbus & cetera omnia, quæ ſaluti hominum & animalium domeſticorum & utilium ſunt obnoxia. Hujus aquæ tactu fugiat locuſta, bruchus, & eruca; fugiant talpæ, & alia hujuſmodi fructibus terræ nocitura expellantur, omneſque adverſæ poteſtates inimicorum tam viſibilium quàm inviſibilium patentes & latentes non prævaleant, ſed per hujus creaturæ ſalis & aquæ aſperſionem & tui ſanctiſſimi nominis invocationem procul expellantur & arceantur, nec ullas diaboli & miniſtrorum ejus inſidias ullatenus nocere permittas, ubi de tuo auxilio agitur, & nomen ſanctum tuum invocatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*
Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, Spiritum Sanctum tuum emitte deſuper cum Angelo & Archangelo tuo, qui omnia prædicta viſitent atque defendant, videlicet ſegetes, ſemina, vineas, arbores, beſtias, agros, jumenta, rapas, olera, hortos, & alia omnia, ſuper quibus hæc aqua aſperſa fuerit, & ab omnibus ſerpentibus & aliis quibuſcunque animalibus fructibus terra nocentibus protegant, nec ea nocere illis ullo modo permittant, & ut in omni loco nomen tuum ſanctificetur. Benedic Domine, & per hanc creaturam ſalis & aquæ procul repellantur omnia animalia fructibus & frugibus nocentia, per invocationem nominis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod invocatum eſt in ipſa creatura meſis, ut ſit in cibum & alimentum humano generi & ceteris omnibus qui iis frui debent. Fugite igitur partes adverſæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, Alleluya. Commixtio ſalis & aquæ fiat, & benedictio Domini Noſtri Jeſu Chriſti deſcendat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ pariter in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti.
℟. *Amen.*
Deinde dicuntur Pſalmi qui ſequuntur.
Lætatus ſum in his &c.
Niſi Dominus ædificaverit &c.
Lauda Hieruſalem Dominum, lauda &c.
Deus in adjutorium meum intende &c.
Salvum me fac Deus, quoniam &c.
Domini eſt terra & plenitudo &c.
Afferte Domino filii Dei &c.
Miſerere mei Deus ſecundùm &c.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Deinde recitantur Litaniæ, & additur inter Pontifices nomen Sancti Grati ante Sanctum Nicolaum.

Poſt Pater noſter dicitur. Ut fructus terræ, arbores, ſegetes, vineas, hortos, ſata & prata, & animalia, & alia omnia, quæ hujus aquæ undâ aſperſa fuerint, à bruchis, muribus, talpis, ſerpentibus & aliis immundis ſpiritibus ne lædantur & corrumpantur, conſervare digneris, te rogamus Sancte Pater per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Ut nos famulos tuos de quacumque tribulatione clamantes exaudire & eripere digneris, & aquam iſtam ad effugandos omnes bruchos, mures, talpas, ſerpentes, & alia animalia fructibus terræ nocentia benedicere & ſanctificare digneris, te etiam humiliter rogamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Oremus.

DEus, cui proprium eſt ſemper miſereri & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. *Amen.*

Oremus.

LVI.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in principio tuâ ineffabili potentiâ cuncta ex nihilo creaſti, & ut vitæ homini provideres, terræ marique, ut fructus & animantia, quibus in eſcam uteretur, producerent, imperaſti, præſta, quæſumus, ut fructus & cetera, quæ in ſudore vultus noſtri te cooperante nobis parare contendimus, illæſa permaneant, & per virtutem nominis ſancti tui, aquæ hujus aſperſione, ſint ab omni inimicorum tam viſibilium quàm inviſibilium impugnatione ſecura; quatenus illis corporum noſtrorum imbecillitate ſuſtentatâ, fortiori animo tendamus ad cæleſtia. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. *Amen.*

[a] D. 7. Sept. GRATUS AUGUSTENSIS EP.

In hujus ritûs titulo Sanctus Gratus rectè vocatur *vallis Auguſtæ Epiſcopus*, perperam verò Salutiarum Epiſcopus in Supplemento Martyrologii Gallicani [a], ſic. *Depoſitio Sancti Grati, Eccleſiæ & Urbis Salutiarum Epiſcopi & Patroni, qui ſub Carolo Magno divinis virtutibus clarus effulſit, adminiſtratóque Apoſtolico ſpiritu Officio Paſtorali, ad præmium pro meritorum copia evocatus eſt.* Salutienſis enim Epiſcopatus avulſus fuit à Taurinenſi, nec erectus eſt ante annum Chriſti milleſimum quingenteſimum undecimum, ut ipſius erectionis Bulla teſtatur apud Franciſcum Auguſtinum ab Eccleſia in Chronologica Pedemontanæ Regionis Hiſtoria [b]. Quo Beatus Gratus anno ſuſceperit Epiſcopatum, quóve anno migraverit ex hac vita, probè ſciri non poteſt. Pontificatum videtur adeptus Carolo Magno jam Auguſto, & humanis rebus exemptus Ludovico Pio Imperatore. Colitur ſeptimo Idus Septembris, quo die feliciter obdormivit in Chriſto. Succeſſit in Epiſcopatum Jocundus ejus diſcipulus.

[b] Cap. 9.

LVII. EPISCOPI SILVANECTENSES.

In Annalibus Silvanectenſibus hoc anno ponitur obitus Ermenonis ſive Hermenii Silvanectenſis Epiſcopi, cùm ſediſſet annos ſeptemdecim. Succeſſit in Epiſcopatum Godefridus.

LVIII. DOTATIO AC DEDICATIO ECCLESIÆ IN DIOECESI VIENNENSI.

Ad hunc annum biſextilem, qui Dominicalibus literis C & B præditus fuit, referenda quoque videtur Dedicatio Baſilicæ, quam Lempteus & Agilois conjuges in Diœceſi Viennenſi conſtruxerunt, & Audinus Lugdunenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus dedicavit duodecimo Kalendas Novembris, cùm Metropolitanas Eccleſias adminiſtrabant, Viennenſem Barnardus, Agobardus Lugdunenſem, currebátque per menſem Novembrem litera Dominicalis B. Vir Clariſſimus Antonius *de Vyon d'Heronval* nobiſcum communicavit manuſcriptum Nicolai *Chorier* Delphinatis Hiſtorici Codicem, in quo Charta, quæ numero eſt ſeptima, totum illud negotium ſic exponit. *Divinæ Legis fluentis totum terrarum Orbem rigantibus, notum eſt cunctis fidelibus ab exordio humani generis religioſos quoſque non ſolùm cordis puritate ſed etiam oblatione munerum Deo debitè deſerviſſe, præſertim hoc ipſum Deo per legem ita jubente* [*non apparebis in conſpectu meo vacuus.*] *Ideóque ego in Dei Nomine Lempteus, & uxor*

& uxor mea, nomine Agilois, hæc eâdem mente tractantes, inſpirante, ut credimus, illo qui operatur in ſuis fidelibus & velle & operari pro bona voluntate, vovimus circa domum noſtram conſtruere ad divinum honorem Eccleſiam, & juxta vires de paupertate noſtra ditare, & eodem Domino adjuvante complevimus, hoc eſt, in pago Viennenſi, in villa propria noſtra, quæ dicitur Sentolatus. Verùm ne quis æſtimet nos talia temerè vel præſumptivè patraſſe, noverit, quia priùs, ut dignum erat, ſuppliciter licentiam poſtulavimus & obtinuimus à Reverentiſſimis viris, Barnardo Eccleſiæ Viennenſis & Agobardo Eccleſiæ Lugdunenſis Archiepiſcopis. Teſtis horum epiſtola eſt, quæ ſuper petitione noſtra & eorum permiſſione inter eos cucurrit, quam etiam propter evidentiorem notitiam in fine hujus voluimus [1] *inſerere Teſtamenti, cujus lectione cognoſcatur, quia tantorum virorum permiſſione fundata eſt prædicta Eccleſia* IIII *Kalendarum Maiarum die, &* XII *Kalendarum Decembrium, evocato ſollempniter viro Venerabili Audino Eccleſiæ Lugdunenſis Chorepiſcopo, favente Domino, dedicata ſub nominibus Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Quæ verò eodem loco ad uſum luminarium & Miniſtrorum Dei conceſſimus & tradidimus ſtudio Religionis ac promptiſſimâ voluntate, ſunt hæc. Quicquid præſenti tempore legaliter poſſidemus in villa noſtra quæ dicitur ad Subricas, & in ea quæ vocatur Caleſſianum, in caſis, caſaricis, hortis, vineis, arboribus pomiferis & impomiferis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis, aquarúmque decurſibus, introitum & regreſſum cum omni integritate à die præſenti tradimus ac transfundimus de noſtro jure & dominatione in tuum jus & dominationem, Sacroſancta Eccleſia Dei à nobis religioſo affectu conſtructa in pago Viennenſi in Sentolatis villa propriè noſtra, téque hæredem nobis in his rebus perpetualiter pro Dei amore & Sanctorum Apoſtolorum & remedio animarum noſtrarum inſtituimus, honorem quidem tantummodo loco patrocinii noſtris hæredibus reſervantes, nullam tamen quicquam ex his ſubtrahendi, vendendi vel commutandi licentiam relinquentes, ſed ſub tuo Privilegio te liberam perhenniter permanere deſiderantes, ut Dei Miniſtros ibidem ſervientes, amabiliter pro animabus noſtris orare delectet. Sic itaque ſanâ mente ac ſincero conſilio vovimus, ſic voluimus, ſic jubemus, & non ſolùm hæc inconvulſa omni tempore durare voluimus, verùm etiam de omnibus rebus, quas vel præſenti tempore poſſidemus, vel in futuro adquirere poterimus, per ſingulos annos tam à nobis quàm ab hæredibus noſtris ad eundem ſacrum locum ſollempniter ac fideliter omnem decimationem contradimus offerendam. Hoc etiam ſtatuentes, ut de his rebus, quas noſtris hæredibus relinquimus, ſi aliquis eorum quidpiam alicui donare, vendere, ſeu commutare voluerit, poteſtatem quidem habeat donandi, vendendi, commutandi, nullatenus tamen obtineat licentiam ad alterum locum aliquid de decima transferendi, quam nos jam dicto loco tradimus ob remedium animæ noſtræ; nobis autem, dum vivimus, licentiam reſervamus, ſi neceſſitas exegerit, aut voluntas alicubi Eccleſiam reſtaurandi, vel conſtruendi, ut de ipſis decimis aliter teſtari poſſimus. Locorum autem vocabula, de quibus decimas Sacroſanctæ Eccleſiæ, quam pro Dei amore conſtruximus, volumus ſingulis annis deferri, hæc ſunt; in pago quidem Viennenſi, de eadem ipſa villa Sentolatis, vel Organariis, Dentaciaco, Beſenas, vel Petracurba, Aulagiaco, Caſſanate, Macrocampo, vel Cavallo, cortes ſive Druſtalanicas, caſaricas, Ariaco; in pago autem Gratianopolitano, Buciaco, ſive Roſaria, & Arſilio. Et hoc ipſum non temeritate noſtrâ aut præſumptione, ſed licentiâ vel permiſſione Deo amabilium Reverentiſſimorúmque virorum, Barnardi Viennenſis & Agobardi Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, nos quoque ſanâ mente ſanóque conſilio ſic vovimus, ſic volumus, ſic jubemus. His ceſſionibus verò ſolam ſufficere bonam voluntatem manifeſtum eſt. Nobis autem pœnam quoque inferre placuit. Si igitur, quod abſit, nos ipſi aut hæredes vel propinqui noſtri, aut per nos aut per aliquam oppoſitam ſuffectámve perſonam, quicquam horum convellere ullo unquam tempore vel irrumpere, ſeu alius quiſlibet contradicere vel requirere temptaverit, non valeat evindicare quod repetit, ſed inſuper inferat ſæpedictæ Sacroſanctæ Eccleſiæ vel Miniſtris auri libram unam, oblationíſque noſtræ reum ſe in conſpectu fore cognoſcat;*

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

[1] voluimus

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

& in antea præſens epiſtola ceſſionis, vel Teſtamentum à nobis factum, inviolabilem omni tempore obtineat firmitatem, ſtipulatione & ſponſione pro omni firmitate ſubnixâ. Vos autem, ô Sanctiſſimi & Reverentiſſimi Patres tam præſentes quàm futuri Præſules & Paſtores Eccleſiarum Dei, Viennenſis ac Lugdunenſis, ego Leptena & uxor mea Agilois exigui & humillimi famuli ac devoti veſtræ dignationis filii, petimus totis viſceribus ac precamur, ut pro amore Dei, pro ſollicitudine & cura quam generaliter ſed præcipuè his quibus præſidetis ovibus Chriſti ſanguine redemptis impenditis, pro noſtris quoque precibus, quas apud piam Paternitatem veſtram aliquid valere confidimus, tales Miniſtros omni tempore præfatæ ordinetis Eccleſiæ, quos pura Religio Dei ſervituti incumbere, & mutua dilectio piè pro animabus noſtris divina clementia ſtudiosè quodammodo urgeat ſupplicare, quatinus & vobis, propriè adminiſtratis Chriſti gregibus, æterna vitæ gaudia, & nobis ſervulis veſtris pro hac oblatione, ſicut ſperamus, venia criminum tribuatur ab eo qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

LIX. Hoc eodem anno Cella Sancti Georgii, cujus fundamenta primùm jacta ſunt in villa Walda, maturiore conſilio tranſlata eſt in pagum Baram. Uterque locus in Hercynia ſylva ſitus eſt, & ad Conſtantienſem Diœceſim pertinet. Lege quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſim decimumtertium [a]. Wilhelmus Abbas, cùm primum locum Monaſticæ vitæ minùs idoneum judicaret, *miſit Romam quendam Monachum ſuum vocabulo Rodpertum, ad eum, qui tunc præſidebat Romanæ Eccleſiæ (erat Paſchalis I) nactúſque licentiam hujuſmodi, ubicunque in rem foret, mutationum, tranſtulit ſuprafcriptam Monaſterii diſpoſitionem cum ſupradictis Reliquiis, in pagum nomine Baram, in Comitatu Aſchein, in quendam monticulum Nigræ ſylvæ, qui locus propter ſitum terræ dici poteſt & eſt Vertex Alemaniæ. Quod prædium ab Oriente, communi proprietate Sanctæ Alariæ; ab Occidente verò, fontibus Brichenia * ; à Meridie autem, longi montis crepidine; ac à Septentrione, protenditur uſque ad ipſas proprietates Tranſſylvanorum. Verùm quia hoc idem prædium in Heſſelonis proprietate fuit tantùm dimidium; alterum dimidium à quodam, cujus id proprium fuit nomine Waltario de Tenrigen, permutavit Heſſo, dato pro eo, uno & dimidio bono, & particulâ Manſûs in villa Phoeren. Hoc idem dimidium poſteà in proprietatem dedit Deo & S. Georgio. Anno ergo Incarnationis Domini* DCCCXXIIII. *Indict.* II. X *Kal. Maii, venerunt* * *Heſſo & Eduardus (jam pauperes Chriſti) cum aliquot fratribus in prædictum monticulum arborum denſitate conſitum, & horrore ſylvatico ſqualidum, ubi nondum fuerat vel unum domicilium. Advenerunt quoque circiter* LIIII *fratres, miſſi à Domino Alberto, qui omnes deſtruxerunt arbores, & diſſipaverunt, & plantaverunt, factiſque aliquot caſis, ubi interim repauſarent, ſtatim deinde ligneam condiderunt capellam, & clauſtrum qualecunque ei adjacens. Placuit eis eundem locum cognominare Cellam S. Georgii, eò quòd aliis Sanctis ibi ipſe præhaberetur. Quod ipſum quoque Dominus Abbas fieri juſſit.* Hæc omnia leguntur in Annalibus Suevicis, parte ſecundâ, libro ſecundo, capite ſecundo.

[a] Num. 349. MON. S. GEORGII IN DIOECESI CONSTANTIENSI ERIGITUR.

* Briga.

* venit

LX. In Gallia Chriſtiana commendatur ad hunc annum Frodebertus Abbas Senonenſis, qui Monaſterio Sancti Petri in vico vivo præerat. Clarius illius loci Monachus hunc Abbatem non omiſit ſub Hieremia Senonenſi Archiepiſcopo, de quo ſic in ſuo ſcripſit Chronico Hieremias Archiepiſcopus *valdè familiaris erat Regi* Ludovico. *Ipſe ædificavit Cellam in Aquitania, in loco, qui dicitur Mauriacus, mutans nomen ejus, & vocans Noviacum, in honore Sancti Petri, in proprio fundo ipſius Sancti Petri Senonenſis, quam Theodechildis filia* (meliùs neptis [b]) *Regis Clodovei & Baſolus Comes Arverniæ ob amorem Dei ad ſtipendia Monachorum reliquerant. Per deprecationem Frodberti Abbatis Cœnobii Sancti Petri Senonenſis ipſam Cellam conſtruxit, & quòd homines ipſius pagi terras & prædia Sancti diriperent, & in proprios uſus retinerent. Inſtituit autem & Monachos Regulares de Eccleſia Sancti Petri Senonenſis, qui illic Deo ſervirent, quatenus locus ipſe prædia & terras, quas adhuc poſſidebat, ex toto*

CELLA IN AQUITANIA ERIGITUR IN FUNDO MON. S. PETRI SENONENS.

[b] Vid. Tom. 2. p. 564. nu. 96. & ſeqq.

non perderet, & ut ipſa Cella, Deo auctore, per cuncta tempora ſub cuſtodia Frodberti Abbatis & ejus ſucceſſorum eſſet, & ibi gubernarent villas & Eccleſias quæ conjacent in Aquitania, & Arvernia, in Lemovicenſi pago, ſicut Anteceſſores ſui gubernaverunt. Poſtulavit autem idem Hieremias Archiepiſcopus, & Frodbertus Abbas, Ludovico Auguſto fieri ſibi Privilegium de eadem Cella, & de omnibus appenditiis, quæ adjacent Cœnobio Sancti Petri Senonenſis, quod & impetravit.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Apud Vincentium Barralem in Chronologia Lerinenſi ſub Leotmundo Abbate hæc leguntur. *Anno undecimo Ludovici Imperatoris, Venerabilis Vir Noto Archiepiſcopus Arelatenſis, de conſenſu & voluntate prædicti Domini Imperatoris & totius Cleri civitatis, fecit commutationem cum Illuſtri Viro Leybulpho Comite, de Eccleſiarum rebus, Sanctæ Mariæ, Sancti Stephani, Sancti Geneſii, in pago Arelatenſi, & in Inſula ſuburbana ipſius civitatis, quæ de utriſque partibus circumdatur à Rhodano flumine, tum de duabus Eccleſiis, nempe Sancti Andreæ & Sancti Vincentii, & domibus, campis, pratis, & ferè innumeris aliis rebus & poſſeſſionibus. Et è contrà nobilis Leybulphus tradidit præfato Notoni omnes res ſuas proprias & Eccleſias quas habebat in pago Arelatenſi, in agro Argentea, domos, campos, terras, curtes, & alia penè infinita, quæ nimis longum eſſet recenſere, quæ omnia tanquam utilia Eccleſiæ idem Ludovicus Imperator eodem anno ſuo reſcripto dato tertio Nonas Januarias in Aquiſgrani Palatio laudavit & confirmavit.* Petrus Saxius in Pontificio Arelatenſi [a] permutationem illam non anno undecimo Ludovici Auguſti, ſed *duodecimo, qui annus Chriſti eſt* DCCCXXV, Aquiſgrani approbatam ſcribit. At omnem controverſiam facilè componit, qui notatur in Chronico Lerinenſium Abbatum dies tertius ante Nonas Januarii. Dies enim ille ſecundùm noſtram Chronologiam, quia principium anni à Kalendis Januarii petimus, ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum pertinet, quamvis ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum referendus ſit in eorum opinione, qui annum nec à Natali Domini nec à Kalendis Januarii ſed à Paſchali Solemnitate ordiuntur. Imperii Ludoviciani par eſt ratio, nam dies ille tertius ante Nonas Januarias, quem alii anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, alii anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto adſcribunt, attribui debet anno Ludovici Auguſti undecimo ſi principium Imperii Ludoviciani ab obitu Caroli patris ſumitur, duodecimo ſi Ludovicianum Imperium numeratur à die quo Carolus Magnus Ludovicum filium ſuum in conſortium Imperii vocavit. Fundorum igitur permutatio, de qua ſuprà, inter Notonem Archiepiſcopum Arelatenſem & Leybulphum Comitem facta eſt hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-quarto, & Aquiſgrani à Ludovico Auguſto confirmata eſt tertio Nonas proximi menſis Januarii, qui poſterum annum, reparatæ Salutis octingenteſimum viceſimum-quintum, aperuit.

LXI. PERMUTATIO BONORUM INTER ARCHIEP. ARELATENSEM ET LEYBULPHUM COMITEM.

[a] Num. 62.

In vita Sancti Meinradi ſeu Meginradi, quam Chriſtophorus Hartmannus ex antiquis Codicibus evulgavit, Erlebaldus, qui, Heytone Baſileenſis Epiſcopatûs & Augienſis Monaſterii regimen abdicante, factus eſt Abbas Augienſis anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, ſtatim ac munus Abbatiale ſuſcipit, eidem Meginrado diſcipulo ſuadet, ut Monaſticen amplectatur. Audi Auctorem vitæ. *Erlebaldus in Abbatis officium ſubſtituitur. Qui ſtatim hac poteſtate ſuſceptâ, jam ſæpè dictum virum venerandum Meginradum ſuaſit jugum ſuſcipere, normámque Monaſticæ vitæ ſubire tenendam.* Joannes Bollandus [b] in notis ad illam vitam obſervat Meginradum priùs Monachum quàm Diaconum extitiſſe. *Sublimatus eſt* autem *ad Diaconatûs officium, cùm viceſimum-quintum ætatis annum attingeret*, id eſt, cùm annus Redemptoris octingenteſimus triceſimus numeraretur. Hi nos textus impellunt, ut Meginradum hoc anno, qui poſt ſpontaneam Heytonis Augienſis Abbatis abdicationem proximus fuit, Monachum factum aſſeramus. Meginradus hor-

LXII. MEINRADUS FIT MONACHUS AUGIENSIS.

[b] D. 21. Jan.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

tationibus Erlebaldi faciles aures præbuit, &, ut Auctoris ſuprà laudati verbis utamur, *conſenſit ſalubri conſilio, & Promiſſionem fecit, atque omni intentione ſtuduit promiſſa ſervare.* Lege caput Regulæ Benedictinæ duodeſexageſimum de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum, in quo multa de Novitiorum Promiſſione ac Petitione præſcribuntur.

LXIII. GLANNAFOLIUM MON. INSTAURATUR.

Ad hæc tempora referendum videtur, quod de Glannafolienſis Monaſterii reſtauratione narrat Odo illius loci Abbas in libro de Miraculis & Tranſlationibus Sancti Mauri publicato à Jacobo *du Breül* Monacho Benedictino. Quatuor apponuntur Characteres Chronologici. Pippinus, Ludovici Auguſti filius, Rex eſt Aquitaniæ. Jacob Abbas Cœnobio Cormaricenſi præeſt. Ingelbertus Abbas Foſſatenſe Monaſterium regit. Ebroinus, qui Pictavienſem Epiſcopatum poſtremis annis Ludovici Pii geret, *adhuc flore juventutis egregiè in Clericatûs* pollet *ordine.* Sed omnes hi Characteres vagi ſunt, nec ullus annum determinatè notat. Horum tamen factâ collatione deprehendes illam inſtaurationem Glannafolii nec ſuſceptam eſſe ante annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum, quo Jacob factus eſt Abbas Cormaricenſis, nec rejiciendam eſſe poſt annum Redemptoris octingenteſimum duodequadrageſimum, quo Pippinus Aquitaniæ Rex obiit. Imò ætas Ebroini juvenis tunc Clerici ſuadet opus anno Chriſti circiter octingenteſimo viceſimo-quarto cœptum eſſe, cùm Pictavienſes Infulæ penes Sigibrannum Epiſcopum erant. Vivebat adhuc Sigibrannus anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo, ut liquet ex Chronico Sancti Maxentii. Succeſſit ei Fridebeſtus, qui Præceptum à Pippino Aquitaniæ Rege obtinuit octavo Kalendas Decembris, anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-quarto, ut Tomo ſequenti ad illum annum probabimus. Fridebeſto ſubrogatus eſt Ebroïnus ſuperſtite adhuc in vivis Ludovico Auguſto, ut ex Aſtronomo conſtat in ejuſdem Ludovici vita. Hæc ad Chronologiam. Rei verò geſtæ compendiariam narrationem ex ſcriptis ipſius Odonis [a] accipe.

[a] Capp. 1. 2. 3.

LXIV.

Glannafolium, ſeu Sancti Mauri Monaſterium ad Ligerim, regnante Pippino Caroli Magni patre deſtructum fuit à Gaidulfo, qui poſteà percuſſus à Sancto Mauro viſceribus effuſis miſerè periit. Inſtauratum eſt à Rorigone Comite temporibus Ludovici Pii. Erat Rorigoni uxor nomine Bilechildis. Ambo, cùm nuntium ſeculo remittere ſtatuiſſent, *orationis gratiâ* Glannafolium adierunt ubi beatus Maurus quieſcebat. Viſo loco Cœnobium reparare decreverunt. Eâ mente continuò Turonis ad ſe vocarunt Lambertum è Monaſterio Sam-Martiniano, necnon & aliunde Ebbonem virum ſtrenuum *affinitate conſanguinitatis* ſibi propinquum adſciverunt, quorum *conſiliis & exhortationibus in ipſo ſuo ſancto deſiderio ardentiores effecti, mox ſummo ſtudio in fabrica Monaſterii laborare aggreſſi ſunt, convenienter coram eis, quos evocaverant, jactis fundamentis. Sed aliquandiu ædificatione tanti operis aſſiduè occupati cùm fuiſſent, quorumdam impedimentorum interceptu præpediti, Brennouven ampliſſimum poſſeſſionis ſuæ ceſpitem petunt. Ubi dum prolixiori tempore moras innecterent, & cœptum ab eis opus, eorum abſentiâ neglectum, non aſſurgeret, cuidam reverentiſſimæ vitæ Abbati, Jacob nomine, Cœnobii Cormericenſis, cùm poſt Matutinale Officium ſanctarum inſtantiâ precum Divinitatis more ſibi ſolito pulſaret aures, quidam candidiſſimum Monachi præferens habitum, cujus facies roſeo micabat aſpectu, canities verò inſtar lactis candebat, aſtans* præcepit, ut Rorigonem Comitem in Britannia degentem perquireret, eique ſignificaret inſiſtendum eſſe operibus quæ dimiſerat, ſi *Divinitatem* ſibi *placabilem & adjutricem fore* concupiſcebat. Jacob primam alteramque monitionem neglexit, paruit tertiæ, cui graves acceſſerunt percuſſiones timórque mortis intentatæ. Perrexit igitur in Britanniam, & quæ ſibi fuerant præſcripta, Rorigoni & Bilechildi per ordinem enarravit, *oſtenſis* etiam *divinorum ulceribus flagellorum.* Manſit apud eos *diebus quindecim,* deinde ſuum reverſus eſt ad Monaſterium. Illi verò profecti ſunt in *pagum Andegavum,* rur-

Digitized by Google

súmque *Lambertum & Ebbonem directis nunciis convocantes, quæ erga ſe geſta vel ſibi oſtenſa fuerant retulerunt.* Hi vehementer hortati ſunt eos, *ut ceteris poſtpoſitis, quod ſalubriter quidem cœperant, ſed negligentiùs omiſerant, ſecundùm divinum ad ſe perlatum reſponſum, perficere quantocyùs poſſent, ſtudioſiſſimè elaborarent. Qui eorum obſecundantes conſiliis Ingelbertum ſanctiſſimæ vitæ virum Abbatem Foſſatenſis Cœnobii, ut ſibi cooperator efficeretur, vix infatigabilibus emeruerunt obtinere precibus. Tandem ergo devictus votis eorum & familiaritatibus, aſſumptis perfectioribus quibuſque Congregationis ſuæ fratribus, perrexit ad locum. Ex quibus duo ſpecialiter tam in divinis contemplationibus quàm in cunctis ſanctæ Regulæ* ſeu Benedictinæ *obſervationibus velut quadam duo magna luminaria emicuerunt, Gaubertus ſcilicet frater ipſius Comitis Rorigonis, atque Wilermus.* Relicto apud Glannafolium copioſo Fratrum numero, Ingelbertus Abbas ad Foſſatenſe Monaſterium reversus eſt. At Rorigo, *ne per ſuccedentia tempora locus ipſe*, quem reparandum ſuſceperat, *habitatorum fortaſſè negligentiâ, à rectitudine regularis tramitis exorbitaret, Præceptum Imperialis Edicti à Sereniſſimo Imperatore Ludovico ex ſacro promeruit ſcripto, quatenus Rectores* ſive Abbates *Foſſatenſis Monaſterii ſemper providentiam de eodem loco habentes, inſtantiam ſollicitudinis ſuæ tam loco quàm Congregationi vigilanti curâ in omnibus adhiberent, tales videlicet ſuæ Congregationis eis Magiſtros & Præpoſitos ordinando fratres, quorum nutu & regimine cuncta illic perficienda & interiùs & exteriùs ſtudiosè diſponerentur.* Poſteà *factum eſt, ut conſilio & hortatu Illuſtris Viri Rorigonis, Ebroinus tunc adhuc flore juventutis egregiè in Clericatûs pollens ordine locum hunc ſolemni Donatione Pippini Glorioſi Regis percipere mereretur ob id ſcilicet, ne in alienas decidens manus, regularis, ut dudum, de eo eliminaretur Religio. Nam & locum tam ſuæ tumulationis quàm conjugis & filiorum ceterorúmque propinquorum idem Nobiliſſimus Comes* Rorigo *illic decreverat eligendum, ubi etiam ipſe Dei diſpoſitione & ſuâ quieſcit conditus electione. Affinitate enim carnalis generoſitatis ipſe Ebroinus ei propinquus erat.* Cetera, quæ ſubſecuta ſunt, in Tomum ſequentem rejiciemus.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

LXV.

Cœnobium Glannenſe, quod Aſtronomus in vita Ludovici Pii Monaſterium Sancti Florentii vocat, in eadem ſitum eſt Andegavenſi Diœceſi. Præceptum obtinuit à Ludovico Pio, quod *pridie Kal. Julias, in Compendio Palatio*, anno ejuſdem Ludovici Auguſti undecimo datum legitur [a], & à nobis ſuprà [b] laudatum eſt, expunctâ priùs Indictione duodecimâ, cujus loco ſecundam repoſuimus. Toto tempore, quo Ludovicus Imperiale Nomen geſſit, bis duntaxat Indictio duodecima pridie Kalendas Julii coincidit, ſemel anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, iterum anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-quarto. Compendienſis autem Conventus illis annis illigari nequit. Anno enim Redemptoris octingenteſimo decimo-nono *Conventus*, ut Annaliſta Laureshamenſis teſtatur, *menſe Julio* procul à Compendio *apud Ingelheim Palatium habitus* eſt, annóque Redemptoris octingenteſimo triceſimo-quarto Ludovicus, ut Aſtronomus in ejus vita ſcribit, à Compendio per menſes Junium ac Julium procul abfuit; *peregit* apud Aquiſgranum *Paſchæ Solemnitatem, poſt cujus celebritatem per Arduennam ſylvam venatione ſe exercuit, & poſt Sanctæ Penteceſtes feſtivitatem in partes Romerici montis, venationi atque piſcationi operam dedit;* poſteà *Lingonum civitatem* advenit, atque inde contra Lotharium profectus eſt *ad fluvium Ligerim prope Caſtrum Bleſenſe, quo Cizа fluvius Ligeri confluit.* At hoc anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-quarto, quocum annus undecimus Ludovici Auguſti convenit, exeunte Junio, Conventus *circiter* VIII *Cal. Julii Compendii* celebratus eſt, ut Annaliſta Laureshamenſis jam citatus aſſerit. Ea nos ratio permovit, ut annum undecimum Ludovici Auguſti ſervaremus, Indictione ſecundâ, quæ per illud tempus currebat, loco duodecimæ ſubſtitutâ. Pari modo, cùm Diploma pro Monaſterio Sancti Michaelis datum eſſe legimus apud Compendium anno Ludovici Auguſti undecimo, nobis

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt. in Flotberto Abb. 5. S. Florentii.
[b] Hoc an. n. 10.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

idem obversatur annus Redemptoris octingentesimus vicesimus-quartus, licèt Wasburgius [a], qui mentionem illius Præcepti facit, annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum reponat. Certè Ludovicus Imperator illo anno Compendium non adiit; hyemem egit Aquisgrani; Natalem Domini & Paschale festum ibi celebravit; *arridente verno tempore venandi gratiâ Noviomagum* profectus est; Aquisgranum reversus, Conventum illic habuit mense Maio; *dimisso Conventu, in Vosegum ad Rumerici montem venandi gratiâ* se contulit; *peractâ venatione Aquasgrani rediens, generalem populi sui Conventum more solenni mense Augusto habuit; completis omnibus negotiis, quæ ad illius Conventûs rationem pertinere videbantur, Noviomagum secessit; Autumnali venatione completâ, circâ hyemis initium Aquasgrani reversus est.* Lege Annalistam Laureshamensem [b]. Hæ mansiones à Compendio longè distant. Ceterùm Wasburgius observat in Diplomate, de quo loquimur, primam fieri mentionem Hilduini Abbatis, qui Smaragdo nuperrimè mortuo successerat.

[a] Lib. 2. in Ep. Virodun. 17.

[b] Ad an. 815.

SMARAGDUS ABB. S. MICHAELIS AD MOSAM,

Hunc non semel memoravimus Smaragdum, quem prædicti Monasterii Chronographus Tomo secundo veterum Analectorum à Joanne Mabillonio publicatus ita commendat. *Smaragdus re verâ præsagio se sui nominis conformans, inter celebres sui temporis viros, ut pretiosa gemma, meritis & famâ resplenduit, de cujus laudibus & gloria nos aliud garrire superfluum est, cùm eas nobis tacentibus libri, quos edidit, sufficienter eloquantur, in quibus luce clariùs apparet, quàm perspicaci ingenio in divina & seculari claruerit, præcipuéque liber ille, quem Diadema Monachorum intitulavit, Religiositatem Sanctitatemque ejus evidentissimè declaret. Non enim tam lucidam de virtutibus doctrinam dare posset, nisi ipsarum in sese naturam exercitiorum experientiâ persensisset. Linguis ergo tacentibus, miraculis cessantibus, ex suo doctrinæ speculo satis evidens ejus Sanctitatis forma relucet. Neque enim credendus est aliter vixisse quàm docuit. Hic igitur, ut vir prudentiæ, vir discretionis, considerans prædicti montis habitationem, humanis necessitatibus minùs congruentem, propter aquæ scilicet ac ceterarum rerum necessariarum laboriosam ad ardua devectionem, haud procul à prædicto monte, uno videlicet miliario Germanico, juxta ripam Mosæ, Monasterium instituit, relinquens in superiora quot sibi de fratribus visum fuit, qui Deo & beato Michaeli Archangelo quotidianum divini cultûs officium celebrarent. Non enim videtur nobis vir prudens contra Archangeli voluntatem egisse, qui priorem sibi locum in monte delegit, quia Angelica puritas, etsi alta venerationi suæ loca eligere soleat, ac se à terrena conversatione remotam significet, non tamen indignatur mortalibus, si competentia loca suæ conditioni requirant, dummodo Angelica suffragia in altis sibi exspectanda cognoscant. Huic * Smaragdo Ludovicus Pius auctoritatis suæ Præceptum contulit de prædicti loci libertate; contulit & aliud de libertate carrorum & summariorum & patellarum in Vico & Marsallo, & navium; contulit & aliud, ut nonas & decimas ei persolvant, qui beneficia de eo tenent; contulit & aliud, ut liberam potestatem habeant Fratres de seipsis Abbatem eligendi secundùm Regulam. Hic venerandus vir viam patrum feliciter ingrediens, in superiore Monasterio se sepeliri præcepit, omniúmque deinceps Fratrum sepulturam inibi haberi sub anathematis, ut fama est, interminatione mandavit, quod & hactenus inconcussum servari videmus.*

* Edit. hinc OBTINET AB IMPP. VARIA PRÆCEPTA.

LXVI. Ex Diplomatibus proximè memoratis, tria Tomo quoque secundo veterum Analectorum edita sunt à Joanne Mabillonio. Unum, quod est de libertate sive immunitate Monasterii, Præceptionem Caroli Magni in eadem versatam materia confirmat, hisque munitur Chronologicis Characteribus. *Datum* IV *Nonas Junii, Christo propitio, anno* III *Imperii Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris Indictione nona. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine.* Id est, quarto Nonas Junias anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, tunc enim nona currebat Indictio, annúsque tertius Imperii Ludoviciani numerabatur. Alterum Præceptum, quod inscribitur *de libertate carrorum & sagmariorum*, emissum est eodem anno Redemptoris

octingenteſimo decimo-ſexto, quarto Nonas Septembris, Indictione decimâ pridie inchoatâ, tertióque anno Imperii Ludoviciani nondum finito. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicariis, & Centenariis, Telonearíis, Actionariis notum ſit, quia conceſſimus Monachis in Monaſterio, quod eſt ſitum in loco, qui dicitur Caſtellionis, quod nuncupatur Marſupium, quod eſt conſtructum in honore Sancti Michaelis Archangeli & Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, vel Sancti Petri Principis Apoſtolorum, degentibus, ubi etiam Vir Venerabilis Smaragdus Abba præeſt, ut de carris & ſagmariis neceſſaria ipſius Monaſterii vel Congregationis ibidem Deo famulantibus deferentibus, nullum teloneum, aut alias quaſlibet exactiones requirere aut exactare præſumeret. Item neque de patellis, quæ ſunt in Marſallo & in ſubteriori Vico, aliquod tributum de hoc, quod ad opus neceſſitatémque defertur, exigere præſumerent, ſed in noſtra eleemoſyna conceſſum atque indultum habeant. Unde jubemus atque præcipimus, ut nullus quiſlibet de carris aut ſagmariis prædictorum Monachorum neceſſaria deferentibus, undecumque fiſcus teloneum, aut tranaticum, aut portaticum, aut pulveraticum, aut ullum occurſum, vel ullum cenſum, aut ullam redhibitionem accipere audeat, ſed licitum ſit eis abſque alicujus illicita contrarietate, per hanc noſtram auctoritatem, homines eorum cum carris & ſagmariis illorum cum his quæ deferunt, liberè atque ſecurè, ubicumque properant, ire & redire. Et, ſi aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorſus, ut dictum eſt, exigatur. Data* IV *Nonas Septembris, anno tertio Imperii Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* X. Hoc Ludovici Præceptum ut & aliud, cujus Characteres Chronologicos proximè deſcripſimus, datum dicitur *Aquiſgrani*, ſed Aquiſgrani loco reponendos arbitramur Remos, quia Ludovicus quarto Nonas Septembris, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto Remis degebat, ibíque Stephani Pontificis adventum præſtolabatur, ut ad illum annum ſatis accuratè probavimus. Eſt & nonnihil difficultatis in poſteriore Præcepto, quia nihil habet *de libertate navium*, quam præcitatus Anonymus in ſuo Chronico non omiſit. Ludovicus aliâ Chartâ libertatem navium procul dubiò conceſſit, Chronographus autem utriuſque Præcepti Privilegia ſub uno ſimul Diplomate complexus eſt. Quod ad Abbatis electionem attinet, illius libertatem Ludovicus & Lotharius Auguſti ſuo ſic Præcepto concedunt. *In Nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus & Lotharius divinâ ordinatione ac providentiâ Imperatores Auguſti. Si erga loca*, &c. *Conceſſimus non ſolùm veteri Monaſterio, quod dicitur Caſtellio, ſed potiùs novo, quod Domino opitulante noſtro tempore à fundamentis ædificatum eſt, nuncupante Marſupium, quod eſt ſitum in pago Virdunenſi ſuper fluvium Moſa vel rivulum Marſupium, conſtructum in honore Sancti Michaelis Archangeli, ubi præſenti tempore, auctore Deo, Abbas Smaragdus præeſt, & Monachi ibidem per tempora degentibus, ut quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipſi Monachi inter ſe invenire potuerint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem & conſenſum licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus*, &c. Editum eſt hoc Præceptum abſque notis Chronologicis, eodem circiter tempore, quo priora, datum videtur, cùm Lotharius à patre jam dictus eſſet Imperator, nec adhuc apud Attiniacum habitus eſſet Conventus, in quo Ludovicus *Monachorum cauſam* diſpoſuit, & *ex ſeipſis ſibi eligendi Abbates licentiam* dedit, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum obſervavimus.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

LXVII. Tomo ſecundo veterum Analectorum deſideratur Præceptum de nonis & decimis, cujus meminit Chronographus. Exhibentur autem alia duo, quorum nulla fit apud eundem Chronographum mentio. Unum eſt *de quadam commutatione à Smaragdo Abbate facta*, alterum *de dono & libertate Cellæ de Sallona*. In primo Ludovicus ita loquitur. *Vir Venerabilis Hildoinus Abbas*

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

innotuit Serenitati noſtræ, eò quòd Smaragdus Religioſus Abba ex Monaſterio Sancti Michaelis, quod eſt conſtructum in pago Virdunenſi ſuper fluvium Marſupii, ubi ipſe ingreditur in fluvium Moſam; necnon & quidam homines his nominibus, Adalhardus, Rodaldus, & Aldarnus, de quibuſdam rebus pro communi utilitate & compendio nuperrimè inter ſe commutationem feciſſent. Dedit igitur prædictus Smaragdus Abbas ex ratione Monaſterii ſui prædictis hominibus ad eorum proprium ad habendum in pago Barrenſe, in fine vel villa quæ vocatur Lauziacus, manſum unum cum terminis & laterationibus ſuis, & econtrà in compenſatione hujus rei dederunt memorati homines Abbati ad partem jam dicti Monaſterii ſui ex eorum proprio in pago Virdunenſi, in fine vel villa quæ vocatur Godinovilla, pratum unum. Unde & duas commutationes pari tenore conſcriptas, manibúſque bonorum hominum roboratas, ſe præ manibus habere profeſſus eſt, ſed pro integra firmitate petiit Celſitudini noſtræ, ut ipſas commutationes denuò per noſtrum manſuetudinis Præceptum pleniùs confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare voluimus, ſed ſicut unicuique fidelium noſtrorum juſtè petentium, ita nos illis confirmaſſe, atque in omnibus conceſſiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, ut, &c. Hoc Diploma Chronologicis Characteribus deſtituitur. Cave, ne qui laudatur in eodem Præcepto *Hildoinus Abbas*, is tibi videatur proximus Smaragdi ſucceſſor. Duos diſtingue Hildoinos ſive Hilduinos, unum Archicapellanum multorúmque Monaſteriorum Abbatem, quem Ludovicus in ſuo Diplomate nominavit, alterum Abbatem in Virodunenſi territorio, qui Monaſterio Sancti Michaelis poſt Smaragdum præfuit. In Præcepto, quod inſcribitur *de dono & libertate Cellæ de Sallona*, Ludovicus Auguſtus hæc habet. *Nos devotionem noſtram ſpecialem habentes ad Monaſterium almi Michaelis Glorioſiſſimi Archangeli, quod eſt ſitum in Imperio noſtro ſuper fluvium Moſæ, ubi fluvius Marſupii intrat in Moſam, prout avus noſter Pipinus & genitor noſter Carolus Magnus habuerunt, qui illud Monaſterium cum Duce Wolfando fundaverunt, eidem Monaſterio donamus Cellam de Sallone cum villa, quæ dicitur Lertiauz, villam quæ dicitur Fezonis-curtis, villam Pligeſindis, villam Abonis-curtis, villam de Romans, mediam partem Almeri-curtis, ſeptam manſos in Malodicurte, villam quæ dicitur Moricurtis, villam Curcellæ, cum omnibus dictarum villarum appendiciis, ſervis, ancillis, bannis, finagiis, aquis ſalſatis & non ſalſatis, aquarumve decurſibus, cum nemoribus, pratis, terris cultis & incultis, quam quidem Cellam Sallonæ dictus genitor noſter Carolus Magnus fundaverat in honore Sanctorum Dionyſii & Privati. Volumuſque & præcipiendo jubemus, ut nullus Princeps nullus Judex, vel quiſlibet ex Judiciaria poteſtate, in rebus prædictis præſumat attentare ultra voluntatem Monachorum prædicti Monaſterii Sancti Michaelis.* Hujus Præcepti Characteres hi Chronologici valdè ſunt depravati. *Data octavo Kalendas Julii, Indictione decimâ, octavo Regni Domini Ludovici imperantis in Francia, & Imperii ejus anno ſecundo. Actum Compendio Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.* Dies octavus ante Kalendas Julii per annum ſecundum Imperii Ludoviciani cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto convenit, ſed eidem anno per menſem Junium illigantur octava Indictio & annus decimus Regni Ludoviciani, ſi principium iſtius Regni petas ab anno Redemptoris octingenteſimo ſexto, ſub cujus initium Carolus Magnus filiis ſuis, Carolo, Pippino, & Ludovico, Regnum ſuum diviſit. Quapropter Indictionis ac Regni numeros ita permutatos eſſe ſuſpicamur, ut qui Regno conveniebat, is Indictioni ſit attributus, & vice versâ ſit is appoſitus Regno, qui pertinebat ad Indictionem. Sic igitur reſtituenda videretur ſubſcriptio. *Data octavo Kalendas Julii, Indictione octava, decimo Regni Domini Ludovici imperantis in Francia, & Imperii ejus anno ſecundo.* Sed, ut nihil diſſimulemus, hæc emendatio cum Palatio Compendienſi, ubi Diploma datum dicitur, non benè conſentit, toto enim anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto Ludovicus à Compendio procul abfuit. Quòd ſi Præceptum, de quo diſputamus, emiſſum apud Compendium

pendium pertinaciùs contendis, haud inficiamur hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto Ludovicum octavo Kalendas Julias in Palatio Compendienſi degere, ſed iſto die nec decima currit Indictio, nec Ludovicus annum vel octavum Regni vel ſecundum Imperii ſui numerat; addequod non benè conſtat, an Smaragdus Abbas ad hunc annum pervenerit. AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

In Chronico jam laudato Hildoinus proximus Smaragdi ſucceſſor ita commendatur, *Smaragdus Abbas, Hildoinus Abbas.* Illam ſeriem Abbatum non impugnamus. At cùm iiſdem temporibus duo floruerint Hilduini, iſque qui fuit Archicapellanus Palatii, nominatus in nonnullis inveniatur Diplomatibus, quæ ſpectant ad Monaſterium Sancti Michaelis, jure quis dubitabit, utrùm Præcepta, quæ Waſburgius à ſe viſa teſtatur, illo de Archicapellano, an de altero Hilduino prædicti Cœnobii Abbate ſint intelligenda. Quandiu deliteſcent hæ Chartæ, nihil certi pronuntiare nobis licebit ſuper anno quo Smaragdus ex hac vita migravit. LXVIII.

Scripſit hic Abbas opera non pauca. Tria memorat Honorius Auguſtodunenſis Preſbyter libro quarto de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Smaragdus, Abbas Monaſterii Sancti Michaelis, Lectiones & Evangelia in divinis Officiis legenda per circulum anni expoſuit, & librum Monaſtica profeſſionis congruum compoſuit, quem Diadema Monachorum vocavit, & Grammaticam majorem, Donatum exponendo, explicuit.* Ad hunc autem Honorii locum ſic Aubertus Miræus. *Smaragdus Abbas Monaſterii S. Michaelis in Saxonia, Ordinis Benedictini, ſcripſit inter alia Diadema Monachorum, Antuerpiæ anno 1540 typis editum; Commentarium in Regulam S. Benedicti, Coloniæ 1575; Collectiones in Epiſtolas & Evangelia totius anni, Argentorati 1536 in fol. excuſas. Claruit anno nongenteſimo octogeſimo.* Miræus Commentarios in Regulam Sancti Benedicti, quos Rabano nonnulli tribuerunt, fœtum Smaragdi rectè cenſet, ſed hunc Smaragdum, qui Monaſterio Sancti Michaelis ad Moſam præfuit, perperam confundit cum altero Smaragdo, qui multò ſeriùs in Saxonia Monaſterium Sancti Michaelis rexit. Cavendum quoque, ne Smaragdus ad Moſam Abbas idem credatur ac Ardo cognomento Smaragdus apud Anianum in Septimania Monachus, de quo non ſemel jam locuti ſumus. Ut duos Abbates Smaragdos ab invicem, ſic & Ardonem cognomento Smaragdum Anianenſem Monachum à Smaragdo Abbate Saxonico ætas ſatis diſtinguit, nequaquam autem eundem Monachum à Smaragdo ad Moſam Abbate, quem quatuor operum ſuprà memoratorum Auctorem agnoſcimus. Hic præterea librum exaravit, cui titulus *Via Regia*; retulit etiam in literas Collationem habitam Romæ de proceſſione Spiritûs Sancti, varias quoque ſcripſit epiſtolas, quarum nonullæ ſuperſunt. Quibus temporibus ſingula perfecerit opera, manet inquirendum. LXIX. MULTA SCRIBIT OPUSCULA.

In controverſiam vocatur, an Abbas eſſet, quando Diadema Monachorum ex Patrum ſententiis contexuit. Abbatem hæc negant in fine Thuanei Codicis à Mabillonio laudati. *Hunc modicum libellum Smaragdus de diverſis virtutibus collegit, Joſeph Abbate, & ei nomen Diadema Monachorum impoſuit, quia ſicut Diadema gemmis, ita hic liber fulget virtutibus.* Abbatem verò ſignificant iſta ſub finem Præfationis. *Quia mos eſt Monachorum, ut Regulam Sancti Benedicti ad Capitulum legant poſt Matutinum, volumus ut iſte libellus ad eorum Capitulum quotidie legatur poſt Veſpertinum.* Quis enim eum, ſi tunc Abbas non fuiſſet, demiſſius locuturum non cenſeat? Poſteriorem amplectimur opinionem, nec arbitramur Smaragdo proximè citato prævalere ſcriptum incertæ manûs ac dubiæ fidei, maximè cùm inter Abbates, qui Monaſterium Sancti Michaelis ad Moſam gubernarunt, ætate Caroli Magni ac Ludovici Pii nullus occurrat, cui nomen ſit Joſeph. Hoc opus centum conſtat capitibus. In prima pagina editionis Antuerpienſis, Diadema non Monachorum modò ſed etiam Eccleſiaſticorum ſeu Clericorum ſic dicitur. *Sma-* LXX.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI. R. 10. LUDOV. R. 8.

ragdi Abbatis, viri ſanctimoniâ & eruditione clariſſimi, de Eccleſiaſticorum & potiſſimùm Monachorum virtutibus opuſculum, tam pium quàm eruditum: ab authore ob hoc Diadema Eccleſiaſticorum ſeu Monachorum inſcriptum, quia ut Diademate Reges, ita & harum virtutum ornamentis inſigniuntur Eccleſiaſtici. Deinde hic operis Prologo titulus præfigitur. *Prologus Smaragdi Abbatis in ſuum Diadema Eccleſiaſticorum ſeu Monachorum.* Talium titulorum non Auctor Smaragdus, ſed ii qui curarunt illius editionem. Quamvis enim multæ ſint virtutes, quibus ut Monachos ſic & Clericos deceat inſigniri, ſolis tamen Monachis ſcripſit Smaragdus, idque Lector facilè deprehendet cùm ex totius lucubrationis contextu, tum ex ipſomet Prologo qui ſic habet. *Hunc modicum operis noſtri libellum de multorum dictis Orthodoxorum, opitulante Chriſto, collegimus Patrum, & per eorum diſcurrentes florentia prata, benè olentes veluti ad manum collegimus floſculos, atque benedictionibus Domini pleno ea, quæ neceſſaria Monachis eſſe perſpeximus, collegimus agro, in hoc parvo ſtuduimus congregare libello. Ea videlicet quæ perfectorum Monachorum corda demulceant, & ad deſiderium patriæ cæleſtis avidiùs ſublimiúſque erigant, infirmorum quoque Monachorum cerda confirment & recreent, & ad Regularem emendationem perducant. Et quia ſcriptum eſt in Regula Divi Benedicti* [*mox ut ſurrexerint fratres à cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus vel Collationes vel Vitas Patrum, aut certè aliquid quod adificet audientes*] *ideo nos ex Collationibus Patrum, & de converſationibus & inſtitutionibus eorum modicùm, & ex diverſis Doctoribus in hoc libello congeſſimus plurimùm, & ſic eum in centum capitulis conſummavimus totum. Et quia mos eſt Monachorum, ut Regulam Beati Benedicti ad Capitulum legant quotidie poſt Matutinum, volumus ut iſte libellus ad eorum Capitulum quotidie legatur poſt Veſpertinum. Et quia in eadem Beati Benedicti legimus Regula, ut quicquid inchoamus bonum, à Deo illud perfici inſtantiſſimâ depoſcamus oratione, propterea in hoc libello de orationis officio capitulum ponimus primum.*

LXXI. Tomo quinto Spicilegii Dacheriani prodiit in lucem *Via Regia* Smaragdi, capitibus diſtincta duobus ac triginta. Priùs edita procul dubio, quàm Diadema Monachorum; inſcribitur enim Ludovico Regi, nec ullam Dignitatis Imperatoriæ mentionem facit. Inde meritò concludes illam ſcriptam fuiſſe Carolo nondum Imperatore. Lucas Dacherius ad oram Elenchi, quo lucubrationes in Tomo prædicto contentas enumeravit, poſuit *an. Ch. circiter* DCCXC. Capite primo Smaragdus Ludovicum ſic alloquitur. *Dominus, ô mitiſſime Rex, creavit te, & vivificavit, nutrivit & cuſtodivit, & ad lavacrum regenerationis perduxit, renovavit, gubernavit, & ad intelligibilem perduxit ætatem, & dum adhuc parvulus eſſes, Regali te Sede ſublimiter evexit.* Ludovicus lucis uſuram accepit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-octavo; Rex anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-primo conſtitutus eſt à Carolo patre; annóque Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo annum ætatis ſuæ partim duodecimum, partim decimum-tertium illigavit. Sanè paulò grandior videtur fuiſſe, cùm tot ſalutaria præcepta, quibus propediem uſurus eſſet, accepit à Smaragdo. Nonnulli Carolo nondum Imperatori librum, de quo loquimur, inſcriptum ſuſpicantur. At præcitatum textum ætatémque Caroli Magni non ſatis advertunt. Carolus natus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, nec ante annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeſeptuageſimum, quo Pippinus pater obiit, Rex dici cœpit, cùm annum ætatis ſuæ viceſimum-ſecundum attigiſſet uxore jam ductâ. Gradum igitur Regiæ Dignitatis non aſcendit, cùm *adhuc* eſſet *parvulus*. Lucas Holſtenius, in literis ad Lucam Dacherium, cùm illi Viam Regiam ex Codice manuſcripto Sereniſſimæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ deſcriptam Româ Pariſios tranſmitteret, aſſeruit Diadema Monachorum & Viam Regiam unius ejuſdémque Scriptoris fœtum eſſe. *Neque enim*, inquit, *dubitari poteſt, quin utrumque unius ejuſdémque Auctoris opus ſit, cùm multa ex uno in alterum ad verbum tranſcripta legantur, ut videre eſt in Diademate*

Digitized by Google

Monachorum, quod eâdem capitum ſerie prætexitur, & iiſdem, ut dixi, verbis, utrique tamen vitæ generi diversâ ratione accommodatis: conferas tantùm capita, 6. 7. 8. & 9. & res ad oculum patebit. Deinde Mabillonius in Adnotationibus ad Analecta [a] obſervat *eadem ferè verba* eſſe *in capitulis 7 & 17 Regiæ Viæ, quæ in capitulis 10 & 12 Diadematis.* Multò plura reperies ſimilia, ſi collationem ſingulorum capitum accuratè feceris. AN. CH. 824. [a] Tom. 2. pag. 419.

Smaragdus *Lectiones & Evangelia in divinis Officiis legenda per circuitum anni expoſuit*, eodem circiter, ut exiſtimamus, tempore, quo Paulus Diaconus in eadem materia verſatus eſt juſſu Caroli necdum Imperatoris, ut ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſeptimum [b] Tomo ſuperiore probavimus. LXXII. [b] Nn. 38. & ſeqq.

Epiſtola Caroli Magni Imperatoris ad Leonem III Papam Urbis Romæ directa, à Zmaragdo Abbate Sancti Michaelis in Diœceſi Virdunenſi edita de proceſſione Spiritûs Sancti, non omiſſa fuit à nobis ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum [c], quo ſcripta eſt. LXXIII. [c] Num. 11.

Idem Smaragdus anno Redemptoris octingenteſimo decimo, cùm Romæ præſens intereſſet, collegit Acta Collationis, quæ tunc habita eſt de proceſſione Spiritûs Sancti, nec hoc opus ad illum annum ſilentio prætervimus [d]. LXXIV. [d] Ad an. 810. nn. 2. & ſeqq.

Commentarius in Donatum, ut Joannes Mabillonius aſſerit, in exemplari Corbeienſi, numero 524 ſic inſcribitur. *In Chriſti Nomine incipit Grammatici Smaragdi Abbatis mirificè* * *Tractatus.* Et in alio, numero 525, ſic. *Incipit Tractatus in partibus Donati, cujuſdam Presbyteri Zmaragdi.* Cœptum videtur hoc opus, cùm Smaragdus Preſbyter Grammaticam in Schola ſui Monaſterii ſeu Sancti Michaelis ad Moſam docebat, perpolitum verò ſuiſque pòſt numeris abſolutum, cùm idem Smaragdus ibidem Abbatiali munere jam fungebatur. Diverſa certè tempora diſtinguit, qui ſic editus eſt operis Prologus. *Cùm ſecundùm intellectûs mei capacitatem Grammaticam Fratribus traderem, cœperunt aliqui audita libenter accipere, & de tabellis in membranulis tranſmutare, ut quod libenter auribus hauſerant, frequentatâ lectione fortiùs retinerent. Unde occaſione acceptâ cœperunt me ſuaſorio ſermone compellere, ut expoſitionis noſtræ ita protelarem ſermonem, ut cum auctoritatibus Scripturarum octo partes exponendo concluderem, & in libelli perfectione finirem. Quibus tandem frequenter cogentibus conſentivi, & opitulante Chriſto uſque ad finem partium expoſitionis noſtræ ſermonem perduxi. Quem libellum non Maronis, aut Ciceronis, vel etiam aliorum paganorum auctoritate fulcivi, ſed divinarum Scripturarum ſententiis adornavi, ut Lectorem meum jocundo pariter artium & jocundo Scripturarum poculo propinarem, ut Grammaticæ artis ingenium & Scripturarum divinarum pariter valeat comprehendere ſenſum, & hoc quare fecerim, Lector, audi. Sunt etenim aliqui naturali ſimplicitate prædiți, & alii ſub prætextu Sanctitatis occulti, & alii tarditatis ignaviâ preſſi, qui aiunt, quoniam in Grammatica arte Deus non legitur nec nominatur, ſed paganorum tantùm & nomina reſonant & exempla, & ideo à nobis meritò calcata dimittitur & neglecta, neſcientes quia aliud eſt de arte tractare, & aliud de Deo loqui. Nos autem intelligentes, quia populus Iſrael egrediens de Ægypto vaſa aurea & argentea ſecum detulit, Ægyptum ſcilicet exſpolians ſe veſtivit; & quod à paganorum abſtulit ritu, Domino obtulit in obſequio. Quod nos ejus ope fulciti, non figuraliter aut umbraticè, ut illi, ſed ſpiritaliter & veraciter implentes, à paganis benè diſpoſitum artis Grammaticæ diſcimus ingenium, & libenter illud in Domini offerimus ſacrificio.* Hoc opus in quatuordecim diſtinguitur libros. Confectum eſt Carolo jam Imperatore, ut exemplis patet haud paucis, quæ Smaragdus de eodem profert Carolo, quale eſt illud de quatuor nominum ſpeciebus, capite viceſimo-primo libri ſecundi. *Ergo, ſi placet, ſic iſta quatuor propriorum nominum ſpecies jam hodie apud nos teneantur, ut dicamus prænomen IMPERATOR, & ſit illi Dignitatis, quod nulli alio in ſuo convenit Regno; dicamus KAROLUS, & ſit illi proprium quod accepit in Baptiſmo; dicamus FRANCUS, & ſit illi appellativum in ge-* LXXV. * F. miriſice

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8. LXXVI. LXXVII.

nere ſuo; dicamus PRUDENS, *& ſit illi agnomen appellativum accidens ei extrinſecus.* Nec te moveat, quòd in altero Corbeienſium Codicum non *Karolus* ſed *Chlouwicus* legitur. Librarius enim quia poſt obitum Caroli, cùm Dignitas Imperatoria penes Ludovicum erat, Codicem illum ſcribebat, exemplum à Karolo ad Clouwicum ſeu Ludovicum traduxit.

Commentarii in Regulam Sancti Benedicti, quorum Auctor Smaragdus tunc Abbas, editi ſunt poſt Conventum Aquiſgranenſem, qui celebratus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo.

Inter epiſtolas Frotharii Tullenſis Epiſcopi, quæ tertium locum tenet, inſcribitur Imperatori, ſicque juxta fidem veterum Codicum ab Andrea Duchesnio [a] publicata legitur. *Ad aures Miſericordiæ veſtræ reducimus, Piiſſime Imperator, ego Frotharius Epiſcopus & Smaragdus Abba, quòd tempore Fortunati Mediolacenſis Monaſterii Abbatis, per juſſionem veſtram Smaragdus, ipſius Monaſterii Monachis portionem de Abbatia dedit, ut regulariter viverent. Et idcircò benè & ſecundum Regulam vixerunt, quouſque Fortunatus receſſit. Sed cùm ſuſcepiſſet Iſmundus ipſum Monaſterium, recepit illorum portionem, & promiſit ſe eis omnia neceſſaria regulariter adminiſtraturum. Quod poſteà ſapiùs aliter illis eveniſſe teſtantur. Unde & tunc* * *venerunt ad nos, reclamantes & dicentes ſe nec regulariter vivere interiùs, nec regulariter alimenta corporis ſumere exteriùs. Venimus itaque pariter illuc, & ita eſſe invenimus, & cognovimus ex parte negligentiam Abbatis eorum. Promiſit ergo iterum ſe per omnia emendare velle quidquid hactenus negligenter ex ſua parte fuerat actum. Cui rei & nos conſenſimus, & ut illi Monachi adſenſum præberent laboravimus. Sed illi timentes, ne, ſicut ſapiùs evenerat, aut per eum, aut per ejus miniſtros, illius promiſſio fruſtraretur, nec ejus promiſſionibus jam amplius credere, nec ejus emendationem ſe recipere poſſe dixerunt, niſi illis portio redderetur, ſicut dudum illis dare juſſiſtis. Quod quia ipſe ſine veſtra juſſione nullatenus ſe facturum dixit, ideo illi omnes pariter communi intentione communique prece poſtulaverunt, ut illis licentiam darem ad veſtræ Pietatis præſentiam recurrendi, & veſtram miſericordiam implorandi; dicentes ſe magis velle de eodem Monaſterio expelli, & in peregrinatione & mendicitate vivere, quàm falſis promiſſionibus ulteriùs credere, & ſub falſo Monachorum nomine militare. Quapropter dedimus eis licentiam ad vos veniendi. Hæc autem veſtræ Sapientiæ innotuimus, ut, priuſquàm ad vos veniant, cauſſas acclamationis eorum cognoſcatis.* Eodem tempore Frotarius duas alias ſcripſit epiſtolas, unam Hilduino [b] Archicapellano, alteram Gerungo [c] *ſummo*, ut vocat, *ſacri Palatii Oſtiario*. Hilduinum de ſtatu Mediolacenſis Monaſterii certiorem fecit, additis precibus ut & diſſenſioni componendæ ſtuderet, & literas, quæ ſuper ea re Ludovico Auguſto mittebantur, eidem offerret Imperatori. *Domino*, inquit, *Imperatori literis innoteſcimus ego & Smaragdus Abba, qualiter Iſmundus Abba & Monachi ejus quadam ſimultate à ſe invicem diſcordent. Veſtra pia ſollicitudo agat, ut illi Monachi votum ſuum Deo promiſſum implere valeant, & eaſdem literas ad ejus præſentiam veſtra pietas* * *deferat.* Veritus autem ne Hilduinus à Ludovici comitatu procul abeſſet, Gerungum quoque per aliam rogavit epiſtolam, ut latorem literarum ſuprà deſcriptarum, ſi deeſſet Hilduinus, in præſentiam ipſius Imperatoris adducendum curaret. *Sciatis nos Domno Imperatori literas per præſentem Miſſum noſtrum dirigere, unde petimus, ut ſi Domnus Hildoinus deeſt, ante Domnum Imperatorem vos eum mittatis.* Ex præcitatis epiſtolis duo deprehenduntur Abbates, Fortunatus & Iſmundus, in Abbatum Mediolacenſium Catalogis hactenus deſiderati. Hettio, qui factus eſt Archiepiſcopus Trevirenſis, Fortunatus in Abbatiale munus anno Redemptoris octingenteſimo decimoquarto ſucceſſit. Adversùs hunc Abbatem motæ ſunt à Monachis querelæ, Ludovicus Imperator, ut liti finis imponeretur, ad Mediolacenſe Monaſterium, quod intra fines Trevirenſis erat Diœceſis, è pago Virodunenſi Smaragdum Sancti Michaelis Abbatem direxit. Hic diſſidium terminavit, redi-

[a] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

STUDET QUIETI MEDIOLACENSIS MON.

* Edit. *nunc*

[b] Ep. 1.
[c] Ep. 2.

* Edit. *pauperes*

tuum parte Monachis attributâ. Quandiu Fortunatus vixit, viguit concordia. Sed eo mortuo, rursum ortæ dissensiones. Ismundus, qui proximè suffectus est Abbas, reditus, quibus Monachi potiebantur, sibi reddi voluit pollicitus omnia, quæ necessaria forent, eis se regulariter administraturum. Promissis non stetit. Questi sunt Monachi vanis se pollicitationibus delusos esse. Frotharius Episcopus & Smaragdus Abbas, inquisitione factâ, Ismundum negligentiæ reum cognoverunt. Hic culpam non negavit, & quæ promisisset se deinceps impleturum dixit. Ascetæ verò Mediolacenses fidem verbis adhibere noluerunt, pattémque redituum, quâ spoliati fuerant, sibi denuò concedi postularunt. Ea fuit materia literarum, quas Frotharius & Smaragdus Imperatori direxerunt. Cur in tali causa ne quidem nominetur Hettius Trevitensis Archiepiscopus, in cujus Diœcesi Mediolacus, hæc ratio potest afferri, quòd Hettius, antequàm promoveretur ad Episcopatum, Abbas erat Mediolacensis, verebantúrque Mediolacenses Monachi, ne qui priùs Abbas fuerat, is partibus Abbatis faveret.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

Qui Smaragdum vel *temporibus Ottonum Primi & Secundi Clarissimorum Imperatorum*, vel *anno nongentesimo octogesimo* claruisse volunt, hunc contendunt Luneburgensem seu Saxonicum vel Sancti Michaelis Abbatem in Episcopatu Verdensi fuisse. Sed illos egregiè refellit Holstenius in literis ad Dacherium, testatur enim Codicem Serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ, in quo Via Regia Smaragdi continetur, scriptum fuisse ante ætatem Ottonum Imperatorum ipsiúsque Monasterii Luneburgensis erectionem. *Smaragdum*, inquit, *S. Michaelis Abbatem in Saxonia manifesto errore faciunt. Nam liber Serenissimæ Reginæ ante Saxonicorum Imperatorum tempora scriptus est, qui Monasterium Luneburgense construxerunt.* Originem hujus Monasterii Gabriel Bucelinus in parte secunda Germaniæ Sacræ sic commendat. *Lunaburgense potens & splendidum olim Cœnobium Benedictini Ordinis, quod sub A. C. 972 fundavit Hermannus Saxoniæ Dux, induxítque Monachorum coloniam ex S. Panthaleonis Colonienſ. situm est in Diœcesi Werdenſi.* Chronographus editus à Mabillonio [a], & à nobis suprà non semel citatus Smaragdum, de cujus ætate disputamus, Ludovico Pio synchronum constituit, in ejusdem Abbatis cùm Gestis tum Epitaphio. Cùm Mediolacensis Monasterii regimen penes Fortunatum ac Fortunati successorem Ismundum erat, Cœnobio Sancti Michaelis ad Mosam præerat Smaragdus. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Fortunatus post Hettium Mediolacensis Abbas esse cœpit, Fortunato successit Ismundus ante annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum, seu priusquàm Gerungus Ostiariorum Magister Lotharium Augustum in Italiam euntem comitaretur. Incertus est annus quo Smaragdus obiit. Ejus Epitaphium in Chronico sæpè laudato sic exhibetur.

LXXVIII. DISTINGUITUR A SMARAGDO ABB. IN SAXONIA.

[a] Tom. 2. Analect.

Cùm Pius Imperii Ludovicus jura tenebat,
Smaragdus viguit istius Abba loci.
Qui locus, humanis quòd erat minùs usibus aptus,
Haud procul hinc Sedem transtulit ille suam.
Cùm tamen ad Regnum meruit cælestè vocari,
Reddidit antiquo membra ferenda loco.
Scorpio jam Phœbum duodenâ parte premebat,
Sidera Theologo cùm patuere viro.

LXXIX.

Hermannus in suo Chronico narrationem rerum hoc anno gestarum sic claudit. *Augiæ Wetinus Monachus è corpore ductus & reductus, post triduum obiit, cujus visiones Heyto Episcopus prosâ & Walachfridus Heroico metro scripsit.* Illo de Wetino actum Tomo superiore ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum [b] in obitu Geroldi Comitis. Walafridi Carmen edidit Henricus Canisius [c], Heytonis lucubrationem Joannes Mabillonius nuperrimè publicavit [d]. Walafridus tres Characteres Chronologicos, annum videlicet Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum, Ludovici Im-

LXXX. WETINUS MONACH. AUGIENSIS OBIT.

[b] Num. 50.
[c] Tom. 6. Antiq. Lect.
[d] Sec. 4. Benedict.

AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

peratoris undecimum, ac menſem Octobrem in ſuis Verſibus ita repræſentat.

—— Poſtquam Dominus deſcendit ab alto
Carnis in hoſpitium, ſexto quater atque peracto
Octingenteſimo rapidis decurſibus anno;
Undecimóque Pii Ludovici Cæſaris, & dum
Sexies Octimber declinat quinque diebus.

LXXXI. EJUS VISIO EXAMINATUR.

Characteres Chronologicos pluris facimus, quàm Viſionis contextum, in quo nonnulla memorantur quæ non videntur approbanda, præſertim de Carolo Magno, qui, *quamvis multa miranda & laudabilia & Deo accepta feciſſet, quorum mercede privandus non eſt, tamen*, ſi Viſionis narrationi fides eſt, *ſtupris inlecebris reſolutus, cum ceteris bonis Deo oblatis longævitatem vitæ ſuæ in hoc terminare voluit, quaſi prava obſcœnitas & conceſſa fragilitati humanæ libertas mole tantorum bonorum obrui & abſumi potuiſſet. Qui tamen*, ut proximè ſubjicitur, *in ſorte electorum ad vitam prædeſtinatus eſt.* Quamvis enim poſterior periodus, Carolum in eorum numero collocet qui prædeſtinati ſunt ad vitam, textus qui præcedit eidem Carolo ſit injurius. Hunc Imperatorem, quem complures Auctores in ſtupris ad ultimam uſque ſenectutem volutatum dixerunt, ab illa calumnia vindicavimus, quoties occaſio poſtulavit. Argumenta, quibus uſi ſumus, hoc loco non repetemus. Heyto nomen Caroli reticuit, expreſſit Walafridus initialibus hiſce Verſuum literis. C. A. R. O. L. U. S. I. M. P. E. R. A. T. O. R.

LXXXII.

In dubium minimè vocamus, quin Heyto Carolum Magnum deſignaverit per *quemdam Principem, qui Italiæ & populi Romani ſceptra quondam rexerat, & qui in defenſione Catholicæ fidei & regimine ſanctæ Eccleſiæ moderno ſeculo penè inter ceteros ſingularis apparuit.* At utrùm in hoc altero acroſticho, V. V. A. L. D. O. A. D. A. L. H. E. L. M. V. S. A. D. A. M. Walafridus mentem Heytonis ſit aſſecutus haud ita patet. Heyto de quodam Epiſcopo nuperrimè mortuo ſcribit, quòd illum Clericus per Viſionem admonitus adiit, fruſtráque hortatus eſt, ut pro Abbate defuncto preces Deo funderet. Apud Walafridum Clerico nomen eſt *Adam*, Epiſcopo *Adalhelmus*, Abbati *Waldo*. Cujus Eccleſiæ fuerit ille Clericus, haud ſcimus. Illâ ætate duos tantùm Adalhelmos ſive Adalelmos in Galliis Epiſcopos novimus, Adalelmum Metropolitam Burdigalenſem, qui Sichario in Archiepiſcopatum ſucceſſit, & Catalaunenſem Epiſcopum, qui vocatus invenitur Adalelinus & Adalelmus, ſeu literæ *l* & *n* abierunt in *m*, ſeu versâ vice litera *m* in has duas abiit *l n*. At hi duo Pontifices Wetino Monacho ſuperſtites vixerunt, ut ad annos Redemptoris octingenteſimum viceſimum-octavum & octingenteſimum viceſimum-nonum oſtendemus. Certiorem de Waldone Abbate notitiam habemus. Waldo ſeu Walto fuit Abbas Augienſis ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo-ſexto ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum, deinde Abbas San-Dionyſianus in agro Pariſienſi ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum quo vitam clauſit. Hanc Chronologiam confirmant Heyto & Walafridus, cùm ab obitu Waldonis ad Viſionem Wetini, ſive ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum, numerant annos decem. Heyto, ſic; *dictum eſt ab Angelo de quodam Abbate ante decennium defuncto, quòd*, &c. Et Walafridus, ſic.

—— Hac arce tenetur
Abbas, ante decem corpus qui liquerat annos.

LXXXIII.

Anno igitur Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto migravit ex hac vita Walto San-Dionyſianus Abbas, eique tunc in munus Abbatiale ſucceſſit Hilduinus. Hic ſub initium ſui regiminis, ut ad illum annum [a] obſervavimus, Præceptum obtinuit à Ludovico Auguſto datum Aquiſgrani, Kalendis Decembris, Indictione octavâ tum currente.

[a] Ad an. 814. n. 65.

LXXXIV.

Noſtram quoque Chronologiam de Heytone confirmat Walafridus, cùm ſpontaneam ejuſdem Heytonis Abbatis Augienſis abdicationem anno deci-

Digitized by Google

mo Lvdovici Auguſti ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio conſignat. Heyto tunc annos natus erat ſexaginta, Monaſterium gubernarat annis octodecim completis, annúmque Præfecturæ decimum-nonum attigerat. Unde ſic canit Walafridus. AN. CH. 824. LUDOV. IMP. II. LOTHAR. IMP. 8. PIPPINI R. 10. LUDOV. R. 8.

——Longa tulit poſtquàm faſtidia, cæpit
Mente ſubobſcurâ refugus tractare receſſum
Ordine de tanto, ne captus amore tenendi,
Linqueret æternum munus, cui ſemper inhæſit.
Anno igitur decimo Hludowici Cæſaris, atque
Bis ceſſere novem illius tunc ordinis anni,
Sexaginta quoque ætatis jam tempora clauſit,
Morbus in exitium traxit letale Patronum.
Ille dolor dilectus erat, cariſſima febris,
Mors contempta, fugæ hæc occaſio prima patebat.
Venit adoptivum redeundi in carceris antrum
Tempus, ut alterius contemplans ora jubentis,
Quod priùs injunxit, jam tunc ſervaret agendo.
Solvitur ex onere, atque ſibi ſubjecta refutat,
Perfruiturque quiete fruens feliciter exin.

Walafridus ab Heytone tranſit ad Erlebaldum ſive, ut aliquando vocat, Erbaldum, qui ſuperſtite in vivis Heytone factus eſt Abbas Augienſis. Ambo vivebant anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, quo Wetinus ex hac vita migravit; vivebant & anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto quo Walafridus Wetini Viſionem metricè compoſuit, cùm *penè octavum-decimum jam annum* ætatis tranſegiſſet. Lege iſtius operis Præfationem cum adnotationibus Mabillonii. Præter ætatem Walafridi de qua ſuprà, diſces ejus Præceptorem in Augienſi Schola fuiſſe Tattonem; diſces & Wetinum primò Canonicum, deinde Monachum ac prædictæ Scholæ Magiſtrum extitiſſe. Atque hæc obſervatio de Wetino te docebit inſuper remiſſam per illa tempora Monaſticen in Augia, ſicut in aliis pleriſque Monaſteriis, ubi Fratres in duas diviſi claſſes, alii Canonicum Ordinem, alii Monaſticum ſequebantur. LXXXV.

ANNUS

AN. CH. 825.

CHRISTI		825.			LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.
LUDOVICI	IMP.	12.			
	REG.	45.	20.	8.	
LOTHARII	IMP.	9.	3.		
	REG.	11.	3.		
PIPPINI III.	REG.	11.	9.		
LUDOVICI	REG.	9.			
INDICTIO		3.			

ANNO Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto, tertio Nonas Januarii, Ludovicus Auguſtus apud Aquiſgranum, quo ſe Rotomago per menſem Decembrem contulerat, permutationem inter Notonem Ar- I. LUD. AUG.

AN. CH. 825.

chiepiſcopum Arelatenſem & Leybulfum Comitem anno priore factam approbavit. Paulò pòſt *allatum eſt ei, quòd Legati Bulgarorum Regis eſſent in Bajoaria. Quibus obviam mittens, ipſos quidem uſque ad tempus congruum ibidem fecit operiri. Ceterum Legatos Abotritorum, qui vulgò Prædenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipſi adventare nunciabantur, illicò venire permiſit. Qui cùm de Bulgarorum iniqua infeſtatione quererentur, & contra eos auxilium ſibi fieri depoſcerent, domum ire atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis conſtitutum*, id eſt, circa medium Maium, *redire juſſi ſunt.* Hæc apud Annaliſtam Laureshamenſem leguntur exeunte anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, annum enim hic Auctor, ut ſæpè notavimus, orditur à Paſchali Solemnitate.

LEGATOS BULGARORUM IN BOJOARIA JUBET SUBSISTERE. AUDIT LEGATOS PRÆDENECENTORUM.

II. Sub initium etiam hujus anni, Fortunatus Patriarcha Gradenſis itinere Romam cum Oratoribus Imperatoris Conſtantinopolitani ſuſcepto vitam clauſit in Francia. Vir inquieti fuit animi, multis tamen in rebus laudem meruit; reparavit Eccleſiam Sanctæ Agathæ, quam maris impetus everterat; corpora quadraginta Martyrum in ſacello Sancti Vitalis depoſuit; Ædem renovavit Sancti Peregrini, quam Gradenſes imminentis belli metu deſtruxerant; Altaria non pauca laminis argenteis decoravit. In ejus locum ſubrogatus eſt Venerius. Lege Dandulum in Chronicis, Sigonium libro quarto Hiſtoriarum de Regno Italiæ, & Ughellum Tomo quinto Italiæ Sacræ in Patriarchis Gradenſibus. Lege & ad annum Redemptoris octingenteſimum ſextum [a] quæ dicta ſunt ſuprà de Mediano Monaſterio, cui prædictus Fortunatus per annos viginti cum Abbatis titulo præfuit, ut Godefridus Henſchenius in Diatriba [b] de tribus Dagobertis affirmat. In munus Abbatiale ſucceſſit Waldo.

FORTUNATUS PATRIARCHA GRADENSIS ET ABB. MON. MEDIANI MORITUR. VENERIUS FIT PATRIARCHA GRADENS.

[a] Num. 66.
[b] Lib. 4. c. 1.

WALDO FIT ABB. MON MEDIANI.

Menſe Februario, Ludovicus Auguſtus, cùm Aquiſgrani morabatur, Privilegium Monaſterio Sancti Maximini à Jona Epiſcopo Aurelianenſi conceſſum hoc confirmavit Præcepto, quod ex Aurelianenſi Chartulario [c] deſcriptum ſubjicimus. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus & Lotharius Divinâ ordinante Providentiâ Imperatores Auguſti. Cùm petitionibus Sacerdotum Chriſti ad divini cultûs honorem pertinentibus annuimus, & Imperialem conſuetudinem adimplemus, & id proculdubiò nobis ad æternam remunerationem capeſſendam profuturum fideliter credimus. Notum igitur eſſe volumus fidelium noſtrorum tam præſentium quàm futurorum prudentiæ, necnon & ſucceſſorum noſtrorum Magnitudini, quòd poſtulavit nobis Vir Venerabilis Jonas Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ut Privilegium, quod ob divinæ ſervitutis honorem & Monaſticum Ordinem veraciter religioſéque ſervandum circa Cellam Sancti Maximini, quæ eſt juris Epiſcopii ſui, cum conniventia Metropolitani ſui Jheremiæ Archiepiſcopi & Canonicorum Eccleſiæ, cui Deo largiente miniſtrat, nuper fecerat vel firmaverat, noſtrâ auctoritate Imperiali confirmaremus, quod Privilegium noſtris obtutibus exhibuit; cujus conſtitutionem quia juſtè ac rationabiliter ob amorem Dei & animarum ſalutem factam eſſe perſpeximus, æquum dignúmque judicavimus ut ejus petitioni aſſenſum præberemus. Quapropter per hanc noſtræ præceptionis auctoritatem jubemus & omnino decernimus, ut ſicut ab eodem Epiſcopo per memoratum Privilegium erga eandem Cellam conſtitutum eſt, ita noſtris futuriſque temporibus à Rectoribus memoratæ Eccleſiæ modis omnibus obſervetur. Ita duntaxat ut in præfata Cella, in qua olim Sanctos viros ſub Monaſtico Ordine probabiliter vixiſſe, Deóque placuiſſe evidentia argumenta teſtantur, quorum etiam interventu idem Ordo in eodem loco creditur eſſe reſtitutus, memoratæ Sedis Pontificibus procurantibus ſemper Regularis Ordo religioſiſſimè teneatur ac cuſtodiatur, & cùm Abbas ipſius Monaſterii rebus humanis exemptus fuerit, providente ejuſdem Sedis Pontifice ac piam paternámque ſollicitudinem gerente eo ordine præferatur eis Abbas, ſicut in eodem continetur Privilegio. Res quoque, ſive eidem Cellæ juſtè & legaliter pertinent cum prædiis duobus, Quaſellis ſcilicet & Caſtaneo villari, ſive quæ idem Epiſcopus poſteà de cauſa Epiſcopii ſui, de ratione ſcilicet alterius Cellæ Sancti Maximini ad divinum Officium honorificentiùs peragendum ei ſuperaddidit*

III. PRÆCEPTA, [c] Chart. 38. PRO MON. S. MAXIMINI AD LIGERIM,

in

in integrum abſque ulla ſui diminutione, ſicut ab eo conſtitutum eſt, in uſus Monachorum cedant. Quòd ſi fortè his rebus propter Dei amorem Epiſcopo ipſius Sedis quippiam ſuperaddere libuerit, id cum Dei gratia ſuffragante ſibi Pontificali auctoritate libentiſſimè peragat, & ſi fortè hoc ei facere & voluntas & facultas denegaverit, de his quæ collata ſunt nichil aut cupiditate ductus aut alicujus perſuaſione ſuccenſus quolibet modo auferat, ſed potiùs Monachi ipſius Cellæ his & ceteris rebus à Deum timentibus ſibi collatis ſuffragati liberiùs devotiúſque divinæ potentiæ famulari valeant, & pro nobis, conjuge, & prole, & ſtabilitate Imperii à Deo nobis collati & per immenſum ſuâ gratiſſimâ pietate conſervandi, necnon & pro Rectoribus Eccleſiæ, cujus loco & rebus utuntur, jugiter divinam implorent miſericordiam. Si verò quiſpiam Prælatorum memoratæ Sedis præfatam Conſtitutionem contra hanc noſtram Præceptionem quodammodò irritam facere ac penitus convellere voluerit, volumus atque decernimus ut res ad notitiam Senonici Metropolitæ perferatur, quatinus is adhibitis ſuæ Dioceſeos ſuffraganeis Epiſcopis idem negotium diligenti indagine diſcutiat & corrigat, & ad ſtatum priſtinum ſalvâ memoratæ Sedis dignitate ac poteſtate revocare procuret. Porrò ſi contigerit idem negotium propter aliquam ſui difficultatem ab eo minimè poſſe diffiniri, volumus ut ejus relatu noſtris ſucceſſorumque noſtrorum auribus res innoteſcat, videlicet ut noſtræ auctoritatis ſanctione in generali Conventu Epiſcoporum hujus Conſtitutionis convulſor corripiatur & corrigatur, ut eorum ſalubri judicio memorata Conſtitutio priſtinum ſtatûs ſui recuperare valeat vigorem. Præſul ſiquidem memoratæ Eccleſiæ ſummoperè provideat, ut Monachi ipſius Cellæ rebus memoratæ Matris Eccleſiæ donati, otiúmque ſanctæ quietis per memoratum Privilegium & hanc noſtram auctoritatem adepti, in his in quibus ſe Deo devinxerunt, divinâ adjuvante gratiâ, inviolabiliter permaneant. Ita videlicet ut nec interiùs à ſuo propoſito deviare, nec exteriùs res ſibi deputatæ eorum inſolentiâ aut incuriâ quoquomodò negligi aut ſubripi poſſint, ſed Eccleſiæ, cujus loco & rebus utuntur, in omnibus fidem & humilem congruentémque ſubjectionem, ſicut decet & oportet, ſervare meminerint, nec ſe putent propter noſtram auctoritatem à jure & poteſtate ipſius Eccleſiæ ſubſtrahere, aut eaſdem res qualibet machinatione alienare poſſe, præſertim cùm & locus & res quibus utuntur, juris ſit ipſius Eccleſiæ & ab ejus meritò pendeat poteſtate. Quæ ut pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, ut hæc etiam veriùs certiúſque credantur ac meliùs conſerventur, nominis noſtri Karactere muniri & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data XIII. *Kal. Mart. anno Chriſto propitio* XII. *Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* III. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.* Annus Ludovici Auguſti duodecimus & Indictio tertia per menſem Februarium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto conveniunt. Quapropter & ad hunc annum referri debet Præceptum, quod Pippinus Aquitaniæ Rex Kalendis Aprilis anno Imperii Ludoviciani duodecimo, Regni verò ſui undecimo, pro Pictavenſi Monaſterio Sanctæ Crucis emiſit, ut Joannes Beſlyus in Tractatu de Regibus Aquitaniæ teſtatur. *Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum. Si ea, quæ fideles Regni noſtri pro eorum opportunitatibus juſtè petierint, noſtris confirmamus Edictis, Regiam exercemus conſuetudinem, & in poſtmodum jure firmiſſimo manſurum eſſe volumus. Idcircò noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, ſolertia, quia Abbatiſſa, nomine Gerberta, vel ſorores noſtræ ex Monaſterio Sanctæ Crucis adierunt Celſitudinem noſtram, ſuggerentes nobis ut mercata, quæ ſunt in earum villis, unum ſcilicet in pago Pictavenſi, in loco qui dicitur Cajoca, alium verò in pago Engoleſinenſi in loco nuncupante Fulchrodo perpetualiter in iiſdem locis manere licuiſſet. Et ipſa telonea vel diſtricta, quæ ex ipſis exigi deberent, eis concederemus. Quarum petitionibus divinâ inſpiratione compuncti, & cæleſti amore ſuccenſi, minimè denegare voluimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex Judiciaria poteſtate de ipſis ..... de qualibet re aut ulla exactione exigere præſumat, ſed liceat eis per noſtram, ſicut diximus, auctoritatem ipſa mercata quietè ac ſecurè agere vel poſſidere. Et, ſi ali-*

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. II. LUDOV. R. 9.

PRO PICTAVENSI MON. S. CRUCIS.

AN. CH 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP 9. PIPPINI R. 11. LUDOV R. 9.

quis in aliquo eis contradixerit, ut aliquod impedimentum facere nisus fuerit, tunc volumus atque præcipimus, ut ante nos in rationes veniat, & ibi finitam accipiat sententiam. Et quicquid inde fiscus sperare poterat, totum in nostra eleemosyna eis concessimus, ut in alimonia pauperum & stipendia ibidem Deo militantium proficiat augmentis. Et ut hæc Præceptio à fidelibus nostris melius credatur, & diligentius conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Domni Pippini Regis. Data Kal. Aprilis, anno XII. Imperii Domni Ludovici Augusti, & XI Regni nostri. Actum in foreste quæ dicitur Molerias, in Dei nomine feliciter. Amen. Besly us ex Archivis ejusdem Monasterii Præceptum hoc eruit, & ad oram in notatiuncula malè posuit *A. C. 826*, quocum annus Ludovici Augusti decimus-tertius, Pippini Regis duodecimus, per mensem Aprilem componitur.

IV. LUDOVICUS AUG. IN CONVENTU AQUISGRANENSI,

Ut Natalem Domini, sic & Pascha Ludovicus Augustus apud Aquisgranum celebravit. Res enim hoc anno gestas à Festo Paschali, quod in diem quintum ante Idus Aprilis incidit, Laureshamensis Annalista sic orditur. *Sacro Paschali festo solenniter Aquisgrani celebrato, arridente jam vernâ temperie, Imperator venandi gratiâ Noviomagum profectus, Legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquasgrani venire præcepit. Nam tunc illo reverti statuit, habiturus ibidem Conventum, quem de Britannia* superiore anno *regressus eo se tempore ibidem habere velle Optimatibus indicaverat. Quò cùm peracta venatione fuisset reversus, Bulgaricam Legationem audivit. Erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis.* Astronomus consentanea de Legatione Bulgarica sic scribit. *Imperator Conventum à populo suo celebrari jussit tempore Maii mensis Aquisgrani. Quo consistenti Legatio Bulgarorum *, qui diu in Bajoaria secundùm præceptum ejus subsiterant, ei adducta est audienda. Quæ maximè post pacis constitutionem de terminis fuit terrarum inter Bulgaros Francosque custodiendis.* Annalista Fuldensis alteram hanc Bulgarorum Legationem à prima clarissimè distinguit. Ad annum enim DCCCXXIV sic habet. *Rex Bulgarorum Omortag pacis faciendæ gratiâ ad Imperatorem Legatos & literas misit, quos Rex auditos remisit, & cum eis Maghelmum de Bajoaria ad memoratum Regem direxit.* Deinde ad annum DCCCXXV, sic. *Iterum Rex Bulgarorum alios Legatos ad Imperatorem misit, de terminis videlicet ac finibus inter Francos & Bulgaros constituendis. Quibus Rex auditis, per eosdem, qui ad se missi fuerant, Legatos Regi eorum missis literis respondit, prout videbatur.*

* Bulgarum LEGATOS AUDIT BULGARORUM

V. ET PRIMORES BRITANNIÆ.

Affuerunt in eo Conventu Aquisgrani *penè omnes Britanniæ Primores. Inter quos & Wihormachius, qui perfidiâ suâ & totam Britanniam conturbaverat, & obstinatione stultissimâ ad memoratam expeditionem illo faciendam Imperatoris animum* anno priore *provocaverat, tandem saniori usus consilio, ad fidem Imperatoris, ut ipse dicebat, venire non dubitavit. Cui cùm Imperator & ignosceret, & muneribus donatum cum ceteris gentis suæ Primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem, ut priùs consueverat, gentilitiâ perfidiâ commutavit, vicinos suos incendiis & direptionibus in quantùm potuit non cessans infestare, donec ab hominibus Lantberti Comitis in domo propria circumventus atque interfectus est.* Hæc Annalista Laureshamensis. Lantbertus autem apud Argentræum [a] in Historia Britannica Comes est Namnetensis, sive ut ex antiquis Annalibus alii produnt, Comes Marchiæ Namnetensis.

[a] Lib. 2. c. 38.

VI. PROMULGAT CAPITULARE.

In eodem Aquisgranensi Conventu promulgatum est alterum Capitulare Ludovici Pii, quod in Capitula duodetriginta distribuitur, & in Ansegisi Collectione dat initium libro secundo Capitularium. Cur à nobis in hunc annum rejiciatur, expositimus ante triennium [b]. Generalem admonitionem ad homines utriusque Ordinis complectitur cum instructione Missorum Dominicorum, quos Imperator in diversas Regni provincias destinat. Ut primum Ludovici Capitulare, quod ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum secundum descripsimus, ab Attiniaco vocavimus Attiniacense, sic & ab Aquisgrano alterum hoc Aquisgranense nuncupabimus.

[b] Ad an. 821. n. 12.

Digitized by Google

Primo Capitulo ſic præfatur Ludovicus. *Omnibus vobis, aut viſu aut auditu notum eſſe non dubitamus, quia genitor noſter & progenitores, poſtquàm à Deo ad hoc electi ſunt, in hoc præcipuè ſtuduerunt, ut honor Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſtatus Regni decens maneret. Nos etiam juxta modum noſtrum eorum ſequentes exemplum, ſæpè veſtram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miſerante multa jam emendata & correcta videmus, unde & Deo juſtas laudes perſolvere & veſtræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.* AN. CH. 825. VII.

Secundo Capitulo Ludovicus in adminiſtratione Regni tria ſpecialiter cupit obſervari, defenſionem & exaltationem Eccleſiæ, honorem ſervis Dei debitum, pacem ac juſtitiam per univerſum Regnum. *Sed quoniam complacuit divinæ providentiæ noſtram mediocritatem ad hoc conſtituere, ut Sanctæ ſuæ Eccleſiæ & Regni hujus curam gereremus, ad hoc certare & nos & filios ac ſocios noſtros diebus vitæ noſtræ optamus, ut tria ſpecialiter Capitula & à nobis & à vobis, Deo opem ferente, in hujus Regni adminiſtratione ſpecialiter conſerventur, id eſt, ut defenſio & exaltatio vel honor Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſervorum illius congruus maneat, & pax & juſtitia in omni generalitate populi noſtri conſervetur. In his quippe maximè ſtudere, & de his in omnibus Placitis, quæ vobiſcum Deo auxiliante habituri ſumus, vos admonere optamus, ſicut debitores ſumus.* VIII.

Tertio Capitulo Ludovicus admonitorem ſe fidelium omnium, eóſque ſuos dicit adjutores. *Sed quamquam ſumma hujus miniſterii in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & divinâ auctoritate & humanâ ordinatione ita per partes diviſum eſſe cognoſcitur, ut unuſquiſque veſtrum in ſuo loco & ordine partem noſtri miniſterii habere cognoſcatur. Unde apparet quòd ego omnium veſtrum admonitor eſſe debeo, & omnes vos noſtri adjutores eſſe debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique veſtrum in ſibi commiſſa portione conveniat. Et ideò prætermittere non poſſumus, quin unumquemque juxtà ſuum ordinem admoneamus.* IX.

Quarto Capitulo Ludovicus hanc habet admonitionem ad Epiſcopos. *Sed quoniam ſcimus quòd ſpecialiter pertineat ad Epiſcopos, ut primùm ad ſacrum miniſterium ſuſcipiendum juſtè accedant, & in eodem miniſterio religiosè vivant, & tam benè vivendo quàm rectè prædicando populis ſibi commiſſis iter vitæ præbeant, & ut in Monaſteriis in ſuis Parochiis conſtitutis ſancta Religio obſervata fiat, &, ut unuſquiſque juxta ſuam profeſſionem veraciter vivat, curam impendant, omnes vos in hoc ſacro Ordine conſtitutos & Officio Paſtorali functos monemus atque rogamus, ut in hoc maximè elaborare ſtudeatis, & per voſmetipſos & per vobis ſubjectos, quantùm ad veſtrum miniſterium pertinet, nobis veri adjutores in adminiſtratione miniſterii nobis commiſſi exiſtatis, ut in judicio non condemnari pro noſtra & veſtra negligentia, ſed potiùs pro utrorumque bono ſtudio remunerari mereamur, & ubicunque per negligentiam Abbatis aut Abbatiſſæ vel Comitis ſive Vaſſi noſtri aut alicujus cujuſlibet perſonæ, aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit obſtaculum, noſtræ dignoſcentiæ id ad tempus inſinuare non differatis, ut noſtro auxilio ſuffulti, quod veſtra auctoritas expoſcit, famulante, ut decet, poteſtate noſtrâ perficere valeatis.* X.

Quinto Capitulo Ludovicus alteram hanc ad Epiſcopos de Sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus & de Scholis admonitionem habet. *De Sacerdotibus verò ad veſtram curam pertinentibus magnum adhibete ſtudium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad ſuam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo proſint, à vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, &, id ut facere ſtudeant, veſtrâ Pontificali auctoritate conſtringantur. Quicquid autem in illis à populis juſtè reprehenditur, in exemplo propriæ converſationis veſtra providentia corrigere non negligat. Ne verò Eccleſiæ illis commiſſæ in reſtauratione aut in luminaribus juxta poſſibilitatem rerum ab illis negligantur, veſtra nihilominùs invigilare debet ſolertia. Et ſicut alios prohibetis, ne de manſis ad Eccleſiæ luminaria datis aliquid accipiant, ſic & vos & veſtri Archidiaconi de eiſdem manſis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis, ſed potiùs ad id ad quod data ſunt ſervire concedantur, ut totum, ſicut dictum eſt, in reſtaura-* XI.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

tione Ecclesiarum & luminaribus vestrâ auctoritate & studio cedere possit. Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore, sive ante triennium, *ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.* Lege ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum secundum, quæ dicta sunt de Attiniacensi Conventu, quo certè recentior Aquisgranensis, in quo Capitulare, de quo nunc agimus, editum fuit. In illo Conventu Attiniacensi conditum fuit Capitulare, quod in undetriginta distributum Capitula suo retulimus loco. Nullum ibi de Scholis verbum legitur, quia Ludovicus apud Attiniacum satis esse duxit, quòd eas & instituendas injunxisset, & erectum iri promisissent Episcopi; cùm autem post aliquot annos videret illud in nonnullis Episcopiis nondum impletum fuisse, Capitulum proximè descriptum in Aquisgranensi Conventu publicavit, ut quantocyùs ab omnibus Episcopis fieret, quod *præterito tempore ad Attiniacum* polliciti fuerant.

XII. Sexto Capitulo Ludovicus admonitionem habet ad Comites. *Vobis verò Comitibus dicimus, vósque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem Sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & justitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publicè fieri decernit, ut in vestris ministeriis studiosè perficiantur studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet & justitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & nostri veri adjutores & populi conservatores juste dici & vocari possitis; & nulla qualibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia, ab statu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum semper juste judicetis. Pupillorum verò & viduarum & ceterorum pauperum adjutores & defensores & Sanctæ Ecclesiæ vel servorum illius honoratores juxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentiâ in furtis & latrociniis sive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et, si aliqua persona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus, facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut nostrâ auctoritate adjuti ministerium vestrum dignè adimplere possitis.*

XIII. Septimo Capitulo Ludovicus admonitionem habet ad laicos. *Omnes verò laicos monemus, ut honorem Ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopis & Dei Sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devotè occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter observent, & suos observare doceant & compellant. Et ut etiam dies Dominicus, sicut decet, & honoretur & colatur, omnes studeant. Et, ut liberiùs fieri possit, mercata & placita à Comitibus, sicut sæpè admonitum fuit, illo die prohibeantur.* De mercatis & placitis die Dominico prohibitis consule [a] Decretum Caroli Magni de Regno Longobardico, ad annum Christi septingentesimum octogesimumprimum; Synodos, Arelatensem, Remensem, Moguntinam, & Turonensem, habitas anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, necnon & Capitulare quod Carolus Magnus ex iisdem Conciliis excerpsit.

[a] An. 781. n. 85. an. 813. nn. 20. 62. 113. 144. 274.

XIV. Octavo Capitulo Ludovicus admonitionem habet ad Abbates. *Abbatibus quoque & laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio & documento ea quæ ad Religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant, & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.* In hoc Capitulo duplex Abbatum genus distinguitur; unum est Abbatum, qui Monachi sunt ac Monasticen profitentur; alterum est Abbatum, qui non sunt Monachi, dicuntúrque laici seu seculares, quia sunt in seculo & procul à quiete Monastica secularibus

Digitized by Google

negotiis implicantur, ut de ſemetipſo teſtatur Alcuinus Tomo ſuperiori ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum [a] citatus. AN. CH. 825.

Nono Capitulo Ludovicus admonitionem ad omnes habet, ut Comitibus auxilio ſint ad juſtitias faciendas. *Epiſcopis iterum, Abbatibus, & Vaſis noſtris, & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut Comitibus ad juſtitias faciendas adjutores ſitis.* XV.

Decimo Capitulo Ludovicus Epiſcopos & Comites admonet, ut inter ſe necnon & cum ceteris concordiam ſervent, ſibique mutuo ſint auxilio ad peragenda miniſteria. *Epiſcopi verò vel Comites & ad invicem & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad ſua miniſteria peragenda viciſſim ſibi adjutorium ferant.* XVI.

Undecimo Capitulo Ludovicus omnes admonet, ut pacem inter ſe colant, Regales juſſiones obſervent, & Miſſis Dominicis morem gerant. *Omnibus etiam generaliter dicimus, ut caritatem & pacem ad invicem habeatis, & generalem juſſionem noſtram generaliter obſervare decertetis, & Miſſis noſtris pro qualicunque ſcilicet aut Eccleſiaſtica aut publica utilitate vel opportunitate à nobis directis noſtri honoris causâ honorem exhibeatis, & propter noſtræ auctoritatis venerationem ea, quæ per illos injungimus, agere non negligatis.* XVII.

Duodecimo Capitulo Ludovicus admonitionem habet ad omnes de modo, quo verum teſtimonium ad invicem ferre poſſint. *Et quoniam, ſicut diximus, unuſquiſque veſtrum partem miniſterii noſtri per partes habere dinoſcitur, volumus ſtudere, & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per Miſſos noſtros quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unuſquiſque ad hoc certare ſtuduerit, & per commune teſtimonium, id eſt, Epiſcoporum de Comitibus, Comitum de Epiſcopis, comperire, qualiter ſcilicet Comites juſtitiam diligant, & faciant, & quàm religiosè Epiſcopi converſentur & prædicent; & amborum relatu de aliorum fidelium in ſuis miniſteriis conſiſtentium æquitate & pace atque concordia cognoſcere. Similiter etiam volumus, ut omnes illis & illi omnibus de communi ſocietate & ſtatu à nobis interrogati verum teſtimonium ſibi mutuò perhibere poſſint.* XVIII.

Decimo-tertio Capitulo Ludovicus omnes admonet, ut citiſſimè cauſas ad ſe perferant, quæ vel ad inhonorationem Regni vel ad commune damnum pertinent, & ſine Regia poteſtate corrigi non poſſunt. *Et, ſi talis cauſa in qualibet provincia aut in aliquo Comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem Regni aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam ſine noſtra poteſtate corrigi non poſſit, nos diu latere non permittatis, qui omnia Deo auxiliante corrigere debemus, quia quicquid hactenus in his quæ ad pacem & juſtitiam totius populi pertinent, & ad honorem Regni & communem utilitatem aut à nobis aut à vobis neglectum eſt, debemus Deo auxiliante certare, qualiter abhinc noſtro & veſtro ſtudio emendatum ſiat.* XIX.

Decimo-quarto Capitulo Ludovicus admonitionem ad omnes habet de pace cuſtodienda in itinere exercitali. *De pace verò in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quòd quicumque auctorem damni ſibi præterito anno inlati nominatim cognoſcit, ut juſtitiam de illo quærat & accipiat.* In hoc Capitulo Ludovicus ad iter exercitale, quod adversùs tumultuantes Britannos anno ſuperiore ſuſcepit, dubio procul alludit, ut obſervavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum, cùm certas Ludovicianorum Capitularium epochas ſtabiliremus. XX.

Decimo-quinto Capitulo Ludovicus cuilibet ad bellum pergenti denuntiat, ut eos, qui ſuo ſunt in obſequio, cognoſcat, utpote rationem de factis illorum redditurus. *Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut cognoſcat unuſquiſque omnes qui in ſuo obſequio in tali itinere,* nempe exercitali de quo ſermo præcedenti Capitulo fuit, *pergunt, ſive ſui ſint, ſive alieni, ut ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum; & quicquid ipſi in pace violanda deliquerint, ad ipſius debet periculum pertinere, eâ ſcilicet conditione, ut pacis violator primùm juxta facinoris qualitatem, ſive coram nobis, ſive coram Miſſo noſtro,* XXI.

[a] Num. 134.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

dignas pœnas perſolvat; & ſenior, qui ſecum talem duxerit, quem aut conſtringere noluit aut non potuit, ut noſtram juſſionem ſervaret, & inſuper in Regno noſtro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, ſi antè eum de his non admonuerit, & poſtquàm negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere, ſicut decet, neglexerit, honore ſuo privetur, ut ſcilicet neuter illorum ſine juſta vindicta remaneat.

Decimo-ſexto Capitulo Ludovicus pœnas decernit adversùs eos, qui ſeu per negligentiam ſeu per improbitatem Legationes exterarum gentium in Franciam directas malè recipiunt. *De inhonoratione quoque Regis & Regni, & mala fama in exteras nationes diſperſa, propter negligentiam eorum, qui Legationes ad nos directas in ſuis manſionibus aut malè recipiunt, aut conſtitutam à nobis expenſam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt, aut furto aliquid eis ſubripiunt, aut, quod perpeſſimum eſt, apertas violentias eos cædendo & res eorum diripiendo in ipſis exercere non pertimeſcunt, hoc omnibus notum eſſe volumus, quòd quicunque ex his, qui honores noſtros habent, abhinc negligentiam hanc emendare non certaverit, & ſuos homines, qui ejus vice hoc agere debent, ut id benè perficiant non inſtruxerit aut conſtrinxerit, ut ulteriùs illud negligere non præſumant, & honorem noſtrum nec Regnum nobis commiſſum cuſtodire contempſerit, nec noſtrum nec Regni noſtri honorem ulteriùs volumus ut habeat, ſed volumus ut unuſquiſque fidelium noſtrorum procuratores rerum ſuarum de his ſpecialiter inſtruat, ut quandocunque & undecunque Legatio advenerit, & aut literas aut Miſſum viderint, honorificè illam in omni loco Imperii noſtri, propter noſtrum & totius Regni honorem, omnes ſuſcipere valeant.*

XXII.

XXIII. Decimo-ſeptimo Capitulo Ludovicus admonitionem habet ad Manſionaticos & incolas locorum, in quibus Legationes exterarum gentium recipiendæ ſunt. *In illis verò locis, ubi modò via & Manſionatici à Genitore noſtro & à nobis per Capitulare ordinati ſunt, Miſſos ad hoc ſpecialiter conſtitutos; qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia, quæ ad eaſdem Legationes ſuſcipiendas pertinent, fideles noſtri ad hoc conſtituti ad tempus præparare ſtudeant, ut non tunc ſit neceſſe de longè quærere vel adducere quando tempus eſt illa dare vel perſolvere. In ceteris verò locis per totum Imperium noſtrum unuſquiſque fidelium noſtrorum & per ſe & per miniſtros ſuos, ſicut diximus, ſedulam vigilantiam adhibeat.*

XXIV. Duodeviceſimo Capitulo Ludovicus admonitionem de moneta ſic habet. *De moneta verò, unde jam per tres annos & admonitionem fecimus, & tempus, quando una teneretur & alia omnes ceſſarent, conſtituimus, hoc omnibus notum eſſe volumus, quoniam ut abſque ulla excuſatione citò poſſit emendari, ſtatuimus uſque ad Miſſam Sancti Martini dare decrevimus, ut unuſquiſque Comitum in ſuis miniſteriis de hoc juſſionem noſtram tunc poſſit habere adimpletam, quatinus ab illa die non alia ſed illa ſola per totum Regnum noſtrum ab omnibus habeatur, juxta illam Conſtitutionem, ſicut in Capitulis, quæ de hac re illis Comitibus dedimus, in quorum miniſteriis moneta percutitur, conſtitutum eſt. Quia tunc volumus Miſſos noſtros hujus rei gratiâ dirigere per ſingulos Comitatus, qui diligenter inquirant qualiter Comites in hoc noſtram juſſionem adimplere certaverint. Et quicunque negligens inde inventus fuerit, volumus ut ante noſtram præſentiam quantocyùs venire jubeatur, & rationem reddat, utrùm hoc, quod juſſimus, facere nolverit aut non potuerit; aut ſi aliquâ re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipſam impoſſibilitatem ad tempus non adnuntiavit? Quia ſi ipſe aut non voluit aut ſuæ negligentiæ cauſâ non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc, quod jubemus, ſervare velit & poſſit. Ut autem juſſio noſtra in hac re citiùs impleatur, volumus ut quicunque ab illa die alium denarium negotiandi cauſâ protulerit, à Comite & Miniſtris ejus auferatur ab eo.*

XXV. Undeviceſimo Capitulo Ludovicus hanc de teloneis injuſtis admonitionem habet. *Similiter quoque de injuſtis teloneis, de quibus qualiter ab omnibus obſervandum eſſet, & Capitulis conſtituimus, & creberrimas admonitiones feci-*

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

mus, prædicti Missi nostri volumus ut inquisitionem faciant à quibus nostra jussio in hoc adimpleta, à quibus quoque sit neglecta; & eum, qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat jussus præsentiam, ut citò rationem de his, sicut superiùs diximus, reddat, &, si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

Vicesimo Capitulo Ludovicus pontes, ubi antiquitus fuerunt, ante festum Sancti Andreæ renovari præcipit. *Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore Genitoris nostri, ipso jubente, diversarum necessitatum causâ facti sunt, omnino absque ulla dilatione ab his, qui eos tunc fecerunt, restituantur & renoventur, ita ut ad Missam Sancti Andreæ restaurati fiant, nisi fortè aut ipsa operis magnitudo aut aquarum in quolibet inundatio hoc prohibeat. Aliter verò nullus qualibet occasione hoc negligere aut differre præsumat, quin ad prædictum tempus completum fiat. Et Missi nostri, quorum superiùs mentionem fecimus, volumus ut renuntient in quibus locis nostra jussio impleta, in quibus neglecta est, aut aliquâ impossibilitate vel certâ ratione dilata.* XXVI.

Vicesimo-primo Capitulo Ludovicus de nonis & decimis hanc habet admonitionem. *De nonis quidem & decimis, unde & Genitor noster & nos frequenter & in diversis Placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato & de vino & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit.* XXVII.

Vicesimo-secundo Capitulo Ludovicus hanc habet admonitionem de operibus in restaurationem Ecclesiarum adimplendis. *Similiter quidem de operibus in restaurationem Ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, Episcopalis potiùs sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin, sicut à nobis sæpè jussum est, hoc aut illud partibus Ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque negligenter exinde egerit, & coram nobis exinde negligens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat, quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.* XXVIII.

Vicesimo-tertio Capitulari Ludovicus admonitionem habet ad Comites, ut Ministris Ecclesiarum in eorum Ministeriis adjutores se præbeant. *Comites verò Ministris Ecclesiæ in eorum Ministeriis, ut hoc pleniùs & de nostris & de se & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque primâ & secundâ vice de his à Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem ejus negligentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostrâ auctoritate quod in nostro Capitulari continetur subire cogatur.* XXIX.

Vicesimo-quarto Capitulo præcipit, ut Capitula quæcumque constituit Archiepiscopi & Comites civitatum Metropolitanarum à Cancellario Palatino, ab iisdem Archiepiscopis ac Comitibus Episcopi & reliqui Comites accipiant. *Volumus etiam, ut Capitula, quæ nunc & alio tempore consultu nostrorum fidelium à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi & Comites eorum de propriis civitatibus modò aut per se aut per suos Missos accipiant, & unusquisque per suam Diœcesim ceteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis Comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & Comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassi quoque & Vassalli nostri nobis famulantes volumus ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut à genitore nostro & à nobis sæpè admonitum est.* In hoc Capitulo Episcopos, quorum nomina Cancellarius notat, Archiepiscopos interpretare, ne Ludovicus in eodem Capitulo videatur à semetipso dissentire. Nec ullum tibi scrupulum moveat hæc interpretatio, nam proximo Capitulo Heistul- XXX.

Digitized by Google

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9. XXXI.

fus Moguntiacenſis Antiſtes in eadem periodo Archiepiſcopus & Epiſcopus promiſcuè ſic appellatur. *In Mogontia, quæ eſt Dioceſis Heiſtulfi Archiepiſcopi, idem Heiſtulfus Epiſcopus & Ruotbertus Comes.*

Viceſimo-quinto Capitulo Ludovicus undecim provincias, in quibus Miſſi Dominici Legatione functuri ſunt, utramque videlicet Germanicam, utramque Belgicam, & quinque nominat Lugdunenſes, quarum primæ Wiennenſem ac Darantaſienſem conjungit. *In Veſontio, quæ eſt Dioceſis Bernoini Archiepiſcopi, Heiminus Epiſcopus & Monegoldus Comes. In Mogontia, quæ eſt Dioceſis Heiſtulfi Archiepiſcopi, idem Heiſtulfus Epiſcopus & Ruotbertus Comes. In Treveris, Hetti Archiepiſcopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiſcopus & Eemundus Comes. In Remis Ebbo Archiepiſcopus quando potuerit; & quando ei non licuerit, Ruotadus Epiſcopus ejus vice & Ruotfridus Comes ſint ſuper ſex videlicet Comitatus, id eſt, Remos, Catalaunem, Sueſſionem, Silvanectem, Belvacum, & Laudunum; ſuper quatuor verò Epiſcopatus, qui ad eandem Dioceſim pertinent, id eſt, Noviomacenſem, Ambianenſem, Tarnanenſem, & Cameracenſem, Ragenarius Epiſcopus & Berengarius Comes. Senones Hieremias Archiepiſcopus & Donatus Comes. Rotomagum Willebertus Archiepiſcopus & Ingobertus Comes. Turonem Landrannus Archiepiſcopus & Ruotbertus Comes. Lugdunum, Tarentaſia, & Vienna, Albericus Epiſcopus & Richardus Comes.* In hoc Capitulo Diœceſis ſeu Dioceſis pro tota ſumitur provincia, quæ ſicut in Archiepiſcopatum & Epiſcopatus ei ſubjectos, ita quoque totidem in Comitatus dividitur, unde fit, ut Ludovicus decem Epiſcopatus quos Diœceſis ſeu provincia Remenſis complectitur, modò *Epiſcopatus*, modò *Comitatus* vocet; *Comitatus* enim appellat, *Remos, Catalaunem, Sueſſionem, Silvanectum, Belvacum, & Laudunum; Epiſcopatus* verò, *Noviomacenſem, Ambianenſem, Tornanenſem, & Cameracenſem.* De Archiepiſcopis, Bernoino ſeu Bernuino Veſontionenſi, Heiſtufo ſive Haiſtulpho Moguntino, Hettio Trevirenſi, Hadaboldo ſive Hadebaldo Colonienſi, Ebone Remenſi, Hieremia Senonenſi, Willeberto Rotomagenſi, & Landranno Turonenſi jam locuti ſumus. Bernoini Veſontionenſis Archiepiſcopi loco, quia non licet ei rebus aliis occupato, ſubſtituitur Heiminus Epiſcopus, ejuſdem certè Bernoini ſuffraganeus, &, quantùm conjicere poſſumus, Lauſannenſis Epiſcopus. E tribus enim Epiſcopatibus, Baſileenſi, Bellicenſi, & Lauſannenſi, qui Metropolitæ Veſontionenſi ſubſunt, ſolus Lauſannenſis mancum & imperfectum hiſce temporibus habere videtur Epiſcoporum ſuorum Indicem, cui reſtitui debeat Heiminus inter Paſchalem cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum fecimus, & Davidem qui Pontificales Infulas anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo ſuſcepit. Ebboni Archiepiſcopo Remenſi, rebus ſeu Palatinis ſeu Danicis impedito ſufficiuntur Epiſcopi duo, Ruotadus & Ragenarius. De Ebbonis Legatione in Daniam ad annos Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum [a] & octingenteſimum viceſimum-tertium [b] jam locuti ſumus, loquemúrque rurſum Tomo ſequenti. Ludovicus Auguſtus eidem Ebboni *locum unum ultra Albiam, qui vocatur Welanao*, dedit, *ut quoties illas in partes pergeret, locum ſubſiſtendi ibi haberet.* Lege Rembertum in vita Sancti Anſcharii. Welanao ſeu Welna, vulgò *Wehl*, & *Wedel*, æquali fermè itinere diſtat ab Hamburgo & Glueſtadio. Ceterùm inter Epiſcopos, qui per Ebbonis abſentiam Miſſi Dominici conſtituuntur, provincia Remenſis ita diſtribuitur, ut Ruotadus Miſſaticum per ſex Epiſcopatus ſive Comitatus, Ragenarius per quatuor reliquos exerceat. Ruotadus ſeu Rotadus aut Rotardus Sueſſionenſis eſt Epiſcopus, Ragenarius ſeu Rangarius Eccleſiæ præeſt Noviomenſi. Rotardi jam meminimus ex Flodoardo [c] in Concilio Noviomenſi ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum. Ragenarius in Noviomenſium ac Tornacenſium Epiſcoporum Catalogis proximus eſt ſucceſſor Wendilmari, cujus quoque mentionem fecimus

[a] Num. ter.
[b] Nu. 4. 16.
[c] Lib. 2. c. 18.

Digitized by Google

fecimus in eadem Synodo Noviomenſi [a], necnon ad annum DCCCXVII [b], quo Præceptum obtinuit pro Eccleſia Tornacenſi. Narravimus [c] etiam multa de Alberico Lingonenſi Epiſcopo, cui Ludovicus Legationem per provincias, Lugdunenſem primam, Viennenſem primam, & Darantaſienſem, committit, quia talibus negotiis vacare non poſſunt Archiepiſcopi, Agobardus Lugdunenſis & Barnardus Viennenſis jam laudati, necnon &, Andreas Darantaſienſis, qui poſt Eodebertum aliàs memoratum ſedet. AN. CH. 825.

[a] Ad an. 824. n. 72.
[b] N. 364.
[c] Ad an. 826. nn. 22. & ſeqq.

Viceſimo-ſexto Capitulo Ludovicus, quid ad Legationem Miſſorum pertineat, per partes ſic exponit. XXXII. *Primò ut Conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum Legationem pertinentes convenire poſſint, & omnibus generaliter notum faciant qualis ſit eorum Legatio, ſcilicet ad hoc ſe eſſe à nobis Miſſos conſtitutos, ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et ſi fortè Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat. Et, ſi talis cauſa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur. Et, ſi fortè Epiſcopus aut Comes aliquid negligentiùs in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus ſciat ad hoc eos eſſe conſtitutos, ut quicunque per negligentiam aut incuriam vel impoſſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam adquirere non potuerit, ad eos primùm querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam adquirere, & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſâ reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipſi verò Miſſi non ſine certiſſima cauſa vel neceſſitate huc illúcque diſcurrant, niſi fortè quando tale aliquid in cujuſlibet miniſterio ad Legationem ſuam pertinente ortum eſſe cognoverint, quod eorum præſentiâ indigeat, & ſine illorum conſilio vel adjutorio emendari non poſſit. Inde tamen debent eſſe ſolliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in ſua Legatione incorrectum remaneat, ſed ubi certam, & veram neceſſitatem cognoverint, noſtram Juſſionem adimplere non negligant.*

Viceſimo-ſeptimo Capitulo Ludovicus præcipit Miſſis Dominicis, ut ea, quæ per Capitula ſtatuta ſunt, omnibus nota faciant. XXXIII. *Volumus etiam, ut omnibus notum ſit, quia ad hoc conſtituti ſunt, ut ea, quæ per Capitula noſtra generaliter de quibuſcunque cauſis ſtatuimus, per Miſſos nota fiant omnibus, & in eorum procuratione conſiſtant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi fortè aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non poſſit, aliquid de his, quæ conſtituimus ac juſſimus, remanſerit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur quod per eos corrigi non potuit.*

Denique duodetriceſimo Capitulo Ludovicus ad eos, qui Legatione funguntur, hanc habet admonitionem. XXXIV. *Noſſe vos credimus, quanti ſit ponderis Legatio, quam vobis commiſimus, & quàm ſit periculoſum tantæ rei curam negligere, quantum vos pro noſtra omnium communi ſalute ex noſtra obligatione ſuſcepiſſe non ignoratis. De qua re cùm vos interrogaſſemus, non ſic nobis reſponſum eſt, ut in eo reſponſo ſufficere potuiſſet ad eam diſpoſitionem, quam rerum neceſſitas ad communem utilitatem pertinentium poſcere videbatur, vel quæ nobis aliquod ſecuritatis ſolatium afferre potuiſſet. Et hoc ideo eveniſſe perſpeximus, quia anno præterito, quando Capitula Legationis veſtræ vobis dedimus, cautè vos obſervare juſſimus, ne ſine cauſa his, quos honoratos eſſe volumus, aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere, qualiter nunc Domino adjuvante eandem juſſionem noſtram debeatis adimplere. Volumus ut Miſſi noſtri, quos ad hoc conſtitutos habemus, curam & ſollicitudinem habeant, quatinus unuſquiſque, qui Rector à nobis populi noſtri conſtitutus eſt, in ſuo ordine officium ſibi commiſſum juſtè ac Deo placitè ad honorem noſtrum ac populi noſtri utilitatem adminiſtret, in hunc modum cognoſcendi diligentiam adhibeant, ſi ea, quæ in Capitulari noſtro, quod eis anno præterito dedimus, continentur, ſecundùm voluntatem Dei ac Juſſionem noſtram fiant adimpleta. Itaque volumus ut medio menſe Maio conveniant iidem Miſſi,*

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

unusquisque in sua Legatione, cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac Vassis nostris, Advocatis nostris, ac Vicedominis Abbatissarum, necnon eorum, qui propter aliquam inevitabilem necessitatem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et, si necesse fuerit, propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maximè propter pauperes populi, idem Conventus habeatur, qui omnibus congruat. Et habeat unusquisque Comes Vicarios & Centenarios suos, necnon & de primis Scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo Conventu primùm Christianæ Religionis & Ecclesiastici Ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Missi nostri ab universis qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc à nobis constituti sunt, officium sibi commissum secundùm Dei voluntatem ac Jussionem nostram administret in populo, & quàm concordes atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiosè hanc investigationem faciant, ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et, si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, secundùm qualitates causarum, quæ in nostro Capitulari continentur, tunc volumus ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

XXXV. Præterea sanxit idem Conventus Aquisgranensis, ut Reliquiæ Sancti Huberti, primi Leodiensis Episcopi, Leodio, ubi per annos octo supra nonaginta quieverant, ad Andainense transferrentur Monasterium, in quo Monachi Clericis ante annos octo substituti. Postquàm facta fuit hæc apud Andainum mutatio, complures Clerici nobiles Ecclesiæ Sancti Lamberti Leodio discesserunt, atque in Andainensi Cœnobio Monasticen amplexi sunt. Idem posteà Walcandum Leodiensem Episcopum, ut sacras exuvias Sancti Huberti pateretur ad Cœnobium Andainense transferri, supplices rogarunt, atque in ejusmodi postulationibus annos fermè tres ad Aquisgranensem usque Conventum insumpserunt. Totum negotium, ut gestum est, ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quo Monachis Andainum cessit, Anonymus, qui tum vivebat, in literas ita retulit. *Cœperunt undiquaque in eundem locum Religiositatis cultores confluere, & maximè nobiles viri ex Monasterio*, sive ex Leodiensi Ecclesia Cathedrali, *Sancti Lamberti, qui Apostolicæ vitæ* (Monasticam vitam interpretare cum Surio [a], quia vitam imitatur, quam Hierosolymis inchoarunt Apostoli) *desiderio accensi erant, illuc convolare, viriliter ejus Ordinis vitam, morum actumque probitatem tenere. Qui, postquàm detritâ sanctæ conversationis viâ, quæ olim sibi fuerant aspera, Christo ductore cœperunt fieri levia, augmenta suæ perfectionis & devotionis requirentes, adierunt præfatum venerabilem Antistitem Walcandum, uti Beatissimi Huberti Præsulis ossa eis à loco sepulturæ permitteret transferre, & in Cellam suæ habitationis, ob sui consolationem, & Confessoris Domini ampliorem honorem, transportare. Qui vocis eorum petitionem, ut pius Pater, clementer audivit, indignumque locum, in quo sancta membra jacebant, tanto Confessore judicavit. Sed piam petitionem eorum impleri posse atque debere non abnuit, attamen ne incautè ac passim levitatis errore dictante id fecisse videretur, fermè tribus annis eorum petitionem distulit. Sed cùm ab ipsis venerandis viris magnoperè, ut id eis concederet, exigeretur, prudenti consilio cuncta peragens, Adebaldum Venerabilem Virum Metropolitam suum,* Colonienſem videlicet Archiepiscopum, *super hac re consuluit. Qui & ipse in tanta re consilium suum, ut decebat summæ humilitatis virum, reputans minimum, ratum duxit, ut unà Christianissimum atque Orthodoxum Principem Ludovicum Imperatorem adirent, & quæ eos pulsaret fratrum petitio, pariter edissererent. Qui & ipse Gloriosus atque Invictus Augustus, considerans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine sui transcendentem, ad Concilium Venerabile Episcoporum, quod tunc temporis apud Aquas congregatum erat, statuit conferendum, &, quid eis esset gerendum, à sententia Sancti Conventûs magnoperè flagitandum. Idem autem Venerabilis ac prorsus Deo amabilis Conventus, consideratis undique partibus, scilicet qui & quare peterent, sed & reverentiâ Sancti Confessoris, sanxerunt tot Religiosorum virorum voto, sancti viri ossa committi, & in Monasterio*

[a] D. 3. Nov. in S. Hubert.

RELIQUIÆ S. HUBERTI LEODIO TRANSFERUNTUR AD ANDAINUM.

ſupradicta, ubi religioſius honorarentur, collocari. Quorum ſententiæ ſæpedictus Pontifex obedientiam præbuit, conſilio aſſenſit, & petentibus jam dictis viris venerandis Sanctiſſimi viri Hucberti corpus attribuit. Nam anno ordinationis ipſius decimo-ſexto, qui eſt Incarnationis Dominicæ octingenteſimus viceſimus-quintus, XI Calendas Octobris ad Beatiſſimi Confeſſoris ventum eſt urnam, atque à Sacerdotibus cum maxima reverentia à loco ſepulturæ ejus effoſſa, inde cum Religioſi populi gradúſque Eccleſiaſtici frequentia in Beati Lamberti Eccleſiam Sancti oſſa ſunt viri tranſvecta, ubi triduo orationibus & vigiliis proſecuta pridie Calendas Octobris ad memoratum Monaſterium cum loculo ſuo ſunt perlata, ibidémque Chriſto annuente ut tanto Confeſſori competebat, mirificè condita. Fuit hæc ſecunda Sancti Huberti Tranſlatio, nam prima facta eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio, ut probatum Tomo quinto [a]. In utraque corpus Beati Confeſſoris inventum eſt incorruptum. Auctor, quem proximè citavimus, acturus de altera Inventione profitetur ea ſe ſcripturum, quæ *dicti Venerabilis Antiſtitis Walcandi & quorumdam aliorum Religioſorum virorum veraci relatu* didicit. Ideóque ſibi potiorem apud nos fidem conciliat, quàm plerique recentiores, qui poſteriorem hanc Tranſlationem in alios annos conjiciunt. A prima Tranſlatione ad ſecundam indeterminatè ponit *annos circiter ſeptuaginta-quinque*, magis appoſitè notaſſet *annos circiter octoginta*, interfluxerunt enim octoginta-duo. Huic Tranſlationi, quam Laurentius Surius [b] jam publicarat, Joannes Mabillonius [c] Miracula ſubjecit ex Anonymo, qui ſub finem undecimi ſeculi ſcripſit. Hic lucubrationem ſuam exorſus eſt à cæco, qui eodem anno, quo Reliquiæ Sancti Huberti tranſlatæ ſunt, lumen ad illius ſepulchrum recepit, &, ut opera Dei prædicarentur, ſanus ab Alveo Andaginenſi Abbate Leodium ad Walcandum Epiſcopum directus eſt.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

[a] Ad an. 743. n. 17.

[b] D. 3. Nov.

[c] Sec. 4. Ben. part. 1.

Erat adhuc Aquiſgrani Ludovicus tertio Nonas Junii, cùm permutationem inter Hildebaldum Matiſconenſem Epiſcopum & Warinum Comitem hoc confirmavit Præcepto, quod ex Chartulario [d] Cluniacenſi deſcripſimus. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Si enim ea quæ fideles Imperii noſtri pro eorum opportunitatibus inter ſe commutaverint, noſtris confirmantur Edictis, Imperialem exercemus conſuetudinem, & hoc impoſterum jure firmiſſimo manſurum eſſe volumus. Idcircò noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, induſtria, quia vir venerabilis Hilduinus Abba & ſacri Palatii noſtri ſummus Capellanus innotuit Serenitati noſtræ, eò quòd Hildebaldus Mateſcenſis Eccleſiæ Epiſcopus & vir illuſter Warinus Comes de quibuſdam rebus pro communi utilitate & compendio nuperrimè inter ſe commutationem feciſſent. Dedit præterea Hildebaldus Epiſcopus ex ratione Epiſcopatûs ſui eidem Warino Comiti & uxori ſuæ Albanæ ad eorum proprium, perpetualiter ad habendum, in eodem pago Mateſcenſi, villam cujus vocabulum eſt Cluniacus cum Eccleſia in eadem villa, & cum caſis, domibus, ædificiis, vineis, campis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, farinariis, exitibus & regreſſibus, cum mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia & ex omnibus eorum, & ad integrum quicquid ad ipſam villam aſpicere videtur, necnon & in pago Nivernenſe villam, cujus nomen eſt Aptannacus, cum Eccleſia ibidem conſtructa, cum manſis, domibus, ædificiis, vineis, campis, pratis, paſcuis, aquis aquarúmve decurſibus, ſylvis, exitibus & regreſſibus, & cum mancipiis ibidem commanentibus, vel cum omni agnatione eorum, omnia & ex omnibus quantumcumque ad ipſam villam aſpicere videtur. Warinus Comes & uxor ſua Albana de rebus proprietatis eorum eidem Hildibaldo Epiſcopo ad partem Eccleſiæ ſuæ in eodem pago Mateſcenſi, villam, cujus vocabulum eſt Gemuliacus cum Eccleſia ibidem conſtructa, cum manſis, domibus, caſis, ædificiis, vineis, campis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis aquarúmve decurſibus, farinariis, exitibus & regreſſibus, & mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia & ex omnibus quantùm ad ipſam villam aſpicere videtur,*

[d] Chart. 145.

XXXVI.

COMMUTATIO DE QUIBUS DAM REBUS INTER HILDEBALDUM EP. MATISCON. ET WARINUM COMITEM.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

& eorum poſſeſſio eſſe dinoſcitur; & in pago Nivernenſi villam, cujus vocabulum eſt calda aqua, cum caſis, domibus, ædificiis, manſis, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis aquarúmve decurſibus, exitibus & regreſſibus, & cum mancipiis ibidem commanentibus & cum omni agnatione eorum, omnia & ex omnibus quantumcumque ibidem eorum proprium eſſe videtur. Necnon in Ducatu Arvernico in pago Donobrinſe villam, cujus vocabulum eſt Lituinias cum caſis, domibus, ædificiis, manſis, vineis, campis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, & cum mancipiis ibidem commorantibus, cum agnatione eorum, omnia & ex omnibus quantumcumque eorum proprium eſſe dinoſcitur. Unde & duas commutationes pari tenore conſcriptas, manibuſque bonorum hominum roboratas, pra manibus habere profeſſus eſt, ſed pro integra firmitate petiit Celſitudini noſtræ, ut ipſas commutationes denuò per noſtrum Manſuetudinis Præceptum pleniùs in Dei Nomine confirmare deberemus, quorum petitioni denegare noluimus, ſed ſicut unicuique fidelium noſtrorum juſtè petentium, ita nos illis conceſiſſe atque in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juſtè & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneat atque poſſideat, vel quicquid exinde facere vel judicare voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quicquid elegerit, & ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conſervetur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovi. Data III *Nonas Junias, anno, Chriſto propitio,* XII *Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione tertia. Actum Aquiſgrani, Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Dubium non eſt quin annus Ludovici Auguſti duodecimus & Indictio tertia per menſem Junium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto conveniant.

XXXVII. ECCLESIA BRIVATENSIS INSTAURATUR A BERINGARIO COMITE.

Poſtridie quàm Ludovicus Præceptum proximè deſcriptum dedit, idem Imperator aliud emiſit pro Eccleſia Brivatenſi, quod in Appendice veterum Actorum poſt Notas ad Capitularia ſic à Stephano Baluzio publicatum reperies ex Brivatenſi Chartulario. *In Nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris ſeu etiam Deo diſpenſante ſucceſſoribus, quia poſtquàm Comitatum Brivatenſem fideli noſtro Beringario Illuſtri Comiti conceſimus, ille ingenio, quo valuit, quandam Eccleſiam, ubi Sanctus Julianus Martyr corpore requieſcit, quæ eſt conſtructa in vico Brivatenſi non procul à Caſtro Victoriaco, quæ à Saracenis deſtructa & igne combuſta erat, ad priſtinum ſtatum reduxit, & in eadem Eccleſia conſtituit triginta-quatuor Canonicos, & in Caſtro prædicto Victoriaco quam ſimiliter reædificavit, viginti, ut juxta Canonicum Ordinem Domino militarent & Canonicè viverent, quibus dedit res ex beneficio ſuo, ſcilicet de rebus prædictæ Eccleſiæ Sancti Juliani, manſos centum, unde eorum neceſſitates fulcirent, & ſubſtentationem habere potuiſſent, videlicet prædictis Clericis in commune ſexaginta, & Abbati, quem ipſi pariter ſuper ſe elegerunt, manſos quadraginta. Precibus, quibus valuit, idem Beringarius fidelis Comes noſtram exoravit Clementiam, ut per noſtrum auctoritatis Præceptum conſtitueremus, qualiter prædicta centum manſa nullus exinde abſtrahere præſumeret, & ut Abbatem ſuper ſe Canonici in prædictis locis conſtituti inter ſe eligendi licentiam haberent, & ipſe Abbas vel Congregatio ejus ſub nullius ditione fuiſſent, & nemini cuilibet obſequium pro prædictis rebus feciſſent, niſi tantùm ad partem Regis annuatim caballum unum cum ſcuto & lancea præſentaſſent, & in poſtmodum ab omni exactione vel defunctione publica aut privata immunes & liberi eſſent. Cujus deprecationi, quia juſta & rationabilis nobis viſa eſt, aurem accommodare placuit, & hos noſtros Imperiales apices fieri, per quos decernimus atque jubemus, ut quemadmodum prædictus Beringarius de ſuprascriptis locis & Abbate atque Canonicis vel rebus ibidem conceſis conſtituit atque præordinavit, & à nobis confirmari poſtulavit, vel quemadmodum ſuperiùs dictum eſt, ita deinceps noſtris futuriſque temporibus Domino auxiliante fixum atque ſtabile*

Digitized by Google

permaneat. Sed & hoc nobis inferere placuit, ut quicquid abhinc futurum in prædictis locis divina pietas per nos aut ſucceſſores noſtros, vel per quoſlibet liberos & Deum timentes homines largitum atque conceſſum fuerit, ſub eadem conditione, ſicut ſuperiùs, dictum eſt, conſiſtat. Et ut hæc noſtra auctoritatis præceptio atque confirmatio per futura tempora inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, annulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari. Data ceſſio iſta II *Nonas Junii, anno* XII *Imperii Ludovici Sereniſſimi Auguſti, Indictione* III. AN. CH. 825.

XXXVIII. LOTHARIUS AUG. AD PATREM REDIT.

Dimiſſo Conventu Aquiſgranenſi, Ludovicus *in Vogeſum ad Rumerici arcem venandi gratiâ profectus, filium ſuum Lotharium ex Italia regreſſum, ibique ad ſe venientem ſuſcepit, ac peractâ venatione Aquaſgrani rediens generalem populi ſui Conventum more ſolenni menſe Auguſto habuit. In quo Conventu inter ceteras Legationes, quæ de diverſis regionibus venerunt, etiam filiorum Godefridi de Nordmannia Legatos audivit, ac pacem, quam iidem ſibi petebant, cum eis in Marcha eorum menſe Octobri confirmari fecit.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis.

XXXIX. HILDUINUS ABB. ROMA SUESSIONEM REVERTITUR.

Ad Ludovicum Aquiſgrani cum Lothario filio commorantem venit etiam Hilduinus Abbas, qui Romam in comitatu Lotharii profectus anno præterito fuerat, ut retulimus ex libello de Tranſlatione Sancti Sebaſtiani, quem Petrus Franciſcus Chiffletius è manuſcripto Codice Veſontionenſi deſcripſit, atque cum Joanne Bollando communicavit in unum ac viginti capita diſtributum. Capite primo, Hilduinus Romam cum Lothario Auguſto proficiſcitur, ut dictum anno ſuperiore. Capite ſecundo, redit in Gallias, eodémque tempore, quo Lotharius in Voſegum ad arcem Rumerici contendit, ut venationi cum Ludovico patre indulgeat, ipſe revertitur ad Sueſſionenſe Monaſterium Sancti Medardi, réſque cunctas quas Romæ vidit, præcipuè ſacras exuvias Sanctorum, quas illic coluit, longâ narratione commemorat. His auditis, Medardini fratres deſiderio poſcendarum Reliquiarum accenduntur. Rodoinus loci Præpoſitus, ut Abbati ſic & Imperatori percharus vota ſodalium palàm aperit. Hilduinus hanc poſtulationem ſibi gratiſſimam teſtatur, mox Aquiſgranum ad publicum Conventum pergit, ibíque ab utroque Auguſto & à Juditha Auguſta benignè excipitur. Capite tertio, Ludovicus petitis annuit, Rodoinum cum literis ad Eugenium Papam pro Reliquiis Sancti Silveſtri Romani quondam Pontificis adipiſcendis Romam deſtinat. In itinere, poſtquàm ad ſuburbium Lingonenſe perventum eſt, mira res cauſam mutandi conſilii præbet. Æger ante fores Lingonenſis Eccleſiæ divinitus ſanatur ope Sancti Sebaſtiani Martyris, & ab eo jubetur in ſuburbium ire moneréque Rodoinum ac ejus ſocios, ut inſignis Miraculi, quo priſtinam valetudinem recuparavit, facti teſtes deſiſtant à propoſito, nec à Romano Pontifice Reliquias Sancti Silveſtri ſed corpus Beati Sebaſtiani poſtulent. Hac admonitione læti Sueſſionem ad Hilduinum redeunt, *rem divinitus geſtam per ordinem pandunt, & ut per ſeipſum ad Auguſti notitiam idipſum perferre dignaretur anxiè precantur. Diplomata quoque, quæ Magni Silveſtri Præſulis rogabant pignora, demutari in expetitionem inclyti Martyris Sebaſtiani obnixè depoſcunt, &, ne quod cœpti itineris infortunium incurrant, maturatò cauſam quantocyùs quâ audent importunitate inſiſtunt. Perfert vir ſpectabilis Hilduinus ad notitiam pii Principis divinæ Legationis arcanum, pandit ſalubrem de adipiſcendis tanti Martyris pignoribus revelationem. Jubet Auguſtus literarum ſcbemata ſub obtentu emeriti Militis multiplici referta prece inſtaurare; dehinc, ut priùs, nomine & annuli ſui impreſſione ſignatas Rodoino cum ſuis reconſignat epiſtolas. Illi per divinam revelationem ſalubriùs aurâ ſpirante gratanter viam relegentes, nihilque de expletione negotii ulteriùs hæſitantes, auream certatim expetunt Romam.* Quæ ſecuta ſunt, dicentur anno proximo.

RODOINUS E MON. S. MEDARDI ROMAM MITTITUR, AD POSCENDAS RELIQUIAS S. SEBASTIANI.

XL. Interim hoc anno, Ludovicus Imperator *completis omnibus negotiis, quæ ad illius Conventûs*, nempe Aquiſgranenſis habiti menſe Auguſto, *rationem pertinere videbantur, Noviomagum cum filio majore ſeceſſit, minorem verò Ludovicum in Bajoariam direxit. Ipſe autumnali venatione completâ, circa hyemis ini-*

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

tium, ut Annaliſta Laureshamenſis teſtatur, *Aquaſgrani reverſus eſt.* Illuc venerunt octavo Idus Decembris Halitgarius & Amalarius deferentes è Conventu Pariſienſi Collectionem Sententiarum in cauſa Imaginum. Id liquet ex ejuſdem Ludovici Commonitorio, quod anno proximo deſcribemus. Hæc autem Conventûs apud Pariſios habendi fuit occaſio. Conſtantinopolitanos Oratores, de quibus ſub anni prioris finem locuti ſumus, Rotomago Romam profectos paulò pòſt ſubſecuti ſunt Freculfus Lexovienſis Epiſcopus & Adegarius, per quos Ludovicus ab Eugenio Papa poſtulavit, ut, *ex ejus permiſſione*, prædicta Sententiarum Collectio fieret. Id etiam ex prælaudato conſtat Commonitorio. Pontifex hos Legatos, conceſsâ quam petebant licentiâ, ſtatim in Gallias remiſit. Imperator poſt eorum reditum Conventui locum & diem indixit, & Epiſcopis, qui doctrinâ ceteris præſtare videbantur, præcepit ut Kalendis Novembribus adeſſent Pariſiis, ibíque ſimul in unum collecti de Imaginum veneratione diſſererent. Facta tum Sententiarum Collectio, de qua nobis hîc ſermo.

CONVENTUS PARISIENSIS DE CAUSA IMAGINUM.

XLI. Latuit hic liber ad annum uſque Chriſti milleſimum quingenteſimum nonageſimum-ſextum, quo cuſus è typis Wechelianis Francofurti ad Mœnum prodiit cum hoc titulo. *Synodus Pariſienſis de Imaginibus anno Chriſti* DCCCXXIV *ex vetuſtiſſimo Codice deſcripta, & nunc primùm in lucem edita.* Ejuſdem opuſculi refutationem ſex capitibus diſtinctam edidit Robertus Bellarminus in Appendice ad Tractatum de cultu Imaginum. In eadem quoque materia verſatus eſt Cæſar Baronius Tomo nono Annalium Eccleſiaſticorum, ad annos Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum, octingenteſimum viceſimum-quartum, & octingenteſimum viceſimum-quintum. Tantæ fuerunt auctoritatis hi duo Cardinales apud Severinum Binium, ut iſtius Conventûs *Acta, qua incerto & innominato Auctore, nullâ factâ mentione loci ubi inventa vel unde accepta fuerint, in lucem prodierunt, tanquam ſpuria & illegitima, vel ſaltem de fide ſuſpecta, nequaquam editioni* Conciliorum, quam procuravit, putarit *inſerenda*, ſolúmque deſcripſerit Bellarminum additâ in fine notatiunculâ de Baronio ad annos ſuprà citatos conſulendo. Jacobus Sirmondus ſolas Ludovici literas ad Eugenium Papam & Commonitorium ad Hieremiam Archiepiſcopum Senonenſem & Jonam Aurelianenſem Epiſcopum antiquis Galliæ Conciliis inſeruit. At inter eorumdem Conciliorum Supplementa Petrus *Delalande* totum prænominati Conventûs librum edidit, exceptis literis ac commonitorio proximè notatis, ne metas operis ſuſcepti tranſiret, recuderétque quod à proavunculo Sirmondo jam cuſum eſſet. Poſtremi Conciliorum Collectores Binium & Sirmondum ſecuti ſunt, ex Bellarmino refutationem Conventûs Pariſienſis, ex Sirmondo literas & commonitorium Ludovici tranſcripſerunt cum brevibus Binii & Sirmondi ad eundem Conventum notis, ne vel tantillùm à Bellarmino & Baronio diſcrepare viderentur. Auctoritas tantorum Cardinalium, quos & pietate & doctrinâ præſtantiſſimos fuiſſe nemo non fatetur, plurimùm valet apud nos, nec unquam ab eorum opinione niſi coacti invitique recedimus. Ad illas anguſtias hoc loco redigimur, ut enim inficiati ſumus in Concilio Francofordienſi, ſic & negamus in Pariſienſi Conventû ſeptimam Synodum Oecumenicam ſeu ſecundam Nicænam à Francis damnatam fuiſſe. Secus uterque ſentit Cardinalis. Adversùs Synodum Francofordienſem diſputat Bellarminus libro ſecundo de Conciliorum auctoritate, capite octavo; adversùs Pariſienſem Conventum in Appendice ad Tractatum de cultu Imaginum jam laudata. Baronius eandem init diſputationem Tomo nono, contra Synodum Francofordienſem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-quartum, contra Pariſienſem Conventum ad eundem annum, necnon ad octingenteſimum viceſimum-quartum & ad octingenteſimum viceſimum-quintum; atque in ejus opinione [a] *Collatores*, qui Conventum Pariſiis habuerunt, *in illud præcipitium ſponte* lapſi ſunt, *ut*

[a] Hoc an. n. 4.

ſeptimam Oecumenicam Nicanam Synodum eo nomine condemnarent, mentientes quòd in ea latria adoratione juberentur imagines, adorari, & occaſione Legationis hæretici Imperatoris Michaelis cicatricem malè obductam refricantes, vulnus periculoſius induxerunt, quod anteà inflictum in Francofordienſi Concilio, jam fuerat abolitione Actorum illorum plenè curatum, ſed ob inſcitiam Collatorum Pariſienſium *& nequitiam pariter, dirâ exulceratione recruduit.* Hæc Baronius. Hodie pereruditi non deſunt viri, qui Francos aſſerant à prædicta Synodo Nicæna nec in Francofordienſi Concilio nec in Pariſienſi Conventu diſſenſiſſe; Pariſiis enim in Scholis [a] hanc aſſertionem publicè propugnatam meminimus. Tomo ſuperiore prolixum de Concilio Francofordienſi ſermonem fecimus, quem conſule ſi lubet. Quid de Pariſienſi Conventu cenſeamus, nunc accipe.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP 9. PIPPINI R. II. LUDOV. R. 9.

[a] In Reg. Navarr. d. 5. Dec. a. 1675.

XLII.

Baronius duabus de rebus initio diſputationis queritur; primò, quòd malâ fide facta ſit editio Collationis, deinde quòd ipſa Collatio, quæ per tot ætates in tenebris delituerat, in lucem pravo conſilio prodierit. *Erubuiſſe*, inquit [b], *viſa ſunt poſteriora ſecula, quæ in hac, de qua eſt ſermo, Collatione ſunt facta, ſcriptiſque mandata, ac ea de cauſa Acta ipſius occuluiſſe, ut ampliùs non eſſent viſa. Nullus enim uſquam reperitur (quod ſciam) inter tot diverſorum Scriptorum examina, quibus Gallia abundavit, qui ejuſmodi Collationis vel levem mentionem habuerit, quæ ante annos quatuor*, ſive anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo-ſexto, *Francofurti cuſa in Wechcliana typographia in lucem prodiit abſque luce, nempe quòd Auctoris nomine careat, qui invenit, & edendam curavit, vel ex qua fuerit accepta Bibliotheca, nec ſit aliquod dictum (ut moris eſt eorum, qui ingenuo ac animo libero abſque fuco & fallaciis rem agentes, omnia iſta produnt) quo liberent fidem ſuam, & lectori aditum non occludant ſed patefaciant, ut, ſi velint, ipſum poſſint conſulere Codicem veterem, num ex eo ſint cuncta ſincerè atque fideliter reddita. Nam ſecus facere, eſt tyrannicè cogere & ſtrangulare Lectorem, ut ea, quæ edita ſunt, accipiat, velit nolit, nec in ambiguis habeat, quem conſulat, quò ſe vertat. Ut planè (quod dictum eſt) non ſit iſtud in lucem edere, ſed effundere tenebris omne quod promitur. Secundùm igitur Redemptoris noſtri illam ſententiam [omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta,] arguendus eſt iſte filius eſſe tenebrarum, qui tenebricoſum opus, perpetuis tenebris dignum à Majoribus habitum & abditum, obſcuritate nominis & loci unde prodierit, totum denſâ effuſum caligine in odium & invidiam Catholici nominis ſparſerit, ut conſultiùs Pithœus egerit (ſi verum eſt quod præfatur anonymus) ut apud ſe retinuerit, nec prodiderit in dedecus Galliarum quod apud ſe habebat eorundem Actorum vetus exemplar.* Baronianæ querelæ pars haud modica lapſu temporis evanuit. Poſt plures prædictæ Collationis editiones, quæ rebus ad auctoritatem fidémque conciliandam valdè neceſſariis carebant, anno tandem Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto prodiit Pariſienſis hujuſcemodi Characteribus eleganter adornata. Conciliorum antiquorum Galliæ à Jacobo Sirmondo editorum Supplementis inſerta reperitur à pagina centeſima ſexta ad centeſimam duodequadrageſimam. Illorum Supplementorum Collector nec nomen nec patriam nec munus ſuum reticuit; ſcriptus eſt in prima pagina Petrus *Delalande* Ricomagenſis in Arverna Lemane, Theſaurarius Eccleſiæ Regalis Sancti Frambaldi Silvanectenſis; opus ſuum Clero Gallicano generalem in Urbe Regia Conventum celebranti dicavit; atque ubi pervenit ad Collationem Pariſienſem, de qua diſputamus, unde eam acceperit, hac Lectorem notatiunculâ monuit ad oram poſitâ, *ex Codice Sancti Remigii Remenſis, qui eſt in Bibliotheca Thuana num. 270.* Quin author editionis Wechelianæ Collationem Pariſienſem malâ mente vulgarit *in odium & invidiam Catholici nominis*, ut Baronius ſcribit, in dubium minimè vocamus. *Sed*, ut idem Annaliſta proximè ſubjungit, *tantùm abeſt, ut quod voluit aſſecutus ſit*

[b] Hoc an. nn. a. 3.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9. XLIII.

auctor qui edidit, ut potiùs contrarium nolens & invitus ſit operatus, cùm, ex literis quas recitat Ludovici Pii, ipſa pietas in tenebris eluceſcat, nimirum quantùm ſit apud Romanos Pontifices in univerſa Eccleſia juris & poteſtatis, & quantâ Imperatores proſequi eos debeant reverentiâ & colere obſervantiâ. His aliiſque cauſis permoti, qui ſpecialiter à generalibus Gallicani Cleri Comitiis ad examinanda Gallicanorum Conciliorum Supplementa nominati ſunt, Collationem illam Pariſienſem iiſdem Supplementis inſeri non prohibuerunt, Clariſſimæ memoriæ Petrus *de Marca* Toloſanus tunc Archiepiſcopus, Franciſcus *Boſquet*, Epiſcopus Montiſpeſſulanenſis, & Rogerius *de Harlay* Lodovenſis pòſt Epiſcopus, necnon & Franciſcus *de Bertier* hodie Rivenſis Epiſcopus.

In editione Wecheliana liber hoc donatur Titulo ſuprà jam deſcripto. *Synodus Pariſienſis de Imaginibus anno Chriſti* DCCCXXIV, *ex vetuſtiſſimo Codice deſcripta, & nunc primùm in lucem edita.* Negat Bellarminus nomen Synodi rectè poſitum, ſuámque opinionem his tuetur argumentis, *quòd nulla in eo* libro *conſpiciantur Decreta, nulli Canones, nulla extet Epiſcoporum ſubſcriptio, nulla Synodi mentio*; quódque Ludovicus Imperator in literis ad Eugenium Papam ſic ſcribat; *nos non Synodum congregando, ſed quemadmodum à vobis poſtulavimus, licentiámque agendi percepimus, unà cum familiaribus noſtris, filiis veſtris, quantùm pro multiplicibus ſollicitudinibus Regni diverſis occupati per intervalla potuimus, conſiderare ſtuduimus, quid almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare potuiſſemus.* Baronius eodem literarum fragmento nixus ait *non Synodum eſſe celebratam, ſed ex ſelectis viris eruditis habitam eſſe Collationem, ſingulis in eam ſuum ſymbolum conferentibus.* Nos lubentiſſimè Collationem cum Baronio, cum aliis pleriſque Conventum appellamus, ita tamen ut Synodi quoque nomen convenire non inficiemur, quia multi adſident Epiſcopi, ſimúlque conferunt de confutanda hæreſi ac pace Eccleſiæ reſtituenda. Walafridus Strabo librum *de exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſticarum* ſcripſit poſt Ludovici Pii mortem, cui novem duntaxat annos ſuperſtes vixit. Capite octavo, quod totum eſt *de Imaginibus & picturis*, quid temporibus ejuſdem Ludovici noviſſimè geſtum ſit à Francis in cauſa Imaginum, ſic expoſuit. *Ipſa denique querela Græcorum temporibus beatæ memoriæ Ludovici Imperatoris, in Franciam perlata, ejuſdem Principis providentiâ ſcriptis Synodalibus eſt confutata.* Per Synodalia ſcripta Collationem Pariſienſem, de qua nunc agimus, intelligas hoc loco, neceſſe eſt, quia quandiu Ludovicus Imperium geſſit, non occurrit alius Epiſcoporum cœtus à Francis habitus ad examinandam quæſtionem de cultu Imaginum, quæ magnas apud Græcos contentiones excitabat. Collationem igitur Pariſienſem non malè Synodum vel Conventum Synodicum vocabis. Lege in Gallicanorum Conciliorum Supplementis obſervationem non ingratam *de vocabulis Placiti, Conventûs, & Synodi uſurpatis ab illorum temporum Scriptoribus.* Quod attinet ad præcitatum epiſtolæ fragmentum, quam Ludovicus Imperator Eugenio Papæ ſcripſiſſe fertur, hoc nullius eſt auctoritatis, commentitiæ ſunt enim illæ literæ, taléſque procul dubio reputabuntur, ſi collatæ fuerint cum aliis, quas infrà recitabimus ex eodem Conventu Pariſienſi. Prolixus prologus, ſtylus diſpar, ſenſus diſſimilis, ut ita cenſeamus, facilè non adducunt. Solam in ſenſu diſcrepantiam hîc oſtendemus, de ceteris Lector judicium ferat. Suppoſititias literas ſic claudit Ludovicus. *Nos tamen non Synodum congregando, ſed quemadmodum à vobis poſtulavimus, licentiámque agendi percepimus, unà cum familiaribus noſtris filiis veſtris, quantùm pro multiplicibus ſollicitudinibus Regni diverſis occupati per intervalla potuimus, conſiderare ſtuduimus, quid almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare potuiſſemus, qualiter idem populus à Deo per veſtram conſervandus Orthodoxam Sanctitatem ad veram concordiam revocari potuiſſet, ut verâ pace conglutinati, & in hoc & in futuro ſeculo omnium Domino placere potuiſſent. Et quicquid exinde ſalubre Domino inſpirante invenire potuimus, Paternitati veſtræ per præſentes filios veſtros, fratres noſtros, quadam dictis, quadam*

ſcriptis

Digitized by Google

ſcriptis intimando direximus. Genuinas verò ſic exorditur. *Quia veraciter nos debitores eſſe cognovimus, ut his, quibus regimen Eccleſiarum & ovium Dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium pro qualitate virium noſtrarum & intellectûs noſtri capacitate feramus, idcircò prætermittere nequivimus, quin tunc quando Legati Græcorum nobis manifeſtaverunt, qualem ad vos deberent perferre Legationem, ſummâ curâ ac ſollicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuiſſemus. Et ob hoc à veſtra Sanctitate petivimus *, ut Sacerdotibus noſtris liceret de libris Sanctorum Patrum Sententias quærere atque colligere, quæ ad eamdem rem, pro qua iidem Legati vos conſulturi erant, veraciter definiendam convenire potuiſſent. Quas cùm illi juxta conceſſam etiam à vobis licentiam ſolerter inquirerent, & divinâ opitulante gratiâ quicquid invenire tam brevi temporis ſpatio potuerunt collegiſſent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea veſtræ Sanctitati legenda atque examinanda per hos Legatos noſtros, Hieremiam ſcilicet & Jonam Venerabiles Epiſcopos, mittere curavimus.* In literis, quas dicimus commentitias eſſe, Ludovicus ab Eugenio petit, ut Collationem de cultu Imaginum ſibi, quantùm diverſa Regni negotia patiuntur, cum familiaribus habere liceat; obtentâ facultate Conventum indicit eorumdem familiarium, quibuſcum ſuper ea materia Sententias Patrum colligit, illarúmque Sententiarum Collectionem Romam ad Papam per Legatos ſtatim tranſmittit. In hac autem narratione multa veritati refragantur. Conventus Pariſiis habitus eſt, ad illum Epiſcopi multis è provinciis vocati, facta Sententiarum Collectio abſente procul Imperatore. Varia per hunc annum, quo Conventus Pariſienſis conſignatur, itinera Ludovici paucis ex Annaliſta Laureshamenſi denuò repetemus, ut hunc Imperatorem in civitate Pariſiorum hoc eodem anno verſatum neges. Ludovicus hyemem apud Aquiſgranum egit, illic enim & Natalem Domini celebravit & Paſcha; primo vere Noviomagum venandi gratiâ profectus eſt; medio menſe Maio rediit Aquiſgranum, ibi quem indixerat habiturus Conventum; erat Aquiſgrani tertio Nonas Junii, dimiſſo pòſt Conventu ſaltum Voſagum venaturus adiit; peractâ venatione reverſus eſt Aquiſgranum, ibique rurſum menſe Auguſto Conventum habuit, quo finito Noviomagum venandi ſtudio ſeceſſit; autumnali venatione completâ circa initium hyemis Aquiſgranum repetiit, & octavo Idus Decembris, cùm illic eſſet, accepit Sententias Patrum de cultu Imaginum in Conventu Pariſienſi collectas, eáſque paulò pòſt Hieremiæ & Jonæ Venerabilibus Epiſcopis dedit Romam ad Eugenium Papam deferendas. Pariſios igitur hoc anno non venit, commentitiæque ſunt literæ, quæ quid ſecus aſſerunt.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

* Goldaſt. malè *petimus*

Ex ſupradictis hæc rerum ſeries texitur eo quo geſtæ ſunt ordine. Michael & Theophilus Imperatores Conſtantinopolitani Legatos ad Ludovicum mittunt cum literis, in quibus aliquid *de Imaginum veneratione* continetur; Romam iidem Legati proficiſcuntur hac quoque de quæſtione illic acturi; ſuos etiam paulò pòſt Ludovicus ad Eugenium Papam dirigit Oratores, per quos licentiam petit obtinétque agendæ Collationis, in qua cultus Imaginum examinetur; Pariſiis habetur Conventus, colliguntur Sententiæ Patrum, quæ pertinent ad illam materiam; ipſa Collectio ſtatim Ludovico apud Aquiſgranum degenti transfertur, atque ab eo per alios Legatos ad Romanum Pontificem cum literis tranſmittitur. XLIV.

Actum anno priore de Legatis literiſque Michaelis ad Ludovicum, cetera manent hîc expendenda, pertinent enim ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quintum, cujus loco in editione Wecheliana malè ponitur annus Chriſti DCCCXXIV. Poſt Orientalium Legatorum diſceſſionem, ſuos quoque Ludovicus ad impetrandam agendæ Collationis facultatem Romam direxit Oratores, Freculfum videlicet Epiſcopum & Adegarium, de quibus in ſuis ad Ludovicum è Conventu Pariſienſi literis ita XLV.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

scripserunt, qui collectas Patrum Sententias Aquisgranum ad eundem Imperatorem transmiserunt. *Fecimus epistolam nobis relegi, quam vobis Legati Græcorum anno præterito detulerunt. Venerabilis namque Freculfus Episcopus subtiliter prudentérque, qualiter ipse & Adegarius socius illius de hac re cum Domno Apostolico & cum venerandis Episcopis & Ministris illius egissent, vivâ voce parvitati nostræ innotuit.* Cujus auctoritatis hæ sint literæ, inquirimus infrà. Lexoviensis Episcopus erat Freculfus. De Adegario ejus socio nihil occurrit observandum.

XLVI. Post horum reditum ex Italia, Conventus *de causa Imaginum* juxta Præceptum Imperatoris Ludovici *Kalendis Novembris apud Parisiorum urbem* habitus est. Eædem enim literæ sic inchoantur. *Nos servi ac fidelissimi Oratores vestri, qualiter proximis Kalendis Novembris apud Parisiorum urbem juxta præceptum vestræ Magnitudinis in unum convenimus, qualitérque de negotio à vestra Pietate nobis injuncto de causa videlicet Imaginum egerimus, ad memoriam vestræ Celsitudinis reducimus.* In illo Conventu Sententiæ Patrum festinatò collectæ, nam qui Collectionem Aquisgranum detulerunt Halitgarius & Amalarius, ii se Ludovico stiterunt octavo Idus Decembris, ut idem Imperator initio sui commonitorii testatur his verbis. *Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi* VIII *Idus Decembris, deferentes Collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in Conventu apud Parisios habito simul positi collegistis.* Et earumdem Sententiarum Collectores in literis ad Ludovicum proximè citatis de præcipiti festinatione conqueruntur, &, si quid *minus aut indecens* in ipsa Collectione repertum fuerit, temporis angustiam legitimæ sibi sperant excusationi fore. *Nos*, inquiunt, *servi vestri, sicut superiùs præmissum est, in unum convenientes, & de nobis injunctis pro captu intelligentiæ nostræ familiariter conferentes, testimonia ex auctoritate divina, & Sententias Sanctorum Patrum, quas, prout temporis angustia permisit, collegimus, & coram nobis legi fecimus, & quicquid in his de negotio, de quo agitur, necessarium aptùmque judicavimus, & in unum congerere studuimus, vestræque Imperiali potentiæ per venerabiles viros Halitgarium & Amalarium dirigere præsumpsimus, ut videlicet vestra à Deo vobis collata sapientia ex his eligat, quicquid necessarium dignúmque ad idem negotium pertinens judicaverit. Obsecramus itaque humiliter abundantissimam pietatem vestram, ut non nobis adscribatur, quicquid ibi minus aut indecens aut .... * inventum fuerit. Verè enim fatemur, quia angustiâ temporis præpediente, nec quanta voluimus, nec quanta potuimus, collegimus; sed tantùm vestris sacris jussionibus, ut decet & oportet, totis nisibus parere cupientes, quæ parvo in tempore ad manus nobis occurrere potuerunt, breviatim collegimus, & huic operi usque ad vestram sagacissimam examinationem inseruimus. Nam quidam nostrorum de longè venientes non habuerunt spatium temporis quærendi; quidam verò nec causam, pro qua ad hunc Conventum venire jussi sunt, donec pervenerunt, veraciter nosse potuerunt. Moduinus namque infirmitate, in qua diutissimè laborat, detentus venire nequivit. Scit itaque plenissimè Excellentia vestra, quia illud, quod per omnes Catholicorum libros indagari necessitas urget, prolixi temporis spatio ad legendum indiget. Nam si sufficiens spatium temporis nobis tributum fuisset, tanta Domino opitulante poteramus colligere, quæ huic operi copiosè poterant abundare. Tamen in his, quæ collecta sunt, summam hujus negotii, de quo agitur, discretè comprehensam esse juxta auctoritatem divinam & Sanctorum Patrum sententias arbitramur.* Modoinus, de quo loquuntur, Augustodunensis est Episcopus.

* deest aliquod verbum.

XLVII. Adversùs hanc Collectionem, qui sinistrè gravitérque sensit de Collectoribus, quasi Imagines nulla dignas veneratione censuerint, acriter disputavit Robertus Bellarminus [a]. At illi colligendis Patrum sententiis incubuerunt alio longè consilio, ut docerent Imagines nec frangendas nec cultu latriæ adorandas esse. *Poterant*, inquit Bellarminus, *Collectores isti maximam partem testimoniorum, quæ attulerunt, omittere, quoniam iis nihil probatur aliud, nisi solum Deum esse colendum cultu latriæ sibi uni proprio, & non esse*

[a] Cap. 4.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

imagines ita adorandas, ut etiam ſacrificia illis offerantur; quæ neque nos negamus, neque Sancta Nicæna Synodus allegavit. Imò Collectores, quia Nicænæ Synodi Decretis adhærebant, & Imagines negabant cultu latriæ adorandas eſſe, parcere non debuerunt Patrum teſtimoniis, quorum copioſâ multitudine ſententiam ſuam validiùs confirmarent. Pergit Bellarminus. *Ut videas, Lector, quantas vires veritas habeat, ipſi quoque, qui eam oppugnant, non rarò vel inviti vel imprudentes eam tuentur. Id accidit Collectoribus noſtris, nam inter alia teſtimonia colligunt etiam nonnulla, ut probent imagines non eſſe frangendas vel injuriâ afficiendas. Sed in iſtis teſtimoniis non habetur ſolùm quod ipſi volunt, imagines videlicet non eſſe afficiendas injuriâ, ſed habetur etiam quod nolunt, afficiendas honore, quod quidem illi Collectores aliquando viderunt, & textum audacter corruperunt; aliquando viderunt, & teſtimonium contra ſe in ipſo ſuo libello imprudentes reliquerunt.* Imò Collectores non tantùm probare voluerunt Imagines nec frangendas eſſe nec afficiendas injuriâ, ſed etiam afficiendas honore, nec ubi textum repererunt, qui doceret eas honore afficiendas eſſe, teſtimonium illud corruperunt. Bellarminus unicum hujuſcemodi corruptionis exemplum profert, culpámque non tam in ipſos Collectores, quàm in eos, qui Collectionem typis edendam curarunt, rejicere ſic videtur. *Prioris rei exemplum habes pag. 87. ubi allegatur Sanctus Gregorius, qui, in epiſtola 5 lib. 7 ad Januarium, reprehendit acriter nonnullos, qui Beatæ Virginis Imaginem & Crucem Dominicam contumeliæ causâ ad Judæorum Synagogam detulerunt, & mandat Januario Epiſcopo, ut ſublatam ex eo loco, cum eâ quâ dignum eſt veneratione, Imaginem atque Crucem in Eccleſiam referat. Hîc boni Collectores nomen Imaginis ſimpliciter deleverunt vel omiſerunt, ne viderentur contra eorum dogma non ſolùm Crux ſed etiam Imago Beatæ Virginis veneranda, niſi fortè librariorum errore nomen imaginis ſit omiſſum.* Textus, de quo Bellarminus loquitur, è typographia Wecheliana ſic prodiit. *Conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut, ſublatâ exinde cum eâ quâ dignum eſt veneratione atque Cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt reformare.* Sic autem reſtitui debet. *Conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut, ſublata exinde cum eâ quâ dignum eſt veneratione Imagine atque Cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt reformare.* Omiſſionem hujus vocabuli, *Imagine*, typographo non Collectoribus attribuet, quiſquis ipſam legerit epiſtolam, Gregorius enim paulò ſuperiùs *Imaginem Genitricis Dei Dominíque noſtri, & venerandam Crucem* nominavit. Argumentum literarum [a] hoc eſt. Gregorius Januario Epiſcopo Calaritano ſcribit, ut exceſſum Petri neophyti contra Judæos emendet diligenter, & Synagogam vi ablatam eis reſtitui jubeat. Epiſtolam ſic orditur. *Judæi de civitate veſtra huc venientes queſti nobis ſunt, quòd Synagogam eorum, quæ Caralis ſita eſt, Petrus, qui ex eorum ſuperſtitione ad Chriſtianæ fidei cultum Deo volente perductus eſt, adhibitis ſibi quibuſdam indiſciplinatis, ſequenti die Baptiſmatis ſui, hoc eſt, Dominico, in ipſa feſtivitate Paſchali, cum gravi ſcandalo ſine veſtra occuparverit voluntate, atque Imaginem illic Genitricis Dei Dominíque noſtri, & venerandam Crucem, & birrum album, quo de fonte reſurgens indutus fuerat, poſuiſſet. De quæ re & filiorum noſtrorum, Eupaterii glorioſi Magiſtri militum, atque magnifici pii in Domino Præſidis, aliorúmque nobilium civitatis veſtræ ad nos hæc eadem ſcripta atteſtantia cucurrerunt. Qui etiam adjecerunt à vobis hoc præſenſum, & prædictum Petrum, ne hoc auderet, fuiſſe prohibitum. Quod cognoſcentes, omnino laudavimus; quia ſicut re verâ bonum decuit Sacerdotem, nil fieri, unde juſta eſſet reprehenſio, voluiſtis. Sed quia per hoc, quod minimè vos in his quæ prævè acta ſunt miſcuiſtis, diſplicere vobis quod factum eſt demonſtraſtis, conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut, ſublatâ exinde cum eâ quâ dignum eſt veneratione Imagine atque Cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt reformare; quia ſicut Legalis diffinitio Judæos novas non patitur erigere Synagogas, ita*

[a] Lib. 7. Indict. 2. ep. 5.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9. XLVIII.

quoque eos ſine inquietudine veteres habere permittit. Ergo Pariſienſi Conventui non eſt imputandum, quòd cenſuerit Imagines honore non afficiendas eſſe.

Subdit Bellarminus à Collectoribus multa produci teſtimonia, quæ docent Imagines honorandas eſſe atque adorandas. Inter illa nobiliſſimum eſt, quod ſumitur ex Sancti Baſilii literis ad Julianum Imperatorem, in quibus edit fidei ſuæ confeſſionem, &, quid ſentiat de cultu Imaginum, his oſtendit verbis. *Suſcipio & Sanctos Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, & ad Deum deprecationem, quæ per eos propitium mihi efficit miſericordiſſimum Deum, pro quo & figuras Imaginum eorum honoro & adoro; ſpecialiter hoc traditum eſt à Sanctis Apoſtolis, & non prohibitum, ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorum deſignari vel Hiſtorias*, &c. Ad hunc textum ſic exclamat Bellarminus. *Quid audimus? Sanctus Baſilius Magnus ab adverſario advocatur teſtis, & verè teſtis eſt omni exceptione major. Is verò palàm affirmat ſe honorare & adorare, Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum Imagines. Idque affirmat, dum fidei ſuæ confeſſionem edit, ac de rebus non dubiis aut veriſimilibus, ſed certiſſimis & exploratis loquitur. Addit verò id ab Apoſtolis traditum, & ab omni Eccleſia ſuſceptum & obſervatum. Quid quæſo reſponderi poteſt? Auctor graviſſimus apertè loquitur, & ejus teſtimonium ab adverſariis profertur.* Facilis eſt reſponſio. Collectores præcitatum Sancti Baſilii teſtimonium afferunt, quia ſunt Orthodoxi, doctrinam Nicænæ Synodi profitentur, Imagines Sanctorum honorant & adorant, non quidem cultu latriæ qui Deo proprius eſt, ſed eo cultu quem Nicæna Synodus præſcribit. Eâdem mente congerunt & aliorum Patrum ſententias haud paucas, quas Bellarminus laudat, quia *pro cultu ſacrarum Imaginum* proferri poſſunt, nec id diffitemur.

XLIX. Ait præterea Bellarminus à Collectoribus multa produci teſtimonia, quæ nihil ad rem faciant, aut ridicula videantur, ſi referantur ad id quod in diſceptationem venit. Eſto. Nullum inde argumentum erues, quo probes Conventum Pariſienſem in cultu Imaginum à Nicæna Synodo diſſenſiſſe. Certè non inficiamur omnes Sententias, quæ collectæ ſunt ex multorum Patrum Scriptis, non ejuſdem ponderis atque auctoritatis eſſe. Ludovicus hoc agnovit diſcrimen, in ſuo enim ad Hieremiam & Jonam commonitorio prudenter hanc interpoſuit cautionem. *Admonendo præcipimus ſolertiæ veſtræ, ut priuſquàm de his aliquid Domno Apoſtolico indicetis, diligenti curâ eadem vos recenſere curetis, & ea, quæ meliùs & aptiùs præſenti negotio convenire inveneritis, excerpere atque deſcribere, illíque ad legendum offerre ſtudeatis.* Et ipſimet Collectores apud Ludovicum queſti ſunt de anguſtia temporis, quod ad faciendam Collectionem conceſſum fuit. In illo tamen opere nihil occurrit, quod à Nicænæ Synodi Decretis in Imaginum cultu diſſideat.

L. Inter Antiſtites, qui Conventum Pariſiis habuerunt, haud poſtremi fuerunt Halitgarius & Amalarius. Hi miſſi ſunt ex eodem Conventu, qui Patrum Sententias in eo collectas Aquiſgranum ad Imperatorem ibi commorantem deferrent. Ludovicus ſuum ad Hieremiam & Jonam commonitorium ſic orditur. *Venerunt ad præſentiam noſtram Halitgarius & Amalarius Epiſcopi VIII Idus Decembris, deferentes Collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in Conventu apud Pariſios habito ſimul poſiti collegiſtis.* Imperatorem Halitgarius & Amalarius haud adierunt ſine literis, quæ Legationis obeundæ provinciam illis à Conventu datam ſignificarent. Genuinæ perierunt literæ, nam quæ circunferuntur ex libro de Conventu Pariſienſi, commentitiæ ſunt, aut ſaltem interpolatæ demonſtrantur. Inſcriptio talis eſt. *Conventus Pariſienſis Excellentiſſimis ac Victorioſiſſimis Deoque amabilibus Auguſtis Dominis Hludowico & Hludhario Sereniſſimis Imperatoribus.* Ab hac inſcriptione diſcrepat epiſtolæ clauſula, quæ non duobus ſimul Auguſtis ſed uni duntaxat benè precatur. *Ad exaltationem & pacem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ humillimam Deóque amabilem, ac Chriſtianæ Religioni neceſſariam Dominationem Serenitatis*

veſtræ Dominus Jeſus Chriſtus incolumem dexterâ ſuæ pietatis tueri, ac felicî protectione per immenſum conſervare, & poſt hujus vitæ curſum ſupernis civibus conſortem dignetur efficere. Tria jam fragmenta citavimus; unum, in quo Freculfi & Adegarii Legatio impetratáque cogendi Conventûs licentia memorantur; alterum, in quo notatur tempus habiti Conventûs; tertium, in quo mentio fit Sententiarum, quæ feſtinatò, prout temporis anguſtia permiſit, in ipſo Conventu collectæ ſunt, atque ad Imperatorem, qui procul aberat, per Halitgarium & Amalarium Epiſcopos cum literis ex eodem Conventu delatæ. Nihil in illis occurrit fragmentis, quod vel à veritate vel ab epiſtolæ conſcribendæ materia ſit alienum. Certè vix aliud quidquam in mentem venit, quod ad Imperatorem tunc abſentem è Conventu ſcriptum videatur. Cetera igitur, quæ Bellarminus & Baronius refellunt, ſunt inſitia.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

Bellarminus [a] ſic habet. *Venio nunc ad ea teſtimonia, quæ pauci illi viri à Ludovico Imperatore vocati, ex veterum monumentis collegiſſe ſe dicunt, multis enim nominibus viri illi peccaſſe videntur. Ac primùm quidem ante Collectionem ſatis audacter judicium ſibi de ſcriptis Apoſtolicis deſumpſerunt, nec ſolùm de Summo Pontifice ſed etiam de Generali Synodo à Pontifice approbata temerè judicarunt. In quâ re longè ſuperarunt peccatum Auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librum edidit adversùs cultum ſacrarum Imaginum. Ille enim (quod etiam Patres Concilii Francofordienſis fecerunt) Nicænam Synodum ſecundam improbavit, quoniam celebratam fuiſſe exiſtimavit ſine conſenſu Apoſtolicæ Sedis. At Conſiliarii iſti Ludovici Imperatoris, quorum ſcripta diſcutimus, fatentur Synodum pro cultu Imaginum, id eſt, Nicænam ſecundam, ab Hadriano Summo Pontifice coactam, & probatam, & tamen tum ipſam Synodum, tum epiſtolam ejuſdem Hadriani ad Conſtantinum Imperatorem pro cultu Imaginum, & rurſum defenſionem ejuſdem Synodi ab Hadriano ad Carolum miſſam examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.* Atque ut iſta probet, hunc ex prædictis literis textum allegat. *Primùm epiſtolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem pro Imaginibus erigendis Conſtantino Imperatori, & Herenæ matri ejus, ad eorum deprecationem, in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantùm noſtra parvitati res patuit, ſicut juſtè reprehendit illos, qui Imagines Sanctorum temerario auſu in illis partibus confringere & penitus abolere præſumpſerunt, ſic indiſcretè noſcitur feciſſe in eo, quòd ſuperſtitiosè eas adorari juſſit, pro qua * etiam cauſa Synodum congregari præcepit.* Allegat & hanc periodum, quæ paulò pòſt in eadem epiſtola ſequitur, & ad Nicænæ Synodi defenſionem ab Hadriano editam pertinet. *Per ſingula capitula in illorum excuſationem reſpondere quæ volnit, non tamen quæ decuit *, conatus eſt, &c.*

L I. [a] Cap. 3.

* Baron. quæritur

* Baron. desit

Baronius [b] multò plura ſuſcipit refutanda, poſt iſtas enim voces, *Synodum congregari præcepit*, textum etiam, qui proximè ſequitur, & in eadem materia de cultu Imaginum verſatur, ita recitat. *Synodum congregari præcepit, & ſuâ auctoritate ſub jurejurando cenſuit, ut erigerentur, & adorarentur, & ſanctæ nuncuparentur, cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas ſit. Inſeruit etiam in eadem epiſtola quadam teſtimonia Sanctorum Patrum, quantùm nobis datur intelligi, valdè abſona, & ad rem de qua agebant * minimè pertinentia. Ex hujus namque epiſtolæ textu, Imperator & Clerus, ſimúlque & populus, auctoritatem ſumentes, Synodum fecerunt, in qua ſicut illi multùm deviaverunt, qui Imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ ſub Conſtantino avo memorati Conſtantini facta eſt, penitus abdicandas eſſe decreverunt, ſic iſti non mediocriter erraverunt, qui eas non ſolùm coli & adorari & ſanctas nuncupari ſinxerunt, verùm etiam ſanctimoniam ab eis ſe adipiſci profeſſi ſunt. Et ut id verum eſſe, quod nitebantur adſtruere, demonſtrarent, quadam Sanctarum Scripturarum teſtimonia & Sanctorum Patrum dicta ad ſuum ſuperſtitioſum errorem confirmandum violenter ſumpſerunt, & eidem ſuo operi incompetenter aptaverunt, quoniam non eo ſenſu, quo dicta, nec intellectu, quo à Sanctis Patribus expoſita, ab illis eſſe proferuntur prolata vel intellecta. Eandem verò Synodum cùm ſanctæ memoriæ genitor veſter*

L I I. [b] Hoc an. nn. 5. & ſeqq.

* Baron. agitur Delaland. agitatur

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

coram se suisque perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat reprehendisset, & quædam Capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotasset, eáque per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxisset, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur, ipse rursus favendo illis, qui ejus instinctu tam superstitiosa támque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est. Talia quippe quædam sunt, quæ in illorum objectionem opposuit, quæ, remotâ Pontificali auctoritate, & veritati & auctoritati refragantur. Sed licet in ipsis objectionibus aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratiâ proferre nisus sit, in fine tamen ejusdem apologiæ sic se sentire, & tenere, & prædicare, ac præcipere de his, quæ agebantur professus est, sicut à Beato Papa Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquidò colligitur, quòd non tantùm scienter, quantùm ignoranter, in eodem facto à recto tramite deviaverit. Nisi enim in conclusione objectionum suarum retinaculis veritatis, Beati scilicet Gregorii institutis, adstrictus iter devium præcavisset, in superstitionis præcipitium omnino labi potuisset.

LIII. Hæc & alia multa, de quibus infrà, literis Conventûs Parisiensis inducta sunt, nec ad id probandum alio nobis opus est argumento, quàm quòd fabulis seriùs inventis innitantur. Tomo superiore duas distinximus pseudosynodos Constantinopolitanas; unam, quæ fregit Imagines; alteram, quæ illas cultu latriæ tanquam Deificam Trinitatem adoravit. Posteriorem hanc pseudosynodum damnavit Synodus Francofordiensis, cujus Canonem [a] non gravamur hîc repetere. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servicium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Synodus Francofordiensis anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo-quarto consignatur. Anno proximo vitam clausit Hadrianus Papa, cùm Angilbertus adhuc laicus in Comitatu Caroli Regis esset, Monachatu nondum suscepto. Carolus igitur nec è Synodo Francofordiensi Capitulare contra Nicænam Synodum per Angilbertum Abbatem Romam ad Hadrianum misit, nec ab eodem Hadriano responsorias accepit literas, in quibus Angilbertus Abbas & Minister Capellæ vocaretur. In Concilio Francofordiensi nihil omnino gestum est contra Synodum Nicænam, suppositicii sunt libri Carolini, fictitia est etiam quæ fertur Hadriani Pontificis ad illos libros responsio. Tribus his de rebus nobiscum non conveniunt Bellarminus & Baronius. At nostra sententia Canone Francofordiensi probatæque Chronologiæ præsidio fulcitur, & quæcumque de Carolinis observationibus contra Synodum Nicænam deque responsionibus Hadriani Papæ proferuntur ex vulgatis literis Conventûs Parisiensis, egregiè refellit, ostendit enim ea fabulis accensenda, quod est optimum potentissimúmque refutandi genus. Porrò cùm hæc commenta excogitata sint ad confirmandum quod anteà præmissum fuit judicium cùm adversùs Nicænam Synodum, tum adversùs epistolam, quam Hadrianus, antequàm illa Synodus haberetur, Constantino & Irenæ Augustis inscripsit, certè judicium illud nec æquum haberi, nec à Conventu Parisiensi latum censeri potest. Synodo Francofordiensi copiosissimus Episcoporum numerus, ut suo loco notavimus, ex omnibus Caroli Regis ditionibus interfuit, frequenti quoque cœtu Conventus Parisiensis ab Episcopis temporibus Ludovici Pii celebratus est, quidam enim, ut ex literarum fragmento suprà recitato constat, *de longè* dicuntur venisse. Conventus apud Parisios habitus est anno post Synodum Francofordiensem tricesimo-primo. Non ita longum fuit hoc temporis interstitium, ut ex Episcopis, qui Francofordiensi Concilio præsentes adfuerunt, nullus in Conventu quoque Parisiensi sedere synce-

[a] Can. 2.

Digitized by Google

rámque rerum in Synodo Francofordienſi geſtarum narrationem edere potuerit. Eorum ſanè, qui Pariſienſem Conventum egerunt, plerique ſuſceperunt Epiſcopatum elapſis poſt Synodum Francofordienſem annis adeò paucis, ut ejus Decreta nequierint ignorare. Literis igitur Conventûs Pariſienſis ab Interpolatoribus multò recentioribus inſerti ſunt textus, quos ſuprà poſt Bellarminum ac Baronium & deſcripſimus & refutavimus. AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9. LIV.

Eoſdem textus in vulgata Conventûs Pariſienſis ad Ludovicum Auguſtum epiſtola proximè ſequitur mentio cùm literarum quas Legati Græcorum ad eundem Imperatorem detulerunt, tum Legationis quam Freculfus Epiſcopus apud Eugenium Papam obiit & in prædicto Conventu poſt ſuum in Gallias reditum publicè recitavit. Nihil horum vocamus in dubium. Sed Interpolator, poſtquàm ea retulit, quæ de Freculfo verè ſcripta ſunt, adjecit alia multa, quibus ſuum rurſus odium contra ſacras Imagines & Romanum Pontificem manifeſtavit. *Cùm prudenti*, inquit, *relatu illius*, nempe Freculfi, *cuncta cognoviſſemus, qualiter partim veritatis ignorantiâ, partim peſſimæ conſuetudinis uſu, hujus ſuperſtitionis peſtis illis in partibus inoleviſſet, & priora & poſteriora ſtudioſiſſimè conſideraſſemus, intelleximus, quantùm nobis res patuit, quo zelo ad hæc conſideranda veſtra ſancta devotio excitata fuerit. Non enim ignoramus animum veſtrum magno tædio poſſe affici, cùm illos à recto tramite quoquo modo conſpicitis deviare, qui ſummâ auctoritate prædíti deviantes quoſque debuerant corrigere. Illo nempe zelo accenſi eſtis, de quo Beatus Paulus Apoſtolus dicit.* [*Quis ſcandalizatur & ego non uror?*] *Cùm enim duos in periculo conſtitutos conſpexiſtis & à via regia declinantes, unum ſcilicet ad ſiniſtram in abruptum confringendarum Imaginum prolapſum, alterum verò ad dexteram in ſuperſtitioſam videlicet earumdem Imaginum adorationem proclivem, voluiſtis vos affectu pietatis medium opponere, & utriuſque partis morbo ſaluti-feram medicinam conferre. Sed quoniam maximum vobis in eo obſtaculum erat, eò quòd pars illa, quæ debebat errata corrigere, ſuáque auctoritate hujuſce ſuperſtitionis errori obniti, ipſa prorſus eidem ſuperſtitioni non ſolùm non * reſiſteret, verùm etiam incautâ defenſione contra auctoritatem divinam & Sanctorum Patrum dicta nitebatur ſuffragari, aperuit vobis Dominus oſtium juxta optatum vobis deſiderium, ut licentia vobis ab eadem tribueretur auctoritate tantæ rei cum veſtris quærendi familiariter veritatem, ut quoniam inerat vobis voluntas conſulendi, & deerat auctoritas quærendi, ejus auctoritate quæreretis veritatem, cujus auctoritas deviare videbatur ab ipſa veritate, quatenus ſancto veſtro deſiderio ac * vigilanti ſtudio veritas patefacta, dum ſe in medium oſtenderet, etiam ipſa auctoritas volens nolénſque veritati cederet atque ſuccumberet. Verùm, quoniam fratrum ſalus non eſt negligenda, & eminens auctoritas non eſt facilè reprehendenda, viſum eſt extremitati noſtræ, ut omnis veſtræ Serenitatis ſermo ad illos ſpecialiter ex Apoſtolicarum auctoritate literarum dirigatur, quorum primùm cauſâ ad hæc quærenda eſtis excitati, & quicquid reprehenſione in utriſque partibus dignum cognoſcitur, ad illorum perſonam potiùs referatur, qui liberè admoneri poſſunt, & quorum ſcandalum, ſi pro veritate ortum fuerit, facilius tolerari poteſt. Credimus itaque, quòd illos reprehendendo, illíſque compatiendo, iſtos verò demulcendo, laudando, & præferendo, eorúmque auctoritatem magnis laudum præconiis efferendo, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ condignam laudem deferendo, veritatem tamen ex teſtimoniis Sanctarum Scripturarum & ſententiis Sanctorum Patrum in medium proferendo, & veraciter ſobriéque exponendo, poterit veſtra ſanctiſſima devotio, ſicut optat, utriſque conſulere. Sic quippe refragator vinculis veritatis, modò blandiendo, modò honorando, modò ſecundùm rationem veritatem demonſtrando, ſubtiliter adſtrictus, non audebit aliter docere, quàm quod veritas habet, nec poterit aliter tenere, quàm quod veritas habet, nec poterit aliter tentare, quàm quod veritatis documento aliis tenendum tradideris. Tali nempe modo viſum eſt noſtræ mediocritati, ut utriuſque partis ſaluti commodiſſimè prodeſſe, magnámque vobis à Domino remunerationem hujus rei gratiâ præparare poſſitis.*

* edit. deeſt non

* Baron. &

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

*Credimus sanè, quia quanquam aliqua ex parte superstitiosam sibi consuetudinem fortè vindicare * velint, nullatenus tamen ab eadem Sede aliter quam auctoritas & veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur siquidem pontificatem vestram, auctoritatem Sedis, & testimonia veritatis. Cùm igitur à vestra sancta devotione ita peracta fuerint, licèt, quod non optamus, in aliquo aut isti aut illi deviare voluerint, & vestram saluberrimam admonitionem, quæ tota ex auctoritate veritatis profertur, audire contempserint, non minor ob id vobis à Domino recompensatio fiet, quia totum, secundùm verba Beati Heliæ Prophetæ, quod vestrum fuit, facere studuistis.*

* Baron. vendicare

LV. Baronius, qui totum hunc textum ex Actis Collationis descripsit, in ipsos Collatores ad eundem locum duas ob causas invehitur. Primùm, quòd *Ludovico suadeant, ut literæ scribantur ad Michaelem Imperatorem auctoritate (ut aiunt) literarum Apostolicarum, nempe nomine Romani Pontificis, quod factum est; cùm longè procul abfuerit, ut vel levis consensus Apostolicæ Sedis accesserit.* Deinde, quòd *cùm tantùm data fuerit à Romano Pontifice inquirendi facultas, definierint isti, sententiámque protulerint in epistolam Hadriani, in ipsam Oecumenicam septimam Synodum, & quid de Imaginibus sentiendum sit, ipsi primæ Sedi legem præscribere studuerint.* Nos hunc textum, quem Baronius duas in partes dividit, totum Collatoribus abjudicamus. Prior pars proponit scribendas esse literas nomine Romani Pontificis ad Michaelem Imperatorem, idque posteà factum contendit Baronius. At anno sequenti probabimus commentitias esse literas, quæ leguntur in Actis Conventûs Parisiensis, & nomine Romani Pontificis ad Michaelem ac Theophilum Imperatores Græcorum scriptæ perhibentur. Interim ut suppositias has esse literas, sic & aliarum, quæ Ludovico Augusto directæ reperiuntur, suppositium arbitrare fragmentum, in quo consilium datur has ad Constantinopolitanos Imperatores conscribendi. Posterior pars, quæ Hadriano Papæ & septimæ Synodo Oecumenicæ imponit, ostenditur quoque commentitia, quia Conventûs Parisiensis Episcopi nec ab Hadriano Papa nec à septima Synodo Oecumenica dissentiebant.

LVI. In literis, quas examinamus, sequitur sermo satis prolixus Episcoporum querentium de præcipiti festinatione, quâ Sententias Patrum colligere propter angustiam temporis coacti sunt. Nobis hæc excusatio non displicet, Conventus enim apud Parisios ad Kalendas Novembris indictus est, & octavo Idus Decembris apud Aquisgranum oblatæ sunt Imperatori Ludovico Sententiæ Patrum in eodem Parisiensi Conventu collectæ. Probari verò non possunt, quæ proximè subjicuntur in hunc modum. *Ita videlicet, ut unusquisque fidelis ea perlegens & intelligens, animadvertere queat, quòd Imagines Sanctorum stultâ præsumptione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum abolendæ & penitus despiciendæ; nec assertione superstitiosâ colendæ aut adorandæ; sed potiùs hujuscemodi superstitione remotâ, juxta veram religionem, memoriæ & amoris causâ ob recordationem eorum, quorum Imagines habendæ, sicut à Beatissimo Gregorio satis Catholicè perspicuéque dictum declaratur. Quia igitur nos his, qui in sacra Sede Beati Petri Apostoli residet, dignam honoris reverentiam jure tribuendam non dubitamus, & illorum erga Imagines superstitiosam venerationem quidam visu, omnes verò aliorum relatu cognoscimus, voluimus primùm contra illos sententias ponere, qui Imagines præsumptuosa temeritate confringere præsumpserunt, quatenus inde isti animati aliorum errata valentiùs vobiscum corrigerent, & ad suam superstitionem cognoscendam veritatis testimonia suscipienda animum faciliùs flecterent. Sicut igitur nobis videtur, & superiùs præmisimus, apertè sermo vestræ correctionis contra illos usquequaque dirigi potest, à quibus vobis illa epistola, quam relegimus, directa esse cognoscitur, quoniam ejus textu utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam scilicet, quæ indebito & superstitioso cultu Imagines venerabatur, & illam, quæ ab inferioribus locis easdem Imagines evertere ac delere præcepit. Et ideo credimus, quamquam cetera alia secundùm auctoritatem*

ritatem veritatis, ſicut in ſuis ſcriptis continetur, idem Imperator fecerit, propter hoc tamen factum quoſdam illarum partium infirmos ſcandalizaſſe, necnon quoſdam noſtræ Urbis Romanæ perturbaſſe. Ad hunc textum, ubi ſcripta Beatiſſimi Gregorii commendantur, *nec ipſis*, inquit Baronius, *Romanis Pontificibus aliud retinere atque ſervare, quàm quæ à Sancto Gregorio de his ſcripta & facta eſſe noſcuntur, ſemper in conſilio fuit & opere; quæ iſti* Collatores *non percipientes, cùm pugnant, aëra verberant.* Baronio quidem aſſentimur in iis, quæ cùm ad Sanctum Gregorium, tum ad alios Romanos Pontifices ſpectant; textum tamen, qui proximè deſcriptus eſt, haud exiſtimamus à Collatoribus exaratum fuiſſe, ſed ab Interpolatore, qui non eo, quo Collatores, in Beatum Gregorium animo fertur; Collatores enim à doctrina Sancti Gregorii non recedunt, plurimùm autem recedit Interpolator, erroribus, quos antè non ſemel protulit, in poſtremo textu repetitis, &, ſi fides ei præſtatur, ex ipſiuſmet Beati Gregorii ſcripto confirmatis.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

Supereſt clauſula literarum, in qua Collatores Ludovico Auguſto benè precantur. Talem exitum epiſtolæ non improbamus, & ut faciliùs intelligas, quid ſentiamus illis de literis, quáſve partes aut rejiciamus aut ſervemus, amputatis interpolationibus novam hic exhibemus editionem, qualem ab ipſo Conventu prodiiſſe ſuſpicamur. *Excellentiſſimo ac Victoriosiſſimo Deóque amabili Auguſto Domino Hludowico Sereniſſimo Imperatori, Conventus Pariſienſis. Nos ſervi ac fideliſſimi Oratores veſtri, qualiter proximis Kalendis Novembris apud Parſiorum urbem juxta præceptum veſtræ Magnitudinis in unum convenimus, qualitérque de negotio à veſtra Pietate nobis injuncto de cauſa videlicet Imaginum egerimus, ad memoriam veſtræ Celſitudinis reducimus. Sed ut meliùs nobis manifeſtum fieret, ob quam cauſam veſtra Pietas, quæ erga Dei Sanctaque ſua Eccleſia amorem ardentiſſimè flagrat, ad hoc inquirendum primùm accenſa fuerit, neceſſarium duximus initium hujuſce rei cognoſcere. Et ideo primùm epiſtolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem pro Imaginibus erigendis Conſtantino Imperatori, & Herenæ matri ejus, ad eorum deprecationem, in tranſmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus. Et ut pleniùs etiam nobis cuncta pateſcerent, fecimus epiſtolam relegi, quam vobis Legati Græcorum anno præterito detulerunt. Venerabilis namque Freculfus Epiſcopus ſubtiliter prudentérque, qualiter ipſe & Adegarius ſocius illius de hac re cum Domno Apoſtolico & cum venerandis Epiſcopis & Miniſtris illius egiſſent, vivâ voce parvitati noſtræ innotuit. Nos denique ſervi veſtri, ſicut ſuperiùs præmiſſum eſt, in unum convenientes, & de nobis injunctis pro captu intelligentiæ noſtræ familiariter conferentes, teſtimonia ex auctoritate divina, & Sententias Sanctorum Patrum, quas prout temporis angustia permiſit, collegimus, & coram nobis legi fecimus, & quicquid in his de negotio, de quo agitur, neceſſarium aptúmque judicavimus, & in unum congerere ſtuduimus, veſtraque Imperiali potentiæ per Venerabiles viros Halitgarium & Amalarium dirigere præſumpſimus, ut videlicet veſtra à Deo vobis conlata ſapientia ex his eligat, quicquid neceſſarium dignúmque ad idem negotium pertinens judicaverit. Obſecramus itaque humiliter abundantiſſimam pietatem veſtram, ut non nobis adſcribatur, quicquid ibi minus aut indecens aut ..... inventum fuerit. Verè enim fatemur, quia angustiâ temporis prepediente, nec quanta voluimus, nec quanta potuimus, collegimus; ſed tantùm veſtris ſacris juſſionibus, ut decet & oportet, totis niſibus parere cupientes, quæ parvo in tempore ad manus nobis occurrere potuerunt, breviatim collegimus, & huic operi uſque ad veſtram ſagaciſſimam examinationem inſeruimus. Nam quidam noſtrorum de longè venientes non habuerunt ſpatium temporis quærendi; quidam verò nec cauſam, pro qua ad hunc Conventum venire juſſi ſunt, donec pervenerunt, veraciter noſſe potuerunt. Moduinus namque infirmitate, in qua diutiſſimè laborat, detentus venire nequivit. Scit itaque pleniſſimè Excellentia veſtra, quia illud, quod per omnes Catholicorum libros indagari neceſſitas urget, prolixi temporis ſpatio ad legendum indiget. Nam ſi ſufficiens ſpatium temporis nobis tributum fuiſſet, tanta Domino opitulante poteramus colligere, quæ*

LVII.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9. LVIII.

hunc operi copiosè poterant abundare. Tamen in his, quæ collecta sunt, summam hujus negotii, de quo agitur, discretè comprehensam esse juxta auctoritatem divinam & Sanctorum Patrum sententias arbitramur. Ad exaltationem & pacem Sanctæ suæ Ecclesiæ humillimam Deóque amabilem ac Christianæ Religioni necessariam Dominationem Serenitatis vestræ Dominus Jesus Christus incolumem dexterâ suæ pietatis tueri, ac felici protectione per immensum conservare, & post hujus vitæ cursum supernis civibus consortem dignetur efficere.

Ludovicus Imperator, postquàm Sententias Patrum cum epistola Conventûs Parisiensis accepit, easdem Sententias cum literis ad Eugenium Papam per Hieremiam & Jonam Episcopos direxit. Illas Ludovici literas ad Romanum Pontificem, & commonitorium ad Hieremiam & Jonam Episcopos, ceteráque monumenta, quæ leguntur in Actis Conventûs Parisiensis, & posteriora sunt eodem Conventu, discutiemus anno sequenti, quo Romam Hieremias & Jonas Episcopi pervenerunt.

LIX. PUELLA AB OMNI CIBO ABSTINET PER TRIGINTA MENSES.

Annalista Laureshamensis ad hunc annum sic scribit. *In territorio Tullensi juxta Commerciacum villam puella quædam annorum circiter* XII *post sacram Communionem, quam in Paschate de Sacerdotis manu Christiano more susceperat, primò pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abstinendo, in tantùm jejunasse perhibetur, ut nulla penitus corporis alimenta percipiens, sine omni victûs desiderio, integrum triennium compleverit. Cœpit autem jejunare anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXIII, *sicut in ipsius anni descriptione superiùs annotatum est, & hoc anno, id est,* DCCCXXV, *circa Novembris mensis initium peracto jejunio escam sumere, ac more ceterorum mortalium manducando vivere cœpit.* Inter varia prodigia, quorum enumeratio fit ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium, ab eodem Annalista non omittitur *in territorio Tullensi juxta villam Commerciacum puella quædam annorum ferè* XII *ab omni cibo per* X *menses abstinens.* Ibi verò non X *menses* sed XXX *menses* scribendi videntur, alioquin Annalista sibi non constaret in textibus proximè citatis. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio Pascha in Nonas Aprilis incidit. Ab his Nonis ad mensem Novembrem anni post Christum natum octingentesimi vicesimi-quinti, menses effluxerunt unus ferè ac triginta. Quapropter *integrum triennium,* vel, ut Annalista Bertinianus loquitur, *plenum triennium,* quod prædicta puella sine victûs desiderio complevit, benignâ eget interpretatione, ne contra Chronologiam peccasse prænominati videantur Annalistæ.

LX. VICTOR EPISC. CURIENSIS RES ABLATAS ECCLESIÆ SUÆ RECUPERAT, ARBITRIS BERNALTO EP. STRASBURG. ET GODEFRIDO ABB. VALLIS GREGORIANÆ

Victor Secundus, doctus & eloquens Episcopus Curiensis, *quod testantur supplices literæ & orationes contra Rodericum & Herloinum Comites, Episcopatûs quædam bona per vim tenentes, ad Ludovicum Imperatorem scriptæ, quæ adhuc extant. Hos Comites aut raptores potiùs ad restitutionem coegit Imperator Argentinæ, anno Christianæ Salutis 825. quo obiit iste Episcopus Victor.* Hæc Bruschius in Episcoporum Curiensium Catalogo. Bucelinus ab eo non dissentit ad hunc annum in Chronologia Rhætiæ, quamvis in aliam opinionem ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum ferri videatur. Addit hic Auctor arbitros litis à Ludovico constitutos fuisse *Beroldum Argentinæ Pontificem & Godefridum Vallis Gregorianæ Abbatem.* Mentionem hujus Abbatis jam fecimus ad annos Redemptoris octingentesimum tertium [a] & octingentesimum decimum-septimum [b]. De Strasburgensium sive Argentinensium Episcoporum serie Chronologiâque fusè disputavimus suprà, cùm ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [c] super Episcopo, qui tunc Ecclesiæ Strasburgensi præerat, tres diversas opiniones examinaremus. Illo anno, ut Guillimannus [d] ex Ludoviciano Diplomate nos docuit, sedebat Adalochus, cui Beroldum seu Bernoldum vel Bernaltum sive Bernaldum sub initium hujus anni successisse credimus. Strasburgum autem Imperator adire potuit peractâ in Vogeso saltu venatione, priusquàm alterum Aquisgrani Conventum celebraret. Paulò pòst hoc eodem anno

[a] Num. 77.
[b] Num. 279.
[c] Nn. 82. & seqq.
[d] In Episc. 23.

OBIT.

Victor Curienſis Epiſcopus obiit. Succeſſit Verendarius à Bruſchio & Bucelino laudatus, quòd deceſſoris ſui Legatione non ſemel functus ſit apud Imperatorem, cùm bona Eccleſiæ Curienſi ablata repetebantur. AN. CH. 825. SUCCEDIT VERENDARIUS.

In eadem Diœceſi Curienſi Gunibertus Fabarienſis Abbas hoc eodem anno hominem exuit octavo Idus Junias, eique ſuffectus eſt Joannes teſte Bucelino in Chronologia Rhætiæ. Quot annos præfuerit Joannes, manet incompertum; de ſucceſſore agemus Tomo ſequenti. LXI. ABBATES FABARIENSES.

Celebratur ad hunc annum in Hiſtoria [a] Comitum Barcinonenſium Adaulfus Barcinonenſis Epiſcopus. Celebrantur & in Epiſcoporum Albigenſium atque Abbatum Caſtrenſium Chronico Guillelmus Albigenſis Epiſcopus & Adelmus Caſtrenſis Abbas, ſic. *Anno 825. Guillelmus epiſcopabat, Adelmus Abbatiabat.* Hoc de Abbate ſex extant Verſus. LXII. [a] Lib. 2. c. 2. ADAULFUS EP. BARCINONENSIS. GUILLELMUS EP. ALBIGENSIS. ADELMUS ABB. CASTRENSIS.

Quæ ventura forent tentavit prodere Adelmus,
Aſtrorum vanis luſus imaginibus.
Ex libro Moſis vitæ ſecreta futura
Novit, & hoc ſacro lumine vera videt.
Aſtrorúmque loco ſunt illi vulnera Chriſti.
Non ſunt majora his ſidera vulneribus.

Defuncto Frodberto Abbate, ſucceſſit ei Albertus. Ita Clarius in Chronico Sancti Petri Vivi. Utrumque autem hoc anno contigiſſe teſtatur Anonymus in Geſtis Archipræſulum Senonenſium, quæ ſæpè jam citavimus ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Thuaneæ [b]. LXIII. ABBATES S. PETRI VIVI. [b] Cod. 107.

In Armorica Sancta Trutgarus Namnetenſis Epiſcopus hoc anno mortuus legitur. Datus eſt ei ſucceſſor Atto, qui Privilegio pro Senonenſi Monaſterio Sancti Remigii ſubſcripſit anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio, ut Tomo ſequenti ad illum annum probabimus. Obiit etiam hoc eodem anno Gundulfus Metenſis Epiſcopus, ſi vetuſtorum Catalogorum Chronologia rectè procedit. In Epiſcoporum Metenſium Indice, qui deſinit in Adalberone, & inter Antiquitatis Monumenta, quæ Marcus Antonius Dominycius libro de Anſberti familia rediviva ſubjecit, hæc occurrunt de Gundulfo. *Gundulfus Epiſc. ſedit ann.* VI. *& menſ.* VIII. *& dies* VII. *Requieſcit in Gorzia Monaſterio. Ob.* VII *Id. Septembr.* Et in Epiſcoporum Metenſium Chronico, quod Lucas Dacherius Tomo ſexto ſui Spicilegii publicavit, habentur iſta. *Sublimatur Gundulfus trigeſimus-nonus Metenſis Epiſcopus converſatione ac fide venerandus. Sedit* VI *annis, tempore Ludovici Pii ſub Apoſtolicis Paſchale & Eugenio. Obiit* VII *Idus Septembris.* Apud Meuriſſium, qui Metenſium Epiſcoporum Hiſtoriam ad noſtra uſque tempora conſcripſit, Metenſes Infulas adipiſcitur ineunte anno Redemptoris octingenteſimo decimo-nono; gerit annis quinque, menſibus octo, diebus ſeptem; amittitque cum vita ſeptimo Idus Septembris, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto, Eugenio jam Pontifice. De Præſulatûs initio convenimus, nequaquam de fine, nam Catalogi præter minutias menſium ac dierum conſtanter annos ſex in Epiſcopatu tribuunt. Ex hac igitur vita migravit Gundulfus ſeptimo Idus Septembris. De ſucceſſore agemus anno ſequenti. LXIV. EPISCOPI NAMNETENSES. GUNDULFUS EP. METENSIS OBIT.

In Chronico Engoliſmenſi, quod à Philippo Labbeo publicatum eſt, hæc occurrunt. DCCCXXV. *Hilbodus Abba efficitur.* Id eſt, Hilbodus in Arnulfi locum Abbas Herenſis ſubrogatur. Utriuſque meminit Falco Trenorcienſis Monachus in Chronico Trenorcienſi. *Magnanimus*, inquit, *Hilbodus, qui poſt Arnulfum, undecimo anno poſt obitum Magni Caroli, prædictæ Inſulæ ſuſceperat Abbatiam, ad eorum*, nempe Nortmannorum, *frequentes repellendos impetus, arcem ingentis conſtruxit fortitudinis ad totius Inſulæ munimentum, quam vallo præmuniens opportuno, competens viſus eſt eidem adhibuiſſe præſidium.* Ne quid diſcriminis inter utriuſque Chronographi computum intercedere videatur, apud Falconem annum undecimum poſt obitum Caroli Magni numera poſt LXV. HILBODUS FIT ABB. HERENSIS,

AN. CH. 825.

annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum, quo Carolus Magnus ex hac vita migravit; ſic enim annum illum undecimum poſt obitum Caroli Magni cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto, qui notatur in Chronico Engoliſmenſi, rectè compones. Cave autem, ne, quoniam Arnulfo Hilbodus hoc anno ſuccedit, Arnulfum hoc eodem anno mortuum credas. Vixit Arnulfus ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum undequadrageſimum. Chronographus Engoliſmenſis id aſſerit his verbis. DCCCXXXIX. *Arnulfi Abbatis advenit hora.* Simili utitur locutione ad annum ſequentem, quo mortem Ludovici Pii ſic conſignat. DCCCXL. *Hludovici Imperatoris hora terminatur.* Arnulfus igitur anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto regimen Monaſterii ſponte dimiſit, illúdque ſuſcepit qui maximam quoque laudem ſibi comparavit apud poſteros Hilbodus.

ARNULFO SPONTE MUNUS ABDICANTE.

LXVI. APOLLINARIS ABB. FLAVINIACENSIS AC REOMAENSIS OBIT.

Uſitatiore computandi modo, primus annus Imperii Ludoviciani cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto comparatur, ſecundus cum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto, & ſic de ceteris. Eóque nixi calculo Apollinarem Abbatem Flaviniacenſem ac Reomaenſem, qui, teſte Hugone Flaviniacenſi, *obiit pridie Kal. Aprilis, anno duodecimo Imperii Ludovici*, mortuum aſſerimus hoc anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-quinto.

LXVII. BRUNHARDUS MUNIFICUS ERGA MON. GANDENSE.

Apud Antonium Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ, Brunhardus ob ſuam munificentiam erga Blandinium ſive erga Monaſterium Gandenſe Sancti Petri ſic commendatur. *Brunhardus item dedit S. Petro quicquid habuit in Hildeghem ſub Folrado Abbate anno* DCCCXXV. Superſtes igitur hoc erat anno Folradus Abbas Blandinienſis, quem ad annos Redemptoris octingenteſimum duodecimum & octingenteſimum decimum-quartum laudavimus. Nec ullum movere ſcrupulum debet idem Sanderus cùm ſubjicit confirmationem *Ludovici Pii, filii Caroli, ſuper libertate Eccleſiæ Sancti Petri Gandenſis*, conceſſam Ainardo Abbati, IV *Nonas Junias anno, Chriſto propitio, ſecundo Imperii Domini Ludovici Piiſſimi Auguſti*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quinto. Hanc Chartam Aubertus Miræus inter Belgica Diplomata [a] primus in lucem edidit, atque hoc inſignivit titulo. *Ludovicus Pius Imp. Immunitatis Privilegia, per patrem ſuum Carolum Magnum Blandinienſi Monaſterio prope Gandavum conceſſa, an. 815 confirmat petente Amando Abbate.* Idem Amandi nomen in ipſo Diplomatis contextu bis repetitur. Primò ſic. *Vir Venerabilis Abba Amandus ex Monaſterio Blandinio, quod eſt conſtitutum in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ſitum in pago Gandenſi ſuper fluvium Scaldim, obtulit obtutibus noſtris*, &c. Deinde ſic. *Ob firmitatem rei poſtulavit prædictus Amandus Abbas, ut*, &c. Sanderus Amandi loco poſuit Ainardum, & Indictionem VIII, quæ legitur in editione Miræi, perperam in VII mutavit, Indictio enim ſeptima cum anno ſecundo Imperii Ludoviciani non convenit. Sive autem Amandum ſerves cum Miræo, ſive Ainardum cum Sandero reſtituas, Charta oſtenditur commentitia, utrobique enim publicatur cum hoc initio, *in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti*, quod non Ludovici Pii ſed Caroli Magni Diplomatibus apponi conſuevit. Lege ad annos Redemptoris octingenteſimum octavum [b] & octingenteſimum decimum-quartum [c], quæ ſcripta ſunt de variis inchoandorum Diplomatum formulis.

[a] Cap. 9.

[b] Num. 18.
[c] Num. 64.

LXVIII. WIGBERTUS SEPELITUR IN MONAST. WILDESHUSIENSI A SE CONDITO.

Wigbertus filius Widikindi, cujus obitum anno Redemptoris octingenteſimo ſexto conſignavimus, hoc deceſſit anno, Indictione tertiâ, ſi benè Chronologiam inſtituit Hermannus Stangefolus in Annalibus Circuli Weſtphalici [d]. Sepultus fuit in Cœnobio Wildeshuſienſi, quod in Bremenſi Diœceſi conſtruxerat. Locus ille à Gabriele Bucelino in ſecunda parte Germaniæ Sacræ ſic commendatur. *Wildershauſen magni nominis in Saxonia Cœnobium Benedictini Ordinis, aliàs Wildeshuſium.* Illuc Wigbertus Reliquias

[d] Lib. 2.

Digitized by Google

Sanctorum Româ detulerit. Sic enim Albertus Krantzius libro ſecundo [a] Saxoniæ ſcribit. *Profectum hunc Wigbertum Romam comperio devotionis gratiâ, indéque Sanctorum Reliquias retuliſſe, quæ in novum Collegium, quod in Wildeſhuſen oppidum Bremenſis Dioceſis erexit, ſunt collocata. Ibique vir Chriſtiani nominis amantiſſimus poſt longam inter ſuos religiosámque converſationem in pace obdormiens requievit, tumulatus ibidem.* Wigberto filius fuit Walbertus ſeu Walpertus. Fallitur Bucelinus, cùm utriuſque munificentiam ac primordia Wildeshuſienſis Monaſterii rejicit in annum Chriſti circiter octingenteſimum quinquageſimum. *Wildershauſen*, inquit, *magni nominis in Saxonia Cœnobium Benedictini Ordinis, quod circa annum Chriſti 850 Walpertus Saxoniæ Dux, Windekindi nepos, cum patre ſuo* Wigberto *condidit & liberaliter dotavit.* Citiùs jacta ſunt iſtius Monaſterii fundamenta, cùm Wigbertus in vivis ſuperſtes erat. Incertum quo anno. Bremenſi Diœceſi tunc præerat Willericus Epiſcopus, de quo ſermo recurret inferiùs.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. 11. LUDOV. R. 9.

[a] Cap. 16.

Apud Locrium hoc anno Gotbertus adoleſcens nobilis ac prædives in Monaſterio Sitivenſi Monachum induit. Ejus memoria duplici nomine pietatis & munificentiæ celebratur à Bertinianis, quibus ad uſum perpetuum villas tres ac triginta contulit.

LXIX. GOTBERTUS MUNIFICUS ERGA MON. SITIVENSE.

In Hiſtoria de Tranſlatione Sanctæ Baltechildis, annus octavus Hegilwich Kalenſis Abbatiſſæ cum anno Ludovici Auguſti viceſimo ſive cum anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio per menſem Martium comparatur. Hoc igitur anno, poſt Chriſtum natum octingenteſimo viceſimo-quinto regimen Kalenſis Monaſterii ſuſcepit Hegilwich Judithæ Auguſtæ mater. Lege prælaudatam Hiſtoriam primâ parte quarti Seculi Benedictini.

LXX. HEGILWICH FIT ABBATISSA KALENSIS.

Adelhardus Abbas utriuſque Corbeïæ, *iterum*, ut Auctor libelli de conſtructione novæ Corbeïæ teſtatur, *cœpit cogitare, quemadmodum loco Patris Abbatem* Corbeïæ Saxonicæ *præferret, qui ſecundùm voluntatem Domini regere poſſet Monachorum gregem, qui cotidie augebatur atque creſcebat. Erat eodem tempore in Corbeïenſi Monaſterio quidam adoleſcens Monachus, qui ex nobiliſſimo Francorum atque Saxonum genere fuerat ortus, nomine Warinus. His à tanta perfectione cœpit, ut cùm eſſet juvenis atque magnâ poteſtate præditus, haberétque ſibi deſponſatam virginem pulchram atque nobiliſſimam, & jam jámque inter primos Palatii conſiſteret, elegit potiùs ſervire Domino æterno quàm Regi mortali, relictíſque omnibus portum Monaſterii petiit. Hunc Venerabilis Pater in nova Corbeïa juvenem Abbatem facere cogitabat, confidens ſcilicet de Domini miſericordia, ut qui à tanta perfectione cœpiſſet, perfectiùs conſummaret. Fratres autem agebant, ut Venerabilem Virum Walonem* ſeu Walam *ſibi in Patrem eligerent.* Quid ſecutum ſit, anno ſequenti dicemus.

LXXI. WARINUS INSIGNIS MONACHUS.

Interim Adelhardus Abbas, quem propter grandævam ætatem Paſchaſius Radbertus Simeonem ſenem vocat, rediit ad veterem Corbeïam, ibíque triduo ante Domini Natalem ægrotare cœpit. *Paraverat ſe Simeon ſenex ad Natalem Salvatoris accenſis lampadibus occurrere, & Regem Regum Dominum Jeſum procedentem de thalamo ſuo ulnis ſuis lætus ſuſcipere, ſed tetigit eum triduo ante Natalem Domini validiſſima febris, dum juxta conſuetudinem noctis medio in Baſilica fieret. Qui ita perdurans ad Vigilias unà cum fratribus hoſtiam jubilationis in pectore Domino conſecrabat, & quantò, ut multi teſtes ſunt, altiùs voce, canebant chori, eo ampliùs idem flebat in jubilo. Sícque ſe pertrahens ad Matutinorum uſque laudes, nec minùs amore Chriſti febricitans elanguebat, ſicut ſcriptum eſt in Canticis.* [*Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*] *Et dum quotidie magis magíſque multis premeretur doloribus, ſpiritum non relaxabat, ſemper Deo intentus. Diſponebat igitur ita omnia providus, ac ſi nihil mali ferret in corpore, inſtituens & ordinans ita ſingulas officinas, ut nil finis ejus imperfectum inveniret, præcipuè ut & ſanctus dies dignis celebraretur honoribus. Quo peracto, vehementiùs cœpit urgeri febribus; quotidie tamen ad Oratorium Beati Mar-*

LXXII. ADELHARDUS ABB. CORBEÏENSIS ÆGROTAT.

AN. CH. 825. LUDOV. IMP. 12. LOTHAR. IMP. 9. PIPPINI R. II. LUDOV. R. 9.

tini veniens, quem copioſo amore in vita ſemper dilexerat, ibidémque Miſſas audiens, communionem ſanctam percepit, donec ultimus dies vitæ à noctis hujus eum eduxit caligine. Interim verò audiens beatus vir Hildemannus Epiſcopus, quem ipſe Monachum nutrierat, & per conceſſum Regis, ut ante biennium [a] obſervavimus, *tanto Bellovaci ſublimarat honore, ſanctum ægrotare Patrem, advenit illicò, & excubabat jugiter ante eum, donec vivendi finem fecit, & eum propriis manibus unà cum cunctis fratribus ſepelivit. Qui dum adveniſſet, gaviſus eſt ſanctus Pater alacritate maximâ & lætatus, ut vix ſe ferret præ nimio exultationis gaudio. Agebat namque Deo immenſas gratias, quòd de hujus eum conſolaretur adventu, & dicebat, Deus omnium inſtitutor & rector gratias tibi ago, quia non ſum fraudatus à deſiderio meo. Intereà cùm cæpiſſet idem ſanctus Epiſcopus à nobis percontari, utrùm benedictionis oleo, ſicut à beato Apoſtolo ſancitum eſt, deberet perungi, interrogavimus eum, utrúmne vellet, quem procul dubio ſcieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominùs obſecrabat ut fieret. Quid putas tum ſanctus agebat animus? quantis tunc replebatur lacrymis? Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus verò ad cælos extenſæ, invitánſque Sanctum Spiritum dicebat. Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia percepi omnia tui Myſterii Sacramenta, & nunc quid ſupereſt niſi ut ad te veniam? Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, tantùm fiat voluntas tua. Alioquin ſitiverat jam idem diu venire ad fontem. Unde & quaſi jocosâ voce, plenus gravitate fidei, frequenter dicebat. Hinc ibo, & ad Deum meum veniam; lætus, inquam, veniam, lætus moriar, lætúſque tranſibo ingentes hujus vitæ foveas, quoniam ad gaudia perventurus ſum ſempiterna, longè antè mihi promiſſa. His & hujuſmodi dictis ſedulò ſe armabat Chriſti miles, donec ingreſſus eſt locum tabernaculi admirabilis in voce confeſſionis & laudis, ubi & inventus eſt exercitus multitudinis feſta celebrantis. Ibíque jam ſenex noſter tripudians creditur præcinere; nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Qui cùm quotidianis diebus adhuc in carne febricitans, immenſis ſe Deo taliter commendaret laudibus, contigit ſubitò, dum ſolus apud ſe ageret, ad eum ingreſſum fuiſſe ſanctum Epiſcopum, ad quem continuò exclamans ait. Curre velociter, ô Epiſcope, præcipio tibi, & oſculare pedes Domini mei Jeſu Chriſti, quoniam ecce adeſt. At ille audiens, valdè contremuit, quia quo iret, vel quid ageret, penitus ignorabat. Ille verò hoc dicto recepit ſe ſub ſilentio, & quievit.*

[a] Ad an. 821. n. 52.

LXXIII. Utitur hoc Paſchaſii Radberti textu Joannes Launoius Pariſienſis Theologus, in libro *de Sacramento Unctionis Infirmorum*, ut probet *eam fuiſſe olim in adminiſtrando Poſtremæ Unctionis Sacramento diſciplinam, ut inculpatæ vitæ hominibus non daretur, & ut non antè daretur Infirmis, quàm illud petiiſſent.*

LXXIV. Capite tertio explicatæ Traditionis Eccleſiæ *circa ſtatum & ætatem Infirmorum ſacram Unctionem ſuſcepturorum* ad primam quæſtionem ſic ratiocinatur, *Corbeienſes Monachi de danda Adelhardo Unctione non cogitabant, quia noverant eum nullis obſtrictum criminibus teneri. Deinde Bellovacenſis* * *Epiſcopus id quoque ſignificat, dum ſciſcitatur à Monachis, utrùm jam jam moriturus Abbas debeat oleo benedictionis perungi. Quis enim ignorat eum tunc Eccleſiæ morem fuiſſe, ut homines mortis vicini ex Apoſtolica diſciplina ungerentur? Epiſcopus igitur Monachos, qui exploratam Abbatis vitam habebant, interrogat ut aſſequi poſſit, num ille eſſet talis, qui hocce Sacramento non indigeret. Quod audiens & ſubodoratus Abbas, ſtatim petiit, ut Extrema Unctio ſibi conferretur.* Ambianenſis Epiſcopi loco Bellovacenſem repoſuimus, Hildemannus enim, qui Sacramentum Extremæ Unctionis Adelhardo contulit, à Paſchaſio Radberto Bellovacenſis Epiſcopus in præcitato textu prædicatur. Nec hoc inficiatur Launoius parte primâ explicatæ veteris Traditionis Eccleſiæ *de data Infirmis poſt Unctionem Euchariſtia*, repetit enim fragmentum textûs ſuprà recitati, & illam phraſim, *cùm cæpiſſet idem Epiſcopus à nobis percontari*, hac parentheſi *(Hildemannus Bellovacenſis)* ad declarandam illius Epiſcopi Sedem ſic auget, *cùm cæpiſſet idem Epiſcopus (Hildemannus Bellovacenſis) à nobis percontari.*

* Edit. malè *Ambianenſis*

SUSCIPIT SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS,

AN. CH. 825. LXXV. ANTEA PETITUM. LXXVI. REGNI LUDOVICIANI DUPLEX EPOCHA.

Capite primo explicatæ Traditionis Eccleſiæ *circa petitionem Sacramenti Extremæ Unctionis*, Launoius iterum allegat textum Paſchaſii Radberti, ſubjungitque hanc illationem. *Adelhardus, cùm ægrotus in lecto decumberet, petiit ut ungeretur, nec antè unctus fuit quàm petiiſſet.*

Qui ſequitur annus Redemptoris octingenteſimus viceſimus-ſextus, is in multis Diplomatibus, quæ Ludovicus Bojoariæ Rex emiſit, primus ejuſdem Ludovici Regis numeratur, ideóque Regnum Ludovicianum duplici deinceps Charactere conſignabimus. Unus petetur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, per cujus æſtatem Ludovicus Auguſtus habuit Aquiſgranenſem Conventum, ibique Ludovicum filium ſuum Bojoariæ Regem appellavit. Alter ducetur ab hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto, quo Ludovicus Auguſtus Aquiſgrani quoque generalem populi Conventum celebravit menſe Auguſto, completiſque negotiis, quæ viſa ſunt ad illud Placitum pertinere, Ludovicum filium in Bojoariam direxit. Annaliſtam Laureshamenſem, ſi lubet, ad utrumque annum conſule.

ANNUS CHRISTI 826.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

LUDOVICI	IMP.	13.		
	REG.	46.	21.	9.
LOTHARII	IMP.	10.	4.	
	REG.	12.	4.	
PIPPINI III.	REG.	12.	10.	
LUDOVICI	REG.	10.	1.	
INDICTIO		4.		

1. ADELHARDUS ABB. UTRIUSQUE CORBEÏÆ MORITUR.

ADELHARDUS Corbeïenſis Abbas anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, poſtridie Kalendas Januarias ex hac vita migravit, quo die colitur in pleriſque Martyrologiis. Audi quem ſub anni prioris finem, cùm idem Adelhardus in morbum jam lapſus eſſet, citavimus Paſchaſium Radbertum. *Tum deinceps peracto die octavo Natalis Chriſti, alacriùs cæpit inſiſtere, ut jam hinc ei celebratis diebus liceat abire, ſi quo modo ipſe tandem perveniret ad feſtum quod nox non intercipit, neque morbo corrumpi poteſt. Et peracto igitur jam noctis mediæ ſpatio, ita adorſus eſt, & fratribus dicebat. O filii, ſemper mihi in Domino multùm cariſſimi, ſcitote quoniam hodie hinc ibo, datum eſt enim mihi jam hinc exire, ac videre, (quod utinam fiat) & apparere conſpectui Redemptoris mei. Finitus eſt ergo jam curſus certaminis mei, & reſtat penitus, quid accepturus ſim pro vocationis præmio, ut ignorem. Tum mane jam facto, accerſitis nonnullis ex nobis, cæpit idem B. Pater urgere, quatenus Matutinas ocyùs prævenirent. Quibus dictis, in laude Chriſti cæleſtis ejus lingua obmutuit. Tunc verò ſimul convenientibus omnibus ſanctis fratribus, communionem ſanctam percepit fermè horâ diei primâ, ſicuti mos eſt, & cæperunt cum hymnidicis laudibus Domino commendare, atque ita perdurantes in ejus exequiis uſque in horam diei nonam. Tum idem, quando & Chriſtus in cruce, emiſit ſpiritum, ut daretur indicium, quòd cujus crucem in vita tulerat, quémque ſecutus fuerat, ejus*

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

& in mortis articulo ſequeretur veſtigia, donec perveniret ad eum, quem quæſierat, quem optarat, quem & diu de toto corde deſideraverat. Audi & Gerardum Abbatem Sylvæ-Majoris in ejuſdem Adelhardi vita. *Bis quarto Natalis, id eſt, Circumciſionis die, alacrius cœpit precibus Deo inſiſtere, ut celebratis diebus tandem liceret eum hinc abire. Nec fuerunt preces ſine voto, peracto quippe mediæ noctis ſpatio, præſcius futurorum congregatos fratres adorſus eſt hoc modo. O filii, fructus meæ ſenectutis in Domino, explevi numerum, ſcitote quoniam hodie hinc ibo. Datum eſt mihi ingredi vias carnis univerſæ, & ante conſpectum Redemptoris mei apparere. Finitus eſt curſus certaminis mei, neſcio quid accepturus ſum præmii. Sed ſuccurrite mihi, quæſo, ut ego de vobis, & vos de me poſitis gaudere in Domino. His dictis, dedit licentiam ut exirent, retentis nonnullis quos urgebat ut ocyus Matutinos prævenirent. Quibus finitis Viaticum accepit, & accepto, in laude Chriſti lingua ejus obmutuit. Sed non defuerunt ſibi linguæ filiorum, ſcilicet quas erudierat in Dei laude. Quorum Pſalmis, orationibus, & lacrymis, ab hora prima commendatus Domino, circa horam nonam emiſſo ſpiritu pereuſſit ſuos triſti deliquio.* Quæres, quid Paſchaſius Radbertus per *Matutinas*, quid Gerardus per *Matutinos* intelligat. Uterque laudes intelligit, quas ab aliis Matutinas, ab aliis Matutinos dici Tomo primo [a] non ſemel oſtendimus. Caſſiodorus ad illud Pſalmi centeſimi duodeviceſimi, *ſepties in die laudem dixi tibi*, ſic ait. *Si ad literam hunc numerum velimus advertere, ſeptem illas ſignificat vices, quibus ſe Monachorum devotio conſolatur, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos.* Ibique per Nocturnos, Vigilias, id eſt, Matutinum ut hodie loquimur; Laudes, per Matutinas deſignat. Et Sanctus Cæſarius in Regula Monachorum [b] à Vigiliis ad Laudes ita tranſit. *Poſt hoc*, id eſt, poſt Vigilias, *dicant Matutinos*, & inferiùs cùm agit de Laudibus dierum Dominicarum, *dicite*, inquit, *Matutinos.* Adelhardus igitur Abbas poſtridie Kalendas Januarii, *mane jam facto* Corbeienſes Monachos urgere cœpit, ut Laudes ocyus prævenirent, *quibus finitis* Euchariſtiam accepit *horâ fermè diei primâ*, vitamque in horam uſque nonam ejuſdem diei produxit. Joannes Launoius in libro *de Sacramento Unctionis Infirmorum* explicat veterem Eccleſiæ Traditionem *de data Infirmis poſt Unctionem Euchariſtia*, & primâ parte, quâ *veterum teſtimonia* refert *ab anno* DCC *ad annum* M, non omittit duo, quæ pertinent ad noſtros Annales, & ſuis jam locis à nobis deſcripta ſunt. Unum eſt Monachi Egoliſmenſis in vita Caroli Magni, alterum Paſchaſii Radberti in vita Adelhardi. Monachum Egoliſmenſem ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quartum [c] ſic allegavimus. *Domnus Piiſſimus & Glorioſiſſimus Imperator Carolus Oleo ſancto inunctus ab Epiſcopis, & Viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritum ſuum, obiit in pace.* In hoc textu apparet, ex duobus illis Sacramentis Euchariſtiam ultimò dari. Paſchaſium quoque Radbertum recitavimus, partim ad annum priorem ſub cujus finem Adelhardus ægrotare cœpit, partim ad hunc annum quo deceſſit. Anno ſuperiore Adelhardus Oleo ſancto inunctus eſt poſt Natalem Domini, ſupervixit aliquot dies, ipsóque die quo migravit, id eſt, poſtridie Kalendas Januarias, Euchariſtiam accepit. Textum Paſchaſii Radberti non repetemus. Iſtius Auctoris loco ſufficiemus Gerardum Abbatem Sylvæ-Majoris jam laudatum, cujus hæc ſunt fragmenta de Adelhardo. *Die peracto quâ potuit veneratione, quo ſumma Divinitas humanitatem noſtram dignata eſt ſuſcipere, reliqui dies ſibi profeſti fuere ..... Interrogatus ſi ab eo benedictionis Oleo perungi vellet, erectis in cælum luminibus, omnimodis precabatur ut fieret. Vocatus Epiſcopus adeſt, & ſtatim quod petebat factum eſt ..... Bis quarto autem Natalis, id eſt, Circumciſionis die, alacriùs cœpit precibus Deo inſiſtere, ut celebratis diebus tandem liceret eum hinc abire ..... Peracto mediæ noctis ſpatio, præſcius futurorum, convocatos fratres adorſus eſt .... Dedit licentiam ut exirent, retentis nonnullis quos urgebat, ut ocyus Matutinos prævenirent. Quibus finitis Viaticum accepit ..... Circa horam nonam, emiſſo ſpiritu*

[a] Ad an. 536.

[b] Cap. 21.

[c] Num. 3.

Digitized by Google

ſpiritu, perculit ſuos triſti deliquio. Cetera, quæ proferuntur à Launoio non omittentur à nobis teſtimonia, quoties occurrent, noſtróque conducent inſtituto. Hildemannus Bellovacenſis Epiſcopus Adelhardum *propriis manibus* unà cum Corbeïenſibus fratribus ſepelivit. Id teſtatur Paſchaſius Ratbertus, apud quem hæc quoque leguntur de loco ſepulturæ, necnon & de epitaphio, in quo dies ſecundus Januarii notatur. *Sepulta ſunt autem decenter membra cariſſimi ſenis in Baſilica Beati Petri Apoſtoli ſub faſtigio inter ejuſdem medioximæ quatuor Eccleſiæ centra, tectus polito lapide, ſuper quem octonis ſculptum Verſibus Muſici carminis hauſtu dignè legitur:*

Hîc jacet eximiis meritis Venerabilis Abba
Noſter Adelhardus, dignus honore ſenex.
Regia proſapies, Paradiſi jure colonus,
Vir charitate probus, moribus, atque fide.
Quem dum ſub tumulo recolis tu quiſque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam poſt Octavas Domini hic carne ſolutus,
Succedente die, aſtra petivit ovans.

AN. CH. 826.

SEPELITUR AB HILDEMANNO EP. BELLOVAC.

II. EJUS SCRIPTA.

Beatus Adelhardus poſtquàm ab exilio revocatus fuit, Corbeïenſibus Monachis Statuta quædam præſcripſit, de quibus in ejus vita ſic Gerardus. *Quàm efficax fuerit in diſpoſitionibus ordinationis ſuæ qui noſſe voluerit, in libro, qui de his conſcriptus eſt, legere poterit non ſine grandi admiratione, ubi etiam perſpiciet, quàm ſapienter à ſapiente diſpoſita fuerit domus Eccleſiæ Corbeienſis.* Illorum Statutorum fragmenta Lucas Dacherius è membranaceis Corbeïæ ſchedis ſitu & mucore aliquantulùm labefactatis publicavit Tomo quarto Spicilegii cum hoc titulo. *Breve, quem Adalardus ad Corbeiam regreſſus anno Incarnationis Domini* DCCCXXII, *menſis Januarii Indictione* XV. *Imperii verò Glorioſi Chludovici Auguſti* VIII *fieri juſſit.* Indictio decima-quinta per totum menſem Januarium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo convenit, ad diem autem duntaxat duodetriceſimum Januarii cum anno octavo Ludovici Auguſti, cujus Imperium ab obitu Caroli patris inchoatur. Quamvis in præcitato titulo tot Characteres adeò benè quadrent, ipſa Statuta, ut publicata ſunt, in quibuſdam locis Adelhardo recentiora deprehenduntur, ut libro ſecundo, capite tertio, quo *Nativitas Caroli Regis,* XII *Cal. Jul. & Anniverſarius Lodowici Imperatoris* commemorantur. Carolus enim, cujus ortum anno priore, menſe Junio conſignavimus, longè ſeriùs Regium nomen gerere cœpit, & Ludovicus Imperator annos quatuordecim Adelhardo ſupervixit. Aliud opus ejuſdem Adelhardi plurimùm commendat [a] Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in Opuſculo de Inſtitutione Carolomanni Regis. *Adalhardum,* inquit, *ſenem & ſapientem, Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, & Monaſterii Corbeïæ Abbatem, inter primos Conſiliarios primum in adoleſcentia mea vidi. Cujus libellum de Ordine Palatii legi & ſcripſi, in quo inter cetera continetur, duabus principaliter diviſionibus totius Regni ſtatum conſtare, antepoſito ſemper & ubique Omnipotentis Dei judicio. Primam videlicet diviſionem eſſe dicens, quâ aſſiduè & indeficienter Regis Palatium regebatur & ordinabatur; alteram verò, quâ totius Regni ſtatus ſecundùm ſuam qualitatem ſtudioſiſſimè providendo ſervabatur.* Iſtius operis hactenus inediti jacturam aliquo modo leviorem reddunt, quæ in eadem materia verſantur Hincmari literæ. Joannes Mabillonius [b] nuperrimè quinquaginta-duo Capitula publicavit ejuſdem Adelhardi *de admonitionibus in Congregatione*, id eſt, ut idem Auctor interpretatur, ſummaria rerum, quas Adelhardus Monachis ſuis inter concionandum ſolebat inculcare. Cùm autem obiit, Walo ejus frater in nova morabatur Corbeïa, quæ nondum in Abbatem futurum convenerat, aliis Warinum quem anno ſuperiore laudavimus, aliis ipſum Walonem poſcentibus. Electos paulò pòſt Abbates, Walonem veteris Corbeïæ, Warinum novæ, ſic teſtatur Auctor libelli de

[a] Opuſc. 14. c. 12.

[b] Sec. 4. Bened. ad calcem 1. part.

ABBATES ELIGUNTUR.

AN. CH. 826.

WALO VETERIS CORBEÏÆ,

WARINUS NOVÆ.

constructione novæ Corbeïæ. *Dum electio protelatur* Abbatis videlicet qui novam Corbeïam regat, Adelhardus *Religiosus Abbæ diem finivit extremum* in vetere Corbeïa ut dictum suprà. *Quo nuncio, omnes mœrore concussi. Walo, qui tunc ibi*, id est, in nova Corbeïa, *electionis gratiâ morabatur, jussus pergit ad Palatium, inde ad proprium* veteris Corbeïæ *Monasterium, statimque ibi ab omnibus eligitur ad Abbatem. At verò hi qui in Saxonia* sive in nova Corbeïa *habitabant Monachi, de electione Abbatis sui beatæ memoriæ meritis Adalhardi consisi, eligunt sibi Abbatem jam dictum Virum Venerabilem Warinum, quique proficiebat cotidie, & acceptus erat tam Deo quàm hominibus.* Ista verò contigisse hoc anno probat Mabillonius in notis ad vitam Sancti Adelhardi, cùm ex Chronico novæ Corbeïæ, cui præfuit Adelhardus annis quatuor, tum ex Chronico Saxonico manuscripto, in quo secundùm veterem calculum, qui principium anni ducebat à Paschate, consignatur ejus obitus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto, sic. *Sanctus Adelhardus Corbeiensis Abbas obiit, cui Warinus successit.*

III. Antequàm sermonem de Adelhardo claudamus, explicandus nobis videtur Paschasii Radberti textus, qui de Adelhardo solet intelligi, cùm de Wala ejusdem Adelhardi fratre sumi debeat. Paschasius Radbertus prologum libri de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ad Placidum sic orditur in editione Sirmondana. *Paschasius Radbertus Monachorum omnium peripsema Placido suo salutem, dilectissimo filio & vice Christi præsidenti, Magistro Monasticæ disciplinæ, alternis successibus veritatis discipulo. Novit igitur, nec ambigo, tua experimento disciplinarum solertia, quòd Arsenius noster, quem nostra tunc nobis sæcula Hieremiam alterum tulerunt, olim in fidei te mihi commiserit ratione. Propter quod à primævo indefessus curavi te rapere de inter undas. Sed fateor tibi magis meiotam patris supra verticem profuisse, quâ denique subvectum te congratulor evasisse, me quoque jocundor non in vacuum cucurrisse. Quia non es secutus juvenilia, ut assolent, desideria, qui diutinis premuntur inviti disciplinarum compedibus, sed radicatus fide Christi ultroneus moribus & vitâ quotidie ad meliora juvante Domino proficis.* In manuscripto Codice Corbeïensi post ista verba, *non in vanum cucurrisse*, hæc sequuntur. *Præfatus autem Pater, scilicet Adelardus, uti justitiæ faventibus moris est, exsilium fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus, quid Dei dispensatio ex eo ulteriùs velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus agitari. Tu tamen non es secutus juvenilia*, &c. ut suprà. Qui Corbeïensem Codicem consuluit transcripsitque Mabillonius, has voces, *scilicet Adelardus*, insertas arbitratur à quopiam Interpolatore, qui de exilio Adelhardi agi putavit, cùm sermo fieret de exilio Walæ Abbatis, quem perpetuò Arsenium & Hieremiam appellat Auctor vitæ nuper ab eodem Mabillonio publicatus [a]. In illa vita, quæ duos distinguitur in libros & fictis nominibus obumbratur, Adelhardo nomen est Antonius, Arsenius Walæ. Nec ibi alia est Arsenii significatio, quàm in prologo libri de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Hic igitur liber, ut ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimo jam insinuavimus, editus est post Adelhardi Abbatis mortem, imò exulante Walâ cùm dissensiones Ludovicum Augustum inter ejúsque filios ciebantur, & Francia *discordiarum anfractibus* penè labebatur *effusâ super Magnates contentione Imperii.* Qua de re Tomo proximo. Cùm autem in prædictæ Walæ vita legantur multa, quæ refragantur Historicæ veritati, fiúntque Ludovico Augusto, Judithæ Augustæ, & Bernardo Septimaniæ Duci multùm injuria, non arbitramur opus illud esse Paschasii Radberti, quem & prudentiorem & æquiorem semper habuimus habemúsque. Deinde si Paschasius Auctor est illius vitæ, seipsum proprio indicavit nomine, idque sibi vix quisquam persuadeat, tralatitiis enim usus est nominibus, ut ceteros designaret.

[a] Tom. 1. Sec. 4. Benedict.

Digitized by Google

AN. CH. 826.

IV. HIEREMIAS ARCHIEP. SENONENSIS ET JONAS EPISC. AURELIAN. A LUDOVICO AUG. ROMAM MISSI, SENTENTIAS PATRUM DE CAUSA IMAGINUM IN CONVENTU PARISIENSI COLLECTAS DEFERUNT,

Hoc anno Romam pervenerunt Hieremias Archiepiſcopus Senonenſis & Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, per quos Ludovicus & Lotharius Imperatores Eugenio Papæ collectas à Conventu Pariſienſi Sententias Patrum in cauſa Imaginum tranſmiſerunt. Extant horum Imperatorum ad Romanum Pontificem literæ, necnon aliæ ad prædictos Antiſtites Hieremiam & Jonam commonitoriæ de his, quæ ad injuncti muneris functionem ſpectabant. Utraſque deſcripſit [a], neutras improbavit Baronius. Utraſque Sirmondus Gallicanis etiam Conciliis inſeruit, nec aliud quidpiam ex Actis Conventûs Pariſienſis edendum curavit. Idem præſtiterunt poſtremi Conciliorum Collectores. Ad Hieremiam & Jonam hoc eſt commonitorium. *Hieremiæ & Jonæ Venerabilibus Epiſcopis in Domino ſalutem. Venerunt ad præſentiam noſtram Halitgarius & Amalarius Epiſcopi,* VIII *Idus Decembris, deferentes Collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in Conventu apud Pariſios habito ſimul poſiti collegiſtis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id, propter quod collectæ ſunt, neceſſariæ atque utiles à nobis judicantur, ſub omni celeritate cenſuimus dirigendas. Idcircò admonendo præcipimus ſolertiæ veſtræ, ut priuſquàm de his aliquid Domno Apoſtolico indicetis, diligenti curâ eadem vos recenſere curetis, & ea, quæ meliùs & aptiùs præſenti negotio convenire inveneritis, excerpere atque deſcribere, illíque ad legendum offerre ſtudeatis. Quia enim, ut noſtis, nos ab eo petere voluimus licentiam, quatenus has Collectiones à Sacerdotibus noſtris fieri permitteret, ideo non poterit prætermitti, quin oſtendatur quod ex ipſius permiſſione collectum eſt. Illud tamen ſummoperè prævidete, ut ea illi de his oſtendatis, quæ rationi de Imaginibus habendæ per omnia conveniant, & quod ipſe vel ſui rejicere minimè valeant. Sed & vos ipſi tam patienter ac modeſtè cum eo de hac cauſa diſputationem habeatis, ut ſummoperè caveatis, ne nimis ei reſiſtendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, ſed paulatim verbis ejus quaſi obſequendo magis quàm aperiè reſiſtendo, ad menſuram, quæ in habendis Imaginibus retinenda eſt, eum deducere valeatis. Et ideo potiùs efficere contendatis, ut negotium, de quo agitur, ad meliorem, quàm ad pejorem ſtatum cum Dei adjutorio perducatur. Poſtquàm verò hanc rationem de earumdem Imaginum cauſa conſummaveritis, ſi tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permiſerit, ut ratio inter vos habita aliquo bono & convenienti fine claudatur, & ille vobis indicaverit quòd Legatos ſuos ob eamdem cauſam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis, ſi ei placeat, ut noſtri Legati pariter cum ſuis in Græciam pergant. Et ſi hoc ei melius viſum fuerit, ſéque hoc omnino velle reſponderit, tunc volumus, ut ſub omni feſtinatione literis veſtris à vobis ad nos directis nos inde certos faciatis, ſimúlque & de veſtro adventu ad nos, ut eo tempore, quo vos ad noſtram veneritis præſentiam, Halitgarium & Amalarium nobiſcum inveniatis. Vos autem cum Domno Apoſtolico conſiderate, ubi ille vel quando velit, ut ſui ac noſtri Legati ad naves conſcendendas ſe jungere debeant, & hoc nobis per voſmetipſos, cùm Deo volente veneritis, adnuntiare poteſtis.* In hoc commonitorio Ludovicus Imperator ſuos monet Oratores, ut antequàm Sententias Patrum, quæ collectæ ſunt in Conventu Pariſienſi, Romano Pontifici legendas offerant, eas recenſeant diligentiſſimè, nec omnes exhibeant deſcriptas, ſed illas tantùm, quas meliùs & aptiùs præſenti negotio convenire judicaverint. Id actum ſingulari prudentiâ, Collectores enim propter nimiam feſtinationem, de qua ſuis in literis ad eumdem Ludovicum ſeriò queſti ſunt, nonnulla collegerunt teſtimonia, quæ nihil ad rem faciebant, ut Bellarminus [b] exprobravit. In eodem commonitorio vox *pertinacia* fortè durior videbitur. At pertinaciam interpretare conſtantiam, atque hanc à Baronio poſitam in margine notatiunculam conſule. *Pertinaciam pro conſtantia hoc ſeculo uſurpari ſolitam, inter alios Sanctus Eulogius ſuis docet ſcriptis.* Ad Eugenium Papam hæ ſunt literæ. *Sanctiſſimo ac Reverentiſſimo Domno & in Chriſto Patri Eugenio Summo Pontifici & Univerſali Papæ, Hludovicus & Hlotarius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Auguſti, ſpiritales filii veſtri, ſempiternam in Domino*

[a] Tom. 9. a. 825. nn. 47. & ſeqq.

[b] Cap. 4.

AN. CH. 826. CUM GENUINIS LUDOVICI ET LOTHARII AUGG. LITERIS AD EUGENIUM PP.

noſtro Jeſu Chriſto ſalutem. Quia veraciter nos debitores eſſe cognovimus, ut his, quibus regimen Eccleſiarum & ovium Dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad divinum cultum pertinentibus, opem atque auxilium pro qualitate virium noſtrarum & intellectûs noſtri capacitate feramus; idcirco prætermittere nequivimus, quin tunc, quando Legati Græcorum nobis manifeſtaverunt, qualem ad vos deberent perferre Legationem, ſummâ curâ, ac ſollicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuiſſemus. Et ob hoc à veſtra Sanctitate petivimus, ut Sacerdotibus noſtris liceret de libris Sanctorum Patrum Sententias quærere atque colligere, quæ ad eandem rem, pro qua iidem Legati vos conſulturi erant, veraciter definiendam convenire potuiſſent. Quas cùm illi juxta conceſſam etiam à vobis licentiam ſolerter inquirerent, & divinâ opitulante gratiâ, quicquid invenire tam brevi temporis ſpatio potuerunt, collegiſſent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea veſtræ Sanctitati legenda atque examinanda per hos Legatos noſtros, Hieremiam ſcilicet & Jonam Venerabiles Epiſcopos, mittere curavimus. Cum quibus, ſi veſtra Paternitas dignum duxerit, de eadem Legatione, quæ in Græciam à vobis mittenda eſt, non inutilem, ſed potiùs proficuam conlationem habere poteſtis, quia & in ſacris ſunt literis admodum eruditi, & in rationibus diſputatoriis non minimùm exercitati. Quos non ob hoc ad veſtræ Almitatis præſentiam cum memoratis Sententiarum Collectionibus miſimus, ut hîc aliquo velut Magiſterii officio fungerentur, aut huc docendi gratiâ directi putarentur, quia ſicut jam commemorati ſumus nos debitores exiſtere, ut huic Sacratiſſimæ Sedi in quibuſcumque negotiis auxilium ferre debeamus, ideo & hos Miſſos, & quas deferunt literas, ſi quid vobis adjutorii conferre potuiſſent, mittere dignum duximus. Hos veſtræ Sanctitati commendamus, ut & benignam apud vos receptionem, & familiariter vobiſcum loquendi locum inveniant. Novit quippe Sanctitas veſtra, qualiter populus Græcorum in hac Imaginum veneratione diviſus ſit. Ideo rogamus, ut Almitas veſtra curam & diligentiam adhibere dignetur, quomodo, per veſtram ſaluberrimam doctrinam atque admonitionem, magis ad concordiam & unitatem revocetur, quàm propter hoc ad majorem diſcordiam & diſſenſionem impellatur. Et ideo cautiſſimè conſiderare debetis, ut Legatio veſtra, quam illuc dirigere diſponitis, tantâ prudentiâ tantóque moderamine ſuffulta ſit, ut à nemine, neque Græco, neque Romano, juſtè valeat reprehendi; ſed talis ſit, qualem ſemper decet in omnibus cauſis ab iſta Sacratiſſima Sede proficiſci. Et, ſi veſtræ Sanctitati placet, ut pro hac ipſa Legatione Miſſi noſtri ſimul cum veſtris illas in partes dirigantur, & hoc nos tempore congruo ſcire permittite; & non ſolùm hoc, ſed etiam, ſi ituri ſunt, ubi & quando cum veſtris Miſſis ſe jungere debeant. Non ideo tamen de noſtris Miſſis illuc dirigendis interrogamus, quaſi neceſſarium nobis videatur, aut nos veſtros Miſſos hanc Legationem perficere dubitemus, ſed potiùs propter hoc eos vobis offerimus, ut ſciatis nos in omnibus eſſe paratos, qua hujus ſacratiſſimæ Sedis neceſſitas aut voluntas poſtulaverit. Optamus ſanctam & venerabilem ac piam Paternitatem veſtram ſemper in Chriſto benè valere, & noſtri ac noſtrorum omnium in ſacroſanctis orationibus meminiſſe, Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater.

V. In vulgatis Actis Conventûs Pariſienſis aliæ duæ leguntur epiſtolæ; una nomine Ludovici Imperatoris ad Romanum Pontificem, altera nomine Romani Pontificis ad Michaelem & Theophilum Imperatores Græcorum. Utramque deſcripſit damnavitque Baronius [a]. Bellarminus [b] priorem omiſit, poſteriorem multis refutavit argumentis. Ambas cenſemus eſſe commentitias.

[a] Tom. 9 a. 825. nn. 15. & ſeqq.
[b] Cap. 5.

VI. Cùm Ludovicus Imperator Sententias Patrum in cauſa Imaginum à Conventu Pariſienſi collectas Eugenio Papæ tranſmiſit, ſuo quoque ac Lotharii nomine literas eidem Pontifici direxit. Genuinas has Ludovici & Lotharii literas ſuprà deſcriptas habes. Præter has, in Actis, de quibus inquirimus, aliæ reperiuntur, at ſuppoſititiæ. Factâ jam utrarumque collatione deprehendimus impoſturam. Locum illum adi [c], ne quid alibi dictum hîc repetamus. In dubium haud vocamus, quin noſtram in ſententiam iturus ſis. Duo

[c] Ad an. 825. n. 43.

AN. CH. 826.

LUDOVICI ET LOTHARII IMPP. LITERÆ AD EUGENIUM PP. COMMENTITIÆ.

EUGENII PP. AD MICHAELEM ET THEOPHILUM IMPP. LITERÆ SUPPOSITITIÆ.

tamen in confirmationem addemus argumenta; primum à materia ſumemus, alterum à ſtylo. Non arbitramur Epiſcopos, qui Pariſienſem Conventum celebrarunt, eò veniſſe præſumptionis, ut authores eſſe voluerint formulæ, quâ Ludovicus & Lotharius Auguſti Romano Pontifici ſcriberent. Deinde nobis non placet loquendi modus, quo Francorum Antiſtites, quod in genuinis Ludovici ac Lotharii literis Imperium Græcorum vocatur, *Imperium Orientalium Romanorum* appellant. Porrò, ſi non videntur auſi præſcribere formulam literarum, quas Romano Pontifici Ludovicus & Lotharius miſſuri eſſent, quis credat eos præſcripſiſſe formulam literarum, quas Romanus Pontifex Imperatoribus Græcorum directurus eſſet? Suppoſititias has eſſe literas tenor ipſe ſatis demonſtrat. Epiſtola caret inſcriptione, principio ac fine; Bellarmino *verboſa eſt, admodum obſcura, barbara, imperita.* Auctor poſt inſignem Eccleſiæ Romanæ commendationem, cùm venit ad cauſam, faucibus melle jam illitis venenum propinat, Romanum enim Pontificem ita ſcribentem introducit. *Diſſenſionem illam inter ipſam ſemper Deo amabilem Romanorum Græcorúmque Eccleſiam exortam, duriùs eamdem Eccleſiam, quàm ſaluti illius ullo modo convenire poſſit, ſcindentem diuturno tempore cognovimus. Non audemus declinare, ut non illam ex auctoritate tantorum Apoſtolorum ad pacis concordiam, ipſis mediantibus, non debeamus advocare. Maximè verò in eo quòd ejuſdem miſerrimæ diſſenſionis ea ſit materia, ſine qua (ſicut multis videtur) ſalva per fidem, ſpem, & Caritatem, incunctanter & in hoc ſeculo & in futuro ſalvari poteſt Eccleſia. Quorum ſenſus & ſententia talis eſt.* [*Quid Fidei, Spei, & Caritati obeſſe potuiſſet, ſi Imago nulla toto Orbe terrarum picta vel ficta fuiſſet?*] *Et quamquam iidem filii noſtri, qui hæc dicunt, rationabiliter ſe oſtendere poſſe nullatenus dubitant meliùs illud numquam fuiſſe, ſine cujus cultu, perfectâ Fide & Caritate univerſalis Sancta Dei Eccleſia ſalva potuiſſet conſiſtere, quàm ſub hac occaſione non dubium ſed certiſſimum illud malum diſcordiæ debere incurrere, quod niſi correctum fuerit, nullatenus cum hac diſſenſione ad Dominum, qui eſt pax**, *omnium ſibi placitam pacem habentium nunquam in perpetuum poſſe pertingere. Et quamvis devotio illorum hoc conſtanter poſtulet, ut eis ratiocinando, qualiter de ipſis Imaginibus diſcretè & rationabiliter ſentiant, poſteà diſſerere liceat. Quòd ſi eſt, qui ſuſcipere juſto moderamine velit, ſalubre omni homini eſſe non dubitant; ad comparationem tamen tanti mali eamdem Imaginum cauſam pro nihilo computant, ſi pax illa, qua ad æternam Vitam, qui eſt Via, Veritas & Vita, ducit, ad eandem viam veritatémque perducta non fuerit.* Bellarminus ac Baronius hunc textum refellunt. *Quamvis*, ait Bellarminus, *nihil periret de Fide, Spe, & Caritate, ſi nulla picta vel ficta eſſet Imago, tamen quando picta vel ficta eſt, peccat in fidem, qui eam negat eſſe venerandam, quoniam honor Imaginis ad prototypum refertur, quod venerandum eſſe fides docet, & adverſarius non negat. Et poteſt hoc ipſum ſimilitudine illuſtrari. Si libellus aliquis Sacræ Scripturæ, ut epiſtola ad Philemonem, non extaret, nihil deperiret de Fide, Spe, & Caritate: & tamen quia nunc extat, qui eam negaret eſſe cum veneratione ſuſcipiendam, peccaret in Fidem, &, ſi propterea diſſenſiones orirentur, non eſſet epiſtola abjicienda, ſed imperitia diſſidentium coarguenda & inſtruenda.* Baronius ſermone ad Annalium Lectorem converſo ſic Auctores literarum redarguit. *Audiſti, Lector, quid iſti velint Pontificem ſcribere ad Imperatorem, & tantæ Sedis nomine errorem deſcribere, & non confutare, dum futilem & nullius fermè eſſe momenti in Eccleſia uſum Sacrarum Imaginum, ut abſque eo Fides, Spes, & Caritas, in Eccleſia illæſa remaneant, aſſerere conarentur, perinde ac ſi leve eſſet, & abſque ſalutis æternæ diſpendio, peccare in traditiones Eccleſiæ, & receptos ſacros Eccleſiæ ritus labefactare quis poſſit ſine culpa vel crimine hæreſis. Cur, dicant velim, proſcripti antiquitus ſunt ab Eccleſia, & in claſſem hæreticorum conjecti hæretici Quartodecimani, cùm in omnibus quæ ſunt Orthodoxæ fidei ſaperent ex eo ſolùm quòd non eâdie, quâ ceteri, Paſcha Dominicum celebrarent? Cur Hydroparaſtæ, ex eo quòd aquâ tantùm, non ſecundùm Eccleſiæ ritum uterentur & vino in ſacrificio Miſſæ? Et alii inve-*

* Baron. quæ pax eſt

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

meri, qui cùm in ceteris sacris dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ consentirent, sed quòd receptis ritibus, moribus, ceteríque traditionibus ejusdem Ecclesiæ non consentirent, ab Ecclesia rejecti, exulare sunt jussi inter hæreticos. Hi duo Cardinales literas, de quibus agimus, in Conventu Parisiensi scriptas volunt. Absit, ut Galliarum Episcopos authores istius epistolæ censeamus. Opus Hellenismum multis in locis sapit; à Græcis exaratum videtur, deinde donatum Latinitate. Græcæ locutionis formam multæ retinent phrases, in quibus, ut apud Græcos, duæ negationes magis negant. Exempla sunto. *Non audemus declinare, ut non illam ex auctoritate tantorum Apostolorum ad pacis concordiam, ipsis mediantibus, non debeamus advocare.* Et. *Nullatenus cum hac dissensione ad Dominum numquam in perpetuum posse pertingere.* Deinde in eodem textu Ecclesia Orientalis seu Græca, quam dissensio conturbat, vocatur *Romanorum Græcorúmque Ecclesia*; mos autem non est Latinorum, ut Romanos Græcósque simul conjungant, si populos Imperii Constantinopolitani velint significare. Romanus Pontifex à præcitato textu transit ad incredibile desiderium, quo Franci tenentur omnis dissensionis ab Ecclesia procul eliminandæ. *Idcircò*, inquit, *cunctus chorus Sacerdotum, necnon & omnis Senatus totius gentis seu Imperii Francorum, & universa Ecclesia per totam Galliam cum ceteris provinciis eidem à Deo conservando Imperio subditis, auditâ famâ delendæ dissensionis fratrum suorum, irrevocabiliter postulant, ut priùs per istius Sanctæ Sedis à Deo conservatam, in futuróque usque ad finem seculi, sicut ipsi indubitanter, & nos omnes per merita Apostolorum confidimus, conservandam auctoritatem, illud summoperè quærere festinemus, ut quia auctore Deo hæc duo Regna in toto Orbe terrarum principalia mutuâ sibi Deo placitâ caritate devincta sunt, illud diaboli telum ab eadem Ecclesia disipetur, ut pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, in eadem beata plebe pleniter restituatur. Vociferantur enim in cælum uno ore & uno corde Omnipotentis Dei judicium inevitabiliter nobis incumbere, si auctoritate Summorum in toto Orbe terrarum Apostolorum, quorum doctrinis & consilio universus flectitur mundus, discordiam vestram ad veram concordiam non certamus reducere.* Hic quoque textus redolet stylum Græcorum, qui Ludovicum & Lotharium non Imperatores Romanorum, sed vocatos Imperatores Francorum ac Longobardorum dicebant, ut patet ex literis Imperatorum Constantinopolitanorum ante biennium scriptis, quarum inscriptio talis est. *Michael & Theophilus fideles in ipso Deo Imperatores Romanorum, dilecto & honorabili fratri Hludowico Glorioso Regi Francorum & Langobardorum & vocato eorum Imperatori.*

VII. Pseudo-epistolæ Eugenii Papæ ad Imperatores Constantinopolitanos, insertæ sunt Gallorum Antistitum literæ, quas pariter suppositicias ex ipsa lectione deprehendes, sic enim habent. *Oramus ergo Sanctissime ac Beatissime Pontifex, ut nobis antiquorum Patrum nostrorum hac de causa vitæ cursum recitare liceat, simúlque, prout rationis ordo poposcerit, sensûs sui affectum in hac duntaxat re, cur ita vel ita tenuerint, interserendo adjungere. Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis veritatémque rationis sese paulò longiùs sermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris usque ad nos inflexibiliter ducta est, Beato Dionysio scilicet, qui à Sancto Clemente Beati Petri Apostoli in Apostolatu primo * ejus successore extitit in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus, & post aliquod tempus unà cum sociis suis huc illúcque prædicationis gratiâ per idem Regnum dispersis Martyrio coronatus est. Et quamquam plures existant, quidam Martyres, quidam etiam Confessores, quorum merita, qualia apud Deum habeantur, quamvis quotidianis Miraculis coruscent, quia tamen propter longitudinem terrarum vobis minùs cogniti fortasse existunt, intermissis, Sanctum tamen Hilarium antiquum Ecclesiasticum Doctorem, necnon & Beatum Martinum toto Orbe venerandum, vobis notissimos esse minimè dubitantes, ad memoriam reducere necessarium æstimamus, quorum vitæ Magisterio edocti hæc ita tenenda atque servanda suscepimus. Sed quia apud nos vel majores nostros, ex*

* Edit. primus ejus successor

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

*quo ulla præſens ætas recordari poteſt, numquam ejuſmodi quæſtio mota vel ventilata fuit: ideo ſemper talis exinde mos ex prædictis antiquis temporibus retentus in univerſa iſtius Regni Eccleſia extitit, ut nullus ac ſi ex auctoritate ejuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ juberet, nullus cuicumque Imaginem volenti pingere aut fingere prohiberet. Unde uſque hodie eadem apud nos conſuetudo tenetur, ut quia hoc auctoritas nulla jubet, nemo jubeat; ſimiliter quia auctoritas nulla prohibet, nemo prohibeat. Quia verò propter præmiſſam rationem aliter eſſe non poteſt, niſi ratio inde habeatur, fortaſſe eadem ratio tale exordium non inconvenienter habere poterit. Si igitur Imago in toto Orbe terrarum nulla picta vel ficta eſſet, numquid aliquid Fidei, Spei, vel Caritati Sanctæ Dei Eccleſiæ obeſſet? Rurſum ſi ita ut in quibuſdam locis, maximè Eccleſiis ſeu Palatiis Principum ob nullum alium Catholicæ Fidei ſeu Religionis cultum, ſed tantummodo ſcientibus pro amoris pii memoria ſeu ornamento eorumdum locorum, neſcientibus verò pro ejuſdem pietatis doctrina picta vel ficta ſunt, ita per reliqua eiſdem Imaginibus congrua domicilia ad eumdem ſenſum pertinentes picta vel ficta eſſent, quid præfatis virtutibus umquam vel uſquam obeſſe potuiſſet? Et ideo quia res ita ſe habet, quid ſupereſt niſi ut qui nolunt, ita non faciant, ut tamen eis, qui illas eo ſenſu, ut præmiſſum eſt, habere volunt vel faciunt, in faciendo vel habendo minimè contradicant: & illi ſimiliter qui habere volunt, nolentes ad habendum vel faciendum nullatenus cogant? Atque ita auctore Deo uterque inleſus ſervatur, dum & habere volens prater * cautelam inliciti cultûs & habere nolens prater * cautelam inliciti contemptûs ſalvus permanere indubitanter poterit. Atque ita, miſerante Deo, majorum noſtrorum in Imaginibus vel picturis morem imitantes, in jubendo vel prohibendo, in habendo vel non habendo, in colendo vel non colendo, illæſos hactenus hac de cauſa, Domino opitulante, nos tranſiſſe, & ipſo gubernante tranſituros nequaquam dubitamus. Quamobrem monendi ſunt omnes qui eas habere volent, ne amando, vel quolibet modo orando vel amplectendo, ultrà quàm oportet, cultum eis illicitum ullatenus impendant. Similiter nec illi qui eas habere noluerunt, ſicubi eas aſpexerint, qualibet ignominioſâ vel probroſâ deteſtatione ſpernere, contumeliare, vel lacerare præſumant. Hinc ergo indubitanter colligi poteſt, quæ illum ratio hoc cum periculo quocumque compellat habere, quod illum procul dubio ſine ullo periculo licet non habere. Ideo ergo totius hujus rationis talis eſt ſumma, ut qui volunt pro pia memoria, vel ſana doctrina in locis competentibus, abſque ullo inlicito cultu pictas vel fictas habeant Imagines; qui autem nolunt, abſque ullo inlicito contemptu taliter habentes, vel habitas Imagines nullatenus ſpernant.* Baronius Gallos, quòd Sanctorum Hilarii & Martini nomina ſcriptis ſuis auſi ſint inſerere, redarguit auctoritate Venantii Fortunati, qui numeratur inter Pictavienſes Epiſcopos Sancti Hilarii ſucceſſores, & *de accepto beneficio in Sancti Martini veneranda Imagine dignas ut rependeret gratias, res ab eo præclarè geſtas quatuor libris verſibus ſcriptis eſt proſecutus*, nec omiſit *ſe ægrotantem mirum in modum oculis eſſe curatum oleo lucernæ ardentis in Imagine Sancti Martini.* Cum Baronio quidem convenimus, quòd in epiſtola proximè deſcripta Sanctiſſimi Galliarum Præſules Hilarius & Martinus nominari non debuerint, at earumdem literarum authores non Gallos ſed Græcos agnoſcimus. Aſſerunt enim denuò, quòd ſi nulla unquam picta vel ficta fuiſſet Imago, nihil periret de Fide, Spe, & Caritate, quibus ad Regnum pervenitur æternum. In hujus autem argumenti refutatione jam verſati ſumus, & in textu, quem tunc examinabamus, Helleniſmos obſervavimus. Deinde quis ſibi perſuadeat quidquam à Galliarum Epiſcopis ſcriptum fuiſſe contra cultum Sacrarum Imaginum ſub Ludovico Pio, ſi meminerit Synodorum Gentiliacenſis ac Romanæ celebratarum regnante ejuſdem Ludovici avo Pippino. Anno enim Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, Epiſcopi Francorum in Synodo Gentiliacenſi prope Pariſios cultum Sacrarum Imaginum ſtrenuè propugnarunt, Oratoréſque Græcorum, qui quæſtionem moverant, Imperatorem ſuum admonere juſſi ſunt, ut cum ceteris piis ſen-*

* propter
* propter

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

tiret. Et anno Chriſti ſeptingenteſimo undeſeptuageſimo, in Synodo Romana, cui duodecim Præſules è Gallia directi, atque inter hos Archiepiſcopi ſeptem, Lullus Moguntinus, Tilpinus Remenſis, Addo Lugdunenſis, Gavienus Turonenſis, Wilicarius Senonenſis, Herminardus Bituricenſis & Daniel Narbonenſis interfuerunt, de cultu ſacratum Imaginum à Francis adversùs Græcos apud Gentiliacum jam propugnato ſancitum eſt Decretum, quod ab Anaſtaſio in vita Stephani Quarti Papæ ſic refertur. *Sanctorum Patrum teſtimonia de ſacris Imaginibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque & glorioſæ ejus Genitricis ſemper Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & beatorum Apoſtolorum omniúmque Sanctorum, ac Prophetarum, & Martyrum, ſeu Confeſſorum, in eodem allata ſunt Concilio, & ſubtiliùs multa perindagantes ſtatuerunt magno honoris affectu ab omnibus Chriſtianis ipſas ſacras venerari Imagines, ſicuti ab omnibus prædeceſſoribus, hujus Apoſtolicæ Sedis Pontificibus, & cunctis venerabilibus Patribus, uſque hactenus de earum honore obſervatum, effectum, & cunctis ad memoriam piæ compunctionis eſt traditum, confundentes atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Graciæ partibus nuper facta eſt, pro diſperdendis* * *deponendis* *ipſis ſacris Imaginibus.* Quis ab illis Synodis, quarum memoria recens erat, Epiſcopos Galliarum credat diſſenſiſſe tanta cum inverecundia, ut etiam ſe majorum ſuorum morem imitatos aſſererent? Fortunatus vir Italus in Galliam venit regnantibus Clotarii Primi filiis, Pictavii ſedem fixit, [a] *noviſſiméque*, ut Paulus Diaconus in Geſtis Longobardorum [a] teſtatur, *in eadem civitate primùm Presbyter, deinde Epiſcopus ordinatus eſt.* Sub extremam ætatem, Gregorio Magno jam Pontifice, aſſumptus eſt ad Epiſcopatum anno Redemptoris undeſexcenteſimo. Priuſquàm in Galliam veniret, cùm ægrotaret Ravennæ, viſúmque penè jam amiſiſſet, in Baſilica Sanctorum Pauli & Joannis, ubi imago beati Martini, colebatur, inſigni ſanatus eſt miraculo, quod ipſe verſibus in vita Sancti Martini cecinit. Sub operis finem librum ſuum alloquitur, illúmque varias ad provincias urbéſque dirigit, nec omittit in his Ravennam, de qua proximi Verſus.

[a] Lib. 1. c. 9.

Inde Ravennatum placitam pete dulciùs urbem,
Pulpita Sanctorum per religioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis & Urciſini, Pauli ſub ſorte beati,
Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe,
Fuſus humi ſupplex, & Templa per omnia curre.
Et pete Martini loculum, quo jure ſacelli
Jam deſperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, ſaltem, rogo, verba repende.
Eſt ubi Baſilicæ culmen Pauli atque Joannis,
Hîc paries retinet Sancti ſub Imagine formam.
Amplectenda ipſo dulci pictura colore;
Sub pedibus Juſti paries habet arte feneſtram,
Lychnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna.
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce feneſtris,
Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicus blando fugat unguine morbos.
Non oblita mihi mea lumina munera Sancti.
Nam redit ante oculos oculorum cura fidelis,
Et memor illud ero dum luce & corpore conſto.

VIII. Literæ, quæ poſt Conventum Pariſienſem nomine Romani Pontificis ad Imperatores Græcorum Michaelem ac Theophilum finguntur ſcriptæ, tres in partes diſtinguuntur, quibus totidem præfiguntur Tituli, *Ratio*, *Auctoritas*, *Conſilium*, juxta hanc partitionem, quæ præmittitur initio earumdem literarum.

terarum. *Omnia, quæ vobis de hac causa*, nempe de causa Imaginum, *dicturi sumus, tribus his Capitulis principaliter & ordinare & confirmare parati sumus, id est, Ratione, Auctoritate & Consilio, videlicet Rationem texendo, & eandem Rationem, in quantùm rationabilis, discreta, honesta & utilis fuerit, Auctoritate firmando; eandem verò Auctoritatem secundùm Catholicæ fidei veritatem & rectitudinem salubriter intelligendo. Ad ultimum verò quid in his ad salutem universalis Ecclesiæ tenendum sit, Consilium Deo placitum dando, & idem Consilium confirmando.* Hactenus primam partem refutavimus, in quâ literarum Auctores agere se Ratione professi sunt, ad refellendam alteram partem, quæ consistit in Auctoritate, jam accedimus. AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

IX.

Quatuor allegant epistolas Gregorii Magni, duas ad Serenum Massilien-sem Episcopum, tertiam ad Januarium Episcopum Caralitanum, quartam ad Secundinum servum Dei inclusum. De duabus ad Serenum epistolis, quæ pertinent ad Indictiones secundam & quartam, egimus Tomo secundo ad annos Redemptoris undesexcentesimum, & sexcentesimum, quia civitas Massiliensis in potestate Francorum jam erat. Oblatâ quoque occasione disseruimus anno priore de literis ad Januarium. Restat igitur ut literas ad Secundinum hîc expendamus. Hæc epistola in Registro Gregoriano est quinquagesima-quarta libri septimi per Indictionem secundam, exhibétque sermonem satis prolixum, ac spectantem ad cultum Imaginum. *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti, misimus. Unde valdè nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, totâ intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo, qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, ut de visione hilaris recedat. Scio quidem, quòd Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te Imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante Divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem aut natum aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de Resurrectione latificat, aut de Passione demulcet. Ideóque direximus tibi surtarias duas, Imaginem Dei Salvatoris & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorúmque Apostolorum Petri & Pauli continentes, per supradictum filium nostrum Diaconum, & unam Crucem, Clavem etiam pro benedictione à Sanctissimo corpore Petri Apostolorum Principis, ut per ipsum à maligno defensus permaneas, cujus signo te esse munitum credis.* Auctores literarum, in quas inquirimus, mirè se torquent ad hunc textum, in quo Gregorium egere dicunt interpretatione, ne pugnantia loqui & à semetipso sive à suis ad Serenum epistolis dissidere videatur. *Sed quia*, inquiunt, *hic ordo verborum ita præpostere atque à non intelligentibus confusus videri potest, ut nisi cautè consideretur, ita à nonnullis minùs capacibus intelligi possit, quasi Beatus Gregorius id quod priùs omnibus illicitum esse prædixit, se fecisse sibique faciendi licitum esse testetur. Quod quàm absurdum, quámque contra Sanctæ Dei Ecclesiæ Religionem de tanto Ecclesiastico Doctore sentire indignum sit, nullus, qui dicta ejus scrutando vel legendo cognovit, ignorare permittitur. Nam ut sibimetipsi contrarius esse debeat, justitia vel rectitudo Sanctæ Dei maximéque Romanæ Ecclesiæ sustinere non valet, quòd & si paupertas insipientiæ nostræ id intelligere non valet, melius ut contra insipientiam, quàm contra tantam à Deo datam sapientiam insurgere præsumat. Sed & si ipsum modicum sensum nostrum virtus misericordiæ Dei aliquantulum illuminare dignatur, quomodo idipsum contrarium sibi non sit, facillimè intelliget. Nam quia ab Imaginum adoratione adorantes compescuerit, nulla dubitatio est. In eo verò, quod ad Secundinum scripsit, [nos quidem non quasi ante Divinitatem ante ipsam prosternimur, sed illum*

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

adoramus, quem per Imaginem natum aut passum vel in throno sedentem recordamur,] *ubi, ut præmissum est, ac si sibi contraria dixerit, intelligentia nostra se caligo confundit. Sed ne nos non necessaria ignorantia id non intelligendo diutiùs torqueat, sensus ejusdem sententiæ talis est. Nos quidem ante ipsam non prosternimur, quasi ante Divinitatem, sed illum adoramus, &c. Quod tale est, ac si Regi in throno sedenti dicas. Nos quidem, ô Rex, non quasi ante Divinitatem, ante te prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem tuam, quia homo es, Dominum Jesum Christum hominem recordamur natum aut passum vel in throno sedentem, cujus imitator es tu sedens in throno. Nunquid tali dicto mox consequens est, ut eundem Regem adorare compellar sedentem in throno? Ita nec in eo quod dicitur* [*nos quidem non quasi ante Divinitatem, ante ipsam prosternimur, sed illum adoramus, &c.*] *ad Imaginum adorationem invitamur, quia sicut in multis divinæ auctoritatis voluminibus sententias ordine verborum præpostero scriptas invenimus, ita quoque factum esse eo sensu, ut suprà dictum est, hoc in loco minimè dubitamus. Cùm enim ibi scriptum sit* [*nos quidem non quasi ante Divinitatem, ante ipsam prosternimur*] *quis non animadvertat idipsum magis refutando quàm imperando vel adorando eamdem adorationem Imaginum dictum esse, ita ut dictum est? Quantò magis (sicut suprà factum est) ordo verborum suo restituatur in ordine, omnem quemcumque ob nimiam simplicitatem errantem, in eo quòd Beatum Sanctæ Dei Ecclesiæ Doctorem adversùm seipsum sensisse æstimabat, corrigere poterit? Insuper etiam, si quemquam subtiliùs intelligentem hoc negligentiùs minúsve intentè legere contigisset, facillimè seipsum dijudicante, cur aliquando aliter senserit, ad sobrium intellectum revocare poterit. Si quis autem (quod quidem à sanè sapientibus omnibus absit) magis suum sensum sequendo, illum voluerit condemnare, quàm se corrigere, nulli dubium, quin ab universa, maximè tamen à Sancta Dei Romana Ecclesia debeat condemnari. Nequaquam enim fieri potest, ut hæ duæ sententiæ sibimet contrariæ non existant; una, quâ populus ab adoratione Imaginum, ne criminis, id agendo, reus appareat, prohibeatur; altera verò, quâ* * *illum idipsum egisse, ceteroſque ut hoc faciant docuisse, perhibeatur. Sed absit hoc à tanto talique generali Catholicæ Ecclesiæ Magistro, ut qui universas perplexas Scripturæ quæstiones, quæ sibi contrariæ videbantur, eique ad explanandum vel tractandum occurrerunt, numquam dissidentes relinquere consuevit, sua sibimet dicta discordantia reliquisset.* Hæc isti, quibus optimè respondet Baronius, *his sancti Gregorii scriptis ad Secundinum illustratam esse obscuritatem ejusdem literarum ad Serenum, nimirum vetitum in illis à Sancto Gregorio cultum latriæ impendi Imaginibus sacris, rationi verò decentem assertum & suo exemplo demonstratum in dicta epistola ad Secundinum.*

* qua

X. Tertia pars literarum, quas Imperatoribus Græcorum à Romano Pontifice scriptas volunt, in Consilio consistit; integra consuli potest apud Baronium; fragmenta tantùm, quæ sinistram Consiliariorum mentem in causa Imaginum produnt, hîc damus factâ collatione cum editione Petri *Delalande* in Supplementis Conciliorum Gallicanorum. *Auctoritate, ut proposuimus secundo loco insertâ, non quidem quantùm ex thesauro uberrimo Ecclesiastico potuit, sed quantùm epistolaris brevitas ritè permisit monere vos & exhortari, ô Venerandi Principes mundi, cum universa Sancta Dei, quam Domino dispensante & committente gubernatis, Ecclesia, ut ea quæ vobis non qualibet temeritas, sed vera humilitas nostra intimare studuerit, attentiùs audiatis, & ob illorum reverentiam, qui cum Domino ipso promittente in die novissimo totius mundi venturi sunt judices, reverenter suscipiatis, & ad salutem omnium vestrum strenuè conservare studeatis. Præmisimus enim paulò superiùs, ut post redditam rationem, post insertam auctoritatem, propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam, consilium vobis non nostrâ adinventione, sed divinâ auctoritate illud dare debuissemus, per quod eadem Sancta Mater Ecclesia ita sibi mutuò in vera pace fœderari debuisset, qualiter & in hoc sæculo & in futuro ei placere potuisset, qui ascensurus de mundo suis promisit dicens.* [*Pacem meam do vobis, pacem re-*

linquo vobis.] &c. *Cogita tecum, ô plebs & populo Dei, ſi ad perpetuam vis pervenire ſalutem, ut in hoc ſeculo non fictam ſed veram habere mutuam ſtudeamus pacem. Sed minus fortaſſè prodeſſe poterit, licèt meritò tanta talíſque auctoritas causâ conſilii ſufficere debuiſſet, neceſſe erit, ut huic aſſertioni cetera adjungantur, quæ nequaquam juſtè adderentur, ſi à Deo ab initio Catholicæ fidei data vobis ſapientia, ſicut oportuit, pro vobis ſollicita eſſe ſtuduiſſet. Dicit enim Apoſtolus.* [*Judæi ſigna petunt, Græci ſapientiam quærunt.*] *Ubi eſt ergo ſapientia veſtra, qui propter quamlibet occaſionem illud habere contemnitis, ſine quo ad Regna cæleſtia pervenire nullomodo valebitis? Et hæc non arguendo vel increpando, ſed admonendo interim dicimus, ut vos ad interiorem hominem veſtrum, in quo Deus per ſpem fidem & charitatem inhabitare conſuevit, revocemus. Quem ſi ita ſecundùm, ut ſuprà dictum eſt, ſapientiam vobis à Deo datam, cogitare, diligere, vel metuere vultis, mirum eſt, quomodo cum fratribus invicem tanto jam tempore ſcandalum & diſcordiam habere non metuitis. Ecce etenim, ſi non ampliùs, jam annus eſt, ex quo hanc inter vos miſerrimam diſſenſionem pullulaſſe audivimus. Quam videlicet diſcordiam Deo, ut dignum eſt, ſemper odibilem, diabolo verò, ut ei decet, ſemper amabilem, omnes Anteceſſores mei ad corrigendum, prout eis poſſibile fuit, multùm laboraſſe non ignoratur. Hæc in paucis ad excitanda Deo amabilia corda veſtra ideo præmittere curavimus, ut ea quæ vobis ſtudioſiùs pro ſalute omnium animarum noſtrarum dicenda providimus, avidiores vos ad audiendum & per omnia ſollicitos redderemus,* &c. *Amabiliter admonendi eſtis, ut totis viribus Omnipotentem Dominum exorare ſtudeatis, ut tantam ab hoc Regno infelicitatem amovere jubeat, & illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ſuâ vobis immenſâ clementiâ concedat. Et quia tanta auctoritatis ordo, vel tanta ſublimitatis ratio necdum poſcebat, ut priuſquàm illa omnia quæ meritò præmittenda erant præponerentur, ut faciliùs quovis in loco ſecundùm ſui qualitatem haberentur illa, quibus ſalvâ fide ſpe vel charitate totius Eccleſiæ ſtatus carere potuiſſet, propter ſatisfactionem tamen in hoc opere laborantium principalis hujus ſæpedictæ diſcordiæ veſtræ, cauſa imaginum extitiſſe traditur. Ejuſdem quoque cauſæ origo in eo contigiſſe fertur, quòd Imperator conſiderans quoſdam in plebe indiſcreto Zelo inflammatos ultrà quàm oportuiſſet, vel unquam priùs actum eſſet, in Imaginum cultura, veneratione, vel adoratione ultrà progredi, quàm ut anteà unquam in univerſa Eccleſia factum eſſet, volens ut tunc * cum illis, qui ei favebant, eandem ſuperſtitionem, qualiſcumque eſſet, penitus amoveret, poſtpoſitâ hac in re ſalubri diſcretione, ſine qua omnis humanæ actionis virtus in vitium vertitur, elegit præmiſſam ſuperſtitionem aliter emendari non poſſe, niſi omnes Imagines penitus delerentur. Atqui ſi ita erat ut dictum eſt, illicitus cultus in hominibus vel ab hominibus compeſcendus erat, non in Imaginum deſtructione, quæ nihil peccaverunt, imò eo ſenſu, quo ſupra præmiſſum eſt, ſcientibus pro pia memoria, neſcientibus verò pro doctrina utiles erant,* &c. *Imperator è duobus unum ad eligendum indeclinabiliter cogitur, aut cultui inlicito favendo Imaginibus contra jus Eccleſiaſticum cervicem flectere, aut certè hujuſmodi cultoribus contradicendo vel non favendo ingratus exiſtere. Et qui faciliùs poterat ad imitationem antiquiorum Principum vel Patrum ſuorum & iſtos ab inlicito cultu revocare, & cum ceteris omnibus morem antiquum ſine offenſione Dei proſequentibus, pacem vel caritatem leniter retinere, perſuaſit eum prædictus pacis ſemper & caritatis inimicus illud iter in deſtruendis Imaginibus arripere, per quod omnes per diſcretionem ſanè ſapientes atque ſervantes perturbando confunderet, & illos ſæpedictâ diſcretione vel temperantiâ, quæ una de Cardinalibus Eccleſiaſticis virtutibus eſſe cognoſcitur, ſpretâ elegit ultrà quàm unquam Deo placuit, vel placere debeat, Imaginum cultui deſervire, ut iiſdem, qui hoc electum habebant, potuiſſet placere, non conſiderans illud quod terribiliter ſcriptum eſt.* [*Qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit illos.*] *Sicque factum eſt, ut ex die illo ab eodem antiquo ſemper Deo placente populo fidelium exilia non ceſſarent, cruces & cruciatus non quieſcerent, &, ut fertur,*

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

* tunc ſibi

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

membrorum detruncationes, ipsa etiam homicidia causâ earumdem Imaginum nimia perpetrata sint. Et hæc diu cucurrerunt, quousque humani generis antiquus hostis, quasi in hac parte satiatus, convertit se ad alia perditionis argumenta, ut denuò susciteret sibi contrà cultores Imaginum, Herenam videlicet cum filio tam pestiferâ inlusione decipiens, ut absque ulla misericordia vel metûs superinspicientis Omnipotentis Dei Majestate, talis ab eis promulgaretur sententia, ut omnis homo eorum ditioni subjectus Imagines adoraret, aut certè exilio pœnisque diversis cruciaretur, & , si non acquiesceret, ab universali Ecclesia anathematis vinculo sequestratus religaretur. Sed nunc quid denuò è diverso agat, ad priorem iterum recurrens semitam, præsentem denuò incitans Imperatorem, ut eas pictas vel scriptas habere quempiam volendo permittat? Quis igitur tam eloquens sub cælo habetur, qui hanc pestiferam cladem enumerare prævaleat? Baronius brevem hanc observationem subjicit. *Audisti tandem, Lector, quod numquam puto vel mente concipere vel credere potuisses, quomodo sapientes isti literis Pontificiis mira fallendi arte optaverint infamari, projici, atque execrationibus devoveri ac penitus aboleri sacrosanctum Nicænum secundum Concilium. Vidisti qualem sub tot verborum involucro serpentem clauserint, qui primùm omnium ipsum Romanum Pontificem, ac subinde universam Ecclesiam, damnando Oecumenicum Concilium, perdat.* Facinoris adeò detestandi suspicio non cadit in Gallos, qui sacras Imagines colunt, pugnant pro Nicæna Synodo, ditiones Romani Pontificis amplificant, sed in Græcos, qui frangunt Imagines Sanctorum, damnant Synodum Nicænam, Romanum Pontificem odio prosequuntur. Literarum igitur, quæ Michaeli & Theophilo Græcorum Imperatoribus ab Eugenio Papa scriptæ finguntur, Auctores haud censendi sunt Galli, sed Græci, quorum etiam videtur esse insignis erga prædictos Imperatores adulatio, de qua Bellarminus & Baronius meritò conqueruntur ad illa earumdem literarum verba. *Quantùm epistolaris brevitas ritè permisit monere vos & exhortari, ô venerandi Principes, cum universa Sancta Dei, quam Domino dispensante & committente gubernatis, Ecclesia, ut, &c. Propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam.* Audi Bellarminum. *Quæ fœdior adulatio? Michael Balbus interfecto legitimo Imperatore, cùm esset ipse pro sceleribus suis jam morti adjudicatus, tyrannicè invasit Imperium, & Pontifex Maximus affirmabit, Deo disponente, committente & ordinante, hunc ipsum Balbum gubernacula suscepisse non solùm Imperii sed etiam Ecclesiæ?* Baronius sic eandem carpit adulationem. *At non, rogo te, Lector, indigna & pudenda sunt ista, quæ loqui inducunt Romanum Pontificem cum hæreticis Imperatoribus Michaele atque Theophilo, ut per eos dicat ordinari atque regi, Deo committente & ordinante, Sanctam Ecclesiam, & non magis, Deo permittente, dissipari ab ipsis & perverti penitus illam?* Prolixam hanc commentitiarum literarum refutationem egregiâ peroratione claudet Bellarminus. *Postremò*, inquit, *in eadem illa epistola reprehenditur Constantinus, & mater ejus Hirene, quòd Edicto suo jusserit sacras Imagines, juxta Concilii Generalis Decretum, cum veneratione esse habendas. Quæ sanè reprehensio à Summo Pontifice, nisi planè amente, scribi non potuit. Quid enim? Hadrianus Papa Constantinum & Hirenam summis laudibus effert, quòd Sacrarum Imaginum religioso cultui faveant, & Hadriani successor Eugenius eosdem Imperatores ob causam eamdem reprehendet? Et qua major stultitia fingi potest, quàm ut Summus Pontifex molestè se ferre dicat, quòd ab Imperatore Decreta Conciliorum Generalium à Sede Apostolica approbata serventur ac defendantur?*

XI. Literas, quas proximè refutavimus, in Actis Conventûs Parisiensis duæ sequuntur Ludovici Imperatoris epistolæ, quarum una Eugenio Papæ, altera Hieremiæ ac Jonæ Episcopis inscribitur. Utramque descripsimus suprà. Bellarminus [a], quid de illis epistolis, quidve de toto libro sentiat, in quo cum reliquis Actis prædictis continentur, sic exponit. *Restat pars ultima, hoc est, epistola Ludovici Imperatoris ad Eugenium Pontificem, & altera ejusdem Ludovici ad Hieremiam & Jonam Episcopos. In quibus nihil observandum occur-*

[a] Cap. 6.

Digitized by Google

tit, niſi quòd in eis quædam dicuntur, quæ redolere videntur frandes recentium hæreticorum. Unde venit in mentem ſuſpicari, ne fortè vel totus hic libellus ſit confictus, vel, quod eſt credibilius, depravatus, & auctus ad invidiam Romanæ Eccleſiæ conciliandam. Sed ſive ſit verus liber ſive confictus, ſive partim ſincerus partim adulterinus, illud unum conſtat, non eſſe librum dignum, in quo legendo tempus conteratur. Titulus falſus, dictio barbara, ſententiæ inſulſæ, ordo perverſus, eorumdem teſtimoniorum crebra repetitio, facilè potuiſſent perſuadere Typographo, ſi is commune commodum & non proprium lucrum ſpectaſſet, ut ſibi ab edendo ejuſmodi opere temperaret. De epiſtolis Ludovici, quas Baronius recitavit integras nec reprobavit, nihil repetemus. Quodnam verò ſit noſtrum de toto Pariſienſium Actorum libro judicium, paucis declarabimus.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

XII. JUDICIUM DE SINGULIS ACTIS CONVENTUI PARISIENSI ATTRIBUTIS.

In vulgatis Actis occurrunt, primò literæ Michaelis & Theophili Græcorum Imperatorum ad Ludovicum Auguſtum, ſecundò literæ Conventûs Pariſienſis ad Ludovicum & Lotharium Auguſtos, tertiò Sententiæ Patrum collectæ & in ſexdecim capita diſtributæ, quartò literæ nomine Ludovici Imperatoris ad Pontificem Romanum, quintò literæ nomine Romani Pontificis ad Michaelem & Theophilum Imperatores Græcorum, ſextò literæ Ludovici & Lotharii Auguſtorum ad Eugenium Papam, ſeptimò commonitorium Ludovici Auguſti ad Hieremiam & Jonam Epiſcopos.

XIII. Literæ Michaelis & Theophili Græcorum Imperatorum ad Ludovicum Auguſtum datæ ſunt Conſtantinopoli, quarto Idus Aprilis, Indictione ſecundâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quarto. Genuinæ ſunt, & mendacia, quibus ſcatent, in Michaelis tyrannidem atque hæreſim rejici debent, hic enim Imperium invaſit, unáque cum filio Theophilo manet in Iconoclaſtarum hæreſi.

XIV. Literæ Conventûs Pariſienſis ad Ludovicum & Lotharium Auguſtos, ſeu potiùs ad Ludovicum Auguſtum, ſuo non ſunt in loco poſitæ, poſt Collectionem enim Sententiarum, quæ facta eſt in illo Conventu, referri debent. Multis auctæ ſunt interpolationibus, quæ veritati repugnant, & fabulis ſeriùs excogitatis innituntur.

XV. Habitus eſt Conventus apud Pariſios menſe Novembri, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto. Frequens interfuit Epiſcoporum cœtus, abſente tunc & Aquiſgrani degente Ludovico Auguſto. Sententiæ Patrum feſtinatò collectæ ſunt, ita tamen ut nihil in illis habeatur, unde quis cultum Sacrarum Imaginum vel ſecundam Synodum Nicænam impugnare poſſit. Ab interpolatoribus autem quædam adjecta ſunt, ſpecie quidem ornatûs, quales ſunt, diſtinctio, tituli, connexionéſque capitum, at malo prorſus animo, ut Epiſcopi Galliarum pravè ſentire de Nicæna Synodo erroríque Græcorum favere crederentur.

XVI. Literæ nomine Ludovici Imperatoris ad Pontificem Romanum ſuppoſititiæ ſunt, ut patet ex earum collatione cum genuinis ejuſdem Ludovici & Lotharii Auguſtorum ad eundem Papam.

XVII. Commentitiæ quoque ſunt literæ nomine Romani Pontificis ad Michaelem & Theophilum Imperatores Græcorum, atque ex ipſo ſtylo probantur ab iiſdem Græcis confictæ.

XVIII. Literæ Ludovici & Lotharii Auguſtorum ad Eugenium Papam genuinæ ſunt, taléſque commendantur à Baronio, à Sirmondo, & à poſtremis Conciliorum Collectoribus.

XIX. Apud hos Auctores in eadem etiam eſt exiſtimatione commonitorium Ludovici Auguſti ad Hieremiam & Jonam Epiſcopos.

XX. In Actis igitur Conventûs Pariſienſis, præter literas Michaelis & Theophili Græcorum Imperatorum ad Ludovicum Auguſtum, ſervari debent nudæ duntaxat Patrum Sententiæ cum fragmentis literarum ab eodem Conventu ad eundem Ludovicum Auguſtum, & literis ejuſdem Ludovici

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

ac Lotharii Auguſtorum ad Eugenium Papam, necnon & ipſius Ludovici Auguſti commonitorio ad Hieremiam & Jonam Epiſcopos. Cetera ſunt infitia; nec obeſſe debent Gallis, qui Nicænæ Synodi Decretis adhæſerunt in prædicto Conventu, debitúmque Sacris Imaginibus honorem impenderunt averſati pariter eos qui vel illas frangebant, vel proſequebantur cultu latriæ. Nullo quoque vituperio dignus eſt Ludovicus Imperator, quamvis aliter cenſeant qui de Synodo Francofordienſi déque Pariſienſi Conventu ſiniſtrè ſentiunt; imò maximis efferendus eſt laudibus, quòd Orientalis Eccleſiæ diſcordias & ſchiſmata conatus ſit extinguere, nihilque præſtiterit inconſulto Pontifice Romano. Literis Græcorum Imperatorum acceptis, in quibus aliquid de Imaginum veneratione continebatur, Romam direxit Oratores, ac per eos licentiam à Papa poſtulavit agendæ Collationis, in qua cultus Imaginum examinaretur. Obtentâ petitione Conventum indixit Pariſiis habendum; Sententias Patrum, quæ pertinebant ad illam materiam, in eo Conventu colligendas curavit, ſibíque tunc apud Aquiſgranum commoranti delatas attentè legit, & lectas Romam ad Eugenium tranſmiſit cum literis, in quibus adjecit ſe quoque, ſi Romano Pontifici gratum eſſet, Oratores miſſurum, qui Legatis Pontificiis ſe jungerent, ſimúlque cum illis in Græciam proficiſcerentur. Quid laudabilius deſiderari potuit? At quæ ſecuta ſunt penitus ignorantur, quid enim Eugenius ad literas Ludovici ac Lotharii Auguſtorum reſponderit, & utrùm horum Oratores in Orientem perrexerint, nemo prodit. Hoc quidem anno Ludovicus poſt Kalendas Junii, cùm apud Ingelheimium Conventum celebraret, Legationem Româ directam audivit abſolvítque, ſed obitæ Legationis cauſa reticetur. Annaliſta Laureshamenſis ſic habet in Codice Armaniaco. *Imperator medio menſe Maio Aquiſgrano egreſſus, circa Cal. Jun. ad Ingelheim venit, habitóque Conventu non modico, multas & ex diverſis terrarum partibus miſſas Legationes & audivit & abſolvit. Inter quas præcipua ceteríſque præeminens erat Legatio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Romanæ videlicet Eccleſiæ, quâ fungebantur Leo Centumcellenſis Epiſcopus & Theophilactus Nomenclator.* Et Aſtronomus. *Imperator Kalendis Junii menſis ad Ingelheim venit, ibidémque illi Conventus populi ſui, ſecundùm quod præceperat, occurrit. In eodem Placito ſecundùm morem ſuum multa, quæ Eccleſiæ eſſent utilia, admonuit, ſtatuit, ac definivit. Legationéſque tam à Sancta Sede Romana quàm à monte Oliveti per Dominicum Abbatem perlatas ſuſcepit, audivit, abſolvit.* Apud Annaliſtam Laureshamenſem, ubi memoratur in Codice Armaniaco *Legatio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Romanæ videlicet Eccleſiæ*, in vulgatis exemplaribus habetur *Legatio Romani Pontificis*. Poſteriorem hanc Lectionem ſequitur Baronius [a], atque inde ſic ratiocinatur. *Quòd autem directam Lagationem ab ipſo Romano Pontifice ad Ludovicum Imperatorem, Francorum Annales ſub eodem Ludovico conſcripti teſtentur, licèt quid detulerint nihil dicant, tamen veriſimile valdè videtur, ad hoc Legationem ab Eugenio in Galliam miſſam, quò ab aſſertis erroribus revocaret Pontifex Ludovicum. Nam ſi illi acquieſcere voluiſſet, in Orientem potiùs ex ejus ſententia unà cum ſuis Legationem miſiſſet.* At ut errores in Conventu Pariſienſi negamus ab Epiſcopis Galliarum aſſertos fuiſſe, ſic & inficiamur ab Eugenio Papa directam eſſe Legationem, ut Ludovicus Imperator *ab aſſertis erroribus* revocaretur. Sanè vel ignoratur cauſa, propter quam miſſa ſit ad Ludovicum iſta Legatio, vel alia non fuit, quàm ut libertati redderentur Romani Judices, qui detinebantur in Francia captivi. In vita enim Eugenii Secundi hæc apud Anaſtaſium leguntur. *Hujus diebus Romani Judices, qui in Francia tenebantur captivi, reverſi ſunt, quos in parentum propria ingredi permiſit, & eis non medicas res de Patriarchio Lateranenſi prabuit, quia erant penè omnibus facultatibus deſtituti.*

[a] Ad an. 825. n. 55.

XXI. Res hoc anno geſtas Annaliſta Laureshamenſis ſic aggreditur. *Cùm Regi Bulgarorum* Omortago *Legati ſui quid* in Aquiſgranenſibus comitiis *egiſſent*

renuntiarent, iterum eum, quem primò miſerat, ad Imperatorem cum literis remiſit, rogans ut ſine mora terminorum definitio fieret, vel, ſi hoc non placeret, ſuos quiſque terminos ſine pacis fœdere tuerentur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum Regem à ſuo quodam Optimate aut Regno pulſum aut interfectum, reſpondere diſtulit. Illóque expectare juſſo, propter famæ certitudinem comperiendam Bertricum Palatii Comitem ad Baldericum & Gerboltum Comites & Avarici limitis Cuſtodes in Carantanorum provinciam miſit. Qui cùm reverſus nihil certi ſuper iis quæ fama vulgaverat reportaſſet, Imperator Legatum ad ſe vocatum ſine literis remeare fecit. Aſtronomus rumorem, qui de morte Omortagi ſparſus fuerat, non incertum ſed falſum dixit. *Ab hoc,* inquit, *Conventu,* nempe Aquiſgranenſi de quo locuti ſumus anno priore, *regredientibus Bulgarorum Miſſis, literáſque Imperatoris deferentibus, Rex eorum minùs gratè quæ ſcripta ſunt tulit, eò quòd petita non impetrarit. Cum quadam ergo ſtomachatione eundem nuncium remittens mandavit, ut aut communis finium terminus ſtatueretur, aut quacumque poterat virtute tueretur limites ſuorum finium. Sed quum fama rumorem ſparſiſſet, Regem talia mandantem Regno carniſſe, Imperator tamdiu Legatum tenuit, quouſque miſſo Bertrico Comite Palatii falſa eſſe quæ jactabantur comperiſſet. Reſcitâ autem veritate, Miſſum infecto negotio remiſit. Interea,* ut prædictus Annaliſta ſubjungit, *Pipinus Rex, filius Imperatoris, ut juſſus erat, cum ſuis Optimatibus & Hiſpanici limitis Cuſtodibus circa Cal. Feb. Aquiſgranum, ubi tunc Imperator hyemaverat, venit. Cum quibus cùm de tuendis contra Saracenos Occidentalium partium finibus eſſet tractatum atque diſpoſitum, Pipinus in Aquitaniam regreſſus eſtatem in deputato ſibi loco tranſegit.* Ludovicus autem apud Aquiſgranum ad medium uſque menſem Maium remanſit. Octavo Tomo Spicilegii Lucas Dacherius è Chartulario Sanctæ Crucis Aurelianenſis Diploma publicavit ejuſdem Ludovici pro Cella Sancti Maximini in Aurelianenſi Diœceſi, quod hoc anno, decimo-tertio Kalendas Martias Aquiſgrani datum cenſuit. At ex ipſo contextu deprehendimus hoc Præceptum idem eſſe cum illo, quod anno priore jam deſcripſimus. Annuum diſſidium, quod inter nos & Dacherium intercedit, ex Characteribus Chronologicis proficiſcitur. Hos in fine Diplomatis ita reperimus. *Data* XIII *Kal. Mart. anno Chriſto propitio* XII *Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* III. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Dacherius verò ſic edidit. *Data* XIII *Calendas Martii, anno Chriſto propitio* XIII *Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione* III. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.* In editione noſtra duodecimus annus Imperii Ludoviciani & Indictio tertia per menſem Februarium inter ſe rectè conveniunt, annúmque Redemptoris exhibent octingenteſimum viceſimumquintum. In editione Dacheriana per menſem Februarium annus Imperii Ludoviciani decimus-tertius & Indictio tertia diſcrepant, annus enim decimus-tertius Imperii Ludoviciani cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto componitur, & Indictio tertia cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto comparatur. Diſcrepantiam diſſimulavit Dacherius, & annum Imperii Ludoviciani depravatum ſyncero Indictionis tertiæ Characteri perperam antepoſuit. Idem Dacherius in Notatiuncula, quam in margine poſuit, Diploma, de quo loquimur, datum exiſtimavit ad confirmandum Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi Privilegium *pro inſtauratione Monaſtica diſciplina in S. Maximini Miciacenſi Monaſterio.* Miciacum ſeu Sancti Maximini Monaſterium ad Ligerim in Aurelianenſi Diœceſi celebre, cui Benedictus Anianenſis Abbas Dutreſindum Abbatem præfecit Theodulfo Epiſcopatum Aurelianenſem tunc gerente, priſtino ſplendori reſtitutum florebat anno Imperii Ludoviciani decimo-tertio ſub eodem Abbate Dutreſindo & Jona Epiſcopo Theodulfi ſucceſſore, nec in Cellam deſierat. In Præcepto, de quo nobis hîc ſermo, duæ diſtinguuntur Cellæ Sancti Maximini. Vocari poteſt in dubium, an illarum altera pro Miciacenſi Monaſterio ſumi

AN. CH. 826.

INFECTO NEGOTIO REMITTITUR LEGATUS R. BULGARORUM MINAS INTENTANTIS, NISI COMMUNIS FINIUM TERMINUS STATUATUR.

PIPPINUS PATREM ADIT, DEINDE IN AQUITANIAM REDIT.

AN. CH. 826.

debeat. Lege ad hujus Cœnobii commendationem genuinum Ludovici Præceptum, quod VI *Idus Januarii, anno Chriſto propitio primo Imperii* ejuſdem *Domni Ludovici Sereniſſimi Auguſti, Indictione* VIII datum retulimus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-quintum [a] Dutreſindo illius loci jam Abbate. Lege & Miciacenſium Abbatum Indicem apud Sauſſeyum in Annalibus [b] Aurelianenſis Eccleſiæ.

[a] Num. 4.

[b] Lib. 3. n. 6.

XXII. LUDOVICUS AUG. VARIAS AUDIT LEGATIONES.

Imperator, ut ex Annaliſta Laureshamenſi dictum eſt ſuprà, *medio menſe Maio Aquiſgrano egreſſus, circa Cal. Jun. ad Ingelheim venit, habitóque Conventu non modico multas & ex diverſis terrarum partibus miſſas Legationes & audivit & abſolvit.* Sex enumerantur Legationes è diverſis Orbis partibus directæ. Prima eſt Romani Pontificis, de qua quoque jam locuti ſumus. Secunda mittitur è partibus tranſmarinis, hac fungitur *Dominicus Abbas de monte Oliveti.* Cauſa Legationis haud proditur. Si fidem habemus Aſtronomo, Dominicus Abbas utramque obiit Legationem, tam à Sede Romana, quàm à monte Oliveti, ſic enim ille in vita Ludovici jam citata. *Imperator Legationes tam à Sancta Sede Romana quàm à monte Oliveti, per Dominicum Abbatem perlatas ſuſcepit, audivit, abſolvit.* Magis arridet Annaliſta Laureshamenſis, ut enim Legationes ſic & Legatos diſtinguit, unam Legationem Leoni Epiſcopo Centumcellenſi & Theophilacto Nomenclatori, alteram Dominico Abbati de monte Oliveti committit. Tertia Legatio eſt Danorum, de qua ſic idem Annaliſta. *Legati quoque filiorum Godefridi Regis Danorum pacis ac fœderis causâ directi.* Quarta eſt Abotritorum, quinta Soraborum, utramque ſic attingit idem Auctor. *De Sclavorum regionibus quidam Abotritorum Primores Ceadragum Ducem ſuum accuſantes. Accuſabatur & Tunglo unus de Soraborum Primoribus, quòd & ipſe dicto audiens non eſſet. Quorum utrique denunciatum eſt, quòd ſi medio Octobri ad Imperatoris generalem Conventum venire diſtulerint, condignas perfidiæ ſuæ pœnas eſſe daturos.* Hoc quoque loco non convenimus cum Aſtronomo, qui de Ceadrago & Tunglone, cùm res in prædicto Conventu geſtas enarrat, ita loquitur. *Necnon duos Duces, Ceadragum Abotritorum, & Tunglonem Soraborum, quum accuſarentur, & accuſatio ſatis clara eminaret, caſtigatos ad propria remiſit.* Agemus enim iterum de duobus illis Ducibus, qui medio menſe Octobri ſe ſtiterunt Imperatori in altero Conventu apud Ingelheimium celebrato, ut dicemus infrà. Sexta Legatio eſt Britannorum. *Venerunt*, inquit Annaliſta Laureshamenſis, *& ex Brittonum Primoribus, quos illius limitis Cuſtodes adducere voluerunt.* Præterea, ut idem Auctor ſubjungit, *affuerunt in eodem Conventu Baldericus & Gerholtus Comites ac Pannonici limitis Præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum adversùm nos nihil ſe ſentire poſſe teſtati ſunt. Venit cum Balderico Presbyter quidam de Venetia nomine Georgius, qui ſe organum poſſe facere aſſerebat. Quem Imperator Aquaſgrani cum Thancolfo Sacellario miſit, & ut ei omnia ad id inſtrumentum efficiendum neceſſaria præberentur, imperavit.* Georgius & Gregorius, ut alibi jam notavimus, ſæpè confunduntur. Qui Georgius eſt Annaliſtæ Laureshamenſi, Gregorius eſt Aſtronomo, cujus hic eſt textus. *Quum Baldricus & Geraldus, ceteríque Pannoniarum Cuſtodes finium adeſſent, adduxit Baldricus Domino Imperatori Preſbyterum quendam nomine Gregorium, bonæ vitæ hominem, qui diceret organum more Græcorum poſſe componere. Quem Imperator gratanter ſuſcepit, & quia Deus illi quæ ante ſe inuſitata erant in Regno Francorum attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac Tanculfo ſacrorum Scriniorum prælato commendavit, publicíſque ſtipendiis curare juſſit, & ea, quæ huic operi neceſſaria forent, præparare mandavit.*

XXIII. HERIHOLTUS R. DANIÆ CUM UXORE BAPTIZATUR MOGUNTIÆ.

Cùm apud Ingelheimium agebatur Conventus, de quo ſermonem habemus, Moguntiæ baptizatus eſt Heriholtus Danorum Rex cum uxore ſua plurimiſque Danis. Rem adeò inſignem non omiſit Annaliſta Laureshamenſis. *Eodem*, inquit, *tempore Heriholtus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Mogunciaci apud Sanctum Albanum cum iis quos ſecum adduxit baptizatus*

Digitized by Google

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

baptizatus eſt, multiſque muneribus ab Imperatore donatus, per Friſiam, quâ venerat viâ, reverſus eſt. In qua provincia Comitatus qui Rhiuſtri vocatur, eidem datus eſt, ut in eum ſe cum rebus ſuis, ſi neceſſitas exigeret, recipere potuiſſet. Similia ſcribit Aſtronomus, ſic. *Herioldus à Nortmannia partibus cum uxore veniens, Danorúmque non parva manu, Magontiaci apud Sanctum Albanum, cum ſuis omnibus, ſacri Baptiſmatis undâ eſt perfuſus, plurimiſque muneribus ab Imperatore donatus. Verens autem Piiſſimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio ſoli naturalis, dedit ei quendam Comitatum in Friſia, cujus vocabulum eſt Riuſtri, quò ſe ſuóſque, ſi neceſſitas exigeret, tutò recipere poſſet.* [illegible] ſitum illius Comitatûs agnoſcas, lege Tomo ſuperiore [a], quæ de Ruſtris cùm Ciſ-Jadanis tum Tranſ-Jadanis dicta ſunt ex Ubbone Emmio [b]. Theganus [c] addit levatos de fonte Baptiſmatis Herioldhum Regem à Ludovico Auguſto, Heriolthi uxorem à Juditha Auguſta. *Imperator erat in Palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit Eriolth de Danis, quem Dominus Imperator elevavit de fonte Baptiſmatis, & uxorem ejus elevavit de fonte Domina Judith Auguſta. Tunc Dominus Imperator magnam partem Friſonum dedit ei, & donis honorificis ornavit eum, & cum Legatis ſuis dimiſit eum ire in pace.* Superſtes in vivis erat Haiſtulphus Moguntiacenſis Archiepiſcopus, nec dubium videtur, quin Regem ac Reginam baptizarit, licèt id Serarius libro quarto [d] rerum Moguntiacarum, Robertus in Gallia Chriſtiana, nonnullique alii Otgario ſucceſſori tribuant. Heriholtus autem, quod ad Franciæ commendationem obſervatum volumus, cùm à noſtratibus Epiſcopis eruditus fuiſſet, Chriſtianam fidem primus è Danorum Regibus ſuſcepit. Euntem in Daniam comitati ſunt inſignes duo Monachi Corbeïenſes, Anſcharius de quo jam locuti ſumus, & Autbertus amicitiâ illi conjunctus. *Ambo*, ut Rembertus in ipſius Anſcharii vita ſcribit, *deducuntur ad Regem*, id eſt, ad Ludovicum Pium. *Quorum voluntati & deſiderio condelectatus, ipſe dedit eis & Eccleſiaſtica miniſteria, & ſcrinia, atque tentoria, ceteráque ſubſidia, quæ tanto itineri videbantur neceſſaria, & cum prafato Herioldo ire præcepit, denuntians ut ejus fidei maximam impenderent ſollicitudinem, eúmque & ſuos, qui ſimul cum eo baptizati fuerant, piâ exhortatione, ne ad priſtinos reducerentur diabolo inſtigante errores, continuè laborarent, ſimúlque etiam alios ad ſuſcipiendam Chriſtianitatem verbo prædicationis ſtrenuè commonerent. Dimiſſi itaque ab Imperatore nullum habuerunt ſocium, qui eis aliquid ſervitii impenderet, quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis ſuâ ſponte ire, nec ille quemquam ad hoc invitum cogere volebat. Herioldus quoque, cui commiſſi fuerant, adhuc rudis & neophytus ignorabat qualiter ſervi Dei tractari debuiſſent. Sui quoque tunc nuper converſi, & longè aliter educati, non multâ ſuper eos curâ intendebant. Cum gravi itaque difficultate hanc ſuſcipientes peregrinationem pervenerunt Coloniam. Ubi tunc temporis venerandus Antiſtes Hadeboldus, compatiens eorum neceſſitati, dedit eis navem optimam, ubi ſua reponerent, in qua erant duæ manſiuncula ſatis optimè præparata. Hanc itaque prædictus Herioldus conſpiciens, elegit in eadem navi cum illis manere, & ipſe unâ, & illi potirentur alterâ manſiunculâ. Sícque inter eos familiaritas cæpit & benevolentia creſcere; ſui quoque exhinc ſervitium eis diligentiùs impendebant. Inde ingreſſi per Dorſtratum & vicina Friſonum tranſeuntes ad confinia pervenerunt Danorum. Et quia interdum pacificè in Regno ſuo Herioldus Rex conſiſtere non poterat, dedit ei memoratus Auguſtus ultra Albiam beneficium, ut, ſi quando ei neceſſarium eſſet, ibi ſubſiſtere poſſet. Prafati itaque ſervi Dei cum eo poſiti aliquando inter Chriſtianos, aliquando inter paganos conſtituti, cæperunt verbo Dei inſiſtere & quoſlibet poterant ad viam veritatis monere. Multi enim exemplo & doctrinâ eorum ad fidem convertebantur, & creſcebant quotidie qui ſalvi fierent in Domino. Ipſi quoque divino inſpirati amore, ad promulgandam devotionis ſuæ religionem, cæperunt curiosè pueros quærere, quos emerent & ad Dei ſervitium educarent. Prafatus quoque Herioldus ex ſuis aliquos ſub eorum cura erudiendos poſuit. Sícque factum eſt, ut Scholam inibi parvo tempore ſtatuerint duodecim aut eo amplius puerorum. Alios*

IT IN DANIAM CUM ANSCHARIO ET AUTBERTO MONACHIS CORBEÏENSIBUS.

[a] Ad an. 718. n. 15.
[b] Lib. 1. rer. Friſic.
[c] Cap. 33.
[d] In Arch. 5.

AN. CH. 826.

quoque hinc inde sibi adsciverunt servitores & adjutores, cœpitque eorum fama & religio in Dei nomine fructuosius crescere. Cùm itaque in hoc sancto proposito biennio aut eo amplius morarentur, contigit jam dictum fratrem Autbertum infirmitatis gravari molestiâ. Qua de causa inde ad novam Corbeïam deductus, languore diutino ingravescente, felici, ut credimus, transitu, in tempore Paschæ sicuti & ipsi antèà Domino revelatum fuerat, diem inibi clausit extremum, anno Redemptoris, ut Tomo sequenti dicemus, octingentesimo vicesimo-nono.

XXIV. PRÆCEPTUM PRO NOVA CORBEÏA.

In Monumentis Paderbornensibus [a] extat Præceptum pro Corbeïa Saxonica dictum apud Ingelheimium hoc anno, decimo Kalendas Julias. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus & Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Impp. Augusti. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus & futuris, notum sit, quia nos pro divini cultûs amore & animæ nostræ remedio, quoddam Monasterium, quod nova Corbeïa vocatur, in honorem Beati Stephani protomartyris infra Saxoniam supra fluvium Wisera, in loco, qui dicitur Huxori, construi jussimus, quod & viro venerabili Adelhardo construendum regendúmque commisimus, qui erat Abbas in altero antiquiori Monasterio, quod æquè Corbeïa vocatur, à quo & novum supradictum Monasterium nomen constat esse sortitum. Itaque nos divinâ inspiratione compuncti, & cælestis patriæ amore succensi, ob animæ nostræ salutem, concessimus eidem Monasterio Capellam, quam dudum Domnus & genitor noster Karolus Imperator in Castello, quod dicitur Heresburg, construi jussit, cum omnibus rebus ac mancipiis ac decimis ad eam pertinentibus, quantumcumque Domnus & genitor noster eidem Capellæ piâ devotione contulisse dinoscitur, cum omni integritate prædicto Monasterio ad subsidia Monachorum ibidem Deo famulantium per hanc nostræ auctoritatis Donationem à die præsenti perpetuò habendum atque possidendum concessimus, & in ditionem ejus transtulimus, eo videlicet modo, ut quicquid ab hodierno die de prædicta Capella vel de his quæ ad eam pertinent, Rectores & Ministri suprà memorati Monasterii vel fratrum in eo degentium voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quicquid utilitatibus prædicti Monasterii congruere & convenire perspexerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, & à fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris seu etiam successoribus nostris verius certiúsque credatur, eam manibus propriis subter signavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludowici Serenissimi Imperatoris. Signum Hlotharii Gloriosissimi Augusti. Durandus Diaconus ad vicem Fridagisi recognovit. Data* XII *Kal. Julii. Anno, Christo propitio,* XIII *Imperii Domni Hludowici Piissimi Augusti. Indict.* IV. *Actum Ingilinheim Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

[a] Monum. 9.

XXV. CAPITULARE INGELHEIMIENSE.

In eodem Conventu promulgatum est apud Ingelheimium Capitulare, quod à Stephano Baluzio septem in Capitula distinguitur. Benedictus Levita mentionem hujus Capitularis facit libro sexto Capitularium, Capitulum enim nonagesimum-sextum, quod inscribitur *de his, qui rapinas infra Regnum faciunt*, sumptum testatur *ex Capitulis Domni Ludovici in Inghilem Apostolicâ auctoritate & Synodali sanctione, omnium videlicet Clericorum ac laicorum generaliter consensu atque hortatu, decretis.*

XXVI.

Ab illo Capitulo Capitulare sic inchoatur. *Si quis infra Regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejúsque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulerit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est,* LX *solid. nobis persolvat. Postmodùm verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico,* sive in arctissima custodia, *retrusus, usquedum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta Sanctorum Canonum Sanctionem. Si verò occultè, Sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam, quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, Regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur, quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex his*

Digitized by Google

aliquid aut abſtulerit aut rapuerit. Infames quoque tales perſona uſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, quam læſerint, ſunt habendæ. Baſtonicum carcerem interpretamur à baculo ſeu fuſte, Gallis vernaculè *baſton*, quia cuſtodes carcerum, cùm ad muneris indicium, tum ad eos coercendos qui detinebantur in carceribus, baculis quibuſdam inſignes erant, ut ex hoc Capitulo probat Henricus Spelmannus in ſuo Gloſſario. AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

Secundum Capitulum eſt de his, qui Sacerdotem vel Levitam aut Monachum interfecerunt vel debilitaverunt. *Si quis Sacerdotem vel Levitam aut Monachum interfecerit vel debilitaverit, juxta ſtatuta priorum Capitulorum, quæ Legi Salicæ ſunt addita, componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt,* LX *ſol. nobis perſolvat, & arma relinquat, atque in Monaſterio diebus vitæ ſuæ ſub arctâ pœnitentia Deo ſerviat, nuſquam poſtmodùm ſeculo vel ſecularibus militaturus, neque uxori copulaturus.* Lege additamenta, quibus Lex Salica cùm à Carolo Magno tum à Ludovico Pio plurimùm aucta fuit, atque in his præcipuè Capitula, quæ relata ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium [a] *de homicidiis Clericorum*, & ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum [b] *de injuriis Sacerdotum vel quorumlibet ex Clero in Eccleſia factis*, conſulique poſſunt in libris tertio [c] & quarto [d] Capitularium. XXVII.

[a] Num. 17.
[b] Num. 35.
[c] Cap. 25.
[d] Cap. 14.

Tertium Capitulum eſt de his, qui Epiſcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerunt. *Si quis Epiſcopo aliquam injuriam aut injuſtam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia, quæ habere viſus fuerit, Eccleſia, cui præeſſe dinoſcitur, integerrimè ſocientur, & nobis in triplo bannus noſter, id eſt,* LX *ſolidi perſolvantur, aut ipſe in ſervitio fiſco noſtro ſerviturus ſemper ſocietur, uſque ſe redimere in triplo juxta Wirgildum ſuum potuerit. Sanctæ verò Eccleſiæ in Sacerdotibus conſtat, idcircò magnâ pœnâ plectendi ſunt, qui Epiſcopis vel reliquis Sacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio Sacerdotum ad Chriſtum pertinet, cujus vice Legatione in Eccleſia funguntur.* XXVIII.

Quartum Capitulum eſt de religioſa muliere, quam quis rapuit aut ſollicitavit vel corrupit. *Si quis rapuerit aut ſollicitaverit vel corruperit religioſam fœminam, bona amborum Eccleſiis vindicet, in qua talis mulier habitavit, ipſi tamen capitali periculo ſubjiciantur. Quòd ſi hoc mulier non conſenſit, cum ſuis rebus Monaſterii ditionibus tradatur. Si verò Comes ipſius pagi una cum conſilio ſui Epiſcopi, in cujus Parochia tale ſcelus commiſſum eſt, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publicâ pœnitentiâ mulctetur, & inſuper Wirgildum ſuum fiſci juribus dare compellatur.* XXIX.

Quintum Capitulum eſt de blaſphemia in Deum. *Si quis quolibet modo blaſphemiam in Deum jactaverit, ab Epiſcopo vel Comite pagi ipſius carceri uſque ad ſatisfactionem tradatur, & publicâ pœnitentiâ mulctetur, donec precibus proprii Epiſcopi publicè reconcilietur, Eccleſiæque gremio canonicè reddatur.* XXX.

Sextum Capitulum eſt de his, qui in domo ſua fecerunt Oratorium. *Qui in domo ſua Oratorium habuerit, orare ibidem poteſt. Miſſas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, ſine permiſſu vel dedicatione Epiſcopi loci illius. Quod ſi fecerit, domus illius fiſci juribus addicatur. Comes verò, qui hoc cognovit & non prohibuit, publicâ pœnitentiâ mulctetur, vel honore privetur.* XXXI.

Septimum Capitulum eſt de Privilegiis Eccleſiarum & Clericorum non corrumpendis. *Ut Privilegia, quæ Eccleſiis & Clericis ab Anteceſſoribus noſtris vel nobis conceſſa ſunt, ſemper maneant incorrupta.* XXXII.

Huc uſque Capitulare Ingelheimienſe, quod in ſexto Capitularium libro reperitur, totúmque convenit cum Capitulis illius libri nonageſimo-ſexto ſexque proximè ſequentibus. XXXIII.

Sub initium menſis Julii, cùm apud Ingelheimium Conventus adhuc agebatur, Metenſes, qui carebant Epiſcopo, Drogonem Imperatoris fratrem Epiſcopum ſibi dari poſtularunt impetrarúntque. De Gundulfo enim déque Drogone qui proximè ſucceſſit, hæc commemorantur in Codice Mę- XXXIV. DROGO FIT EPISC. METENSIS.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10. XXXV.

tenſi, qui deſinit in Adalberone. *Gundulfus ob.* VII *Id. Septembrũ. Drogo ſedit ann.* XXXII. *menſes* V. *& dies* VII. *obiítque* VI *Id. Decemb.* Porrò ſi Drogo præter annos completos *ſedit menſes* V. *& dies* VII. *obiítque* VI *Id. Decemb.* certè Pontificatum ſuſcepit ineunte menſe Julio, cùm Sedes à menſe Septembri ſuperioris anni vacaſſet

Aſtronomus, qui vitam Ludovici Pii conſcripſit, à nobis integro triennio diſſidet, ad annum enim, quo Lotharius à Paſchale Papa Romæ coronatur Imperator, id eſt, ex Annaliſtæ Laureshamenſis calculo, ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium, ſic habet. *Gundulfo porrò Metenſi Epiſcopo eodem tempore defuncto, Clerus omnis populúſque ejuſdem Eccleſiæ, veluti uno ſpiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem ſub Canonico habitu nobiliſſimè viventem, ſibi poſcunt dari Sacerdotem; mirúmque in modum tam Imperatoris quàm Procerum ejus, ſed & totius populi conſenſus, quaſi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur. Ideo Imperator cum ſummo gaudio petitioni Eccleſiæ annuit, eiſque quem petebant Pontificem dedit.* Hic Auctor præſente Ludovico Imperatore Conventum, ut apud Francofurtum anno Imperii Ludoviciani decimo ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, ſic & apud Ingelheimium anno pòſt tertio, Imperii Ludoviciani decimo-tertio, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto celebratum teſtatur. At quod de Drogone referre debuit ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſextum in Conventu Ingelheimienſi, perperam ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium in Conventu Francofordienſi retulit. Error ab Aſtronomo tranſiit ad Annaliſtam Laureshamienſem cum hac interpolatione. *Drogonem fratrem ejus ſub Canonica vita degentem, Metenſi Eccleſiæ, Clero ejuſdem urbis conſentiente atque eligente, Rectorem conſtituit, eúmque ad Pontificatûs gradum cenſuit promovendum.* Talis interpolatio ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium, nec benè cum præcedentibus ac ſubſequentibus cohæret, nec ſenſum habet perfectum, cùm non doceat quis *Drogonem Metenſi Eccleſiæ Rectorem conſtituit, & ad Pontificatûs gradum cenſuit promovendum.* Hac interpolatione auctum putamus Annaliſtam Laureshamenſem, quando illius operi genuino, quod in anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-nono, Ludovici Auguſti decimo-ſexto deſinit, adjecta ſunt ex Aſtronomo cetera Ludovici Geſta, ut patet ex editione veterum Scriptorum, quos Juſtus Reuberus anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo-quarto publicavit. Ut autem Lectori notiores hæ fiant obſervationes, Aſtronomum & Annaliſtam Laureshamenſem cùm genuinum tum interpolatum, tribus diſtinctos columnis ad collationem faciliùs conficiendam ſubjicimus.

ANNALISTA LAURESHAMENSIS GENUINUS.	ASTRONOMUS IN VITA LUDOVICI PII.	ANNALISTA LAURESHAMENSIS INTERPOLATUS.
Lotharius verò cùm ſecundùm patris juſſionem in Italia juſtitias faceret, & jam ſe ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paſchale Papâ Romam venit, & honorificè ab illo ſuſceptus, in Sancto Paſchali die apud Sanctum Petrum & Regni	*Lotharius filius Domini Imperatoris, quum à patre in Italiam miſſus eſſet, & ſecundùm virorum, qui cum eo miſſi erant, conſilium opportunitates negotiorum ordinaſſet, & quibuſdam perfectis, quibuſdam adhuc infectis, de ſingulis reſpondere,*	*Lotharius verò cùm ſecundùm patris juſſionem in Italia juſtitias faceret, & jam ſe ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paſchale Papâ Romam venit, & honorificè ab illo ſuſceptus in Sancto Paſchali die apud Sanctum Petrum & Regni coronam*

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

Regni coronam & Imperatoris Auguſti nomen accepit. Inde Papiam regreſſus, menſe Junio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de juſtitia in Italia à ſe partim facta partim inchoata feciſſet indicium, miſſus eſt in Italiam Adalhardus Comes Palatii, juſſúmque eſt, ut Mauringum Brixiæ Comitem ſecum aſſumeret, & inchoatas juſtitias perficere curaret. In eodem Conventu locus & tempus alterius Conventûs habendi indicta ſunt, Novembris videlicet menſis & Compendium Palatium.

dere, & ad patrem de reditu cogitaret, rogatu Paſchalis Papæ Romam imminente Sanctâ Paſchæ Solemnitate adiit, atque ab eodem Papa clariſſimâ ambitione ſuſceptus, ipſo ſancto die apud Beatum Petrum Diadema Imperiale cum nomine Auguſti ſuſcepit. Poſt hæc quum Papiam veniſſet, aliquantiſper neceſſitatibus ſemet impedientibus, ibidem moratus eſt, & ſic ad patrem menſe Junio pervenit, perfecta nuncians, de inchoatis interrogans. Ad ſupplenda autem quæ minùs perfecta erant, miſſus eſt Adalhardus Comes Palatii, adhibito ſibi ſocio Mauringo. Gundulfo porrò Metenſi Epiſcopo eodem tempore defuncto, Clerus omnis populúſque ejuſdem Eccleſiæ, veluti uno ſpiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem ſub Canonico habitu nobiliſſimè viventem, ſibi poſcunt dari Sacerdotem, mirúmque in modum tam Imperatoris, quàm Procerum ejus, ſed & totius populi conſenſus, quaſi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur. Ideo Imperator cum ſummo gaudio petitioni Eccleſiæ annuit, eíſque quem petebant Pontificem dedit. In eodem Conventu mors nunciatur Lindeviti tyranni, à quodam dolo interfecti. Imperator hoc Placitum ſolvit, & alium Conventum Compendio tempore autumnali indixit.

coronam & Imperatoris Auguſti nomen accepit. Inde Papiam regreſſus, menſe Junio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de juſtitia in Italia à ſe partim facta partim inchoata feciſſet indicium, miſſus eſt in Italiam Adalhardus Comes Palatii, juſſúmque eſt, ut Mauringum Brixiæ Comitem ſecum aſſumeret, & inchoatas juſtitias perficere curaret. Drogonem fratrem ejus ſub Canonica vita degentem, Metenſi Eccleſiæ, Clero ejuſdem urbis conſentiente atque eligente, Rectorem conſtituit, eúmque ad Pontificatûs gradum cenſuit promovendum. In eodem Conventu locus & tempus alterius Conventûs habendi indicta ſunt, Novembris videlicet menſis & Compendium Palatium.

Aſtronomi textu & Annaliſtæ Laureshamenſis interpolatione refutatis, Chronologiam noſtram perantiqui confirmabunt Indices Epiſcoporum Metenſium cum vetere Annaliſta collati. *Anno* DCCXCI, *obiit bonæ memoriæ Angilrannus Archiepiſcopus Mediomatricûs Eccleſiæ*, ut Annaliſta Loiſelianus, XXXVI.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

qui ſub Carolo Magno vivebat, in editione Caniſiana teſtatur, Angilranni ſive Angelramni mortem ſecutum eſt interpontificium ſatis longum, deinde ſucceſſivè Metenſes fuerunt Epiſcopi, Gundulfus, & Drogo. In Codice Metenſi jam laudato poſt Angelramni mortem, quæ VII *Kal. Nov.* conſignatur, vacat Epiſcopatus *ann.* XXVII *& menſ.* III. id eſt, ad menſem uſque Januarium anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi decimi-noni. Juxta eundem Codicem *Gundulfus Epiſc.* qui Pontificales Infulas poſt illud interpontificium geſſit, *ſedit ann.* VI. *& menſ.* VIII. *& dies* VII. obiitque VII *Id. Septemb.* Id eſt, à menſe Januario anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi undeviceſimi ad menſem uſque Septembrem anni poſt Chriſtum quoque natum octingenteſimi viceſimi-quinti. Non diſcrepat Chronicon Epiſcoporum Metenſium, duas enim res aſſerit de Gundulfo, nempe quòd præter minutias menſium ac dierum, *ſedit* VI *annis*, & *obiit* VII *Idus Septembris*. Succeſſit Drogo, de quo ſic prælaudatus Codex. *Drogo ſedit ann.* XXXII. *menſ.* V. *& dies* VII. *obiitque* VI *Id. Decemb.* Ergo ſedere cœpit menſe Julio, hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, vitamque clauſit ſeptimo Idus Decembris, anno Redemptoris octingenteſimo duodeſexageſimo. In Epiſcoporum Metenſium Chronico ſoli notantur anni completi, iique XXXII, ut in Codice Metenſi nuperrimè citato. De Drogonis ſucceſſoribus agemus ſuis locis. Drogo viceſimum ætatis annum ingreſſus erat, cùm poſtulatus eſt ad Epiſcopatum, natus eſt enim anno Redemptoris octingenteſimo ſeptimo, ut ad illum annum obſervavimus.

XXXVII. Ludovicus Imperator, ſi fides eſt Aſtronomo, *ipſo anno medio Octobri cœtum populi Germanicum coire juſſit trans Rhenum in villa, cujus vocabulum eſt Salz.* Sed aliter ſe res habuit. Imperator priuſquàm Ingelheimienſem ſolveret Conventum, de quo ſuprà locuti ſumus, alterum indixit ad medium Octobrem; peractis autem rebus omnibus, quæ pertinebant ad primum, ſtatim profectus eſt ultra Rhenum ad villam quæ *Sels* ſeu *Salz* appellatur, ibique diu manſit ad Kalendas uſque Octobres, tunc enim ſecundo Mœno Francofurtum venit, atque inde rediit Ingelheimium, ubi medio menſe Octobri alterum Conventum celebravit. Hæc in Annalibus Laureshamenſibus ita diſtinguuntur. *Condicto ac pronunciato ad medium Octobris generali Conventu, ceteris omnibus more ſolenni abſolutis, ipſe trans Rhenum ad villam, quæ Sels vocatur, cum comitatu ſuo profectus eſt. Ibi ad eum Legati Neapolitanorum*

AIZO DEFICIT AD SARACENOS.

venerunt, atque inde accepto reſponſo ad ſua regreſſi ſunt. Ibi ad ejus notitiam perlatum eſt de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Auſonam ingreſſus, & à populo illo, quem dolo deceperat, receptus totam civitatem deſtruxiſſet, caſtella ejuſdem regionis, quæ firmiora videbantur, muniviſſet, miſſóque ad Abdirachman Regem Saracenorum fratre ſuo auxilium, quod petebat, juſſu ejuſdem Regis contra noſtros accepiſſet. Sed Imperator, licèt hujus rei nuncium graviter ferret, nihil tamen inconſultè gerendum judicans, Conſiliariorum ſuorum adventum ſtatuit opperiri. Tranſactâque autumnali venatione, circa Cal. Octob. per Mœnum fluvium uſque ad Francofurt ſecundâ aquâ navigavit. Inde ad Ingelheim medio Octobri veniens, generalem ibi, ut indictum erat, populi ſui Conventum habuit. Apud Aſtronomum nulla mentio fit Neapolitanorum, qui Græcorum Imperatori tunc ſuberant, & textus de Aizone depravatus eſt; Aizo enim, qui dolosè civitatem Auſonam ingreſſus eſt ac totam deſtruxit, vocabulo *totam* depravato *Rodam* dicitur evertiſſe. Gravior eſt in Annalibus Bertinianis nævus, nam ſi vulgatæ fides eſt editioni, Aizo non *Rodam* ſed *Torotam* diruit, & caſtella regionis, quæ firmiora videbantur, non *communivit*, ſed *comminuit*. Hæc à nobis corruptela non immeritò poſtulare videtur, ut utriuſque Auctoris genuinum textum deſcribamus rejectis ad oram depravationibus. Aſtronomus ita reſtitui debet. *Perfidia atque defectio Aizonis nunciata eſt, qui de Palatio Domini Imperatoris fugiens ad civitatem Auſonam venit, ibique receptus totam* * *ſubvertit, ſed & reſiſtere nitentibus non parum incommoditatis intulit. Caſtella,*

* *Rodam*

quæ irrumpere potuit, cuſtodibus impoſitis fortiter communivit. Sed & miſſo fratre ſuo ad Regem Sarracenorum, Abdiraman nomine, validum contra nos exercitûs robur accepit. Quæ quidem Imperatoris animum commoverunt. Nil tamen properè gerendum ratus Conſiliariorum ſuorum ſententiam, quid tali facto opus eſſet, ſtatuit opperiri. Et Annaliſta Bertinianus ſic. *Ad ejus*, nempe Imperatoris, *notitiam perlatum eſt de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Auſonam ingreſſus, & à populo illo, quem dolo deceperat receptus, totam * civitatem deſtruxit, & caſtella ejuſdem regionis, quæ firmiora videbantur, communivit*, miſſóque ad Abdiraman Regem Sarracenorum fratre ſuo, auxilium, quod petebat, juſſu ejuſdem Regis contra nos accepit. Sed Imperator, licèt hujus rei nuncium graviter ferret, nihil tamen inconſultè gerendum judicans Conſiliariorum ſuorum adventum ſtatuit opperiri.* Lege Continuatorem Aimoinianum, qui textum hunc, ut à nobis emendatus eſt, integrum habet libro quarto de Geſtis Francorum, capite centeſimo decimo-tertio typis Aſcenſianis & centeſimo decimo-quarto typis Druartinis. Tunc ſcriptæ videntur hæ Ludovici Imperatoris literæ, quas epiſtolis [a] Eginhardi Abbatis inſertas reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus, omnibus Primatibus & cuncto populo Emeritano * in Domino ſalutem. Audivimus tribulationem veſtram & multimodas anguſtias, quæ patimini per crudelitatem Regis Abdiraman, qui vos per nimiam cupiditatem rerum veſtrarum, quas vobis auferre conatus eſt, ſæpiſſimè violenter oppreſſit. Sicut & patrem ejus Abolaz feciſſe comperimus, qui injuſtis ſuperpoſitionibus cenſum, cujus debitores non eratis, ſibi ſolvere cogebat, & propter hoc de amicis inimicos, & de obedientibus ſibi contrarios atque inobedientes effecerat, quia & libertatem vobis tollere, & injuſtis cenſibus ac tributis vos onerare atque humiliare molitus eſt. Sed, ut audivimus, vos ſemper ſicut viri fortes injurias ab iniquis Regibus vobis inlatas fortiter repuliſtis, & crudelitati atque aviditati eorum viriliter reſtitiſtis. Quod & vos modò facere multorum relatione didicimus. Quapropter complacuit nobis ad vos has literas dirigere, vóſque conſolari, atque exhortari, ut in ea quâ cæpiſtis libertatis veſtræ defenſione contra crudeliſſimum Regem perſeveretis, & furori atque ſævitiæ illius, ſicut hactenus feciſtis, cedere non dignemini. Et quia idem Rex certiſſimus adverſarius & inimicus tam noſter quàm & veſter eſt, communi conſilio contra ſævitiam ejus dimicemus. Volumus enim cum Dei Omnipotentis adjutorio proximâ æſtate exercitum noſtrum ad Marcam veſtram mittere, ut ibi præparatus ſedeat, & expectet, donec vos mandetis quando promovere debeat, ſi ita vobis bonum viſum fuerit, ut propter vos adjuvandos eundem exercitum contra communes inimicos noſtros, qui in Marca noſtra reſident, dirigamus. Ad hoc ut ſi Abdiraman vel exercitus ejus in adjutorium contra vos venire voluerit, iſti per noſtrum exercitum impediantur, ut illi & exercitus ejus in adjutorium contra vos venire non valeant. Nam certos vos facimus, quòd ſi ab illo vos avertere & ad nos convertere volueritis, antequàm libertatem veſtram pleniſſimè & ſine ulla diminutione vobis uti concedimus, & abſque cauſa vel tributo immunes vos eſſe permittimus, & non aliam legem, niſi quâ ipſi vivere volueritis, vos tenere jubemus, nec aliter erga vos agere volumus, niſi ut vos amicos & ſocios in defenſione Regni noſtri honorificè habeamus. Optamus vos in Domino ſemper benè valere.* Irrepſit procul dubio mendum in proprium nomen populi, quem Ludovicus Imperator adversùs Saracenos ſollicitavit, & Emeritani loco reſtituendus eſt Cæſarauguſtanus. Hi populi longiſſimo ſeparantur intervallo; ſitæ ſunt enim, ad Iberum Cæſarauguſta * in Hiſpania Tarraconenſi, ad Anam Emerita * in Luſitania. Quis Emeritanos in Franciæ confinio ponat, & ad eos Ludovicum cenſeat ita ſcripſiſſe? *Volumus cum Dei Omnipotentis adjutorio proximâ æſtate exercitum noſtrum ad Marcam veſtram mittere, ut ibi præparatus ſedeat & expectet, donec vos mandetis quando promovere debeat, ſi ita vobis bonum viſum fuerit, ut propter vos adjuvandos eundem exercitum contra communes inimicos noſtros, qui in Marca noſtra reſident, dirigamus.*

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

* vel Torotam
* comminuit

[a] Ep. 39.

* lege Cæſarauguſtano

LITERÆ LUDOVICI IMP. AD CÆSARAUGUSTANOS.

* Sarragoſſe ſur l'Ebro.
* Merida ſur le Guadiana.

Digitized by Google

AN. CH. 826. XXXVIII. CEADRAGUS ABOTRITORUM DUX IN PATRIAM SUAM REMITTITUR.

Medio menſe Octobri celebratus eſt alter Conventus Ingelheimienſis, *in quo* Ludovicus Imperator *& Ceadragum Abotritorum Ducem, necnon & Tunglonem, qui apud eum perfidiæ accuſabantur, audivit. Et Tunglonem quidem, accepto ab eo filio ejus obſide, domum redire permiſit. Ceadragum verò ceteris Abotritis dimiſſis ſecum retinuit, miſſiſque ad populum Abotritorum Legatis, ſi eum ſibi vulgus regnare vellet, perquirere juſſit. Ipſe autem Aquaſgrani, ubi hyemare conſtituerat, profectus eſt. Cùmque Legati, quos ad Abotritos miſerat, reverſi nunciaſſent variam gentis illius ſuper Rege ſuo recipiendo ſententiam, meliores tamen ac præſtantiores quoſque de illius receptione concordare, acceptis ab eo, quos imperaverat, obſidibus, in Regnum ſuum eum fecit reſtitui.* Hæc Annaliſta Laureshamenſis.

XXXIX. CONCILIO ROMANO INTERSUNT MULTI EPISCOPI FRANCORUM.

Concilio, quod hoc anno Romæ celebratum eſt, interfuit Eugenius Papa cum Epiſcopis duobus ac ſexaginta. Procul extra cancellos inſtituti noſtri divagaremur, ſi rerum in ea Synodo geſtarum narrationem iniremus. At operæpretium nobis videtur Epiſcopos recenſere, qui ſuas in Franciæ Regno Dioceſes habent, aliunde enim nomina plerorumque vix innoteſcunt. Hi numero ſunt tredecim, Aretinus, Feſulanus, Senenſis, Cluſenſis, Aſſienſis, Lucerinus, Lucenſis, Lunenſis, Florentinus, Piſtorienſis, Piſanus, Firmanus, & Volaterranus, omnes ex ea provinciæ Romanæ parte, quæ Francis adhuc paret. Pauca de ſingulis obſervabimus, at ſtabilienda priùs occurrit Chronologia.

XL. Cæſar Baronius hoc Concilium in manuſcriptis Codicibus reperit, & ipſam Præfationem cum Epiſcoporum Indice ac titulis Canonum in lucem primùs emiſit Tomo nono Annalium Eccleſiaſticorum. Lucas Holſtenius editioni Baronianæ Synodicos Canones adjecit parte ſecundâ Collectionis vetera Eccleſiæ Romanæ monumenta complexæ. Poſtremi Conciliorum editores octavo ſuæ Collectionis Tomo editionem Holſtenianam inſeruerunt. Apud Baronium Præfatio talis eſt. *In Nomine Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperante D. N. Piiſſimo Auguſto Ludovico à Deo coronato Imperatore, anno* XIII, *& P. C. ejus anno* XIII, *& Lothario Imperatore ejus filio, anno ..... Indictione quartâ, menſis Novembris die* XV. *Eugenius,* &c. Et apud Holſtenium. *In Nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperante Domino noſtro Piiſſimo Aug. Hlodowico à Deo coronato Magno Imperatore, anno* XIII, *& Regni ejus an.* XIII. *ſed & Hlothario novo Imperatore ejus filio, anno* X. *Indictione* IV. *menſis Novembris die* XV. *Eugenius,* &c. Octavus Conciliorum Tomus ab Holſtenio non differt, excepto quòd Indictionis quartæ loco decimam-quintam ſic apponit. *In Nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, imperante Domino noſtro Piiſſimo Aug. Hludowico à Deo coronato, Magno Imperatore, anno* XIII. *& Regni ejus anno* XIII. *ſed & Hlothario novo Imperatore ejus filio, anno* X. *Indictione* XV. *menſis Novembris die* XV. *Eugenius,* &c. Omnes editiones ſuper die Novembris decima-quinta conveniunt, conveniunt & ſuper anno Ludovici Auguſti decimo-tertio, Baroniana reticet annum Imperii Lothariani, ceteræ decimum conſtanter notant. Mirari certè ſubit, cur Baronius, qui *facta trium*, ut ipſemet teſtatur, *exemplarium collatione* Præfationem illam edidit, annum Lotharii Auguſti prætermiſerit, Holſtenius verò, qui Vaticanæ Bibliothecæ præfectus fuit, & eadem, ut admodùm probabile videtur, exemplaria conſuluit, annum Lotharii Auguſti decimum adſcripſit. Annus ille decimus initium Imperii Lothariani repetit à die, quo Lotharius à Ludovico patre in conſortium Imperii vocatus eſt. Id fortè Baronio diſplicuit, qui maluiſſet annos Imperii Lothariani à die ordiri, quo Lotharius à Paſchale Papa Romæ coronatus eſt Imperator; quamquam in hoc ratio Lotharii par eſt ac Ludovici patris, qui numquam annos Imperii ſui numeravit à die, quo Remis unctus eſt Imperator ab ejuſdem Paſchalis deceſſore Stephano Quinto. Decimus autem annus Imperii Lothariani, quod ducitur ab Aquiſgranenſi Conventu, *in quo* Ludovicus Auguſtus, teſte ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum

Annaliſtâ

Annaliſtâ Laureshamenſi, *filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii ſui ſocium ſibi conſtituit*, per menſem Novembrem rectè convenit cum anno decimo-tertio Imperii Ludoviciani, cujus principium ab obitu Caroli Magni ſumitur. Hi verò Characteres annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſextum deſignant, quia per menſem ejus Novembrem ut annus Imperii Ludoviciani decimus-tertius à morte Caroli Magni, ſic & annus Imperii Lothariani decimus currit ab Aquiſgranenſi Conventu. Quod attinet ad Indictionem, IV habent Baronius & Holſtenius, XV Collectores Conciliorum, hi meliùs V repoſuiſſent, anno enim Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto menſis November ad Indictionem quintam Kalendis Septembribus jam inchoatam pertinuit. Hæc ad Chronologiam; tranſeamus ad Francorum Epiſcopos, qui Concilio præſentes adfuerunt.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

Horum primus in omnibus editionibus ponitur Lampertus Epiſcopus Aretinus. Hunc Ughellus [a] cum Ariperto deceſſore confundit. Nos Aripertum, quem idem Auctor ad annum Chriſti ſeptuageſimum nonageſimum-quintum nominat, exiſtimamus Carolo Magno ſuperſtitem vixiſſe, quóſque Buralius Aripertos vocat, in prædictum Aripertum ac ſucceſſorem Lampertum diſtinguimus.

XLI. LAMPERTUS EPISC. ARETINUS.

[a] Tom. 1. Ital. Sacr. in Ep. Aretin. 34.

Secundus in editione Baroniana legitur Gruuſolphus Epiſcopus Freſulenis, in aliis Grauſolphus Epiſcopus Fæſulenſis. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, quo Carolus Francorum Rex Feſulas cum reliquo Longobardorum Regno ſubegit, ad hunc uſque annum quo Grauſolphus in Concilio Romano celebratur, nihil omnino de Feſulanis ſeu Feſulenſibus Epiſcopis occurrit obſervandum.

XLII. GRAUSOLPHUS EPISC. FESULANUS.

Tertius in editione Baroniana nominatur Petrus Epiſcopus Senenſis, qui vocatur in aliis editionibus Perteus, nec alius haberi debet à Peritheo cujus deceſſorem Andream anno Redemptoris octingenteſimo primo [b] ſuperſtitem laudavimus. Sub eodem Peritheo nobiliſſimum Sancti Anthymi Cœnobium in Senenſi territorio creditur ædificatum. Lege Ughellum [c] in Senenſibus Epiſcopis [d], & Chartam pro illo Monaſterio, quam Ludovico Pio attribuit, ſeriùs ad Ludovicum Auguſtum, hujus nominis ſecundum, Pii nepotem refer. Cave etiam ne Peritheo Petrum, Petro Thomam ſufficias cum eodem Ughello. Peritheus enim ab illo Petro non eſt diſtinguendus, & Thomas, qui Pontificatum anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo gerebat, eidem Peritheo proximè ſucceſſit.

XLIII. PETITHEUS EP. SENENSIS.

[b] Nn. 5. 6.

[c] Tom. 3. Ital. Sacr.

[d] In Ep. 22.

Quartus in omnibus editionibus habetur Andreas Epiſcopus Cluſenſis ſeu Cluſinus, quem Ughellus [e] omiſit in Cluſinorum Epiſcoporum Catalogo, ſupráque omiſimus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum, in fine num. 23, cùm Theobaldum Arialdo proximè ſuffecimus. Theobaldi loco Andream repone, qui Ludovico & Lothario Auguſtis florebat anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto. De Theobaldo Andreæ ſucceſſore ſermonem faciemus infrà.

XLIV. ANDREAS EP. CLUSINUS.

[e] Tom. 3.

Quintus occurrit in editione Baroniana Majus Epiſcopus Auſicienſis, meliùs in aliis vocatus Epiſcopus Aſſiſienſis. Aſſiſium, extincto Longobardorum Regno, Francicis ditionibus acceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, eodémque anno ex liberalitate Caroli Magni datum eſt Sedi Apoſtolicæ, ſed effectum hæc Donatio non eſt ſortita. Quamvis autem Aſſiſium in Francorum poteſtate permanſerit, illius loci nullum hactenus Epiſcopum memoravimus, quia complurium Epiſcoporum, qui Majum in Romano Concilio ſub Eugenio Papa notum antecеſſerunt, interierunt nomina.

XLV. MAJUS EP. ASSISIENSIS.

Sextus exhibetur in editione Baroniana Liutardus Epiſcopus Nucernenſis, qui rectiùs in aliis editionibus eſt Epiſcopus Nucerienſis. Porrò Nuceria ſeu Luceria, à qua dicti quoque Epiſcopi Lucerini, Carolo Franco-

XLVI. LIUTARDUS EPISC. LUCERINUS.

AN. CH. 826.

rum Regi post exactos Longobardos parere cœpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, sed ab illo anno ad Concilium usque Romanum sub Eugenio Papa mutilus est Lucerinorum seu Nucerienſium Episcoporum Catalogus.

XLVII. PETRUS EP. LUCENSIS.

Septimus in omnibus editionibus scribitur Petrus Episcopus Lucanus, nec is alius est à Petro, qui Lucanum seu Lucensem Episcopatum, ut suo loco diximus, anno Redemptoris octingentesimo undevicesimo suscepit.

XLVIII. PETROALDUS EP. LUNENSIS.

Octavus est in editione Baroniana Petroaldus Episcopus Lurienſis, in margine Curienſis. Hunc igitur locum Baronius corruptum agnoscit, at non bene corrigit, hoc enim anno sedet in Curienſi Cathedra Verendarius Episcopus, cujus mentionem anno priore jam fecimus. Apud Holstenium autem & apud ultimos Conciliorum Collectores Petroaldus Lunenſis Episcopus optimè vocatur. In Catalogo Lunenſium Episcoporum ab Agathonis Papæ Pontificatu ad Imperium usque Caroli Crassi per annos ducentos hi duo duntaxat inveniuntur Episcopi, Lenthecorius & Apollonius, de quorum ætate nihil auditur, ideóque probè sciri non potest, utrùm Francis in Longobardia jam regnantibus, an priùs, Episcopatum gesserint. At eidem Catalogo ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-sextum inseri debet, qui prætermissus hactenus fuit & ex Romano Concilio sub Eugenio Papa innotescit Petroaldus Episcopus.

XLIX. ALIPRANDUS EPISC. FLORENTINUS.

Nonus in omnibus editionibus memoratur Aliprandus Episcopus Florentinus. Anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, cùm Franci totâ Longobardia, cujus pars ager Florentinus, potiri cœperunt, Insulæ Florentinæ penes Episcopum Thomam erant, qui superstes adhuc anno Christi septingentesimo nonagesimo florebat. Huic proximè successisse videtur Aliprandus, nec diu vixisse post Concilium Romanum, cui sub Eugenio Papa præsens interfuit.

L. LAMPRANDUS EPISC. PISTORIENSIS.

Decimus in editione Baroniana nominatur Lamprandus Episcopus Pistoriensis, in aliis editionibus Episcopus Pistoriæ, Ughello Lambardus. Hic Wiltretradi, de quo non semel locuti sumus, proximus haberi debet successor.

LI. JOANNES EP. PISANUS.

Undecimus in omnibus editionibus est Joannes Episcopus Pisanus. Hic successit Platoni, quem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo Pisanas ad Insulas assumptum diximus.

LII. LUPUS EP. FIRMANUS.

Duodecimus in editione Baroniana notatur Lupus Episcopus Furnenſis, in margine Firmenſis, ut & in aliis editionibus. Firmum, à quo dictus Firmenſis ac Firmanus Episcopus, in Francorum potestatem cum reliqua Longobardia venit Gualtero tunc Episcopo. Ughellus [a] ut Gualterum sic & Lupum Firmanis Episcopis annumerat nullo intermedio.

[a] Tom. 2. Ital. Sacr.

LIII. PETRUS EP. VOLATERRANUS.

Denique claudit agmen in editione Baroniana Petrus Episcopus Bollutarienſis, in margine Volaterrenſis, in aliis editionibus Bolaterrenſis, usitatiùs Volaterranus. Hic Petrus à nobis non semel jam laudatus fuit.

LIV. ARCIEPISCOPI MEDIOLANENSES.

Bonus seu Donus Mediolanenſis Archiepiscopus obiit hoc anno, octavo Kalendas Februarii. Successit Angilbertus, cui sex in Pontificatu menses Ripamontius [b], septem tribuit Ughellus [c]. Hic mortuum tradit septimo Idus Decembris, uterque dignissimum laude prædicat, quòd Sancti Monæ Reliquias in decentiorem locum ex obscuro transtulerit. Ecclesiæ Mediolanenſi præerat Beatus Monas anno Christi ducentesimo, solemni festo Mediolani colitur quarto Idus Octobris, quo die in Ecclesiam Sancti Vitalis ab Heriberto Archiepiscopo translatus fuit.

[b] Dec. l. 9.
[c] Tom. 4. Ital. Sacr.

TRANSLATIO S. MONÆ.

LV. HAISTULPHUS ARCHIEP. MOGUNTINUS OBIT.

Obiit & hoc anno Haistulphus Moguntiacenſis Archiepiscopus quinto Kalendas Januarii. Lege Nicolaum Serarium libro quarto [d] rerum Moguntiacarum. Apud eundem Auctorem extat epitaphium ipsius Haistulphi descriptum ex manuscripto Codice, quod propter res multas quas complectitur à nobis omitti non debet, docet enim Haistulphum Lulli Moguntiacenſis olim Archiepiscopi discipulum fuisse, Riculfo seu Richolffo suc-

[d] In Arch. 4.

Digitized by Google

ceſſiſſe in Archiepiſcopatum, & annos in eodem Archiepiſcopatu duodecim egiſſe. AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

Qui intraſtis Templum, precibus qui impleſtis & ora,
Diſcere non pigeat, quis tumulo hoc lateat.
Præſulis Haiſtulphi ſita ſunt hoc membra ſepulchro,
Pontificale ſacrum qui benè geſſit onus.
Bis ſenis urbem hanc Paſtor qui rexerat annis,
Dogma & Apoſtolicum protulit ore ſacro.
Juſtitiæ cuſtos, rectus, patiénſque, benignus,
Fidus in eloquiis, & pietate placens.
Lulli diſcipulus, ſucceſſor ritè Richolffi,
Ambobus, meritis, non minor iſte fuit.
Quis te, Sancte Pater, cum Chriſto neſcint eſſe,
Splendida quem tecum vita fuiſſe probat?

LVI. SUCCEDIT OTGARIUS ABB. WEISSENBURG.

Ex eodem Codice manuſcripto ſequitur hoc ſucceſſoris elogium. *Otgarius, vir inter hujus mundi fluctus admodùm patiens, ſacris in literis ſtudioſus, felle carens, animo placidus, & exercitatione longâ peritus, ſit quintus Moguntiacenſis ſacroſanctæ Sedis Archiepiſcopus, non ſine Principis Ludovici plebiſque Moguntinæ magno favore, præſeditque annis 22.* Erat antèa Weiſſenburgenſis Abbas, eique Grimaldus in munus Abbatiale ſucceſſit, ut obſervat Bucelinus in ſecunda parte Germanicæ Sacræ.

LVII. SERAPHIM ABB. BESUENSIS VARIAS INIT PERMUTATIONES BONORUM.

In Chronico Beſuenſi Charta commutationis inter Abbates Seraphim Beſuenſem & Theutonem Capellenſem ſeu Sancti Leodegarii coram Alberico Lingonenſi Epiſcopo factæ ſic exhibetur. *Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto placuit atque convenit coram Domno Alberico Lingonenſi Epiſcopo, inter Abbatem Seraphim & Theutonem Abbatem de Monaſterio Sancti Leodegarii, ut aliquid de terris Sancti Petri Beſuenſis & Sancti Leodegarii pro communi opportunitate mutare deberent, quod ita fecerunt. Dedit Theuto Abbas de parte ſua ad partem Seraphim, coram Alberico Epiſcopo, in Cœnobio Sancti Petri Beſuenſis, curtile unum ſitum in villa Beſua. Habet idem curtile in longo perticas arpennales 48, & in tranſverſo perticas arpennales 3, & pedales 7. De utroque latere terra Sancti Petri eſt. Dedit autem Albericus Epiſcopus & Seraphim Abbas de terra Sancti Petri Beſuenſis, ad partem Theutonis Abbatis Sancti Leodegarii, curtile unum ſitum in villa Baciaco. Terminatur autem ab uno latere terrâ Flaviniacenſis Monaſterii, & habet perticas arpennales 16, in tranſverſo pecticas arpennales quinque. Similiter in alio loco in ipſa fine Baſciacenſe peciolam unam de terra, quæ habet in longum perticas arpennales 8, & in tranſverſo perticas arpennales 4. Si quis verò, quod nec fieri credimus, de hæredibus noſtris, aut qualibet perſona contra hanc commutationem venire conatus fuerit, inferat ei, cui litem intulerit, duas uncias de auro. Actum Fonte-Beſuâ Monaſterio publico, 3 Calend. April. anno 13 Imperii Domni Hlucdovici Imperatoris,* id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto. Monaſterium Capellenſe ſeu Sancti Leodegarii, ut Jacobus Vignerius in Chronico Lingonenſi ſcribit, *olim ampliſſimum atque antiquiſſimum, nunc Prioratus eſt.*

LVIII.

Chronographus Beſuenſis tres alias memorat Chartas Chronologicis Characteribus inſignitas, unam *anno quinto-decimo Imperii Hlucdovici*, alteram *Cal. Feb. anno* XVI *Imperii Lucdovici*, tertiam *anno 18 Imperii Hlucdovici.* De ſingulis agemus ſuis locis. Impreſentiarum verò nonnullas commutationes, emptiones ac Donationes, in quibus notæ deſiderantur Chronologicæ, placet hic conglobatim recenſere. *Facta eſt commutatio à Seraphim Abbate noſtro & Herleberto Abbate Divionenſi. Dedit Herlebertus in villis Luco & Verona quicquid erat juris Sancti Benigni, & Seraphim econtrà tradidit terras Sancti Petri, quæ erant in Divione, & in fine Domni-Petri, & Longo-vico, & in Canavis, & in Arzillerias, & Tremoldo, & Fontanis, & Proviſo, & Diſto.* Meminit ejuſdem commutationis Chronographus San-Benignianus, & Her-

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

lebertum Coepiſcopum dicit, quem Beſuenſis Abbatem Divionenſem appellat. In Beſuenſi Chronico hæ ſequuntur Donationes. *Ipſo tempore quidam Hligarius nomine dedit ad hunc locum in Aquato villa terram hæreditatis ſuæ pro peccatis ſuis minuendis; hoc eſt, manſum unum indominicatum unà cum domo & horreo. Habet verò ipſa terra perticas arpennales in longo quadraginta-tres & pedales 10, & in lato de uno capite ſuper ore perticas novem & pedes 4. Totum ad integrum, tam terris curtiferis, quàm domibus deſuper poſitis, campis, pratis, ſylvis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, totum ad integrum dedit. Similiter quidam Widaldus nomine vendidit Domno Alberico Epiſcopo terram in villa Caſoto, manſum unum, & de terra jornales ſeptem. Domnus verò Albericus dedit eam Sancto Petro.*

LIX. ALBERICUS EP. LINGONENSIS.

Iiſdem temporibus, ut in Chronico San-Benigniano legitur, *Albericus Epiſcopus & Fulchrius concaminaverunt terras. Dedit Fulchrius in fine Saciacenſi campos tres, & Albericus Epiſcopus dedit ei in Iſizodoro campum unum & unum pratum. Item cum Alderanno fecit prædictus Epiſcopus concamium. Dedit Alderannus infra Caſtrum Divion manſum unum, & foras muros campos tres in loco qui dicitur Petraficta. Et Albericus Epiſcopus dedit econtrà in Divion vico peciolam de terra, & in fine Tremolenſi campum unum. Item Baldo Præpoſitus, & ceteri cum eo Clerici, cum Leotaldo Presbytero commutaverunt terram. Dedit Leotaldus peciolas duas de terra; una eſt juxta Divion Caſtrum, alia in loco qui dicitur Petraficta; Fratres dederunt Leotaldo Presbytero terram in fine Tremolenſi.*

LX. RELIQUIÆ S. SEBASTIANI ROMA SUESSIONEM TRANSFERUNTUR,

Annaliſta Laureshamenſis in Armaniacenſi Codice narrationem rerum hoc anno geſtarum ſic claudit. *Hilduinus Abbas Sancti Dionyſii Martyris Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ tunc Præſule, oſſa Beatiſſimi Martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & ea apud Sueſſionem civitatem in Baſilica Sancti Medardi collocavit. Ubi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerunt, juxta tumulum Sancti Medardi jacerent, tanta ſignorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere ſanitatum per divinam gratiam in nomine ejuſdem Beatiſſimi Martyris emicuit, ut à nullo mortalium eorumdem Miraculorum aut numerus comprehendi aut varietas verbis valeat enunciari. Quorum quædam tanti ſtuporis eſſe narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, niſi certum eſſet Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, pro quo idem Beatiſſimus Martyr paſſus eſſe dinoſcitur, omnia quæ vult per divinam potentiam facere poſſe, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra ſubjecta eſt.* Eadem ſcribit Aſtronomus in vita Ludovici Pii, ſic. *Hilduinus Abbas Monaſterii Beati Dionyſii Romam Monachos petitionis ſuæ bajulos ad Eugenium Sanctæ Romanæ Sedis Præſulem miſit, flagitans oſſa Beati Sebaſtiani Martyris ſibi tranſmitti. Hujus deſiderio Dominus Apoſtolicus ſatisfaciens per prædictos Miſſos ſacratiſſimi Militis Chriſti exuvias miſit. Quæ religioſiſſimè à prædicto viro ſuſceptæ, atque interim cum lectulo vectatorio, ut allatæ ſunt, juxta corpus Beati Medardi poſitæ. Quibus ibi conſiſtentibus, tantam Deus per præſentiam adventûs eorum mortalibus attribuit virtutum copiam, ut multitudo numerum excedat. Porrò qualitas fidem ſuperet, niſi eis auribus credatur, quibus perſuaſum eſt nihil repugnare divinæ juſſioni, ſed & omnia poſſibilia eſſe credenti.* Breviùs Ado in ſuo Chronico, ſic. *Hujus Imperatoris*, nempe Ludovici Pii, *tempore, pars corporis Beati Sebaſtiani Martyris ad Sueſſionicam urbem delata; ubi multa mira in laudem Dei Omnipotentis varia genera ſanitatum infirmis collata.* Adonis opinionem lubenter amplectimur, cùm in multis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ac Germaniæ, locis oſtendantur Reliquiæ Sancti Sebaſtiani, de quibus, ſi lubet, Bollandum [a] conſule. Porrò Tranſlationis, de qua loquimur, memoria celebratur in pleriſque Martyrologiis quinto Idus Decembris, qui dies Dominicus fuit currente literâ Dominicali G. Wandelbertus inſignis Martyrologus, qui ſuam lucubrationem anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-ſecundo [b] publicavit, ad illum diem ſic habet.

[a] D. 20. Jan.

[b] Vid. Tom. 4. a. 708. n. 21.

Sebaſtianum quinis * *celebramus, ab Urbe*
Tranſlatum, proprio quo Gallica rura Patrono
Exultant; ingens cui Templum ſurgit, & Ara,
Antiquôſque nitent æquantia culmina faſtus.

* Id eſt, *quinis Idibus*, ſeu *quarto Idus.*

Joannes Bollandus Hiſtoriam hujus Tranſlationis ex Codice Veſontionenſi publicavit [a] in unum ac viginti capita diſtributam. Ex his tria ſuperioribus annis jam expendimus, quartum aliáque proximè ſequentia nunc aggrediamur. LXI.

[a] D. 20. Jan.

Quartum, cui titulus, *amici ſalutati & expoſita Pontifici Legatio*, ſic inchoatur. *Anno humanati Verbi* DCCCXXVI. *Imperii verò Hludovici Cæſaris* XIII. *Rodoinus*, Medardini apud Sueſſionem Monaſterii Præpoſitus, *cum ingenti frequentia & copioſo apparatu Romam intrat. Sed antequam Majeſtatem Apoſtolicam adeat, quoſdam Epiſcoporum & Abbatum, ſeu Reipublica primores, quos illic Venerabilis Pater Hilduinus fidiſſimos ſe habere monſtraverat, exquirit & reperit. Erant præ omnibus ex his promptiores & Dignitati Apoſtolicæ ſedulò aſſiſtentes, Quirinus Superiſta, Theophylactus Nomenclator, & Ingoaldus Abba Reverentiſſimus, qui tum fortuitu aderat. Siquidem ex præcepto Imperatoriù iter ad Beneventanos arripuerat.* Hic Ingoaldus Abbas erat Acutianus, annum in Abbatiali munere decimum jam agebat. *Concito inſecutus veredario, amicâ evocatione interceptus*, quod ad Beneventanos iter arripuerat, *reflexit ad Urbem, Legatos hilari aſpectu excepit, humanè egit, &, ſi ſecundùs valeret ſucceſſibus jam dictus Pater Hilduinus, ante omnia ſciſcitatur. Proſperâ denique valitudine hunc haberi percipiens, Deo pro hoc gratias egit, &, ut provectioribus per multa tempora incrementis ſibi hoc, vel quia videre nequibat, audiri daretur, imprecatur ex animo. Dehinc quòd tam impræcognitè & inſuſpectè deveniſſent, percunctatur. Illi ad aurem familiariùs admoti, ſecretum univerſæ rei fiducialiter pandunt. Quod æquanimiter accepit, & eos in agendum deſperatione ablatâ benignè confortatus eſt. Denique quod pollicitus eſt ore, indefeſſâ explevit intentione. Nam per illum via atque omnis ante Domnum Apoſtolicum illis patuit aditus. Tum demùm viros Illuſtriſſimos Quirinum & Theophylactum, expetentes, miſſus tradunt epiſtolas, atque pro his, quæ habebantur inſerta, geminabant preces & munera.* Dubium non eſt quin hi Quirinus & Theophylactus iidem ſint cum Quirino Primicerio & Theophylacto Nomenclatore, quos Gregorius Quartus Papa poſt biennium in Gallias ad Ludovicum Imperatorem directurus eſt. Quin & hic Quirinus nobis idem videtur cum Quirino Subdiacono, qui duabus jam Legationibus Romanorum Pontificum Paſchalis & Eugenii functus eſt apud eumdem Ludovicum, annis reparatæ Salutis, octingenteſimo viceſimotertio & octingenteſimo viceſimo-quarto; & Theophylactus idem cum Theophylacto Nomenclatore, qui Ludovicum Imperatorem apud Ingelheimium hoc anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto poſt Kalendas Junii nomine Eugenii Papæ convenit, ut dictum ſuprà [b]. Lege Annaliſtam Laureſhamenſem cùm ad illos annos, tum ad annum Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum. Porrò Quirinus & Theophylactus, auditâ Rodoini ſociorúmque Legatione, vehementer obſtupeſcunt, eos tamen *in Patriarchium* deducunt *ad Domnum Apoſtolicum*, qui lecto propter morbum accumbit, & ad nomen Sancti Sebaſtiani, qui tertius in Urbe Patronus poſt Apoſtolos Petrum ac Paulum habetur, valdè contriſtatus expalleſcit, deinde rupto poſt aliquantulum moræ ſilentio *negotium* ait *eſſe ſupra ſe*, eóque reſponſo ſpem fermè omnem proſperi ſucceſſûs adimit. Nuncii tamen animo non cadunt, quantacumque poſſunt audéntque ſupplicatione inſiſtunt importunè, *genua* Pontificis *ac plantas profuſis lacrymis* exoſculantur, donec Eugenius jubet eos aliam præſtolari reſponſionem, quam ſe daturum pollicetur, poſtquàm conſilium inierit *cum prudenti Romano Senatu, ſine cujus conſultu talia moliri* dicit *non eſſe bonum.* Mitioribus his verbis non parum recreati Quirino & Theophylacto rem obnixis precibus commendant, Patriarchióque educti, *hoſpitio ſeſe recolligunt.* LXII.

[b] Num. 10.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

LXIII. Caput quintum hoc insignitur titulo, *consultatio Cardinalium*, & in margine hac adornatur notatiunculâ, *Cardinales donationem Reliquiarum dissuadent.* Neutrum placet. Utrumque enim ætatem Eugenio Secundo longè recentiorem sapit, & in toto capitis contextu nulla fit mentio Cardinalium. Eugenius *indicto Conventu privato Sacerdotum & eorum qui à secretis erant, Legationem* ad se directam *exposuit, cujus absolutionem ut sano pectore diffinirent, præcepit.* Illi quod petebatur protestati sunt justè fieri non posse, atque ut Quirino & Theophylacto contrarium asserentibus os clauderent, variis exemplis inculcarunt id Sancto Sebastiano non placiturum, ter frustrà tentatum, semel ab Hadriano Papa, iterum ex præceptione Leonis, novissimè sub Paschale, adjecerúntque *nullum inveniri Romanum, qui in ejus tumulum, quantumvis coactus, audeat mittere manum.* Posteà *Domnus Apostolicus accersiri Joannem Venerabilem Episcopum jussit. Qui ut advenit, secretiùs cum eo rei competentiorem exitum quæsivit, & quod Dei instinctu futurum sanius erat, liberâ auctoritate sanxit. Sed illud non tunc pluribus patuit.* Hic Joannes Episcopus non alius videtur à Joanne Episcopo Sylvæ Candidæ, qui Legatione sæpiùs ad Ludovicum Augustum functus est, ut ex Annalista Laureshamensi & Astronomo ad annos Redemptoris octingentesimum decimum-quintum & octingentesimum vicesimum-tertium constat.

LXIV. Capiti sexto hic præfigitur titulus, *reclusum S. Sebastiani sepulchrum.* Ingobertus Comes de Rodoini sociorúmque Legatione certior factus, ut apud Pontificem gratiâ multùm valebat, & amicitiâ Hilduino conjunctissimus erat, *cum Domno locutus est Apostolico, quatenus eorum petitio ad effectum absque æmula impeditione perduceretur. Hoc ita compositio, rursùm revocantur, atque ante Domnum Apostolicum reducuntur,* qui *tandem misericordiâ flexus, licèt pavens ac trepidus, Sancti annuit donari corpus. Minister hujus largitionis aptissimus Johannes condicitur Episcopus. Nam* Pontifex *quia, ut præmissimus, langnore afficiebatur nimio, hoc per se explere nequibat, cùm velle plurimùm non negaret. Perendie injunctum devotâ mente frequentant jejunium cum Presbyteris & Diaconibus ceteróque Clero, inter quos & Ingoaldus Archimandrites cum suis pro viribus adjutor fidelissimus. Jejunii observatione solenniter consummatâ, ruente noctis crepusculo, Vigilias celebraturi Martyris in evocatione ad ejus nobilem tumulum accedunt, omnique officio & obsequio in opus suorum instaurant manum. Ubi cum Hymnorum cantibus & Psalmorum melodiis, cum jugibus thymiamatum odoribus atque nebulosis diversorum aromatum odoribus pernoctantes, Dominum rogabant, ut tractandi pignoris salutaris digni haberentur, nec sui contagione peccati ab hoc rejiceret, quod desiderium fidele & amor impatiens maximo labore per multa pericula huc usque contraxerat. Itaque in laudibus spiritualibus continuatim omnem ducentes noctem, pallidâ diem reparante Aurorâ garrulos ab Ecclesia secedere Romanos & familiare sibi secretum indulgeri petunt. Illis itaque susurronibus,* qui ne conviciis quidem adversùs Pontificem parcebant, *foras* ejectis, *intra penita tantùm cum Johanne Episcopo & Ingoaldo Abbate semet receperunt, & obseratis januis ad bustum constanter accesserunt. Inter hæc Johannes prateriti maceratione jejunii & Vigiliarum continuatione fessus, ut cliothetro sedebat, violentiâ somni subitò deprimitur, & imperfectè resolvitur. Móxque ut oculorum palpebras leviter in quietem laxavit,* cælesti visione confirmatus est. Illum *adhuc horrore visionis terribilis pavitantem blando attactu* Wilharius evigilavit, intimavítque *ex parte suorum tempus operandi mysterii, nec ullo modo utile procrastinandum, eósque jamdudum paratos demorari ad Martyris tumulum. Statim surrexit, atque Sacerdotalibus redimitus Infulis summa cum reverentia ad locum festinus perrexit. Moram patefactâ revelatione excusavit, & ut securâ spe percipiendi sacramenti, cui tantotiens suspiraverant, existerent, dubietate posthabitâ, exhortatus est. Oblationario itaque vocato, cujus erat sortis ex Romana consuetudine aperire sepulchrum, cùm ille diu multúmque reniteretur, & hoc iniquissimum esse causaretur, nec viro Romano inremissibile facinus præsumendum, quo per posteras successiones sacrilegii*

Digitized by Google

noxâ denotaretur, iſdem Johannes monitis firmatus divinis ferramentum arripiens, prout virium fuit, ſarcophagum frequenti ictu uſquequo laſſeſceret contudit, ac contundendo perterebravit. Quem cùm citato fatigio noſtri deficere viderent, ipſo innuente, acrioribus animis atque valentioribus lacertis immergentes, licèt cum magno labore monumento interrupto, quippe quòd molis erat ingentis, & bituminis indiſſolubilis, tandem ſacratiſſimum corpus receperunt Martyris. Inter hæc univerſi, qui adſtabant, aromaticum à præterito mortalibus inſuetum & incognitum hauſerunt odorem, quem tantæ ſuavitatis & delectationis fuiſſe retulerunt, ut nullus eo, cùm abundanter frueretur, ſatiari valeret. Ex quo liquidò approbamus, non humanæ eum fuiſſe compoſitionis, ſed cæleſtis gratia, quæ ſemper in Beatiſſimo Martyre fragraverat, gratiſſimam diffuſionem. Hoc ergo de ſancto diutiùs loco ſpirante vapore tota oblectabiliter illa reſperſa eſt domus, quæ in introitu ſui cujuſdam cadaver propè inhumatum ante decem dies ſervabat, ex cujus ſcaturiente ſanie fœtor execrabilis ebulliens introeuntes inficiebat. Sed illo ſuperabundante noxius in nihilum vacuatus, donec omnia de ſancto feſtivâ celebritate conſummarentur, ſubſidit.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

Capite ſeptimo, cui titulus, *Reliquiæ Româ avectæ*, diſceſſio ex Urbe cum Reliquiis memoratur. *Invento ſacratiſſimi Martyris corpore, cæleſti odore affatim, ut diximus, fragrantis, illicò ad Quirinum & Theophylactum miſſum eſt, quatenus peropportunè hoc Domno Apoſtolico condicerent, quod & factum. Cùm propter incommoditatem ſui illuc venire non poſſet, Venerabili Epiſcopo Johanni mandavit, ut ipſe eis illud contraderet. Quod totâ alacritate & veneratione excipientes, cum ipſo Johanne Epiſcopo, & Ingoaldo Archimandrita, aliiſque plurimis Romanæ Eccleſiæ Clericis, atque plebeiis abibant. Pſallens verenter Chorus dulcium melodiarum ſonitum longiùs præeundo reſpergebat. Hi lætitiæ cantus, alii profunda ſuſpiria & amaras querimonias dabant. Taliter ad præſentiam uſque Domni Apoſtolici illud deportavere, ejus ut annulo conſignaretur ex more. Quod diligenter poſtquàm ab illo perfectum eſt, in Eccleſiam Beati Petri perlatum, atque ibidem die eodem depoſitum eſt. Unde plurimi Romanorum, malitiâ & invidiâ concitati, Domnum Apoſtolicum impetebant, crudeliorem eum omnibus prædeceſſoribus inclamare non veriti, qui talem ac tantum Patronum ſuis è finibus expelli permitteret, quod numquam alius conceſſit. Unde ſuadebant, ut ſolum brachium eis daretur, & reliquum decenter inibi loco reconderetur condigno. Hæc fraus Ingoaldum Archimandriten latere non potuit. Qui ſtatim noſtris idipſum detexit, cautiúſque ſimul rem exercentes, conſilio habito die illâ ſiluerunt. Prætereà Rodoinus, quem vis amoris & deſiderium impatiens pro adipiſcendis Sanctorum pignoribus affectu piæ devotionis animarat, oberatis affatim Ædituis, quorum tunc erat officii Sancti Petri ſervare Baſilicam, ſub nocte eadem Beatiſſimi Gregorii Papæ ſacratiſſimum tumulum, quod ante Secretarium erat, audacter aggreſſus corpus ejus cum ſumma reverentia ſublatum ac decenter compoſitum, ſuper Altare Beati Petri perlatum, juxta jam dicti Martyris venerabile corpus depoſitum eſt. Dehinc fidei pactum Rodoinus cum ſuis rogatus gratanter tulit, ſuperque eoſdem Martyris atque Pontificis ſacratiſſimos artus jurisjurandi ſacramentum libenter exſolvit, ſcilicet ut nulli unquam mortalium quod geſtum erat proderent aut publicarent, ſed perenni ſilentio ſepultum haberent. Hinc noſtrates piâ fraude laudabiles, duplicato gaudio, tacito ſub pectore magnanimes, ſanctis inde ſublatis corporibus, nullo prædediti obſtaculo ad Monaſterium Ingoaldi tranſtulerunt*, id eſt, ad Acutianum Cœnobium Sabinenſis Diœceſis. *In craſtinum verò Domnus Apoſtolicus juſſit eos ſibi reexhiberi, neque enim adhuc licentiam redeundi conſecuti fuerant, ſed tantùm in ſua Sanctum jam receperant. Quos mox interrogat, quonam Sanctum haberent. Illi ſe neſcire profitentur, niſi tantùm quòd jam eum ſuas in partes direxiſſent. Quicquid illud eſt, inquit, verùm neſciatis an non, præſentialiter eum huc referre curate. Neque enim hæc immutari ſententia poterit, ut hinc vobis facultas redeundi aliter tribuatur. Illi plurimùm timidi ac mœſti jurejurando firmant, quòd ita ſe res haberet, ut dixerant, & impoſſibile omnino eſſe hoc quod juberet. Quod vix ei*

LXV.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

perſuaderi potuit, ſed annuente Dei Clementiâ, ſicut cæperat, ita permanſit. Ab illis namque, qui priùs his faverant, taliter immutatum eſt. Cùm ejus perturbatum ſenſiſſent animum, proximiùs ad aurem accedentes, dixerunt oportere eos, quia flecti & converti nequibant, meliuſculè tractari, nec tam ſuccensè objurgari, ne ut ingrati fortè abſcederent, & munus maximum inlaudabile referrent. Hoc modo tametſi difficillimè abſoluti & benedictione donati, ſuis haud procul ab Urbe junctis, magnis de magno theſauro excreſcentibus gaudiis, gratiâ comitante divinâ, per proſpera itinera revertuntur ad propria.

LXVI. Caput octavum eſt de variis in itinere Miraculis. Inter Romam ac Placentiam *multi febricitantes, multi lunatici, variiſque languoribus afflicti, Sancto obvii, per ejus venerabilia merita ab incentivis paſſionibus eruti, plenariè ſanitatis ſunt vigore donati.* Dæmoniacus ad Reliquias liberatus eſt Placentiæ. Benedictus Clericus atque Ædituus, cùm prope montem Jovis ægrotaret, humeros eiſdem Reliquiis ſuppoſuit, recuperatâque mox ſanitate ſecutus eſt feretrum *uſque Octodorum.* Puer cæcus in loco, cui nomen *Granant*, tacto Martyris lecto viſum recepit. Gibboſa mulier in pago Tricaſſino, cùm ad Cellam Sancti Sereni ducta eſſet, in Eccleſia ſtatim ſe ſurſum erexit. *Quidam plebeius, ſurdus, mutus, mancus, & claudus, Martyri inibi eſt exhibitus, qui tres ante vivificum ipſius corpus ita explevit dies. Quarto ſuccedente die, dum in precibus votivis perſeveraret, repropitiari ſibi experitur per Sancti obtentum, & in teſtimonium ſuæ reformationis, integram aſſecutus valetudinem, ſuis humeris Dei Martyrem Beatiſſimum ad Calno-munde portavit vicum. In quo dum introiret, duobus cæcis ablatum lumen videndi inclytus Martyr reddidit, & ejuſdem numeri claudis contorta veſtigia redintegravit.*

LXVII. Capite nono *pompa Tranſlationis ad Cœnobium Sancti Medardi* deſcribitur. Rodoinus ejuſque ſocii *gratanter viam legentes ad diu præoptati ruris fines perveniunt, ſexto ab urbe* Sueſſionica *miliario ſtationem collocantes. Antiſtes Venerabilis Rothadus antiquior tunc Sueſſorum regebat Eccleſiam. Hic explorato repauſationis loco, obviam ſit Sancto, omnigenis ſacrorum Officiorum cantibus & obſequiis virtutiferum ambiens corpus, totis amplectitur viribus, percolit, veneratur. Indéque ſolemniter effert, & ingenti frequentiâ ac feſtivo tripudio in urbem ovanter tranſfert. Pſallentibus placido modulamine Choris, plaudentibus populorum concurſibus, in Baſilicam majorem Beatorum Martyrum Gervaſii & Protaſii pompatico triumpho* Sanctus Martyr *invehitur, Exhinc ad Sanctæ Virginis Mariæ Monaſterium*, claudo priùs ſanato, *deportatur, magnificè excipitur. Inde levatus ad flumen uſque Axonam evectus eſt. Occuparat jam glorioſior apparatus citeriores ripas fluminis, ut vis amoris & devotio deſiderii ineffabilis exigebat. Religioſa Monachorum concio, Eccleſiaſticis Inſulis redimita, ſtabat proſpectans unanimi devotione, univerſalibus officiis animata, ut Protectori ac Patrono perenniter habituro congrua ſuſcipiendi ferret obſequia. Quem protinus ut impulſu remigum ſe versùs appropiare videt, tellure ruit, laudibus demum canoris aſſurgens excepit. Ambiunt eum undique Chori pſallentium, in hymnis organiſque dulciſonis, cum jugibus thymiamatum diverſorúmque arômatum vaporibus, quibuſdam vexilla micantia geſtantibus, aliis Crucis ſtigmata auro fulvo radiantia, gemmarúmque diverſo colore perlucida ferentibus, his thymiamateria ac thurifera, illis ceroferalia deportantibus, atque coruſco lumine diem augentibus. Tali trophæo perpropere devectum, in locum divinâ ſibi proviſione diviniſque muneribus præparatum deponitur, juxta Glorioſi Confeſſoris Chriſti Medardi tumulum. Ea tum Dominica dies fuit, congruóque modulamine Antiphona ad introitum pratitulatur. Populus Sion, ecce Dominus veniet ad ſalvandas gentes. Cujus congruâ modulatione ſalus illa ſingularis Incarnationis Dominicæ, quæ cunctis ventura gentibus hoc in Capitulo pranuntiata eſt, ſalutem ac lætitiam cunctis Galliarum populis ex adventu hujus præclari Martyris refudit.* Quæ ponuntur in hoc capite Characteres Chronologici, *Dominica dies*, & *Antiphona ad introitum, populus Sion*, &c. rectè conveniunt cum anno *Incarnati Verbi* DCCCXXVI, & cum anno *Imperii Hludovici Cæſaris* XIII, qui notantur initio

initio capitis quarti. Nam litera Dominicalis G currebat anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, qui decimus-tertius fuit Imperii Ludoviciani, diéſque nona Decembris, quâ factam Tranſlationem Wandelbertus aliíque teſtantur, Dominica ſecunda fuit Adventûs, in qua cantatur ad introitum Miſſæ, *Populus Sion*, &c. Tunc Eccleſiæ Sueſſionenſi præerat *Rothadus antiquior*, fuerunt enim duo Rothardi ſeu Rothadi Sueſſionenſes Epiſcopi, quorum antiquior ſeu ſenior non ſemel à nobis jam laudatus Reliquias Sancti Sebaſtiani ſuſcepit, alter junior ſeu recentior ſeriùs ſedit. Corrigendus igitur in Sueſſionenſium Epiſcoporum Catalogo Robertus, perperam enim ſub Rothardo Secundo ſcribit, quòd *eo ſedente Reliquiæ S. Sebaſtiani Sueſſiones allatæ ſunt ab Hilduino Abbate Sandionyſiano*. Error à Roberto tranſiit in auctiorem Galliam Chriſtianam, cujus Auctores eundem quoque Rothadum Secundum ſic commendant. *Regebat is Eccleſiam Sueſſionenſem, cùm S. Sebaſtiani Martyris Reliquiæ Româ allatæ anno 825 ab Hilduino Abbate in Templo B. Medardi collocatæ ſunt.* Hi volunt inſuper Rothadum Secundum, quem nihilominùs antiquiorem vocant, Rothado primo ſucceſſiſſe, atque ordinatum fuiſſe Epiſcopum *an. Chriſti 822 vel ſequenti, triginta videlicet annis ante depoſitionem.* Sed hæc ſimul ſtare non poſſunt, quia Rothadus nec ante annum Redemptoris octingenteſimum ſexageſimum-primum depoſitus fuit, nec ſedere cœpit ante annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-primum, cùm quinquennium jam effluxiſſet à Tranſlatione Sancti Sebaſtiani quam anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto factam affirmat Auctor coævus in ejuſdem Tranſlationis Hiſtoria, capite nono ſuprà citato.

AN. CH. 826. LUDOV. IMP. 13. LOTHAR. IMP. 10. PIPPINI R. 12. LUDOV. R. 10.

LXVIII. CUM RELIQUIIS GREGORII MAGNI.

Quæ proximis capitibus narrantur Miracula, rejici debent in annos ſequentes, ut ordo temporum diligentiùs obſervetur. Interim nobis hîc agendum de Reliquiis Sancti Gregorii, quas Româ Sueſſionem unà cum corpore Beati Sebaſtiani delatas ſeptimum docet Hiſtoriæ prælaudatæ caput. Godefridus Henſchenius [a] in Commentario prævio vitæ Gregorii Magni, paragrapho quarto diſputat *an corpus S. Gregorii hactenus Romæ adſervetur*, & paragrapho quinto exponit *quo fundamento corpus S. Gregorii credatur ad Sueſſionenſe S. Medardi Monaſterium in Gallias delatum*. In fine autem quarti paragraphi, ut litem omnem Romanos inter ac Sueſſionenſes componat, aſſerit *neceſſariò de corpore S. Gregorii dicendum*, quod *ſuo ſcripto* de corpore Sancti Sebaſtiani *teſtatus eſt Ado Epiſcopus Viennenſis*, id eſt, ut Sancti Sebaſtiani ſic & Sancti Gregorii non integrum corpus ſed partem duntaxat Sueſſionem delatam eſſe. In illam imus ſententiam, atque ita monemus intelligenda, quæcumque inferiùs de Sancto Gregorio ex prædicta Tranſlationis Hiſtoria, ex Nithardo, ex Chronographo Medardino, ex Odilone Monacho, aliíſque Scriptoribus proferemus.

[a] D. 12. Mart.

LXIX. FULRADUS ABB. LOBIENSIS ET SAN-QUINTINIENSIS OBIT.

In Geſtis Abbatum Lobienſium, capite decimo, Fulcuinus Elevationem Sancti Urſmari conſignat *anno Domini octingenteſimo viceſimo-tertio*, illúmque annum comparat cum *decimo poſt centum exacto* ab ejuſdem Sancti felicíſſimo ad Deum tranſitu, quem Tomo quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-tertium retulimus. Idem Auctor initio capitis undecimi Fulradum Abbatem, per quem corpus Sancti Urſmari elevatum fuit, tertio poſt eandem Elevationem anno mortuum ſic aſſerit. *Deceſſit autem prafatus Abbas triennio poſt prafatam Elevationem, relinquens poſt ſe Eggardum Abbatem.* Hoc igitur anno, quo Fulradus Lobienſis ac San-Quintinienſis Abbas obiit, regenda ſuſceperunt Monaſteria, Lobienſe prædictus Eggardus, San-Quintinienſe Gunthardus cujus meminit Claudius *de la Fons* in Hiſtoria Sancti Quintini [b]. Nec audiendi ſunt, qui vel Chronologiam San-Quintinienſium ad Somonam Abbatum aliter inſtituunt, vel Anſegiſum à quo Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii collecta ſunt, hiſce temporibus Abbatem Lobienſem prædicant. Illo de Collectore fuſiùs agemus anno ſequenti, quo facta Capitularium Collectio.

EGGARDUS FIT ABBAS LOBIENSIS.

[b] Lib. 1. c. 6.

GUNTHARDUS FIT ABBAS S. QUINTINI.

AN. CH. 826. LXX.

Tomo quarto [a] actum de Schwarzachio Alſatiæ Monaſterio, quod & Arnolfeſaw vocabatur, atque à ſiniſtra Rheni ripa in alteram non *ſub anno Chriſti* DCCCXVII ut Guillimannus aliquando cenſuit [b], ſed anno Ludovici Auguſti decimo-tertio ſive anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto tranſlatum eſt, ut apud eundem Auctorem [c] Ludovicus Imperator hoc docet Diplomate. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Ludovicus divinâ ordinante Providentiâ Imperator Auguſtus. Si ea quæ fideles*, &c. *notificamus qualiter Venerabilis Abbas Vvido de Arnolfeſaw, comitante eum B. Epiſcopo Argentinenſi, noſtram Celſitudinem adiit, & Monaſterium, cui præſidebat, per flammas abſumptum expoſuit. Inſuper etiam à Comite Rutelino, in cujus Comitatu ſitum erat, ſe multis injuriis affici. Petiit igitur, ut liceat ſibi ultra Rhenum flumen transferre in propria Salica terra, quæ pertinet in curiam Ulmenam, ſic tamen, ut jus quo Cœnobii fundator Comes Ruthardus ipſam curtem dotavit, firmum ſit*, &c. *Et quia prædictum Cœnobium transferre cogitamus, ipſum quoque nomen mutare voluimus, & nomen quod Erchangarus Comes, in cujus Comitatu ſitus eſt locus, impoſuit, nos quoque firmantes Schwarzach Monaſterio cooptamus. Datum*, &c. *Anno Domini Imp. Ludovici XIII. Ferolsfeld.* Qui ponitur in hoc Diplomate Ludovici Imperatoris annus decimus-tertius, is eſt Dominicæ Incarnationis octingenteſimus viceſimus-ſextus, & Argentinenſis Epiſcopus, qui per primam nominis literam B deſignatur, diſertè *Bernaldus* exprimitur in altero Ludovici Diplomate, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-primum recitabimus, & *Bernaltus* in literis Wolfleonis Conſtantienſis Epiſcopi, quas ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum deſcribemus.

[a] Ad an. 724. n. 32.
[b] In Epiſc. Argentin. 1.
[c] In Epiſc. Argentin. 24.

SCHWARZACHIUM MONAST. TRANS RHENUM TRANSFERTUR.

LXXI.

Himiltrudis Ebonis Metropolitæ Remenſis mater obiit hoc anno, qui decimus ejuſdem Ebonis Archiepiſcopi numerabatur, ut conſtat ex ipſius Himiltrudis epitaphio, quod apud Flodoardum [d] ſic legitur.

[d] Lib. 2. c. 19.

HIMILTRUDIS MATER EBONIS ARCHIEP. REMENSIS OBIT.

Mea fortè ſi requiris temporis initia,
Scito Caroli fuiſſe Regni ſub primordia.
Ludowico triumphante dies fluxit ultima.
Rhenus primos lavit mores, alveus Germanicus;
Hinc nutrivit & ſecundos Liger amnis Gallicus,
Sequana fovit juventam, ſordes ſordens Vidula *.
Præſul erat urbis hujus mihi natus unicus,
Idem me conduxit ſibi ſociam laboribus,
Proximum ruinæ locum renovandi cupidus.
Decem fermè nuper annos ſimul hîc peregimus;
Ebo Rector, ego mater Himiltrudis humilis,
Fundamenta Sedûs Sanctæ pariter ereximus:
Deo debitum laborem dum gerebat Pontifex,
Feſſa quietem quærebam. Ecce ſub hoc tumulo
Quinto me September menſis Kalendarum rapuit.
O viator, eſto cautus ſemper ab exceſſibus.
Fateor non profuiſſe ut debui dum potui.
Veniam dic pro vindicta da, Deus, peccantibus.

* *la Voſle*

Digitized by Google

ANNUS					AN. CH. 827.
CHRISTI		827.			
LUDOVICI	IMP.	14.			LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.
	REG.	47.	22.	10.	
LOTHARII	IMP.	11.	5.		
	REG.	13.	5.		
PIPPINI III.	REG.	13.	11.		
LUDOVICI	REG.	11.	2.		
INDICTIO		5.			

I.

IN Sigeberti Chronographia quatuor Auctores ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum ſic commendantur. *Rabbanus Abbas Tractatus in libro Sapientiæ & Eccleſiaſtico ad Otgarium Archiepiſcopum edit. Amularius librum de Officiis Eccleſiaſticis ad Imperatorem Ludovicum ſcribit. Angelomus etiam ad eundem Imperatorem Tractatus in libros Regum edit. Anſegiſus Abbas Lobienſis Edicta Imperatoris Caroli Magni & Ludovici filii ejus ad Eccleſiaſticam Legem pertinentia * in duobus æquè libellis digeſſit.* De ſingulis per ordinem diſſeremus.

* Edit. pertinenti

II.

RABANUS SCRIBIT COMMENTARIOS IN SAPIENTIAM ET IN ECCLESIASTICUM.

Rabanus Abbas Fuldenſis Otgario Archiepiſcopo Moguntino tres libros in librum Sapientiæ ſic inſcripſit. *Domino Reverendiſſimo & cultu ſinceriſſimæ charitatis obſervando ſancto viro & omni honore digniſſimo Othgario Archiepiſcopo Hrabanus in Chriſto ſalutem.* Et libros decem in Eccleſiaſticum, ſic. *Domino in Domino Dominorum dilectiſſimo Otgario Archiepiſcopo Hrabanus peccator in Chriſto ſalutem.* Inter opera Rabani, quæ ſimul collecta ſex in Tomos diſtinguuntur, hæ duæ lucubrationes poſtremæ ſunt Tomi tertii.

III.

AMALARIUS SCRIBIT DE ECCLESIASTICO OFFICIO.

Amularius ſive Amalarius Ludovico Auguſto quatuor libros de Eccleſiaſtico Officio inſcripſit. Præfationem enim ſic exorſus eſt. *Glorioſiſſime Imperator, & Magnificentiſſime ac centies Invictiſſime, à Deo coronate & conſervate atque conſervande, ſervus ego veſter, quamvis minimus omnium, afficiebar olim deſiderio, ut,* &c. Deinde ſic clauſit. *Divo Hludovico vita. Novo David perennitas. Da Principi, Domine, vitam. Ipſi novo Salomoni felicitas. Pax mundi vos eſtis. Pio Principi proſperitas. Domine, vitam ipſi concede. Veſtra fides vos ſervet. Chriſtus, quem vos honoratis, ipſe vos ſervet. Poteſtatem veſtram Deus conſervet. Deus pacificet Regnum veſtrum. Judith, Orthodoxa, Nobiliſſima, atque prudentiſſima Auguſtæ, ſalus per multos annos. Lumina patris Domine ſerva. Vita veſtra, tutela omnium eſt. Veſtra fides Eccleſiarum eſt gloria. Piiſſimos Dominos noſtros Imperiales natos, Hlotharium Glorioſiſſimum coronatum, & fratres ejus, Chriſtus conſervet. Ex proavis Orthodoxos, Domine, ſerva. Cuſtodes fidei, Domine, ſerva.* In hoc textu nullus occurrit Character, qui vel determinatè notet annum quo ſcripſit Amalarius, vel apertè Sigeberti Chronologiam impugnet. Ab Amalario ſiquidem duo duntaxat innuuntur, nempe Juditham Ludovico Auguſto jam nupſiſſe, & Imperatoris nomen Lothario jam collatum eſſe. Juditha Ludovico in uxorem ſociata eſt anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, Lotharius à Ludovico Patre conſtitutus eſt Impe-

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

rator anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, coronatúſque Romæ ſexto pòſt anno à Paſchale Papa. Hæc autem annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum anteceſſerunt. Extat altera Præfatio Amalarii, quâ ſe Romam profectum teſtatur libris de Officio Eccleſiaſtico priùs ſcriptis. *Poſtquàm ſcripſi*, inquit, *libellum, qui à parvitate mea vocatur de Eccleſiaſtico Officio, veni Romam.* Ivit Romam Gregorio Quarto Pontifice, ſic enim ait in Prologo de Ordine Antiphonarii. *Fui miſſus Romam à Sancto & Chriſtianiſſimo Imperatore Hlùdovico ad Sanctum & Reverendiſſimum Papam Gregorium.* Electus eſt Gregorius octavo Kalendas Octobris anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo, conſecratúſque ſeptimo Kalendas proximi Februarii. Nihil horum Sigeberto refragatur aſſerenti librum de Officiis Eccleſiaſticis ab Amalario ſcriptum eſſe anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo.

IV. ANGELOMUS SCRIBIT TRACTATUS IN LIBROS REGUM.

Angelomus, vulgato Sigeberto Angelonius, Luxovienſis Monachus Stromata, Sigeberto Tractatus, edidit in quatuor libros Regum. Opus, quod inchoarat, ut perficeret, impulſus eſt à Drogone Metenſi tunc Epiſcopo & Abbate Luxovienſi. Qua de re ſic diſſerit in ipſa Præfatione. *Stylum cùm ad primum librum deſcribendo appuliſſem, ut abditè abdita autore Deo congererem, extemplò mea impudentia eſt detecta, & ſacris auribus Magnifici Drogonis, egregii ſcilicet Pontificis, quo nihil nobilius nihilque prudentius, eſt revelata nugacitas. Quo comperto, cæpit ingenuè liberâ auctoritate imperare, ut darem operam, & cæptum opus non finirem, ſed ſagaciter ad calcem tenus perducerem. Cujus quoque præconiis nullatenus reſiſtere valui, verùm nec tanta auctoritati renuere præſumpſi, non ſolùm quidem quia filius erat præſtantiſſimi Caroli Cæſaris, imò frater mitiſſimi Ludovici Principis, verùm etiam quia præclarus erat Pontifex & Abbas meus egregius.* Ex hoc textu Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis colligit prædictos Angelomi Tractatus non niſi poſt Drogonis mortem perfectos ac vulgatos fuiſſe. Certè vox, *erat*, quam textus habet, non parvæ videtur auctoritatis, ut opinio Labbeana cuique placeat. Hæc autem Sigebertinæ plurimùm refragatur, quia Drogo longè poſt annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſeptimum vixit, pervenítque ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum duodeſexageſimum. Scripſit etiam Angelomus Stromata in Cantica Canticorum, eáque Lothario dicavit Auguſto, Præfationis enim hoc eſt initium. *Glorioſiſſimo Præſtantiſſimóque Imperatori Lothario ſemper Auguſto Angelomus ultimus Monachorum exorans exorando exorat nanciſci perennem gloriam.* Annus, quo poſterius hoc opus exaratum fuit, ex eadem Præfatione certò deprehendi poteſt, quia Lotharius cupit theorica legere *conſolationis potiſſimùm gratiâ de amiſſione conjugis*, id eſt, Hermingardis Auguſtæ, cujus obitum Regino conſignavit *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLI. Illo anno vivebat adhuc Drogo, nec id negare voluit Angelomus in ſua Præfatione, quamvis uſus ſit eâdem voce *erat*, quâ priùs in Præfatione Stromatum in libros Regum. Textum ipſum accipe ex Præfatione ad Lotharium, ſive ex Præfatione Stromatum in Cantica Canticorum. *Animadvertens internâ trutinatione mentis, quòd ſine nutu divino non foret quod à tanta Majeſtate imperaretur, temerario ore refragari nullo apologetico anfractóque excuſationis præſumpſi, ſed magis ut quiverim divinis fretus ſuffragiis, imperiis Imperialibus quanquam pavidus obſecundare tentaſſem. Sed non floccipendens quòd ſine Magnifici Domini & Abbatis mei, ſcilicet Drogonis patrui veſtri, aſſertionibus paritérque juſſionibus, ne Regularem excedere viderer diſciplinam, ſtylum appellere ad exarandum non debuiſſem, non ſolùm quòd Caroli Magni Imperatoris filius atque frater Sanctiſſimi & Piiſſimi genitoris veſtri Ludovici Cæſaris, ſed quia Summus erat Pontifex atque Abbas meus egregius. Cúmque ſacris ejus auribus ſuggerendo intuliſſem, & ordinem rei indicaſſem, quo auribus hauſto non ſolùm non renuit, verùm ut eſt mitiſſimus, & affabilitate ſuadibilis, benignitate præſtantiſſimus, & ad omne bonum ferventiſſimus, more ſuæ modeſtiæ non tantùm ingenuè liberâ auctо-*

Digitized by Google

ritate imperavit, ſed blandâ tranquillitate & pio affatu, ut Auguſtale opus & ſpirituale decus, quomodo quiviſſem, aggredi non abnuiſſem. Utrorumque igitur Stromatum Præfationibus ſimul collatis, in ea, quæ Stromatibus in libros Regum præfigitur, nihil occurrit Chronologiæ Sigeberti ſuprà citatæ contrarium. Quod attinet ad Tractatus in Cantica Canticorum, de illis ad annum Redemptoris octingenteſimum quinquageſimum-primum, quo compoſiti ſunt, agemus adversùs eos, qui ſeriùs poſt Lotharii Auguſti mortem editos volunt. AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. II. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. II.

In genuino Sigeberti Chronico, quod Miræus evulgavit, Anſegiſi ſcripta ſic ad hunc annum recenſentur. *Anſegiſus Abbas Lobienſis Edicta Imperatoris Caroli Magni & Ludovici filii ejus ad Eccleſiaſticam Legem pertinentia in duobus æquè libellis digeſſit. Item Edicta eorumdem ad mundanam Legem pertinentia in duobus æquè libellis digeſſit.* Hoc loco tria ſunt examinanda. Quis ille fuit Anſegiſus, quot libros edidit, quámque materiam in unoquoque complexus eſt.

V. ANSEGISUS

Anſegiſus in Chronographia Sigeberti cùm vulgata tum genuina Lobienſis Abbas dicitur, deſideratur autem in Abbatum Lobienſium Catalogo, quem Fulcuinus Abbas illius loci vetuſtiórque Sigeberto contexuit. Fontanellenſis Abbas nobis videtur, cujus mentionem non ſemel jam fecimus. Hanc opinionem haud ſpernendam arbitratus eſt Stephanus Baluzius in Præfatione ad Capitularia, confirmavítque Joannes Mabillonius [a] ex Adſone Luxovienſi Abbate, qui deceſſorum ſuorum ſeriem ac breve Chronicon ſcripſit, déque Anſegiſo, qui Luxovienſis deinde Fontanellenſis Abbas fuit, id duxit obſervandum. *Capitula Regum Francorum, quæ diverſis fuerant acta Conciliis, excepit, & uno volumine contineri fecit.*

VI. ABBAS FONTANELLENSIS

[a] Sec. 4. Benedict. part. 1.

Scripſit Anſegiſus quatuor libros, de quibus hæc præfatus eſt. *Dominante per ſecula infinita omnium Dominatore Chriſto Salvatore noſtro, Creatore univerſæ creaturæ, anno Incarnationis ipſius* DCCCXXVII. *Indictione* V. *anno vero* XIII *Imperii Glorioſiſſimorum Principum, Domni Hludowvici Auguſti Chriſtianæ Religionis magni propagatoris & Lotharii Cæſaris filii ipſius, Anſegiſus, nullis præcedentibus meritis, ſed gratiâ Omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ Domni Karoli Magni Imperatoris Chriſtianorum, atque Præcellentiſſimi ac Piiſſimi Domni Hludowvici Auguſti filii ipſius ſincerâ dilectione, necnon & præclari Lotharii Cæſaris filii piiſſimi Hludowvici Imperatoris, hæc ſubter deſcripta adunavi Capitula: quæ procul dubio quia ad Sancta Eccleſia profectum facta ſunt, pro utili firmiter tenenda ſunt Lege. Fuerunt namque quondam tempore prædicti Magni Domni Karoli Imperatoris, necnon & nunc præfatorum Principum hoc in tempore Domni Piiſſimi Hludowvici Auguſti & Præclari Lotharii Cæſaris juſſu, per intervalla temporum, ad Chriſtianam Religionem conſervandam, atque ad concordiam pacis & dilectionis in Eccleſia Catholica tenendam edita. Sed quia in diverſis ſparſim ſcripta membrannlis per diverſorum ſpatia temporum fuerant, ne oblivioni traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus ſum, prædictorum Glorioſiſſimorum Principum, & pro amore ſanctiſſimæ prolis eorum, ſed & pro Sancta Eccleſia ſtatu, placuit mihi prædicta in hoc libello adunare, quæ invenire potui Capitula prædictorum Principum juſſu deſcripta, ut ad Sancta Eccleſia ſtatum longævis conſervandum temporibus atque ad meritum præfatorum Principum glorioſius in vita perpetua augmentandum proficiant. Amen. Sed & hoc notum ſit Lectori, quia prædicta Capitula, quæ per intervalla temporum à præfatis ſunt Principibus edita, in quatuor diſtinxi libellis.* Antiquas hoc loco ſequimur editiones, quibus noviſſimam adverſari non diſſimulamus. Stephanus Baluzius ſummâ diligentiâ ſeptem libros Capitularium ad manuſcriptos Codices novemdecim emendavit, emendatóſque nuperrimè publicavit cum Notis, quarum initio duas in præcitata Præfatione lectiones agnoſcit valdè diverſas, unam videlicet quæ Lotharii meminit, alteram quæ nomen ejuſdem Lotharii non habet. Hanc illi præfert, illam tamen non inficiatur octo niti Codicibus, Vatica-

VII. EDIT QUATUOR LIBROS CAPITULARIUM,

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

no, Bellovacenſi, Metenſi Sancti Vincentii, Divionenſi, Camberonenſi, Rivipullenſi, Normannico Sancti Michaelis in periculo maris, & Trecenſi qui fuit olim Franciſci Pithœi atque hodie ad noſtram Trecenſis Collegii Bibliothecam pertinet. Priùs autem quàm judicium feras, inter utramque tribus in locis quid occurrat diſcriminis, attende. Primò, veteres editiones ſic habent, *anno verò* XIII *Imperii Glorioſiſſimorum Principum Domni Hludowici Auguſti Chriſtianæ Religionis magni propagatoris & Lotharii Cæſaris filii ipſius*; Baluziana, ſic, *anno verò* XIII *Imperii Glorioſiſſimorum Principum Domni Hludowici Auguſti Chriſtianæ Religionis magni propagatoris ac filiorum ejus.* Secundò, veteres editiones ſic habent, *pro amore bonæ memoriæ Domni Karoli Magni Imperatoris Chriſtianorum, atque Præcellentiſſimi ac Piiſſimi Domni Hludowici Auguſti filii ipſius ſincera dilectione, necnon & Præclari Lotharii Cæſaris filii Piiſſimi Hludowici Imperatoris*; in editione Baluziana deſideratur pars hæc periodi poſtrema, *necnon & Præclari Lotharii Cæſaris filii Piiſſimi Hludowici Imperatoris.* Tertiò veteres editiones ſic habent, *Domni Piiſſimi Hludowici Auguſti & Præclari Lotharii Cæſaris juſſu*; Baluziana verò, ſic. *Domni Piiſſimi Hludowici Auguſti & Præclariſſimorum filiorum ejus juſſu.* Pithœus, *quòd in Anſegiſi Præfationibus Lotharii nomen adjectum eſt, datum id* vult *exemplarium quorundam antiquitati, quæ ſub ejus ditione, ut veriſimile eſt, primùm deſcripta,* ſubditque *Lotharii ejus inter hæc nihil proprium eſſe, cujus tantùm nomine extant quædam ex his ipſis decerpta Capitula ad Italiæ Regnum.* Hæc opinio Pithœi, quæ Lotharii nomen expungit, ejuſdémque Lotharii loco neminem ſubſtituit, videtur toleranda, ſed nulla nobis obverſatur ratio, cur Anſegiſus in ſua Præfatione filios potiùs omnes Ludovici Pii collectivè laudarit, quàm ſpeciatim Lotharium ejuſdem Ludovici Pii filium natu maximum, quem pater à multis annis Imperii conſortem jam fecerat. Anſegiſus Collectionem ſuam abſolvit ineunte anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo. Tunc Ludovico Auguſto quatuor erant filii; Lotharius Imperator & Italiæ ſeu Longobardiæ Rex, Pippinus Rex Aquitaniæ, Ludovicus Bojoariæ Rex, & Carolus adhuc annum infantiæ quartum vix ingreſſus. Lotharium pater Imperatorem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, Longobardiæ Regem anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo; Pippinum Aquitaniæ Regem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto; Ludovicum Bojoariæ Regem anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo conſtituerat. In multis Diplomatibus, quæ ſuprà deſcripſimus, necnon & in Charta pro Monaſterio Dervenſi, quam hoc ipſo anno mox exhibituri ſumus, nomina Ludovici & Lotharii Auguſtorum ſimul poſita reperiuntur, eodem quoque modo poni potuerunt in Capitularibus. Illúdque ſanè videtur eò probabilius, quòd Anſegiſus in fine præcitati textûs, ubi ſcribit à ſe diſtincta *quatuor libellis* Capitula, *quæ per intervalla temporum à præfatis ſunt Principibus edita*, præfatos Principes ultra Carolum Magnum, Ludovicum & Lotharium Auguſtos, extendere non poteſt, nullum enim Capitulare fratres Lotharii, Pippinus, Ludovicus, & Carolus, ediderunt. Extat quidem Capitulare de Monaſterio Sanctæ Crucis intra Pictavienſem urbem in Aquitania ſito, ſed illud *Piiſſimus Imperator Ludovicus fieri præcepit, atque ut ab omnibus obſervaretur Glorioſo filio ſuo Pippino* Aquitaniæ Regi *commiſit.* Ut igitur in Anſegiſi Præfatione nomen Lotharii ſervetur, potior eſt ratio, quàm ut omiſſo eodem Lothario cuncti intrudantur filii Ludovici Pii. Duo Chronologici Characteres ab Anſegiſo proferuntur, annus Incarnationis octingenteſimus viceſimus-ſeptimus, & annus Ludovici Auguſti decimus-tertius, híque rectè per totum penè menſem Januarii ſimul conveniunt, quia cœptum eſt Imperium Ludovici quinto Kalendas Februarias anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto. Nec tibi diſpliceat Character, qui petitur ab Incarnatione Dominica, & à nobis ſemper expunctus fuit, quoties in Auguſtorum Re-

Digitized by Google

gúmque Diplomatibus occurrit. Quamvis enim Præceptis Regum & Imperatorum apponi nondum conſueviſſet, tamen apud Auctores illorum temporum in uſu frequenter erat, ut ex pleriſque conſtat, quorum teſtimoniis uſi ſumus. AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11. VIII.

Pergit Anſegiſus, & quatuor libros Capitularium ſic diſtinguit. *Illa ſcilicet quæ Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia Eccleſiaſticum in primo adunavi libello. Ea verò Eccleſiaſtica, quæ Domnus ac Piiſſimus Hludowicus Imperator & Lotharius Cæſar filius ipſius ediderunt, in ſecundo deſcripſi. Illa autem, quæ Domnus Karolus in diverſis fecit temporibus ad mundanam pertinentia Legem, in tertio adunavi. Ipſa verò, quæ Domnus Hludowicus Præclarus Imperator & Lotharius Cæſar filius illius fecerunt ad augmentum mundanæ pertinentia Legis, in quarto congeſſi.* Vulgares editiones ſic habent. At Baluziana nomen Lotharii tollit. Materiam enim ſecundi libri ſic complectitur. *Ea verò Eccleſiaſtica, quæ Domnus ac Piiſſimus Hludowicus Imperator edidit, in ſecundo deſcripſi.* Et materiam libri quarti, ſic. *Ipſa verò, quæ Domnus Hludowicus Præclarus Imperator fecit ad augmentum mundanæ pertinentia Legis, in quarto congeſſi.* Cur veteres editiones à nobis hoc loco non contemnantur, expoſuimus ſuprà. De materia ſingulorum librorum ſpecialiùs hîc inquirendum.

Anſegiſus Leges dividit in Eccleſiaſticas & mundanas ſeu civiles; deinde utraſque bipartitur, alias enim à Carolo Magno, alias à Ludovico Pio ejúſque filio Lothario promulgatas advertit; atque inde opus quatuor in partes diſtinctum edit. IX.

Primus liber in editione Pithœana, quam ſecuti ſumus, duoſeptuaginta Capitulis ſupra centum conſtat, in Baluziana duobus duntaxat & ſexaginta ſupra centum. Deſiderantur enim apud Baluzium ſex Capitula; triceſimumnonum, adversùs uſurarios; quinquageſimum-ſecundum, de Monachis & Virginibus, *ut ſuum propoſitum omnimodis ſervent*; ſexageſimum-ſeptimum, *de homicidiis*; duodeſeptuageſimum, *de furtis, injuſtis connubiis, & falſis teſtimoniis*; ſeptuageſimum-quartum, *de menſuris & ponderibus*; ſeptuageſimumnonum, *de mangonibus & nudis cum ferro*. Sex autem hæc Capitula leguntur in Aquiſgranenſi Capitulari, quod Carolus Magnus edidit cum Characteribus hiſce Chronologicis. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXIX. *Indictione* XII. *anno* XXI *Regni noſtri, actum eſt hujus Legationis Edictum in Aquiſgrani Palatio publico. Data eſt hac Charta die* X *Kalendas Apriles.* Tomo ſuperiori [a] non omiſimus hoc Capitulare. Sirmondanam conſuluimus editionem, in qua Capitulis conſtat duobus & octoginta. Cum Sirmondo non convenit Baluzius. Hic enim Capitulare in octoginta duntaxat Capitula diſtinguit, quia viceſimum-ſecundum de Monachis, Clericis & Preſbyteris, *ne in ſecularia negotia tranſeant*, & viceſimum-tertium, *ut ſervum alterius nullus ſollicitet ad Clericalem vel Monachalem Ordinem ſine voluntate & licentia Domini ſui*; deinde ſexageſimum-quintum *de odio vel invidia*, & ſexageſimum-ſextum *de avaritia vel concupiſcentia* ſimul conjungit. Quod igitur Sirmondo ac nobis undequadrageſimum eſt adversùs uſurarios, Baluzio fit duodequadrageſimum; quod Sirmondo ac nobis eſt quinquageſimum-ſecundum de Monachis & Virginibus, *ut ſuum propoſitum omnimodis ſervent*, Baluzio fit quinquageſimum-primum; quod Sirmondo ac nobis eſt ſexageſimum-ſeptimum *de homicidiis*, Baluzio fit ſexageſimum-quintum; quod Sirmondo ac nobis eſt duodeſeptuageſimum *de furtis, & injuſtis connubiis, & falſis teſtimoniis*, Baluzio fit ſexageſimum-ſextum; quod Sirmondo ac nobis eſt ſeptuageſimum-quartum *de menſuris & ponderibus*, Baluzio fit ſeptuageſimum-ſecundum; denique quod Sirmondo ac nobis eſt ſeptuageſimumnonum *de mangonibus & nudis cum ferro*, Baluzio fit ſeptuageſimum-ſeptimum. Anſegiſus ab illo Capitulari ſuam inchoat Collectionem, eidémque Capitulari duo ſupra octoginta in veteribus editionibus attribuit Capitula, ſeptuaginta-ſex in Baluziana. Veteres editiones totum Aquiſgranenſe Ca- X.

[a] Ad an. 789. nn. 1, & ſeqq.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

pitulare deſcripſerunt, Baluzius ſex amputavit Capitula, genuinam ſecutus Anſegiſi Collectionem, ut ex Wormatienſi Capitulari liquet, in quo Ludovicus Pius anno Imperii ſui decimo-ſexto, Redemptoris octingenteſimo viceſimo-nono Capitulum allegat centeſimum quinquageſimum-ſeptimum libri primi Capitularium, quod idem eſt numero in editione Baluziana, in aliis verò centeſimum ſexageſimum-tertium ejuſdem libri. Porrò in primo Capitularium libro, ſeu veteres editiones ſeu noviſſimam conſulas, poſt Aquiſgranenſe Capitulare Capitula ſex & octoginta ſuperſunt, eáque ſpectant ad diverſa Capitularia.

XI.

Quæ proximè poſt Aquiſgranenſe Capitulare duodetriginta ſequuntur Capitula pertinent ad Attiniacenſe Capitulare, quod à Ludovico Pio promulgatum eſt anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo. Diſputavimus ad illum annum [a] adversùs Sirmondum, qui putat hoc Capitulare conditum in Aquiſgranenſi Palatio poſt Aquiſgranenſem Synodum, quam conſignat anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſexto, rejiciendam verò cenſemus in annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum. Sive autem apud Aquiſgranum, ſive apud Attiniacum, annóque noni ſeculi ſeu decimo-ſexto vel decimo-ſeptimo, ſeu viceſimo-ſecundo, ſancitum fuit hoc Capitulare, non Carolinis ſed Ludovicianis accenſeri debet. Quapropter Sirmondus in ſuis ad Gallicana Concilia Notis Anſegiſum rectè ſugillat, quòd *immemor propoſiti & inſtituti ſui*, cùm primum Capitularium librum *Legibus Eccleſiaſticis ſolius Caroli* deſtinaſſet, *has etiam Ludovici filii Conſtitutiones injecit.* Baluzius haud aliam exiſtimat Anſegiſo cauſam erroris fuiſſe, *quàm quòd cùm duo Karoli Magni Capitula deprehendiſſet in fronte Capitularis*, de quo nunc agimus, *putavit cetera quoque ejuſdem Edicti Capita eſſe.* Porrò duo Capitula, quæ reperiuntur initio Capitularis, inſcribuntúrque *de rebus Eccleſiæ non dividendis* & *de Epiſcopis eligendis*, non à Carolo Magno ſed à Ludovico Pio condita ſunt, ut ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum fusè probavimus. In antiquis Capitularium editionibus poſt Capitulum octogeſimum-ſecundum libri primi ſequuntur hi Characteres Chronologici. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXIX. *Indictione* XII. *anno* XXI *Regni noſtri. Actum eſt hujus Legationis Edictum in Aquiſgrani Palatio publicè. Data eſt hæc Charta decimo Kal. April.* In editione Pithœana legitur annus XX Regni Carolini, meliùs in Lindebrogiana & Sirmondana ponitur annus XXI, ut dies decimus ante Kalendas Apriles illius anni cum Indictione XII & anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIX conveniat. Subjicitur in multis editionibus recentior hæc obſervatio. *Tempore Adriani Papæ & Karoli Magni Imperatoris, quando Paulinus Epiſcopus tenuit vices Apoſtolicæ Sedis in Aquis, fuit factum iſtud Capitulum propter hoc, quia laici homines ſolebant dividere Epiſcopia & Monaſteria ad illorum opus, & non remanſiſſet ulli Epiſcopo, nec Abbati, nec Abbatiſſæ, niſi tantùm ut velut Canonici & Monachi viverent.* At hæc minimè probamus, Epiſcopi enim & Abbates ad tantam calamitatem numquam redacti fuerunt ſub Carolo Magno. Pluris facimus alteram obſervationem, quæ ſpectat ad Attiniacenſe Capitulare, & in editione Lindenbrogiana ſic occurrit. *Hæc Capitula Domini Ludovici propriè ſunt ad Epiſcopos vel Ordines quoſque Eccleſiaſticos pertinentia, qua non ſolùm obſervare ſed etiam ſibi ſubjectis vel commiſſis facienda perdocere debent.* Hoc Ludovici Capitulare, quod Attiniacenſe nuncupamus, undetriginta conſtat Capitulis, tamen Anſegiſus primo Capitularium libro duodetriginta duntaxat inſeruit, omiſit enim octavum de tonſura propter res adipiſcendas non ſuadenda. Hæc autem duodetriginta Capitula primo Capitularium libro ſic recenſentur, ut ſecundùm veteres editiones deſinant in Capitulo centeſimo decimo, ſecundùm Baluzianam in centeſimo quarto.

[a] Ad an. 822. n. 12.

XII.

Anſegiſus propoſiti ſui memor poſt Attiniacenſe Capitulare, quod à Ludovico promulgatum fuit, redit ad Capitularia Caroli, atque ex illis Capitularibus

tularibus Capitula quinque ac triginta continuo deſcribit ordine, ſic. Ex Capitulari, quod ad Theodonis villam *infra Eccleſiam*, id eſt, de rebus Eccleſiaſticis, anno Caroli Imperatoris quinto, ſive anno Redemptoris octingenteſimo quinto, datum legitur, & in ſexdecim diſtribuitur Capitula, ſeptem recitat, nempe tertium, & undecimum, cum quinque proximè ſequentibus. Ex Capitulari, quod eodem anno *ad omnes generaliter* datum eſt, conſtátque viginti-quinque Capitulis, quatuor profert, quartum videlicet, decimum-quartum, decimum-quintum, & decimum-ſextum. Ex Capitulari, quod apud Noviomagum anno ſexto Caroli Imperatoris ſive anno Redemptoris octingenteſimo ſexto infra Quadrageſimam promulgatum fuit, undecim refert Capitula, quartum, quintum, decimum, duodecimum, ſeptémque proximè ſequentia. Ex Capitulari, quod Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum tranſcripſimus, ſex eligit Capitula, primum, tertium, quartum, quintum, decimum, & viceſimum-tertium. Ex Concilio Romano ſub Silveſtro Papa Capitulum edit, quod prædicto Capitulari ſubjicitur in editione Sirmondana. Ex Capitulari Legum Salicis adjectarum, quod anno Caroli Auguſti tertio, ſive anno Redemptoris octingenteſimo tertio conſignatur, duo recenſet Capitula, tertium ac ſextum. Ex alio Capitulari dato eodem anno pro diverſis rebus, tria exhibet Capitula, ſecundum, duodecimum, & decimum-ſextum. Denique ex Capitulari dato anno Redemptoris octingenteſimo nono recitat octavum Capitulum, quod eſt *de mercato*, & in veteribus editionibus Capitularium numeratur centeſimum quadrageſimum-quintum, in Baluziana verò centeſimum undequadrageſimum.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

Superſunt ad finem uſque primi libri Capitula viginti-tria, quorum alia memoravimus, alia nequaquam, quia vel noſtram fugerunt diligentiam, vel ab Anſegiſo collecta ſunt ex Capitularibus Caroli quæ perierunt. De utriſque per ordinem agemus, ſervatis veterum editionum numeris. XIII.

Capitulum centeſimum quadrageſimum-ſextum. *Ut nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ xenia donet.* XIV.

Capitulum centeſimum quadrageſimum-ſeptimum convenit cum ſecundo Capitulo Capitularis à Carolo ex Conciliis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio celebratis excerpti. XV.

Capitulum centeſimum duodequinquageſimum. *Ut Epiſcopi prævideant quem honorem Presbyteri pro Eccleſiis ſuis ſenioribus tribuant.* Capitulum centeſimum undequinquageſimum. *Ut decimæ in poteſtate Epiſcopi ſint qualiter à Presbyteris diſpenſentur.* Capitulum centeſimum quinquageſimum. *Ut Eccleſiæ vel Altaria meliùs conſtruantur. Et nullus Presbyter annonam vel fœnum in Eccleſia mittere præſumat.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-primum. *Ut Eccleſiæ, vel Altaria, quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-ſecundum. *Ut Presbyteri per Parochias ſuas fœminis prædicent, ut linteamina Altaribus præparent.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-tertium. *Ut nullus Presbyter alterius Parochianum, niſi in itinere fuerit, vel Placitum ibi habuerit, ad Miſſam recipiat.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-quartum. *Ut nullus Presbyter in alterius Parochia Miſſam cantare præſumat, niſi in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-quintum. *Ut terminum habeat unaquæque Eccleſia, de quibus villis decimas recipiat.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-ſextum. *Ut unuſquiſque Presbyter res, quas poſt diem conſecrationis adquiſierit, propriæ Eccleſiæ relinquat.* Capitulum centeſimum quinquageſimum-ſeptimum. *Ut nullus Presbyter aut laicus pœnitentem invitet vinum bibere, aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo unum vel duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit.* XVI.

Capitulum centeſimum duodeſexageſimum convenit cum Capitulo, quod Tomo ſuperiore ad ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-pri- XVII.

AN. CH. 827. mum [a] descripsimus ex Additionibus, quibus Legem Longobardicam [b] auxit Carolus.

[a] Num. 19.
[b] Lib. 3. Tit. 8. c. 10.

XVIII. Capitulum centesimum undesexagesimum. *Ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat.* Anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio Carolus ex quinque Conciliis eodem anno celebratis excerpsit Capitulare, cujus vicesimum Capitulum hoc est. *Ut mortui non sepeliantur in Ecclesia, nisi Episcopi vel Abbates, vel fideles & boni Presbyteri.* Idque conforme est quinquagesimo-secundo Canoni Moguntino.

XIX. Capitulum centesimum sexagesimum. *Ut unusquisque Presbyter Capitula habeat de majoribus vel de minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat vel prædicare subditis suis, ut caveant ab insidiis diaboli.* Capitulum centesimum sexagesimum-primum. *Ut Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Capitulum centesimum sexagesimum-secundum. *Ut Presbyter in cœna Domini duas ampullas secum deferat, unam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inunguendum vel infirmos juxta sententiam Apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum unguentes eum oleo in Nomine Domini.* Stephanus Baluzius in notis ad hoc Capitulum observat usum trium ampullarum multis in Diœcesibus olim viguisse, citátque veterem librum Pontificalem Remensis Ecclesiæ, sic. *Feriâ quintâ majoris hebdomadæ, id est, in cœna Domini, mane primo, mansionarii ordinent omnia, quæ sunt necessaria ad consecrationem Chrismatis, ampullas tres de oleo mundissimo plenas, ponentes in sacrario, unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chrisma, tertiam verò ad oleum ad Catechumenos unguendos.* Varios ritus, ut occurrent exempla, suis adnotabimus locis.

XX. Capitulum centesimum sexagesimum-tertium. *Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent, & qui tale beneficium habent, quod ad medietatem laborent, & de eorum portione proprio Presbytero decimas donent.*

XXI. Capitulum centesimum sexagesimum-quartum, quod est *de festivitatibus anni*, Tomo superiore descriptum à nobis fuit ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-octavum [a]. Quonam anno conditum sit, haud patet, ostendimus antiquius esse Concilio Moguntiacensi, quod anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio constat fuisse celebratum.

[a] Num. 62.

XXII. Capitulum centesimum sexagesimum-quintum, triáque proximè sequentia, quibus primus Capitularium liber absolvitur, eadem sunt cum Capitulis, quarto, quinto, sexto, & septimo, Capitularis Aquisgranensis editi anno decimo Caroli Augusti, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo.

XXIII. Ansegisus in antiquis Capitularium editionibus hanc Præfationem secundo libro præponit. *Suprà in primo libro Capitula Ecclesiastica, quæ Domnus Imperator Karolus fecit, adunavi; in hoc verò ea Ecclesiastica; quæ Domnus Ludovicus Cæsar Piissimus & Lotharius Imperator filius ipsius ediderunt, descripsi libello.* Baluzius expuncto Lotharii nomine, posteriorem Præfationis partem sic publicavit; *in hoc verò ea Ecclesiastica, quæ Domnus Hludowicus Cæsar Piissimus edidit, descripsi libello.* Cur nomen Lotharii retinendum videatur, exposuimus suprà.

XXIV. Secundus Capitularium liber Capitulis constat septem & quadraginta. Nec dissentit editio novissima, quamvis duodequinquaginta numeret, quod enim edit quadragesimum-sextum *de Ecclesiis antiquitus constitutis*, facilè advertes repetitionem esse tricesimi-sexti, si simul utrumque conferas.

XXV. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto, Ludovico & Lothario Augustis, in Aquisgranensi Conventu promulgatum est Capitulare, quod in Capitularibus initium facit libro secundo, desinitque in Capitulo duodetricesimo, complectitur enim Capitula duodetriginta, quæ per ordi-

Digitized by Google

nem ad illum annum commemoravimus. In eodem libro Capitula ſuperſunt undeviginti, quorum etiam pleraque, ut inferiùs enumeratio docebit, ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium aliunde tranſcripſimus. AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

Capitulum viceſimum-nonum. *Nulla ſub Romana ditione conſtituta Eccleſia, vel Xenodochium, vel Ptochotrophium, vel Noſocomium, vel Orphanotrophium, vel Gerontocomium, vel Brephotrophium, vel Monaſterium tam Monachorum quàm Sanctimonialium Archimandritam habens vel Archimandritiſſam, contra hæc agere præſumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, ſive domum, ſive agrum, ſive hortum, ſive ruſticum mancipium, vel panes civiles,* id eſt, annonam civilem; *neque creditoribus ſpecialis hypotheca titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, & emphyteuſeos perpetuum contractum. Sed omnes omnino Sacerdotes hujuſmodi alienatione abſtineant, pœnas timentes quas Leoniana Conſtitutio minatur, id eſt, ut is quidem, qui comparaverit, rem loco venerabili reddat, cujus & anteà fuerat, ſcilicèt cum fructibus aliiſque emolumentis, quæ in medio tempore facta ſunt.* Quæ ſequuntur de Oeconomo Eccleſiæ, ſunt multùm depravata, ſenſus tamen is videtur eſſe, ut Oeconomus, damnum Eccleſiæ ex hujuſmodi alienatione illatum reſarciat, & à miniſterio ſubmoveatur. *Non ſolùm autem ipſe, ſed etiam ſucceſſores ejus hac lege teneantur, ſive ipſe Archiœconomus alienaverit, ſive reſpiciens alienantem Epiſcopum non prohibuerit, multò magis ſi conſenſerit. Tabellionem autem, qui talia interdicta inſtrumenta conſcripſit, perpetuo exilio tradi oportet. Magiſtratus autem, qui eadem inſtrumenta admiſerunt, & ad Officiales copiam dederunt, ut & monumentis intimentur donationes, vel cetera alienationes actis intervenientibus confirmentur, non ſolùm Magiſtratu, ſed etiam dignitate & facultatibus ſuis cedant. Remittit autem Conſtitutio ea, quæ in præterito tempore acta ſunt. Excepit autem quoſdam contractus, quos in ſequentibus exponit Capitulis, per quos & Eccleſiarum immobiles res alienari poſſunt. Xenodochium, id eſt, locus venerabilis, in quo peregrini ſuſcipiuntur. Ptochotrophium, id eſt, locus venerabilis in quo pauperes & infirmi homines paſcuntur. Noſocomium, id eſt, locus venerabilis, in quo ægroti homines curantur. Orphanotrophium, id eſt, locus venerabilis, in quo parentibus orbati pueri paſcuntur. Gerontocomium, id eſt, locus venerabilis, in quo pauperes & propter ſenectutem ſolam infirmi homines curantur. Brephotrophium, id eſt, locus venerabilis, in quo infantes aluntur.* Capitulum triceſimum. *Si Princeps voluerit rem immobilem ſancto loco præſtare, & accipere ab eo aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei pragmaticâ Sanctione ab eo promulgatâ.* Burchardus [a] hæc duo Capitula Concilio tribuit apud Silvanectim habito in præſentia Ludovici Regis. Concilia Silvanectenſia, quorum mentionem Burchardus facere potuit, tria memorantur in poſtrema Collectione, ſed Ludovici Pii & Anſegiſi Abbatis ætate longè recentiora. Ludovicus Pius annis noni ſeculi decimo-ſexto & viceſimo-tertio Compendium venit, diúque degit in illa regione. Silvanectum Compendio non procul abeſt. Ut Burchardo ſua ſtet auctoritas, recurrendum eſt ad quandam Synodum, quæ præſente Ludovico celebrata ſit Silvanecti, Canonéſque condiderit, Burchardo quondam notos, poſteris verò nequaquam. XXVI.

[a] Lib. 3. cc. 164. 165.

Capitula, triceſimum-primum, triceſimum-ſecundum, triceſimum-quintum, duodecimque proximè ſequentia, quibus ſecundus Capitularium liber abſolvitur, à nobis deſcripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium ex Synodis, Arelatenſi, Moguntina, Cabilonenſi, ac Turonenſi, quas Carolus Magnus illo anno celebrandas curavit. Capitula enim, triceſimum-ſextum, quadrageſimum-ſextum, & quadrageſimum-ſeptimum, conformia ſunt Canonibus Arelatenſibus, viceſimo, undeviceſimo, & viceſimo-primo; Capitula, triceſimum-primum, triceſimum-ſecundum, triceſimum-quintum, & triceſimum-ſextum, non differunt à XXVII.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

Canonibus Moguntinis, ſexto, ſeptimo, triceſimo-ſexto, & quadrageſimo-ſeptimo; Capitula, duodequadrageſimum quatuórque ſubſequentia conveniunt cum Canonibus Cabilonenſibus, quinto, duodeviceſimo, quadrageſimo-ſexto, quinquageſimo-primo, & quinquageſimo-ſecundo; denique Capitula, quadrageſimum-tertium, quadrageſimum-quartum, & quadrageſimum-quintum, ſimillima ſunt Canonibus Turonenſibus, quadrageſimo-primo, quadrageſimo-nono, & quinquageſimo. Porrò, cùm Canones prædictorum Conciliorum ſanciti fuerint ſuperſtite tunc in vivis Carolo Magno, multíque poſteà tranſierint in ſecundum Capitularium librum, quem Anſegiſus Ludovico Pio ejúſque filio Lothario totum adjudicat, Ludovicus Carolum patrem imitatus videtur. Quemadmodum enim Carolus ex Synodis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio celebratis excerpſit Capitulare, quod, ut ad illum annum obſervavimus, in ſex ac viginti diſtribuitur Capitula; ſic & Ludovicus ex iiſdem Conciliis aliud edidit Capitulare, atque inde Anſegiſus quindecim Capitula, quæ ſuprà per ordinem recenſuimus, in ſuam Collectionem tranſtulit.

XXVIII. Superſunt ex ſecundo Capitularium libro Capitula duo, nempe triceſimum-tertium & triceſimum-quartum, quæ memorantur ab Anſegiſo, ſed unde accepta ſint, nemo prodit. Capitulum triceſimum-tertium ſic habet. *De cauſis viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum, ut in primo conventu ante mediam diem illorum ratio vel querela audiatur & definiatur; & poſt mediam diem cauſa Regia, & Eccleſiarum, vel patentum hominum; quia ipſi pauperes non habent facultatem, unde ſuſtentare ſe poſſint donec ad eorum perveniant juſtitiam, & ideo tacitos clamores faciunt ad aures noſtras.* Capitulum triceſimum-quartum, ſic. *De illis hominibus qui injuſtè ſuper alios homines querelas faciunt, de quibus volumus, ſi inventus fuerit aliquis, qui non habeat juſtitiam canſandi vel reclamandi, & revictus fuerit, propter illam calumniam quam fecit, ſecundùm legem & equitatem juſtitiam reddat.*

XXIX. In veteribus Capitularium editionibus Anſegiſus ante librum tertium ſic præfatur. *Superiùs in duobus Capitula Eccleſiaſtica præfatorum Principum, Domni Karoli Imperatoris, & Domni Glorioſiſſimi Ludovici Auguſti, necnon & Lotharii Cæſaris deſcripſi libellis. Nunc autem illa ad mundanæ augmentum legis pertinentia, quæ Dominus Karolus Imperator edidit, in hoc tertio adunavi libello.* Sublato Lotharii nomine, prior pars hujus Præfationis in nuperrima Capitularium editione ſic exhibetur. *Superiùs in duobus libellis Capitula Eccleſiaſtica præfatorum Principum, Domni Karoli Imperatoris & Domni ac Glorioſiſſimi Hludowici Auguſti deſcripſi.*

XXX. Tertius Capitularium liber Capitulis undenonaginta conſtat in veteribus editionibus, nonaginta & uno in Baluziana, quia huic editioni inſerta ſunt, Capitulum undenonageſimum *de homicidiis infra patriam factis*, & Capitulum nonageſimum *de menſuris & ponderibus*.

XXXI. Anſegiſus à Capitulari Carolino, quod eſt *ad omnes generaliter*, hunc exorſus eſt librum, & ex illo Capitulari, quod eo quo datum eſt anno Redemptoris octingenteſimo quinto recitavimus, ſexdecim Capitula hoc deſcripſit ordine, primum, ſecundum, tertium, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-octavum, decimum-nonum, viceſimum, & viceſimum-ſecundum. Deinde ex Capitulari Noviomagenſi, quod anno Imperii Carolini ſexto Redemptoris octingenteſimo ſexto conſignavimus, quinque ſubjecit Capitula, quæ recenſentur in illo Capitulari, primum, ſextum, ſeptimum, octavum, & nonum. Item tria ex illis addidit Capitulis, quibus Carolus Legem Bojoariorum adauxit, ut Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſecundum obſervavimus. Mutuatus eſt & Capitula duodecim ex additione, quam Carolus Legi Salicæ fecit anno Redemptoris octingenteſimo tertio. Hanc quoque additionem in unum ac viginti Ca-

Digitized by Google

pitula diſtributam Tomo ſuperiore deſcripſimus. Capitula, primum, ſecundum, quartum, ſeptimum, octavum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-quintum, & decimum-ſeptimum ſelecta ſunt ab Anſegiſo, atque in tertio Capitularium libro Capitula conſtituunt, viceſimum-quintum, ſeptémque proximè ſequentia, necnon triceſimum-ſextum, triceſimum-ſeptimum, triceſimum-octavum, & quadrageſimum. Præterea triceſimum-quartum & triceſimum-quintum prodierunt ex Additione ad Legem Longobardicam, & à nobis Tomo priore deſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [a]. Quæres unde ſumpta fuerint quæ duo reſtant intermedia, triceſimum-tertium, & triceſimum-nonum. Quæſtioni faciemus ſatis. In editione Baluziana quod à Carolo Magno Salicis legibus additur Capitulare circumſcribitur Capitulis undecim, atque ex his ſeliguntur tantùm octo, primum, ſecundum, quartum, ſeptimum, quatuórque ſubſequentia, quæ tertio Capitularium libro Capitulum viceſimum-quintum ſeptémque ſequentia conſtituunt. At in eadem editione ſequitur aliud ejuſdem anni Capitulare undetriginta diſtributum in Capitula, quorum pleraque tertio Capitularium libro inſeruntur, atque in his duo, de quibus hîc quæſtio. Capitulum triceſimum-tertium. *Ut Miſſi noſtri Scabineos, Advocatos, Notarios, per ſingula loca eligant, & eorum nomina, quando reverſi fuerint, ſecum ſcripta deferant.* Capitulum triceſimum-nonum. *De Miſſis noſtris diſcurrentibus, vel ceteris hominibus propter utilitatem noſtram iter agentibus, ut nullus manſionem contradicere eis præſumat.* In eodem quoque Capitulari ſunt alia duo Capitula, quæ leguntur in tertio Capitularium libro, ſúntque Capitula illius libri, quadrageſimum-primum, in quo Carolus *de falſis teſtibus* præcipit *ut non recipiantur*, & quadrageſimum-ſecundum, *ut nullus præſumat per vitam Regis & filiorum ejus jurare*. De utroque autem egimus Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [b] in additione, quâ Carolus Legem Longobardicam adauxit. Denique in fine ejuſdem Capitularis deſcriptum reperitur Capitulum de Charta Ingenuitatis, quod poſteà Ludovicus Pius Legi Longobardorum, Anſegiſus libro tertio Capitularium, inſeruerunt. Lege quæ dicta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum [c], & in Capitularibus conſule Capitulum quadrageſimum-tertium libri tertii.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. II. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. II.

[a] Nn. 104. 113.

[b] Nn. 86. 114.

[c] Num. 105.

XXXII. Quæ ſequuntur in eodem libro tredecim Capitula, ſumpta ſunt ex additione, quâ Carolus Legem Longobardorum auxit, & à nobis Tomo ſuperiore deſcripta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum, numeris, ſexageſimo, octogeſimo-primo, ſeptuageſimo-tertio, quinquageſimo-octavo, quinquageſimo-nono, quadrageſimo-quarto, quadrageſimo-quinto, octogeſimo, octogeſimo-ſexto, octogeſimo-ſeptimo, decimo-ſexto, centeſimo decimo-ſeptimo, & octogeſimo-ſexto. Præterea Capitulare Caroli Magni ſexdecim compoſitum Capitulis ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum retulimus. Ex illis autem Capitulis, primum, ſecundum, tertium, quartum, ſextum, ſeptimum, nonum, decimum, undecimum, decimum-tertium, & decimum-quartum, ab Anſegiſo collecta ſunt, & in tertio Capitularium libro Capitula ſunt, quadrageſimum-ſeptimum, quadrageſimum-octavum, quadrageſimum-nonum, quinquageſimum, quinquageſimum-ſecundum, quinquageſimum-tertium, quinquageſimum-quartum, quinquageſimum-quintum, quinquageſimum-ſextum, quinquageſimum-ſeptimum, & duodeſexageſimum.

XXXIII. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo Carolus Aquiſgrani Capitulare promulgavit diſtinctum in Capitula duodeviginti, quorum primum, octavum, decimum, nonum, & decimum-ſextum, apud Anſegiſum in tertio Capitularium libro Capitula ſiunt, quinquageſimum-nonum, ſexageſimum, ſexageſimum-primum, ſexageſimum-ſecundum, & ſexageſimum-tertium.

AN. CH. 827. XXXIV. Tria proxima Capitula, nempe ſexageſimum-quartum, ſexageſimum-quintum, & ſexageſimum-ſextum, tranſcripta ſunt ex prælaudata Caroli ad Legem Longobardicam additione. Conſule ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum, numeros, triceſimum-primum, triceſimum-tertium, triceſimum-quartum, & triceſimum-quintum.

XXXV. Anno Redemptoris octingenteſimo undecimo, menſe Octobri, Carolus, cùm Bononiæ eſſet, novum edidit Capitulare, illúdque undecim diſtribuit in Capitula, quæ, ſi nonum & undecimum exceperis, inſerta ſunt tertio Capitularium libro, ibique conficiunt Capitulum ſexageſimum-ſeptimum, & octo proximè ſequentia.

XXXVI. Anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo, idem Carolus Capitulare condidit in tredecim diſtinctum Capitula, quæ tertio Capitularium libro inſerta ſunt cum hoc Titulo. *Item Capitula, quæ propter juſtitias intra patriam faciendas conſtituta ſunt.* Hujus igitur Capitularis initium cum Capitulo ſeptuageſimo-ſexto libri tertii convenit, finiſque clauditur cum duodenonageſimo. Solum in antiquis editionibus ſupereſt undenonageſimum, ſic. *Conſtituimus, ut ſi in hoſte, aut infra Regnum noſtrum, litigatio aut ſcandalum inter quaſcunque perſonas, videlicet majores & minores, ortum fuerit, quod frequenter inſidiante diabolo contingere ſolet, ut ibi fideles Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtri, ob reſiſtendam impietatis malitiam, armati veniant, id eſt, qui poteſt habere, cum lorica & ſcuto, ancipite atque fuſte. Et ſi aliquis quælibet perſona adverſus eum quamlibet querelam habere voluerit, liceat ei ſecundum Legis ordinem cum ſacramento quod poſuimus, manu propriâ ſingulâ ſe idoneum facere, ut propter quodlibet negotium aut odium ibi non adveniſſet, niſi ob concordiam & pacem ferendam, & ipſam litigationem mitigandam. Et ſi quiſlibet renuerit venire, & ſemetipſum idoneum facere nequiverit, cum ſupradicto jam ſacramento bannum noſtrum componat, & ad partem noſtram perſolvat.* An hoc Capitulum ab Anſegiſo collectum ſit, in dubium certè vocari poteſt, illud enim Stephanus Baluzius, qui Codices undeviginti conſuluit, in ſolo Bellovacenſi reperit, nec eodem tempore quo ſuperiora, nec eodem ſcriptum atramento, ita ut additamenti ſuſpicio non deſit. Idem Capitulum in editione Baluziana duo præcedunt, unum, *de homicidiis infra patriam factis*, alterum *de menſuris & ponderibus*. Ambo deſiderantur in aliis editionibus, ratióque reddi poteſt, quia in ceteris Capitularium editionibus Capitula primi libri conſtituunt ſexageſimum-ſeptimum & ſeptuageſimum-quartum, ſumpta ſunt enim ex Hariſtallienſi Capitulari, quod initium libris Capitularium fecit apud Anſegiſum, & à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum Tomo ſuperiore deſcriptum fuit.

XXXVII. Præfatio in quartum Capitularium librum talis eſt in veteribus editionibus. *Quia ſuprà in duobus Eccleſiaſtica, quæ præfati Principes, Dominus Imperator Karolus, & Piiſſimus Ludovicus Auguſtus, necnon & Lotharius Cæſar filius ipſius, edidere Capitula, deſcripſi libellis; in tertio verò ad mundanam pertinentia Legem, quæ Dominus Karolus Imperator fecit, congeſſi; nunc jam in quarto illa ad mundanæ augmentum Legis pertinentia, quæ Præclariſſimus Dominus Ludovicus Auguſtus & Lotharius Cæſar fecerunt Capitula, adunavi libello.* In editione Baluziana nomen Lotharii ſic expungitur. *Quia ſuprà in duobus Eccleſiaſtica, quæ præfati Principes, Dominus Imperator Karolus & Piiſſimus Hludowicus Auguſtus ediderunt Capitula, deſcripſi libellis; in tertio verò ad mundanam pertinentia Legem, quæ Dominus Karolus Imperator fecit, congeſſi; nunc jam in quarto illa ad mundanæ augmentum Legis pertinentia, quæ Præclariſſimus Dominus Hludowicus Auguſtus fecit Capitula, adunavi libello.* Cur nomen Lotharii retinendum cenſeamus, diximus alibi.

XXXVIII. Quartus Capitularium liber Capitulis conſtat ſeptuaginta-quinque, quibus in editione Baluziana duo ſuperadduntur, ſed inanis prorſus eſt hæc additio, quia Capitulum ſeptuageſimum-ſextum idem eſt cum viceſimo-

Digitized by Google

quinto, & ſeptuageſimum-ſeptimum idem cum viceſimo-quarto. Totum hunc librum ſuprà deſcripſimus, partim anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo [a], partim anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-primo [b]. AN. CH. 827.

[a] Nn. 33. & ſeqq. 79. & ſeqq.

[b] Nn. 46. & ſeqq.

Apud Anſegiſum quatuor libros Capitularium tres ſequuntur Appendices. Primæ Titulus hic eſt. *Appendix prima. Capitula Domni Karoli Imperatoris Eccleſiaſtica, quæ ideo ſupraſcriptis non conjunxi Capitulis, quia alia ex iſtis quaſi causâ memoriæ ſcripta fuerant, & non videntur plenum explere ſenſum, alia ſunt geminata, cum aliis videlicet mixta Capitulis, alia penitus finita atque ad perfectionem perducta.* XXXIX. CUM TRIBUS APPENDICIBUS.

Hæc Appendix in veteribus editionibus conſtat Capitulis triginta-tribus, in Baluziana triginta-quinque. Huic enim editioni inſerta ſunt triceſimum-tertium & triceſimum-quartum, quæ deſiderantur in aliis. Decem Capitula recitavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum [c]; alia ſeptemdecim Tomo ſuperiore ad annum Redemptoris octingenteſimum ſecundum [d]; item Capitulum duodetriceſimum ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium [e]. Sequuntur Capitula; viceſimum-nonum, *de Eccleſiis non benè conſtructis*; & triceſimum, *de judicio pœnitentiæ, ad interrogandum relinquimus, per quem pœnitentialem vel qualiter judicentur pœnitentes, & de inceſtibus, quibus liceat injungere quibus non.* Proxima Capitula, triceſimum-primum & triceſimum-ſecundum deſcripſimus ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum [f]. Quod in veteribus editionibus ultimum ſupereſt Capitulum, ſumitur ex Aquiſgranenſi Capitulari, quod à Carolo promulgatum eſt anno Redemptoris octingenteſimo nono. Huic autem Capitulo Baluzius duo præponit; unum de Monachis & Virginibus, ut propoſitum ſuum obſervent; alterum de mangonibus, cogcionibus & nudis cum ferro, ut vagari non ampliùs ſinantur. Utrumque Tomo ſuperiori ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [g] ex Aquiſgranenſi Capitulari [h] retulimus. XL.

[c] Nn. 51. 53. 56. 57. 80.

[d] Num. 44.

[e] Num. 59.

[f] Nn. 82. 83.

[g] Nn. 61. 89.

[h] Capp. 52-79.

Appendix ſecunda hoc apud Anſegiſum inſignitur Titulo. *Incipiunt iterum Capitula Domni Karoli Imperatoris mundana, quæ ſupraſcriptam videntur habere cauſam.* In veteribus editionibus conſtat Capitulis ſex & triginta, duodequadraginta in Baluziana. Huic enim editioni adjecta ſunt duo Capitula, decimum-ſextum de perjuriis, & ultimum de furtis, injuſtis connubiis, ac falſis teſtimoniis. Inanis autem videtur horum Capitulorum additio, quoniam unum convenit cum decimo libri tertii Capitularium, alterum cum duodeſeptuageſimo libri primi. Numeros igitur antiquarum ſequemur editionum. XLI.

Primum Capitulum deſcripſimus ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum [i]; Capitulum ſecundum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſecundum [k]; Capitulum tertium ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium [l]; Capitulum quartum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-primum [m]. Quæ proximè ſequuntur undecim Capitula, deſcripta ſunt ex Capitulari, quod in Capitula novem ac viginti diſtributum Stephanus Baluzius ad annum Redemptoris octingenteſimum tertium publicavit. Appendicem, de qua nunc agimus, cum illo Capitulari conferemus. XLII.

[i] Num. 84.

[k] Num. 51.

[l] Num. 21.

[m] Num. 54.

Quintum Appendicis Capitulum idem eſt cum ſeptimo Capitularis. *Ut baugæ & bruniæ non dentur negotiatoribus.* Carolus in Capitulari Hariſtalienſi [n] & in Additione [o] ad Legem Longobardicam vetuit ne bruniæ venderentur exteris. Bruniam, loricam; baugam arcum interpretare cum Lindenbrogio. XLIII.

[n] An. 779. n. 22.

[o] An. 781. n. 107.

Sextum Appendicis Capitulum idem eſt cum octavo Capitularis, & à nobis Tomo ſuperiore deſcriptum fuit [p] in Additione, quâ Carolus Legem Longobardicam adauxit. XLIV.

[p] An. 781. n. 112.

Septimum Appendicis Capitulum idem eſt cum nono Capitularis. *Ut non mittantur teſtimonia ſuper veſtituram Domni Pippini Regis.* Is eſt Pippinus XLV.

AN. CH. 827. Longobardiæ Rex, Caroli Magni filius, cujus obitus anno Redemptoris octingenteſimo decimo contigit.

XLVI. Octavum Appendicis Capitulum idem eſt cum decimo-tertio Capitularis, habetúrque in Additione [a] ad Legem Longobardicam jam laudata deſcriptâque Tomo ſuperiore.

[a] An. 781. n. 71.

XLVII. Nonum Appendicis Capitulum idem eſt cum viceſimo-quinto Capitularis. *Ut Miſſi noſtri, qui jam breves detulerunt de annuntiatione, volumus ut adhuc adducant de opere.*

XLVIII. Decimum Appendicis Capitulum inſcribitur *de mora Miſſorum Dominicorum in locis ſuæ Legationis*, idemque eſt cum viceſimo-ſexto Capitularis, *quantam moram faciant in unoquoque loco, & quot homines ſecum habeant.*

XLIX. Undecimum Appendicis Capitulum idem eſt cum viceſimo-ſeptimo Capitularis, *de prudentia & conſtantia Miſſorum.*

L. Duodecimum Appendicis Capitulum idem eſt cum duodetriceſimo Capitularis. *De falſis monetariis requirendum eſt.*

LI. Decimum-tertium Appendicis Capitulum idem eſt cum viceſimo-tertio Capitularis, *de illis Saxonibus qui uxores non habent.* Utrobique non tam Capitulum quàm titulus eſt Capituli.

LII. Decimum-quartum Appendicis Capitulum idem eſt cum viceſimo-quarto Capitularis, *de ſignatis, qui mentiendo vadunt*, id eſt, de mangonibus & coggionibus qui ſine lege vagabundi vadunt, ut Tomo ſuperiore dictum eſt ex Aquiſgranenſi Capitulari [b] ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum [c].

[b] Cap. 79.
[c] Num. 89.

LIII. Decimum-quintum Appendicis Capitulum idem eſt cum undetriceſimo Capitularis. *Si aliæ res fortuitò non præoccupaverint,* VIII *Kalendas Julias, id eſt, Miſſâ Sancti Johannis Baptiſtæ, ad Moguntiam ſive Cabillonem generale Placitum noſtrum habere volumus.*

LIV. Anno Redemptoris octingenteſimo nono conditum eſt Aquiſgranenſe Capitulare, quod in Capitula ſeptem ac triginta diſtribuitur. Ex illis Capitulis Anſegiſus decem collegit, nempe triceſimum-quartum, ſecundum, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, triceſimum-quintum, triceſimum-ſextum, & triceſimum-ſeptimum, eáque decem Capitula in Appendice, de qua loquimur, voluit eſſe decimum-ſextum novémque proximè ſequentia.

LV. In eadem Appendice Capitula, viceſimum-ſextum, ſexque ſubſequentia, ſimillima ſunt Capitulis, ſecundo, tertio, undecimo, quatuórque proximis, quæ pertinent ad aliud Aquiſgranenſe Capitulare publicatum anno Redemptoris octingenteſimo decimo.

LVI. Sequuntur in Appendice duo Capitula, quæ nec adhuc memoravimus, nec unde ſint ſumpta, potuimus deprehendere. Triceſimum-tertium. *Si aliquis Saxo hominem comprehenderit abſque furto aut abſque ſua propria aliqua re, dicens quòd illi habeat damnum factum, & hoc contendere voluerit in judicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat. Si verò hoc noluerit, cum ſuis juratoribus ipſe liber homo ſe idoniare faciat. Et ſi ſervum cujuſlibet abſque aliqua comprobatione comprehenderit, ipſe ſervus aut ad aquam ferventem aut ad aliud judicium ſe idoniare faciat.* Triceſimum-quartum. *Si aliquis Saxo caballos in ſua meſſe invenerit, & ipſos caballos inde ducere pro ſuo damno ad comprobandum voluerit, ſi quis liber homo ei hoc contradixerit, aut aliquod malum pro hoc ei fecerit, triplâ compoſitione ſecundùm legem & ſecundum ewam contra eum emendare ſtudeat, & inſuper bannum Dominicum ſolvat, & manum perdat pro eo quòd inobediens fuit contra Præceptum Domni Imperatoris, quod ipſe pro pace ſtatuere juſſit. Si ſervus hoc fecerit, ſecundùm ſuam legem omnia in triplum reſtituat, & diſciplinæ corporali ſubjaceat.*

LVII. Quæ duo ſuperſunt ejuſdem Appendicis Capitula, ſunt eadem cum nono & undecimo Capitularis Bononienſis, de quo locuti ſumus ad annum Redemptoris octingenteſimum undecimum [d].

[d] Nn. 67. & ſeqq.

Appendix

Appendix tertia in editione Baluziana ut & in ceteris Titulum hunc præfert. *Item Capitula Principum Præclariſſimorum Eccleſiaſtica ſimul & mundana Domni Hludowici Auguſti & Hlotharii Cæſaris, quæ ſupraſcriptam videntur habere rationem.* Cúmque in hoc Titulo nomen Lotharii ſervetur, haud capimus cur ex aliis abradendum quis cenſeat. Conſtat hæc Appendix decem Capitulis, quæ privatas tantùm cauſas attingunt, & à nobis breviter recitabuntur, ne quid intactum relinquamus ex Anſegiſi Collectione. AN. CH. 827. LVIII.

I. Benedictus de ſua reclamatione in perpetuum ſileat. LIX.

II. De manſo, quem Gehirfredus Epiſcopus à Liutrico Comite requirit, ut ſi Miſſi noſtri invenerint eum juſtitiam habere, non permittant Liutricum per veſtituram Domni Karoli juſtitiam ejus impedire. Hic Gehirfredus Epiſcopus non alius nobis videtur à Gerfrido Mimigardevordenſi Epiſcopo, qui ſedere cœpit anno Redemptoris octingenteſimo nono, geſsítque Pontificatum annis triginta. LX.

III. De foreſte, quam Autharius Comes habere vult, ubi ea priùs non fuiſſe dicitur, volumus ut Miſſi noſtri rei veritatem inquirant, & juxta quod juſtum invenerint, ex noſtra auctoritate definiant. Lege in quarto Capitularium libro Capitulum ſexageſimum-quintum, quod *de foreſtibus Dominicis* inſcribitur. LXI.

IIII. De cauſa Rothmundi Comitis, ut ei liceat hîc in Palatio ſacramentum ſuum jurare, quia propter noſtrum ſervitium ſibi conſtitutum Placitum intra patriam obſervare non licuit. LXII.

V. De duabus fœminis quæ indiculos attulerunt, interrogandi ſunt Heiminus & Manoaldus, utrùm Eccleſiaſticæ, an fiſcales fuiſſent. LXIII.

VI. Odo Buticularius de foreſte ſua interrogandus eſt. Lege iterum in quarto Capitularium libro Capitulum ſexageſimum-quintum *de foreſtibus Dominicis*, in quo Ludovicus & Lotharius Auguſti decernunt, ut Miſſi Dominici Comitibus denuntient, ne ullam foreſtem inſtituant, & ubi noviter inſtitutas ſine Regia juſſione invenerint, eas dimittere præcipiant. LXIV.

VII. De rebus, quas Marchio tradidit filio Boſonis vel aliis hominibus, volumus ut hi, quibus traditæ fuerunt, veſtituram ſuam accipiant, & inſuper confirmationem. LXV.

VIII. De rebus, quas quædam fœmina Hildegarda Reginæ tradidit, & portionem, quam ſibi reſervavit, injuſtè amiſiſſe dicitur, volumus ut Charta traditionis quæratur & inſpiciatur; & tunc, quid illa habere debeat, definiatur. Hæc Hildegardis Ludovici Pii mater, avia Lotharii Auguſti fuit; in uxorem à Carolo Magno ducta eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-tertio, vitámque clauſit decimo pòſt anno. LXVI.

VIIII. Querelam, quam Heliſachar & Heiminus contra Maginarium habent, volumus ut Miſſi noſtri ſecundùm juſtitiam & æquitatem definiant. LXVII.

X. De querela Hildebrandi Comitis, quòd pagenſes ejus paravreda dare recuſant, volumus ut hoc Miſſi noſtri ab his hominibus, qui in eodem Comitatu manent, & ea dare non debent, necnon & à vicinis Comitibus inquirant, & ſi invenirent quòd ipſi ea dandi debitores ſunt, ex noſtra juſſione dare præcipiant. Paravreda curſales equos interpretare, quales in viis publicis per ſtationes ad nuntios celeriùs deferendos ponuntur. In hoc Capitulo qui memoratur Hildebrandus Comes, is hoc anno directus eſt ad motus Hiſpanicæ Marcæ componendos, ut dicemus infrà. LXVIII.

Dervum in Diœceſi Catalaunenſi celebre ſub Mereveadis Regibus Monaſterium, cùm ad Canonicum deflexiſſet ordinem, rurſum Monaſticen hoc anno ſuſcepit. Utriuſque mutationis mentio fit in Diplomate, quod à Ludovico & Lothario Auguſtis datum ſic legitur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus & Hlotharius divinâ ordinante Providentiâ Imperatores Auguſti. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſuperni muneris donum nobis à Domino impertiri credimus. Idcircò notum eſſe volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præ-* LXIX. DERVENSIBUS CANONICIS SUBSTITUUNTUR MONACHI.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

ſentibus ſcilicet & futuris, quia adiens Serenitatem Culminis noſtri Vir Religioſus Haato Abba ex Monaſterio, quod vocatur Puteolus, quod eſt in Dervo conſtructum in honore Beatorum Petri & Pauli, ſuggeſſit manſuetudini noſtræ, eò quòd prædictum Monaſterium, ubi ille Dei cultor Abba præeſt, aptum eſſet ad Monaſterium regulare, quia non ſolùm idem locus, ubi præfatum Monaſterium fundatum eſt, verùm etiam & omnes adjacentias congruas haberet ſervis Dei Monaſticam vitam degere volentibus. Nam & Privilegia, qualiter ipſum Monaſterium ad Monaſticum Ordinem perficiendum fundatum eſſet, & Præcepta Regalia nobis oſtendit, ubi liquidò apparuit, quod antiquitus Regulare Monaſterium fuiſſet. Nos verò hanc rem diligentiùs ſcire volentes juſſimus Venerabilem Virum Hebonem Remenſem Archiepiſcopum & aliquos ex ſuffraganeis ſuis ad prædictum locum ire, & diligenter intueri, non ſolùm ſi ipſe locus aptus eſſet ad Monaſticum Ordinem obſervandum, verùm & utrùm Clerici ibi degentes Monaſticè vellent vivere an non. Illi verò noſtris juſſionibus obtemperantes, ſicut nobis prædictus Hebo Archiepiſcopus renuntiavit, & aptum locum invenerunt ad normam Regularem cuſtodiendam, & Clericos ibi degentes ſponte vitam Monaſticam, ſicut illis profeſſi ſunt, ſuſcipere & perpetuò obſervare velle. Sed ut prædictus Ordo Monaſticus in eodem loco noſtris & futuris temporibus ad noſtram ſucceſſorúmque noſtrorum perpetuam eleemoſynam dignè obſervaretur, & Monachi per tempora degentes ſecundùm Regulam Sancti Benedicti vitam degerent, prædictus Haato Abba precibus, quibus valuit, rogavit ut noſtrum confirmationis Præceptum idem Monaſterium habere mereretur, ſicut cetera Monaſteria Monachorum in Regno, Deo propitio, noſtro habere noſcuntur. Cujus petitionem juſtam & rationabilem judicantes, per hos Imperiales apices noſtros præcipimus atque jubemus, ut abhinc in futurum prædictum Monaſterium ſub Monaſtico Ordine perſiſtat, & Monachi ibi degentes ſub Regula Sancti Benedicti, Domino ſibi adjuvante, perenniter vitam ducant Monaſticam. Et quandoquidem divinâ vocatione prædictus Abba ab hoc ſeculo migraverit, quandiu ipſi Monachi inter ſe talem eligere potuerint, qui illis ſecundùm Regulam præeſſe & prodeſſe poſſit, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbates, qualiter Monachi per tempora ibi degentes, pro nobis, conjugibus, ac liberis noſtris, ſeu totius Regni noſtri ſtabilitate, Domini miſericordiam indeſinenter exorare delectentur. Et ut hæc noſtræ auctoritatis Præceptio ac confirmatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Hludowici Glorioſiſſimi Imperatoris. Signum Hlotharii Sereniſſimi Auguſti. Durandus Diaconus ad vicem Fredugiſi recognovit. Data II *Idus Februarii, anno, Chriſto propitio,* XIV *Imperii Domini Hludowici Piiſſimi Auguſti, & Hlotharii* X. *Indict.* V. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Per menſem Februarium cum anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo conveniunt Indictio decima & annus Ludovici Auguſti decimus-quartus, initium Imperii Ludoviciani ſeu repetas à die quo Ludovicus in conſortium Imperatoriæ Dignitatis à patre Carolo vocatus eſt, ſeu ducas à die quo Carolus pater obiit. Quod ad Imperium Lotharianum attinet, ei duplicem aſſignamus epocham, unam ſumimus ab Aquiſgranenſi Conventu, in quo Lotharius Imperatorii Nominis particeps à Ludovico patre factus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, alteram à Paſchali Solemnitate in qua Romæ à Summo Pontifice coronatus eſt Imperator anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio. Stephanus Baluzius utramque breviter in notis ad Diploma proximè recitatum ſic attingit. *De annis Lotharii, quomodo computentur, non conveniunt inter ſe variæ ejus Diplomata, quæ in manus meas venerunt. In quibuſdam enim exordium Imperii ejus conſtituitur in anno* DCCCXVII, *in aliis quinquennio tardiùs.* At cur anni decimi loco quintum reponat, haud capimus. Anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo Conventus Aquiſgranenſis, in quo Ludovicus Lotharium in conſortium Imperatoriæ Dignitatis adſcivit, celebratus eſt *in ipſa æſtate*, ut Chronographus Moiſſia-

censis testatur. Ergo secundùm hanc epocham Lotharius annum Imperii sui decimum agebat per mensem Februarium anni post Christum natum octingentesimi vicesimi-septimi, cui certè quintus annus posterioris epochæ non ita convenit. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio Lotharius *in ipso Paschali die*, ut Annalista Laureshamensis loquitur, id est, Nonis Aprilibus, à Paschale Papa Romæ coronatus est Imperator. Ergo secundùm posteriorem hanc epocham per mensem Februarium anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo non quintum sed quartum Imperii sui annum numerabat. Ideóque in Diplomate suprà descripto annum Imperii Lothariani decimum, qui cusus exhibetur, constanter serva. AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

LXX. PIPPINUS PRÆCEPTUM DAT PRO MON. S. MAXENTII.

Pippinus Aquitaniæ Rex, *in Cassanegili Palatio*, pro Cœnobio Sancti Maxentii, Præceptum, cujus autographum Joannes Bellyus à se visum testatur, hoc emisit anno, nempe III *Idus Januarii, anno* XIIII *Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti, &* XIII *Regni nostri*, sive ipsius Pippini Regis. Idem Pippinus paulò pòst, ut limites Regni tueretur, in Hispaniam cum copiis à Ludovico patre directus est. A motibus Hispanicis Annalista Laureshamensis res hoc anno gestas sic orditur. *Imperator Helisachar Presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildebrandum atque Donatum Comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit. Ante quorum adventum Aizo Saracenorum auxilio fretus, multa ejusdem limitis Custodibus adversa intulit, eósque assiduis incursionibus adeò fatigavit, ut quidam illorum relictis, quæ tueri debebant, castellis recederent. Defecit ad eum filius Beronis, nomine Willemundus, & alii complures novarum rerum gentilitiâ levitate cupidi, junctique Saracenis Ceritaniam & Vallensem rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cúmque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helisachar Abbas cum aliis ab Imperatore missis multa & propriâ industriâ & sociorum consilio prudenter administraret, Bernhardus quoque Barcinonæ Comes Aizonis insidiis, & eorum qui ad eum defecerant calliditati ac fraudulentis machinationibus pertinacissimè resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à Rege Saracenorum Abdirachman ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nunciatur. Super quem Abumarvan Regis propinquus Dux constitutus, ex persuasione Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imperator filium suum Pipinum Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens Regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni Ducum desidiâ, quos Francorum exercitui præfecerat, tardiùs quam rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad Marcam venisset exercitus. Quæ tarditas in tantùm noxia fuit, ut Abumarvan, vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris, villísque incensis, cunctis etiam quæ extra urbes invenerat direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet, priusquàm à nostro exercitu vel videri potuisset. Hujus cladis præsagia credita sunt visa multoties in cælo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Imperator autem duobus Conventibus habitis, uno apud Noviomagum propter falsas Horici filii Godefridi Regis Dahorum pollicitationes, quibus se illò ad Imperatoris præsentiam venturum promiserat, altero apud Compendium, in quo & annualia dona suscepit, & iis, qui ad Marcam Hispanicam mittendi erant, quid vel qualiter agere deberent imperavit. Ipse inter Compendium & Carisiacum, ceteráque iis vicina Palatia usque ad hyberni temporis initium conversatus est.* Huc usque Laureshamensis Annalista, cui consentanea scribit Astronomus in vita Ludovici.

PROFICISCITUR IN HISPANIAM CONTRA SARACENOS.

LUDOVICUS AUG. DUOS CELEBRAT CONVENTUS.

LXXI. SUSCIPIT LEGATOS MICHAELIS IMP.

Legati Imperatoris Michaelis, ut idem Annalista testatur, *de Constantinopoli quasi propter fœdus confirmandum missi Septembri mense Compendium venerunt. Quos Imperator benignè receptos ibi audivit & absolvit.* Qua de Legatione sic & Astronomus. *Legati Imperatoris Michaelis eodem anno mense Septembrio Compendium venerunt, munera attulerunt, nobiliter suscepti, opulentissimè curati, liberaliter munerati, & prosperè sunt regressi.* In horum Legatorum numero fuit Oeconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Hilduinus enim San-

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. II. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

Dionysianus Abbas in suo ad Ludovicum Imperatorem rescripto, quod inter Areopagetica reperitur [a], de libris Sancti Dionysii sic scribit. *Authenticos eosdem libros Græcâ linguâ conscriptos, quando Oeconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ & ceteri Missi Michaelis Legatione publicâ ad vestram Gloriam Compendio functi sunt, in ipsa vigilia solennitatis Sancti Dionysii pro munere magno suscepimus. Quod donum devotioni nostræ, ac si cælitus allatum, adeò divina gratia est prosecuta, ut in eadem nocte decem & novem nominatissimæ virtutes in ægrorum sanatione variarum infirmitatum, ex notissimis & vicinitati nostræ personis contiguis, ad laudem & gloriam sui nominis, orationibus & meritis excellentissimi sui martyris Christus Dominus sit operari dignatus.* Inter Legatos, quos ante triennium Michael ad Ludovicum direxit, nominatur in ejusdem Michaelis Augusti literis Theodorus Diaconus & Oeconomus Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ. Quapropter Baronius præcitatum Hilduini textum de Theodoro illo interpretatur, refertque ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum - quartum. Sed illo anno Ludovicus Rotomagi non Compendii Legatos Michaelis audivit, atque longè post Natalitia Sancti Dionysii, confecto enim bello Britannico, sive, ut Annalista Laureshamensis loquitur [b], *acceptis, quos perfido Brittonum populo imperaverat, obsidibus, Rotomagum civitatem, ubi conjugem se operiri jusserat, ad* XV (vel, ut Codex Armaniacus habet, *ad* XII) *Cal. Decemb. reversus est. Nam & illuc Legatos Michaelis Imperatoris sibi occurrere jussit.* Satius est igitur Hilduini textum in hunc annum rejicere, qui numeratur post Christum natum octingentesimus vicesimus-septimus. Super eodem textu duæ nostrâ ætate ab eruditissimis viris motæ sunt quæstiones. Prima, utrùm Dionysius Areopagita fuerit Auctor librorum, de quibus scribit Hilduinus. Altera, utrùm idem Dionysius Areopagita primus Parisiorum fuerit Episcopus, qui Patronus colitur Monasterii in Parisiensi territorio celeberrimi. De utraque commodior inferiùs occurret differendi locus.

[a] Ap. Sur. d. 9. Oct.

[b] Ad an. 824.

LXXII. HERIHOLTUS REX E DANIA PELLITUR.

Hoc anno, teste Annalistâ Laureshamensi, *Reges Danorum, filii scilicet Godefridi, Heriholtum de consortio Regni ejicientes, Nordmannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclavos in Pannonia sedentes, misso per Dravum navali exercitu, ferro & igne vastaverunt, & expulsis eorum Ducibus Bulgaricos super eos Rectores constituerunt.* Heriholtus auctum expertus est odium Danorum, quia Christianam Religionem profiteri cœperat. Id fore prævideratat Imperator, ideóque Comitatum Rustrorum illi dederat in Frisia, quò se reciperet, si pelleretur è Dania.

LXXIII. EUGENIO II. PP. SUCCEDIT VALENTINUS, TUM GREGORIUS IV.

Eugenius Papa, ut idem Annalista subjungit, *mense Augusto decessit. In cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus & ordinatus vix unum mensem in Pontificatu complevit. Quo defuncto, Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus, sed non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi qualis esset examinaret.* Adstipulatur Astronomus, sic. *Eodem anno, mense Augusto, Eugenius Papa diem ultimum clausit. Valentinus Diaconus loco ejus successit. Quo vix uno mense superstite, loco illius Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus est, dilatâ consecratione ejus usque ad consultum Imperatoris. Quo annuente, & electionem Cleri & populi probante, ordinatus est in loco prioris.* Quamvis hæc extra Franciam gesta fuerint, Roma enim ex Ludovici Pii munificentia in ditione Romani Pontificis ab annis erat decem, non debuerunt tamen à nobis omitti, quia palàm ostendunt consecrationem Gregorii dilatam fuisse *usque ad consultum Imperatoris*, seu donec *Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi qualis esset examinaret*, quod Urbis Ecclesiæque Defensori ac Protectori datum arbitrare, ut insinuatum jam ante triennium. Philippus Labbeus nono seculo Æræ Christianæ notat, Gregorium electum fuisse Pontificem hoc anno, octavo Kalendas Octobris, consecratúmque anno sequenti, septimo Kalendas Februarii.

LXXIV. In Annalibus Laureshamensibus res hoc anno gestæ sic clauduntur. *Corpora beatissimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma sublata, & Octobri mense*

Digitized by Google

in Franciam tranſlata, ibi multis ſignis atque virtutibus clarificata ſunt. Et apud Aſtronomum, ſic. *Heinardus virorum ſui temporis prudentiſſimus, ſanctæ devotionis ardore incitatus, Romam miſit, & corpora Sanctorum Marcellini & Petri, annuente Papâ in Franciam fecit tranſvehi, & valdè decenter in proprio territorio propriiſque ſumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi multa virtutum Miracula operatur Dominus.* Hic Heinardus ſive Einardus vel Ainardus non alius eſt ab Einhardo ſive Eginhardo, qui vitam Caroli Magni librósque quatuor de tranſlatione Sanctorum Marcellini & Petri conſcripſit. Extant hi libri à Laurentio Surio [a] publicati.

AN. CH. 827. TRNSLATIO SS. MARCELLINI, PETRI, TIBURCII, MARTHÆ, AUDIFACIS ET HABACUC.

[a] D. 2. Jun.

Primum ſic exorſus eſt Eginhardus. *Cùm adhuc in Palatio poſitus, ac negotiis ſecularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimodâ cogitatione meditarer, quendam locum ſecretum atque à populari frequentia valdè remotum nactus, atque illius, cui tunc militaveram, Principis Ludovici liberalitate conſecutus ſum. Is locus eſt in ſaltu Germaniæ, qui inter Neccarum & Mœnum fluvios medius interjacet, ac moderno tempore ab incolis & circummanentibus Odanwald appellatur. In quo, cùm pro modo facultatum ac ſumptuum non ſolùm domos & habitacula ad manendum, verùm etiam Baſilicam divinis officiis congruentem, non indecori operis adificaſſem, dubitare cœpi, in cujus potiſſimùm Sancti vel Martyris nomine atque honore dedicari deberet. Cúmque in hac animi fluctuatione plurimùm temporis eſſet evolutum, contigit ut quidam Diaconus Romanæ Eccleſiæ, nomine Deuſdona, pro ſuis neceſſitatibus Regis opem imploraturus ad Palatium veniret, ibíque aliquandiu moratus, cùm peracto, propter quod venerat, negotio, Romam redire pararet, quadam die humanitatis causâ velut peregrinus ad prandium noſtræ parvitatis à nobis eſt invitatus, ibíque inter prandendum plura locuti, eò uſque ſermocinando pervenimus, ut de Tranſlatione corporis beati Sebaſtiani, quæ nuper Româ Sueſſionem facta fuerat, ac neglectis Martyrum ſepulchris, quorum Romæ ingens copia eſt, mentio fieret. Inde ad Dedicationem novæ Baſilicæ noſtræ ſermone converſo, percontari cœpi, quonam modo ad id pervenire poſſem, ut aliquid de veris Sanctorum Reliquiis, qui Romæ requieſcunt, mihi adipiſci contingeret. Hic ille primò quidem hæſitavit, & qualiter id fieri poſſet, ſe neſcire reſpondit. Deinde cùm me de hac re ſollicitum ſimul & curioſum eſſe animadverteret, alterâ die ſe percontationi meæ reſponſurum eſſe promiſit. Poſt hæc cùm iterum à me fuiſſet invitatus, protinus è ſinu libellum mihi porrexit, rogans ut eum ſolus perlegerem, ſibíque de his, quæ in eo ſcripta erant, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, &, ut ille petiit, ſolus ſecretè perlegi. Continebatur in eo, eſſe ſibi domi plurimas Sanctorum Reliquias, eáſque ſe mihi dare velle, ſi meo fultus adjutorio Romam reverti potuiſſet; compertum ſibi fore, quòd duos mulos haberem, quorum ſi alterum ſibi darem, ac ſecum hominem meum fidelem mitterem, qui illas Reliquias ab illo reciperet mihíque deferret, ſtatim eas mihi eſſe miſſurum. Complacuit mihi ſuadentis conſilium, ſtatuíque fidem ſponſionis incertæ celeriter experiri, ac proinde dato quod petebat jumento, additâ propter viaticum pecuniâ Notarium meum, nomine Rathleicum, quia & ipſe orandi causâ Romam eundi votum habebat, cum eo pergere juſſi.*

LXXV.

Igitur de Aquiſgrani Palatio profecti, nam ibi eo tempore Imperator cum ſuo comitatu erat, utpote qui teſte Annaliſtâ Laureshamenſi hyemem Aquiſgrani tranſegit, *Auguſtam Sueſſorum venerunt, ibíque cum Hildoino Abbate in Monaſterio Sancti Medardi locuti ſunt, quia memoratus Diaconus ei pollicitus eſt ſe efficere poſſe, ut corpus beati Tiburtii Martyris in ejus veniret poteſtatem. Quibus ille promiſſionibus illectus, miſit cum eis quendam Presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, jubens ut acceptum ab eo memorati Martyris corpus deferret. Inde iter ingreſſi Romam quantâ potuerunt celeritate perrexerunt. Contigit autem poſtquam Italiam intraverunt, ut puer Notarii mei, nomine Reginbaldus, tertianâ febre correptus, non modicum profectioni eorum ſuis laboribus faceret impedimentum, quoniam his horis, quibus ille febrium æſtibus tenebatur, iter agere non potuerunt. Erant enim pauci, ac per hoc ab invicem ſeparari nolebant. Cúmque hoc incom-*

LXXVI.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PPEIINI R. 13. LUDOV. R. 11.

modo iter illorum non mediocriter fuiſſet retardatum, illi tamen prout poterant illud accelerare contenderent, tribus diebus priuſquàm ad Urbem venirent, apparuit in viſu illi febricitanti quidam homo in habitu Diaconi, perquirens ab eo, quam ob rem dominus ſuus Romam ire feſtinaret? Cui cùm ille & promiſſa Diaconi de Reliquiis Sanctorum mihi mittendis, & de his quæ Hildoino Abbati pollicitus eſt, prout illi comperta erant, exponeret. Non ita erit, inquit, ſed longè aliter, ac vos exiſtimatis, cauſarum, propter quas veniſtis, exitus adimplebitur. Nam Diaconus iſte, qui vos Romam venire rogavit, aut parum aut nihil de his, quæ vobis promiſit, facturus eſt, ac proinde volo ſequaris me, atque ea, quæ tibi oſtenſurus atque dicturus ſum, mente ſollicitâ cures advertere. Tunc manu comprehenſum, ut ſibi videbatur, montis præcelſi cacumen ſecum conſcendere fecit, in quo cùm ſimul poſiti conſiſterent. Convertere, inquit, ad Orientem, & ſubjectos oculis tuis campos intuere. Quod cùm feciſſet, & campos, de quibus dixerat, fuiſſet intuitus, vide in eis molis immenſæ fabricas, in modum magnæ cujuſdam civitatis extructas, & interrogatus ab eo ſi ſciret quid hoc eſſet, ſe neſcire reſpondit. Tum ille. Roma eſt, inquit, quod vides, ſtatímque addidit. Dirige oculos in ulteriora civitatis, & contemplare ſi aliqua tibi in his locis appareat Eccleſia. Cúmque ſibi quandam Eccleſiam apparere dixiſſet, vade, ait, & Ratleico nuntia, quoniam in Eccleſia, quam modo vidiſti, illa res eſt recondita, quam ille domino ſuo debet adferre, & ideo det operam, ut eam quantò celeriùs poteſt accipiat, & ad dominum ſuum revertatur. Cúmque ille diceret, quòd nemo de his, qui ſecum venerant, in hujuſmodi re fidem dictis ſuis eſſet habiturus, reſpondit & dixit. Tu noſti, quòd omnes, qui tecum hoc iter agunt, tibi conſcii ſunt, quia complures dies in febre tertiana laboraſti, & nondum te ab illis ullam habuiſſe remiſſionem. Et ille. Ita eſt, inquit, ut dicis. Quapropter, ait, volo, ut pro ſigno tibi ſit, atque his, quibus verba quæ dixi relaturus es, quoniam ex hac hora, febre, quâ uſque modò detinebaris, ſic per Dei miſericordiam cariturus es, ut te ulteriùs in hoc itinere non contingat. His dictis expergefactus omnia, quæ ſibi vidiſſe vel audiſſe videbatur, Ratleico referre curavit. Quæ cùm Ratleicus Presbytero ſecum pergenti expoſuiſſet, viſum eſt ambobus, ut experimentum ſomni ex veritate promiſſa ſanitatis approbarent. Nam eâdem die juxta qualitatem febrium, quibus laborare conſueverat, febricitare debebat is, qui ſomnium viderat. Et ut non vana illuſio, ſed potiùs vera revelatio fuiſſe oſtenderetur, neque illâ die, neque ceteris, quæ illam ſecutæ ſunt, ullum in corpore ſuo conſuetarum febrium ſenſit indicium. Sic factum eſt, ut & viſioni crederent, & fidem Diaconi promiſſis non haberent.

LXXVII. *Igitur Romam venientes, juxta Baſilicam beati Petri Apoſtoli, quæ dicitur ad Vincula, in domo ipſius, cum quo venerunt, Diaconi, hoſpitium acceperunt, manſerúntque cum eo per aliquot dies opperientes promiſſorum ejus adimpletionem. Sed ille, qui ſuas pollicitationes perficere non valebat, ipſum quod non poterat quibuſdam procraſtinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere, percontati ſunt, rogantes ſimul ne ſe diutiùs fallendo detineret, & reverſionem ſuam vanis ſpebus impediret. His ille auditis cùm cerneret ſe hujuſmodi calliditate eis jam ampliùs non poſſe imponere, primò Notarium meum certum fecit de Reliquiis mihi promiſſis, quòd eas habere non poſſet, eò quòd frater ſuus, cui & domum, & cuncta quæ habebat, inde abiens commendaverat, negotiandi gratiâ Beneventum eſſet profectus, ac ſe penitus ignorare quando eſſet reverſurus. Et quia ei Reliquias illas, ſicut & ceteram ſupellectilem ad ſervandum commiſerat, nec omnino ſe ſcire poſſe, quid de his feciſſet, quoniam eas in eadem domo nuſquam inveniſſet, proinde videret quid faceret, quia de parte ſua nihil reſtaret, quod ſperare poſſet. Poſtquàm hæc Notario meo dixit, & ille ſe ab eo illuſum ac malè ſibi impoſitum quereretur, neſcio quibus vanis ac frivolis etiam & Presbyterum Hildoini allocutus, ſpe ſimili animatum à ſe fecit abſcedere. Poſtridie verò cùm valdè triſtes videret, hortatus eſt ut ſimul cum illo ad cæmeteria Sanctorum pergerent, videri ſibi quòd in eis aliquid tale inveniri poſſet, quo eorum deſideriis ſatisfieret; nec fore ullam neceſſitatem, ut in patriam vacui reverterentur. Cúmque*

Digitized by Google

eis hoc consilium placuisset, vellentque ut quantocyùs id, quod faciendum eos hortabatur, inchoarent, more solito negotium dissimulavit, & eos, quorum animi tunc paululum erant erecti, in tantam desperationem hac dilatione dejecit, ut, omisso illo, statuerent in patriam quamvis infecto negotio reverti. Sed Notarius meus recolens somnium, quod puer suus viderat, cœpit comitem suum hortari, ut sine hospite suo irent ad cœmeteria, ad quæ visenda ille eos se ducere velle promisit. Itaque invento atque conducto duce locorumque monstratore, primò ad Basilicam beati Tiburtii Martyris in via Lavicana, tribus ab Urbe passuum millibus distante, veniunt, Martyrisque tumbam quantâ possunt diligentiâ contemplantur, & utrùm sic, ut alii non sentirent, aperiri posset, cautâ circumspectione considerant. Deinde in cryptam eidem Basilicæ contiguam, in qua beatorum Christi Martyrum Marcellini & Petri corpora erant tumulata descendunt, atque exploratâ etiam illius monumenti qualitate discedunt, æstimantes hoc factum hospitem suum posse latere. Sed aliter evenit atque arbitrati sunt. Nam licèt ipsi nescirent quibus indiciis, citò tamen ad illum hujus facti notitia pervenit, veritúsque ne sine illo voluntati suæ satisfacere debuissent, statuit consilium eorum festinando prævenire. Et quia ille eorundem locorum plenariam atque omnimodam notitiam habebat, blandè illos alloquitur, hortatúrque ut illuc simul veniant, &, si Deus votis eorum favere dignaretur, communi consilio facerent, quicquid eis videretur faciendum. Assensi sunt ejus voluntati, tempúsque id aggrediendi pari consensu constituunt.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

LXXVIII. *Tunc peracto jejunio triduano noctu ad locum nullo Romanorum civium sentiente perveniunt, ingressique Basilicam Sancti Tiburtii, primò altare illud, sub quo sacrum ejus corpus situm credebatur, aperire tentaverunt. Sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati. Nam monumentum, durissimo marmore extructum, inermes id aperire conantium manus facilè repellebat. Igitur omisso illius Martyris sepulchro, ad tumbam beatorum Marcellini & Petri descendunt, atque ibi invocato Domino nostro Jesu Christo, & adoratis Sanctis Martyribus, lapidem, quo summitas sepulchri tegebatur, de loco suo levare moliuntur. Quo sublato, vident sacratissimum Sancti Marcellini corpus in superioribus ejusdem sepulchri partibus positum, tabulámque marmoream ad caput positam, quæ titulo, quem continebat, evidens indicium dabat, cujus in eo loco Martyris membra jacuissent. Quod, ut par erat, cum summa veneratione suscipientes levant, & mundâ sindone involutum Diacono ferendum atque servandum tradunt. Ac ne ulla sublati corporis indicia remanerent, lapidem loco suo reponentes, in Urbem ad hospitia sua revertuntur. Diaconus autem corpus beatissimi Martyris, quod acceperat, juxta Basilicam beati Petri Apostoli, quæ vocatur ad Vincula, ubi & ipse domum habebat, se servare velle ac posse affirmans, fratri suo, nomine Lunisoni, ad custodiendum commisit. Arbitratúsque Notario meo hoc satisfactum esse, cœpit illum hortari, ut accepto corpore beati Marcellini rediret in patriam. Sed ille longè aliud meditabatur ac mente volvebat. Nam, ut mihi postea retulit, videbatur illi nequaquam sibi licere cum solo beati Marcellini corpore in patriam regredi, quasi nefas esset, ut corpus beati Petri Martyris, qui ei socius in passione fuerat, & per quingentos & eò amplius annos, à* temporibus videlicet Diocletiani Imperatoris, *in eodem sepulchro unà cum illo requieverat, illo inde transeunte ibi remaneret. Atque hac cogitatione mente conceptâ, tantâ animi sui perturbatione laborabat, ut nec cibum capere, nec somno acquiescere dulce sibi videretur atque jucundum, nisi Martyrum corpora, sicut in passione ac monumento conjuncta fuerant, sic etiam peregrè profectura jungerentur. Sed de hoc qualiter fieri posset, vehementer ambigebat. Noverat enim neminem à se Romanum inveniri posse, qui sibi ad hoc ullum ferret auxilium, sed ne talem quidem, cui hac animi sui secreta auderet ostendere. In hac cordis anxietate constitutus reperit quendam Monachum peregrinum, nomine Basilium, qui ante biennium de Constantinopoli Romam venerat, atque ibi in monte Palatino apud alios Græcos, qui ejusdem professionis erant, cum quatuor discipulis suis hospitium habebat. Hunc adiit, atque ei quam patiebatur sollicitudinem aperuit. Tunc consiliis ejus animatus, & orationibus fretus,*

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

tantam accepit in corde ſuo conſtantiam, ut ſtatueret rem quamvis cum periculo capitis ſui celerrimè experiri. Vocatóque ad ſe comite ſuo Hildoini Presbytero, cœpit cum eo tractare, ut iterum ad Baſilicam beati Tiburtii, ſicut priùs fecerant, clanculò pergerent, ac tumbam, quâ Martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuò molirentur. Placuit conſilium, aſſumptiſque, quos ſecum adduxerant, pueris, hoſpite eorum penitus ignorante quò irent, clàm noctu profecti ſunt. Cúmque ad locum ventum eſſet, votis pro re proſperanda ante Ædis januam factis ingrediuntur, divisíſque ſociis inter ſe, Presbyter ad corpus beati Tiburtii quærendum in ipſius Baſilica cum aliquibus remanſit. Ratleicus cum reliquis in adhærentem eidem Eccleſia cryptam ad beati Petri corpus acceſſit, apertóque ſine ulla difficultate ſepulchro ſacra Sancti Martyris membra nullo prohibente ſuſtulit, & ſerico pulvino, quem ad hoc paraverat, recepta diligenter incluſit. Interea Presbyter, qui corpus beati Tiburtii quærebat, magno labore fruſtrà conſumpto, poſtquàm ſe vidit nihil poſſe proficere, relicto opere, in cryptam ad Ratleicum deſcendit, & quid ſibi faciendum eſſet, ab eo quærere cœpit. Cui cùm ille arbitrari ſe diceret, quòd Sancti Tiburtii Reliquiæ eſſent inventæ, eíque id de quo dicebat oſtenderet. Nam paulò antequàm idem Presbyter ad eum in cryptam veniſſet, reperit in eodem ſepulchro, in quo Sanctorum Marcellini & Petri ſacra corpora jacuerunt, foramen quoddam rotundi ſchematis trium fermè pedum longitudine introrſus excavatum, pedali amplitudine patens, & in eo minuti pulveris non modicam portionem repoſitam. Viſum eſt ambobus, quòd hic pulvis de corpore beati Tiburtii, oſſibus inde ſublatis, remanere potuiſſet, & ob hoc, ut difficiliùs inveniretur, medio loco inter beatum Marcellinum & Petrum in eadem tumba fuiſſet repoſitus, convenítque inter eos, ut eum Presbyter ſumeret, & pro Reliquiis beati Tiburtii ſecum deferret. His ita tranſactis atque diſpoſitis, cum rebus quas repererunt, ad hoſpitia ſua reverſi ſunt.

LXXIX. *Poſt hæc Ratleicus cum hoſpite ſuo locutus, rogat ut ſibi ſacros beati Marcellini cineres, quos ei ad ſervandum commendaverat, reddat, séque in patriam redire volentem nullâ non neceſſariâ dilatione detineat. Cui ille non ſolùm quod repetebat ſine mora reſtituit, verùm etiam de Sanctorum Reliquiis in una ligatura collectis haud parvam portionem mihi deferendam obtulit, & requiſitus de nominibus eorum, mihi ſe illa dicturum, quando ad me veniſſet, reſpondit. Monuit tamen ut eâdem veneratione, quâ cetera Sanctorum Martyrum Reliquiæ colerentur, eò quòd non minoris apud Deum eſſent meriti quàm beati Marcellinus & Petrus, & hoc me eſſe creditурum, cùm primùm ad me nominum illorum notitia perveniſſet. Suſcepit ille munus oblatum, atque id, ut ſibi perſuaſum erat, Sanctorum Martyrum coroporibus ſociavit.* Hæc Eginhardus libro primo [a]. Per avaritiam autem Luniſonis ac fraudem Preſbyteri, quem Hildoinus Romam direxerat, nonnihil de Sancti Marcellini Reliquiis, cùm Romæ in domo Deuſdonæ ſervabantur, furto ſublatum eſſe ſic oſtendit libro ſecundo [b]. *Hoc ipſum, quod de ſacris Martyrum cineribus aliter atque debuerat accidiſſe, conſtabat Romæ in domo Deuſdonæ per avaritiam Luniſonis & vafritiam memorati Presbyteri contigiſſe, eo videlicet tempore quo corpus beati Marcellini de tumba ſua ſublatum in domo Deuſdonæ ſervabatur, modúmque facti talem fuiſſe* Ratleicus & Luniſo *dixerunt. Memoratus ille Hildoini Presbyter ſpe, quam de Sancti Tiburtii corpore adipiſcendo conceperat, fruſtratus, ne omnino vacuus ad dominum ſuum reverteretur, quod fide non poterat, fraude aſſequi molitus eſt. Nam Luniſonem aggreſſus, quia pauperem ac proinde cupidum eſſe cognoverat, oblatis ei quatuor aureis nummis quiníſque argenti ſolidis, ad proditionem faciendam illexit. Accipiens enim oblatam pecuniam, arcam, in qua corpus beati Marcellini erat, à Deuſdona depoſitum atque incluſum aperuit, & illi nequiſſimo nebuloni auferendi ex ea quod vellet, qualem ipſe optaverat poteſtatem fecit. Nec ille in ea rapina parcus fuit, nam tantùm de ſacris beati Martyris cineribus ſuſtulit, quantùm vas ſextarii menſuram habens capere poſſe videbatur.*

[a] Capp. 1. & ſeqq.

[b] Cap. 4.

LXXX. [c] Lib. 1. cc. 10. 12. Ratleicus, qui tale furtum penitus ignorabat, *inito conſilio* [c] *cum hoſpite ſuo* Deuſdona *ſacrum illum ac deſiderabilem* Reliquiarum quas habebat *theſaurum*

in

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

in ſcriniis reconditum atque ſignatum, per Luniſonem ejuſdem Deuſdonæ fratrem, *cujus ſuperiùs fecimus mentionem, necnon & Presbyterum Hildoini qui ſecum venerat, Papiam uſque deportari fecit, ipſe cum eodem hoſpite ſuo Romæ ſubſtitit, operiens atque auſcultans per continuos ſeptem dies, ſi de ſublatis Sanctorum corporibus aliquid ad notitiam civium perveniſſet. Cúmque vidiſſet nullam à quolibet extraneo de hoc facto fieri mentionem, latere illud exiſtimans, poſt eos, quos præmiſerat, ſumpto ſecum hoſpite ſuo profectus eſt. Quos cùm Ticini * apud Baſilicam beati Johannis Baptiſtæ, quæ vulgò Domnanæ vocatur, ac tunc ex beneficio Regum ad meam pertinuit poteſtatem, adventum eorum præſtolantes inveniſſent, ſtatuerunt etiam, ut & ipſi aliquot diebus ibi morarentur, & propter jumentorum, in quibus venerant, refectionem, & propter ſeipſos ad longiorem viam præparandos. In hoc morarum ſuarum articulo fama exiit Legatos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ à Pontifice ad Imperatorem directos, illò brevi eſſe venturos. Itaque veriti de adventu illorum aliquid ſibi incommodi vel etiam impedimenti accedere poſſe, ſi ſe ibi deprehenderent, decreverunt, ut quidam ex eis abeundo, adventum eorum feſtinando prævertierent, alii in loco remanerent, & re, de qua ſolliciti erant, diligenter inveſtigatâ, poſt eorumdem Legatorum abſceſſum ſocios ſuos, quos præmiſerant, ſequi properarent. Cùm ita inter eos de hac re conſtitiſſet, Deuſdona cum Presbytero Hildoini Legatos Româ venientes præceſſit, & Auguſtam Sueſſorum, ubi Hildoinum eſſe rebatur, quantâ potuit feſtinatione contendit. Ratleicus verò cum theſauro, quem ſecum habebat, Papiæ remanſit, expectans donec Legati Sedis Apoſtolicæ præterirent, ut, illis Alpes tranſgreſſis, viam ſuam ſecuriùs carpere potuiſſet. Veritus itaque ne Presbyter Hildoini, qui cum Deuſdona proceſſerat, quíque omnium, quæ apud eos geſta vel tractata fuerant, plenariam atque integram notitiam habebat, quia vafer ac lubricæ fidei videbatur, aliquid impedimenti ſibi in via, quâ ire diſpoſitum habebat, machinari debuiſſet, alterâ ſibi eundum judicavit, miſſóque ad me Procuratoris noſtri Aſcolfi puero cum literis, quibus me & de reverſione ſua, & de allatione theſauri, quem divinitus adjutus invenerat, certum efficeret, ipſe poſtquàm Romanos ex conjectura manſionum, quæ eis parabantur, Alpes ſuperaſſe putavit, Papiâ relictâ, ſextâ die ad Sanctum Mauritium venit. Ibique comparatis, quæ ad hoc neceſſaria videbantur, ſacra illa corpora loculo incluſa feretro impoſuit, atque inde promovens palàm & apertè cum adjutorio populi occurrentis portare cæpit.* Cæſar Baronius Sedis Apoſtolicæ Legationem, cujus mentio fit in hoc textu, Legationem interpretatur, quam *Leo Centumcellenſis Epiſcopus & Theophilactus Nomenclator*, ut Annaliſta Laureshamenſis ſcribit, obierunt anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, ideóque ad illum annum refert prædictam Sanctorum Marcellini & Petri Tranſlationem. Sed hæc opinio ſtare non poteſt, quia Tranſlatio, de qua loquimur, facta eſt *Octobri menſe*, Conventus autem Ingelheimienſis, in quo Ludovicus Auguſtus Leonem & Theophylactum Legatos Apoſtolicæ Sedis audivit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſexto, celebratus eſt menſe Junio. *Imperator*, inquit idem Annaliſta, *medio menſe Maio Aquiſgrano egreſſus, circa Cal. Jun. ad Ingelheim venit, habitóque ibi Conventu non modico multas & ex diverſis terrarum partibus miſſas Legationes & audivit & abſolvit. Inter quas præcipua ceteríſque præminens erat Legatio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Romanæ videlicet Eccleſiæ, quâ fungebantur Leo Centumcellenſis Epiſcopus & Theophilactus Nomenclator.* Et ne ſuſpiceris hunc Ingelheimienſem Conventum haud ſolutum fuiſſe ante adventum Legatorum, qui Româ poſt prænominatorum Martyrum Tranſlationem Octobri menſe factam egreſſi fuerint, idem Auctor res ab Imperatore geſtas illo tempore, quod à dimiſſo Conventu ad Kalendas uſque Octobres effluxit, ita complectitur. *Ceteris omnibus ritè abſolutis, ipſe*, nempe Imperator, *trans Rhenum ad villam, quæ Sels vocatur, cum comitatu ſuo profectus eſt. Ibi ad eum Legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto reſponſo ad ſua regreſſi ſunt. Ibi ad ejus notitiam perlatum eſt de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Au-*

* Ticenis

ÂN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

ſonam ingreſſus, & à populo illo, quem dolo deceperat, receptus, totam civitatem deſtraxiſſet, caſtella ejuſdem regionis, quæ firmiora videbantur, muniviſſet, miſſóque ad Abdirachman Regem Saracenorum fratre ſuo, auxilium, quod petebat, juſſu ejuſdem Regis contra noſtros accepiſſet. Sed Imperator, licèt hujus rei nuncium graviter ferret, nihil tamen inconſultè gerendum judicans, Conſiliariorum ſuorum adventum ſtatuit operiri. Tranſactáque autumnali venatione, circa Cal. Octob. per Mœnum fluvium uſque ad Franconofurt ſecundâ aquâ navigavit. De alia igitur Legatione Sedis Apoſtolicæ ſumi debet, qui ſuprà deſcriptus eſt Eginhardi textus. Legationem, de qua loquitur hic Auctor, Marcellini & Petri Martyrum antecеſſit Tranſlatio. Hæc autem Tranſlatio facta eſt menſe Octobri, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo, ad illum enim annum Annaliſta Laureshamenſis ita ſcribit. *Corpora beatiſſimorum Martyrum Marcellini & Petri de Roma ſublata, & Octobri menſe in Franciam tranſlata, ibi multis ſignis atque virtutibus clarificata ſunt.* Tres autem illo anno Romæ ſederunt Pontifices, Eugenius Secundus, Valentinus, & Gregorius Quartus, de quibus ad illum annum ſic idem Annaliſta jam allegatus. *Eugenius Papa menſe Auguſto deceſſit. In cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus & ordinatus vix unum menſem in Pontificatu complevit. Quo defuncto Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus, ſed non priùs ordinatus eſt, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi qualis eſſet examinaret.* Ex Philippo Labbeo jam notavimus Gregorium electum fuiſſe Pontificem hoc anno, octavo Kalendas Octobris, conſecratúmque anno ſequenti, ſeptimo Kalendas Februarii. Quapropter Eginhardi textum, quem examinamus, intelligendum arbitrare de Legatione, quam Gregorius Quartus Pontifex electus, necnon Clerus ac Populus Romanus ad Ludovicum Imperatorem direxerunt. Pergit autem idem Eginhardus, & iter Ratleici ſociorúmque ab oppido Sancti Mauritii ſive ab Agauno ad ſaltum uſque Germaniæ, qui vocatur Odonwald, ita deſcribit [a].

[a] L. 1. c. 12. 13.

LXXXI. *Ubi autem* Ratleicus *locum, qui Caput laci vocatur, prætergreſſus, bivium, quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attigit, dexteriorem viam ingreſſus, per Alamannorum fines uſque ad Solodorum * Burgundionum oppidum venit. Ibi obvios habuit, quos ego poſt indicium adventûs illius mihi factum, de Trajecto * ei occurrere juſſi. Nam ego tunc temporis juxta Scaldim fluvium in Monaſterio Sancti Bavonis eram, quando literæ Notarii mei per puerum Procuratoris noſtri, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, mihi redditæ ſunt, ex quarum lectione de adventu Sanctorum certior factus, illicò unum ex familiaribus noſtris Trajectum ire, ibíque Presbyteros atque alios Clericos, necnon & laicos ſecum ſumere, ac Sanctis venientibus, ubicumque primùm potuiſſet, obviam feſtinare præcepi. Et is nihil moratus, cum his quos ſecum duxerat, in loco memorato poſt paucos dies his, qui Sanctos adferebant, obviavit, junctíque ſimul comitantibus jam atque hinc inde concurrentibus hymnidicis populorum turmis, cum ingenti omnium lætitia Argentoratum urbem, quæ nunc Stratburgus appellatur, celeriter veniunt. Inde per Rhenum ſecundâ aquâ navigantes, cùm ad locum, qui Portus vocatur, veniſſent, Orientalem fluminis ripam egreſſi, quintâ manſione ad locum Michilunſtat nuncupatum cum immodica hominum in Dei laudibus exultantium multitudine perveniunt. Is locus eſt in eo ſaltu Germaniæ, qui tempore moderno Odenowald appellatur, & diſtat à Mœno flumine circiter leucas ſex. In quo cùm Baſilicam noviter à me conſtructam, ſed nondum dedicatam inveniſſent, in hanc illos ſacros cineres intulerunt, & velut ibi perpetuò permanſuros depoſuerunt. Cùmque id mihi fuiſſet allatum, confeſtim illuc quantâ potui celeritate venire feſtinavi, ubi cùm triduo poſt adventum noſtrum exacto quidam puer Ratleici, jubente eo, officio veſpertino completo, ceteris exeuntibus ſolus in Eccleſia remanſiſſet, & clauſis januis juxta illa ſacra corpora in parva ſellula quaſi vigilaturus conſediſſet, ſubitaneo ſomno depreſſus vidit quaſi duas columbas per dexteriorem abſida feneſtram volando intrare, & in culmine lecti ſuper ipſa Sanctorum corpora conſidere. Quarum altera tota alba, altera cani & albi coloris mixturâ varia videbatur. Cúmque in eodem culmi-*

* Soleure.

* Maſtrick.

ne diutiùs deambularent, & conſuetum columbis gemitum viciſſim velut colloquentes ederent, rurſus per eandem feneſtram egreſſa non comparuerunt, ſecutáque vox ſupra caput pueri ſonuit. Vade, inquit, & dic Ratleico, ut indicet domino ſuo, quia iſti Sancti Martyres nolunt, ut eorum corpora in hoc loco requieſcant, alium enim elegerunt, ad quem celeriter migrare diſpoſitum habent. Hujus vocis author ab eo videri non potuit, quâ tamen finitâ evigilavit, ſomnóque excitus reverſo ad Baſilicam Ratleico quid vidiſſet indicavit. At ille in craſtinum, ubi me primùm convenire potuit, quid ſibi puer ſuus retuliſſet, mihi nunciare curavit. Ego autem, licèt hujus viſionis arcanum ſpernere non auderem, ſtatui tamen operiendum alicujus ſigni certioris indicium, atque interim illos ſacros cineres de linteis, in quibus ligati venerant, ſublatos ſericis ac novis pulvinis inſuere feci. Cúmque in eorum inſpectione Reliquias Beati Marcellini minoris quantitatis, quàm Sancti Petri eſſe cernerem, arbitratus ſum eum in ſtatura corporis ſui minoris fuiſſe menſuræ, quàm Sanctum Petrum. Sed hoc aliter ſe habere, furtum poſteà patefactum approbavit.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. II. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. II.

Illo de furto jam locuti ſumus. Hildoini Presbyter & Luniſo Deuſdonæ frater nonnihil de Reliquiis Sancti Marcellini, cùm ejus corpus in domo Deuſdonæ latebat, clàm ſuſtulerunt, idque prædictus Preſbyter Sueſſionem ad Hildoinum quidem detulit, at rei geſtæ narrationem mendaciis depravavit. Finxit enim ſe Reliquias illas, cùm Papiæ ſubſiſteret, clàm furatum nemine facinoris conſcio. Audi ſuper ea re ſermonem Hildoini ad Eginhardum, à quo relatus eſt in literas hoc modo [a]. *Presbyter ille, qui ad deferendas beati Tiburtii Reliquias Romam meo juſſu profectus eſt, cùm id propter quod illò venerat, ita ut volebat perficere nequiviſſet, jámque Notarius tuus* Ratleicus *acceptis de quibus loquimur Sanctorum Martyrum* Marcellini ac Petri *Reliquiis domum redire ſtatuiſſet, iniit cum illo conſilium, ut illo Romæ paululum moras faciente ipſe cum Luniſone fratre Deuſdonæ & cum hominibus eis, qui illos ſacros cineres ferre debebant, Papiam uſque præcederet, ibíque illius ac Deuſdonæ præſtolaretur adventum. Placuit ambobus iſta conventio, illiſque Romæ ſubſtantibus, Presbyter cum Luniſone ac pueris Reliquias ferentibus Papiam proficiſcitur. Quò cùm eſſet perventum, ſcrinia ſacros cineres continentia in Eccleſia tua pone altare ſunt poſita, atque ab excubantibus in eadem Baſilica Clericis ac laicis diligenti ſolertiâ cuſtodita. Quadam verò nocte, cùm & ipſe inter ceteros ad eaſdem excubias in Eccleſia vigilaret, contigit, ut ipſe aſſerit, circa mediam ferè noctem, ut obrepente paulatim ſomno univerſi qui intra eandem Baſilicam vigilandi gratiâ convenerant, præter ſe ſolum obdormirent. Tum ſibi in mentem veniſſe, visumque fuiſſe, non ſine magna cauſa factum, ut tot hominibus tam ſubitaneus ſopor obrepſerit, ratúſque ſibi oblatâ occaſione utendum, ſurrexit, atque accenſo lumine ad ſcrinia ſilenter acceſſit. Tum filis ſigillorum admotâ cerei flammâ crematis, ſcrinia ſine clave celeriter aperuit, ac de utroque corpore portionem, quæ ei videbatur, accipiens, ſigilla, ut erant integra, filiorum crematorum ſummitatibus annectit, nullóque id factum ſentiente in loco ſuo reſedit. Poſt hæc ſublatas tali furto Sanctorum Reliquias, cùm ad me fuiſſet reverſus, detulit, primóque illas non Sancti Marcellini vel Petri ſed Sancti Tiburtii eſſe aſſeveravit, deinde cùm neſcio quid vereretur, ſecretè mecum locutus, quorum Sanctorum eſſent Reliquiæ, quóque modo eas fuiſſet adeptus patenter aperuit. Habemus illas apud Sanctum Medardum in loco celebri honorificè collocatas, ubi ab omni populo cum magna veneratione coluntur.* Huc uſque Hilduini ſermo. Rumor alius, ut ab hoſpite ſuo Eginhardus [b] aliquando didicit, per vicinam regionem aſtu diaboli ſparſus eſt, nempe *quòd Presbyter quidam Hildoini Abbatis, qui unà cum* Ratleico Eginhardi *Notario Romam profectus eſt, cùm inde reverterentur, & in quodam loco communi diverſorio uterentur, omnibus ebrietate ac ſomno depreſſis, & id quod agebatur penitus ignorantibus, ſcrinia, quibus Sanctorum corpora continebantur, aperuiſſet, eáque inde ſuſtuliſſet, atque abiens Hildoino detuliſſet.*

LXXXII.

[a] Lib. 2. c. 2.

[b] Lib. 2. c. 3.

Eginhardus, cùm hoc furtum ignoraret, arbitratus eſt, ut dictum ſuprà, Sanctum Marcellinum *in ſtatura corporis ſui minoris fuiſſe menſuræ, quàm Sanctum*

LXXXIII.

AN. CH. 827. LUDOV. IMP. 14. LOTHAR. IMP. 11. PIPPINI R. 13. LUDOV. R. 11.

Petrum. Qualem autem ſe geſſerit erga utriuſque Reliquias quantóque correptus ſit ſtupore propter fluxum Sanguinis è feretro Martyrum, breviter ex ejus ſcriptis [a] accipe ſervato rerum ordine. *Poſtquam illum*, inquit, *magnum atque mirabilem omnique auro pretioſiorem inſpexi theſaurum, loculum, in quo idem continebatur, propter vilitatem materiæ, de qua compactus erat, cœpit mihi oppidò diſplicere. Quem emendare cupiens, quadam die poſt completum veſpertinum officium præcepi uni ex Ædituis, ut menſuram loculi virgâ collectam mihi afferret. Cùm ille hoc facturus cereum accenderet, & circumpendentia pallia, quibus idem loculus tegebatur, ſublevaret, animadvertit loculum mirum in modum humano ſanguine undique diſtillantem, & rei novitate perterritus hoc quod aderat properè mihi nuntiare curavit. Tum ego cum eis, qui aderant, Sacerdotibus acceſſi, & illud ſtupendum atque omni admiratione dignum Miraculum aſpexi. Nam ut columnæ atque abaci vel ſigna marmorea pluviâ inſtante ſudare ac circumfluere ſolent, ſic loculus ille, qui ſacratiſſima corpora continebat, vero cruore madens, & ex omni parte perfuſus inventus eſt. Terruit nos inſolita & numquam priùs audita Miraculi ſpecies.* Quæ ſequuntur, ad annum proximum pertinent, cruor enim ille defluxit ſeptem diebus, & poſt triduanum jejunium areſcere cœpit Sabbato ſeu pridie Nonas Januarii, currente tum literâ Dominicali E, biſexto nondum intercalato.

[a] Lib. 1. 14.

LXXXIV. ANGILBERTUS ARCHIEP. MEDIOLAN.

Ineunte hoc anno alter Angilbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus conſtituitur. Apud Aſtam claret Roſerius Epiſcopus, & Emelda pro Canonicorum Aſtenſium victu *Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris* donat omnia quæ habet *in villa & finibus Solii, conſentiente Berto ejus jugali.* Lege Tomum quartum Italiæ Sacræ in Archiepiſcopis Mediolanenſibus & Aſtenſibus Epiſcopis.

ROSERIUS ASTENSIS EPISC.

LXXXV. HILDEGRIMUS EPISC. HALBERSTAD. ET PROVISOR WERTHINÆ MORITUR.

Hildegrimus Halberſtadienſis Epiſcopus ac Proviſor Monaſterii Werthinenſis obiit decimo-tertio Kalendas Julii. Corpus Werthinam delatum eſt, ibique honorificè ſepultum. Bucelinus in Germania Sacra refert ejus Epitaphium marmoreo monumento ſic inſcriptum.

Julî tredecimis reſolutus carne Kalendis
Hildegrimus tumulo clauditur appoſito.
Frater Liudgeri, Coepiſcopus atque beati,
Compar huic meritis ſicut in officiis.

LXXXVI. SUCCEDIT THIATGRIMUS.

Annis ſeptem fuit Halberſtadienſis Epiſcopus, annis octodecim Proviſor Monaſterii Werthinenſis. In utrumque munus ſucceſſit ejus nepos Thidhgrimus ſeu Thiatgrimus. Secus ſentit Bucelinus, Thiatgrimum enim in Epiſcopatu Halberſtadienſi, Gerfridum jam Epiſcopum Mimigardevordenſem in Proviſione Werthinenſi ſucceſſorem ſufficit. At ad annum Redemptoris octingenteſimum nonum [b], quo Ludgerus Mimigardevordenſis Epiſcopus & Abbas Werthinenſis ad Deum migravit, Gerfridum Epiſcopum Mimigardevordenſem, Proviſores verò Werthinenſes Hildegrimum & eundem Gerfridum ſubrogavimus, protulimúſque Donationem tertio Idus Septembris, anno ſexto Imperii Ludoviciani, ſive anno Redemptoris octingenteſimo undeviceſimo, factam *ad Reliquias Sancti Salvatoris, quæ collocatæ ſunt in loco, quæ dicitur Werthina, in pago Ruriegoa, in Ducatu Ripoariorum, ubi Hildigrimus & Gerfridus Epiſcopi Rectores præeſſe videntur.* Hildegrimus igitur poſt Ludgeri fratris obitum annis duodeviginti cum Gerfrido Mimigardevordenſi Epiſcopo ſollicitus fuit Proviſor ſeu Rector Monaſterii Werthinenſis Hildegrimóque mortuo Gerfridus idem munus Proviſoris ſeu Procuratoris Werthinenſis, quamdiu vixit, cum Thiatgrimo Halberſtadienſi Epiſcopo deinceps exercuit. Ceterùm Hildegrimus, incertum quo anno, ſuper tumulum Liudgeri fratris extra Werthinenſem Baſilicam erexit Oratorium, quod Hadabaldus Colonienſis Archiepiſcopus in honorem Sancti Stephani protomartyris & Sancti Jacobi fratris Domini dedicavit, teſte Walafrido, cujus hi ſunt Verſus.

[b] Num. 36.

ORATORIUM S. STEPHANI APUD WERTHINAM.

Digitized by Google

Hoc Templum Stephani celebratur honore dicatum,
Cum Jacobo noſtri fratre ſimul Domini.
Quorum ſub precibus Chriſti pietate receptis
Summi adipiſcamur munera larga boni.
Hildigrim ſtruxit, Hadabaldus Epiſcopus Archi
Sanctificavit: honor certus utrumque manet.

AN. CH. 827.

Annus hic in Gallia Chriſtiana primus numeratur Davidis Epiſcopi Lauſannenſis, qui poſt Paſchalem à nobis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo laudatum proximus ſedit. LXXXVII. DAVID EP. LAUSANNENS.

Idem annus Imperii Ludoviciani decimus-quartus in Hugonis Flaviniacenſis Abbatis Chronico primus quoque numeratur Vigilii Flaviniacenſis Abbatis, qui poſt biennium ab Apollinaris deceſſoris obitu factus eſt Abbas. Hugonis textus talis eſt. *Obiit Apollinaris Abbas Flaviniacenſis pridie Kalen. Aprilis, duodecimo ann. Ludovici, & poſt duos annos Vigilius ſucceſſit ann.* XIV. id eſt, anno decimo-quarto Imperii Ludoviciani. Perperam in exemplaribus editis hæc occurrit lectio, *Vigilius ſucceſſit annis* XIV, quaſi Vigilius Flaviniacenſe Monaſterium annis quatuordecim rexerit. Id certè veritati refragatur, vitam enim Vigilius clauſit *anno* DCCCXXXIX, ſive *anno* XXV *ipſius Ludovici, Ind.* II. Ut in Flaviniacenſi ſic & in Reomaenſi Catalogo Vigilius Apollinarem excipit, atque inde Petrus Roverius in Hiſtoria Reomaenſis Monaſterii [a] non levi conjecturâ Vigilium utriuſque Cœnobii, Flaviniacenſis videlicet ac Reomaenſis, Abbatem, eúmque *Clericum* ſeu Canonicum non Monaſticum agnoſcit. Talem initio fuiſſe Vigilium haud inficiamur. At aliud amplexus eſt poſteà vitæ genus, Abbatiam enim Reomaenſem Deidono ceſſit, eáque ceſſio prævalidum ſuppeditat argumentum, ut Abbatem Monaſticum ex Abbate Canonico factum credas. Certè Deidonus Reomaenſis Abbas fuit Vigilio Flaviniacenſi Abbate in vivis ſuperſtite, ut patebit infrà, deincépſque Flaviniacenſes Abbates à Reomaenſibus diſtinguentur. LXXXVIII. VIGILIUS FIT ABB. FLAVINIACENSIS ET REOMAENSIS.

[a] In Abb. 19.

Apud Bruſchium in Chronologia [b] Monaſteriorum Germaniæ moritur hoc anno Sigoaldus ſeu Sigualdus Epiſcopus Spoletanus in Italia, & Abbas Epternacenſis in Diœceſi Trevirenſi. *Hic*, inquit Ughellus Tomo primo [c] Italiæ Sacræ, *in primis Lotharii Imperatori carus fuit ob medicinæ peritiam. Quamobrem ab eo quamplura Privilegia impetravit, imprimíſque Abbatiam Sancti Petri de Florintillo in Umbria per ſummam habendi cupiditatem extorſit, quâ Epiſcopalis menſa ditaretur. Igitur cùm ex illa immeritos Monachos ejeciſſet, ita Numen ſenſit iratum, ut horribili leprâ percuſſus in ea plaga miſerabiliter vitam finierit, nec tamen vita functus inſequentem ultionem potuerit evitare. Siquidem cùm per tres continentes dies, tanquam è ſubjecto incendio denſiſſima fumi nubes exurrexiſſet à tumulo, reperere miraculo admoniti Clerici, Epiſcopi deflagraſſe cadaver, ínque fœtentiſſimos cineres diſſiluiſſe.* Luitardus, quem idem Auctor memorat, in Epiſcopatum Spoletanum ſucceſſit, in munus autem Abbatiale Theodgaudus, ſeu Thietgaudus aut Theutgaudus, qui poſt Hettium Trevirenſis Archiepiſcopus fuit, ut Tomo ſequenti probaturi ſumus. LXXXIX. [b] In Abb. Epternac. 5. [c] In Epiſc. Spoletan. 16. SIGOALDUS EP. SPOLETAN. ET ABB. EPTERNAC. MORITUR. LUITARDUS FIT EPISC. SPOLETAN. THEUTGAUDUS FIT ABB. EPTERNAC.

Venit in manus noſtras liber manuſcriptus *de honoribus Sancto Juliano collatis*, foliis conſtat ducentis nonaginta-duobus, diſtinguitur in Chartas undequinquaginta ſupra quadringentas. Quæ numero eſt ducenteſima triceſima-ſeptima Ferreolum Abbatem Sancti Juliani Brivatenſis laudat *die Martis, menſe Martio, anno* XIII *regnante Domno Pipino Rege Aquitanorum*, id eſt, hoc anno, Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſeptimo. Ferreolus Abbatiali Dignitate jam gaudebat anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, ſive *in menſe Madio, anno* IIII, *imperante Domno ac Præcellentiſſimo Ludovico Imperatore*, ut in eodem libro teſtatur Charta trecenteſima viceſima-tertia. XC. FERREOLUS ABB. S. JULIANI BRIVAT.

Findanus Recluſus, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum quintum fecimus, ad Deum migravit hoc anno, ſic enim Auctor XCI.

AN. CH. 827. FINDANUS RECLUSUS OBIT RHINAUGIÆ. [a] Sec. 4. Benedict. part. 1.

vitæ [a]. *Findanus Patronus noster artissimo loco inclusus, qui situs est ad Septentrionalem partem Basilicæ Sanctæ Mariæ Genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi,* XXII *annos incomparabiliter corpus perdomuit. Nam post primum supradictorum annorum,* Id est, post annum Redemptoris octingentesimum sextum, *cilicio indutus erat, calore ignis numquam refectus, non pausans in lectulo, balnei lenitatem devitans, jejuniis, vigiliis orationibúsque indesinenter insistebat. Pane verò post primum annum ingressionis ejus, & post* XVI, id est, post annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-primum, *ab omnibus, quæ mandi possunt, extrà pisciculis & his pauciss imis, se Domino confortante abstinuit.*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

ANNUS

CHRISTI		828.		
LUDOVICI	IMP.	15.		
	REG.	48.	23.	11.
LOTHARII	IMP.	12.	6.	
	REG.	14.	6.	
PIPPINI III.	REG.	14.	12.	
LUDOVICI	REG.	12.	3.	
INDICTIO		6.		

I. RELIQUIÆ SS MARCELLINI ET PETRI SUSCIPIUNTUR APUD MILLINHEIMIUM. [b] Cap. 14.

KALENDÆ Januarii, quæ principium anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo dederunt, inciderunt in feriam quartam. Postridie easdem Kalendas inchoatum est triduanum jejunium cum supplicationibus, ut sciri posset, quid sibi vellet, quídve faciendum moneret madens vero cruore loculus, qui beatorum Martyrum Marcellini ac Petri Reliquias apud *Michilunstat* depositas continebat. Peracto triduano illo jejunio cruor arescere cœpit Sabbato, cùm jam advesperascceret. Audi Eginhardum libro primo [b] de Translatione eorumdem Martyrum. *Ut columna*, inquit, *atque abaci, vel signa marmorea, pluviâ instante sudare ac circumfluere solent, sic loculus ille, qui sacratissima corpora continebat, vero cruore madens & ex omni parte perfusus inventus est. Terruit nos insolita & numquam priùs audita Miraculi species. Quapropter inito consilio triduanum jejunium cum supplicationibus facere decrevimus, ut ex revelatione divina scire mereremur, quid sibi vellet, quídve faciendum moneret magnum illud & ineffabile prodigium. Itaque peracto illo triduano jejunio, cùm jam advesperasceret, humor ille cruoris horrendi subitò cœpit arescere, ac mirum in modum, qui per continuos septem dies more perennis aqua sine intermissione distillabat, sic intra pauciss imas horas exsiccatus est, ut eo noctis tempore (nam Dominica erat) quo signo dato ad antelucanum officium celebrandum Ecclesiam intravimus, nullum jam in loculo vestigium illius posset inveniri. Linteа verò, quæ circa loculum pendebant, ut eodem fuerunt humore respersa, ita ut erant sanguineis maculis infecta servari jussi, in quibus adhuc magnum illius inaditi portenti paret indicium. Constat enim humorem illum saporis fuisse subsalsi, ad lachrymarum videlicet qualitatem, & tenuitatem quidem aqua, colorem autem veri sanguinis habuisse.* Noctem hanc Dominicam illigamus Nonis Januarii, qui-

Digitized by Google

bus in Kalendario præfigitur litera E. Pergit autem sic Eginhardus [a]. *Eâdem nocte cuidam ex pueris nostris, nomine Ruodlando, per quietem duo juvenes visi sunt adstitisse, qui ei, ut ipse testatus est, de transferendis Sanctorum corporibus multa mihi dicenda mandaverunt, & ad quem locum vel qualiter id fieri deberet ostenderunt, & ut hoc mihi sine mora fuisset nuntiatum, terribiliter comminando præceperunt. Qui mox ut me adire potuit, omnia, quæ jussus fuerat, mihi intimare curavit. Quibus auditis, curis ingentibus æstuare, & quid mihi esset agendum animo tractare cœpi, utrùm iterum jejunia & supplicationes celebrandæ, ac Deus rursus pro nostra curiositate sollicitandus, an aliquis Deo devotè ac perfectè serviens esset quærendus, cui anxietatem cordis nostri & curarum nostrarum querimonias indicare, quémque rogare potuissemus, ut orationibus suis à Deo nobis hujus rei manifestationem impetraret. Sed ubi vel quando ille talis Christi famulus à nobis posset inveniri, præsertim in illa regione, in qua tametsi quædam Cœnobia ab eo loco, in quo eramus, haud longè posita esse constabat, tamen propter rudem in his locis ejus conversationis institutionem aut rarus aut nullus erat, de cujus sanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur. Interea dum his anxius curis, Sanctorum Martyrum suffragium implorassem, atque omnes, qui unà nobiscum erant, ut idem facerent, sedulo commonuissem, factum est, ut per continuos dies nulla nox præteriret, in qua vel uni, vel duobus, vel etiam tribus sociorum nostrorum in somnis revelatum non fuisset, quòd illa Sanctorum corpora de eo loco in alium essent transferenda. Ad extremum autem cuidam Presbytero de his, qui ibi nobiscum erant, nomine Hiltfrido, apparuit in visione, ut ipse fatebatur, vir quidam habitu Sacerdotali, canitie venerandâ conspicuus, candidâ veste indutus, qui eum talibus verbis compellavit. Cur, inquit, Einhardus tam duri cordis tantæque obstinationis est, ut tot revelationibus non credat, ac tot monita ad se divinitus missa arbitretur esse contemnenda? Vade & dic ei, quia hoc quod beati Martyres de suis corporibus fieri desiderant, infectum remanere non poterit, quamvis ille hactenus voluntatem eorum in hac re facere distulisset. Et jam nunc, si non velit ut hujus facti meritum ad alium transeat, festinet eorum adimplere jussionem, & ad locum, quem ipsi elegerunt, corpora illorum deportare non negligat.*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

[a] Capp. 15. & seqq.

II. *Post has aliásque multimodas ad me perlatas admonitiones, visum est mihi illam sacrorum cinerum Translationem non esse diutiùs differendam, ac proinde inito consilio decrevimus, ut id quantò celeriùs fieri potuisset, perficere certaremus. Igitur omnibus, quæ ad hanc devectionem necessaria videbantur, raptim & cum summo studio præparatis, primâ luce post completum matutinum officium, sacrum illum & inæstimabilem thesaurum cum ingenti luctu ac mœrore illorum, qui in loco erant remansuri, sustulimus, atque iter ingressi portare cœpimus comitante nos pauperum turbâ, quæ illò per eos dies ob eleemosynam accipiendam undecumque confluxerat. Nam circà manentes populi quid apud nos ageretur penitus ignorabant. Erat cœlum grave sordidis nubibus, & quæ in ingentem pluviam citò resolvi possent, nisi id divina virtus fieri prohiberet. Nam totâ nocte illâ in tantum sine intermissione pluebat, ut nobis iter illud eâ die inchoari posse minimè videretur. Sed illam nostram dubitationem ex infirmitate fidei venientem superna gratia per suorum merita Sanctorum, longè aliter atque existimavimus, habere se fecit, quando viam, per quam incessimus, in aliam quàm sperabatur qualitatem vidimus fuisse commutatam. Nam & luti parum invenimus, & rivos, qui in tam grandi ac jugi pluvia, ut eâ nocte erat, crescere solebant, penè nihil crevisse reperimus. Ubi verò de saltu egressi proximas villas accessimus, frequentibus obviorum ac Deo laudes dicentium turbis excipimur, qui nos per octo ferè leucarum spatium comitati, nobis ac nostris & in sacro onere ferendo devoti adjutores, & in divinis laudibus dicendis impigri fuere concentores. At ubi vidimus, quòd eâ die ad locum destinatum pervenire non poteramus, divertimus ad villam Ostheim appellatam, quæ via nostræ contigua cernebatur, & inclinante jam vesperâ in Basilicam Beati Martini, quæ in eadem villa est, sancta illa corpora intulimus, & sociis nostris ad*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14 LUDOV. R. 12.

excubias ducendas ibi dimissis, ego cum paucis ad locum, quò tendebamus, festinando præcessi, & ea, quæ ad receptionem sanctorum corporum usus postulabat, per noctem præparavi. Ad Basilicam verò, in qua illorum sacrosanctum thesaurum dimisimus, Sanctimonialis quædam paralytica, nomine Ruodlang, de Monasterio Machesbach, quod ab eadem Ecclesia unius leucæ spatio disparatum erat, ab amicis suis ac propinquis in carro adducta, cùm juxta feretrum Sanctorum inter ceteros vigilans atque orans pernoctaret, receptâ omnium membrorum sanitate, propriis pedibus, nullo sustentante vel quolibet modo adminiculante, ad locum, unde venerat, in crastinum regressa est. At nos albescente cælo surgentes sociis nostris venientibus obviam ire perreximus, habentes nobiscum immodicam vicinorum nostrorum multitudinem, qui famâ adventûs Sanctorum exciti ad hoc primo diluculo pro foribus nostris constiterunt, ut unà nobiscum Sanctis obviam procederent. Et occurrimus eis in eo loco, ubi Gaspentia fluviolus Mœno miscetur. Inde pariter incedentes ac Domini nostri Jesu Christi misericordiam collaudantes, sacras illas beatissimorum Martyrum exuvias ad Mulinheim superiorem (sic enim moderno tempore locus ille vocatur) cum magna omnium, qui ibi adesse potuerunt, lætitia & exultatione detulimus, sed præ nimia populi multitudine, quæ præcedens cuncta compleverat, neque Ecclesiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus. Idcircò in campo adjacente atque in loco editiore altare sub divo ereximus, ac feretro pone altare depositio Missarum solennia celebravimus. Quibus expletis, ac multitudine ad sua recedente, in Ecclesiam à beatis Martyribus jussam, eorum sacratissima corpora intulimus, ac feretro propter altare locato iterum Missam celebrare curavimus, ibique inter celebrandum puer quidam annorum circiter quindecim, nomine Daniel de pago Portiano, qui illuc inter alios pauperes mendicando venerat, atque ita curvus erat, ut nisi supinus atque jacens cælum aspicere nequivisset, ad feretrum accessit, ac subitò velut ab aliquo impulsus corruit, cúmque diu velut dormienti similis jacuisset, correctis omnibus membris & receptâ firmitate nervorum coram oculis nostris surrexit incolumis. Facta sunt hæc decimo-sexto Calendas Februarias, & erat ejus diei tanta & tam clara serenitas ut æstivi splendorem Solis adæquaret, atque ipsius aëris tam mitis atque jucunda tranquillitas, ut veris temperiem apricitate blandâ præcederet. Dies ille decimus-sextus ante Kalendas Februarias incidit in feriam sextam, & idem Eginhardi textus à nocte Dominica, quâ fluxus sanguinis è Martyrum feretro jam aruisse visus est, hanc feriam sextam adeò removet, ut inter utramque non quinque tantùm dies sed integram hebdomadam atque aliquid ampliùs intercessisse meritò censeas, & noctem illam Dominicam Nonis Januarii rectè nobiscum illiges.

III. Quid gestum sit post sextam illam feriam, quacum dies decimus-sextus ante Kalendas Februarii componebatur, audi ex eodem Eginhardo. *Postridie verò sacra beatorum Martyrum corpora, novo loculo recondita, in absida Basilicæ locavimus, &, sicut in Francia mos est, superpositio ligneo culmine, linteis ac sericis palliis ornandi gratiâ conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla Dominicæ passionis, quæ in via feretrum præcedere solebant, hinc atque inde erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis pro modulo paupertatis nostræ idoneum atque aptum facere curavimus, ordinatisque Clericis, qui inibi assiduè & excubias ducerent, ac divinis laudibus dicendis curam solerter impenderent, ipsi non solùm nostrâ sponte, sed etiam Regali Diplomate, quod nobis in via obviam venerat, evocati, Domino iter nostrum prosperante, ad Palatium sumus cum magna exultatione regressi.* Hic definit primus Eginhardi liber. Capite tertio libri secundi quidam hospes ab eodem Eginhardo ad Palatium proficiscente scisciatur, an sciat *qualis de Sanctis Martyribus Marcellino & Petro per regionem fama dispersa sit.* Et, Eginhardo respondente id se nescire, hæc subjungit. *Dicunt qui de Sancto Sebastiano veniunt, quòd Presbyter quidam Hildoini Abbatis, qui unà cum Notario tuo Romam profectus est, cùm inde reverterentur, & in quodam loco communi diversorio uterentur, tuis omnibus ebrietate ac somno depressis, & id quod agebatur penitus ignorantibus, scrinia, quibus Sanctorum corpora continebantur, aperuisset,*

aperuiſſet, eáque inde ſuſtuliſſet, atque abiens Hildoino detuliſſet, & modò apud Sanctum Medardum ſint, in ſcriniis verò tuis parum quiddam ſacri pulveris remanſiſſe, quod ad te per Notarium tuum perlatum ſit. Hic ſermo Eginhardum non modicâ mentis perturbatione commovit, ut ipſemet in eodem capite fatetur. Secuta paulò pòſt ejus ſermocinatio cum Hildoino. *Tranſactis*, inquit initio libri ſecundi, *admodùm paucis, poſtquàm ad comitatum veneram, diebus, ego ſecundùm conſuetudinem Aulicorum maturiùs ſurgens, primo mane Palatium petii. Ibi cùm ingreſſus, Hildoinum, cujus libro ſuperiore mentionem feci, ante fores Regii cubiculi ſedentem, atque egreſſum Principis opperientem inveniſſem, ex more ſalutatum ſurgere, atque ad quandam feneſtram, de qua in inferiora Palatii proſpectus erat, mecum accedere rogavi. Ad quam pariter ſtando incumbentes, de Tranſlatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, necnon & de Miraculo, quod in fluxu cruoris, quo loculum eorum ſeptem diebus ſudaſſe commemoravi, oſtenſum eſt, mirando multa ſumus locuti. Cumque ad id loci ſermocinando veniſſemus, ut etiam de veſtimentis, quæ cum corporibus eorum inventa ſunt, mentio fieret, atque ego mira ſubtilitatis veſtem beati Marcellini fuiſſe dicerem, ille velut qui rem aquè ut ego notam haberet, vera me de veſtibus dixiſſe reſpondit. Hìc ego ſtupefactus atque admirans, percontari cœpi, unde illi hæc veſtimentorum, quæ nunquam viderat, notitia contingere potuiſſet. At ille me intuitus, paululum ſiluit, ac deinde, ſatius, inquit, eſſe arbitror, ut per me cognoſcas, quod me tacente tamen per alios celeriter es cogniturus, & ego illius rei ſim proditor ſimplex, quam fortaſſe alter, ſi prodiderit, non ſimpliciter enunciabit. Neque enim poteſt, quia ſic naturâ comparatum eſt, ut hoc quiſquam veraciter dicere nequeat, cujus notitiam non per ſeipſum ſed aliorum relatione fuerit aſſecutus. Tuæ tantùm fidei committo, qualiter inde mecum acturus ſis, poſtquàm meo relatu omnem rei geſtæ veritatem agnoveris. Cui cùm me non aliud acturum, quàm quod inter nos conveniret, brevi ſermone reſpondiſſem, Presbyter, inquit, ille, qui ad deferendas beati Tiburtii Reliquias Romam meo juſſu profectus eſt, cùm, &c.* Hildoinus hunc ſermonem, quem ſuprà deſcripſimus, ita clauſit. *Habemus illas* Sanctorum Marcellini & Petri Reliquias *apud Sanctum Medardum in loco celebri honorificè collocatas, ubi ab omni populo cum magna veneratione coluntur, ſed utrùm eas nobis habere liceat, in tuo manet arbitrio.*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

IV.

Eginhardus, cùm ob iſtos ſermones non parum torqueretur, Reliquias furto ſublatas ſtatuit ab Hildoino repetere, repetiitque felici prorſus ſucceſſu, quem ipſemet ita deſcripſit [a]. *Illud*, inquit, *optimum judicavi, ut Hildoinum rogarem idipſum mihi reddere, quod de meis ſcriniis ſublatum, & ad ſe delatum, atque à ſe receptum, poſt illam ſpontaneam confeſſionem negare non poterat. Quod etiam quantâ potui inſtantiâ facere curavi, & licèt ille paulò durior ac difficilior, quàm optaveram, in aſſenſione fuiſſet, victus tamen eſt ſedulitate precum mearum, ceſſitque improbitati meæ, qui ſe paulò antè nullius juſſioni, in hac præſertim cauſa, ceſſorum pronuntiaverat. Interèa miſſis ad Ratleicum & Luniſonem literis (erant enim in eo loco, ubi Martyrum corpora collocavi) qualis per totam penè Galliam de iiſdem ſanctis Martyribus fama eſſet, eis indicare curavi, commonefaciens eos, ut cogitarent ſi aliquid tale vel ſimile his, quæ Hildoinus de facto Presbyteri ſui aſſerebat, in via eorum advertere vel reminiſci potuiſſent. Qui ſtatim ad me in Palatium venientes valdè diſparem his, quæ Hildoinus dicebat, fabulam detulerunt. Nam in primis omnia, quæ Presbyter ille Hildoino retulerat, falſa eſſe teſtati ſunt, neque ullam, poſteaquàm Româ exierunt, vel illi Presbytero vel cuilibet alteri datam fuiſſe occaſionem, per quam ad ejuſmodi facinus perpetrandum aditum habere potuiſſet. Sed hoc ipſum, quod de ſacris Martyrum cineribus aliter atque debuerat accidiſſe conſtabat, Romæ in domo Deuſdonæ per avaritiam Luniſonis & vafritiam memorati Presbyteri contigiſſe, eo videliſſet tempore, quo corpus beati Marcellini de tumba ſua ſublatum in domo Deuſdonæ ſervabatur, modúmque facti talem fuiſſe dixerunt.* Modum illum deſcripſimus ſuprà, nec hoc loco repetemus. Pergit autem Eginhardus. *Hoc eo*, inquit, *modo factum*

[a] Lib. 2. cc. 3. & ſeqq.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

esse, ipse qui id cum memorato Presbytero machinatus est Lunisô, pedibus meis provolutus flendo testatus est. Tum ego rei veritate compertâ Ratleicum ac Lunisonem eò unde venerant redire præcepi. Ac deinde cum Hildoino locutus, conventione inter nos factâ, quando sacra mihi Reliquiæ redderentur, duos Clericos de domo nostra, Hiltfridum videlicet ac Filimarum (alter Presbyter, alter Subdiaconus erat) ad recipiendas eas Augustam Suessorum pergere jussi, mittens per eosdem ad locum, de quo eadem Reliquiæ auferendæ erant, benedictionis gratiâ nummos aureos numero centum. Qui ubi ad Monasterium Sancti Medardi in die Palmarum, seu quarto Kalendas Aprilis, venissent, per triduum ibi morati sunt, & recepto illo, propter quem missi fuerant, incomparabili thesauro, comitantibus secum duobus ex eodem Monasterio fratribus, quantâ potuerunt celeritate ad Palatium reversi sunt. Reliquias tamen non mihi, sed Hildoino detulerunt. Quas ille recipiens, in Oratorio domûs suæ fecit custodiri, usquedum transactis Paschalis festi occupationibus, vacuum tempus haberet, quo mihi id, quod reddendum erat, priusquàm redderet, ostendere potuisset. Completisque post sanctum Pascha octo vel eo amplius diebus, cùm Rex venandi gratiâ de Palatio fuisset egressus, Hildoinus, secundùm quod inter nos convenerat, memoratis Reliquiis de Oratorio suo, ubi servabantur, sublatis, atque Basilicæ Sanctæ Dei Genitricis illatis, altarique superpositis, me, ut eas susciperem, fecit acciri. Tum capsam, in qua Reliquiæ continebantur, aperiens, ostendit mihi, ut viderem quid esset, quod & ille redderet, & quod ego reciperem. Exin sublatam de altari eandem capsam manibus meis imposuit, datâque oratione competenti, precentoris etiam officio functus, Antiphonam laudi Martyrum convenientem Clericis ad psallendum paratis imposuit, nosque cum illo inæstimabili thesauro recedentes, usque ad ostium Basilicæ concinendo prosecutus est. Processimus inde paulatim cum Crucibus & cereis, laudantes Domini misericordiam, usque ad Oratorium, quod erat in domo nostra vili opere constructum, eique, quia aliud ibi non habebatur, illas sacras Reliquias intulimus. In illa verò processione nostra, quam de Basilica usque ad Oratorium nostrum nos fecisse dixi, quid Miraculi acciderit, censeo non esse tacendum. Egredientibus enim nobis de Ecclesia, laudemque Domino Deo nostro excelsâ voce canentibus, tanta vi suavissimi odoris eam partem vici Aquensis, quæ ab Ecclesia ad Occidentem respicit, totam implevit, ut illâ fragrantiâ penè omnes ejusdem partis habitatores, itemque universi, qui pro quibuslibet causis atque negotiis eadem in parte fuerant constituti, ita divinitus commoverentur, ut omissis, quæ in manibus habebantur, operibus, cuncti cursu rapidissimo primò ad Ecclesiam, deinde quasi per vestigium ad Oratorium nostrum, in quod illas reliquias illatas esse audierant, summoperè festinarent. Fit immodicus intra septa nostra exultantis simul atque admirantis populi concursus, & cùm magna pars eorum, qui confluxerant, id quod agebatur quid esset ignoraret, gaudio tamen & exultatione repleti, Dei Omnipotentis misericordiam collaudabant. Postquàm autem famâ crebrescente divulgatum est Reliquias Sancti Marcellini Martyris in eum locum esse delatas, non solùm de eodem vico Aquensi, & vicinis atque adjacentibus villis, verùm etiam de longinquioribus locis ac pagis adeò frequens atque immanis multitudo congregata est, ut nobis ad officium in eodem Oratorio celebrandum, præter vespertinas horas atque nocturnas, haud facilis pateret introitus. Adducebantur undique debiles, & variis affecti languoribus circa Oratorii parietes à propinquis suis atque amicis collocabantur. Videres ibi penè omnia infirmitatum genera per virtutem Christi Domini & per meritum beatissimi Martyris in omni sexu & ætate curari. Cæcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo redditur; paralytici etiam, & qui totius corporis viribus destituti, alienis manibus apportati sunt, sanitate receptâ, propriis pedibus ad sua revertebantur.

V. *Hæc ubi ad Regias aures relatione Hildoini perlata sunt, statuit primò, ut ad Palatium regressus, Oratorium nostrum in quo fiebant Martyrem venerabundus accederet, sed ne id faceret eodem Hildoino suggerente prohibitus ad majorem Basilicam Reliquias deferri præcepit, ibique delatas humili supplicatione veneratus est, celebratisque Missarum solemniis obtulit beatis Martyribus Marcellino & Petro quod-*

dam prædiolum ſitum juxta fluvium Aram, vocabulo Ludolveſtropf, habens manſas quindecim, & vinearum aripennes novem. Obtulit & Regina cingulum ſuum ex auro & gemmis factum, penſans libras tres. Quibus expletis relatæ ſunt Reliquiæ ad locum ſuum, in Oratorium videlicet noſtrum, fuerúntque ibi diebus quadraginta vel eo ampliùs, uſquedum Imperator Palatio egrediens venandi gratiâ ſolenni more ſylvas peteret. Quo facto & nos comparatis, quæ ad profectionem noſtram neceſſaria videbantur, cum eiſdem Reliquiis de vico Aquenſi promovimus.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

In domo Eginhardi cùm illic in Oratorio prædictæ Reliquiæ ſervabantur, necnon & in diverſis locis ad quæ partem earumdem Reliquiarum Eginhardus illinc tranſmiſit, Deus inſignia dignatus eſt operari Miracula, de quibus copiosè ſcribit idem Eginhardus libro quarto.

VI.

In ejus domo ſanatus eſt Drogo Regis Cubicularius, natione Græcus, *qui febre correptus, aut negligentiâ ſuorum aut inſcitiâ medicorum jam per aliquot menſes longâ atque adversâ valetudine laborabat.* Sanatus eſt & Gerlacus, qui Remis Aquiſgranum *propter ædificia Palatii conſtruenda* venerat, & *ante dimidium ferè annum tam validâ atque immani nervorum contractione* correptus fuerat, *ut pedes natibus & genua mento cohærerent.* Puella quoque Juliacenſis territorii, *ſimili morbo ſimilíque modo affecta*, ſanitatem recepit. Cæcus provectæ ætatis, *qui ante triennium ſubitâ cæcitate percuſſus inter alios pauperes ſtipem oſtiatim mendicare ſolebat*, & *mulier quædam de pago Ribuarenſi multo jam tempore cæca*, viſum recuperarunt. In Aſcuilari fundo Regio, qui ſpatio *quatuor leucarum* ab Aquenſi Palatio diſtabat, homo *diutinâ præcordiorum infirmitate* detinebatur, *à ſuis eo modo deſperatus, ut non aliter niſi cauterio curari poſſe videretur*, ad Oratorium autem ſuprà memoratum adductus, ibi priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt; ut & puella paralytica, quæ deportata fuit ex alio fundo Regio, quem habitatores *Gangluden* appellabant *in pago Moſano, octo circiter leucis ab Aquenſi vico.* Huc uſque Miracula, quæ patrata ſunt apud Aquiſgranum [a].

VII.

[a] Lib. 4. cc. 2. & ſeqq.

VIII.

Georgius Presbyter Veneticus, qui de patria ſua ad Imperatorem Ludovicum *venit, & in Aquenſi Palatio organum, quod Græcè Hydraulica vocatur, mirificâ arte compoſuit*, primus Reliquias Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum obtinuit ab Eginhardo, *eáſque in capſa, quam auro & gemmis decenter ornaverat, reconditas per Diaconum ſuum, nomine Theothardum dirigere curavit* ex vico Aquiſgranenſi *ad Baſilicam Sancti Salvii Martyris, quam ipſe tunc temporis per beneficium Regis tenebat in pago Fanomartenſi, in vico Valentianas appellato in ripa Schaldis fluvii.* Brevi pòſt libello, quem Eginhardo miſit, complexus eſt Miracula, quæ vel in itinere ab Aquis ad Valentianas vel in ipſis Valentianis facta ſunt. *Cùm Theotardus Diaconus ad villam Regiam, quæ Waſidium vocatur, veniſſet, occurrit ei homo gibberoſus, & ex dentium dolore ita vexatus atque confectus, ut jam per dies quindecim nullum alium victum quàm ſolam aquam poſſet aſſumere. Qui cùm hortante Diacono coram Reliquiis, quas ille ferebat, ſe ad orandum proſtraſſet, & Dominum Chriſtum, ut ſui miſereretur, devotè ac ſuppliciter invocaſſet, per interceſſionem Sanctorum Marcellini & Petri cunctâ corporis incommoditate depulsâ, ſanus ab oratione ſurrexit. Factum eſt hoc Miraculum tertiodecimo Calendas Julii. Diaconus autem cum Reliquiis tertiâ die Valentianas veniens, cùm eas in Baſilicam Sancti Salvii, ſicut ei fuerat imperatum, reverenter & honorificè inferret, quidam juvenis de villa Regis, quæ Liſtina vocatur, Dominicus nomine, qui eo morbo, quem Græci ſpaſmum appellant, jam per annum integrum ſic vexabatur, ut manus ejus dextera penitus contineri non poſſet, ſed agitatione continuâ, quaſi qui molam verteret, moveretur in gyrum, ſtatim in ipſo introitu per merita beatorum Martyrum coram omni populo ita curatus eſt, ut poſt hæc nullum illius horrendæ agitationis pateretur incommodum. Exindè die quartâ, in feſtivitate videlicet Beati Joannis Baptiſtæ, anus quædam, nomine Gerrada, quæ ſe annum unum cæcam fuiſſe teſtata eſt, dum Miſſarum ſolennia celebrarentur, invocatis beatis Martyribus lumen, quod ex fide petierat, cunctis qui*

PARS ILLARUM TRANSFERTUR VALENTIANAS,

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in festivitate Sancti Salvii, quæ evenit sexto Calendas Julii; quidam homo surdus & mutus inter solennia Missarum per suffragia Martyrum & auditum & loquelam recipere meruit. Eâdem die annus quidam de pago Laudunensi, Rodeltrudis nomine, qua per tres annos lumen cæli non vidit, in eadem celebratione Missarum visum recepit. Quinto Calendas Julii puer quidam annorum circiter septem, Donitianus nomine, qui fuit cæcus à nativitate, dum divinum celebratur officium, per merita beatorum Martyrum illuminatus est. In vigilia verò beatorum Apostolorum Petri & Pauli, id est, quarto Calendas Julii, puella quædam parva, nomine Theotbalda, habens ætatis annos, ut putabatur, novem, quæ tribus annis nihil viderat, tempore salutaris Officii in media populi multitudine constituta, Martyrum suffragantibus meritis, lumen amissum ex divina miseratione recepit. Eâdem die quidam homo, nomine Dado, de villa Ponticuli vocata, qui annos sex curvus erat, & ad calum se erigere non poterat, ideóque brevibus anticulis sustentandi se gratiâ sub axillis positis cernuus incedebat, is eâdem horâ eodémque in loco per misericordiam Dei & per merita beatorum Martyrum erectus ac sanus effectus est. Die quarto Nonarum Juliarum quædam vidua, nomine Adalrada, quæ, annis quatuor, oculorum lumine privata nihil videbat, auditâ virtutum famâ, spem visûs recipiendi non vanâ fide concepit, arreptóque baculo sola sine ductore ad Valentianas ire contendit. Cumque vico appropinquare cœpisset, visum est ei, quòd velut unum Solis radium oculo dextro conspiceret, ac proinde divinam clementiam puro corde deprecata est, ut per intercessionem Sanctorum suorum Ecclesiam beati Salvii se videre permitteret, statímque exaudita est, & quod optaverat Domino miserante sine mora est consecuta. Ipsâ quoque die, altera quædam fœmina de pago Noviomensi, nomine Ruoitla, quinquennio caca, inter Missarum solennia lumen quod amiserat, Christo Domino per merita Sanctorum suorum donante recepit. In octavis Apostolorum, id est, pridie Nonas Julii, quidam homo, Gunthardus nomine, de eodem pago, velut paralysi percussus, ad Basilicam Sancti Salvii à suis adductus est, qui, ut dicebant, jam unum annum habebat in eadem infirmitate, & tam vehementer in sinistra parte corporis sui debilitatus est, ut nec manum ad os ducere, nec se vel lavare vel calceare valeret. Hic per misericordiam Dei meritáque Sanctorum tempore matutinalis Officii in ipsa solennitate sanus effectus est. Similiter & alius homo, nomine Hildebonus, veniens de Monasterio, quod ad duos Gemellos appellatur, cùm ab infantia cæcus esset, ac lumen cæli in tota vita sua non vidisset, in celebratione Missarum in eadem die in eadem Basilica per eosdem Sanctos, eodem Domino miserante atque auxiliante, visum recepit, & omnia, quæ priùs non vidit, clarè videre meruit. Die verò Nonarum Juliarum, puella quædam parvula, nomine Reginlindis, quæ non amplius quàm septennis esse videbatur, cùm tribus annis oculorum suorum lumine caruisset, & inter ceteros in Basilica ad divinum Officium audiendum constitisset, intervenientibus Sanctorum meritis, coram omni multitudine illuminata est. Quarto Idus Julii caca quædam, nomine Alagia, quæ duobus ferè annis visu carebat, inter sacra Missarum solennia, suffragantibus sibi Sanctorum precibus, à Domino Jesu Christo illuminata est. Eâdem die cæcus quidam valdè senex de villa Gualiacas, Ermenwardus vocabulo, qui annis quatuordecim nihil videre potuit, ad vespertinum Officium Ecclesiam ingressus, beatos Martyres invocavit, ac statim cæcitate depulsâ diu desideratam lucem Domino adjuvante recepit. Septimo Calendas Augusti puella quædam, quæ ab immundo spiritu vexabatur, in Basilicam adducta, dum sacræ oblationis Officium celebratur, per virtutem Christi & merita beatorum Martyrum fugato dæmone integerrimam mentis & corporis meruit recipere sanitatem.

IX. GANDAM, Eginhardus Monasterio quoque Sancti Bavonis apud Gandam Reliquias Sanctorum Martyrum Marcellini ac Petri dedit, & ab illius loci Monachis libellum accepit, in quo Miracula per ordinem illic gesta memorabantur. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vicesimo-octavo venerunt Reliquiæ Sanctorum Christi Martyrum Marcellini & Petri ad Monasterium*

Sancti Bavonis die quinto Non. Jul. feriâ ſextâ, Indictione VI. *Tertiâ verò die, id eſt, Dominicâ proximâ, quæ fuit tertio Nonas Julias, quædam puella cæca, nomine Hartlinda, de villa quæ Furſenum appellatur, quam pater & mater teſtati ſunt octo annis oculorum officio carniſſe, cùm ante altare, ſuper quod ſacra Martyrum Reliquiæ erant poſitæ, fuiſſet adducta, coram omnibus qui aderant viſum Domino miſerante recepit. Inde poſt dies octo, id eſt, quarto Idus Julii adducta eſt altera puella ſimiliter cæca, nomine Helmrada, de villa Magle nuncupata, cujus parentes de ea retulerunt, quod octavâ die, poſtquàm baptizata fuit, ſubitâ cæcitate percuſſa ſit, quæ & ipſa ſtatim coram ſacris Martyrum cineribus lumen, quod jamdudum perdidit, Domino ſibi reddente recepit. Exin die tertiâ, quod fuit pridie Idus Julii, venit illuc puella quædam curva, nomine Blidrada, de villa Bodereſio, quæ pertinet ad Monaſterium Sancti Vedaſti. Quæ cùm ante memoratas Sanctorum Reliquias pro reſtitutione ſalutis ſuæ Dominum Chriſtum ſuppliciter invocaſſet, coram omnibus qui aderant erecta eſt, & integrum corporis ſui ſtatum in momento temporis recipere meruit. Poſteà verò duodecimo Calend. Aug. fœmina quædam, nomine Eddela, ancilla Sancti Amandi, de villa Baceroda vocata, quæ plurimis annis oculorum lumine caruiſſe dicebatur, ibidem fideliter orans viſum recepit. Eodem die ſervus quidam Sancti Bavonis, Eberaldus vocabulo, de villa Millinio, qui & ipſe per plures annos lumen cæli non vidit, cunctis qui aderant cernentibus eodem in loco diu deſideratâ luce donatus eſt. Ipſâ quoque die duæ viduæ, quæ plurimis annis cæcæ fuerant, ibidem illuminatæ ſunt, quarum altera nomine Bliduvara de villa Accinio, altera Richerta vocata de villa Werminio fuiſſe narratur. Deinde poſt dies viginti-quinque, id eſt, in feſtivitate Aſſumptionis Sanctæ Mariæ, fœmina quædam vocabulo Angarihilda de villa Goiaco, coram ſacris Martyrum Reliquiis, omni populo cernente & id quod evenerat admirante, ita incurvata eſt, ut penitus ſe ad cælum videndum erigere non poſſet; eadémque ſequenti die, id eſt, decimo-ſeptimo Calendas Septembris in eadem Eccleſia, cùm Evangelium legeretur, eodem populo teſte, ita erecta atque in ſtatum priſtinum reſtituta eſt, ac ſi nunquam per ullam corporis ſui læſionem ad terram fuiſſet inclinata. Poſteà verò ſecundâ & viceſimâ die menſis Septembris, id eſt, decimo Calendas Octobris homo quidam de pago Texandria ex villa quæ Appennia nominatur, vocabulo Liodoldus, qui propter ſiniſtri cruris ac pedis imbecillitatem duobus ſe baculis ad incedendum ſuſtentabat, ita ibidem in conſpectu populi perfectè curatus eſt, ut ultrà jam in ambulando baculorum adminiculo non egeret. Quartâ verò die poſt patrationem hujus Miraculi, id eſt, ſeptimo Calendas Octobris, juvenis quidam ſurdus & mutus ſiniſtrâ quoque manu contractus, nomine Hunwaldus, de villa Corvio nuncupata, cùm ante ſacras Martyrum Reliquias veniſſet, atque ibi ſuppliciter oraſſet, ſtatim per virtutem Chriſti depulſis univerſis, quibus afficiebatur incommodis, ita ſanus effectus eſt, ac ſi numquam aut ſurdus, aut mutus, aut ex contractione nervorum in manu fuiſſet aliquo modo debilitatus. Sequentique die, hoc eſt, ſexto Calendas Octobris, fœmina quædam, nomine Engilgarda, quæ per multos annos dirâ paralyſis paſſione tenebatur, eadem in Baſilica per merita beatorum Martyrum coram omni populo eſt curata, erat eadem ancilla pertinens ad Epiſcopium Tornacenſe, de villa quæ Werecundia nominatur. In craſtinum verò, id eſt, quinto Calendas Octobris, altera quædam fœmina, nomine Ramburga, de villa Bertingaheim, ſimili paſſione in inferiori corporis ſui parte valdè debilitata, cunctis qui aderant videntibus, coram eiſdem Sanctorum Reliquiis perfectam membrorum ſuorum firmitatem recepit, atque à morbo, quo per decem annos laboraſſe ferebatur, Deo volente in momento temporis liberata eſt. Eâdem die vir quidam cæcus, nomine Germarus, de villa Schaltheum, quæ juxta oſtium Schaldi fluminis in maritima Friſonum regione poſita eſt, cùm ibi pro calamitate, quam patiebatur, Domini miſericordiam & beatos Martyres invocaſſet, diu negatum lumen cum lætitia recipere meruit. Quartâ autem die, poſtquàm, hoc ſignum Domino volente contigit, id eſt, pridie Calendas Octobris, quædam ancilla Sancti Bavonis, vocabulo Gundrada, de villa Aldingaheim, quæ tribus ferè annis Solem non viderat, ubi ſe co-*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

X. ET TRAJECTUM AD MOSAM.

ram altari adorandum proſtraverat, lumen, quod amiſerat, Chriſto Domino per merita Sanctorum ſuorum largiente recepit.

Eorumdem etiam Martyrum Reliquiis Eginhardus Eccleſiam Sancti Servatii Confeſſoris apud Trajectum ad Moſam decoravit, & libellum, in quo ſeries hæc Miraculorum habebatur, ab illius loci Clericis accepit. *Adventus Sanctorum Chriſti Martyrum Marcellini & Petri ad vicum Trajectum contigit pridie Nonas Junii.* Illo die *puer quidam Berngiſus, quem propinqui ſui de pago Cundenſio ante paucos dies illuc venientes adduxerunt cæcum à nativitate, ſubitò coram omnibus in pavimentum cecidit, ibique aliquandiu velut ſopore depreſſus jacuit, móxque apertis oculis lucem, quam nunquam antè vidit, Chriſto Domino per merita Sanctorum ſuorum donante conſpexit. Exin quintâ die, id eſt, ſexto Idus Junii, homo quidam cognomento Hildimarus, qui ſurdus erat & mutus, coram eiſdem ſacris Sanctorum Reliquiis & auditum pariter & loquelam per virtutem Chriſti recepit. Eadem quoque die puella quadam de familia Sancti Lamberti, nomine Adallinda, quæ non ſolùm ſurda & muta, ſed etiam cæca, totóque corpore tam miſerabili modo ex nervorum contractione erat complicata, ut genua pectori jungerentur, juxta ſacras Martyrum Reliquias à ſuis poſita, & viſum & auditum, loquelam etiam omniúmque membrorum rectitudinem ac ſalutem, coram omnibus qui aderant, mirabili celeritate divino munere conſecuta eſt. Poſtridie vero, id eſt, quinto Idus Junii, quidam ſervus Regius, nomine Berohadus de villa Creſciaco, in dextera ſui corporis parte per totum ex nervorum contractione debilitatus & inutilis factus, cùm ante memoratas Sanctorum Reliquias veniſſet, ſtatim erectus, & ſanitati, quam deſiderabat, ſine mora eſt redditus. Similiter & puella quædam de ipſo vico Trajecto, vocabulo Theothildis, cujus dextera manus erat ſimili contractione in tantùm complicata atque diſtorta, ut ad omnem uſum eſſet inutilis, hac eâdem die ante eaſdem Sanctorum Reliquias curata eſt. Quibus viſis populus in Baſilica congregatus cœpit præ nimia exultatione atque lætitia in Hymnis & Litaniis, ſublatis in altum vocibus, laudes Domino decantare, cùm ſubitò intravit puer quidam ſurdus, atque in media plebis multitudine ſtupefactus, & attonito ſimilis conſtitit; ac deinde cùm ante altare Sancti Salvatoris, quod in media Eccleſia poſitum eſt, perveniſſet, erumpente protinus de naribus ejus ſanguine, quo diu privatus fuerat, auditûs officio donatus eſt. In craſtinum autem, id eſt, quarto Idus Junii viſum eſt nobis, ut feretrum, quod ſacros Martyrum cineres continebat, altiùs elevari deberet, ad hoc videlicet, ut aliquantò eminentius eſſet, quàm altare cui appoſitum erat, & faciliùs ab accedentibus cerni potuiſſet. Idque nobis facientibus & inter faciendum Litanias cum Dei laude canentibus, puella quædam de familia Sancti Servatii à nativitate ſua pedibus ex contractione diſtortis, manibus etiam ex nervorum diſtenſione diſſolutis, inſuper & muta, quam paulò antè in Baſilicam ſui detulerunt, & coram feretro poſuerunt, ſubitò ſanitati eſt reddita, ita ut eâdem horâ & loqui, & incedere, & manibus ad omnia neceſſaria perfectè uti potuerit. Fœmina quædam de ipſo vico Trajecto, cùm haberet ancillam cæcam, nomine Adalgardam, ingreſſa Baſilicam, tradidit eam Sanctis Martyribus Marcellino & Petro, ut per eorum ſuffragia viſum recipere mereretur, ibique dimiſit; quæ cùm poſt peractum veſpertinale Officium in eadem Eccleſia ſubſtitiſſet, ſubitò velut ab aliquo impulſa in pavimentum cecidit, atque ibi diu volutata, tandem cum ingenti circumſtantis populi ſtupore atque admiratione clarè videns ſurrexit. Contigit hoc Idibus Junii ad veſperum, ipſo noctis incipiente crepuſculo. Homo quidam de provincia Burgundia ex territorio Gennavenſi, nomine Theotgarius, eâ paſſione laborans, quam medici Græco vocabulo ſpaſmon appellant, Latinè autem ab aſſidua membrorum agitatione, tremuloſa non incongruè vocari poteſt, venit in Baſilicam, atque in media populi turba, quæ ad audienda Miſſarum ſolennia, ut in die Dominico moris eſt, fuerat congregata, conſtitit; cúmque poſt recitatam Evangelii lectionem Chriſtianæ credulitatis Symbolum recitaretur, tremuloſus ille ſubitò ad terram corruit, & dum divinum officium peragitur, penè immobilis ac mortuo quàm viventi ſimilior jacuit, multóque ex nari-*

Digitized by Google

bus ejus ſanguine manante, poſt completum ſacrum Officium cum magna inſpectantis populi admiratione ſanus ac ſine ulla trepidatione ſurrexit. Factum eſt hoc Miraculum decimo-octavo Calendas Julii, die Dominico, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt. Quartâ autem feriâ, id eſt, decimo-quinto Calendas Julii, puer quidam, nomine Folchardus, de Monaſterio, quod Meldradium vocatur, qui erat cruribus ac pedibus miſerabili contractione diſtortus, eodem in loco coram omni populo curatus eſt. Undecimo Calendas Julii venit quidam homo ad Eccleſiam, & inter ceteros intravit, cujus dextra manus ſimul cum brachio modo mirabili movebatur in gyrum, ac ſi molam vertere deberet, idque inceſſanter agebat. Is dicebat ob hoc ſibi hanc inquietudinem accidiſſe, quia die Dominicâ contra vetitum moleret, & jam annum integrum evolutum eſſe, ex quo hujuſmodi pœnâ mulctatus eſt. Qui cùm ad ſacras Martyrum Reliquias appropiaſſet, ibique fideliter eos invocaſſet, molaris illa commotio ſubitaneâ quiete ſopita eſt. Hic homo de Monaſterio Scotorum, quod Foſſa vocatur, ſe veniſſe Dothiumque appellari dicebat. In vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ, quæ eſt die nono Calendarum Julianarum, venit quidam vir Trajectum ad Baſilicam Sancti Servatii, qui ſe de civitate Tornaco eſſe fatebatur. Is, ut ipſe aiebat, fuit ab infantia ſurdus & mutus, ductúſque à ſuis ad Sanctum Sebaſtianum cœpit ibi & audire & loqui ſed inefficaciter, quoniam verba ejus vix intelligebantur; ipſe quoque, cùm alii ad eum loquerentur, tenuitatem auditûs ſui diſſimulare non poterat. Qui ubi ad matutinum Officium venit, coram ſacris Reliquiis procumbens obdormivit, nec multò pòſt, velut aliquo excitante evigilans, quis os ſuum pugno percuſſiſſet, à circumſtantibus perquiſivit. Cui cùm omnes neminem hoc feciſſe reſpondiſſent, ſurrexit, eadémque horâ ſanus factus perfectè, ſine ullo impedimento & audivit & locutus eſt. Monaſterium Sanctimonialium, Eikt vocabulo, ſitum ſuper Moſam fluvium eſt, in quo quædam Deo ſacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralyſis morbo diſſoluta jacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis ſuis aſtitiſſe, ac tali ſermone eam compellaſſe viſus eſt, ut diceret. Quid agis? Cui cùm illa non aliud quàm ſe in lecto ſuo quieſcere reſpondiſſet, audiſtine, inquit, aliquid de Sanctis, qui in Trajecto ad Sanctum Servatium venerunt? Cui cùm nihil de his ſe audiſſe reſpondiſſet, ſurge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende. Nam ibi es omnium membrorum tuorum receptura ſanitatem. Sed cùm expergefacta nihil de his facere curaſſet, iterum ſequenti nocte ab eodem ſimili modo eſt admonita, ut Trajectum pergeret. Illa tamen, ut priùs, ſpretâ monentis voce, quò jubebatur, diſtulit proficiſci. Tertiâ verò nocte vidit eundem ſibi aſtare; & cum quadam ſeveritate, cur monita ſua contempſiſſet, interrogare; baculóque, quem tunc manu tenere videbatur, latus ejus percutere; atque, ut Trajectum velociter pergeret, imperare. Nec illa jam auſa trinæ viſionis authoritati reſiſtere, accitis ad ſe propinquis & amicis, Trajectum ut ſibi juſſum erat deducitur, & in Baſilica beati Servatii juxta ſacros Martyrum cineres collocatur. Cúmque ibi promiſſa ſanitatis præſtolaretur eventum, quinto demùm die, poſtquàm illuc venerat, cum magna omnium admiratione perfectam totius corporis ſui meruit recipere ſanitatem.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

XI. Sequuntur apud Eginhardum duo Miracula, ſed ea nec geſta ſunt in locis, ad quæ Reliquias Eginhardus ex Aquenſi vico transmiſit, nec anno conveniunt biſextili qui præditus ſit literis Dominicalibus E & D, ſed anno cujus litera Dominicalis B. Quapropter à nobis in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum rejicientur. Interim quomodo Reliquiarum, quas Hildoinus Abbas Medardinus Eginhardo reddidit, potior pars ab Aquis ad Mulinheimium hoc anno tranſlata ſit, ex eodem accipe Eginhardo [a]. *Nos*, inquit, *comparatis, quæ ad profectionem noſtram neceſſaria videbantur, cum eiſdem Reliquiis de vico Aquenſi promovimus. In ipſo autem noſtræ egreſſionis articulo, cùm Miſſarum ſolennia celebrarentur, anus quædam in Palatio notiſſima, annorum circiter octoginta nervorum contractione laborans, in conſpectu noſtro curata eſt. Quæ, ut ipſâ narrante didicimus, per quinquaginta annos hoc morbo detenta, more quadrupedum genibus manibuſque nitendo officium ambulandi reptando im-*

[a] Lib. 2. cc. 7. & ſeqq.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

pleverat. Inde iter ingreſſi ſuffragantibus Sanctorum meritis ſextodecimo die Mulinheimum vicum, in quo ſacros beatorum Martyrum cineres ad comitatum profecturi dimiſimus, Domino adjuvante pervenimus. Vurmus dicitur fluviolus, anobus ferè paſſuum millibus ab Aquenſi Palatio diſtantem habens pontem. Ad quem venientes, propter multitudinem, quæ nos eò uſque de Palatio proſequebatur, jámque redire volebat, ut orandi locum haberet, parumper conſtitimus. Ibi quidam de orantibus cum alio ad Reliquias accedens, ſociúmque reſpiciens, propter amorem, inquit, atque honorem hujus Sancti, ære alieno, propter quod te mihi obnoxium eſſe non ignoras, abſolvo; debebat enim ei, ut ipſe fatebatur, dimidiam argenti libram. Itémque alter ſocium ſuum manu comprehenſum ad Reliquias trahens, patrem, ait, meum occidiſti, ac proinde inimici eramus ad invicem, nunc autem propter amorem atque honorem Dei & hujus Sancti, depoſitâ ſimultate, fœdus tecum jungere atque inire volo, ut abhinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat, ſitque hic Sanctus conditæ in invicem charitatis teſtis & ultor in eum qui hanc pacem prior irrumpere tentaverit. Hîc illa turba, quæ nobiſcum de Palatio fuerat egreſſa, adoratis atque oſculatis ſacris Reliquiis, cum multis lachrymis, quas præ nimio gaudio continere non poterat, domum revertitur, aliâ multitudine, quæ ibi nobis obviavit, nos comitante, atque Kyrie eleiſon ſine intermiſſione cantante, uſque ad eum locum, in quo ſimili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. Quæ tunc ſimiliter, ut prior, ſupplicatione factâ ad ſua reverſa eſt. Hoc modo per ſingulos dies à prima luce uſque ad veſperam comitantibus ac Domino Chriſto laudem dicentibus populorum turbis ab Aquenſi Palatio uſque ad memoratum Mulinheim vicum, Domino iter noſtrum proſperante, pervenimus. Atque ibi illas Reliquias ſuper altare, pone quod loculus ſacros Martyrum cineres continens poſitus erat, gemmatâ capſâ reconditas collocavimus, fuerúntque ibi ſic poſitæ, uſquedum nos menſe Novembrio ad Palatium ire parantes, per revelationem admoniti ſumus, ne priùs de illo loco proficiſceremur, quàm eas corperi, de quo ſumptæ erant, conjungeremus. Erat unus de Clericis, qui ad excubias Baſilicæ deputati fuerunt, nomine Landolfus, cui tunc ſigni tangendi cura commiſſa fuerat, habens ſtratum ſuum juxta Auſtralem Baſilicæ januam. Qui cùm ſecundùm conſuetudinem nocturni ac matutinalis Officii ſolenni more ſurgeret, ſignúmque moveret, completóque ante lucem eodem Officio rurſum dormire vellet, clauſis Eccleſiæ foribus, coram Sanctis Martyrum cineribus ſupplicandi gratiâ ſe proſtravit. Ibi cùm Pſalmum quinquageſimum, ut ipſe aſſerit, dicere inciperet, audivit juxta ſe in pavimento velut ſonitum pedum hominis, huc atque illuc ibidem deambulantis. Conſternatúſque pavore non minimo erexit ſe paululum in genua, & in omnem partem circumſpicere cœpit, æſtimans aliquem de pauperibus, clauſis Eccleſiæ januis in quolibet angulo delituiſſe. Cúmque nullum alium quàm ſe ſolum intra parietes Baſilicæ eſſe cerneret, iterum ſe ad orationem inclinavit, ac Pſalmum, quem priùs inchoaverat, repetivit, ſed antequàm unum ejus verſum complere potuiſſet, capſa, quæ altari impoſita ſacras beati Marcellini Reliquias continebat, repentino crepitu tam vehementer inſonuit, ut quaſi malleo percuſſa diſſiluiſſe putaretur. Duo quoque oſtia Baſilicæ, quæ jam clauſa erant, Occidentale videlicet atque Auſtrale, velut aliquo pulſante atque impellente, ſimili modo ſonuerunt. Quibus exterritus ac ſtupefactus, cùm quid ſibi agendum eſſet penitus ignoraret, ſurgit ab altari, & in lectum ſuum ſe pavitando projecit, ſubitóque ſopore depreſſus vidit ſibi quendam ignoti vultûs virum aſſiſtere, qui ſe talibus verbis compellaret. Certúmne eſt, ait, Einhardum ſic ad Palatium properare velle, ut Reliquias Sancti Marcellini, quas huc detulit, priùs in locum, de quo ſublatæ fuerant, non reponat? Cùm ille ſe hujus rei ignarum eſſe reſpondiſſet, ſurge, inquit, primo diluculo, eíque ex authoritate Martyrum præcipe, ne hinc abire vel alicubi pergere præſumat, antequàm Reliquias illas loco ſuo reſtituat. Expergefactus ſurrexit, & ubi me primùm convenire potuit, hoc, quod ſibi fuerat imperatum, mihi intimare curavit. Sed neque ego ſegniter in hujuſcemodi negotio aliquid agendum arbitratus, imò id quod jubebatur ſine ulla morarum interpoſitione adimplendum eſſe judicans, ipſâ quidem die ea, quæ ad hoc neceſſaria videbantur,

præparare

præparare juſſi; ſequenti verò, ſacras illas Reliquias corpori, de quo ſumptæ fuerant, cum ſumma diligentia ſociare curavi. Quod factum quàm gratum beatiſſimis Martyribus foret, atteſtatione Miraculi ſubſequentis liquidò comprobatur. Nam proximâ nocte cùm ad matutinum Officium in Baſilica ſolenniter ſederemus, ſenex quidam greſſuum officio deſtitutus, genibúſque ac manibus nitens reptando ad orationem intravit. Is coram omnibus nobis per virtutem Dei & merita beatiſſimorum Martyrum eâdem, quâ ingreſſus eſt, horâ ita perfectè curatus eſt, ut ad incedendum ne baculi quidem ſuſtentatione ulteriùs indigeret. Qui etiam & ſurdum ſe per continuum quinquennium fuiſſe, ſimúlque cum officio pedum auditum ſibi redditum affirmabat. His ita peractis, ad comitatum, ſicut ſuperiùs me facere voluiſſe retuli, ibidem hyematurus multa mecum reputando profectus ſum. Secundus Eginhardinæ lucubrationis liber ita clauditur.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Qui ſequitur tertius liber totus eſt de Miraculis, quæ facta ſunt apud Mulinheimium, poſtquàm illuc Româ delatæ primùm ſunt prædictorum Martyrum Reliquiæ. Tot prodigiis ſuperſedemus, ne prolixitatem nimiùm affectare videamur. Temperare tamen non poſſumus, quin Eginhardum comitemur euntem ad comitatum, & è comitatu nuncios mittentem, per quos reſcire poſſit, quid apud Mulinheimium agatur.. Eginhardus menſe Novembri, *ſecundùm conſuetudinem in Palatio hyematurus*, ad comitatum ire diſpoſuit, *jámque iter ingreſſus, tranſmiſſo flumine Rheno in villam Regiam, cui Sinciacus vocabulum eſt*, ad manendum venit, nec illa manſio Miraculis caruit, quorum narrationem brevitatis causâ prætermittimus. Cur Eginhardus hoc anno ſtatuerit hyemem agere in Palatio, peculiarem ipſemet rationem ſubjecit, quòd Conventui Procerum apud Aquiſgranum celebrando mediâ ferè hyeme adeſſe juſſus eſſet. *Inde*, inquit, *digreſſus*, id eſt, è villa Sinciaco, *ad comitatum perrexi. Nam Imperator Ludovicus eo tempore Aquiſgrani Palatio conſiſtens, Conventum Procerum ibi fieri mediâ ferè hyeme præceperat, ubi & ego inter ceteros adeſſe juſſus.* Quàm moleſtè autem ferret ſe procul à Sanctorum Marcellini & Petri liminibus abeſſe, diſſimulare non potuit, nam proximo menſe ſeu Decembri ſub hujus anni finem nuncium ad Mulinheimium direxit, idque poſteris ita tradidit. *Quia de vicinia beatorum Martyrum abeſſe cogebar, parum jucundas in Palatio moras faciebam. Ideóque poſt unum, ex quo illò veneram, menſem exactum, miſi quendam ex noſtris, nomine Ellenhardum, præcipiens ei, ut ad limina beatorum Martyrum quantâ poſſet celeritate feſtinaret, viſitatiſque fratribus noſtris, quos inde digrediens ad divinum ſervitium faciendum ibi dimiſeram, atque omnibus, qui ibidem agerentur, diligenter exploratis, ad nos citò recurreret.* Ellenhardus in vico Mulinheimio quatriduum manſit, & antequàm illinc digrederetur, oculatus teſtis fuit inſignis Miraculi, quod ab Eginhardo ſic deſcribitur. *Cùm illuc*, id eſt, ad Mulinheimium, *veniſſet* Ellenhardus, *tribus ibi manſit diebus. Quarto verò cùm jam ad nos reverti diſponeret, cæcus ille, nomine Albricus, cujus in ſuperioribus fecimus mentionem,* capite videlicet quinto libri tertii, *detinuit abire parantem, affirmans eum non priùs iter ſuum ingreſſurum, quàm tale ſignum fieri vidiſſet, cujus relatione me latum atque oppidò gaudentem efficeret. Addidit etiam beatiſſimos Martyres præteritâ nocte ſibi in ſomnis apparuiſſe, atque hoc in mandatis dediſſe, ut perquireret quendam pauperem, nomine Giſalbertum, immani gibbo depreſſum, ac proinde curvum, & brevibus baculis innitentem, atque inventum in cœnaculo, quod ſupra porticum Baſilicæ eſt, tempore matutini Officii juxta Reliquias, quæ ibi erant, collocaret, eò quòd ibi per merita & virtutem Sanctorum, quorum illæ Reliquiæ eſſent, de illa gibbi deformitate atque curvitatis incommodo liberari deberet. Parvit ille ſuadenti, atque iter, quod aggredi paraverat, diſtulit in craſtinum. Ac cæcus ille juſſum pauperem perquirens invenit, &, ut ſibi præceptum erat, in ſuperioribus Eccleſiæ partibus juxta prædictas Reliquias Officii matutini tempore collocavit. Erant autem illæ Reliquiæ, quod nondum noveramus, beati Martii Martyris, & uxoris ac filiorum ejus, Marthæ videlicet, Audifacis & Habacuc. Quæ utique*

XII.

MIRACULA APUD MULINHEIMIUM.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

ſimul cum Sanctorum Marcellini & Petri corporibus, & in eodem loculo ad nos perlata ſunt, ſed is, qui eas detulit, cujus eſſent Reliquiæ, neſcivit. Nam ille, qui eas mihi miſerat, promiſit ſe ad me eſſe venturum, ac nomina Sanctorum, quorum hæ Reliquiæ forent, per ſemetipſum mihi indicaturum, quod poſteà factum eſt. Pauper verò, qui juxta illas à memorato cæco fuerat collocatus, cùm ſecunda lectio ad nocturnum Officium ex more legeretur, edito ingenti clamore, non modicum pavorem audientibus incuſſit. Ad quem cùm nonnulli Clericorum unà cum illo, qui hoc ibi opperiri juſſus fuerat, accurriſſent, invenerunt eum pronum atque extenſum propter altare jacentem, pavimentúmque, quod ori ejus ſubjectum erat, plurimo ſanguine madens. Quem levantes & allatâ aquâ refocillantes, ſanum & rectum, neque ulla cameliæ illius tortitudinis ſigna retinentem in inferiores Eccleſiæ partes gratulabundi deduxerunt. Quo Miraculo in hunc modum peracto, is, quem illuc miſeram, ad me cum ſumma feſtinatione regreſſus, cùm ea quæ viderat retuliſſet, magno nos gaudio atque exultatione replevit. Lege librum tertium de Tranſlatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, capitibus decimo & undecimo.

XIII. Ut Eginhardo ſuprà deſcripto ſua ſtet fides, imprimis probandum nobis incumbit Imperatorem ex Aquenſi vico non diſceſſiſſe ante Paſcha, confectiſque variis itineribus illic etiam degiſſe menſe Novembri. Utrumque patet ex Annaliſta Laureshamenſi ad hunc annum ita ſcribente. Ludovicus Auguſtus Conventum *Aquiſgrani menſe Februario* celebravit. *Junio menſe ad Ingelheim venit, ibíque per aliquot dies Placitum habuit.* Deinde *ad villam Franconofurt profectus eſt. Ibíque aliquamdiu moratus, Wormatiam venit, & inde Theodonis villam perrexit.* Poſtremò *circa Miſſam Sancti Martini Aquaſgrani ad hyemandum venit.*

XIV. Rerum hoc anno geſtarum narrationem ſic idem orditur Annaliſta. *Conventus Aquiſgrani menſe Februario factus eſt. In quo cùm de multis aliis cauſis, tum præcipuè de iis, quæ in Marca Hiſpanica contigerunt, ratio habita, & Legati, qui exercitui præerant, culpabiles inventi juxta merita, honorum amiſſione multati ſunt. Similiter & Baldericus Dux Foro-Julienſis, cùm propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ ſuperioris impunè vaſtaſſent, honoribus, quos habebat, privatus, & Marca, quam ſolus tenebat, inter quatuor Comites diviſa eſt.*

MARCA FORO-JULIENSIS IN QUATUOR COMITATUS DIVIDITUR.

Aſtronomus eadem refert, illóſque, quibus Imperator vitam clementer indulſit, eâ miſericordiâ per inſignem malitiam in crudelitatem abuſos obſervat. *Equidem*, inquit, *Imperatoris animus naturâ miſericordiſſimus ſemper peccantibus miſericordiam prærogare ſtuduit. At verò ii, quibus talia præſtita ſunt, quomodo clementiâ illius abuſi ſunt in crudelitatem, poſt pauca patebit, quam claruerit, quomodo pro vita beneficio, ſummam ei, quantum in ſe fuit, importaverint cladem.* In horum numero fuit Matfridus Comes Aurelianenſis, quem Ludovicus Auguſtus exautoravit, ſubrogato in ejus locum Odone, ut Adrevaldus docet libro primo [a] de Miraculis Sancti Benedicti.

[a] Cap. 20.

XV. Scriptores inter ſe non conveniunt de Legatione, quam Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus & Ansfridus Nonantulanus Abbas obierunt. Illos enim Annaliſta vult à Ludovico directos fuiſſe, cùm Aquiſgranenſis Conventus habebatur. Aſtronomus verò reverſos eos ait eodem Conventu nondum ſoluto, miſsóſque longè ante illud Placitum ſupponit, quis enim tempus, quo Conventus ille factus eſt, adeò longum fingat, ut interim Oratores Aquiſgrano Conſtantinopolim proficiſci, Legatione defungi, Conſtantinopoli Aquiſgranum redire potuerint? Standum arbitramur ab Annaliſta. Hujus textus talis eſt. *Halidgarius Cameracenſis Epiſcopus & Ansfridus Abbas Monaſterii Nonantulæ, Conſtantinopolim miſſi, & à Michaele Imperatore honorificè ſuſcepti ſunt.* Aſtronomus autem ſic habet. *Ipſo tempore Halitcarius Cameracenſis Epiſcopus & Auffridus Nonantulæ Monaſterii Abbas, à tranſmarinis partibus redeuntes, humaniſſimè ſe ſuſceptos à Michaele retulerunt.* Ambos hos Auctores ita conciliat Annaliſta Bertinianus. *Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus*

Digitized by Google

& Hansfridus Abba Monaſterii Nonantulæ, Conſtantinopolim miſſi, & à Michaele Imperatore, ſicut ipſi inde reverſi retulerunt, honorificè ſuſcepti ſunt. Ergo, cùm Francorum Conventus apud Aquiſgranum congregatus erat, Legati Conſtantinopolim directi ſunt Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus & Anſfridus Abbas Nonantulanus, quos Michael Imperator honorificè ſuſcepit, ut ipſimet poſt ſuum ex Oriente reditum palàm prædicarunt. Cauſam Legationis antiqui non produnt Annales, at eos ſuſpicari licet ad Michaelem eodem miſſos conſilio, quo Legati ejuſdem Michaelis priori menſe Septembri Compendium, nempe *propter fœdus confirmandum*, venerant. AN. CH. 828. LEGATI MITTUNTUR CONSTANTINOPOLIM.

Pippinus Aquitaniæ Rex ſexto Idus Martii, cùm apud Aquiſgranum adhuc moraretur, hoc anno, Regni ſui decimo-quarto, Regiam pro Monaſterio Sam-Martiniano Chartam emiſit, cujus mentionem Tomo ſuperiore jam ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſextum [a] fecimus, ut Alcuinum Abbatem Itherii ſucceſſorem deceſſoremque Fridigiſi probaremus. Regii Diplomatis hoc fuit argumentum. Quidam fideles, ad comparandas fratrum veſtes, Sam-Martiniano Monaſterio Marciagum villam in pago Arvernico ſitam tradiderunt. Hanc Itherius Abbas, ad petitionem Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, Erlaldo ejuſdem Ludovici Seneſchallo conceſſit eâ conditione, ut Erlaldus exinde cenſum annuatim perſolveret. Alcuinus ipſius Itherii ſucceſſor villam eandem prædicto Erlaldo ſimiliter ad petitionem Ludovici Regis ſub eodem quoque cenſu conceſſit eâ lege, ut abſque ullâ interpellatione cum omnibus appendiciis ſuis in ditionem prælaudati Monaſterii poſt obitum Erlaldi rediret. Poſteà Ludovicus, cùm Imperator eſſet, atque à longo jam tempore Pippinum filium Aquitanici Regni conſortem feciſſet, à Fridigiſo Abbate Sam-Martiniano rogatus eſt, ut villam, quæ per tot annos ad Regiam petitionem in beneficio ſub cenſu habita fuerat, à Monaſterii poteſtate poſt Erlaldi deceſſum ſubtrahi nullomodo pateretur. Poſtulationi lubenter annuit, eâque de re Chartam à Pippino Rege fieri juſſit. Secuta poſtmodum mors Erlaldi. Tunc Pippinus prædictas res Sam-Martiniano Cœnobio reddi præcepit, & ad iteratas Fridigiſi preces inclinatus Præceptum emiſit, quod totam iſtius negotii ſeriem continet, & à Joanne *Beſly* ex Pancharta nigra Sancti Martini Turonenſis in Regibus Aquitaniæ publicatum ſic extat. *Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum. Noverit omnium fidelium nòſtrorum, præſentium ſcilicet ac futurorum, ſolertia, quia Fridigiſus Vir Venerabilis Abba ac Rector Eccleſiæ beatiſſimi Martini Patroni videlicet noſtri, ſuggeſſit Serenitati Genitoris noſtri Domni Hludovici Sereniſſimi Auguſti, pro quadam villa, nomine Marciagus, quæ in pago Arvernico ac Tolornenſi in vicaria Claramunt ſita eſt, quæ dudum à quibuſdam fidelibus per Chartulas ceſſionis memoratæ Eccleſiæ ſpecialiter ad veſtimenta fratrum collata fuerat. Quam etiam Iterius Abba quondam Erlaldo ejuſdem Genitoris noſtri Seniſcalco per ejus petitionem eâ conditione, ut annuatim exinde cenſum perſolveret, conceſſerat, & quam poſteà Domnus Alcuinus ſucceſſor ipſius ejuſdem Monaſterii Rector ſimiliter ad petitionem Genitoris noſtri prædicto Erlaldo ſub eodem cenſu per ſcriptum habere permiſerat, eo modo ut poſt deceſſum illius abſque ulla interpellatione memorata villa cum omnibus appendiciis & rebus ſibi pleniter aſpicientibus in ditionem præfatæ Eccleſiæ immeliorata reſtitueretur, obſecrans ut ejus conſueta pietas efficeret, quatenus propter hanc occaſionem, id eſt, quia tamdiu per petitionem ejus fuerat ſub cenſu in beneficio habita, ne aliquando poſſet à poteſtate ipſius Monaſterii ſubtrahi. Cujus ſuggeſtioni Genitor noſter lubenter annuens, præcepit nobis, ut jamdicta res poſt deceſſum memorati Erlaldi per illius & noſtram auctoritatem, ſecundùm præſcriptam conditionem, in poteſtatem Sancti Martini reducerentur. Sed, dum hæc agerentur, ſæpedictus Erlaldus finem vivendi fecit, & nos prædictas res per Miſſos noſtros ad partem Sancti Martini coram multis, ſicut & factum eſt, reddere juſſimus. Sed ſuperiùs nominatus Fridigiſus Abba petiit Celſitudini noſtræ, ut pro firmitatis ſtudio noſtram Præceptionem ſuper hoc ei facere ju-* PRÆCEPTUM PIPPINI R. PRO MON. S. MARTINI.

[a] Num. 135.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

*beremus, per quam omnes occasiones, quæ à malevolis hujus rei gratiâ objici poterant, in futurum penitus excluderentur; & ipsa res absque alicujus contradictione, substractionéve, aut deminoratione, in deditionem beati Martini nostris & futuris temporibus sub nostræ tuitionis defensione & immunitatis auctoritate, sicut cetera res ejusdem Ecclesiæ irrefragabiliter possiderentur. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus ex fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, de prædictis rebus aliquam inquietudinem aut contrarietatem Rectoribus Sancti Martini aut eorum Procuratoribus facere præsumat; sed liceat eas per hoc nostræ confirmationis & auctoritatis Præceptum sub Genitoris nostri & nostra * ac successorum Deo annuente nostrorum per futura tempora pleniter absque alicujus contrarietate ad supplendas in vestimentis fratrum ibidem degentium necessitates, quietè & perpetuò possidere. Nullus etiam Minister publicus, aut quilibet judiciariâ potestate prælatus ad causas ibidem audiendas ingredi, aut freda exigenda, vel tributa, seu mansionaticos *, aut paratas, vel ullas reddibitiones exigere aut accipere præsumat; sed quicquid de supradictis rebus exigi aut haberi poterit, totum, propter emolumentum animæ meæ *, ad vestimenta fratrum ornanda, per hanc * nostræ confirmationis auctoritatem pleniter cedat. Et ut hæc à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Pippini Regis. Sasbodus Diaconus ad vicem Aldrici recognovi. Data 6 Idus Martii *, anno 15 Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti, & 14 Regni nostri. Actum in Aquisgrani Palatio, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* nostra

* mansionaticos

* mea nostra

* hoc

* Martii

XVII. LUDOVICUS AUG. AUDIT MISSOS ROMANI PONTIFICIS.

Ex Aquisgranensi Palatio Ludovicus ad Ingelheimiense contendit. Quid ibi gesserit, Annalista Laureshamensis breviter exponit. *Imperator Junio mense ad Ingelheim venit, ibique per aliquot dies Placitum habuit. In quo cùm de filiis suis Lothario & Pipino cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret ordinasset, Missos etiam Romani Pontificis, Quirinum Primicerium ac Theophylactum Nomenclatorem, qui ad eum illò venerant, auditâ eorum Legatione dimisisset, ad villam Franconofurt profectus est. Ibique aliquamdiu moratus, Wormatiam venit, & inde Theodonis villam perrexit.*

XVIII. MAURI MONASTERIUM COMBURITUR. INSTAURATUR A DROGONE EPISC. METENSI. DECORATUR RELIQUIIS SS. CÆLESTIS ET AUCTORIS EPISCOPORUM METENSIUM.

Si Gabrieli Bucelino fides est in altera parte Monasteriologiæ Germanicæ, Ludovicus adiit etiam Straßburgum, & in ea civitate degebat hoc anno, cùm Mauri Monasterium, cui nomen olim Cellæ Leobardinæ, miserabili conflagravit incendio. Subdit hic Auctor locum ab Imperatore Drogoni fratri Metensium Episcopo commendatum, ut & Cœnobium restauraret, & sacris illud excoleret ornamentis, *quod hic strenuè exequutus alia inter corpora SS. Cælestis & Auctoris intulit.* Horum Metensium Episcoporum Translationem Jodocus Coccius in Dagoberto redivivo [a] sub Abbate Celso sic commemorat. *Eodem Abbate corpora SS. Cælestis & Autoris Mediomatricorum Antistitum ad Mauri-Monasterium illata sunt, non sine prodigiis, quæ Sanctorum pignorum Translationem meritò posteris commendent, quæ quia domi nata sunt, signatiùs hoc loco revolvi merentur. Igitur postquam sacratissimus Divorum thesaurus festâ supplicatione indictâ ex Mediomatricibus, augusto cultu, Drogone Pontifice, cum Celso Cœnobiarcha, pompam ducente, ad Mauri-Monasterium pervenit, ut ibidem ad horam capto quietis loco, deinde Argentoratum transferretur; evenit interim, Dei aliam Divis sedem novósque Alsatiacis oris Patronos destinantis arcano consilio, ut boves jugales, sacrorum pignorum bajuli, ad vicinum montem subsisterent, nullâque arte propelli possent. Ergo omnibus rei novitate suspensis, ac populo, qui cum Religiosorum manu confertim affluxerat, Dei omnia moderantis potentiam humanâ vi majorem exclamante, multis multa putantibus, Celso in mentem venit, bubus liberum quaquaversum iter permittere. Quibus dextrorsum sine moderatore declinantibus, atque ad ducentos circiter passus progressis, fons limpidissimus scaturiit, quem ab S. Autore in hanc diem Altersbrun vernaculi nominant, morbis pellendis olim salutarem. Unde omnium votis in eam sententiam itum est,*

[a] Cap. 6.

Digitized by Google

Dei annutum videri, ut Sanctorum corpora hoc in territorio reponantur. Nec mora, majus omen cælo affuit. Nam continuo, divinitus impulsi veloce cursu boves citra laborem ad Mauri-Monasterii valvas, quod jam recèns, uti diximus, conflagraverat, procurrentes sponte semet stiterunt. Itaque novâ omnes perfundi lætitiâ, Cælitum favorem opémque sibi certam spondere, mox lipsanotheca cum SS. pignoribus de essedo ad primariam aram Dei parentis nomini consecratam, collucentibus circumsecus cereis, hymnisque intersonantibus reposita, ubi loco quidem optato potiuntur, & hodiéque istic multa in veneratione sunt, præsenti sapè ac prodigioso pellendis morbis sed febribus maximè auxilio, iisque, qui obstipo sunt corpore, erigendis, si post fusas ad Deum preces, subter tumbam, quâ Sanctorum exuviæ requiescunt, transgrediantur. Sanctus Cælestis seu Cælestius, & Sanctus Auctor sive Autor in Metensi Cathedra priùs sederunt, quàm Metæ Francis parere cœperint. Abbatum, qui Cellæ Leobardinæ seu Mauri-Monasterio præfuerunt, Catalogus adeò mutilus est, ut post ipsum Maurum, qui florebat anno Christi septingentesimo vicesimo-quinto, nomina successorum desiderentur usque ad Celsum proximè laudatum, nec ullus post eundem Celsum nominatus inveniatur reliquo tempore, quo Strasburgensis Diœcesis intra Franciæ limites fuit.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

XIX.

Quid secutum sit, postquàm Ludovicus Augustus ad Theodonis villam pervenit, in ejus vita sic exponit Astronomus. *Imperator quum in Theonis* seu Theodonis *villam devenisset, famáque venturos in nostros fines Saracenos pervulgasset, misit filium Lotharium ad eandem Marcam, adjunctis illi Francorum validis multísque copiis. Qui quum præceptis paternis parens Lugdunum devenisset, & nuntium præstolaretur partium Hispanicarum, Pipinus ejus frater collocuturus advenit. Ibidémque illis morantibus Missus rediit dicens, moviisse quidem Saracenos Maurósque exercitum quammaximum; sed pedem continuisse, nec illo tempore longiùs in nostros fines processuros. Quibus auditis Pipinus in Aquitaniam, Lotharius autem ad patrem prospere rediit. Interea filii Godefridi Danorum quondam Regis Herioldum Regno expulerant, sed quum Imperator & Herioldum juvare vellet, & cum filiis Godefridi fœdus pacis iniisset, missis in hoc ipsum cum ipso Heriolde Comitibus Saxonicis, præcepit ut agerent cum prædictis, quatenus eum in societatem, ut pridem habuerant, susciperent. Herioldus autem harum morarum impatiens, insciis nostris, aliquas villarum illorum igne injecto concremavit, prædámque abduxit. At illi putantes hæc voluntate nostrorum gesta, improvisis & nihil tale suspicantibus nostris superveniunt, transitóque Egidorâ flumine castris pellunt, in fugam compellunt, potitique omnium in castra propria se recipiunt. Sed his gestis, cognoscentes rei veritatem, & verentes debitam ultionem, mittentes ad eos, quibus talia intulerant, primùm, deinde ad Imperatorem, professi sunt errorem. Dehinc obtulerunt congruam vindictæ satisfactionem, modum autem satisfactionis conferentes in Imperatoris voluntatem, dummodo firmitas pacis inconvulsa maneret. Quibus Imperator pro voto & petitione annuit.*

STATUS RERUM HISPANICARUM, ET DANICARUM,

XX.

Pippinus Rex in Aquitaniam reversus Regium pro Monasterio Mallasti seu Montis-Olivi Præceptum emisit, in quo non annum Regni sui decimum-quartum ut suprà, sed annum duntaxat duodecimum, cum anno Ludovici patris Augusti decimum-quintum sic comparavit. *Datum* VIII *Idus* ..... *anno* XV *Imperii Domini Ludovici Serenissimi Augusti, &* XII *Regni nostri.* Ut hanc difficultatem solvas, Pippini Regni duplicem epocham distingue. Unam repete ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, quia sub ejus exitum Pippinus à Ludovico patre Rex Aquitaniæ dictus est. Alteram sume ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quia illo anno, mense Julio, Pippinus à Ludovico patre novam quarumdam ditionum suarum partitionem inter filios ineunte confirmatus fuit in eodem Aquitaniæ Regno. Prior epocha totum ferè annum Pippinini Regni decimum-quartum cum anno Imperii Ludoviciani decimo-quinto, Redemptoris octingentesimo duodetricesimo componit. Posterior annum Pippinini

PRÆCEPTA,

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Regni duodecimum, cujus initium à menſe Julio ducitur, illigat partim anno Imperii Ludoviciani decimo-quinto, Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo, partim anno Imperii Ludoviciani decimo-ſexto, Redemptoris octingenteſimo viceſimo-nono. Ceterùm Pippini reditus in Aquitaniam, poſt colloquium initum Lugduni cum Lothario fratre, ſuadet Diploma, de quo nunc inquirimus, emiſſum eſſe Lemovicis anno Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo, Imperii Ludoviciani decimo-quinto labente, Pippini Regni ſecundùm poſteriorem epocham duodecimo jam inchoato. Sic autem à Stephano Baluzio ex Archivo Montis-Olivi publicatum eſt in Appendice veterum [a] Actorum poſt Notas ad Capitularia. *Pippinus Dei gratiâ Rex Aquitanorum. Cùm petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, ſupernâ nos gratiâ pro his muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum, ſagacitas, quia Vir Venerabilis Wilafredus Abba ex Monaſterio, quod nuncupatur Mallaſti, quod eſt ſitum in territorio Carcaſſenſi ſuper fluvium Duranum, conſtructum in honore Sancti Johannis Baptiſtæ, cum terminis & adjacentiis ſuis, obtulit obtutibus noſtris quandam auctoritatem Domini ac Genitoris noſtri Ludovici Sereniſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, qualiter anteceſſor ſuus ipſum Monaſterium novo conſtruxiſſet opere, & propter ejus defenſionem vel propter pravorum hominum illicitas infeſtationes in manus ejuſdem Domini Imperatoris unà cum Monachis ibi degentibus ſe commendavit, ut ſub ejus tuitione licuiſſet eis cum rebus & hominibus eorum quietè vivere ac reſidere, & deprecatus eſt Clementiam Regni noſtri, ut prædictum Monaſterium unà cum Cellulis, quæ nuncupantur Sancti Martini, prædicto Monaſterio ſubjectis, quæ ſunt ſita in eodem pago ſuper rivulum Lampi; ſive Sanctæ Cæciliæ & Sancti Petri, quæ ſunt ſuper fluvium Duranum, cum omnibus rebus & adjacentiis ſive terminis ſub ſuis noſtra ſuſciperemus defenſione & Immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultûs libenter aurem accommodare placuit, & hoc noſtræ auctoritatis Præceptum Immunitatis atque tuitionis fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus vel quiſlibet ex Judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas omnes poſſeſſiones prædicti Monaſterii, quas moderno tempore juſtè & rationabiliter poſſidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper terram ipſius commanentes injuſtè diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Cedimus etiam eiſdem fratribus juxta ipſum Monaſterium villas duas, quarum hæc ſunt nomina, villa Siguarii, & villa Addarii, cum omni integritate, ut ſicut de cæteris rebus proprietatem faciunt, ita de eiſdem facere & ordinare vel diſponere valeant. Et quicquid de rebus præfati Monaſterii fiſcus ſperare poteſt, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monaſterio concedimus, ut in alimonia pauperum & ſtipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione ſupradictus Abbas vel ſucceſſores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipſi Monachi inter ſe tales invenire potuerint, qui ipſam Congregationem ſecundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbates, quatenus pro nobis & totius Regni noſtri à Deo nobis conceſſi ſtabilitate jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas à fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Pippini Regis. Candidus Diaconus ad vicem Hendrici recognovit. Datum* VIII *Idus ...* anno XV *Imperii Domini Ludovici Sereniſſimi Auguſti, &* XII *Regni noſtri. Actum in Monaſterio Sancti Martialis, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc igitur Monaſterium, quod in civitate Lemovicenſi nomen Sancti Salvatoris primùm,

[a] Ad. 44. PRO MON. MONTIS-OLIVI,

deinde Sancti Martialis geſſit, jam dicebatur Monaſterium Sancti Martialis, cùm Pippinus Rex Præceptum dedit proximè deſcriptum. Quod obiter obſervatum volumus adversùs eos, qui negant huic Cœnobio nomen Sancti Martialis inditum fuiſſe ante annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum, ſeu priuſquàm corpus Sancti Martialis levaretur, ut fuſiùs ſub initium Tomi ſequentis enarraturi ſumus. AN. CH. 828.

XXI.

In Appendice [a] prælaudata ſequitur aliud Pippini Regis Præceptum, quod pro Sancti Hilarii Monaſterio in eadem Diœceſi Carcaſſonenſi ſito ſic editum eſt. *Pippinus Gratiâ Dei Rex Aquitanorum. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcircò noverit ſagacitas ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum, quia Vir Venerabilis Leonnius Abba ex Monaſterio Sancti Hilarii, quod eſt ſitum in pago Carcaſſonenſe ſuper rivum, qui dicitur Leucus, conſtructum in honore Sancti Saturnini Martyris, ubi etiam prædictus Sanctus Hilarius Confeſſor corpore requieſcit, ad noſtram accedens Clementiam detulit obtutibus noſtris quandam auctoritatem Domini & Genitoris noſtri Ludovici Piiſſimi Auguſti, in qua continebatur inſertum, qualiter idem Genitor noſter ipſum Monaſterium ad deprecationem prædeceſſoris ſui Egidonis Abbatis ſub ſuo ſuſcepiſſet mundeburdo vel defenſione, videlicet ut Monachi in eodem Monaſterio commorantes cum omnibus rebus eorum quietè vivere abſque alicujus infeſtatione licuiſſet. Pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit nobis prædictus Leonnius Abba, ut idem Monaſterium cum Cellulis ſibi ſubjectis quæ nuncupantur Garelianus, & alia quæ nuncupatur Sancti Martini, & villam juxta ipſum Monaſterium quæ vocatur Salas, ubi eſt Eccleſia conſtructa in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, quam Giſcafredus Genitori noſtro de ſuo beneficio dedit, & nos eidem Monaſterio conceſſimus, cum adjacentiis vel terminis prædictorum locorum, ſub noſtra conſtitueremus defenſione & Immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei*, &c. ut in Diplomate Ludovici Auguſti, quod ad annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſeptimum [b] recitavimus. In fine utriuſque Præcepti Characteres Chronologici deſiderantur. Ut ex Ludoviciano Diplomate duo deprehenduntur Abbates, Nampio ſub Carolo Magno, Monnellus ſub Ludovico Pio Auguſto; ſic & ex Præcepto Pippinino colliguntur alii duo. Egido & Leonnius; hi Monaſterium poſt Monnellum rexerunt Ludovico Pio Imperatore, & Pippino ejus filio Aquitanorum Rege; qui rogatus à Leonnio Abbate Præceptum nuperrimè deſcriptum emiſit.

[a] Act. 45. PRO MON. S. HILARII IN EP. CARCASSONENSI.

[b] Num. 318.

XXII.

Ludovicus *Imperator circa Miſſam Sancti Martini Aquaſgrani ad hyemandum venit, ibique totum hyberni temporis ſpatium diverſis Conventibus ob neceſſaria Regni negotia congregatis impendit*, ut Annaliſta Laureshamenſis teſtatur. Lotharius Auguſtus Aquiſgranum ad patrem rediit, & ab eo quod ſequitur Præceptum ſexto Kalendas Decembris obtinuit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus & Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Auguſti. Si ea, quæ fideles Imperii noſtri pro eorum opportunitatibus inter ſe commutaverint, noſtris confirmamus Edictis, Imperialem exercemus conſuetudinem, & hoc in poſtmodum jure firmiſſimo manſurum eſſe volumus. Idcircò noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum, induſtria, quia dilectus filius noſter Auguſtus Hlotharius innotuit manſuetudini noſtræ, quòd Flodegarius Andegavenſis urbis Epiſcopus pro communi utilitate & compendio nuperrimè de quibuſdam mancipiis cum quodam homine, nomine Winnerado, commutationem feciſſet. Dedit igitur præſcriptus Vir Venerabilis Flodegarius Andegavenſis urbis Epiſcopus partibus ſæpedicti Winneradi de ratione Eccleſiæ ſuæ Sancti Mauricii de villa nuncupata Chamberliaco, in ipſa, cum conſenſu Bertæ, quæ ipſam villam in beneficio habere videtur, mancipium, nomine Aredium, ad ſuum proprium habendum. Et è contrà in compenſatione hujus rei dedit jam dictus Winneradus prædicto Viro Venerabili Flodegario Epiſcopo ad partem præſcriptæ villæ vel de-*

PRO ECCLESIA ANDEGAVENSI.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

mina Berta quæ eodem tempore ipſam villam in beneficio habere videtur, de proprio ſuo mancipia duo his nominibus Reſtaldum & Ermenaldum. Unde & duas commutationes pari tenore conſcriptas manibúſque bonorum hominum roboratas illos præ manibus habere profeſſus eſt. Sed pro integra firmitate petiit, ut ipſas commutationes denuò per noſtræ manſuetudinis Præceptum plenius confirmaremus. Cui petitioni denegare noluimus, ſed, ſicut unicuique fidelium noſtrorum juſtè petentium, ita nos illi conceſſiſſe & confirmaſſe in omnibus cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juſtè & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneat atque poſſideat, & faciat exinde quicquid elegerit. Et ut hæc auctoritas noſtra firmior habeatur, & per futura tempora melius conſervetur, de anulo noſtro ſubter ſigillari juſſimus. Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Meginarius Notarius ad vicem Friduguſi recognovit & ſubſcripſit. Data VI *Kalendas ..... anno, Chriſto propitio,* XV *Imperii Hludovici Sereniſſimi Imperatoris, & Hlotarii* VII *. Indictione* VII. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Diploma publicatum fuit in Appendice veterum Actorum [a] poſt Notas ad Capitularia; datum dicitur ſexto Kalendas, ſed menſis, cujus hæ fuerunt Kalendæ, legi non potuit. Kalendas reponimus Decembres, quia Lothario Aquiſgranum reverſo, Præceptum, de quo loquimur, à Ludovico mox emiſſum putamus. Anno Redemptoris octingenteſimo duodetriceſimo, dies quintus ante Kalendas Februarias aperuit annum Imperii Ludoviciani decimum-quintum; Paſchale Feſtum, quod in Nonas Apriles incidit, initium dedit anno Imperii Lothariani ſexto; Kalendæ Septembres exordium fecerunt Indictionis ſeptimæ. Ceterùm ex his obſervationibus apertè liquet annum Redemptoris octingenteſimum duodetriceſimum exeunte menſe Novembri cum anno Ludovici Auguſti decimo-quinto & Indictione ſeptima rectè comparari. Super anno Lotharii Auguſti ſeptimo difficultas reſtat haud levis. Imperii Lothariani duplex in Diplomatibus occurrit epocha. Prima petitur ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, quia illo anno menſe Julio, Lotharius in conſortium Imperatorii Nominis à Ludovico patre vocatus eſt. Altera ſumitur ab anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, quia illo anno Lotharius à Paſchale Papa in die Sancto Paſchæ coronatus eſt Imperator. Neutra ſeptimum annum Imperii Lothariani confirmat ſexto Kalendas Decembres anni poſt Chriſtum natum octingenteſimi duodetriceſimi; prior annum duodecimum, poſterior ſextum ſuadet reſtituendum. Literâ *X* in *V* mutatâ numerum XII in VII cenſemus abiiſſe. Chronologicos igitur Characteres in fine Præcepti ſic emenda. *Data* VI *Kalendas Decembres, anno, Chriſto propitio,* XV *Imperii Hludovici Sereniſſimi Imperatoris, & Hlotarii* XII. *Indictione* VII. Flodegarius Andegavenſis Epiſcopus, cujus mentio fit in hoc Diplomate, ſucceſſerat Sancto Benedicto, qui Pontificatum ſub Carolo Magno & Ludovico Pio geſſit, ſuperſtéſque poſt annum Redemptoris octingenteſimum decimum-ſextum vixit. Sancti Benedicti memoria celebris eſt Idibus Juliis, pars Reliquiarum Andegavi ſervatur in Eccleſia Collegiata Sancti Maurilii. Lege Sammarthanos in Gallia Chriſtiana.

[a] Ad. 46.

XXIII. Hoc anno, Ludovici Auguſti decimo-quinto, Pippini Regis decimo-quarto, jacta ſunt in Diœceſi Bituricenſi fundamenta Baſilicæ Stradenſis à Wifredo Bituricenſium Comite, cujus elogium apud Boſcium [b] & Bollandum [c] in Miraculis Sancti Genulphi ſic habetur. *Hic ſuis temporibus ampliſſimis uſus honoribus, utpote prima capitis Aquitaniæ Comes, animo prudenti perpendens, quæ & quanta ſint quæ curâ mortalium prima putantur, quíve caſus ea proſequantur, ſimúlque cernens rerum ſuarum commoda, ſtatuit animo, ut de temporalibus, quæ jure poſſidebat, ſibi præpararet æternaliter profutura. Itaque pari conſilio communíque voto venerandæ ſempérque cum laude nominandæ ſuæ conjugis Odæ, placuit ut ad laudem Creatoris celebrandam divináque Myſteria peragenda, in*

[b] In Biblioth. Floriac.
[c] Dec. 7. Jan.

ECCLESIA STRADENSIS ERIGITUR.

in jure ſuæ proprietatis, in villa quæ dicitur Strada, Eccleſiam fundaret, quam de propriis rebus ad Eccleſiæ Miniſtrorum uſus ſufficientiſſimè dotaret. Quod quidem ut diſpoſuit, efficaciter etiam divinâ largiente Clementiâ complevit, anno quintodecimo Imperii Domni Ludovici Sereniſſimi Auguſti, filióque ejus Pipino quartodecimo anno regnante, qui eſt ab Incarnatione Domini DCCCXXVIII. AN. CH. 828.

XXIV. LEYBULFUS ET EJUS UXOR ODDA MUNIFICI ERGA MON. LERINENSE.

Eodem *anno quinto-decimo Imperii præfati Domini Ludovici*, ut Vincentius Barralis in Abbatum Lerinenſium Catalogo teſtatur, *Illuſtris Leybulfus & uxor ejus Odda ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ Sancti Honorati & Sancti Caprafii Monaſterii Lerinenſis, quod ſitum eſt prope pagum Foro-Julienſe, ubi & Venerabilis Leotmundus Abbas præerat, de rebus ſuis propriis dederunt ea, quæ habebant in pago Arelatenſi, in Inſula quæ eſt ſuburbana illi civitati, quæ illis per commutationis epiſtolam & licentiam Domini ac Sereniſſimi Ludovici Imperatoris obvenerant ad proprium, ubi etiam Eccleſiam Sanctæ Mariæ & Sancti Honorati & Sancti Vincentii fundaverunt, cedentéſque Eccleſias dictæ Inſulæ, domos, ædificia, vineas, loca, pagos, & villas, & alia penè infinita. Acta ſunt hæc decimoſeptimo Calendas Aprilis, anno quinto-decimo Ludovici Imperatoris. Signarunt autem hoc ſcriptum ipſi Donatores Leybulfus & uxor ejus Odda, tum Dominus Benedictus Archiepiſcopus, Noto Archiepiſcopus Arelatenſis, Heldebonus Epiſcopus, & multi alii Eccleſiaſtici, & nobiles ſeculares.* Benedictus, quia primo loco nominatur inter Archiepiſcopos, & Arelatenſi Metropolitæ præponitur, jure Metropolitico videtur gaudere per provinciam Narbonenſem ſecundam, in qua Diœceſis eſt Antipolitana, cujus pars Lerinus Inſula. Dubium igitur ampliùs eſſe non poteſt, utrùm Aquenſes Infulas an Ebredunenſes geſſerit. Anno proximo, ut ex Ludovici & Lotharii Auguſtorum literis ſuo loco deſcribendis conſtat, Concilium Lugduni cum Suffraganeis ſuis hi quinque Metropolitani celebrabunt, *Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus.* Sedes Agobardi, Bernardi, & Andreæ, notæ ſunt. Archiepiſcopos venerantur, Lugdunum Agobardum, Vienna Bernardum, Andream Darantaſia. Nec vocati poteſt in controverſiam quin Aquenſis & Ebredunenſis Metropolitæ per Benedictum & Agericum deſignentur. Aquenſis Archiepiſcopus provinciam Narbonenſem ſecundam regit, ſéxque Suffraganeis præeſt Epiſcopis, Antipolitano, Aptenſi, Foro-Julienſi, Reienſi, Segeſtaricenſi, & Vappincenſi. Lerinus in Diœceſi eſt Antipolitana. Monaſterio Lerinenſi res multas in Arelatenſi pago ſitas Vir Illuſtris ejúſque conjux largiuntur. Inſigni Donationi duo ſubſcribunt Archiepiſcopi, Benedictus & Notho. Hic Arelatenſis agnoſcitur Archiepiſcopus, illum quis Aquenſem Archiepiſcopum neget? In provincia Benedicti Lerinus cum ſuo Monaſterio conſpicitur, in provincia Nothonis ipſi degunt Donatores. Ut autem Benedictus ex his obſervationibus Aquenſis Archiepiſcopus deprehenditur, ſic & Agericus Metropolitis Ebredunenſibus accenſeri debet. Quod ad Heldebonum Epiſcopum attinet, hunc Lerinenſis Inſulæ Diœceſanum Epiſcopum ſive Antipolitanum exiſtimamus. Longè poſt ætatem Ludovici Pii, Sedes Epiſcopalis Antipoli Graſſam tranſlata eſt, & Graſſenſis Epiſcopus hodie ſubeſt Ebredunenſi Metropolitæ. Hæc per anteceſſum obitérque monitum hîc te volumus, ne temerè ſuſpiceris nos in errorem labi, quòd aſſeramus Antipolitanum Epiſcopium anno Ludovici Pii Auguſti decimoquinto, cùm Leybulfus & Odda munificos erga Lerinenſe Monaſterium ſe præbuerunt, ad Aquenſem provinciam pertinuiſſe.

BENEDICTUS AQUENSIS ARCH.

HELDEBONUS EPISC. ANTIPOL.

XXV. TRANSLATIO S. VERNERII.

In Italia Sacra [a] Vitalis Epiſcopus Regienſis hoc anno memoratur. *Erga Sanctum Venerium ſingulari pietate flagrabat. Quamobrem cùm proficiſceretur, ut ejus ſacrum corpus exciperet honorificentiori loco recondendum (quieſcebat enim in parvula Inſula prope Lunim antiquam Hetruriæ civitatem) Sanctus per viſum ſe obtulit id ſatagenti, edixítque ut ſe inde Regium aſportaret, ne hoſtibus venturis Saracenis præda foret. Præſtitit id cumulatè Vitalis, ſacrúmque corpus in Templo Sancti Proſperi collocavit, ubi ejus feſtum tertio Nonas Novembris celebratur.* In

[a] Tom. 2. in Ep. Regienſ. 26.

AN. CH. 828.

eadem Italia Sacra [a] moritur hoc anno Valerius Derthonenſis Epiſcopus, eique ſubrogatur Joannes Tertius, cui decem in Epiſcopatu tribuuntur anni.

[a] Tom. 4. in Ep. Derthon. 33. 34.

EPISCOPI DERTHONENS.

XXVI. ABBATES ANDAINENSES ET PRUMIENSES.

Alveus Andainenſium Monachorum primus Abbas apud Bartholomæum Fiſenum in Floribus [b] Leodienſibus obit hoc eodem anno, decimo-ſexto Kalendas Decembris, eique Tancradus Abbas jam Prumienſis ſuprà laudatus ſuccedit. Prumienſis Monaſterii primordia cum Chriſtophoro Browero revocavimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum ſub Pippino Rege, & ab illo anno ad octingenteſimum quintum numeravimus annos quadraginta-quinque, quos Aſuerus primus Abbas Prumienſis in Cœnobii regimine tranſegit. Aſuero Tancradum ſuffecimus. Contra Browerum exurgit Joannes Mabillonius [c] in Marcwardo tertio Abbate Prumienſi proximóque Tancradi ſucceſſore. *Chriſtophorus*, inquit, *Browerus in lib. 7. Annalium Trevirenſium, Prumienſis Monaſterii primordia revocat ad annum* DCCLX. *at corrigendam eſſe hanc epocham docet nos Diploma primarium à Pippino Rege conceſſum die 13 Auguſti, anno* XIII *Regni ſui, ut à Philippo Labbeo memoratur in Obſervatione ad Concilium Compendienſe anni* DCCLVII. *ac proinde Prumienſis conditio ad annum* DCCLXIV *referenda eſt.* At Obſervatio Labbeana non habet Pippini Regis annum XIII, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus ſexageſimus-quartus per menſem Auguſtum comparetur, ſed annum XI, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus ſexageſimus-ſecundus per menſem Auguſtum componitur. Laudat enim Labbeus humanitatem Alexandri Wilthemii, qui varias Chartas Luciliburgo tranſmiſit *cum Diplomate fundationis nobiliſſimæ Prumienſis Sancti Salvatoris Abbatiæ conceſſo die 13 Aug. anno* XI *regnante eodem Pipino Glorioſiſſimo Rege.* Quando Diploma prodierit in lucem, ſubjiciemus illud examini, conferemúſque cum opinione Broweriana, quam Tomo quinto ſecuti ſumus in conſignanda Monaſterii Prumienſis origine.

[b] DD. 2. Oct. 16. Nov.

[c] Sec. 4. Bened. 2.

XXVII. THEOBALDUS EBERSHEIMIENSIS ABB.

Apud Gabrielem Bucelinum in altera parte Monaſteriologiæ floret hoc anno Theobaldus Ebersheimienſis Abbas, cui Ludovicus Pius Imperator Immunitatis Privilegia conceſſit.

XXVIII. ANGELELMUS EPISC. AUTISSIODOBIT.

In provincia Senonenſi, Angelelmus Autiſſiodorenſis Epiſcopus & Hieremias Senonenſis Archiepiſcopus obierunt. Angelelmus teſte Autiſſiodorenſium Epiſcoporum Hiſtoriâ [d] *deceſſit ſub die Non. Juliar.* ejúſque ſucceſſor Heribaldus, qui poſtero anno Concilium Pariſienſe cum aliis Præſulibus, menſe Junio celebrabit, ad Autiſſiodorenſes Infulas aſſumptus eſt *Aldrico Senonum Archiepiſc. cum Coepiſcopis, ex præcepto Ludovici Imperatoris, negotium procurante.* Quæ certè ſimul conferri non poſſunt, quin hoc anno mors Angelelmi conſignetur, annóque proximo ſufficiatur Heribaldus. Ad hanc epocham revocari debet Autiſſiodorenſium Epiſcoporum Chronologia. Quapropter cùm in eorumdem Epiſcoporum Hiſtoria legis Angelelmum ſediſſe *annos* XVII, vel annos retine tantùm XV, vel annos cùm Aaronis deceſſoris tredecim, tum ipſius Angelelmi ſeptemdecim, incompletos interpretare. Poſterior hæc explicatio, quam ſpatia proximorum Pontificatuum confirmabunt, nobis plurimùm placet. Aaronis igitur mortem & ſubrogationem Angelelmi, quas in annum Redemptoris octingenteſimum decimum-tertium rejecimus, anno Redemptoris octingenteſimo duodecimo repone. Quam exhibuit Angelelmus munificentiam erga ſuæ Diœceſis Eccleſias, Auctor [e] Hiſtoriæ prælaudatæ non reticuit. *Vaſa argentea plurima & præcipua in theſauris Eccleſiæ* Sancti Stephani *collocavit. Sancto Germano calicem argenteum cum patena tribuit ejuſdem ſchematis cujus & ſuperiorem fecerat*, quem Baſilicæ Sancti Stephani largitus eſt, *hujuſmodi largitatem ſui nominis inſcriptione deſignans. Sancto quoque Amatori calicem argenteum cum patena tribuit ejuſdem operis quanquam ponderis minoris. Sancto Petro ſimiliter. Altare Sancti Euſebii tabulâ argenteâ exornavit, calicem argenteum cum patena de-*

[d] Capp. 35. 36.

[e] Cap. 35.

Digitized by Google

dit, Evangelium quoque argenteum cum candelabris argenteis ac thuribulo nihilominùs argenteo præparavit, cortinas etiam altaris ac nonnulla pallia condonavit. In Cœnobio Sancti Salvatoris tabulam argenteam cum ſigno ſonoriſſimo dedit. Per totam denique ſuæ poteſtatis Diœceſim Eccleſiis quidem vicanis ad præparandum calicem & patenam tres libras argenti diſtribuit. Minoribus verò Capellis ſuis duntaxat ad opus ſimile ſolidos XV *deſtinavit. In vicis quoque præfatis*, Biliaco ſcilicet & Amau, *congruam argenti quantitatem largitus eſt ad Cruces in Eccleſiis exornandas. Hìs & hujuſmodi bonorum operum frugibus plenus deceſſit ſub die Non. Juliar. atque in Baſilica Sancti Germani honeſtè tumulatus eſt.* De morte Hieremiæ Senonenſis Archiepiſcopi, quam Tavellus & manuſcriptus Codex [a] Bibliothecæ Thuaneæ, VII *Id. Decembris* conſignant, agemus initio Tomi ſequentis.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

[a] Cod. 105.

LUDOVICUS exeunte hoc eodem anno Placitum habuit apud Aquiſgranum, *quando*, ut Sirmondus obſervat, *& Concilia Epiſcoporum quatuor in locis fieri juſſit, & Miſſos Dominicos per univerſum Regnum delegavit.* Anno poſtero celebrata ſunt illa Concilia, túnque Carolo puero vix ſexenni Regium Nomen à patre collatum eſt, atque inde diuturnarum diſcordiarum origo Ludovicum Auguſtum inter ejúſque filios emerſit. Tot tantæque res inter ſe adeò connexæ, plures in Tomos ſeparari non debent, ideóque facilè ſuadent finem huic imponendum, qui juſtam in molem aliunde crevit, quamvis ultra metas annorum viginti-quinque, eorúmque incompletorum, non protendatur. XXIX.

FINIS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM,
IN QUO

A. Annum, N. Numerum ſeu Sectionem denotat.

A

AARON Autiſſiodorenſis Ep. a. 811. n. 19. a. 813. n. 347. annus obitûs examinatur, a. 828. n. 28.

Aaron Calipha mittit horologium & alia munera Carolo Aug. a. 807. n. 1.

Abbas Notarium habeat, a. 805. n. 49. caveat ne Theſauri Eccleſiaſtici diſſipentur, a. 806. n. 45. quomodo ſe gerere debeat famis tempore, *ibid.* n. 58. ante ſe turpia joca fieri non permittat, a. 813. n. 50. ad Placita ſecularia non eat ſine conſilio Epiſcopi, *ibid.* n. 88. Vicedominos, Præpoſitos & Advocatos bonos habeat, *ibid.* nn. 126. 438. quando & qua de cauſa ire poſſit ad Placitum, *ibid.* n. 146. non potentativâ dominatione ſed manſuetudine & caritate ſuo gregi præſit, *ibid.* n. 436. Canones obſervet & cum Monachis ſecundùm Regulam vivat, *ibid.* n. 437. ſubjectus ſit Epiſcopo, *ibid.* n. 440. meliores Monachos ceteris præferat, *ibid.* n. 441. canes & aves ad venandum non habeat, *ibid.* n. 444. eâdem quâ Monachi menſurâ contentus ſit, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in operando, a. 817. n. 180. villas abſque neceſſitate non circumeat, *ibid.* n. 181. ad portam Monaſterii cum hoſpitibus non reficiatur, *ibid.* n. 182. Monachos in itinere ſecum non ducat niſi ad generalem Synodum, *ibid.* n. 214. quomodo ſubditos corrigere debeat, *ibid.* n. 235. Regia Capitularia debet à ſuo accipere Archiepiſcopo, a. 825. n. 30.

Abbates & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad Regis præſentiam veniant, a. 812. n. 9. res pauperum malis artibus non emant, a. 813. n. 83. in Monaſteriis Benedictinis Monachicè vivant, *ibid.* n. 219. quomodo promoti ſub Meroveadis RR. itémque ſub Carolidis ante Conventum Attiniacenſem, a. 822. nn. 46. & *ſeqq.*

Abbates, alii Monachi, alii laici ſeu ſeculares, a. 825. n. 14.

Abbatiſſa caveat, ne Theſauri Eccleſiaſtici diſſipentur, a. 806. n. 45. quomodo ſe gerere debeat famis tempore, *ibid.* n. 58. extra Monaſterium non vadat ſine licentia Epiſcopi, a. 813. nn. 89. 234. curam gerat ſui Monaſterii, *ibid.* n. 230. non potentativâ dominatione ſed manſuetudine & caritate, *ibid.* n. 436. obſervet Canones & ſecundùm Regulam vivat, *ibid.* n. 437. Advocatos, Vicedominos & Centenarios habeat æquos & bonos, *ibid.* n. 438.

Abbatiſſæ Canonicarum, a. 813. nn. 188. & *ſeqq.* a. 814. n. 37. a. 817. nn. 118. 119. 124.

Abbo Abb. S. Maxentii, a. 817. n. 293. a. 823. n. 56.

Abdella Legatus Aaronis Caliphæ ad Carolum Aug. a. 807. n. 1.

Abderramen Calipha Cordubenſis, a. 821. n. 60.

Abotriti ubi ſiti, a. 818. n. 15. a. 819. n. 6.

Abraamus Caganus Chriſtianus, a. 805. n. 43.

Abſalon ſit Abb. Malmundarienſis & Stabulenſis, a. 815. n. 22. obit, a. 817. n. 246.

Abumarvan propinquus Caliphæ Cordubenſis vaſtat agros Barcinonenſium & Gerundenſium, a. 817. n. 70.

Achinus ſit Abb. Condateſcenſis, a. 815. n. 18. vocatur Abb. S. Eugendi, a. 817. n. 248.

Adacalcus Abb. Floriacenſis quando, a. 817. n. 240.

Adalbertus primus Abb. Savigniacenſis, a. 809. n. 93.

Adalbertus Præpoſitus Monachorum in Saxonia, a. 822. n. 101.

Adalelinus Ep. Catalaunenſis, a. 810. n. 94. a. 811. nn. 23. 38. a. 824. n. 82.
Adaleodus Abb. Elnonenſis Præceptum obtinet, a. 822. n. 154.
Adaleſmus frater Willelmi Comitis Toloſani; a. 804. n. 45. a. 824. n. 6.
Adalgaudus Abb. Floriacenſis, a. 817. n. 240. a. 818. n. 9. a. 821. n. 66.
Adalgerus fit Abbas Elwacenſis, a. 810. n. 98.
Adalhardus Comes Palatii mittitur in Italiam, a. 813. n. 6. fit Dux Spoletanus obítque, a. 824. n. 34.
Adalmatus Chorepiſcopus Trevirenſis, a. 813. nn. 1. 344. 345.
Adalochus Ep. Straſburgenſis Præceptum obtinet à Ludovico Pio, a. 817. n. 385. Monachis Canonicos ſubſtituit in Eccleſia S. Thomæ, a. 822. n. 153. obit, a. 825. n. 60.
Adalongus Abb. Agaunenſis, a. 804. n. 5. Sedunenſis Ep. Monachis Agaunenſibus ſubſtituit Canonicos, a. 824. n. 54.
Adalramus fit Archiep. Saliſburgienſis & Abb. S. Petri, conſtituítque Ottonem Ep. Carantanorum, a. 823. n. 20. Lotharium Aug. comitatur euntem in Italiam & Romæ Pallium accipit ab Eugenio PP. a. 824. n. 10.
Adalranus Ep. Mariſconenſis, a. 811. n. 21.
Adalungus fit Abb. Laureshamenſis, a. 805. n. 106. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus Teſtamentum condit, a. 811. nn. 2. 3.
Adalungus fit Abb. Vedaſtinus, a. 815. n. 21. mittitur Romam ad inveſtigandam cauſam necis illatæ Theodoro S. R. E. Primicerio & Leoni Nomenclatori, a. 813. n. 10.
Adalwinus Ep. Reginoburgenſis intereſt Concilio Saliſburgienſi, a. 807. nn. 25. 26. obit, a. 817. n. 372.
Adaulfus Epiſc. Barcinonenſis, a. 815. n. 62.
Addulfus Diaconus Legatus Leonis III. PP. a. 808. n. 2. a. 809. n. 7.
Adebrardus Abb. Flaviacenſis, a. 817. n. 381.
Adegarius Romam à Ludovico Aug. mittitur obtinétque ab Eugenio P P. ut Collectio Sententiarum in cauſa Imaginum ab Epiſcopis Francorum fiat, a. 825. nn. 40. 45.
Adelbertus Alcuini, deinde Sigulfi diſcipulus, a. 804. nn. 70. 76. Abb. Ferrarienſis quando, a. 817. n. 241. a. 822. n. 155.
Adeldrudis Caroli Magni & Gerſuindæ Aug. filia naſcitur, a. 806. n. 32.
Adelgiſus fit Epiſc. Novarienſis, a. 811. n. 86.
Adelhais Pippini R. filia, a. 810. n. 45.
Adelhardus Abb. Corbeïenſis, a. 804. n. 16. poſt Aquiſgranenſem Synodum Romam mittitur ob motam quæſtionem de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 809. n. 9. ea de quæſtione colloquium habet Romæ cum Leone PP. a. 810. nn. 1. & *ſeqq.* Longobardiam gubernat, *ibid.* n. 45. a. 813. n. 336. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. exulat in Hero Inſula, *ibid.* nn. 87. 88. revocatur ab exilio, a. 821. nn. 62. & *ſeqq.* apud Ludovicum Imp. in flagrantiſſima eſt amicitia, a. 822. n. 9. it in Saxoniam & reverſus intereſt Conventui Attiniacenſi, *ibid.* n. 102. & *ſeqq.* adit novam Corbeïam cum Wala fratre eúmque paulò pòſt ad Palatium mittit, a. 823. n. 3. intereſt Conventui Compendienſi, *ibid.* nn. 15. 17. ægrotat in vetere Corbeïa, ſuſcipítque Sacramentum Extremæ Unctionis anteá petitum, a. 825. nn. 72. & *ſeqq.* ejus obitus, ſepultura, ſcripta, ſucceſſores, a. 826. nn. 1. 2.
Adelhardus Junior, Seniore in exilium miſſo, eligitur Abb. Corbeïenſis, a. 814. n. 88. ejuſdem Senioris Adelhardi fratrem Walam ſuſcipit, *ibid.* n. 89. annuente Ludovico Aug. inchoat Mon. in Saxonia, a. 815. n. 16.
Adelluida nubit Carolo Aug. a. 809. n. 90. obit, a. 811. n. 81.
Adelmarus Abb. Weſſobrunnenſis, a. 817. n. 289.
Adelmus Abb. Caſtrenſis, a. 825. n. 62.
Adelmus Ep. Regienſis, a. 811. n. 11.
Adelungus fit Ep. Eyſtettenſis, a. 822. n. 134.
Adeodatus fit Ep. Mutinenſis, a. 812. n. 57. Præceptum obtinet pro ſua Eccleſia à Ludovico Aug. a. 812. n. 1.
Adulterium quibus puniendum pœnis, a. 805. n. 92.
Advocatus bonus & verax à Comite & populo eligatur, a. 809. n. 64. pravus non habeatur, a. 812. n. 106.
Ædificia in Monaſteriis, alia laudanda, alia damnanda, a. 818. n. 31.
S. Ægidii Mon. a. 817. n. 306.
Ægil fit Abb. Fuldenſis, adit Ludovicum Aug. ſalutaria ab eo. monita percipit & ab Haiſtulpho Archiep. Moguntino. Fuldam reverſus agit apud eundem Imp. ut Ratgarius ab exilio revocetur, a. 818. nn. 27. & *ſeqq.* curam Cellarum habet, *ibid.* n. 32. promovet Dedicationem Eccleſiæ Fuldenſis & Tranſlationem S. Bonifacii, a. 819. nn. 16. & *ſeqq.* obit, a. 822. nn. 136. & *ſeqq.*
Æmilianus Epiſc. Polanus, a. 805. n. 1. a. 806. n. 66.
Affatomia, quid, a. 810. n. 74.
Aganus Ep. Eyſtettenſis, a. 807. n. 33. a. 811. n. 16. obit, a. 822. n. 134.
Agapitus Abb. Campidonenſis obit, a. 817. n. 265.

Digitized by Google

Agaunenſibus Monachis ſubſtituuntur Canonici, a. 824. n. 54.
Agericus Archiep. Ebredunenſis, a. 828. n. 24.
Agilois ejuſque maritus Lempteus conſtruunt ædíantque Eccleſiam in Diœceſi Viennenſi, a. 824. n. 58.
Aginus Epiſc. Bergomenſis obit, a. 810. n. 47.
Agiulfus fit Abb. Solemniacenſis, obtinétque Præceptum à Ludovico Aug. a. 817. n. 362.
Ago Ep. Venetenſis quando ſedit, a. 810. n. 97.
Agobardus Chorepiſcopus Lugdunenſis, a. 813. n. 345. ex Chorepiſcopo fit Archiep. Lugdunenſis, a. 814. n. 94. ſcribit adverſus dogma Felicis, a. 818. n. 67. intereſt Conventui Attiniacenſi, a. 822. n. 103. electioni Tructeſindi Abbatis Anianenſis ac Gellonenſis, *ibid.* n. 104.
Aigulfus ſive Aiulfus fit Archiep. Bituricenſis, a. 815. n. 20. Carmen accipit à Theodulpho Ep. Aurelianenſi exule, a. 819. n. 12.
Aio Longobardus mittitur Conſtantinopolim ad firmandam pacem, a. 811. n. 82.
Aizo captâ Auſonâ deficit ad Saracenos, a. 826. n. 37. moleſtus eſt Francis, a. 817. n. 70.
Alanus Ep. Namnetenſis, a. 804. n. 56. a. 811. n. 29. Benedictum hominem Græcum ſolitariæ vitæ cupidum benignè ſuſcipit, a. 812. n. 62. obit, a. 816. n. 31.
Alatrum cum Ducatu Romano tranſit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
S. Albani Eccleſia dicatur, a. 805. n. 109.
Albanum cum Ducatu Romano tranſit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Albegunda munifica erga Mon. S. Fuſcæ, a. 807. n. 32.
Albericus fit Ep. Lingonenſis, a. 820. n. 22. Ordinem Monaſticum reſtituit in Mon. Beſuenſi, *ibid.* n. 23. dat Monaſterio S. Benigni Paſtorem Ordinis Canonici, *ibid.* n. 25. conſtituitur Miſſus Dominicus in provinciis, Lugdunenſi, Darantaſienſi & Viennenſi, a. 825. n. 31. varias init permutationes pro communi opportunitate, a. 826. nn. 53. 55. munificus erga Mon. Beſuenſe, *ibid.* n. 57.
Albertus fit Abb. S. Petri Vivi, a. 825. n. 63.
Albigarius in Dalmatiam à Ludovico Imp. miſſus de finibus convenit cum Græcis, a. 817. n. 21.
Albinus Ep. Nitraveníis, a. 814. nn. 35. 39.
Alcanæ, Mon. a. 817. n. 267.
Alcuini Abbatis obitus, ſepultura, epitaphium, diſcipuli, ſcripta, amicitia cum Benedicto Abb. Anianenſi, a. 804. n. 59. *& ſeqq.* a. 812. n. 66.
Aldana ſoror Willelmi Comitis Toloſani, a. 804. n. 45. a. 824. n. 6.
Aldegardis Abbatiſſa Sueſſionenſis quando, a. 804. n. 7.
Aldericus Ep. Auguſtodunenſis, a. 811. n. 21.
Aldo Abb. Epternacenſis obit, a. 817. n. 379.
Aldricus Alcuini diſcipulus, a. 804. n. 77. ex Canonico fit Monachus, a. 817. n. 241. quando Diaconus, Preſbyter, Magiſter Scholarum Palatinarum, & Abb. Ferrarienſis, a. 822. nn. 154. 155.
Alegrerus Abb. S. Germani Autiſſiodorenſis, a. 816. n. 3.
Alhaca R. Cordubenſis, a. 810. nn. 63. 64. a. 812. n. 23. a. 817. n. 20. a. 819. n. 4. obit, a. 821. n. 60.
Aliprandus Ep. Florentinus, a. 826. n. 49.
Alleluia dimittatur à Monachis in Septuageſima, a. 817. n. 185.
Aloſeburch, Mon. a. 817. n. 188.
Altfridus Ludgeri diſcipulus & vitæ Scriptor, a. 809. n. 38.
Altum-Fragitum, Mon. a. 817. n. 329.
Alveus primus Abb. Monachorum Andainenſium, a. 817. n. 367. a. 825. n. 35. obit, a. 828. n. 26.
Amalarius Diaconus partem Inſtitutionis ſeu Regulæ Canonicorum ex ſcriptis Patrum & ex Codice Canonum concinnat, a. 817. n. 88. ſcribit quatuor libros de Eccleſiaſtico Officio, a. 817. nn. 1. 3.
Amalarius Ep. Collectionem Sententiarum in cauſa Imaginum Pariſiis factam Aquiſgranum defert ad Ludovicum Aug. a. 825. n. 46.
Amalbaldus munificus erga Mon. S. Benigni, a. 816. n. 47.
Amalharius Archiep. Trevirenſis, a. 810. n. 96. a. 811. n. 18. mittitur in Saxoniam Tranſ-Albianam, dicátque Eccleſiam Hamburgenſem, a. 811. n. 46. redit in Galliam ſcribítque librum de cæremoniis Baptiſmi, a. 812. nn. 66. *& ſeqq.* mittitur Conſtantinopolim, a. 813. n. 1. redit, a. 814. n. 58. obit, *ibid.* n. 81. an Cardinalis Romanus, an Auctor librorum de Eccleſiaſtico Officio & libri de Ordine Antiphonarii, *ibid.* n. 82.
Amaltrudis munifica erga Eccleſiam Pariſienſem, a. 811. n. 35.
Amarbaricum, Mon. in E. Verdenſi, a. 807. n. 37. Abbates illius loci cum Epiſcopis Verdenſibus confuſi, *ibid.*
Ameria cum Ducatu Romano tranſit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Amfridus ſive Amphridius aut Amphrigius Ep. Brixienſis, quando ſedit, a. 805. n. 40. tranſfert SS. Fauſtinum & Jovittam, obítque, a. 806. n. 72.

Amitternus Episcopatus an steterit regnante Carolo Magno, a. 811. n. 32.
Ammilonius Abb. S. Petri, sit etiam Archiep. Salisburgiensis, a. 822. n. 143. obit, a. 823, n. 20.
Amoroz Præfectus Cæsaraugustanus Francis ac Mauris invisus, a. 809. n. 6. a. 810. n. 64.
Anagnia cum Ducatu Romano transit in potestatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Anastasius Abbas Conchensis quando, a. 812. n. 33.
Anasteus Abb. Savigniacensis, a. 817. n. 279.
Andainenses Monachi substituuntur Clericis, a. 817. n. 367. petunt Translationem S. Huberti, a. 822. n. 152. illam obtinent, a. 825. n. 35.
Andegavensis Clerus commendatur, a. 821. n. 57.
Ando sit Abb. Malmundariensis & Stabulensis, a. 817. n. 246.
Andoarus sit Abb. Menatensis, a. 805. n. 112.
Andreas Archiep. Darantasiensis, a. 825. n. 31.
Andreas Ep. Clusinus, a. 826. n. 44.
Angandeo frater Hemmingi R. Daniæ, a. 811. n. 42.
Angarius Ep. Cadurcensis, a. 820. n. 27.
Angelelmus Ep. Autissiodorensis, a. 813. n. 347. Regulam Canonicis impositam curat observari, a. 817. n. 367. obit, a. 828. n. 28.
Angelomus scribit Tractatus in libros Regum, a. 827. nn. 1. 4.
Angelorum nomina ignota nec fingantur nec nominentur, a. 814. n. 30. a. 823. n. 40.
Angilbertus I. Arch. Mediolanensis transfert Reliquias S. Monæ, a. 816. n. 54.
Angilbertus II. sit Archiep. Mediolanensis, a. 827. n. 84.
Angilbertus sive Engilbertus Abb. Centulensis testis adest, cùm Carolus Magnus Testamentum condit, a. 811. nn. 2. 3. obit, a. 814. n. 73.
Anianum, Mon. a. 812. n. 50. a. 814. n. 72. a. 817. n. 308. an ejus Altare consecratum à Leone III PP. a. 805. nn. 11. *& seqq.*
Anianus Abb. Caunensis, a. 817. n. 312.
Anniversarium Officium fiat pro Abbate defuncto, a. 817. n. 228.
Anno Abb. Tabulciensis quando, a. 804. n. 53.
Anno Episc. Vetuariensis, a. 824. nn. 35. 40.
Anscharius Monachus, deinde Præfectus Scholæ in vetere Corbeia, mittitur in novam Corbeiam, ibique sit Præfectus Scholæ & concionator, a. 823. n. 3. it in Daniam, a. 826. n. 25.
Ansegisus Abbas Flaviacensis, a. 815. nn. 18. 19. Abb. Luxoviensis, a. 817. n. 381. Abb. Fontanellensis, a. 823. nn. 58. *& seqq.* edit quatuor libros Capitularium cum tribus Appendicibus, a. 827. nn. 7. *& seqq.*
Anselmus sit Archiep. Mediolanensis, a. 814. n. 78. particeps est conjurationis in caput Ludovici Pii, a. 818. n. 2. relegatur in Monasterium, *ibid.* n. 7. suæ redditur Ecclesiæ, a. 821. n. 67. obit, a. 822. n. 133.
Ansoaldus sive Antoaldus Ep. Brixiensis quando sedit, a. 805. n. 40.
Ansovinus sit Ep. Camerinensis, a. 822. n. 146.
Antelmus Abb. Condatescensis obit, a. 815. n. 18.
Antfridus sit Abb. Nonantulanus, a. 821. n. 86. Legatus mittitur Constantinopolim, a. 828. n. 15.
S. Anthymii Mon. in E. Senensi, a. 826. n. 43.
S. Antonini Mon. a. 817. n. 303.
Antonius Ep. Carpentoractensis, a. 811. n. 24.
Antonius Episc. Parentinus, a. 811. nn. 14. 34.
Apollinaris Abb. Casinensis, a. 818 n. 13.
Apollinaris Abb. Flaviacensis ac Reomaensis obit, a. 825. n. 66.
Aquæ benedicendæ ritus adversùs animantia fructibus terræ nocentia, a. 824. n. 55.
Aquæ Sextiæ cur inter Metropoles haud numerantur in Testamento Caroli Magni, a. 811. n. 8.
Aquisgranense Concilium, a. 809. nn. 8. *& seqq.*
Archidiaconus censum à Presbyteris non exigat, a. 813. n. 150. de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis nihil accipiat, a. 825. n. 11.
Archiepiscopus suos Suffraganeos diligenter admoneat, ut Presbyteros de Baptismo doceant, a. 813. nn. 7. 160. à Cancellario Palatii accipiat Regia Capitularia, & ea suis Suffraganeis Abbatibúsque suæ provinciæ transcribi faciat, a. 825. n. 30.
Ardo Monachus Anianensis, a. 816. n. 4.
Arelatense Concilium, a. 813. nn. 2. *& seqq.*
Argemirus Ep. Magalonensis, a. 819. n. 3.
Arialdus Ep. Clusinus, a. 811. n. 10. a. 816. n. 23.
Arigausus Abb. S. Ambrosii Mediolani, a. 806. n. 71.
Arimanni, qui, a. 810. n. 17.
Aripertus Ep. Aretinus, a. 811. n. 10.
Armentrudis Abbatissa Sucssionensis quando, a. 804. nn. 8. 9.
Arno Arch. Salisburgiensis præsidet Concilio

cilio Saliſburgienſi, a. 807. n. 25. teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. intereſt Concilio Moguntino, a. 813. n. 78. accipit à Ludovico Aug. poſt Conventum Aquiſgranenſem Regulas Canonicorum & Canonicarum, a. 817. n. 139. officio ſuo ſtrennè defungitur, a. 818. n. 19. obit, a. 822. n. 143.

Arnulfus Abb. Herenſis, a. 814. nn. 72. 88. a. 817. nn. 236. 292. a. 819. n. 4. a. 821. n. 66. dimittit munus, a. 825. n. 65.

Arſufius Nicephori Imp. Orator venit ad Carolum Aug. a. 810. nn. 58. 59.

Artaldus fit Ep. Genavenſis, a. 816. n. 30.

Aſcelina Sueſſionenſis Abbatiſſa quando, a. 804. nn. 8. 9.

Aſinarius Comes, a. 824. n. 55.

Aſtaneus Abb. Savigniacenſis, a. 819. n. 35.

Aſuerus Abb. Prumienſis obit, a. 805. n. 107.

Atala Pippini R. filia, a. 810. n. 45.

Athanaſianum Symbolum à Sacerdotibus memoriter diebus Dominicis ad Primam recitandum, a. 813. n. 25.

Atho Ep. Cremonenſis, a. 819. n. 11.

Atho Ep. Spirenſis obit, a. 810. n. 93.

Attiniacenſe Capitulare, a. 822. nn. 11. *& ſeqq.*

Attiniacenſis Conventus, in quo Ludovicus Pius publicam agit pœnitentiam, a. 822. nn. 6. *& ſeqq.*

Atto Ep. Friſingenſis intereſt Concilio Saliſburgienſi, a. 807. nn. 25. 26. obit, a. 812. n. 58.

Atto Ep. Namnetenſis, a. 815. n. 64.

Atto Ep. Novarienſis, a. 811. nn. 12. 33. obit, a. 821. n. 86.

Avaritia, a. 806. n. 55.

Audinus Chorepiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis, a. 824. n. 58.

Audoaldus Abb. Ammiatinus, a. 816. n. 23.

Avenia fit Monialis Namnetis, a. 812. n. 62.

Aulicenſis Epiſcopatus erigitur in provincia Moguntina, a. 812. n. 66. transfertur Hildeſiam, a. 814. n. 66.

Aureolus Comes in finibus Galliæ & Hiſpaniæ obit, a. 809. n. 6.

Auriſmundus Ep. Redonenſis, a. 811. n. 28. obit, a. 822. n. 148.

Auſterbertus Abb. S. Zenonis, a. 807. n. 31. a. 810. n. 45.

Auſtrannus fit Ep. Virodunenſis, a. 813. n. 1. obit, a. 818. n. 22.

Autbertus Monachus novæ Corbeiæ erudit Danos, a. 816. n. 23.

Autharius Comes, a. 827. n. 61.

Aymatus an Ep. Cadurcenſis, a. 805. n. 30.

Aymerius an Epiſc. Nemauſenſis, a. 805. n. 25.

B

BAcho Abb. Tegernſeenſis quando, a. 807. n. 27.

Baduradus Ep. Paderbornenſis Præceptum pro ſua Eccleſia obtinet à Ludovico Aug. a. 822. n. 2. nomen imponit novæ Corbeiæ, tranſfértque oſſa S. Landelini, *ibid.* n. 106.

Baldericus Comes, Cuſtos Avarici limitis, a. 826. nn. 21. 22.

Baldricus Dux Foro-Julienſis ſtrenuè ſe gerit adversùs Liudewitum Pannoniæ Ducem rebellem, a. 819. n. 9. a. 820. n. 3. ſegniùs agit adversùs Bulgaros, ideóque exauctoratur, a. 828. n. 14.

Balma, Mon. puellare in Archiep. Veſontionenſi, a. 817. n. 256.

Baptiſmus unanimiter in omnibus Parrochiis celebrandus, a. 813. n. 80. Ejus cæremoniæ, a. 804. n. 81. a. 812. nn. 71. *& ſeqq.* iteratio prohibetur, a. 812. n. 87. ſtata tempora, a. 813. n. 80. a. 823. n. 28. nullus proprium filium vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, a. 813. n. 131.

Barbarenſe Mon. inſtauratur, & inſignis Privilegii confirmationem obtinet à Leidrado Archiep. Lugdunenſi, a. 807. nn. 17. *& ſeqq.* a. 814. n. 72.

Barnardus fit Monachus Ambroniacenſis uxore conſentiente, a. 805. n. 110. Abb. Ambroniacenſis, a. 809. n. 9. malè confunditur cum Bernhario Ep. wormacienſi, *ibid.* fit Archiepiſc. Viennenſis, a. 812. n. 60. tria obtinet Præcepta pro ſua Eccleſia, a. 815. nn. 5. 6. 38.

Baſilius Ep. Anicienſis quando, a. 804. n. 40.

Baſtonicum, quid, a. 826. n. 26.

Bathuricus fit Ep. Reginoburgenſis, a. 817. n. 372. an factus Ep. Patavienſis, a. 822. nn. 144. 145.

Baugolphus Abb. quondam Fuldenſis obit, a. 815. n. 26.

Beania, Mon. a. 814. n. 28.

Beatus Abb. Honavienſis munificus erga ſuum Mon. a. 810. n. 106.

Beatus Dux Venetorum profugit ad Carolum Aug. a. 806. nn. 1. 2.

Bella Cella, Mon. in Ep. Albigenſi, a. 824. n. 9.

Benedictina Regula, a. 815. nn. 87. 137. 229. Monachis ac Monialibus præſcribitur obſervanda, a. 817. n. 236. a. 818. n. 35. in epitomen redacta à Benedicto Abb. Anianenſi, a. 821. n. 13. ex ea modus diverſarum pœnitentiarum ab eodem Benedicto Abb. Anianenſi collectus, *ibid.* nn. 36. *& ſeqq.*

Benedictus Abb. Acutianus, Præceptum obtinet pro ſuo Mon. a. 815. n. 9. obit, a. 816. n. 34.

Benedictus Abb. Anianenſis, a. 804. n. 47. amicitiâ conjunctiſſimus Alcuino & Fredegiſo ejus ſucceſſori, *ibid.* nn. 64. 73. multorum Monaſteriorum reformator ac pater, a. 805. n. 112. a. 807. n. 48. a. 809. nn. 91. 92. a. 812. n. 164. a. 814. nn. 68. *& ſeqq.* a. 817. nn. 236. 273. ægrotat

Aquiſgrani defertúrque ad Indenſe Mon. a. 821. n. 2. mittit ſalutaria monita Ludovico Imp. *ibid.* n. 8. ſcribit Georgio Abb. Anianenſi & Nebridio Archiep. Narbonenſi, *ibid.* n. 9. obit, *ibid.* n. 10. varia ejus ſcripta, *ibid.* nn. 12. *& ſeqq.*

Benedictus Abb. S. Baſoli, a. 822. n. 149.

Benedictus Abb. Schwarczachienſis in E. wirceburgenſi, a. 815. n. 36.

Benedictus Archidiaconus à Paſchale PP. mittitur ad Ludovicum Pium, a. 823. n. 19.

Benedictus Archiep. Aquenſis, a. 818. n. 24.

Benedictus Ep. Andegavenſis, a. 811. n. 29. Præceptum pro ſua Eccleſia obtinet à Ludovico Pio, a. 816. n. 21. ejus Reliquiæ, a. 818. n. 22.

Benedictus Ep. Brixienſis quando ſedit, a. 805. n. 40.

Benedictus Ep. Spirenſis, a. 814. n. 80. obit, a. 822. n. 155.

Benedictus homo Græcus cum ſociis ſejunctim in Cellulis ſolitariè vivit in Diœceſi Namnetenſi, a. 812. n. 61.

Beneficia Regalia, a. 806. nn. 47. 48. a. 807. n. 45.

Benerca, Mon. a. 817. n. 324.

Beneventanus Ducatus, pars Longobardiæ, in ditione Francorum, a. 806. n. 34. an attributus Bernardo R. Italiæ, a. 813. n. 336.

Bera militat in caſtris Ludovici R. a. 808. n. 5. pellitur in exilium, a. 820. n. 2.

Berch, Mon. a. 817. n. 285.

Berengarius Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in quatuor Comitatibus provinciæ Remenſis, a. 825. n. 31.

Berengarius fit Comes Toloſanus, a. 808. n. 7. in fugam vertit Lupum Vaſconem rebellem, a. 819. n. 7.

Beringarius Comes Brivatenſem Eccleſiam reædificat, a. 825. n. 37.

Bernaltus, Bernaldus, Beroldus, Bernoldus, fit Ep. Straſburgenſis, éſtque arbiter inter Victorem Ep. Curienſem & duos Comites rerum Eccleſiaſticarum invaſores, a. 825. n. 60. agit apud Ludovicum Imp. de transferendo trans Rhenum Monaſt. Schwarzachienſi, a. 826. n. 70.

Bernardus Ep. Barcinonenſis quando ſedit, a. 807. n. 4.

Bernardus Pippini R. filius, a. 810. n. 45. ab avo Carolo mittitur in Italiam, a. 812. n. 23. ab eodem avo Rex Italiæ conſtituitur, ducítque uxorem, a. 813. n. 336. It Aquiſgranum ad Ludovicum Imp. patruum, deinde redit in Italiam, a. 814. n. 60. adit iterum patruum, & ab eo remittitur in Italiam, ut inquirat de conjuratione Romanorum in Leonem PP. & de pœna reis inflicta, a. 815. n. 8. eoſdem Romanos rurſum tumultuantes coercet, *ibid.* n. 14. Stephanum V. PP. comitatur venientem in Gallias, a. 816. n. 11. ægrè fert Lotharium dictum Imp. a. 817. n. 333. bellum parat adversùs Ludovicum Aug. *ibid.* nn. 365. 366. captivus ad Ludovicum Aug. adducitur, damnatur cum authoribus conjurationis, & excæcatus moritur, a. 818. nn. 1. *& ſeqq.* excæcationem illam à ſe non prohibitam deflet Ludovicus Pius, a. 822. nn. 5. 6. 8.

Bernardus, Willelmi Toloſani Comitis filius, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. ducit uxorem, a. 824. n. 3. Ludovicum Imp. agnatione contingit, *ibid* ſtrenuè ſe gerit contra Saracenos, a. 827. n. 70.

Bernarius Monachus Corbeienſis relegatur, a. 814. n. 90. revocatur ab exilio, a. 821. nn. 62. 66. multùm diligitur à Ludovico Aug. a. 822. n. 9.

Bernharius Ep. Vormacienſis Romam poſt Synodum Aquiſgranenſem mittitur ob motam quæſtionem de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 809. n. 9. ea de quæſtione colloquium habet Romæ cum Leone PP. a. 810. nn. 1. *& ſeqq.* intereſt Concilio Moguntino, a. 813. n. 78.

Berninus fit Ep Carnotenſis, a. 817. n. 373.

Bernuinus Archiepiſc. Veſontionenſis teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31.

Bernwelphus Ep. wirceburgenſis quando ſedit, a. 815. nn. 30. *& ſeqq.*

Berta Caroli Magni & Hildegardis Reginæ filia, a. 806. n. 32.

Bertmundus Lugdunenſis provinciæ Præfectus excæcat Bernardum Regem Italiæ, a. 818. n. 5.

Bertrais Pippini R. filia, a. 810. n. 45.

Bertranda ſoror Willelmi Comitis Toloſani, a. 804. n. 45. a. 824. n. 6.

Bertricus Comes Palatii, a. 816. n. 21.

Bertulfus Ep. Trecenſis, a. 811. nn. 19. 35.

Beſuenſi Mon. res ablatæ reſtituuntur, a. 815. n. 34.

Betto Ep. Lingonenſis, a. 811. n. 21. a. 815. n. 34. a. 817. n. 370. obit, a. 820. n. 22.

Bilechildis uxor Rorigonis Comitis, a. 814. nn. 63. 64.

Bituricenſium Archiepiſcoporum Chronologia, a. 810. nn. 99. 105.

Blaſphemia quomodo punienda, a. 816. n. 30.

Bledum cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Bleiſtadienſe Templum dedicatur, a. 812. n. 64.

Bohemi vincuntur à Carolo Caroli Magni filio, a. 806. n. 63.

Bonifacius Ep. Araſicanus, a. 811. nn. 24. 39.

Bonus Epiſc. Segeſtaricenſis obit, a. 805. n. 105.

Digitized by Google

Borellus militat in caſtris Ludovici Regis, a. 808. n. 4.
Borna Dux Dalmatiæ, Liburniæ, Guduſcanorum, & Timocianorum, a. 818. n. 15. Liudewito Pannoniæ Duci rebellanti ſtrenuè reſiſtit, a. 819. n. 9. a. 820. n. 1. obit, a. 821. n. 60.
Borno Ep. Tullenſis, a. 805. n. 44.
Bovo Epiſc. Catalaunenſis obit, a. 804. n. 55.
Bracenſes, qui, a. 818. n. 22.
Brantoſma, Mon. in E. Petrocoricenſi, a. 816. nn. 24. *& ſeqq.* a. 817. n. 295.
Bratiarium, quid, a. 813. n. 417.
Brephotrophium, a. 817. n. 26.
Briddo fit Abb. Gandenſis, a. 809. n. 41. obit, a. 816. n. 37.
Brivatenſis Eccleſia inſtauratur à Beringario Comite, a. 825. n. 37.
Brolius, quid, a. 821. n. 81.
Brunhardus munificus erga Mon. Gandenſe, a. 815. n. 67.
Brunia, a. 805. n. 70. homini extraneo nec danda nec vendenda ſine permiſſione Regali, a. 811. n. 77.
Burchardus Comes Corſicam contra Saracenos tuetur, a. 807. n. 2.
Burgundio Comes Fedentiacus obit, a. 806. n. 68.

C

CABILONENSE Concilium, a. 813. nn. 135. *& ſeqq.*
Cadolaus Marcæ Foro-Julienſis Præfectus falsò accuſatur crudelitatis & inſolentiæ à Liudewito Pannoniæ Inferioris Duce res novas moliente, a. 818. n. 16. obit, a. 819. n. 9.
Cære cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Cæſaraugustani provocantur ad fœdus cum Francis ineundum adversùs Saracenos, a. 826. n. 37.
Calceamenta Monachorum. a. 817. n. 177.
Calix vitreus an prohibitus in Concilio Remenſi, a. 813. n. 39.
Camiſiæ Monachis dandæ, a. 817. n. 177.
Campania triplex in Morinis, a. 811. n. 83.
Campio Abb. Barbarenſis, a. 807. n. 20.
Cancellarius Palatinus Archiepiſcopis & Comitibus civitatum Metropolitanarum dare debet Capitularia Regia ſi poſtulaverint, & eorum, quibus dederit, notare nomina, a. 825. n. 30.
Canonica Regula obſervanda, a. 822. n. 45.
Canonicæ, a. 813. nn. 188. *& ſeqq.* quales admitti debeant, a. 817. n. 119. quid agere debeant de rebus propriis quando Monaſterium expetunt, *ibid.* n. 120. qualiter converſari debeant in Monaſteriis, *ibid.* n. 121. æqualiter cibum & potum ſumant, & quâ menſurâ, *ibid.* nn. 123. 124. quomodo corripiendæ, *ibid.* n. 129. virorum frequentias vitent, *ibid.* n. 130. pervigilem cuſtodiam erga famulas ſibi ſervientes habeant, *ibid.* n. 131.
Canonicarum Regula, a. 817. nn. 116. *& ſeqq.* earum Monaſteria undique muniенda, *ibid.* n. 122. earum officium, *ibid.* n. 126.
Canonici tabernas non ingrediantur ad edendum vel bibendum, a. 813. n. 59. quomodo vivere debeant, *ibid.* nn. 85. 227. 263. 447. plures non admittantur quàm ratio poſtulat, *ibid.* nn. 95. 235. 265. alii in Epiſcopiis vivunt, alii in Monaſteriis, *ibid.* 227. 228. ex ſola Eccleſiæ familia non ſunt congregandi, a. 817. n. 93. cibum & potum æqualiter ac certâ menſurâ accipiant, *ibid.* nn. 95.-96. modeſtiam ſervent in veſtibus, *ibid* n. 98. cucullas Monachorum non induant, *ibid.* n. 99. divinum Officium cum reverentia celebrent, *ibid.* nn. 101. *& ſeqq.* quomodo corripiendi, *ibid.* n. 104. juniores quomodo erudiendi, *ibid.* n. 105. infirmi & ſenes peculiarem manſionem habeant, *ibid.* n. 111. quales eſſe debent, *ibid.* n. 115.
Canonicorum & Monachorum differentia, a. 817. n. 89.
Canonicorum clauſtra & habitationes, a. 817. nn. 91. 114.
Canonicorum Regula, a. 817. nn. 27. *& ſeqq.* vindicatur à calumnia, *ibid.* nn. 141. *& ſeqq.* quales eſſe debent illorum Prælati, *ibid.* n. 108. eorumdem Prælatorum officium, *ibid.* n. 97.
Cantores Metenſes, a. 805. n. 48.
Cantorum ſchola, a. 817. n. 107.
Capitularia, Attiniacenſe, a. 822. nn. 11. *& ſeqq.* Aquiſgranenſia, a. 807. nn. 38. *& ſeqq.* a. 808. nn. 22. *& ſeqq.* a. 809. nn. 42. *& ſeqq.* a. 810. nn. 65. *& ſeqq.* a. 812. nn. 7. *& ſeqq.* a. 813. nn. 259. *& ſeqq.* nn. 352. *& ſeqq.* nn. 424. *& ſeqq.* a. 814. nn. 29. *& ſeqq.* a. 825. nn. 6. *& ſeqq.* Bononienſe, a. 811. nn. 67. *& ſeqq.* Cariſiacenſe, a. 820. nn. 31. *& ſeqq.* Ingelheymienſe, a. 826. nn. 25. *& ſeqq.* Noviomagenſe, a. 806. nn. 40. *& ſeqq.* ad Theodonis villam, a. 805. nn. 45. *& ſeqq.* a. 821. nn. 65. *& ſeqq.* incerti loci, a. 805. nn. 91. *& ſeqq.* a. 811. nn. 51. *& ſeqq.* a. 812. nn. 13. *& ſeqq.* a. 813. nn. 288. *& ſeqq.*
Capitularia Regia Archiepiſcopus & Comes civitatis Metropolitanæ debent accipere à Cancellario Palatino, Epiſcopi Suffraganei & Abbates ab Archiepiſcopo, ceteri Comites à Comite civitatis Metropolitanæ, a. 825. n. 30.
Capitulum ſumptum pro loco Capitulari, a. 817. nn. 224. 225.

Cappæ Monachorum, a. 817. n. 177. diſconſutæ, *ibid.* n. 216.

Carolus Auguſt. edit Capitularia, a. 805. nn. 45. *& ſeqq.* a. 806. nn. 40. *& ſeqq.* a. 807. nn. 38. *& ſeqq.* a. 808. nn. 22. *& ſeqq.* a. 809. nn. 42. *& ſeqq.* a. 810. nn. 65. *& ſeqq.* a. 811. nn. 51. *& ſeqq.* a. 812. nn. 7. *& ſeqq.* a. 813. nn. 258. *& ſeqq.* nn. 288. *& ſeqq.* nn. 352. *& ſeqq.* auget Legem Salicam, a. 805. n. 88. dat Præcepta, pro Mon. S. Mariæ de Organo, a. 804. n. 49. pro Hiſpanis in Franciæ Regno eis Rubricatum commorantibus, a. 812. n. 5. ſit munificus erga Mon. Trium-Fontium, a. 805. n. 39. erga Mon. S. Anaſtaſii, *ibid.* n. 38. erga Werthinam, a. 809. n. 26. erga Eccleſiam Placentinam, a. 808. n. 17. Leonem III. PP. excipit Remis, cum eo Sueſſionem proficiſcitur, & apud Cariſiacum Natalem Domini celebrat, Giſlâ ſorore, quæ tunc ægrotabat, priùs viſitatâ, a. 804. n. 4. Pippino filio ſcribit, ut leges jam latas obſervari præcipiat per Italiam, *ibid.* n. 88. mittit Legatos ad Godefridum R. Daniæ, *ibid.* n. 87. Leonem P P. in Italiam per Bojoariam reduci curat, a. 805. n. 39. varia condit Monaſteria, Beanienſe, Caſtrodunenſe, Lyſbornenſe, Nantolienſe, & Wildſburgenſe, a. 805. n. 41. a. 814. n. 28. ductâ Gerſuindâ circumit loca mari contigua, reverſúſque Aquiſgranum audit Theodorum Hunnorum Principem de Behemannis querentem, a. 805. nn. 42. 43. adit Theodonis villam, ibíque hyemem agit cum ſuis filiis, *ibid.* nn. 45. 114. Venetos & Dalmatas in amicitiam recipit pacto cum illorum Legatis fœdere, a. 806. nn. 1. *& ſeqq.* Regnum tribus filiis ſuis, Carolo, Pippino, & Ludovico, dividit nullâ Imperii & Ducatûs Romani factâ mentione, *ibid.* nn. 4. *& ſeqq.* defenſionem Sedis Apoſtolicæ illis commendat, *ibid.* n. 22. poſt Deum ſpes eſt ac fiducia PP. *ibid.* n. 39. Reginam ducit uxorem, a. 806. n. 76. inſtaurat Mon. Morſellenſe puellarum, *ibid.* Legatos excipit Thomæ Hieroſolymitani Patriarchæ & Aaronis Caliphæ cum muneribus directos, a. 807. n. 1. Epiſcopis & Comitibus, ut juſtitias faciant, commendat in Conventu Ingelheymienſi, *ibid.* n. 3. epiſtolas accipit à Leone PP. querente de juſtitiis per ejus Miſſos non factis, *ibid.* nn. 46. 47. queritur de Addulfo Legato Apoſtolico & de Legato Eanbaldi Eboracenſis Archiepiſcopi, a. 808. n. 2. varias enumerat cauſas, propter quas homines exercitalem obeditionem dimittere ſolent, *ibid.* nn. 33. *& ſeqq.* quâ uſus formulâ in inchoandis ac finiendis Diplomatibus, *ibid.* n. 18. poſt Synodum Aquiſgranenſem Oratores, qui colloquium de proceſſione Spiritûs Sancti cum Leone P P. habeant, mittit Romam cum literis, a. 809. n. 11. amiſsâ Regina uxore ducit Adelluidam, *ibid.* n. 42. poſt Traſiconis mortem novum Obotritis Ducem præficit, a. 810. n. 56. audit Legatos Nicephori Imp. & Alhacæ Caliphæ Cordubenſis, *ibid.* nn. 57. *& ſeqq.* item Hemmingi R. Daniæ, *ibid.* n. 92. condit Teſtamentum, a. 811. nn. 1. *& ſeqq.* pace cum Danis firmatâ tres dirigit exercitus, trans Albim adversùs Linones, in Pannoniam pro limitibus conſtituendis, in Britanniam pro compeſcendo tumultu, *ibid.* nn. 42. *& ſeqq.* it Bononiam ad videndam claſſem, *ibid.* n. 30. Aquiſgranum reverſus audit varias Legationes, Danorum, Avarum, & Sclavorum, *ibid.* n. 79. amiſsâ ultimâ uxore Adelluidâ reliquam vitam tranſigit abſque conjuge, *ibid.* n. 81. pace cum Græcis ac Venetis firmatâ Brandi vocatur, & parte Venetiæ redditâ Venetis, ſervat ſibi Gradum Metropolim cum Iſtria, Liburnia, & parte Dalmatiæ, a. 812. n. 6. Bernardum nepotem in Italiam mittit, initque pacem cum Calipha Cordubenſi, cum Grimoaldo Duce Beneventano, cum Wilzis, & cum RR. Daniæ, *ibid.* nn. 23. *& ſeqq.* gloriæ Ludovici filii non invidet, *ibid.* n. 56. per literas encyclicas ab Archiepiſcopis reſponſiones poſtulat ad interrogationes de cæremoniis Baptiſmi, *ibid.* nn. 67. *& ſeqq.* mittit Legatos Conſtantinopolim, a. 813. n. 1. quinque curat celebrari Concilia, *ibid.* nn. 2. *& ſeqq.* in Conventu Aquiſgranenſi curat Canones eorumdem Concíliorum referri, & ex illis excerpit Capitulare, *ibid* nn. 258. *& ſeqq.* Ludovicum filium conſtituit Imperatorem, Bernardum nepotem Regem Italiæ, *ibid.* nn. 335. 336. pacem firmat cum Danis, *ibid.* n. 338. ſupplicem à Fuldenſibus Monachis libellum adversùs Abbatem accipit, *ibid.* nn. 401. *& ſeqq.* ejus obitus, funus, uxores, liberi, eruditio, pietas, ſanctitas, a. 814. nn. 1. *& ſeqq.* agnomen, *ibid.* n. 88.

Carolus Rex Caroli Auguſti filius mittitur obviam Leoni PP. a. 804. n. 1. bellum contra Behemannos feliciter gerit, a. 805. n. 44. contra Hilinones, a. 811. n. 44. hyemem agit cum patre, a. 805. n. 114. in diviſione Regni à patre facta hæres tertiæ partis declaratur, a. 806. n. 10. vincit Sorabos & Bohemos, *ibid.* nn. 62. 63. Godefrido Danorum Regi ejúſque ſociis Saxoniam volentibus invadere reſiſtit ſtrenuè, a. 808. n. 15. obit, a. 811. nn. 79. *& ſeqq.*

Carolus Ludovici Aug. & Judithæ filius naſcitur, a. 823. n. 7.

Digitized by Google

Carroſſum, Mon. a. 812. n. 31. a. 817. n. 294.
Caſa-Nova, Mon. in E. Ucetienſi, a. 814. n. 9.
Caſinenſe Mon. cur dictum Beneventanum, a. 809. n. 30.
Catechumenus, quid, a. 812. nn. 71. 72.
Caunas, Mon. a. 812. n. 54.
Ceadragus Dux Abotritorum Trans-Albianorum cum Sclaomiro, a. 817. n. 363. exauctorato Sclaomiro Dux eorum ſolus ſupereſt, a. 819. n. 7. venit in ſuſpicionem perfidiæ, a. 821. n. 84. jubetur ad Imp. venire, a. 823. n. 5. intereſt Conventui Compendienſi, *ibid.* n. 16. iterum accuſatur, a. 826. n. 22. ſiſtit ſe coram Ludovico Aug. permittiturque in patriam redire, *ibid.* n. 38.
Cealadragus Dux Wilſorum, a. 823. n. 5.
Cella ſex ſaltem Monachos habere debet, a. 817. n. 199. a. 818. n. 31.
Cella Fraxilii, Mon. a. 817. n. 326.
Cella Nova, Mon. a. 814. n. 72.
Cellararia, a. 817. n. 135.
Cellararius, a. 817. n. 110.
Celſus Abb. Mauri-Mon. a. 828. n. 18.
Cenſalis terra, a. 820. n. 58.
Centenarius à Comite ac populo verax & bonus eligatur, a. 809. n. 64. judicium de proprietate & libertate in ſua præſentia non terminet, a. 810. n. 67. a. 812. n. 11. pravus non habeatur, a. 812. n. 106. res pauperum malis artibus non emat aut ſubripiat, a. 813. n. 28. ſi malus eſt, abjiciatur de ſuo miniſterio, *ibid.* n. 126. legem & juſtitiam fideliter obſervet, *ibid.* n. 450.
Centumcellæ cum Ducatu Romano veniunt in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Ceſpiticum telonei genus, a. 806. n. 51.
Cevilo Abbas Amarbaricenſis, quando, a. 807. n. 37.
Charta ingenuitatis quomodo probanda, a. 821. n. 105.
Chartulæ obligationis de liberis hominibus frangendæ, a. 820. n. 104.
Chorepiſcopi duplicis generis, a. 813. nn. 345. 346. a. 820. n. 25.
Choſlus Mormanum affectatæ in Armorica tyrannidis reum interimit, a. 818. n. 10.
Chriſtianus Ep. Nemauſenſis & Abb. S. Ægidii, a. 811. nn. 30. 41.
S. Chriſtinæ Mon. a. 822. n. 4.
Chriſtophorus Spatharius Legarus Leonis Imp. Græcorum auditur ab Imp. Ludovico, a. 824. n. 58.
Chronologia Bartinonenſium Epiſcoporum, a. 811. n. 41. Bituricenſium Archiepiſcoporum, a. 810. nn. 99. 105. Eyſtettenſium Epiſcoporum, a. 822. n. 134. Laudunenſium Epiſcoporum, a. 818. n. 20. Straſburgenſium Epiſcoporum, a. 817. nn. 382. *& ſeqq.* Virodunenſium Epiſcoporum, a. 813. n. 1. Wirceburgenſium Epiſcoporum, a. 815. nn. 30. *& ſeqq.*
Cimorra, Mon. a. 817. n. 327.
Circæ, Circatores, & Circitores Monachi, qui, a. 817. n. 189. a. 818. n. 48.
Claudius Preſbyter Commentarios ſcribit in Geneſim & in Evangelium Mathæi, a. 815. nn. 23. 24. in epiſtolam ad Galatas, a. 816. n. 28. factus Ep. Taurinenſis ſcribit Commentarios in Exodum, a. 821. n. 87. in Leviticum, a. 825. n. 53.
Clehanwanc, Mon. a. 817. n. 162.
Clericorum ordinationes ſtatutis temporibus fiant, a. 813. n. 158. Privilegia maneant illibata, a. 816. n. 32. pœnæ contra Clericorum percuſſores ſtatutæ apud Theodonis villam, a. 821. nn. 72 *& ſeqq.* in Conventu Triburienſi, a. 822. nn. 123. *& ſeqq.*
Clericus juvenis non habeat acceſſum ad Congregationem puellarum, a. 813. n. 11. pacem cuſtodiat cum Monachis, *ibid.* n. 16. fugitivus ad ſuam redeat Eccleſiam, *ibid.* nn. 29. 107. 282. ſui gradûs officium intelligat, *ibid.* n. 136. à comeſſationibus abſtineat, *ibid.* n. 51. quomodo vivere debeat, *ibid.* n. 86. rebus ſecularibus non ſe implicet, *ibid.* n. 90. a. 814. n. 30. non habitet cum mulieribus, a. 813. n. 125. a. 814. n. 30. non ordinetur à Scotis vagis qui ſe dicunt Epiſcopos, a. 813. n. 178. fugitivus & peregrinus non recipiatur ſine commendatitiis literis, a. 814. n. 30. non ingrediatur tabernas edendi vel bibendi causâ, *ibid.* n. 30. a. 817. nn. 66. 76. per pecuniam non ordinetur, de civitate ad civitatem non tranſmigret, non ordinetur abſolutè ſine pronuntiatione ſtabilitatis loci ad quem ordinatur, in ſuo propoſito permaneat, inſidias contra Paſtorem ſuum non faciat, a. 814. n. 30. arma non portet, *ibid.* n. 39. confiteatur quâ lege vivere debeat, & ſecundùm illam judicet, *ibid.* n. 44. canes & aves ad venandum non habeat, a. 813. n. 444. in duarum civitatum Eccleſiis non miniſtret, a. 817. n. 57. ſine commendatitiis literis nec proficiſcatur nec miniſtret, *ibid.* nn. 57. 58. 73. excommunicatus non ſuſcipiatur ab alio Epiſcopo, *ibid.* n. 59. Epiſcopi ſui mortui bona non diripiat, *ibid.* n. 74. fœdus & turpia lucra non exerceat, *ibid.* nn. 77. 78. vagus ſive acephalus quomodo puniendus, a. 813. n. 98. nullus tondeatur ſine legitima ætate, ſpontaneâ voluntate, & licentiâ domini ſui, *ibid.* n. 99.
Clinga, Mon. a. 817. n. 278.
Cociones non ſinantur vagari, a. 814. n. 42.
Comes Notarium habeat, a. 805. n. 49. quomodo ſe gerere debeat famis tempore, a. 806. n. 58. Placita propter ve-

nationem & alia joca non dimittat, a. 807. n. 42. Judices, Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos, Centenarios, Scabinos, bonos & veraces eligat, a. 809. n. 64. pacem cuſtodiat cum Epiſcopo, a. 813. nn. 155. 168. obediat Epiſcopo, *ibid.* nn. 17. 237. 269. res pauperum malis artibus non emat aut ſubripiat, *ibid.* nn. 28. 83. 281. munera pro judicio non accipiat, *ibid.* n. 269. legem ac juſtitiam fideliter obſervet, *ibid.* n. 450. quomodo puniendus, ſi corruptorem Monialis non punivit, a. 816. n. 29. ſi Miſſas in Oratorio fieri cognovit, & non prohibuit, *ibid.* n. 31.

Comes ad cuſtodiam maritimam deputatus non excuſatur à juſtitiæ facienda, a. 821. n. 51.

Comes Palatii cauſis pauperum duntaxat ac minùs potentium audiendis vacet, a. 812. n. 9.

Comites Miniſtris Eccleſiarum adjutores ſe præbeant, a. 825. n. 19.

Comites & Epiſcopi ad implenda ſua Miniſteria mutuo ſibi ſint auxilio, a. 825. n. 16.

Comites civitatum Metropolitanarum à Cancellario Palatino debent accipere Capitularia Regia, reliqui Comites à Comitibus civitatum Metropolitanarum, a. 825. n. 30.

Comites & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad Regis præſentiam veniant, a. 812. n. 9.

Comitum interemptores quomodo puniendi, a. 813. n. 294.

Conchacenſe Mon. a. 812. n. 33. a. 817. n. 302. a. 819. n. 5.

Concilia, Aquiſgranenſe, a. 809. nn. 8. *& ſeqq.* Arelatenſe VI. a. 813. nn. 3. *& ſeqq.* Cabilonenſe IV. *ibid.* nn. 135. *& ſeqq.* Moguntinum, *ibid.* nn. 78. *& ſeqq.* Noviomenſe, a. 814. n. 75. Remenſe II. a. 813. nn. 33. *& ſeqq.* Saliſburgienſe, a. 807. nn. 25. *& ſeqq.* Turonenſe III. a. 813. nn. 204. *& ſeqq.* apud Theodonis villam, a. 821. nn. 72. *& ſeqq.*

Condelohecus Preſbyter cum Covoïono Archidiacono in Rothonenſem ſolitudinem ſecedit, a. 820. n. 26.

Confirmationis Sacramentum, a. 812. n. 86. non iterandum, a. 813. n. 161. fœminæ, quæ filios ſuos ad confirmandum tenent, quomodo puniendæ, *ibid.* n. 166.

Conjuratio quomodo punienda, a. 805. n. 73.

Conſtantinus Ep. Curienſis, a. 806. n. 80. a. 811. n. 16. obit, a. 813. n. 343.

Corbeïa nova condítur ad Viſurgim, a. 822. nn. 102. *& ſeqq.* ditatur, a. 826. n. 24.

Cormaricum, Mon. a. 804. n. 73. a. 814. n. 72. Præceptum obtinet pro eligendo Abbate Ordinis Monaſtici, a. 820. n. 10.

Corſica contra Saracenos defenditur, a. 806. n. 64. a. 807. n. 2. vaſtatur à Saracenis, a. 809. n. 5. a. 810. n. 64. tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. nn. 6. 14.

Covoïonus quando Archidiaconus Venetenſis, a. 814. n. 84. ſecedit in ſolitudinem Rothonenſem, a. 820. n. 26.

Creauza, Mon. a. 817. n. 268.

S. Crucis Mon. puellare Pictavii, a. 817. n. 298. Capitulare de illo Mon. a. 822. nn. 113. *& ſeqq.*

Crudatum, Mon. a. 817. n. 280.

Crux. Crucis judicium in controverſia de terminis Regnorum, a. 806. n. 21. prohibetur, a. 822. n. 97.

Cucullæ Monachorum, a. 817. n. 177.

Cunegundis Abbatiſſa Sueſſionenſis quando, a. 804. n. 7. diſtinguitur à Conegunde, *ibid.*

Cunipertus Ep. Brixienſis quando ſedit, a. 805. n. 40.

Cupiditas in bonam & malam partem, a. 806. nn. 53. 54.

S. Cypriani Martyrúmque Scillitanorum Reliquiæ cum Capite S. Pantaleonis Martyris ex Africa transferuntur Arelatem primùm, deinde Lugdunum, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.*

D

DADINUS Abb. Luxovienſis, a. 815. n. 18.

Dado Abb. Conchacenſis quando, a. 812. n. 33. a. 819. n. 5.

Dalmatæ Legatos mittunt ad Carolum Aug. a. 806. nn. 1. 3. diſtinguuntur in Sclavos & Romanos, id eſt, in Francos & Græcos, a. 817. n. 21.

Dauferius inſidiatur Grimoaldo Duci Beneventanorum, a. 818. n. 13.

David Ep. Beneventanus tranſfert Corpus S. Januarii, a. 820. n. 29.

David Ep. Lauſannenſis, a. 817. n. 87.

Decani, a. 813. n. 87. a. 817. n. 211.

Decanus ſenior quem locum teneat, a. 817. n. 220. a. 818. n. 64.

Decimæ, a. 813. nn. 13. 24. 71. 114. 153. 154. 266. in poteſtate ſint Epiſcopi, qualiter à Presbyteris diſpenſentur, a. 817. n. 16. Preſbyter decimam ad alterum pertinentem non recipiat, *ibid.* unaquæque Eccleſia terminum habeat, de quibus villis decimas recipiat, *ibid.*

Decimæ & nonæ, a. 813. n. 250. a. 814. n. 52. a. 820. n. 59. a. 825. n. 27. a. 827. n. 20.

Deda Abbatiſſa Horreenſis quando, a. 804. n. 54.

Deenſe Mon. a. 819. n. 4.

Deipoldus Abb. Ebersheymienſis, a. 810. n. 107.

Digitized by Google

Denarii Palatini, a. 808. n. 30. qui bonos denarios accipere nolunt, quomodo puniendi, a. 820. n. 51.
Deodatus Ep. Sueſſionenſis, a. 804. n. 5.
Deodatus fit Ep. Papienſis, a. 816. n. 29.
Dervum, Mon. rurſum Monaſticen ſuſcipit, a. 827. n. 69.
Dettoardus Aſtenſis Preſbyter munificus erga Eccleſiam S. Mariæ & S. Secundi, a. 812. n. 1.
Deuſdona Diaconus Eccleſiæ Romanæ, a. 827. nn. 75. *& ſeqq.*
Dexter Abbas Duſerenſis, a. 812. n. 43. a. 817. n. 281. Præceptum obtinet à Ludovico Aug. a. 814. n. 64.
Diaconus quando & qua de cauſa ire poſſit ad Placitum, a. 813. n. 146. non fiat villicus, *ibid.* n. 147. non ordinetur ante annos ætatis viginti - quinque, a. 814. n. 30. arma non portet, *ibid.* n. 39. canes & aves ad venandum non habeat, a. 813. n. 444. mulieres in ſua domo non habeat, *ibid.* n. 449. officium Diaconi, *ibid.* n. 38. qui Diaconum vulneravit aut occidit, quâ pœnitentiâ mulctandus, a. 821. n. 74. a. 822. n. 126. a. 818. n. 27.
Dionyſius Ep. Januenſis, a. 811. n. 12.
Docmael Ep. Alctenſis, a. 811. n. 29. obit, a. 812. n. 59.
Dodana nubit Bernardo Comiti, a. 824. n. 5.
Dodo munificus erga Mon. S. Benigni, a. 816. n. 47.
Dodobertus Preſbyter cum literis formatis è Diœceſi Bituricenſi tranſit ad Senonenſem, a. 810. n. 100.
Domini circa ſuos piè & miſericorditer agant, a. 813. n. 253.
Dominicus Abb. de Monte Oliveti venit ad Ludovicum Aug. a. 826. n. 22.
Dominicus dies, a. 809. nn. 69. 83. a. 813. nn. 20. 68. 113. 185. 274. a. 814. n. 42. a. 817. n. 227.
Dominicus fit Epiſc. Patavinus, a. 814. n. 79.
Domus Eccleſiam Cathedralem ſignificat, a. 813. n. 29.
Donatus Ep. Jaderæ Legatus Dalmatarum ad Carolum Aug. a. 806. nn. 1. 3.
Donatus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in provincia Senonenſi, a. 825. n. 31. mittitur ad componendos tumultus Marcæ Hiſpanicæ, a. 827. n. 70.
Donus ſeu Bonus ſit Archiep. Mediolanenſis, a. 822. n. 133. obit, a. 826. n. 54.
Dotto Abb. Luxovienſis quando, a. 815. n. 18.
Dragamoſus Liudewiti ſocer, a. 819. n. 9.
Drogo Caroli Aug. & Reginæ Aug. filius naſcitur, a. 807. n. 49. ſit menſæ particeps à Ludovico Imp. a. 814. n. 57. tonſus in Clericorum Mon. mittitur, a. 818. nn. 4. 8. redit in gratiam cum Ludovico Aug. pœnitentiam tunc agente, a. 822. nn. 5. *& ſeqq.* ſit Ep. Metenſis, a. 826. n. 34. inſtaurat Mauri-Mon. anteà combuſtum, illùcque tranſfert Corpora SS. Cæleſtis & Auctoris Epiſcoporum Metenſium, a. 828. n. 18.
Ductramnus ſeu Dructerannus Abb. Solemniacenſis Commentarium in epiſtolam ad Galatas accipit à Claudio Preſbytero, a. 816. n. 28. obit, a. 827. n. 362.
Duellum, a. 816. n. 40.
Duſera, Mon. a. 812. n. 43. a. 814. n. 64. a. 817. n. 281.
Dutreſindus ſeu Druceſindus Abb. Miciacenſis, a. 814. n. 72. Præceptum obtinet à Ludovico Pio, a. 815. n. 4.

E

Eardulfus R. Nordanhumbrorum à ſuis pulſus, confugit ad Carolum Aug. deinde adit Leonem P P. a. 808. nn. 2. *& ſeqq.* remittitur in patriam cum utriuſque Legatis, a. 809. n. 7.
Eblus Comes per inſidias in Pyrenæis jugis captus Cordubam mittitur, a. 824. n. 33.
Ebo Abb. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. ſit Archiep. Remenſis, obtinétque Præceptum à Ludovico Aug. a. 816. nn. 12. *& ſeqq.* intereſt Concilio apud Theodonis villam, a. 821. n. 72. it Romam, & à Paſchale PP. licentiam obtinet prædicandi Evangelium populis Septentrionalibus, a. 822. n. 101. ad fines uſque Danorum progreditur, & multos ex illis baptizat, a. 823. n. 4. reverſus intereſt Conventui Compendienſi, atque inde rurſum proficiſcitur ad Danos cum Oratoribus Ludovici Pii, *ibid.* n. 16. conſtituitur Miſſus Dominicus, & locum infra Hamburgum obtinet opportunum ad obeundam inde Legationem per Daniam, a. 825. n. 31.
Ebrietas cavenda, a. 810. n. 71. a. 813. nn. 122. 252.
Ebrius in exercitu quomodo puniendus, a. 811. n. 73.
Ebronius Archiep. ſit Bituricenſis, ſcribítque literas Formatas Magnoni Archiep. Senonenſi, a. 810. nn. 100. *& ſeqq.* obit, a. 815. n. 20.
Ebroinus Clericus, a. 824. nn. 63. 64.
Eccleſia eſt aſylum, a. 813. n. 115.
Eccleſia, quæ ſine honore manet, emendetur, a. 805. n. 53. in Eccleſia qui ſepeliendi, a. 813. nn. 128. 279. a. 817. n. 18. in Eccleſia libri tantùm Canonici legantur, a. 814. n. 30. a. 823. n. 40. non agantur ſecularia negotia, a. 814. n. 38. non convivia, a. 817. nn. 65. 73. non mallus, a. 820. n. 47. Homicidium

in Eccleſia perpetratum quomodo puniendum, *ibid.* n. 34. injuria Clerico facta in Eccleſia, quomodo punienda, *ibid.* n. 35. omnis Ordo Eccleſiarum Lege Romanâ vivit, a. 821. n. 117.
Eccleſiæ defenſio & exaltatio commendatur, a. 815. n. 8.
Eccleſiarum res immobiles non alienandæ, a. 827. n. 26. theſauri diligenter cuſtodiendi, a. 806. nn. 41. 42. invaſiones, vaſtationes, alienationes prohibentur, a. 805. nn. 92. 96. 98. privilegia permaneant illibata, *ibid.* nn. 97. 99. 101. a. 816. n. 32. ſacra vaſa in pignus non dentur niſi neceſſitate redimendorum captivorum, a. 822. n. 83.
Eccleſiæ ſunt ſub protectione Regis, a. 813. n. 430. inter hæredes non dividantur, *ibid.* n. 161. antiquæ honorem ſuum non perdant, *ibid.* nn. 117. 278.
Eccleſiæ dotéſque earum ad Epiſcopi diſpoſitionem pertineant, a. 805. n. 100. res Eccleſiæ non ſunt dividendæ, a. 822. n. 14. abſque juſſione proprii Epiſcopi nec dandæ nec accipiendæ, a. 805. n. 93. in diviſionem & ſortem non mittendæ, a. 813. n. 440. quomodo adminiſtrandæ, a. 817. n. 99. qui de rebus Eccleſiæ beneficium habet, ad ejus reſtaurationem adjuvet, a. 813. nn. 30. 118. 283. collata Eccleſiis quomodo dividenda, a. 822. n. 75.
Edburga Offæ Merciorum R. filia Abbatiſſa in Francia pellitur è Mon. propter impudicitiam, a. 807. n. 4.
Egbertus Comes, a. 809. n. 3. Sturiæ fluvio munimentum imponit ad coercendas Francorum incurſiones, a. 810. n. 51.
Eggardus fit Abb. Lobienſis, a. 826. n. 69.
Eggideo præcipuus amicus Bernardi R. Italiæ, a. 818. n. 2.
Egido Abb. S. Hilarii in E. Carcaſſonenſi quando, a. 828. n. 21.
Egilwardus Epiſc. Wirceburgenſis quando ſedit, a. 815. nn. 30. *& ſeqq.*
Eginhardus mittitur Romam, a. 806. n. 38. an duxit filiam Caroli Magni, a. 814. n. 24. fit Abb. Fontanellenſis, a. 816. n. 46. erudit Lotharium Imp. a. 817. n. 361. fit etiam Abb. Gandenſis, a. 819. n. 6. dimittit Fontanellam, a. 823. n. 58. mittit Romam ad quærendas Sanctorum Reliquias, ſuſcipitque Corpora SS. Marcellini, Petri, Marthæ, Aurifacis & Habacuc, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* a. 828. nn. 1. *& ſeqq.*
Egino Ep. Conſtantienſis infenſus eſt Monachis San-Gallenſibus, a. 805. n. 91. obit, a. 813. n. 350.
Eillulphus Ep. Aſtenſis, a. 811. nn. 12. 33. a. 812. n. 1.
Eleemoſyna commendatur, a. 810. n. 69. mittenda Hieroſolymam propter Eccleſias reſtaurandas, *ibid.* n. 82.
Eleemoſynarum Monaſteriis collatarum decimæ dandæ pauperibus, a. 817. n. 104.
Elefantus Ep. Uzecienſis, a. 811. n. 30.
Elephas Abb. Giſlenianus, a. 808. n. 20. a. 818. n. 32.
Eluſa, cur in Caroli Magni Teſtamento non recenſetur inter Metropoles, a. 811. n. 8.
Emelda munificæ erga Eccleſiam Cathedralem Aſtenſem, a. 827. n. 84.
Emphyteuſis, unde Eccleſia damnum patitur, frangenda, a. 821. n. 117.
Eodebertus Archiep. Darantaſienſis, a. 811. n. 26.
Epiſcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad præſentiam Regis veniant, a. 812. n. 9. res pauperum malis artibus non emant, a. 813. n. 83. unanimiter conveniant ad faciendam juſtitiam, *ibid.* n. 439. a. 825. n. 16.
Epiſcopi quomodo promoti in Francia ſub Meroveadis RR. itémque ſub Carolidis ante Conventum Attiniacenſem, a. 822. nn. 15. *& ſeqq.* admonitio Ludovici Pii ad Epiſcopos, a. 825. nn. 10. 11.
Epiſcopus Notarium habeat, a. 805. n. 49. honoretur ab omnibus, *ibid.* n. 90. a. 813. n. 460. caveat ne Theſauri Eccleſiaſtici diſſipentur, a. 806. n. 45. quomodo ſe gerere debeat famis tempore, *ibid.* n. 58. non tantùm docendo; ſed etiam vivendo bonum exemplum dare debet, a. 811. n. 52. Preſbyteros doceat de Baptiſmo & de lectione Sacrarum ſcripturarum & Canonum, a. 813. nn. 7. 222. a. 814. n. 34. provideat qualiter Canonici & Monachi vivant, a. 813. n. 10. pacem cuſtodiat cum Comite, *ibid.* nn. 16. 155. ſemel in anno Parrochiam ſuam circumeat, & de pauperum oppreſſoribus, qui ſpernunt admonitionem, queratur apud Regem, *ibid.* n. 21. fugitivos Clericos ad loca ſua redire jubeat, *ibid.* n. 29. divinæ lectioni & prædicationi incumbat, *ibid.* nn. 47. 48. 208. a. 814. n. 35. a. 822. n. 98. ante ſe turpia joca fieri non permittat, a. 813. n. 50. à comeſſationibus abſtineat, *ibid.* n. 51. res Eccleſiaſticas provideat ac gubernet, *ibid.* n. 84. perſpiciat Monaſteria Canonicorum, Monachorum ac Monialium, ſi poſita ſint in apto loco, *ibid.* n. 96. ſciat quot quiſque Abbas Canonicos in Monaſterio habeat, *ibid.* n. 97. Vicedominos, Præpoſitos, & Advocatos bonos habeat, *ibid.* n. 116. legat Scripturam, Canones, & Paſtorale S. Gregorii, *ibid.* nn. 136. 206. 207. ſubditis ſit norma vivendi, *ibid.* n. 137. Scholas conſtituat

conſtituat ad erudiendos fideles, *ibid.* n. 138. humilitatem ac religionem præ ſe ferat in omnibus, *ibid.* n. 139. uſuras caveat ac prohibeat, *ibid.* n. 140. neminem ad res ſuas Eccleſiæ dandas vel ad comam deponendam cogi vel circumveniri patiatur, *ibid.* nn. 141. 142. annonam non congreget ut eam cariùs vendat, *ibid.* n. 143. ab omnibus ſenſuum illecebris abſtineat abſtinendúmque doceat, *ibid.* nn. 144. 211. ſobrietatem teneat & omnibus prædicet, *ibid.* nn. 145. 209. quando & qua de cauſa ire poſſit ad Placitum, *ibid.* n. 146. juramentum ab ordinandis non exigat, *ibid.* n. 148. a. 812. n. 86. cùm Parrochias ſuas peragrat, quid obſervare, quid cavere debeat, a. 813. n. 149. à Presbyteris pro balſamo vel luminaribus nihil exigat, *ibid.* n. 151. cenſum annuum non exigat à Preſbyteris, *ibid.* n. 152. wadios ab inceſtuoſis non accipiat, nec pecuniam à Preſbyteris negligentibus, *ibid.* n. 153. pauperes & peregrinos corporali ac ſpiritali reficiat alimento, *ibid.* n. 210. res Eccleſiaſticas cautè diſpenſet, *ibid.* n. 214. Eccleſiæ theſaurum pauperibus eroget ſecundùm Canonicam inſtitutionem præſente Clero, *ibid.* nn. 215. 271. à minore ad majorem Sedem non tranſmigret, *ibid.* n. 218. quomodo ſe gerere debeat erga Comites & Judices, *ibid.* n. 237. circumeat Parrochias ſibi commiſſas, *ibid.* n. 353. diſcutiat fidem, mores, & ſcientiam ordinandorum, a. 814. n. 30. dijudicet Clericos negotium inter ſe habentes, *ibid.* ſervum alterius ſine Domini ſui voluntate non ordinet, *ib.* n. 31. Canones benè intelligat, *ibid.* n. 33. ſecundùm Canones vivat & ita ceteros doceat, a. 813. n. 435. non potentativâ dominatione ſed manſuetudine ac caritate gregem ſibi commiſſum regat, *ibid.* n. 436. Advocatos, Vicedominos, & Centenarios habeat æquos ac bonos, *ibid.* n. 438. ſibi ſubjectos habeat Abbates & Monachos ſuæ Diœceſis, *ibid.* n. 440. canes & aves ad venandum non habeat, *ibid.* n. 444. Monachis non præcipiat comedere volatilia, a. 817. n. 164. electus remotâ dilatione conſecretur, a. 820. n. 120. à Preſbyteris, quos ordinavit, munera non accipiat, a. 822. n. 86. occaſione prædicandi aut confirmandi, non ſit oneri populo, *ibid.* n. 89. quartam Eccleſiaſticorum bonorum partem habeat, a. 823. n. 36. Capitularia Regia accipiat à ſuo Archiepiſcopo, a. 825. n. 30. prævideat quem honorem Preſbyteri pro Eccleſiis ſuis ſenioribus tribuant, a. 827. n. 16. abſque Epiſcopi proprii juſſione res Eccleſiaſticæ nec dandæ nec accipiendæ, a. 805. n. 93. qui vulneravit aut occidit Epiſcopum, quâ pœnitentiâ mulctandus, a. 811. n. 76. a. 822. nn. 128. 129. qui Epiſcopo aliquam injuriam aut injuſtam dehoneſtationem fecit, quomodo puniendus, a. 826. n. 28.

Equilium, urbs Venetiæ, venit in poteſtatem Francorum, a. 810. nn. 39. 43. redditur Venetis, a. 812. n. 6.

Era præfigitur Concilio Arelatenſi, a. 813. n. 3.

Erchempertus Auctor Francis injurius, a. 806. n. 34.

Eremburga Abbatiſſa Sueſſionenſis quando, a. 804. nn. 8. 9.

Eremundus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31.

Ereſburgum, a. 826. n. 24.

Erfulfus ordinatur Ep. Mantuanus à Patriarcha Foro-Julienſi, a. 823. n. 19.

Erlebaldus ſit Abb. Augienſis, a. 813. n. 47. Meinrado ſuadet Monaſticen, a. 824. n. 62.

Erlharius munificus erga Mon. Sitivenſe, a. 806. n. 79.

Ermanfredus Ep. Pariſienſis, quando ſedit, a. 811. n. 35.

Ermeno ſive Herminius Ep. Silvanectenſis, a. 807. n. 35. a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. obit, a. 824. n. 57.

Ermorus ſit Ep. Aletenſis, a. 817. n. 374.

Ermunbertus Ep. Bellicenſis quando ſedit, a. 805. n. 38.

Etheria Abbatiſſa Sueſſionenſis quando, a. 804. n. 7.

Euchariſtia percipienda in Cœna Domini, a. 813. n. 182. non indiſcretè tribuenda, *ibid.* n. 223. ſaltem ter in anno percipienda, *ibid.* n. 254. in ejus perceptione diſcretio adhibenda, *ibid.* n. 181.

S. Eugeniæ Mon. a. 817. n. 317.

Eugenius ſit PP. mittítque Quirinum Subdiaconum ad Ludovicum Aug. a. 824. nn. 4. 10. ſcribit Epiſcopis Suffraganeis Metropolitæ Laureacenſis, *ibid.* n. 55. Reliquias S. Sebaſtiani Româ Sueſſionem transferri permittit, a. 826. nn. 53. *& ſeqq.* obit, a. 827. n. 73. ſuppoſititiæ ejus nomine litteræ ad Michaelem & Theophylum Impp. Orientis, a. 826. nn. 6. *& ſeqq.*

Eulogiæ, a. 817. n. 317.

Exercitus. Capitula de exercitu, a. 813. nn. 361. 362. 369. 459. a. 825. nn. 20. 21. bannitus in hoſtem quomodo puniendus, ſi venire contempſerit, a. 811. nn. 68. 70. 76. ſi ab exercitu revertatur abſque licentia, *ibid.* n. 71.

F

Faleria cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Famis tempore, annona nimis carè non vendenda, a. 805. n. 68. unuſquiſque ſuos alere ſtudeat, a. 813. nn. 18. 240. 270.
Fardulfus Abbas San-Dionyſianus, a. 804. n. 41. a. 805. n. 113. obit, a. 806. n. 73.
Faſciolæ Monachis dandæ, a. 817. n. 177.
Faviancnſis Epiſcopatus, a. 822. n. 144.
Fauriniacum, Mon. puellare in Archiepiſc. Veſontionenſi, a. 817. n. 247.
Felinacius Ep. Mauriennenſis, a. 811. n. 25. a. 813. n. 346.
Felix Ep. quondam Urgellenſis obit hæreticus, a. 818. n. 67.
Felix Thomæ Hieroſolymitani Patriarchæ Legatus ad Carolum Aug. a. 807. n. 1.
Femoralia quando Monachis danda, a. 817. n. 177.
Ferentinum cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Ferrariæ, Mon. a. 812. n. 29.
Ferreolus Abb. S. Juliani Brivatenſis, a. 827. n. 90.
Feſtivitates annuæ, a. 813. n. 112. a. 817. n. 201. a. 823. n. 29.
Feſtum Omnium Sanctorum an celebratum ætate Caroli Magni, a. 804. nn. 83. *& ſeqq.*
Fidelitas Regi promittitur, a. 813. nn. 424. 427.
Fidenardus Abbas Tabuleïenſis quando, a. 804. n. 53.
Findanus Monachus Augienſis in arctiſſimo ſe includit loco, a. 805. n. 104. obit, a. 827. n. 91.
Flodegarius Ep. Andegavenſis res nonnullas permutat cum Winnerando, & Præceptum obtinet à Ludovico Pio pro illa permutatione, a. 828. n. 22.
S. Florentii Mon. a. 812. n. 31.
Fœminæ non ingrediantur ad Altare, a. 814. n. 30. a. 823. n. 37. linteamina Altaribus præparent, a. 827. n. 16.
Fœnus, a. 806. n. 57.
Folbertus munificus erga Mon. Sitivenſe, a. 811. n. 83.
Folradus fit Abbas Blandinienſis, a. 812. n. 63. claret, a. 814. n. 85. a. 825. n. 67.
Forcapium, a. 820. n. 55.
Formatarum literarum uſus & explicatio, a. 810. nn. 100. *& ſeqq.*
Formulæ inchoandorum ac finiendorum Diplomatum variæ pro diverſis temporibus, a. 808. n. 18. a. 814. n. 64.
Fortunatus Patriarcha Gradenſis, a. 806. nn. 2. 66. a. 810. n. 40. a. 811. n. 14. venit iterum in Franciam, a. 815. n. 13. redit Gradum, a. 818. n. 17. abit Conſtantinopolim, a. 821. n. 61. Rotomagum venit cum Legatis Michaelis Imp. a. 824. n. 25. obit, a. 825. n. 2.
Fortunatus Abb. Mediolacenſis, quando, a. 824. n. 77.
Franci canunt Symbolum cum additamento *filióque*, a. 810. n. 35. magnam Venetiæ partem ſubigunt, *ibid.* nn. 36. *& ſeqq.* pace cum Græcis & Venetis firmatâ Gradum Metropolim ſervant cum Iſtria, Liburnia, & parte Dalmatiæ, a. 812. n. 6. Sardos ultrò ſe dedentes recipiunt, a. 815. n. 10. Guduſcanos & Timotianos, a. 818. n. 15. inſigni Donatione Romam cum Ducatu Romano atque inſulis Corſica & Sardinia dant Romanis Pontificibus in perpetuum, a. 817. nn. 6. *& ſeqq.* Reges Francorum Protectores ac Defenſores ſunt Eccleſiæ Romanæ, ideóque multis gaudent Privilegiis, a. 824. n. 21. *Vide* RR. Francorum ſub his vocibus, *Carolus, Lotharius, Ludovicus, Pippinus.*
Franco Ep. Cenomannenſis, a. 811. n. 29. obit, a. 816. n. 32.
Franco Junior fit Ep. Cenomannenſis ordinatúrque Turonis à Landranno Metropolita, a. 816. n. 32.
Fratricidium quomodo puniendum, a. 813. n. 461.
Freculphus Epiſc. Lexovienſis à Ludovico Aug. mittitur Romam, obtinétque ab Eugenio PP. ut Collectio Sententiarum in cauſa Imaginum ab Epiſcopis Francorum fiat, a. 825. nn. 40. 45.
Fredaricus Ep. Lauſannenſis, a. 811. nn. 10. 36. a. 815. n. 18.
Fredegiſus ſeu Fridugiſus Diaconus, Alcuini diſcipulus, fit Abb. San-Martinianus & Cormaricenſis, a. 804. nn. 63. 73. teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus Teſtamentum condit, a. 811. nn. 2. 3. Præceptum obtinet pro Mon. Sam-Martiniano, a. 817. n. 368. pro Fratribus Cormaricenſibus, ut eligant Abbatem Ordinis Monaſtici, a. 820. n. 10. fit Abb. Sitivenſis, *ibid.* n. 11. vindicatur à calumnia, *ibid.* nn. 12. 13.
Freydo ſeu Fraydo Ep. Spirenſis, a. 810. n. 93. a. 811. n. 16. obit, a. 814. n. 80.
Friderina conſtruit Herdekenſe Mon. puellarum, a. 819. n. 38.
Fridigiſus Epiſc. Arvernus, a. 805. n. 26. a. 811. n. 30.
Friſia vaſtatur à Danis, a. 810. n. 51.
Frodebertus Abbas S. Petri Senonenſis, a. 824. n. 60. obit, a. 825. n. 63.
Frodoinus Abbas Novalicienſis, a. 817. n. 249.
Frotharius Abb. S. Apri, a. 805. n. 44. fit etiam Ep. Tullenſis, a. 813. n. 344. literas accipit ab Hettio Trevirenſi Archiep. a. 817. n. 365. ſtudet quieti Mediolacenſis Mon. a. 824. n. 77.
Fruſino cum Ducatu Romano tranſit in di-

tionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Fuelinwanc, Mon. a. 817. n. 163.
Fugitivus domino reſtituendus, a. 808. n. 30.
Fulbertus Abb. Luxovienſis, a. 823. n. 60.
Fuldenſis Eccleſia dedicatur, a. 819. nn. 16. *& ſeqq.*
Fuldenſis Schola inſtituitur, a. 810. n. 118. laudatur, a. 815. n. 27.
Fuldenſium Monachorum ſupplex ad Carolum Imp. adversùs Abbatem libellus, a. 813. nn. 401. *& ſeqq.*
Fulradus Abb. S. Quintini intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. conſtruit novam Baſilicam S. Quintini, *ibid.* nn. 76. 77. Abb. etiam Lobienſis elevat corpus S. Urſmari, a. 823. nn. 50. 51. obit, a. 826. n. 69.
Furtum prohibetur, a. 814. n. 42. quomodo puniendum, a. 813. nn. 306. *& ſeqq.* a. 817. n. 219. a. 820. nn. 48. 69. a. 826. n. 26.

G

GALDO Ep. Nivernenſis, a. 811. n. 19.
Gallenſium Monachorum Capitula, a. 818. nn. 34. *& ſeqq.*
Galleſium cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Galuna, Mon. a. 812. n. 51.
Gandenſes Monachi, Briddone Abbate mortuo, Monaſterioque incenſo, diſperguntur, a. 816. n. 37. revocantur ab Eginhardo tunc Abbate, a. 819. n. 6. ſuſcipiunt partem Reliquiarum SS. Marcellini & Petri, a. 818. n. 7.
Garuhandus frater Lupi Waſconis rebellis in prælio perimitur, a. 819. n. 7.
Gebennus ſit Abb. Fabarienſis, a. 814. n. 85. obit, a. 816. n. 25.
Geiſo Ep. Mutinenſis, a. 806. n. 33. a. 811. n. 11. obit, a. 812. n. 57.
Gellonenſe Mon. in E. Lutevenſi, a. 804. n. 43. a. 814. n. 72. eundem habuit Abbatem cum Anianenſi, a. 822. n. 104.
Gerfredus Abbas Conchacenſis quando, a. 812. n. 33.
S. Georgii Cella conditur in ſylva Hercinia, a. 815. n. 349. a. 824. n. 59.
Georgius Abb. in Monte Oliveti, Legatus Thomæ Patriarchæ Hieroſolymitani ad Carolum Aug. a. 807. n. 1.
Georgius Abbas Anianæ, a. 817. n. 308. a. 821. n. 9. obit, a. 822. n. 104. an etiam Abb. Gellonenſis, *ibid.* a. 824. n. 9.
Georgius Diaconus Legatus Leonis Imp. Græcorum auditur ab Imp. Ludovico, a. 824. n. 58.
Georgius Preſbyter Venetus, qui faciendorum organorum artem callet, adducitur ad Ludovicum Aug. a. 826. n. 22. obtinet partem Reliquiarum SS. Marcellini & Petri pro Eccleſia ſua apud Valentianas, a. 828. n. 28.
Gerbardus Ep. Leodienſis obit, a. 810. n. 95.
Gerberga Bernardi Ducis ſoror, a. 824. n. 7.
Gerberta Abbatiſſa S. Crucis, a. 815. n. 3.
Gerfridus, S. Ludgeri nepos ex ſorore, ſit Ep. Mimigardevordenſis & Proviſor Mon. werthinenſis, a. 809. nn. 24. 36. idem videtur cum Gehufredo, a. 827. n. 60.
Gerholtus Comes, Cuſtos Avarici limitis, a. 826. nn. 21. 22.
Gero munificus erga Mon. Blandinienſe, a. 814. n. 85.
Gerochus Ep. Eyſtettenſis, a. 807. n. 53.
Gerontocomium, a. 827. n. 26.
Gerſuinda nubit Carolo Aug. a. 805. n. 42. obit, a. 806. n. 32.
Gerungus oſtiariorum Magiſter it in Italiam cum Lothario Aug. a. 822. n. 100.
Gerroldus Abb. Fontanellenſis obit, a. 806. n. 74.
Giſla ſeu Giſlana ſoror Caroli Magni Abbatiſſa Kalenſis ægrotat, inviſiturque à fratre, a. 804. n. 4. an Abbatiſſa Sueſſionenſis, *ibid.* nn. 6. *& ſeqq.* obit, a. 810. n. 46. diſtinguitur à S. Iſberga, *ibid.*
Giſlemarus electus Archiep. Remenſis ob ignorantiam rejicitur, a. 816. n. 14.
Giſulfus Abb. Caſinenſis, a. 804. n. 42. obit, a. 818. n. 13.
Glannafolium, Mon. inſtauratur, a. 824. nn. 63. 64.
Godofridus R. Danorum, a. 804. n. 87. a. 808. n. 15. à proprio ſatellite interficitur, a. 810. n. 53.
Godoſaldus Ep. Carnotenſis obit, a. 807. n. 36.
Gombertus an Ep. Trecenſis, a. 811. n. 36.
Gotbertus ſit Monachus Sitivenſis, a. 815. n. 69.
Gotefridus Abb. S. Gregorii, a. 817. n. 275.
Gothardus ſit Abb. Campidonenſis, a. 817. n. 265.
Gotſelinus Willelmi Toloſani Comitis filius, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. a. 824. n. 6.
Gozbaldus Abb. Altaichii Inferioris Præceptum obtinet à Ludovico R. a. 823. n. 8.
Gozbertus ſit Abb. San-Gallenſis, a. 816. n. 36.
Gradus venit in poteſtatem Francorum, a. 810. nn. 39. 40. redditur Venetis, a. 812. n. 6.
Graſus Ep. Auguſtanus, a. 811. nn. 26. 40. a. 824. nn. 55. 56.
Grauſolphus Ep. Feſulanus, a. 826. n. 42.
Gregorius ſit primus Ep. Mantuanus, a. 808. n. 16. obit, a. 823. n. 19.
Gregorius IV. PP. a. 827. n. 73.

Gribaldus ſeu Garibaldus Ep. Tullenſis quando ſedit, a. 805. n. 44.
Griemaldus Abb. Ebersheimienſis, a. 810. n. 107. a. 817. n. 177.
Grimaldus ſit Abb. Weiſſenburgenſis, a. 826. n. 56.
Grimbaldus Ep. Tarnannenſis, a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. obit, a. 816. n. 33.
Grimoaldus Abb. Caſtrenſis, a. 812. n. 61.
Grimoaldus Abb. S. Crucis, Meldis, a. 817. n. 243. obit, a. 823. n. 57.
Grimoaldus Dux Beneventanus obit, a. 806. nn. 34. 61.
Grimoaldus Storeſaiz ſit Dux Beneventanus, a. 806. nn. 34. 61. pacem init cum Carolo, a. 812. n. 23. eámque firmat cum Ludovico, a. 814. n. 61. occiditur, a. 818. n. 13.
Guadalbertus Abb. S. Mariæ de Organo Præceptum obtinet à Carolo Magno, a. 804. n. 49.
Gudacher Prior Mon. S. Maxentii, a. 823. n. 56.
Guduſcani à Bulgaris ad Francos tranſeunt, a. 818. n. 15.
Guerdo Abb. Fabarienſis, a. 811. n. 84. a. 815. n. 336. obit, a. 814. n. 86.
Guido ſit Abb. Fabarienſis, a. 816. n. 25. obit, a. 817. n. 375.
Guillermus Ep. Barcinonenſis quando ſedit, a. 807. n. 4.
Guillermus II. Ep. Barcinonenſis quando ſedit, a. 807. n. 4.
Guitburgis Willelmi Toloſani Comitis uxor, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. a. 824. n. 6.
Guitearius Willelmi Comitis Toloſani filius, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. a. 824. n. 6.
Gundrada ſoror Adelhardi Abb. Corbeienſis relegatur Pictavium ad Mon. S. Radegundis, ibique fit Monialis, a. 814. n. 91. a. 821. n. 64. a. 822. n. 9.
Gundulfus ſit Ep. Metenſis, a. 819. n. 14. obit, a. 825. n. 64.
Gunegundis Willelmi Toloſani Comitis uxor, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. a. 824. n. 6.
Gunibertus ſit Abb. Fabarienſis, a. 820. n. 20. obit, a. 825. n. 61.
Gunthardus ſit Abb. S. Quintini, a. 826. n. 69.
Guntherus primus Ep. Aulicenſis, a. 812. n. 66. Sedem Epiſcopalem transfert Hildeſiam, a. 814. n. 66.
Guntramus Abb. Murbachienſis, a. 814. n. 86.

H

Hadebaldus ſit Archiep. Colonienſis, a. 818. n. 21. intereſt Concilio apud Theodonis villam, a. 821. n. 71. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 30. Oratorium dedicat apud Werthinam, a. 827. n. 86.
Hademarus militat in caſtris Ludovici R. a. 808. n. 4.
Hadumarius Ep. Paderbornenſis, a. 811. n. 16.
Hadumarus Comes Genuenſis in prælio contra Saracenos occiditur, a. 806. n. 64.
Haiſtulphus ſive Heiſtulphus ex Abbate Weiſſenburgenſi ſit Archiep. Moguntinus, a. 814. n. 80. dicat Mon. puellare in Cellis, a. 815. n. 28. Eccleſiam Fuldenſem, a. 819. nn. 16. *& ſeqq.* Eccleſiam in Ludera, a. 820. n. 19. Eccleſiam S. Michaelis cum cœmeterio Mon. Fuldenſis, a. 822. nn. 136. *& ſeqq.* ſalutaria dat monita Ægili Abb. Fuldenſi, a. 818. n. 30. intereſt Concilio apud Theodonis villam, a. 821. nn. 59. 64. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31. obit, a. 826. n. 55.
Halitcharius ſit Ep. Attrebatenſis & Cameracenſis, a. 816. n. 3. dicat Baſilicam S. Giſleni, a. 818. n. 32. ad Danorum fines prædicandi gratiâ pergit cum Ebone Remenſi Archiep. a. 823. n. 4. redit, *ibid.* n. 16. Collectionem Sententiarum in cauſa Imaginum Pariſiis factam Aquiſgranum defert ad Ludovicum Aug. a. 825. n. 46. Legatus mittitur Conſtantinopolim, a. 828. n. 15.
Hamburgum erigitur decoratúrque Eccleſiâ, a. 811. n. 46.
Hamur Præfectus Barcinonenſis vi coactus deditionem facit, a. 807. n. 4.
Hancwinc frater Hemmingi R. Daniæ, a. 811. n. 42.
Harduinus Preſbyter Fontanellenſis obit, a. 815. n. 85.
Harioldus ſive Herioldus vel Heriholtus R. Daniæ pacem petit, a. 812. n. 25. pacem firmat cum Francis, a. 813. n. 338. pulſus è Dania confugit ad Ludovicum Aug. & ab eo mittitur in Saxoniam, a. 814. n. 61. tentat recuperare Regnum, a. 815. n. 15. a. 817. n. 22. a. 819. n. 10. a. 821. n. 84. in Conventu Compendienſi queritur de filiis Godefridi, a. 823. n. 16. baptizatur Moguntiæ cum uxore, a. 826. n. 23. pellitur è Dania, a. 827. n. 71. Danos aggreditur, a. 828. n. 19.
Harmokarus Ep. Ultrajectinus obit, a. 807. n. 34.
Hatto Ep. Patavienſis intereſt Concilio Saliſburgienſi, a. 807. nn. 25. 26. obit, a. 817. n. 372.
Haudo Abb. Derveniſis, a. 815. n. 18. a. 827. n. 69.
Hauto Ep. Auguſtanus, a. 809. n. 22. a. 811. n. 16.

Digitized by Google

Hebrona, Cella Mon. Sitivenſis, a. 806. n. 79.
Hegilwich, Judithæ Auguſtæ mater, ſit Abbatiſſa Kalenſis, a. 825. n. 70.
Heiminus Ep. Lauſannenſis conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31.
Heinricus Ep. Sabionenſis intereſt Concilio Saliſburgienſi, a. 807. nn. 25. 26.
Heldebonus Ep. Antipolitanus, a. 828. n. 24.
Heliſachar Abb. S. Maximini Treviris, a. 816. n. 1. a. 821. nn. 6. 7. 9. a. 822. n. 103. a. 823. n. 17. a. 827. n. 70.
Helmenſtadium Mon. condítur ſubjicitúrque Werthinæ, a. 805. n. 41. Diœceſi Salingeſtadienſi ſic attribuitur, ut Proviſores ſeu Rectores deinceps habeat Epiſcopos Mimigardevordenſes & Salingeſtadienſes ſive Halberſtadienſes aut ſimul aut alternatim, a. 810. n. 94.
Heloga ſit Ep. Aletenſis, a. 822. n. 59. obit, a. 827. n. 374.
Hemmingus Danus captivus, a. 811. n. 25. fratribus ſuis RR. Daniæ redditur, a. 813. n. 338.
Hemmingus patruo Godofrido ſuccedit in Regnum Daniæ, pacémque ſtatim init cum Carolo Aug. a. 810. n. 92. eandem pacem firmat, a. 811. n. 42. obit, a. 812. n. 25.
Heraclia urbs Venetiæ venit in poteſtatem Francorum, a. 810. nn. 39. 41. redditur Venetis, a. 812. n. 6.
Heraclius munificus erga Mon. S. Benigni, a. 816. n. 47.
Herdekenſe Mon. puellarum conditur, a. 819. n. 38.
Herenſe Mon. a. 812. n. 30. a. 827. n. 292.
Heribaldus Abb. S. Germani Autiſſiodorenſis, a. 820. n. 30.
Heribannum, a. 810. n. 76. a. 811. n. 69.
Heribergare, quid, a. 811. n. 69.
Heribertus Bernardi Ducis frater, a. 814. n. 7.
Heribertus militat in caſtris Ludovici R. a. 810. n. 63. obſidet Oſcam, a. 811. n. 49.
Hericus ſit Abb. Centulenſis, a. 814. n. 74. intereſt Concilio Noviomenſi, *ibid.* n. 75.
Heridagus Preſbyter erudit gentes Trans-Albianas, a. 812. n. 66. a. 814. n. 67.
Herilandus ſit Ep. Virodunenſis, a. 818. n. 22. obit, a. 821. n. 147.
Herimbertus Ep. Mindenſis, a. 811. n. 15.
Herimbrua Willelmi Comitis Toloſani filia, a. 804. n. 45. a. 808. n. 7. a. 814. nn. 6. 7.
Heriſlia, quid, a. 810. n. 77.
Herlebertus Coepiſcopus & Paſtor Mon. S. Benigni, a. 810. n. 25. a. 826. n. 58.
Herlegaudus Abb. S. Benigni, a. 815. n. 37. a. 816. n. 47. a. 819. n. 36. a. 820. n. 24.
Hermengarda uxor Ludovici Aug. Remis coronatur à Stephano V. P P. a. 816. n. 10. obit Andegavi, a. 818. n. 11.
Hermengaudus Abbas S. Michaelis in E. Virodunenſi Regium obtinet Præceptum pro Abbatis electione, a. 805. n. 44.
Herminguarius Comes Emporitanus vincit Mauros prope Majoricam, a. 813. n. 339.
Hertinus ſit Ep. Spirenſis, a. 822. n. 135.
Heſſo cum Hezilone condit Cellam S. Georgii in ſylva Hercinia, a. 813. n. 349.
Hettius ſit Abb. Mediolacenſis, a. 804. n. 54. Archiep. Trevirenſis, a. 814. n. 85. ſcribit Frotharío Ep. Tullenſi, a. 817. n. 365. intereſt Concilio apud Theodonis villam, a. 821. n. 72.
Heyto ſit Abb. Augienſis, a. 806. n. 73. ſit etiam Ep. Baſileenſis, a. 807. n. 33. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. mittitur Conſtantinopolim ad firmandam pacem, *ibid.* n. 82. edit Capitulare, a. 813. nn. 21. *& ſeqq.* dimittit Epiſcopatum Baſileenſem & Abbatiam Augienſem, *ibid.* n. 47. Wetini Monachi Viſiones ſcribit, a. 824. nn. 80. *& ſeqq.*
Hezilo & Heſſo condunt Cellam S. Georgii in ſylva Hercinia, a. 813. n. 349.
Hieremias, antea Monachus Centulenſis, ſit Archiep. Senonenſis, a. 818. n. 23. à Ludovico Aug. Præceptum obtinet pro Monaſteriis, S. Petri, S. Joannis, & S. Remigii, a. 822. n. 3. Aldricum promovet ad Sacros Ordines, *ibid.* in Aquitania Cellam erigit in fundo S. Petri Senonenſis, a. 824. n. 60. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31. ad Eugenium P P. defert Sententias Patrum de cauſa Imaginum collectas in Conventu Pariſienſi, a. 826. nn. 4. *& ſeqq.*
Hieronymus Ep. Carnotenſis, a. 807. n. 36. a. 811. n. 19. obit, a. 817. n. 373.
Hieronymus Ep. Nivernenſis, a. 818. n. 24.
Hilbodus ſit Abb. Herenſis, a. 825. n. 65.
Hildebaldus Archiep. Colonienſis, a. 804. n. 34. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. intereſt Concilio Moguntino, a. 813. n. 78. Carolum Magnum morti proximum reficit Euchariſtiâ, a. 814. n. 1. obviam it Stephano V. P P. a. 816. n. 11. obit, a. 818. n. 20.
Hildebaldus Ep. Matiſconenſis res quaſdam commutat cum Warino Comite, a. 825. n. 36.
Hildebrandus Comes, a. 817. nn. 68. 70.
Hildegarius Ep. Tridentinus, a. 811. n. 13.
Hildegrimus ſit Ep. Catalaunenſis, a. 804. n. 55. ſepelit fratrem ſuum Ludgerum Ep. Mimigardevordenſem, a. 809. n. 25. ſit Proviſor Mon. Werthinenſis, *ibid.* n. 36. dimiſſo Epiſcopatu Catalaunenſi

fit primus Ep. Salingeſtadienſis, a. 810. n. 94. munificus erga Werthinam, a. 812. n. 66. Sedem Epiſcopalem Salingeſtadio Halberſtadium transfert, a. 820. n. 18. obit, a. 827. n. 85.
Hildemannus fit Ep. Bellovacenſis, a. 811. n. 65. adeſt Adelhardo Abb. Corbeïenſi ægrotanti, a. 815. nn. 72. *& ſeqq.* eandem mortuum ſepelit, a. 826. n. 1.
Hildemarus Monachus, a. 810. n. 28.
Hildenus fit Ep. Virodunenſis, a. 821. n. 147.
Hildericus Ep. Meldenſis, a. 811. n. 19. a. 823. n. 7.
Hildoaldus Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. Præceptum obtinet à Ludovico Aug. obitque, a. 816. n. 3.
Hildoinus Abb. S. Michaelis ad Moſam, a. 824. nn. 67. 68.
Hildricus ſive Hidericus Abb. Lobienſis intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75.
Hildrudis Caroli Magni & Faſtradæ Reginæ filia, a. 806. n. 32.
Hilduinus Abb. S. Dionyſii Præceptum obtinet à Ludovico Pio, a. 814. n. 65. laborat pro reſtituendo Ordine Monaſtico in Mon. San-Dionyſiano, a. 817. n. 236. multorum Monaſteriorum fit Abb. *ibid.* n. 380. Archicapellanus, a. 818. n. 21. it Romam cum Lothario Aug. a. 824. n. 10. redit, a. 825. n. 39. mittit Romam ad poſcendas S. Sebaſtiani Reliquias *ibid.* Romam denuò mittit ad quærendum Corpus S. Tiburtii, a. 827. nn. 76. *& ſeqq.*
Hilinones, ubi ſiti, a. 811. n. 45.
Himiltrudis mater Ebonis Archiep. Remenſis, a. 816. n. 15.
Hincmarus puer fit Canonicus in Mon. S. Dionyſii, a. 817. n. 236.
Hiſpani Chriſtiani in Franciam confugientes Privilegium obtinent à Ludovico Pio, a. 815. nn. 2. 3. a. 816. n. 1.
Hitto fit Ep. Friſingenſis, a. 812. n. 58.
Hligarius munificus erga Mon. Beſuenſe, a. 826. n. 54.
Hodoinus Warnarium Comitem interficit, Lantbertum ejus nepotem vulnerat, interſitque gladio confoſſus, a. 814. n. 56.
Homicidium prohibetur, a. 805. n. 92. a. 813. n. 457. a. 814. n. 42. quomodo puniendum, a. 813. nn. 290. *& ſeqq.* n. 462. a. 820. nn. 41. 46. 71.
Honoratus Ep. Maſſilienſis, a. 804. nn. 37. 57. a. 811. n. 24.
Horologium miræ artis ab Aarone Calipha mittitur ad Carolum Aug. a. 807. n. 1.
Horta cum Ducatu Romano tranſit in dictionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Hoſpitale erigendum extra Monaſterium Canonicorum, a. 817. n. 158.
S. Huberti Leodienſis Ep. Tranſlatio poſtulatur, a. 822. n. 152. obtinetur, a. 825. n. 35.
Hubertus Ep. Conſtantienſis, a. 811. nn. 22. 37.
Hucbaldus Abb. Crucis S. Audoeni, a. 806. n. 75.
Hucbertus ex Præceptore Palatii fit Ep. Meldenſis, a. 823. n. 7.
Hucerandus Abb. Anianenſis & Gellonenſis, a. 824. n. 9.
Hugo Caroli & Reginæ Augg. filius naſcitur, a. 808. n. 19. fit menſæ particeps à Ludovico Imp. a. 814. n. 57. tonſus mittitur in Monaſterium Clericorum, a. 818. nn. 4. 8. redit in gratiam cum Ludovico Aug. pœnitentiam tunc agente, a. 822. nn. 5. *& ſeqq.*
Hugo Comes mittitur Conſtantinopolim ad firmandam pacem, a. 811. n. 82.
Humbertus Ep. Avenionenſis, a. 811. n. 24. obit, a. 810. n. 21.
Humbertus Epiſc. Barcinonenſis, a. 807. n. 4.
Humbertus fit Ep. Wirceburgenſis, a. 818. n. 26. intereſt Dedicationi Fuldenſis Eccleſiæ, a. 819. nn. 14. 19.
Humfridus Comes Rhætiæ mittitur Romam ad inveſtigandam cauſam necis illatæ Theodoro S. R. E Primicerio & Leoni Nomenclatori, a. 823. n. 10.
Hunus Preſbyter ab Hilduino Abb. Sueſſione Romam mittitur ad quærendas SS. Reliquias, a. 827. nn. 75. *& ſeqq.*

I

Jacob Abb. Cormaricenſis, a. 820. n. 10. a. 824. nn. 63. 64.
Jacobus Ep. Lucenſis, a. 811. n. 10. obit, n. 818. n. 18.
Ida Abbatiſſa Horreenſis quando, a. 814. n. 54.
Jejunium triduanum imperatur propter calamitates publicas, a. 810. n. 45. jejunium quatuor temporum, a. 813. n. 110. indictum jejunium obſervari debet, *ibid.* nn. 111. 251. a. 813. n. 29. Eccleſiaſticum non ſolvatur ſine rationabili neceſſitate, a. 814. n. 32. jejunium Paraſceves, a. 817. n. 202. jejunium in hebdomada Pentecoſtes, *ibid.* n. 206.
Jeſſe ſeu Jeſſæus Ep. Ambianenſis, Miſſus Dominicus, a. 805. n. 89. a. 808. nn. 3. 4. an miſſus Romam ob quæſtionem motam de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 809. n. 9. a. 810. n. 1. teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. ſcribit de cæremo-

Digitized by Google

niis Baptiſmi, a. 812. nn. 69. & ſeqq. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75
Ima, uxor Megingaudi Comitis, munifica erga Mon. Schwarczachianum, a. 815. n. 36.
Imaginum cultus in Conventu Pariſienſi aſſeritur ex Collectione Sententiarum SS. Patrum, a. 825. nn. 40. & ſeqq.
Imma an filia Caroli Magni, a. 814. n. 24.
Inceſtæ conjunctiones prohibentur, a. 813. nn. 15. 129. & ſeqq. 267. 458. 460. quomodo puniendæ, *ibid.* n. 463. a. 823. n. 42.
Inchadus Ep. Pariſienſis, a. 811. nn. 19. 35. obtinet Præceptum pro ſua Eccleſia, a. 820. n. 31. a. 821. n. 83.
Inda, Mon. erigitur, a. 814. n. 69. ditatur, *ibid.* n. 71.
Infridus Abb. Graſſenſis, a. 806. n. 81.
Ingelbertus Abb. Foſſatenſis, a. 813. n. 60. a. 814. nn. 63. 64.
Ingelheymienſe Capitulare, a. 816. nn. 25. & ſeqq.
Ingoaldus fit Abb. Acutianus, a 816. n. 34. literas accipit à Stephano V. PP. a. 817. n. 1. favet Oratoribus Hilduini Abb. poſcentibus Reliquias S. Sebaſtiani, a. 826. nn. 62. & ſeqq.
Ingobertus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in provincia Rotomagenſi, a. 825. n. 31.
Joannes Abb. Fabarienſis, a. 825. n. 61.
Joannes Abb. S. Servuli, pſeudo-Patriarcha Gradenſis, a. 815. n. 13.
Joannes Archiep. Arelatenſis Reliquias S. Cypriani, Scillitanorum Martyrum, & S. Pantaleonis, ex Africa delatas ſuſcipit, a. 807. n. 9. teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. fit Miſſus Dominicus, a. 812. n. 5. impellit Theodulfum Ep. Aurelianenſem ad ſcribendum de cæremoniis Baptiſmi, *ibid.* n. 67. intereſt Concilio Arelatenſi, a. 813. n. 3. obviam it Stephano V. PP. a. 816. n. 11. obit, a. 819. n. 13.
Joannes Dux Venetorum pulſus profugit ad Nicephorum Orientis Imp. a. 806. n. 2.
Joannes Ep. Barcinonenſis, a. 811. n. 30. a. 820. n. 2.
Joannes Epiſc. Carpentoractenſis, a. 813. n. 348.
Joannes Ep. Derthonenſis, a. 818. n. 25.
Joannes Ep. Papienſis, a. 804. n. 38. a. 811. n. 10. obit, a. 813. n. 342.
Joannes II. Ep. Piſanus, a. 804. n. 48. a. 811. n. 10. a. 820. n. 28.
Joannes III. Ep. Piſanus, a. 826. n. 51.
Joannes Epiſc. Portuenſis, a. 807. n. 46. a. 811. n. 10.
Joannes Epiſc. Regienſis in Longobardia, a. 828. n. 26.
Joannes Ep. Segeſtaricenſis, a. 805. n. 105. a. 811. n. 24.
Joannes Ep. Sylvæ Candidæ, a. 811. nn. 10. 32. a. 823. n. 10. a. 826. n. 59.
Joannes Ep. in Vaſconia, a. 811. nn. 72. 77.
Joannes Monachus Hieroſolymitanus quæſtionem movet de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 809. nn. 9. 14.
Joannes Præfectus Dalmatiæ pro Imper. Græcorum, a. 821. n. 61.
Joannes profligatis Saracenis obtinet ampliſſima dona à Carolo & Ludovico RR. a. 815. n. 3.
S. Joannis Mon. Senonis, a. 822. n. 3.
Jocundus Ep. Auguſtenſis, a. 824. n. 56.
Jonas Ep. Mutinenſis, a. 822. n. 1.
Jonas fit Ep. Aurelianenſis, a. 821. n. 71. ad Eugenium PP. defert Sententias Patrum de cauſa Imaginum collectas in Conventu Pariſienſi, a. 826. nn. 4. & ſeqq. obtinet à Ludovico Aug. Præceptum pro Mon. Miciacenſi, a. 825. n. 3. item pro Cella S. Maximini, a. 826. n. 21.
S. Joſephi ab Arimathæa Corpus an tranſlatum ad Medianum Mon. a. 806. n. 66.
Joſephus Turonenſis Archiep. a. 804. n. 27. ſepelit Alcuinum Abbatem, *ibid.* n. 59. celebrat Concilium Turonenſe, a. 813. n. 104.
Joſue Abbas S. Vincentii prope Vulturnum, Præceptum obtinet à Ludovico Aug. a. 816. n. 3.
Irmingardis nubit Lothario Imp. a. 821. n. 49.
Irmino Abb. S. Germani prope Pariſios, a. 811. nn. 2. 3. a. 817. nn. 364. 380.
Iſaac Ep. Venetenſis, a. 810. n. 97. a. 811. n. 29. obit, a. 814. n. 84.
Iſembardus militat in caſtris Ludovici R. a. 808. n. 4. a. 810. n. 63.
Iſengerus Ep. Verdenſis quando, a. 814. n. 67.
Iſkerus Abb. Tegernſeenſis quando, a. 807. n. 27.
Iſmundus Abbas Mediolacenſis quando, a. 814. n. 77.
Iſtria, a. 805. n. 1. a. 806. n. 3.
Judex juſtitiam reddere non differat, a. 806. n. 49. a. 809. nn. 59. 74. 81. verax & bonus à Comite & populo eligatur nec ad mortem antea judicatus, a. 809. nn. 64. 70. pravus non habeatur, a. 812. n. 106. obediat Epiſcopo, a. 813. nn. 17. 237. 269. munera non recipiat pro judicio, nec falſos teſtes, *ibid.* n. 17. res pauperum malis artibus non emat aut ſubripiat, *ibid.* nn. 28. 83. 281. ſi malus eſt, abjiciatur de ſuo miniſterio, *ibid.* n. 126. judicet jejunus, a. 814. n. 40. confiteatur quâ lege vivere debeat, & ſecundùm illam judicet, *ibid.* n. 44. ſecun-

dùm legem judicet, non ſecundùm arbitrium ſuum, a. 813. n. 451.
Judicium de proprietate aut libertate ante Vicarium & Centenarium non terminetur, ſed in præſentia Miſſorum Imperialium aut Comitum, a. 810. n. 67.
Judith, filia Welfonis Comitis, nubit Ludovico Aug. a. 819. n. 8. levat de fonte Baptiſmatis Reginam Daniæ, a. 826. n. 23. offert dona SS. Martyribus Marcellino & Petro, a. 828. n. 5.
Julianus Ep. Placentinus, a. 804. n. 39. Præceptum obtinet à Carolo Aug. a. 808. n. 17. obit, a. 809. n. 21.
Juliofredus Abb. Gellonenſis quando, a. 814. nn. 8. 9.
Jurandi conſuetudo prohibetur, a. 813. n. 247.
Jurator non admittatur qui priùs ad mortem fuit judicatus, a. 809. n. 70. juret jejunus, a. 814. n. 40.
Juſtus Abb. Carrofenſis, a. 817. n. 294. à Glaudio Preſbytero Commentarios accipit in Evangelium Matthæi, a. 815. n. 24. à Ludovico Aug. Præceptum Immunitatis, *ibid.* n. 25.

K

KERMARIUS fit Epiſc. Venetenſis, a. 814. n. 84.

L

LADASCLAVIUS Dux Dalmatiæ & Liburniæ, a. 821. n. 60.
Laici in Monaſteriis, qui, a. 817. n. 207. Abbates laici, a. 825. n. 14. admonitio Ludovici Pii ad laicos, *ibid.* n. 13.
Lambertus Abb. Manſeæ, a. 817. n. 251. a. 819. n. 37.
Lambertus Ep. Valentinus quando ſedit, a. 807. n. 9.
Lampertus Ep. Aretinus, a. 826. n. 41.
Lamprandus Ep. Piſtorienſis, a. 826. n. 50.
Landrannus Archiep. Turonenſis Francone ordinat Ep. Cenomannenſem, a. 816. n. 31. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31.
Lantbertus ab Hodoino vulneratur, a. 814. n. 56.
Lantbertus Comes Namnetenſis, a. 825. n. 5.
Latro forbannitus à nemine ſuſcipiatur, a. 809. nn. 53. 73. 79.
Laudes in Officio Eccleſiaſtico Matutinæ dicuntur & Matutini, a. 816. n. 1.
Laudunenſium Epiſcoporum Catalogus emendatur, a. 818. n. 20.
Lavicum cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Laureacenſes Epiſcopi & Archiepiſcopi, a. 814. nn. 36. 42. *& ſeqq.*
S. Laurentii Mon. a. 812. n. 52. a. 817. n. 316.
Laureshamenſis Annaliſta alius eſt ab Eginhardo, a. 811. n. 44.
Lebtrudis munifica erga Mon. Sitivenſe, a. 805. n. 113.
Lecho Dux Behemannorum, a. 805. n. 44.
Lectiones in Eccleſia diſtinctè legendæ, a. 805. n. 47.
Lector nihil habeat peculiare in ſecunda menſa, a. 817. n. 184.
Legationes exterarum gentium honorificè ſuſcipiendæ, a. 815. nn. 22. 23.
Leidradus Archiep. Lugdunenſis, a. 804. n. 25. Reliquias S. Cypriani, Scillitanorum Martyrum, & S. Pantaleonis Arelatem delatas transfert Lugdunum, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.* cultui divino & inſtaurationi Eccleſiarum plurimùm ſtudet, *ibid.* nn. 10. *& ſeqq.* teſtis adeſt cùm Carolus Magnus Teſtamentum condit, a. 811. nn. 2. 3. utitur Agobardo Chorepiſcopo, a. 813. n. 345. abdicato Archiepiſcopatu fit Monachus Sueſſione, ibíque obit, a. 814. n. 94.
Lempteus & ejus uxor Agilois conſtruunt ditántque Eccleſiam in Diœceſi Viennenſi, a. 814. n. 58.
Leo III. P P. Mantuam ſe confert, deinde venit in Galliam, & Remis excipitur à Carolo Aug. ſimúlque cum eo proficiſcitur Sueſſionem, tum Cariſiacum, ubi Natalem Domini celebrat, a. 804. nn. 1. *& ſeqq.* perducitur Aquiſgranum, a. 805. n. 1. an canonizavit S. Swibertum *ibid.* nn. 2. *& ſeqq.* an conſecravit Altare Anianenſe, *ibid.* nn. 11. *& ſeqq.* redit in Italiam éſtque munificus erga Mon. S. Anaſtaſii, *ibid.* n. 39. collationem habet cum Oratoribus Caroli ob quæſtionem motam de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 810. nn. 1. *& ſeqq.* literas ſcribit Carolo Imp. a. 806. nn. 39. 66. a. 807. nn. 46. 47. a. 808. nn. 2. 3. a. 813. n. 341. Riculpho Archiep. Moguntino, a. 810. n. 1. an etiam Volferio Archiepiſc. Viennenſi, a. 812. n. 60. poſt Caroli Magni mortem rurſum experitur odium Romanorum, a. 814. n. 93. a. 815. nn. 8. 14. obit, a. 816. n. 4.
Leo Centumcellenſis Ep. ab Eugenio PP. mittitur ad Ludovicum Imperat. a. 816. n. 22.
Leo fit Ep. Comenſis, a. 818. n. 18. obtinet à Lothario Aug. varia Præcepta, a. 823. n. 2. a. 824. n. 1.
Leo Imp. Græcorum factus audit Legatos Caroli Aug. a. 813. n. 340. obit, a. 821. n. 60.
Leo Magiſter Militum à Paſchale PP. mittitur ad Ludovicum Imperatorem, a. 823. n. 10.

Digitized by Google

Leo Nomenclator Miſſus Paſchalis PP. a. 821. n. 59.
Leonnius Abb. S. Hilarii in E. Carcaſſonenſi, quando, a. 828. n. 21.
Leonorius Ep. Leonenſis, a. 811. n. 29. obit, a. 813. n. 343.
Leotmundus Abb. Lerinenſis, a. 814. n. 90. a. 828. n. 24.
S. Levangius quo die cultus, a. 807. n. 35.
Leutgarus primus Abb. Mon. SS. Fauſtini & Jovittæ, a. 820. n. 28.
Leybulphus Comes bona permutat cum Nothone Archiep. Narbonenſi, a. 824. n. 61. a. 825. n. 1. munificus erga Mon. Lerinenſe, a. 828. n. 24.
Liberalis fit Ep. Leonenſis, a. 813. n. 343.
Libra panis triginta ſolidis per duodecim denarios metienda, a. 817. n. 212.
Liburnia, a. 806. n. 3.
Litania, quid, a. 813. n. 108. Litania major, *ibid.* n. 109.
Liudewitus Dux Pannoniæ inferioris res novas molitur, a. 818. n. 16. a. 819. n. 9. a. 820. nn. 1. 3. a. 821. nn. 2. 46. 49. fugit ad Sorabos, a. 822. n. 108. occiditur, a. 823. n. 9.
Liutardus Comes Fedentiacus, a. 806. n. 68. militat in caſtris Ludovici R. a. 810. n. 63.
Liutardus Ep. Lucerinus, a. 816. n. 46.
Liutrigus Ep. Wirceburgenſis quando ſedit, a. 819. n. 18.
Lohemellus cum Covoiono Archidiacono in ſolitudinem Rothonenſem ſecedit, a. 820. n. 26.
Loruvin, Mon. a. 817. n. 82.
Lotharius, Ludovici Pii & Hirmingardis filius, Rex Bojoariæ conſtituitur à patre, a. 814. n. 63. abdicato Bojoariæ Regno fit conſors Imperialis Nominis, a. 817. nn. 332. *& ſeqq.* eruditur ab Eginhardo Abb. *ibid.* n. 361. ducit uxorem Irmingardem, a. 821. n. 62. à patre Rex Italiæ conſtituitur, illúcque mittitur cum Wala Monacho Corbeïenſi & Gerungo Oſtiariorum Magiſtro, præcipuis Conſiliariis, a. 822. n. 100. Romæ coronatur Imp. à Paſchale PP. a. 823. n. 1. redit ad patrem, *ibid.* n. 6. dat Præceptum pro Eccleſia Comenſi, a. 824. n. 1. pro Mon. S Michaelis ad Moſam, *ibid.* n. 66. pro Mon. Dervenſi, a. 827. n. 69. audito nuncio tumultûs Romæ concitati poſt mortem Paſchalis P P. illuc mittitur à patre, jus dicit Romæ, atque ut Protector ac Defenſor Urbis edit Conſtitutionem de Pontificis electione, de concordia ſervanda, & de juſtitia facienda, a. 824. nn. 10. *& ſeqq.* redit ad patrem, a. 825. n. 38. ſcribit Eugenio PP. in cauſa Imaginum, a. 826. n. 4. quando duplicem Imperii ſui epocham uſurpare cœpit, a. 823. n. 1.
Ludovicus Caroli Aug. filius adit patrem Turonos profectum, & cum eo agit hyemem in Theodonis villa, a. 805. n. 42. in diviſione Regni à patre facta hæres tertiæ partis declaratur, a. 806. n. 8. Burgundione mortuo Liutardum Comitem Fedentiacum conſtituit, *ibid.* n. 68. Pampilonenſes & Navarros in fidem recipit, *ibid.* n. 70. expugnat Barcinonem ædificátque Eccleſiam SS. Juſti & Paſtoris cum puellari Mon. S. Petri, a. 807. n. 4. adit patrem, a. 808. n. 1. in Regnum reverſus bellum gerit contra Saracenos, *ibid.* n. 5. naves fabricari curat adverſùs Danorum incurſiones, a. 809. nn. 1. 2. Tortoſam expugnat, a. 810. n. 63. it Pampelonem, a. 812. n. 26. pius eſt erga Clericos ac Monachos, multáque ædificat atque inſtaurat Monaſteria, *ibid.* nn. 27. *& ſeqq.* tribus diebus per ſingulas hebdomadas vacat rei judiciariæ, & ne patri ſuſpectus fiat prudenter cavet, *ibid.* n. 56. Aquiſgranum venit ad patrem, ibique factus Imperator redit in Aquitaniam, a. 813. n. 335. auditâ patris morte venit Aquiſgranum, Theſauros patris dividit, fratres ſuos menſæ participes efficit, audit Legatos multarum gentium, Legationem mittit Conſtantinopolim, generalem celebrat Conventum, Bernardum Regem Italiæ ad ſe venientem ſuſcipit remittítque in Italiam, pacem firmat cum Grimoaldo duce Beneventano, Heriholtum R. è Dania pulſum ſuſcipit, filios ſuos Lotharium & Pippinum RR. conſtituit, a. 814. nn. 56. *& ſeqq* Aulicenſem Epiſcopatum transfert Hildeſiam, & curam Eccleſiæ Tranſ-Albianæ vicinis Epiſcopis iterum committit, *ibid.* nn. 66. 67. edit Diplomata pro Hiſpanis Chriſtianis in Franciam confugientibus, a. 815. nn. 2. 3. a. 816. n. 1. jubet inquiri de conjuratione Romanorum in Leonem PP. & de pœna reis inflicta, a. 815. n. 8. Sardos ultrò ſe dedentes recipit, *ibid.* n. 10. bellum indicit Caliphæ Cordubenſi, *ibid.* n. 11. pacem firmat cum Imp. Conſtantinopolitano, *ibid.* n. 13. auxilio eſt Heriholto ad recuperandam Daniam, *ibid.* n. 15. lubenter annuit ut Monaſterium in Saxonia condatur, *ibid.* n. 16. ſuſcipit Legatos Abotritorum ac Maurorum, a. 816. n. 22. confirmat Donationes ab avo Pippino & patre Carolo factas Sedi Apoſtolicæ, eáſque auget Urbe Româ, Ducatu Romano, atque Inſulis Corſicâ & Sardiniâ, a. 817. nn. 6. *& ſeqq.* nihil innovat in electione & conſecratione PP. *ibid.* nn. 17. *& ſeqq* pacem init cum Alhaca Calipha Cordubenſi, *ibid.* n. 20. item cum Græcis, parte Dalmatiæ retentâ, *ibid.* n. 21. juvat Heriolcum

R. Daniæ, *ibid.* n. 22. fortuito caſu vulneratur, ſanatus it Noviomagum, *ibid.* n. 23. redit Aquiſgranum, ibique generalem Conventum habet, in quo multa ſanciuntur de vita Canonicorum, Canonicarum, Monachorum & Monialium, *ibid* nn. 24. *& ſeqq.* poſt Conventum Aquiſgranenſem tranſmittit Archiepiſcopis Regulas Canonicorum & Canonicarum, *ibid.* n. 139. vindicatur à calumnia, *ibid.* nn. 140. *& ſeqq.* partem Regni filiis ſuis Pippino ac Ludovico dividit, & Lotharium Imperialis Nominis conſortem facit, *ibid.* nn. 332. *& ſeqq.* audit Legatos Leonis Imperat. Conſtantinopol. mittítque copias adversùs Sclaomirum Abotritorum Ducem rebellem, *ibid.* n. 363. accingit ſe bello Italico contra Bernardum nepotem, *ibid.* nn. 365. 366. pœnas ſumit de Bernardo R. Italiæ, déque authoribus conjurationis, & ex iis quoſdam Epiſcopos Synodali priùs Decreto depoſitos ablegat in Monaſteria, a. 818. nn. 1. *& ſeqq.* Drogonem, Hugonem, ac Theodoricum, fratres ſuos detonſos mittit in Cœnobia Clericorum, *ibid.* n. 8. compeſcit tumultum Armoricæ & Regulam Benedictinam in Mon. Teveneccenſi ſuſcipiendam curat, *ibid.* n. 10. amittit Hirmingardem uxorem, *ibid.* n. 11. audit varias Legationes, Siconis Ducis Beneventani, Abotritorum, Guduſcanorum, Timotianorum, & Liudewiti Ducis Pannoniæ Inferioris, *ibid.* nn. 12. *& ſeqq.* Aquiſgrani Conventum celebrat, & Legibus, in quibus cauſæ forenſes videntur claudicare, Capitula quædam ſuperaddit, a. 819. n. 1. uxorem ducit Juditham Welfonis Comitis filiam, *ibid.* n. 8. bellum per Legatos gerit adversùs Liudewitum Pannoniæ Ducem rebellem, *ibid.* n. 9. Triburiæ pœnas ſtatuit in percuſſores Clericorum, *ibid.* nn. 123. *& ſeqq.* Francofurti Legationes audit multarum gentium, *ibid.* n. 132. Francofurti celebrat Conventum, in quo dirimit controverſiam de Præfectura Wilſorum, & Ceadragum Præfectum Abotritorum ad ſe venire jubet, a. 823. n. 5. Compendii celebrat Conventum, in quo colloquium habetur de rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatione, & Ceadragus Præfectus Abotritorum atque Heriholtus R. Daniæ audiuntur, *ibid.* nn. 16. 17. certior factus de tumultu Romæ poſt Paſchalis PP. mortem concitato Lotharium Auguſtum Romam mittit, *ibid.* n. 10. pacat Britanniam acceptis obſidibus, *ibid.* n. 24. audit Rotomagi Legatos Michaelis Imp. & Fortunatum Patriarcham Gradenſem, *ibid.* n. 25. Legatos Bulgarorum, *ibid.* n. 32. a. 825. n. 4. Legatos Prædenecentorum, a. 825. n. 1. Primores Britanniæ, *ibid.* n. 5. mittit Eugenio PP. Sententias Patrum de cauſa Imaginum collectas in Conventu Pariſienſi, a. 826. nn. 4. *& ſeqq.* varias audit Legationes, *ibid.* n. 22. levat de fonte Baptiſmatis Heriholtum R. Daniæ, *ibid.* n. 23. Ceadragum & Tanglonem perfidiæ accuſatos audit, permittítque domum redire, *ibid.* n. 34. provocat per literas Cæſarauguſtanos ad fœdus incundum adversùs Saracenos, *ibid.* n. 37. duos celebrat Conventus, unum apud Noviomagum, alterum apud Compendium, a. 827. n. 70. ſuſcipit Legatos Michaelis Imp. *ibid.* n. 71. offert dona SS. Martyribus Marcellino & Petro, a. 828. n. 5. ſcribit Monachis Anianenſibus, a. 822. n. 104. edit Capitularia, a. 820. nn. 32. *& ſeqq.* a. 821. nn. 78. *& ſeqq.* a. 822. nn. 11. *& ſeqq.* nn. 113. *& ſeqq.* a. 825. nn. 6. *& ſeqq.* condit Murhartum Mon. a. 815. n. 26. dat Præcepta pro multis Eccleſiis; pro Andegavenſi, a. 816. n. 21. a. 828. n. 22. pro Auguſtodunenſi, a. 815. n. 17. pro Aurelianenſi, a. 816. n. 20. pro Brivatenſi, a. 825. n. 37. pro Burdigalenſi, a. 814. n. 64. pro Cameracenſi, a. 816. n. 3. pro Helenenſi, a. 817. n. 369. pro Lemovicenſi, *ibid.* pro Lutevenſi, a. 817. n. 23. pro Magalonenſi, a. 819. n. 3. pro Matiſconenſi, a. 825. n. 36. pro Mutinenſi, a. 822. n. 1. pro Narbonenſi, a. 814. n. 65. pro Paderbornenſi, a. 822. n. 2. pro Pariſienſi, a. 820. n. 31. a. 822. n. 83. pro Placentina, a. 820. n. 17. pro Remenſi, a. 816. nn. 13. 16. pro Viennenſi, a. 815. nn. 5. 6. 38. pro Vivarienſi, a. 815. n. 7. pro Ultrajectina, a. 824. n. 2. item pro multis Monaſteriis; pro Acuriano, a. 815. n. 9. pro Mon. Altaichii Inferioris, a. 822. n. 85. pro Ammiatino, a. 816. n. 23. pro Anianenſi, a. 824. n. 9. pro Mon. S. Aniani, a. 816. n. 20. pro Bavoniano, a. 819. n. 6. pro Mon. Bellæ-Cellæ, a. 824. n. 9. pro Carroſenſi, a. 815. n. 25. pro Mon. S. Chriſtinæ, a. 822. n. 4. pro Conchenſi, a. 819. n. 5. pro Corbeïenſi Saxonico, a. 823. nn. 12. 13. a. 826. n. 24. pro Cormaricenſi, a. 820. n. 10. pro Deenſi, a. 819. n. 4. pro Dervenſi, a. 827. n. 69. pro Dionyſiano, a. 814. n. 65. pro Duſerenſi, a. 814. n. 64. pro Ebersheimienſi, a. 824. n. 3. pro Elnonenſi, a. 822. n. 154. pro Floriacenſi, a. 818. n. 9. pro Gellonenſi, a. 824. n. 8. pro Glannenſi, a. 824. n. 10. pro Mon S. Germani Autiſſiod. a. 816. n. 3. pro Martiniano, a. 817. n. 368. pro Cella S. Maximini, a. 816. n. 21. pro Mon. S. Michaelis ad Moſam, a. 824. nn. 66. 67. pro Mon. Miciacenſi, a. 815. n. 4.

Digitized by Google

a. 825. n. 3. pro Mon. Montis Olivi, a. 814. n. 28. pro Schwarzachienſi Elſatico, a. 826. n. 66. pro Senonenſibus, S. Petri, S. Joannis, & S. Remigii, a. 812. n. 3. pro Mon. S. Severini, a. 814. n. 62. pro Solemniacenſi, a. 817. n. 362. pro Victorino, a. 813. n. 52. pro Vincentino prope Vulturnum, a. 816. n. 3. Pontificiis literis apponitur nomen hujus Imp. a. 817. n. 1.

Ludovicus Ludovici Pii & Hermingardis filius, a. 814. n. 63. à patre conſtituitur R. Bojoariæ, a. 817. nn. 332. *& ſeqq.* munificus eſt erga Manſeam, a. 819. n. 37. erga Altaichium Inferius, a. 823. n. 8. à patre mittitur in Bojoariam, a. 825. n. 40. quando Regni ſui duplicem cœpit epocham uſurpare, *ibid.* n. 76.

Lugdunenſes Eccleſiæ reparantur à Leidrado Archiep. a. 807. nn. 13. *& ſeqq.*

Lugduni pro diverſis temporibus tres celebrantur Eccleſiæ Cathedrales, a. 807. n. 14.

Luitardus Ep. Patavinus, a. 811. n. 13. obit, a. 814. n. 79.

Luitardus fit Ep. Spoletanus, a. 817. n. 89.

Luitrigus Ep. Wirceburgenſis quando ſedit, a. 815. nn. 30. *& ſeqq.*

Lupus Ep. Firmanus, a. 826. n. 52.

Lupus Waſco rebellat, captúſque mittitur in exilium, a. 819. n. 7.

Lutra, Mon. a 817. n. 274.

Lyſbornenſe Mon. a. 805. n. 41.

M

Macmonicus ſeu Marinonocus Abb. Tevenecenſis, a. 818. n. 10.

Madraldus ſeu Medraldus Abb. Conchacenſis, quando, a. 812. n. 33.

S. Magdalenæ Mon. Caſtroduni, a. 814. n. 28.

Magicæ artes ad curandas hominum vel animalium infirmitates nihil conferunt, a. 813. n. 246.

Magno ſeu Magnus Archiep. Senonenſis, a. 804. n. 26. a. 810. nn. 100. 101. a. 811. n. 19. a. 812. n. 67. a. 817. n. 139. obit, a. 818. n. 23.

Magnus-locus, Mon. a. 812. n. 36. a. 817. n. 301.

Majus Epiſcopus Aſſiſienſis, a. 826. n. 45.

Maleficia cujuſcumque generis prohibentur, a. 814. n. 42.

Mallus in Eccleſia vel in ejus atrio non habeatur, a. 810. n. 47.

Mangones non ſinantur vagari, a. 814. n. 42.

Mannitiones, a. 813. nn. 43. 45. a. 810. n. 65.

Manſi Anſilli Mon. a. 817. n. 323.

Mantio Epiſc. Toloſanus quando ſedit, a. 805. n. 28. a. 811. n. 30. a. 820. n. 7.

Mantua in Regno Francorum, a. 806. n. 2. nobilitatur Epiſcopatu, a. 808. n. 16.

Mantuæ reperitur Spongia Sanguine Chriſti imbuta, a. 804. nn. 1. *& ſeqq.*

S. Mariæ Mon. a. 812. n. 45.

S. Mariæ Mon. de Arulis, a. 817. n. 319.

S. Mariæ Caprarienſis Mon. a. 817. n. 314.

S. Mariæ Mon. puellare Lemovicis, a. 817. n. 298.

S. Mariæ Mon. ad Orbionem, a. 812. n. 53. a. 817. n. 315.

Martire, quid, a. 813. n. 426.

Marturanum cum Ducatu Romano venit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Martyrologium in loco Capitulari legendum, a. 817. n. 224.

Martyrum falſa nomina non venerentur, a. 814. n. 32.

Maſciacum, Mon. a. 809. n. 91. a. 812. n. 39. a. 814. nn. 68. 72. a. 817. n. 199.

Matfridus Comes Aurelianenſis exautoratur, a. 828. n. 14.

Matrimonia ſervorum non dirimenda, licèt diverſos dominos habeant, a. 813. n. 165. nec uxor à viro dimiſſa alium accipiat vivente viro ſuo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore, a. 814. n. 32. a. 820. n. 68. ſi ingenuus ancillam ulteriùs duxit an fiat ſervus, &, ſi ingenua fœmina ſervum duxit, an libertatem amittat, a. 820. n. 67.

Mauricius Dux Venetorum pulſus profugit ad Nicephorum Orientis Imperat. a. 806. n. 2.

Mauringus Brixiæ Comes, a. 823. n. 6. fit Dux Spoletanus, a. 824. n. 34.

Maurontus Ep. Maſſilienſis obit, a. 804. nn. 38. 57.

Maurum, Mon. reformatur, a. 814. nn. 69. 70. 72. varia ſortitur nomina, a. 817. n. 276. comburitur, a. 828. n. 18. inſtauratur, *ibid.*

S. Maxentii Mon. a. 812. n. 34. a. 817. n. 293.

Maxentius Patriarcha Foro-Julienſis, a. 809. n. 20. a. 811. n. 13. ordinat Erfulfum Ep. Mantuanum, a. 823. n. 19.

S. Maximini Cellæ in E. Aurelianenſi diſtinguuntur à Mon. Miciacenſi, a. 826. n. 21.

Mechema, Mon. a. 817. n. 286.

Medraldus Abbas Conchacenſis, a. 812. n. 33. a. 817. n. 302. a. 819. n. 5.

Megilo Abbas Tegernſeenſis, quando, a. 807. n. 27.

Megingaudus Comes condit Schwarzachium Mon. in E. Wirceburgenſi, a. 815. n. 36.

Megingaudus Ep. Wirceburgenſis quando ſedit, a. 815. nn. 31. 32.

Meginhardus Abb. Tegernſeenſis intereſt Concilio Saliſburgienſi, a. 807. nn. 25. 27.

Meinradus eruditur in Mon. Augienſi, a. 823. n. 48. fit Monachus, a. 824. n. 62.
Melarcedum, Mon. a. 817. n. 272.
Menatum, Mon. a. 805. n. 112. a. 814. n. 72. a. 817. n. 300.
Mendici ne diſcurrant, a. 806. n. 50.
Mengardus Epiſc. Oſnaburgenſis, a. 811. n. 15.
Mercata non fiant die Dominico, a. 813. nn. 20. 68. 113. 244. 274.
Meretricum commixtio quomodo puniendа, a. 805. n. 92.
Metamaucus, urbs Venetiæ, venit in poteſtatem Francorum, a. 810. nn. 39. 42. redditur Venetis, a. 812. n. 6.
Methodius Epiſc. Speculunenſis, a. 824. nn. 35. 38.
Meziban, quid, a. 809. n. 53.
Michael Græcorum Imp. audit Legatos Caroli Aug. a. 811. n. 81. Monachum induit, a. 813. n. 340.
Michael fit Imp. Græcorum, a. 821. n. 47. mittit ad Ludovicum Aug. Legatos & literas plenas mendaciis, ubi agit de ſua promotione ad Imperium & de cultu Sacratum Imaginum, a. 824. nn. 25. *& ſeqq.*
S. Michaelis Mon. in periculo maris, a. 817. n. 255.
Michelinus Bojoarius à Ludovico Aug. mittitur ad R. Bulgarorum, a. 824. n. 32.
Miciacum, Mon. a. 812. n. 114. a. 814. n. 72.
Milegatus Præfectus wilſorum, a. 823. n. 5.
Milidnoch Soraborum Dux interficitur, a. 806. n. 44.
Milo fit Abb. Ottenburanus, a. 817. n. 375.
Miſſæ ſingulis hebdomadæ diebus deputatæ, a. 804. n. 60. aliæ publicæ, aliæ privatæ, *ibid.* n. 61. celebrantur pro Rege Regiâque familiâ, a. 813. nn. 6. 73. in domibus non ſunt celebrandæ, *ibid.* n. 184. quâ horâ celebrandæ in Quadrageſima, a. 817. n. 194. a. 823. n. 35. in Oratorio non ſunt celebrandæ ſine permiſſu & dedicatione Epiſcopi, a. 826. n. 31. in omnibus Miſſis Deus orandus pro defunctis, a. 813. n. 174.
Miſſi in ſuo Miſſatico maximam curam rerum diſponendarum habeant, a. 806. n. 41. per civitates & Monaſteria diſcurrant, *ibid.* n. 44. æqualiter faciant de ſingulis cauſis, *ibid.* n. 46. perſpiciant cum Epiſcopis Monaſteria Canonicorum, Monachorum, & Monialium, ſi poſita ſint in apto loco, a. 813. n. 96. in via moras à nemine patiantur, *ibid.* n. 453. qui Miſſum Dominicum directum in Miſſaticum occidit, quomodo puniendus, *ibid.* n. 295.
Miſſi Dominici per univerſum Regnum ad faciendam juſtitiam diriguntur, a. 815. n. 426. ab omnibus honorari debent, a. 825. n. 17. eorum Legatio per partes exponitur, *ibid.* nn. 32. *& ſeqq.* Capitularia de illorum inſtructione, a. 810. nn. 48. *& ſeqq.* a. 812. nn. 12. *& ſeqq.* a. 814. n. 55. a. 820. nn. 77. *& ſeqq.* item pro illis ad exercitum promovendum, a. 812. nn. 13. *& ſeqq.*
Modarius Abb. S. Tiberii, a. 817. n. 309. a. 821. n. 9.
Modoinus Epiſc. Auguſtodunenſis, a. 815. n. 17. a. 820. nn. 7. *& ſeqq.* æger non poteſt adeſſe Collationi Pariſiis habitæ in cauſa Imaginum, a. 825. n. 46.
Moguntinum Concilium, a. 813. nn. 78. *& ſeqq.*
Monachus noviter converſus, a. 805. nn. 54. 57. juvenis non habeat acceſſum ad Congregationem puellarum, a. 813. n. 11. concorditer vivat cum Clericis, *ibid.* n. 16. tabernas non ingrediatur ad edendum vel bibendum, *ibid.* n. 59. a. 814. n. 30. ad Placita non eat, a. 813. nn. 62. 88. negotiis ſecularibus ſe non implicet, *ibid.* nn. 63. 88. 90. vivat ſecundùm Regulam S. Benedicti, *ibid.* n. 87. extra Monaſterium non exeat aut manducet vel bibat, ſine permiſſione Abbatis, *ibid.* n. 88. quando & qua de cauſa ire poſſit ad Placitum, *ibid.* n. 146. non fiat villicus, *ibid.* n. 147. per bona exempla Epiſcopi & Abbatis regulariter vivat, *ibid.* n. 353. in ſuo propoſito permaneat, a. 814. n. 30. inſidias contra Paſtorem ſuum non faciat, *ibid.* ſubſit Epiſcopo, ſi correptus ab eo non reſipiſcit, ad Synodum vocetur ab Archiepiſcopo, ſi neque ſic ſe corrigit, ad præſentiam Regis veniat cum Epiſcopo, a. 813. n. 440. ſecundùm Regulam vivat, *ibid.* n. 441. Regulam memoriter diſcat, a. 817. n. 137. propriis operetur manibus, & ſua veſtimenta lavet, *ibid.* n. 159. poſt Vigilias non dormiat, *ibid.* n. 160. quando radendus, *ibid.* n. 161. quando reſiciendus volatilibus, *ibid.* nn. 163. 164. 233. increpatus quomodo veniam petere debeat, *ibid.* n. 168. nudus coram fratribus non flagelletur, *ibid.* n. 169. ſolus in viam non dirigatur, *ibid.* n. 170. nec patrinus fiat, nec oſculetur fœminas, *ibid.* n. 171. in Quadrageſima libros accipiat de bibliotheca, *ibid.* n. 174. ad portam Monaſterii cum hoſpitibus non reficiatur, *ibid.* n. 181. pro munere non recipiatur, *ibid.* n. 230. cur profeſſione factâ caput cucullâ coopertum habet triduo, *ibid.* n. 190. veſtes Monachi, *ibid.* nn. 175. *& ſeqq.* qui Monachum interfecit vel debilitavit, quomodo puniendus, a. 816. n. 27. plures non admittantur Monachi, quàm facultas Monaſterii poſtulat, a. 813. nn. 11. 60. 95. 235. 265. Monachi San-Diony-

Digitized by Google

ſiani in agro Pariſienſi penè omnes tranſeunt ad Ordinem Canonicum, a. 817. n. 236. item Fontanellenſes, *ibid.* Augienſes, a. 824. n. 85.
Monaſteria quomodo à Miſſis viſitanda, a. 806. n. 41. alia debent Regi militiam & dona, alia tantùm dona, alia ſolas orationes, a. 817. nn. 237. *& ſeqq.* loca deſtinata ut ſint Monaſteria, non poſſunt ultrà fieri ſecularia habitacula, a. 814. n. 30. pueri oblati Monaſteriis, a. 817. nn. 191. 192.
Monaſteria Canonicarum, a. 813. nn. 188. *& ſeqq.* a. 814. n. 37.
Monaſteria puellaria non ingrediantur viri, a. 815. nn. 233. 443. niſi probatæ ſint vitæ & ætatis provectæ, *ibid.* n. 12.
Monaſticum Diarium incerto Auctore, a. 811. nn. 14. *& ſeqq.*
Moneta, a. 805. n. 81. a. 808. n. 31. a. 825. n. 24. adulterator monetæ quomodo puniendus, a. 810. n. 52.
Moniales victum & neceſſaria conſequantur à ſibi prælatis, a. 813. n. 66. ſecundùm Regulam vivant, *ibid.* n. 443. non egrediantur è Monaſterio abſque licentia Epiſcopi, *ibid.* n. 445. plures non admittantur, quàm facultas Monaſterii poſtulat, *ibid.* n. 235. infantulæ non velentur, a. 805. n. 61. virgines ante annos XXV non velentur, a. 813. n. 232. a. 814. n. 30.
Monnellus Abb. S. Hilarii, a. 817. n. 318.
Monogoldus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in provincia Veſontionenſi, a. 825. n. 31.
Monſ-Olivus, Mon. in E. Carcaſſonenſi, a. 814. n. 28.
Mons Peſſulanus in parœcias ab Argemiro Ep. Magalonenſi dividitur, a. 819. n. 3.
Mormanus in Armorica tyrannidis affectatæ reus perimitur, a. 818. n. 10.
Morſellenſe Mon. reparatur à Carolo Magno, a. 806. n. 76.
Muſſulæ vervecinæ Monachis in hyeme dandæ, a. 817. nn. 177. 234.
Murhaltum, Mon. a. 815. n. 35.
Muſciacum ſeu Moſſiacum, Mon. a. 811. n. 37. a. 817. n. 304.

N

NAMPIO Abb. S. Hilarii, quando, a. 817. n. 318.
Nantharius II. fit Abb. Sitivenſis, a. 804. n. 58. Dynaſta Ghiſnenſis, a. 805. n. 113. multa bona comparat in pago Iſeretio, a. 806. n. 79. in Angliam mittitur, a. 809. n. 7. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. obit, a. 818. n. 33.
Nantolium, Mon. in E. Pictavienſi, a. 814. n. 28.
Narbo cur inter Metropoles haud numeratur in Teſtamento Caroli Magni, a. 811. n. 8.
Navarri Ludovico R. ſe dedunt excuſſo Saracenorum jugo, a. 806. n. 70.
Nazarecda, Mon. a. 817. n. 264.
Nebridius Ep. Lutevenſis, a. 804. n. 46. a. 811. n. 30.
Nefridius ſeu Nebridius Archiep. Narbonenſis & Abb. Graſſenſis, a. 806. n. 81. a. 811. n. 30. intereſt Concilio Arelatenſi, a. 813. n. 3. literas accipit à Benedicto Indenſi, morti proximo, a. 811. n. 9. intereſt electioni Truchteſindi Abb. Anianenſis & Gellonenſis, a. 822. n. 104. a. 824. n. 9.
Nepet cum Ducatu Romano venit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Nibelungus munificus erga Mon. S. Dionyſii, a. 805. n. 113.
Nicephorus Græcorum Imp. Legationem mittit ad Carolum Aug. a. 810. nn. 57. *& ſeqq.* obit, a. 811. n. 82.
Nicetas Patricius Dalmatas ad fidem Nicephori Imp. revocat, a. 806. n. 47. induciis cum Pippino R. factis Conſtantinopolim redit, a. 807. n. 3.
Nicolaus Ep. Salernitanus, a. 811. n. 10. obit, a. 818. n. 18.
Nifredus Ep. Gerundenſis, a. 811. n. 30. ſuperſtes, a. 818. n. 25.
Nigella Abſcondita, Mon. a. 817. n. 242.
Nitravienſis Epiſcopatus, a. 822. n. 144.
Nominoius Præfectus Armoricæ, a. 810. n. 26.
Nonni, qui, a. 817. n. 209.
Nordbertus Rhegienſis in Inſubria Ep. Legatus mittitur Conſtantinopolim, a. 814. n. 58. redit pace firmatâ, a. 815. n. 13.
Norfidius Abb. Duſerenſis, a. 812. n. 43.
Nortmanni littora Galliarum infeſtant, a. 820. n. 5.
Nortyla fit Abb. Amarbaricenſis, a. 807. n. 37.
Noſocomium, a. 817. n. 26.
Notho fit Archiepiſc. Arelatenſis, a. 819. n. 23. bona permutat cum Leybulpho Comite, a. 814. n. 61. a. 825. n. 1. ſubſcribit Donationi ejuſdem Leybulphi, a. 828. n. 24.
Nottingus Ep. Vercellenſis, a. 811. nn. 12. 33.
Noviliacum, Mon. a. 812. n. 40.
Noviomenſe Concilium, a. 814. n. 75.
Novitius quomodo puniendus, a. 817. n. 189.

O

OBLATIONES fidelium quadripertitæ, a. 807. n. 25. oblationes quarumdam perſonarum non accipiendæ, a. 812. n. 77.

Oda cum marito ſuo condit Eccleſiam Stradenſem, a. 818. n. 33.
Odda munifica erga Mon. Lerinenſe, a. 818. n. 14.
Odelpertus Archiep. Mediolanenſis munificus erga Mon. Ambroſianum, a. 806. n. 71. à Carolo Aug. per literas encyclicas interrogatur de cæremoniis Baptiſmi, a. 812. nn. 67. 68. obit, a. 814. n. 78.
Odilardus Ep. Namnetenſis, a. 804. n. 56.
Odo Abb. Sarlatenſis, a. 816. n. 38.
Odo Buticularius, a. 817. n. 64.
Odo Comes Aurelianenſis conſtituitur, a. 828. n. 14.
Oeconomus, qui res Eccleſiarum immobiles, vel alienavit vel alienari non prohibuit, quomodo puniendus, a. 817. n. 26.
Olomundus Abb. Montis-Olivi, a. 814. n. 28. a. 817. n. 313.
Omortag Rex Bulgarorum mittit Legatos ad Ludovicum Aug. a. 824. n. 32. a. 815. nn. 1. 4. a. 816. n. 21.
Oppilo Ep. Pampilonenſis, a. 806. n. 70. a. 811. n. 28.
Optatus Abb. Foſſatenſis, a. 817. n. 173.
Oratio Dominica tam Latinè quàm vernaculè ab omnibus diſcatur, a. 813. n. 23.
Orphani protegendi, a. 813. n. 81. ſunt ſub protectione Regis, *ibid.* n. 430. eorum cauſæ præ ceteris audiendæ, a. 817. n. 28.
Orphanotrophium, a. 817. n. 26.
Oſca obſidetur, a. 811. n. 49.
Oſtia, civitas Ducatûs Romani datur Apoſtolicæ Sedi ex munificentia Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Oſtphalia ſubeſt Metropoli Moguntinæ, a. 812. n. 66.
Oſtroldus Ep. Laudunenſis, a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75.
Oſulfi, duo Alcuini diſcipuli, a. 804. n. 74.
Otbaldus Abbas Elwacenſis obit, a. 810. n. 98.
Otgarius ſit Abb. Weiſſenburgenſis, a. 814. n. 80. Archiepiſc. Moguntinus, a. 816. n. 56.
Otlandus Abbas Sitivenſis obit, a. 804. n. 58.
Otriculum cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Otto Ep. Carantanorum, a. 823. n. 20.

P

Pacificus ſit Archidiaconus Veronenſis, a. 806. n. 78.
Pampilonenſes Ludovico R. ſe dedunt excuſſo Saracenorum jugo, a. 806. n. 70.
S. Pantaleonis Caput ex Africa transfertur Arelatem, deinde Lugdunum, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.*
S. Papuli Mon. a. 817. n. 321.
Pariſienſis Conventus de cauſa Imaginum habetur, vindicatúrque à calumnia, a. 825. nn. 40. *& ſeqq.* a. 826. nn. 1. *& ſeqq.*
Parricidium quomodo puniendum, a. 813. n. 462.
S. Paſcentii Mon. a. 812. n. 42.
Paſchalis ex Abbate S. Stephani ſit P P. a. 817. n. 4. Ludovicum Imp. certiorem de ſua facit electione, amicitiámque more prædeceſſorum cum eo firmat, *ibid.* n. 5. ab eodem Ludovico confirmationem Donationum Apoſtolicæ Sedi factarum accipit cum Urbe Roma & Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, *ibid.* nn. 6. *& ſeqq.* dat Eboni Archiep. Remenſi licentiam prædicandi Evangelium populis Septemtrionalibus, a. 822. n. 101. Lotharium coronat Imp. a. 823. n. 1. à communione necis illatæ Theodoro S. R. E. Primicerio & Leoni Nomenclatori ſe purificat cum juramento, *ibid.* n. 10. obit, a. 824. n. 4.
Paſchalis Ep. Lauſannenſis, a. 817. n. 371.
Paſchaſius Radbertus puer eruditur in Mon. Sueſſionenſi, deinde ſit Monachus Corbeïenſis, a. 804. nn. 12. *& ſeqq.* quando ſcripſit librum de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, a. 818. n. 1. a. 826. n. 3.
Patrini filiolos ſuos erudire ſtudeant, a. 813. nn. 23. 123. 277. a. 823. n. 46.
Patto primus Abb. Amarbaricenſis, quando, a. 807. n. 37.
Paulus Dux Jaderæ Legatus ad Carolum Aug. a. 806. nn. 1. 3.
Paulus Ep. Trecenſis quando ſedit, a. 811. n. 35.
Paulus Præfectus claſſis Conſtantinopolitanæ vincitur à Francis ad Comiaclum Inſulam, a. 808. n. 14.
Pauperum cauſæ præ ceteris audiendæ, a. 820. n. 37. a. 817. n. 28.
Pedilavium Monachis imperatur, a. 817. n. 178. cur vocatur Mandatum, *ibid.* n. 179.
Pedules Monachorum, a. 817. n. 177.
Pellicæ Monachis dandæ, a. 817. n. 177.
Peregrinationum ad loca ſancta abuſus prohibetur, a. 813. n. 180.
Peregrini ſunt ſub protectione Regis, a. 813. n. 430. eorum ſuſceptio commendatur, *ibid.* n. 432.
Peringerus Abb. Weltenburgenſis, a. 810. n. 30.
Peritheus Ep. Senenſis, a. 811. n. 10. a. 816. n. 43.
Perjurium prohibetur, a. 813. n. 429. a. 813. n. 43.
Perjurus quomodo puniendus, a. 805. n. 72. a. 808. n. 28. a. 813. nn. 318. 361. a. 814. n. 40.

Digitized by Google

Peruſia cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
S. Petri Mon. in valle Lunatenſi, a. 817. n. 311.
S. Petri Mon. puellare Barcinone, a. 807. n. 4.
S. Petri Mon. Senonis, a. 826. n. 48.
S. Petri de Florentillo Mon. in E. Spoletano, a. 817. n. 89.
Petrus Abb. S. Chriſtinæ, a. 814. n. 4.
Petrus Abb. Nantuæ, a. 817. n. 258.
Petrus Abb. Nonantolanus mittitur Conſtantinopolim, a. 813. n. 1. obit, a. 820. n. 19.
Petrus Ep. Brixienſis, a. 806. n. 72. Sacellum conſecrat in Eccleſia S. Fauſtini, a. 807. n. 30. obit, a. 814. n. 78.
Petrus Ep. Centumcellenſis, Miſſus Paſchalis PP. a. 821. n. 59.
Petrus Ep. Comenſis, a. 811. n. 13. obit, a. 818. n. 18.
Petrus Ep. Lucenſis, a. 819. n. 15. a. 826. n. 47.
Petrus Ep. Oſtienſis, a. 805. n. 39. a. 811. n. 10.
Petrus Ep. Virodunenſis, a. 811. n. 18. obit, a. 813. n. 344.
Petrus Ep. Volaterranus, a. 811. n. 10. a. 826. n. 53.
Phlebotomia certis anni temporibus Monacho non imperanda, a. 817. n. 167.
Piciano, Mon. a. 817. n. 318.
Pippinus Bernardi R. Italiæ filius in Galliam poſt patris mortem adducitur, a. 818. n. 5.
Pippinus Caroli Magni & Himiltrudis Reginæ filius, a. 806. p. 31. literas accipit à patre, ut Leges jam latas cuſtodiri faciat per Italiam, a. 804. n. 88. patrem adit, a. 805. n. 114. in diviſione Regni à patre facta hæres tertiæ partis declaratur, a. 806. n. 9. redit in Italiam, *ibid.* n. 39. miſsâ claſſe Corſicam contra Saracenos tuetur, *ibid.* n. 64. Venetos in fœdere cum Francis inito retinet, *ibid.* n. 65. inducias init cum Niceta Patricio, a. 807. n. 3. magnam Venetiæ partem ſubigit, a. 810. nn. 36. *& ſeqq.* obit, relicto unico filio, filiabus verò quinque, *ibid.* nn. 45. 46.
Pippinus Ludovici Pii & Hirmingardis filius Rex Aquitaniæ à patre conſtituitur, a. 814 n. 63. condit Brantoſmam Mon. a. 816. nn. 28. *& ſeqq.* à patre confirmatur in Regno Aquitanico, a. 817. nn. 332. *& ſeqq.* pacat Waſconiam, a. 819. n. 10. curam ſuſcipit aggerum juxta Ligerim faciendorum, a. 821. n. 56. uxorem ducit Ingeltrudem & à patre mittitur in Aquitaniam, a. 822. n. 112. patrem Aquiſgrani commorantem adit, atque inde redit in Aquitaniam, a. 826. n. 21. proficiſcitur in Hiſpaniam contra Saracenos, a. 827. n. 70. emittit Præcepta, pro Mon. Pictavienſi S. Crucis, a. 815. n. 3. pro Mon. S. Martini, a. 827. n. 16. pro Mon. S. Maxentii, *ibid.* n. 70. pro Mon. Montis-Olivi, a. 828. n. 20. pro Mon. S. Hilarii in Ep. Carcaſſonenſi, *ibid.* n. 21.
Placita non fiant die Dominico, a. 813. nn. 20. 68. 113. 244. 274. nec in Baſilicis nec in earum atriis, *ibid.* nn. 27. 116. 243. 280. pro Placito nullus munera requirat aut accipere præſumat, *ibid.* nn. 72. 239.
Plato fit Ep. Piſanus, a. 821. n. 86.
Podus Epiſc. Placentinus, a. 809. n. 21. a. 811. n. 11. obtinet Præceptum pro ſua Eccleſia, a. 820. n. 17.
Pœnitentia quomodo imponenda, a. 813. n. 173. qualis imponenda percuſſoribus Clericorum, a. 822. nn. 59. *& ſeqq.* cavenda perſonarum acceptio in judicio pœnitentiæ, *ibid.* n. 169. confeſſio peccatorum ſit integra, *ibid.* n. 167. fiat Sacerdoti, *ibid.* n. 168.
Pœnitentia publica imponenda reis publici criminis, a. 813. nn. 31. 160. 284. qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecit quomodo puniendus, a. 820. n. 39. homo pœnitentiam agens publicam eſt ſub tuitione Regis, a. 822. n. 91. pœnitentem nemo invitet vinum bibere vel carnem manducare, a. 827. n. 16.
Pœnitentiales libri, a. 813. n. 226.
Pœnitentiarum diverſarum modus excerptus à S. Benedicto Abb. Anianenſi ex Regula Benedictina, a. 821. nn. 36. *& ſeqq.*
Polana Eccleſia in Iſtria, a. 806. n. 66.
Polimartium cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Pommerayii Chronologia refellitur, a. 822. n. 115.
Pondera juſta ſint & menſuræ, a. 813. nn. 19. 249. 272. a. 814. n. 42.
Pontes, ubi antiquitus fuerint, renoventur, a. 825. n. 26.
Pontibus reparandis qui præficiendi, a. 810. n. 62.
Pontius Abb. Nantuæ quando, a. 817. n. 258.
Portaria in Congregatione Canonicarum, a. 817. n. 136.
Portarius in Congregatione Canonicorum, a. 817. n. 113.
Portus cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Præcepta pro multis Eccleſiis; pro Andegavenſi, a. 816. n. 21. a. 818. n. 22. pro Auguſtodunenſi, a. 815 n. 17. pro Aure-

lianenſi, a. 816. n. 20. pro Burdigalenſi, a. 814. n. 64. pro Cameracenſi, a. 816. n. 3. pro Comenſi, a. 813. n. 2. a. 824. n. 1. pro Compoſtellana, a. 813. n. 400. pro Helenenſi, a. 817. n. 369. pro Lemovicenſi, *ibid.* pro Lutevenſi, a. 817. n. 23. pro Magalonenſi, a. 819. n. 3. pro Matiſconenſi, a. 825. n. 36. pro Mediolanenſi, a. 810. nn. 48. *& ſeqq.* pro Mutinenſi, a. 822. n. 1. pro Narbonenſi, a. 814. n. 65. pro Paderbornenſi, a. 822. n. 2. pro Pariſienſi, a. 810. n. 31. a. 821. n. 83. pro Patavienſi, a. 823. n. 8. pro Placentina, a. 808. n. 17. a. 820. n. 17. pro Remenſi, a. 816. nn. 15. 16. pro Straſburgenſi, a. 817. n. 385. pro Tornacenſi, a. 817. n. 364. pro Vienenſi, a. 815. nn. 5. 6. 38. pro Vivarienſi, a. 815. n. 7. pro Ultrajectina, a. 824. n. 2. Item pro multis Monaſteriis; pro Acutiano, a. 815. n. 9. pro Mon. Altaichii Inferioris, a. 812. n. 65. a. 821. n. 85. a. 823. n. 8. pro Ammiatino S. Salvatoris, a. 816. n. 22. pro Anianenſi, a. 824. n. 9. pro Mon. S. Aniani, a. 816. n. 10. pro Angienſi, a. 813. n. 374. pro Bella Cella, a. 824. n. 9. pro Mon. Brivatenſi, a. 825. n. 37. pro Carrofenſi, a. 815. n. 25. pro Mon. S. Chriſtinæ, a. 822. n. 4. pro Conchenſi, a. 819. n. 5. pro Mon. Corbeïæ novæ, a. 823. nn. 12. 13. a. 816. n. 24. pro Cormaricenſi, a. 816. n. 10. pro Mon. S. Crucis Pictavii, a. 825. n. 3. pro Deenſi, a. 819. n. 4. pro Dervenſi, a. 827. n. 69. pro Dionyſiano, a. 804. nn. 17. *& ſeqq.* a. 813. nn. 375. *& ſeqq.* a. 814. n. 65. pro Duſerenſi, a. 814. n. 64. pro Ebersheimienſi, a. 824. n. 3. pro Floriacenſi, a. 818. n. 9. pro Gandenſi, a. 819. n. 6. pro Gellonenſi, a. 824. n. 8. pro Glannenſi, a. 824. n. 10. pro Mon. S. Hilarii in Ep. Carcaſſonenſi, a. 817. n. 318. a. 828. n. 21. pro Mon. S. Germani Autiſſiod. a. 826. n. 3. pro Mon. S. Mariæ de Organo, a. 804. n. 49. pro Martiniano, a. 817. n. 368. a. 828. n. 16. pro Cella S. Maximini, a. 816. n. 21. pro Mon. S. Michaelis in Ep. Virodunenſi, a. 805. n. 44. a. 824. nn. 66. 67. pro Miciacenſi, a. 815. n. 4. a. 825. n. 3. pro Mon. Montis Olivi, a. 834. n. 28. a. 828. n. 20. pro Neoſtadienſi, a. 813. n. 373. pro Remigiano, a. 816. n. 13. pro Schwarzachienſi in Ep. Straſburgenſi, a. 816. n. 66. pro Senonenſibus, S. Petri, S. Joannis, & S. Remigii, a. 822. n. 4. pro Mon. S. Severini prope Burdigalam, a. 814. n. 64. pro Solemniacenſi, a. 817. n. 362. pro Mon. S. Victoris Maſſiliæ, a. 813. n. 52. pro Vincentino prope Vulturnum, a. 816. n. 3. Item pro Hiſpanis Chriſtianis in Franciam confugientibus, a. 815. nn. 2. 3. a. 816. n. 1.

Prædenecenti, ubi ſiti, a. 818. n. 15. a. 819. n. 6.

Præneſte cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Præpoſitæ in Monaſteriis Canonicarum, quæ, a. 817. n. 134.

Præpoſiti, qui, a. 805. n. 62. a. 817. nn. 109. 186. 187. a. 813. n. 87. non habeant venatores, a. 813. n. 353.

Precariæ per malum ingenium, a. 813. nn. 69. 70.

Preſbyter accuſatus quomodo ſe purgare debeat, a. 804. n. 89. ſi Chriſma dedit propter judicium ſubvertendum quomodo puniendus, a. 809. nn. 63. 85. eleemoſynam commendet, a. 810. n. 69. doceat plebem, *ibid.* n. 70. quid agere, quid vitare debeat, a. 812. nn. 91. *& ſeqq.* à laicis nec in Eccleſiam immittatur nec ex ea ejiciatur, a. 813. nn. 8. 105. 177. 219. 261. a. 822. n. 79. in Concilio rationem Epiſcopo ſuo reddat qualiter ſuſceptum Officium & Baptiſmum celebret, a. 813. n. 8. populo ſibi commiſſo prædicare non negligat, a. 813. n. 14. a. 814. n. 35. ſub ſigillo Chriſma cuſtodiat, a. 813. nn. 22. 103. 224. 276. à minore titulo ad majorem non tranſeat, *ibid.* nn. 53. 218. deponatur ſi pretio Eccleſiam acquiſivit, *ibid.* nn. 54. 219. a. 813. n. 33. cum fœminis non habitet, a. 813. n. 55. a. 822. n. 87. a. 813. n. 30. negotiis ſecularibus ſe non implicet, a. 813. n. 63. ſolus Miſſam non cantet, *ibid.* n. 119. quando & qua de cauſa ire poſſit ad Placitum, *ibid.* n. 146. non fiat villicus, *ibid.* n. 147. legat & non ignoret Canones, a. 813. n. 172. a. 814. nn. 32. 33. degradatus pœnitentiam agat, a. 813. n. 175. à proprio loco ad alium non migret ſine cauſa & literis Epiſcopi, a. 813. n. 176. a. 823. n. 34. non ſit Cancellarius publicus, nundinas non peragret, Romam aut Turonos præſertu peregrinationis ſine licentia ſui Epiſcopi non adeat, a. 813. n. 179. a. 823. n. 39. veſtigia Epiſcopi ſui in bonis moribus conſectetur, a. 813. n. 213. non ordinetur ante annum ætatis triceſimum, priùs autem in Epiſcopio maneat, ut diſcat Officium ſuum, a. 813. n. 216. a. 814. n. 32. in aliam Parochiam commigrans officium non ibi celebret ſine literis commendatitiis, a. 813. n. 217. a. 823. n. 39. decimas ad uſum Eccleſiæ & pauperum per Epiſcopi conſulta diſpenſet, a. 813. n. 20. tabernas non ingrediatur comedendi bibendive cauſâ, a. 813. nn. 179. 225. a. 823. n. 31. benè vivere ſtudeat, & ita populum doceat, a. 813. n. 185.

contra

contra ſuum Epiſcopum non ſuperbiat, a. 814. n. 30. arma non portet, *ibid.* n. 39. ſecundùm Canones vivat & ita ceteros doceat, a. 813. n. 435. canes & aves ad venandum non habeat, a. 813. n. 444. a. 823. n. 32. ſuo ſubſit Epiſcopo, licet in Miniſterio Comitis ſit conſtitutus, a. 813. n. 446. Clericorum, quos ſecum habet, curam gerat, *ibid.* n. 448. mulieres in domo ſua non habeat, *ibid.* n. 449. ab omnibus honoretur, *ibid.* n. 460. qua de cauſa ire poſſit ad Monaſteria Canonicarum, a. 817. n. 137. uſuras non accipiat, a. 823. n. 38. annonam vel fœnum in Eccleſiam mittere non præſumat, a. 827. n. 16. alterius Parochianum niſi in itinere fuerit vel Placitum ibi habuerit ad Miſſam non recipiat; Miſſam in alterius Parochia cantare non præſumat niſi in itinere fuerit, *ibid.* res, quas poſt diem conſecrationis adquiſierit, proprias Eccleſiæ relinquat, *ibid.* habeat Capitula de majoribus & minoribus vitiis, *ibid.* n. 19. Euchariſtiam habeat ſemper paratam pro infirmis, *ibid.* ampullas habeat in Cœna Domini, unam ad Chriſma, alteram ad oleum pro Catechumenis & infirmis, *ibid.* nullus Preſbyter ad introitum Eccleſiæ xenia donet, *ibid.* n. 14. Preſbyterorum oppreſſiones & vexationes prohibentur, a. 805. n. 92. Wirgildus pro Preſbyteri occiſi compoſitione cui ſolvendus, a. 820. n. 36. qui Preſbyterum vulneravit aut occidit, quâ pœnitentiâ plectendus, a. 821. n. 75. a. 822. n. 127. a. 826. n. 27. Preſbyteri ad civitates aut accipiendi Chriſmatis aut diſcendi gratiâ quomodo convocandi, a. 822. n. 88. Preſbyteri diverſa non ſentiant in judiciis pœnitentium, a. 823. n. 40. horas Canonicas nullatenus prætermittant, *ibid.* n. 45.

Privernum cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Prodigia varia, a. 813. n. 423. a. 823. n. 18. a. 825. n. 59.

Prunico Abbas Diſertinenſis obit, a. 815. n. 22.

Pſalmi pro benefactoribus ac defunctis cantandi, a. 817. n. 105.

Pſalmodium, Mon. a. 817. n. 307.

Pſalmus Iuvitatorius, quis, & an cantandus pro mortuis, a. 817. n. 221.

Ptochotrophium, a. 817. n. 26.

Puella in territorio Tullenſi per 30 menſes abſtinet ab omni cibo, a. 823. n. 18. a. 825. n. 59.

Puellæ quo tempore velandæ, a. 822. n. 96.

Puellam invitis parentibus qui velavit, quomodo puniendus, a. 820. n. 54. a. 822. n. 90.

Puer infra duodecim annos, ſi reus furti, quomodo puniendus, a. 820. n. 69.

Puerum invitis parentibus qui totondit, quomodo puniendus, a. 820. n. 54. a. 822. n. 90.

Pupillorum cauſæ præ ceteris audiendæ, a. 820. n. 37. a. 827. n. 28.

Q

QUIRINUS Subdiaconus à Paſchale PP. mittitur ad Ludovicum Imperat. a. 823. n. 10. ab Eugenio II. a. 824. n. 10. à Gregorio IV. a. 828. n. 17. favet Hilduino Abb. poſcenti Reliquias S. Sebaſtiani, a. 826. nn. 62. *& ſeqq.*

R

RABANUS præficitur Scholæ Fuldenſi, a. 810. n. 108. fit Preſbyter, a. 815. n. 27. Abbas Fuldenſis, a. 822. nn. 141. 142. ſcribit Commentarios in librum Sapientiæ & in Eccleſiaſticum, a. 827. nn. 1. 2.

Raddo Abb. Vedaſtinus obit, a. 815. n. 21.

Radechis Comes Compſanus Grimoaldum Ducem Beneventanorum interficit, deinde pœnitentiâ ductus ſit Monachus Caſinenſis, a. 818. n. 13.

S. Radegundis Mon. a. 812. n. 46. a. 817. n. 297.

Radoldus Ep. Gratianopolitanus, a. 811. n. 25.

Raganardus Alcuini diſcipulus, a. 804. nn. 70. 74.

Ragenarius ſeu Raynaldus ſit Ep. Venetenſis, a. 820. n. 26.

Ragenarius Epiſc. Noviomenſis ac Tornacenſis conſtituitur Miſſus Dominicus in quatuor Comitatibus provinciæ Remenſis, a. 825. n. 31.

Raginfredis Abbatiſſa Dononienſis, a. 805. n. 108.

Ragenutus Ep. Avenionenſis, a. 810. n. 21. a. 822. n. 5.

Ragimbertus Epiſc. Bellovacenſis, a. 811. nn. 25. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. obit, a. 821. n. 65.

Ragnardus Monachus Herenſis, a. 821. n. 65.

Rainerius ſit Abb. S. Crucis Meldis, a. 823. n. 57.

Ramnericus Abbas Laubienſis, quando, a. 823. n. 15.

Ramnus Epiſc. Helenenſis, a. 811. n. 30. a. 817. n. 369.

Rampertus ſit Ep. Brixienſis, a. 814. n. 78. conſtruit Monaſterium, a. 810. n. 28.

Raptus quomodo puniendus, a. 813. nn. 331. 333. a. 810. nn. 38. 43. a. 822. nn. 92. *& ſeqq.*

Ratbertus Caroli Auguſti Legatione apud Aaronem Calipham functus obit, a. 807. n. 1.

Ratgarius Abbas Fuldenſis, a. 812. n. 64. a. 813. nn. 401. & ſeqq. a. 815. nn. 27. & ſeqq. deponitur & in exilium mittitur, a. 817. nn. 376. & ſeqq. ab exilio revocatus inchoat Mon. B. Virginis, a. 818. n. 31.
Rathfredus Ep. Favianenſis ſeu Viennenſis ad Danubium, a. 824. nn. 35. 37.
Ratleicus Notarius Eginhardi Romam mittitur ad quærendas Sanctorum Reliquias, a. 827. nn. 75. & ſeqq.
Ravelius Ep. Auſcienſis obit, a. 809. n. 40.
Ravennus Ep. Valvenſis, a. 811. n. 10.
Raymundus Ep. Petrocoricenſis, a. 805. n. 31. a. 811. n. 28.
Recho Ep. Straſburgenſis, a. 811. n. 16. obit, a. 812. n. 59.
Regina nubit Carolo Aug. a. 806. n. 76. parit Drogonem, a. 807. n. 3. Hugonem, a. 808. n. 20. obit, a. 809. n. 90.
Reginaldus Ep. Silvanectenſis obit, a. 807. n. 35.
Reginarius deſignatur Epiſc. Patavienſis, a. 818. n. 19. ordinatur, a. 822. n. 144. Præceptum obtinet à Ludovico Pio pro ſua Eccleſia, a. 813. n. 8.
Reginfridus R. Daniæ pacem petit, a. 812. n. 25. pacem firmat cum Francis, a. 813. n. 338. obit, a. 814. n. 62.
Reginhardus Camerarius Bernardi R. Italiæ, a. 818. n. 2.
Reginharius Hardradi nepos ex filia, a. 818. n. 2. excæcatus moritur, *ibid.* n. 3.
Regna percutiuntur deſtruuntúrque ob ſcelera, a. 805. n. 92.
Regula, Mon. a. 817. n. 294.
Regulæ diverſorum Patrum ſimul collectæ à Benedicto Abb. Anianenſi, a. 821. nn. 28. & ſeqq.
Regularum Concordia, Auctore Benedicto Abb. Anianenſi, a. 821. nn. 32. & ſeqq.
Reippus, quid, a. 820. n. 72.
Rembertus infans, a. 813. n. 3.
Remenſe Concilium, a. 813. nn. 33. & ſeqq.
Remigibertus Ep. Lemovicenſis, a. 804. n. 24. a. 811. n. 30. a. 817. n. 369.
S. Remigii Mon. Senonis, a. 822. n. 3.
Remigius Abbas S. Columbæ, Senonis, a. 818. n. 23.
Remigius ſit Ep. Curienſis, a. 813. n. 343. obit, a. 820. n. 20.
Rex debet incumbere defenſioni & exaltationi Eccleſiæ, honori debito ſervis Dei, & paci ac juſtitiæ per univerſum Regnum ſervandæ, a. 825. n. 8. fidelium omnium admonitor eſſe debet, *ibid.* citiſſimè moneri debet de cauſis, quæ vel ad inhonorationem Regni vel ad commune damnum pertinent, aut ſine Regia poteſtate corrigi non poſſunt, *ibid.* n. 19.
Richardus Abb. Diſertinæ, a. 815. n. 22.
Richardus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus per provincias, Lugdunenſem, Darantaſienſem, & Viennenſem, a. 825. n. 31.
Richbodo Abbas Laureshamenſis obit, a. 805. n. 106.
Richboldus Archiepiſc. Trevirenſis obit, a. 804. n. 50. diſcipulus fuit Alcuini in Anglia, *ibid.* n. 51.
Richpaldus Abb. S. Emmerammi, a. 817. n. 372. obit, a. 822. n. 145.
Richwinus Comes Pictavienſis mittitur Legatus Conſtantinopolim, a. 814. n. 58. redit pace firmatâ, a. 815. n. 13.
Ricuinus Ep. Magalonenſis, a. 805. n. 20. a. 811. n. 30.
Riculfus Archiep. Moguntiacenſis, a. 804. n. 35. a. 805. n. 109. a. 810. n. 1. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. dicat Templum Bleiſtadienſe & Slitiſſenſe, a. 812. n. 64. intereſt Concilio Moguntino, a. 813. n. 78. obit, a. 814. n. 80.
Riculphus Ep. Reïenſis, a. 811. n. 24.
Rithfredus Ep. Bellicenſis quando ſedit, a. 805. n. 38. a. 811. n. 20.
Rixfridus ſit Epiſc. Ultrajectinus, a. 807. n. 34. Præceptum obtinet à Ludovico Aug. a. 814. n. 2. ejus epiſtola refellitur, a. 805. nn. 3. 10.
Robertus Ep. Derthonenſis obit, a. 808. n. 21.
Roccus, a. 808. n. 29. a. 817. n. 177.
Rodoaldus ſit Epiſc. Salernitanus, a. 818. n. 18.
Rodogerius Ep. Bellicenſis quando ſedit, a. 805. n. 38.
Rodoinus Præpoſitus Mon. S. Medardi, Sueſſione Romam mittitur ad poſcendas S. Sebaſtiani Reliquias, a. 825. n. 39. eas transfert cum Reliquiis Gregorii Magni, a. 826. nn. 60. & ſeqq.
Rodtmundus Comes in Daniam mittitur ad inveſtigandam cauſam Heriholti R. a. 823. n. 16.
Rogationes, aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ, a. 823. n. 29.
Rogerius Ep. Carcaſſonenſis, a. 811. n. 30.
Roma cum Romano Ducatu Apoſtolicæ Sedi datur à Ludovico Pio, a. 817. n. 6.
Romani infenſi Leoni PP. a. 815. nn. 8. 14.
Romanus Ducatus an attributus Bernardo R. Italiæ, a. 813. n. 336. Apoſtolicæ Sedi datur à Ludovico Pio, a. 817. nn. 6. 10.
Romanus Pontifex, conſecratus Legatos in Franciam ex antiquo more dirigere debet ad amicitiam, charitatem, ac pacem ſociandam, a. 817. n. 6. commentitium de ejus electione Decretum, *ibid.* n. 3.
Roricius Epiſc. Anicienſis quando ſedit, a. 804. n. 40. a. 811. n. 30.

Digitized by Google

Rorigo Comes inſtaurat Glannafolium, a. 824. nn. 63. 64.
Roſchwindis prima Abbatiſſa Lyſboraenſis, a. 805. n. 41. a. 819. n. 38.
Roſerius Ep. Aſtenſis, a. 827. n. 84.
Roſtagnus Comes Gerundenſis in caſtris Regiis ad Barcinonem, a. 807. n. 4.
Rotaldus Ep. Veronenſis reparat Cœnobium S. Zenonis, a. 807. n. 31. Bernardi R. Italiæ conſilia detegit, a. 817. n. 365.
Rotardus Ep. Sueſſionenſis, a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31. ſuſcipit Reliquias SS. Sebaſtiani & Gregorii Magni, a. 826. n. 67.
Rotfridus Abb. Elnonenſis, a. 809. n. 7.
Rotfridus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in ſex Comitatibus provinciæ Remenſis, a. 825. n. 31.
Rothais Caroli Magni & Himiltrudis Reginæ filia, a. 806. n. 32.
Rothildis Caroli Aug. & Mathalgardis Aug. filia, a. 806. n. 32.
Rothmundus Comes, a. 827. n. 62.
Rotnacum datur Heridago Preſbytero, a. 812. n. 66. Monachis Indenſibus, a. 814. n. 71.
Rotrudis Caroli Magni & Hildegardis Reginæ filia, a. 806. n. 32. obit, a. 810. nn. 45. 55.
Ruodbertus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in provincia Moguntiacenſi, a. 825. n. 31.
Ruodbertus Comes, conſtituitur Miſſus Dominicus in provincia Turonenſi, a. 825. n. 31.

S

SAgus quanti emendus, a. 808. n. 29.
Sajones, qui, a. 812. n. 5.
Sal ori Catechumeni imponitur, a. 812. n. 77.
Salica Lex augetur, a. 816. nn. 39. *& ſeqq.* a. 820. nn. 32. *& ſeqq.*
Salingeſtadium ad Olſam fl. nobilitatur Epiſcopali Sede, a. 810. n. 94.
Saliſburgienſe Concilium, a. 807. nn. 25. *& ſeqq.*
Saliſburgienſes Archiepiſcopi & Epiſcopi, a. 824. nn. 42. *& ſeqq.*
Salvinus ſeu Salvius Ep. Auſcienſis, a. 809. n. 40. a. 811. n. 28.
Salvius Ep. Valentinus quando ſedit, a. 807. n. 9. a. 811. n. 25.
Sambartus Abb. Ebersheimienſis, a. 824. n. 3.
Sanctorum Reliquiæ non ſunt venerandæ abſque probatione Epiſcopi, a. 805. n. 80. Sanctorum corpora non ſunt de loco ad locum transferenda ſine conſilio Principis & Epiſcoporum ac Synodi licentia, a. 813. n. 127.
Sanila Gothus equeſti prælio pugnat cum Bera Comite Barcinonenſi, a. 820. n. 2.
Sarabaitæ, a. 813. n. 447.
Sardinia inhiatur ab utroque Calipha Arabiæ & Hiſpaniæ, a. 813. nn 339. 341. ſe dedit Ludovico Aug. a. 815. n. 9. tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate ejuſdem Ludovici, a. 817. nn. 6. 14.
Sardiniæ Sedes Epiſcopales, a. 815. n. 11.
Sarta fl. inſigni prodigio ſiccatur, a. 820. n. 6.
Savigniacum, Mon. in Archiep. Lugdunenſi, a. 809. n. 93. a. 817. n. 279.
S. Savini Mon. in E. Bigorritano, a. 817. n. 330.
S. Savini Mon. in E. Pictavienſi, a. 812. n. 38. a. 814. n. 72. a. 817. n. 296.
Saxones tranſalbiani erudiuntur à vicinis Epiſcopis Bremenſi & Verdenſi, a. 804. n. 87. ab Amalhario Archiep. Trevirenſi, a. 811. n. 46. ab Heridago Preſbytero, a. 812. n. 66. iterum à vicinis Epiſcopis Bremenſi & Verdenſi, a. 814. n. 67.
Saxoniæ Diœceſes, a. 812. n. 66. cur duobus ſubſunt Metropolitis, *ibid.*
Scabini veraces & boni à Comite & populo eligantur, a. 809. n. 64.
Scapulare, a. 817. n. 176.
Scara, quid, a. 811. n. 69.
Scewanc, Mon. a. 817. n. 283.
In Schennis Mon. puellare fundatur, a. 806. n. 80.
Schildrenſis Eccleſia, a. 812. n. 66.
Scholæ Monaſteriorum, a. 817. n. 100.
Scholarum erectio commendatur, a. 825. n. 11.
Schuttera Mon. a. 817. n. 251.
Schwarczachium Mon. Alſatiæ transfertur trans Rhenum, a. 826. n. 70.
Schewarczachium Mon. in E. Wirceburgenſi conditur, a. 815. n. 36.
Schwartzaha, Mon. in E. Straſburgenſi, a. 817. n. 259.
Scillitani Martyres ex Africa transferuntur Arelatum, deinde Lugdunum, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.*
Sclaomirus Dux Abotritorum rebellat, a. 817. n. 263. a. 818. n. 14. captus in exilium mittitur, a. 819. n. 7. in patriam remittitur, obitque in itinere, Baptiſmo prius ſuſcepto, a. 821. n. 84.
Sclavi diſtinguuntur in Orientales & Septentrionales, a. 817. n. 21. à Saxonibus pelluntur è Caſtello Delbendo, a. 822. n. 109.
Scoranus Abb. Blandinienſis obit, a. 811. n. 63.
Scovenauva, Mon. a. 817. n. 287.
Scribæ vitioſè non ſcribant, a. 805. n. 49.
Scrutinia in Baptiſmo, a. 812. n. 72.
Sculturburra, Mon. a. 817. n. 284.

S. Sebaſtiani Reliquiæ Româ Sueſſionem transferuntur, a. 826. nn. 56. *& ſeqq.*
Sebaſtianus ſit Ep. Papienſis, a. 814. n. 78. obit, a. 816. n. 29.
Senegildus Abb. Anianenſis quando, a. 814. n. 9.
S. Sequani Mon. in E. Lingonenſi, a. 817. n. 257.
Seraphim Abbas Beſuenſis, a. 816. n. 23. varias init permutationes bonorum pro communi opportunitate, a. 826. nn. 57. 58.
Serbli, populi Dalmatiæ, a. 823. n. 9.
Sergius Bibliothecarius à Paſchale PP. mittitur ad Ludovicum Imp. a. 823. n. 10.
S. Servatii Eccleſia apud Trajectum ad Moſam illuſtratur Reliquiis SS. Marcellini & Petri, a. 828. n. 10.
Servus quomodo puniendus, ſi latronem forbannitum ſuſcepit, a. 809. n. 53. ſi per Domini ſui negligentiam vim alicui intulit, a. 821. n. 47. an promovendus ad ſacros Ordines, a. 822. n. 76. ſervi matrimonium cum fœmina libera, a. 821. n. 101. ſervorum conjurationes in Flandris & Mempiſco prohibentur, a. 821. n. 53.
Setia cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Severa Horreenſis Abbatiſſa quando, a. 804. n. 54.
Sexcuplum, quid, a. 823. n. 38.
Siagrius Abb. Nantuæ, quando, a. 817. n. 258.
Sicharius Archiep. Burdigalenſis accipit à Ludovico Aug. Præceptum Immunitatis & exemplar Regularum pro Canonicis & Canoniſſis poſt Conventum Aquiſgranenſem, a. 817. n. 139.
Sico ſit Dux Beneventanus, a. 818. n. 13. curat transferri corpus S. Januarii Neapoli Beneventum, a. 820. n. 29.
Sicoris Hiſpaniæ fl. à Francis trajicitur, a. 822. n. 110.
Sidranius Ep. Ecoliſmenſis, a. 811. n. 28.
Sigefridus ſit Abb. S. Emerammi, a. 822. n. 145.
Sigibrannus Epiſc. Pictavienſis, a. 811. n. 28.
Signia cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Signum ad horas, Tertiam, Sextam, & Nonam, in Monaſteriis bis pulſandum, a. 817. n. 215.
Sigualdus Ep. Spoletanus, a. 811. nn. 10. 32. a. 814. n. 78. ſit etiam Abb. Epternacenſis, a. 817. n. 379. obit, a. 827. n. 89.
Sigulfus Alcuini præcipuus diſcipulus, Abb. Ferrarienſis, a. 804. nn. 64. 71. a. 817. n. 241.
Sigulfus Monachus Anianenſis, a. 804. n. 64.
Sigwinus Dux Vaſconiæ ob inſolentiam & morum pravitatem exauctoratur, a. 816. n. 3.
Sikelmus Abb. Luxovienſis quando, a. 815. n. 18.
Simonia prohibetur, a. 813. nn. 9. 106. 262.
Sinidrabertus Abb. Mediani Mon. quando, a. 806. n. 66.
Siſeburus Ep. Urgellenſis, a. 811. n. 30.
Siſemundus Epiſc. Lutevenſis Præceptum obtinet à Ludovico Pio, a. 817. n. 23. ſedet, a. 824. n. 61.
Slitiſſenſe Templum dedicatur, a. 812. n. 64.
Smaragdus Abbas S. Michaelis in E. Virodunenſi, quando, a. 805. n. 44. Caroli Auguſti nomine literas ſcribit Leoni III PP. a. 809. n. 11. Romæ colligit Acta Collationis habitæ de proceſſione Spiritûs Sancti, a. 810. n. 1. obtinet ab Impp. Ludovico & Lothario varia Præcepta, a. 824. nn. 65. *& ſeqq.* multa ſcribit Opuſcula, *ibid.* nn. 69. *& ſeqq.* ſtudet quieti Mediolacenſis Mon. *ibid.* n. 77. diſtinguitur à Smaragdo Abb. in Saxonia, *ibid.* n. 78. ejus epitaphium, *ibid.* n. 79.
Soccus, quid, a. 817. n. 177.
Sodeſaldus Abb. Nantuæ, quando, a. 817. n. 258.
Sollemniacum, Mon. a. 812. n. 44.
Sorabi vincuntur à Carolo Caroli Magni fil. a. 806. n. 62. tumultuantur, a. 815. nn. 2. 5.
Soricinium, Mon. a. 817. n. 322.
Speculunenſis Epiſcopatus, a. 822. n. 144.
Spernus Abb. S. Baſoli, a. 822. n. 150.
Spernus Chorepiſcopus intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75.
Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit, a. 809. nn. 8. *& ſeqq.*
Stabilis Ep. Arvernenſis contentionem inter Laudunenſes Canonicos & Monachos Conchenſes componit, a. 823. nn. 54. 55.
Stabulus Ep. Magalonenſis per revelationem diſcit obitum S. Benedicti Abbatis Anianenſis, a. 821. n. 4. ſedet, a. 824. n. 61.
Stephanus Archiep. Bituricenſis obit, a. 810. nn. 99. 100.
Stephanus Comes munificus erga Eccleſiam Pariſienſem, a. 811. n. 35.
Stephanus Ep. Cremonenſis, a. 811. n. 12. obit, a. 816. n. 29.
Stephanus V. PP. Leoni III ſuccedit, fidelitatem Ludovico Aug. à Romanis jubet promitti, præmiſſis Nunciis venit in Franciam, Remis Ludovicum & Irmingardem Augg. coronat, deinde Ro-

Digitized by Google

mam revertitur, a. 816. nn. 5. *& ſeqq.* ſcribit Ingoaldo Abbati Accutiano, ſuiſque literis nomen apponit Ludovici Imp. a. 817. n. 1. obit, *ibid.* n. 2. ejus nomine circumfertur commentitium de Romani Pontificis electione Decretum, *ibid.* n. 3.

Stradenſis Eccleſia conſtruitur in Archiep. Bituricenſi, a. 828. n. 23.

Subdiaconus. Ejus officium, a. 813. n. 37. ſi quis Subdiaconum vulneraverit aut occiderit, quâ pœnitentiâ mulctandus, a. 821. n. 73. a. 822. n. 125.

Subtalares Monachorum, a. 817. n. 177.

Suffraganei duplicis generis, a. 813. n. 345.

Suppo Comes Brixiæ, a. 817. n. 365. fit Dux Spoletanus, a. 822. n. 151. obit, a. 824. n. 54.

Sutrium cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

S. Swibertus an canonizatus à Leone III PP. a. 805. nn. 2. *& ſeqq.*

Swibertus primus Ep. Verdenſis, a. 804. n. 87. obit, a. 807. n. 37.

Sylva Candida cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Symbertus Epiſc. Auguſtanus obit, a. 809. n. 22.

Symbolum Apoſtolorum ab omnibus Latinè & vernaculè diſcatur, a. 813. n. 23. ejus ſignificatio & articulorum expoſitio, a. 812. nn. 73. 74. a. 813. n. 5.

T

TABELLIO, qui conſcripſit inſtrumenta, per quæ res immobiles Eccleſiarum alienatæ ſunt, quomodo puniendus, a. 817. n. 26.

Tachipaldus Ep. Bergomenſis, a. 810. n. 47. a. 811. n. 12.

Tanco ex Abb. Amarbaricenſi fit Ep. Verdenſis, a. 807. n. 37. curam gerit Eccleſiæ Tranſalbianæ, a. 814. n. 67.

Tancradus Abb. Prumienſis, a. 805. n. 107. fit etiam Abb. Andainenſis, a. 828. n. 26.

Taraculfus Sacellarius, a. 816. n. 22.

Tarracina cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Tatto Præfectus Scholæ Augienſis Præceptor Walafridi, a. 814. n. 85.

Teloneum exigatur, ubi fuit antiqua conſuetudo, a. 806. n. 51. a. 809. nn. 61. 84. a. 810. n. 50. a. 821. n. 79. a. 825. n. 25.

Teſtes qui audiendi, a. 808. n. 17. a. 811. n. 10 non admittantur qui priùs ad mortem fuerunt judicati, a. 809. n. 70. non admittantur viles perſonæ, a. 813. n. 238. audiantur jejuni, a. 809. n. 58. falſi quomodo puniendi, a. 805. n. 92. a. 816. n. 40. inter ſe diſcordes quomodo examinandi, a. 821. n. 113.

Tevenecenſe Mon. ſuſcipit Regulam S. Benedicti, a. 818. n. 10.

Teurgarius Cantor inſignis in Mon. S. Dionyſii, a. 823. n. 7.

Teutpaldus Abb. Altaichii Inferioris, a. 821. n. 85.

Thedrada Caroli Magni & Faſtradæ Reginæ filia, Argentogilenſis Abbatiſſa, a. 806. n. 32. a. 814. n. 23.

Thedrada Pippini R. filia, a. 810. n. 45.

Theobaldus Abb. Ebersheimienſis, a. 828. n. 27.

Theobaldus Ep. Cluſinus, a. 816. n. 22.

Theodebertus Ep. Maſſilienſis & Abb. S. Victoris, a. 823. n. 52.

Theodemirus Abb. à Claudio Presbytero Commentarios accipit in Geneſim, a. 815. n. 23. in Exodum, a. 821. n. 87.

Theodoinus frater Willelmi Comitis Toloſani, a. 804. n. 45. a. 824. n. 6.

Theodoricus Caroli & Adelluidæ Augg. filius naſcitur, a. 810. n. 55. fit menſæ particeps à Ludovico Imp. a. 814. n. 57. tonſus mittitur in Monaſterium Clericorum, a. 818. nn. 4. 8. redit in gratiam cum Ludovico Aug. pœnitentiam tunc agente, a. 822. nn. 5. *& ſeqq.*

Theodoricus Ep. Carantanus, a. 811. n. 17.

Theodoricus fit Epiſc. Baſileenſis, a. 823. n. 49.

Theodoricus Willelmi Comitis frater, a. 824. n. 6.

Theodorus Hunnorum Princeps Chriſtianus apud Carolum Aug. queritur de Behemannis, a. 805. n. 43.

Theodorus Nomenclator à Paſchale PP. mittitur ad Ludovicum Imperat. a. 817. nn. 5. *& ſeqq.*

Theodrada Sueſſionenſis Abbatiſſa, a. 804. nn. 9. *& ſeqq.* a. 814. n. 92. a. 817. n. 245.

Theodradus Saxo Monachus Corbeïenſis in Saxoniam ab Adelhardo Abb. mittitur, a. 809. n. 10. redit in Galliam, a. 810. n. 45.

Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis teſtis adeſt cum Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. ſcribit de cæremoniis Baptiſmi, a. 812. nn. 70. *& ſeqq.* Miciacum Mon. reformandum curat, *ibid.* n. 114. adit Ludovicum Imp. a. 814. n. 56. it obviam Stephano V PP. a. 816. n. 11. donatur Pallio dicitúrque Archiepiſcopus, *ibid.* nn. 19. 20. accuſatur conjurationis in caput Ludovici Pii, depoſitúſque manciparur Monaſterio, a. 818. nn. 2. 3. 4. innocentem conſtanter ſe dicit, *ibid.* n. 7. a. 819. n. 11. ultra modum queritur, a. 820. n. 8. iraſcitur Congregationi Sam-Martinianæ, quæ Clericum ex Aurelianenſi carcere

profugum ſuſcepit, *ibid.* nn. 14. *& ſeqq.* ſuæ redditur Eccleſiæ, a. 811 n. 67. ejus Carmen in die Palmarum, *ibid.* nn. 68. *& ſeqq.* obtinet Præcepta pro Mon. S. Aniani, a. 816. n. 20. a. 821. n. 71. pro Eccleſia Aurelianenſi, a. 816. n. 20. obit, a. 821. n. 71.

Theodulus Ep. Sedunenſis, a. 811. nn. 26. 40..

Theophylactus Nomenclator ab Eugenio PP. mittitur ad Ludovicum Auguſtum, a. 816. n. 22. reverſus Romam favet Legatis Hilduini Abb. poſcentibus Reliquias S. Sebaſtiani, *ibid.* nn. 62. *& ſeqq.* mittitur iterum ad Ludovicum, a. 828. n. 17.

S. Theotfridi Mon. a. 812. n. 41.

Theutgaudus ſit Abb. Epternacenſis, a. 817 n. 89.

Theuto Abb. Capellenſis ſeu S. Leodegarii, a. 826. n. 57.

Thiatgrimus ſit Epiſc. Halberſtadienſis & Proviſor werthinenſis, a. 827. n. 86.

Thomas Ep. Senenſis quando ſedit, a. 826. n. 39.

Thomas Ep. Vivarienſis, a. 811. nn. 24. 39. obtinet Præceptum à Ludovico Pio pro ſua Eccleſia, a. 815. n. 7.

Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus Legatos mittit ad Carolum Aug. a. 807. n. 1.

Tibur cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Tifernum cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Timotiani à Bulgaris ad Francos tranſeunt, a. 818. n. 15.

Tithmodis Abbatiſſa Lyſbornenſis, quando, a. 819. n. 38.

Tonſura propter res adipiſcendas non ſuadenda, a. 822. n. 78.

Tortoſa obſideur, a. 809. n. 1. expugnatur, a. 810. n. 63.

Tractoriæ literæ, a. 810. n. 49.

Tranſituræ, tributi genus, a. 820. n. 94.

Tranſlatio S. Auctoris, a. 828. n. 18. S. Aurifacis, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* a. 828. nn. 1. *& ſeqq.* S. Bonifacii, a. 819. nn. 16. *& ſeqq.* S. Cæleſtis, a. 828. n. 18. S. Cypriani, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.* S. Fauſtini, a. 806. n. 52. S. Giſleni, a. 818. n. 32. S. Gregorii, a. 816. n. 68. S. Habacuc, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* a. 828. nn. 1. *& ſeqq.* S. Huberti, a. 815. n. 35. S. Januarii, a. 820. n. 29. S. Landelini, a. 822. n. 106. S. Liobæ, a. 819. n. 33. S. Marcellini, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* S. Matthæ, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* a. 828. nn. 1. *& ſeqq.* S. Monæ, a. 816. n. 54. S. Pantaleonis, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.* S. Petri, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* S. Sebaſtiani, a. 816. nn. 60. *& ſeqq.* SS. Scillitanorum Martyrum, a. 807. nn. 5. *& ſeqq.* S. Tiburtii, a. 817. nn. 74. *& ſeqq.* a. 828. nn. 1. *& ſeqq.* S. Venerii, a. 828. n. 25. S. Zenonis, a. 807. n. 31.

Traſarus ſit Abb. Fontanellenſis, a. 806. n. 74. abdicat munus Abbatiale reditque in Italiam, a. 816. n. 46.

Traſico Dux Obotritorum occidiur à Danis, a. 809. n. 3.

Tres Tabernæ cum Ducatu Romano veniunt in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Tribunus, ſi malus, abjiciatur de ſuo miniſterio, a. 813. n. 126.

Triburienſe Decretum contra percuſſores Clericorum, a. 822. nn. 123. *& ſeqq.*

Tributaria terra, a. 810. n. 56.

Tructeſindus Abbas Anianenſis & Gellonenſis, a. 822. n. 104. a. 824. n. 9.

Trutgarus ſit Epiſc. Namnetenſis, a. 816. n. 31. obit, a. 825. n. 64.

Tudertum cum Ducatu Romano tranſit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Tunginus, quis, a. 820. n. 72.

Tunglo Dux Soraborum accuſatur perfidiæ, a. 816. n. 22. ſiſtit ſe coram Ludovico Aug. permittitúrque domum redire dato in obſidatum filio, *ibid.* n. 34.

Tunicæ Monachorum, a. 817. n. 177.

Tuptolphus Ep. Aſculanus, a. 811. n. 10.

Turonenſe Concilium, a. 813. nn. 204. *& ſeqq.*

Tuſciæ antiqui limites, a. 806. n. 33.

Tuſculum cum Ducatu Romano venit in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Tuto Abb. Ottenburanus obit, a. 817. n. 375.

V

VALADA, Mon. a. 812. n. 49.

Valentinus Dux Venetorum, a. 806. n. 2.

Valentinus Papa, a. 827. n. 73.

Valerius Ep. Deuthonenſis, a. 808. n. 21. a. 811. n. 12. obit, a. 828. n. 25.

Velitræ cum Ducatu Romano veniunt in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.

Venerius ſit Patriarcha Gradenſis, a. 815. n. 2.

Venetia penè tota ſubigitur à Francis, a. 810. nn. 36. *& ſeqq.* redditur Venetis, a. 812. n. 6.

Venetiarum nomen, origo, & deſcriptio, a. 810. nn. 37. 38.

Vera, Mon. a. 812. n. 47.

Verdatus Ep. Albigenſis quando ſedit, a. 806. n. 22. a. 811. n. 30. a. 812. n. 61.

Verendarius ſit Epiſc. Cureinſis, a. 815. n. 60.

Digitized by Google

Verulæ cum Ducatu Romano tranſeunt in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Ludovici Pii, a. 817. n. 10.
Veſtes Monachorum, a. 817. nn. 176. 177.
Vetuarienſis Epiſcopatus, a. 811. n. 144.
Vicarius judicium de proprietate aut libertate in ſua præſentia non terminet, a. 810. n. 67. pravus non habeatur, a. 811. n. 106. res pauperum malis artibus non emat aut ſubripiat, a. 813. nn. 18. 83. 281. malus abjiciatur de ſuo miniſterio, *ibid.* n. 116.
Vicedominus bonus & verax à Comite & populo eligatur, a. 809. n. 64. pravus non habeatur, a. 811. n. 106.
Victor fit Abb. Fabarienſis, a. 819. n. 34. Ep. Curienſis, a. 820. n. 20. res Eccleſiæ ſuæ ablatas recuperat, obitque, a. 825. n. 60.
Viduæ, a. 813. n. 67. ſi juvenes, citò non velentur, *ibid.* n. 231. ſunt ſub protectione Regis, *ibid.* n. 430. a. 822. n. 91. quomodo ducendæ, a. 810. n. 72. ante XXX dies viduitatis non velentur, a. 822. n. 91.
Viduarum cauſæ præ ceteris audiendæ, a. 810. n. 37. a. 827. n. 28. raptus quomodo puniendus, a. 810. n. 38.
S. Vigberti Mon. a. 817. n. 261.
Vigilius fit Abbas Flaviniacenſis ac Reomaenſis, a. 827. n. 88.
Villa Magna, Mon. a. 817. n. 310.
Vincalonus cum Archidiacono Covoïono in ſolitudinem Rothonenſem ſecedit, a. 810. n. 26.
Vinigiſus Dux Spoletanus fit Monachus, & paulò pòſt obit, a. 822. n. 151.
Vipertus fit Abb. Fabarienſis, a. 817. n. 375. obit, a. 819. n. 34.
Virgines Deo ſacratæ non vagentur, a. 814. n. 31.
Viſurgis limes inter Oſtphaliam & weſtphaliam, a. 811. n. 66.
Vitalis Ep. Regienſis in Longobardia, a. 828. n. 25.
Unanimicus Ep. Tullenſis, a. 805. n. 44. a. 811. n. 18. a. 813. nn. 1. 344.
Unctio infirmorum, a. 813. n. 183. a. 827. n. 19. hoc Sacramentum non datur niſi petentibus, a. 815. nn. 73. *& ſeqq.* datur ante Euchariſtiam, a. 814. n. 3. a. 816. n. 1.
Volferius Archiep. Viennenſis, a. 804. n. 32. a. 809. n. 9. a. 811. n. 25. obit, a. 812. n. 60.
Urbanus Patriarcha Foro-Julienſis obit, a. 809. n. 20.
Urolfus Abb. Altaichii Inferioris, a. 807. nn. 25. 28. a. 811. n. 65.
Urolphus fit Epiſc. Patavienſis, a. 817. n. 372. relicto Epiſcopatu proficiſcitur in Avariam & Moraviam propagandæ fidei cauſâ, a. 818. n. 19. fit Archiepiſc. Lanceacenſis, a. 822. n. 144. adit Eugenium PP. a. 824. n. 35.
S. Urſmarus elevatur, a. 823. n. 50.
Urſus Epiſc. Beneventanus ac Sipontinus, a. 820. n. 29.
Uſura prohibetur, a. 806. n. 52. a. 813. n. 65. a. 814. n. 30. a. 817. n. 68. a. 823. n. 38.
Utera, Mon. a. 811. n. 48.
Utho Epiſc. Straſburgenſis, a. 811. n. 59. a. 817. nn. 381. *& ſeqq.*
wacta, quid, a. 811. n. 69.
Wadaluninus Abb. Mediani Mon. quando, a. 806. n. 66.
Waimerus Ep. Gerundenſis, a. 818. n. 25.
Wala ſeu Walach Comes teſtis adeſt, cùm Carolus Magnus Teſtamentum condit, a. 811. n. 1. firmat pacem cum Danis, *ibid.* n. 42. in Italiam à Carolo Aug. mittitur cum Bernardo, a. 812. n. 23. adit Ludovicum Imp. a. 814. n. 56. fit Monachus Corbeïenſis, *ibid.* n. 89. diligitur à Ludovico Aug. a. 822. n. 9. intereſt Conventui Attiniacenſi, atque inde mittitur in Italiam cum Lothario Aug. a. 822. nn. 100. *& ſeqq.* ex Italia reverſus adit novam Corbeïam cum Adelhardo fratre, a. 823. n. 3. à fratre mittitur ad Palatium impetrátque Præceptum à Ludovico Imp. pro nova Corbeïa, *ibid.* n. 12. fit Abb. veteris Corbeïæ, a. 826. n. 2.
Walafridus Monachus Augienſis, diſcipulus Tattonis, a. 824. n. 85.
Walcandus fit Ep Leodienſis, a. 810. n. 95. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. Clericis Andainenſibus Monachos ſubſtituit, a. 817. n. 367. eos Tranſlationem S. Huberti poſtulantes benignè ſuſcipit, a. 822. n. 152. votis tandem annuit, a. 825. n. 35.
Waldo Ep. Baſileenſis, obit, a. 807. n. 33.
Waldo fit Abb. Mon. Mediani, a. 825. n. 2.
Waldramnus Alcuini diſcipulus, a. 804. nn. 70. 75.
Waldus Ep. Valentinus, a. 807. n. 9.
Waltarius Chorepiſcopus intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 75.
Walternus Ep. Genavenſis, a. 811. n. 25. obit, a. 816. n. 30.
Walthericus primus Abb. Murhartenſis, a. 815. n. 35.
Walto Abb. Augienſis, a. 805. n. 104. ex Abbate Augienſi fit Abb. San-Dionyſianus, a. 806. n. 73. obit, a. 814. n. 65.
Wandelmarus Clericus Cantor inſignis, a. 823. n. 7.
Wanti Monachis in æſtate dandi, a. 817. n. 177.
warda, quid, a. 811. n. 69.
Warembaldus fit Abb. S. Judoci, a. 804. n. 65.
Warinus Comes res quaſdam commutat

cum Hildebaldo Ep. Matiſconenſi, a. 825. n. 36.
Warinus inſignis Monachus Corbeïæ, a. 825. n. 71. fit Abb. novæ Corbeïæ, a. 826. n. 2.
Warnarius Comes interficitur ab Hodoino, a. 814. n. 56.
Warnavi ubi ſiti, a. 811. n. 45.
Waſcones ob Sigwini Ducis exauctorationem tumultuantur, a. 816. n. 3.
Wazzo Abb. Mediolacenſis fit Archiepiſc. Trevirenſis, a. 804. n. 54. obit, a. 810. n. 96.
Welanao locus infra Hamburgum datur Eboni Archiep. Remenſi, Legationem Apoſtolicam per Daniam obituro, a. 825. n. 31.
Welfo Comes, pater Judithæ Aug. a. 819. n. 8.
Wendilmarus Ep. Noviomenſis & Tornacenſis, a. 811. nn. 23. 38. intereſt Concilio Noviomenſi, a. 814. n. 72. obtinet Præceptum à Ludovico Aug. a. 817. n. 364.
Wenebaldus Abb. Gandenſis obit, a. 809. n. 41.
Werdo Abb. San-Gallenſis, a. 805. n. 103. a. 813. n. 349. obit, a. 816. n. 36.
Werinus Arvernorum Comes pugnat contra Lupum Waſconem rebellem, a. 819. n. 7.
Wernherus Abb. Fabarienſis obit, a. 811. n. 84.
Weſtphalia ſubeſt Metropoli Colonienſi, a. 812. n. 66.
Wetinus Monachus Augienſis obit, a. 824. n. 80. ejus viſio, *ibid.* nn. 81. *& ſeqq.*
Widikindus obit, a. 806. n. 77.
Wido Abb. Schwarczachienſis in E. Straſburgenſi, a. 816. n. 66.
Wiennus Abb. Weltenburgenſis, a. 815. n. 22.
Wifredus Comes Bituricenſis conſtruit Eccleſiam Stradenſem, a. 828. n. 23.
Wigbertus Widikindi filius obit, ſepelitúrque in Monaſterio Wildeshuſienſi à ſe conſtructo, a. 825. n. 68.
Wihelochus Epiſc. Venetenſis, a. 818. n. 10. obit, a. 820. n. 26.
Wihormachus auctor tumultûs Britannici, a. 825. n. 5.
Wilafredus Abbas Montis Olivi, a. 828. n. 20.
Wildeshuſium Mon. in E. Bremenſi, a. 825. n. 68.
Wildſburgum Mon. in E. Eyſtettenſi, a. 814. n. 28.
Wilharius ſive Obelerius Dux Venetorum profugit ad Carolum Aug. a. 806. nn. 1. 2.
Wilhelmus Abbas, a. 813. n. 349. condit Mon. S. Georgii, a. 824. n. 59.
Willebertus Archiep. Rotomagenſis, a. 811. n. 22. conſtituitur Miſſus Dominicus, a. 825. n. 31.
Willelmus Comes Toloſanus condit Mon. Gellonenſe, a. 804. nn. 43. *& ſeqq.* Ludovico R. militat in obſidione Barcinonenſi, a. 807. n. 4. fit Monachus Gellonenſis, a. 808. nn. 6. *& ſeqq.* obit, a. 813. n. 351. ejus Chartæ pro Mon. Gellonenſi examinantur, a. 824. nn. 6. *& ſeqq.*
Willericus Epiſc. Bremenſis, a. 804. n. 87. a. 811. n. 15. a. 814. n. 67. a. 825. n. 68.
Wilſi Danis ſe jungunt, a. 808. n. 15. Caſtellum Francorum ad Albim diruunt, a. 810. n. 54. inde ejiciuntur, a. 811. nn. 43. 46.
Wiltrettadus Epiſc. Piſtorienſis, a. 811. n. 10.
Winigiſus Dux Spoleti, a. 815. n. 14.
Winneradus res nonnullas permutat cum Flodegario Epiſc. Andegavenſi, a. 828. n. 22.
Wirceburgenſium Epiſcoporum Chronologia emendatur, a. 815. nn. 30. *& ſeqq.*
Wirundus Abb. Malmundarienſis & Stabulenſis obit, a. 815. n. 22.
Witgarius Preſbyter munificus erga Mon. S. Benigni, a. 819. n. 36.
Withſo diſcipulus Alcuini, a. 804. nn. 70. 72.
Vulfarius Archiep. Remenſis & Abb. Remigianus, a. 804. n. 5. Legationem obit in Rhætia Curienſi, a. 805. n. 103. teſtis adeſt cùm Carolus Magnus condit Teſtamentum, a. 811. nn. 2. 3. intereſt Concilio Remenſi, a. 813. n. 33. Noviomenſi, a. 814. n. 75. ordinat Frotharium Tullenſem Ep. a. 813. n. 344. obtinet Præceptum à Ludovico Pio, obítque, a. 816. n. 13.
Vulfinus Ep. Deenſis, a. 811. n. 24.
Wolfgerus Epiſc. Wirceburgenſis, a. 811. n. 16. a. 815. nn. 29. *& ſeqq.* obit, a. 818. n. 26.
Wolfleoh ſeu Wolfoleus fit Ep. Conſtantienſis ad Rhenum, a. 813. n. 350.
Wulfoldus fit Epiſc. Cremonenſis, a. 816. n. 29. particeps eſt conjurationis in caput Ludovici Pii, a. 818. n. 2. ablegatur in Monaſterium, *ibid.* n. 7. obit, a. 819. n. 11.

X

Xenodochium, a. 827. n. 26.

Z

Zatus ſeu Zaddo Dux Barcinonenſis, a. 806. n. 69. captus à Ludovico R. mittitur ad Carolum Aug. a. 807. n. 4.

Digitized by Google

INDEX
EPISCOPATUUM ET MONASTERIORUM,
IN QUO

E. Epiſcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monaſterium denotat.

EPISCOPATUS
SUB CAROLINGIS REGIBUS,
ab anno 752 quo Pippinus regnare cœpit, ad annum 828.

A

ABRINCENSIS E. *d'Avranches*, ſub M. Rotomagenſi.

ACHERUNTINUS E. *d'Acerenza*, ſub M. Romano.

Subactis Longobardis Acheruntia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

* Nomen ignoratur Epiſcopi, qui ſedebat, a. 774. obiitque, a. 776.

Leo ſit Ep. a. 776. obit, a. 799.

ÆMONIENSIS E. *d'Æmonia*, hodie *Citta nova*, ſub Metropolitano Foro-Julienſi, deinde ſub Gradenſi.

Æmonia civitas Iſtriæ, ut à Græcis ad Francos, ſic à Patriarchatu Gradenſi ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789. rediitque ad Gradenſem, a. 805. nec tamen Francis parere deſiit. Mancus eſt autem illis temporibus Æmonienſium Epiſcoporum Catalogus.

ÆSERNIENSIS E. *d'Iſernia*, ſub M. Romano.

Subactis Longobardis, Æſernia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

AGATHENSIS E. *d'Agde*, ſub M. Narbonenſi.

Pulſis è Septimania Saracenis, Agatha Pippino Francorum Regi parere cœpit, a. 755.

Dagobertus Ep. a. 777.

Juſtus Ep. a. 791.

AGINNENSIS E. *d'Agen*, ſub M. Burdigalenſi.

ALATRINUS E. *d'Alatri*, ſub M. Romano.

Alatrum in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

ALBANENSIS E. *d'Albano*, ſub M. Romano.

Albanum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

ALBENSIS E. *d'Albe*, ſub M. Mediolanenſi.

Victis Longobardis, Alba Pompeia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

ALBIGENSIS E. *d'Alby*, ſub M. Bituricenſi.

Joannes Ep. a. 752.

Verdatus Ep. a. 811. a. 812.

Guillelmus Ep. a. 825.

ALBINGAUNENSIS E. *d'Albenga*, ſub M. Mediolanenſi.

Albingaunum à Longobardis ad Francos tranſiit, a. 774.

ALBINTIMILIENSIS E. *de Ventimiglia*, ſub M. Mediolanenſi.

Albintimilium victis Longobardis in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

ALETENSIS E. *d'Alet*,
sub M. Turonenſi.

Reginaldus Ep. a. 752. obit, a. 758.
Menfenicus ſit Ep. a. 758. obit, a. 780.
Benedictus ſeu Badicus ſit Epiſc. a. 780. obit, a. 792.
Docmael ſit Ep. a. 792. obit, a. 812.
Heloga ſit Ep. a. 812. obit, a. 817.
Ermor ſit Ep. a. 817. ſedet ann. 18.

AMBIANENSIS E *d'Amiens*,
ſub M. Remenſi.

Raimbertus Ep. a. 752.
Vitulphus ſeu Vilulphus aut Aytulphus Ep.
Georgius ſeu Gregorius Ep. a. 798. obit, a. 799.
Jeſſe ſeu Jeſſæus ſit Ep. a. 799. De illo rurſum Tomo ſequenti.

AMERINUS E. *d'Amelia*,
ſub M. Romano.

Ameria in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sordinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

ANAGNINUS E. *d'Agnani*,
ſub M. Romano.

Anagnia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

ANDEGAVENSIS E. *d'Angers*,
ſub M. Turonenſi.

Sacrius Ep. a. 752. a. 756.
Mauriolus Ep. a. 765. a. 770.
Gentianus Ep. a. 788.
Benedictus Ep. a. 799. ſuperſtes, a. 817.
Flodegarius Ep. a. 818.

ANICIENSIS E. *du Mont-Anis*,
ſub M. Bituricenſi.

Torpio Ep. a. 752.
Baſilius Ep. a. 778.
Roricius ſit Ep. nono ſeculo jam inchoato.
} Conſule Tom. 6. a. 778. n. 8.

ANTIPOLITANUS E. *d'Antibe*,
ſub M. Aquenſi.

Autbertus ſive Aribertus Ep. a. 791.
Hellebonus Ep. a. 818.

APRUTINUS E. *de Teramo*,
ſub M. Romano.

Aprutium victis Longobardis in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

APTENSIS E. *d'Apt*,
ſub M. Aquenſi.

Magincus ſeu Magnericus Ep. a. 789. a. 791.

AQUENSIS E. M. *d'Aix*.
in provincia Narbonenſi II.

Benedictus ſedet Ep M ann. 818.

AQUENSIS E. *d'Aqui*,
ſub M. Mediolanenſi.

Aquæ Statellæ Francicis ditionibus poſt extinctum Longobardorum Regnum acceſſerunt, a. 774.

AQUENSIS E. *d'Acqs*,
ſub M. Eluſano.

AQUINAS E. *d'Aquin*,
ſub M. Romano.

Aquinum Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774. deinde Romano Pontifici, a. 787. ex liberalitate ejuſdem Caroli. Per illud autem tempus Interpontificio laboravit.

ARAUSICANUS E. *d'Orange*,
ſub. M. Arelatenſi.

Salicus Ep. a. 791.
Bonifacius Ep. a. 811. De illo iterum Tomo ſequenti.

ARELATENSIS E. M. *d'Arles*,
in provincia Viennenſi II.

Kaviſarius Ep. M. a. 752. obit, a circiter 760.
Wilimaris ſit Ep. M. a. circiter 760. obit, a. circiter 770.
Wiliaris ſit Ep. M. a. circiter 770.
Arladis Ep. M.
Eleſantus Ep. M. a. 789. a. 791.
} Conſule Tom. 6. a. 791. n. 20.
Lupus Ep. M. a. 798.
Joannes Ep. M. a. 805. obit, a. 819.
Notho ſit Ep. M. a. 819. ſedet, a. 828.

ARETINUS E. *d'Arezzo*,
ſub M. Romano.

Extincto Longobardorum Regno, Aretium in Francorum poteſtatem venit, a. 774.
Comnimundus Ep. a. 774. obit, a. 775.
Elverus ſit Ep. a. 775.
Aripertus Ep. a. 795. vivit ſuperſtes Carolo Magno.
Lampertus Ep. a. 816.

ARVERNUS E. *d'Auvergne*,
ſub M. Bituricenſi.

Stephanus Ep. a. 752. a. 761.
Avitus Ep. a. 778.
Fridigiſus Ep. a. 811. obit Ludovico Pio jam Imperatore.
Stabilis Ep. a. 823.

ASCULANUS E. *d'Aſculi*,
ſub M. Romano.

Aſculum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Auderis Ep. regnante Carolo Magno.
Tuptolphus Ep. a. 799.

ASSISIENSIS E. *d'Aſſiſe*,
ſub M. Romano.

Aſſiſium, extincto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli R. datum eſt Sedi Apoſtolicæ, ſed effectum hujus Donatio non eſt ſortita. Mancus eſt

Digitized by Google

autem Aſſiſienſium Epiſcoporum Catalogus tempotibus Caroli Magni & Ludovici Pii.

ASTENSIS E. *d'Aſt*, ſub M. Mediolanenſi.

Aſta, victis Longobardis, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.
Eillulphus Ep. a. 811. a. 812.
Roſerius Ep. a. 817.

ATINENSIS E. *d'Atino*, ſub M. Romano.

Atinum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

ATREBATENSIS E. *d'Arras*, ſub M. Remenſi.

Guntfridus Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 752.
Albericus Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 763. obit, a. 790.
Hildoardus ſive Hilduertus vel Hildnardus fit Epiſc. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 790. obit, a. 816.
Alitgarius fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 816. ſedet, a. 828.

AVENIONENSIS E. *d'Avignon*, ſub M. Arelatenſi.

* Avenio laborat Interpontificio, a. 752.
Alfonſus poſt Interpontificium fit Ep. a. 760. obit, a. 765.
Joſephus fit Ep. a. 765. obit, a. 794.
Humbertus fit Ep. a. 794. obit, a. 810.
Ragenutius fit Ep. a. 810. De illo rurſum Tomo ſequenti.

AUGUSTANUS E. *d'Auſbourg*, ſub M. Moguntino.

Marcomannus Ep. a. 752. obit, a. 779.
Symbertus fit Ep. a. 779. obit, a. 809.
Hauto fit Ep. a. 809. ſedet ann. 31.

AUGUSTENSIS E. *d'Aouſte*, ſub M. Darantaſienſi.

Lupus Ep. a. 752. a. 757.
Gratus fit Ep. Carolo jam Auguſto, eique vivit ſuperſtes.
Jocundus Ep.

AUGUSTODUNENSIS E. *d'Autun*, ſub M. Lugdunenſi.

Gayronius Ep. a. 752. obit, a. 755.
Hiddo fit Ep. a. 755. ſuperſtes, a. 765.
Reginaldus Ep.
Martinus Ep.
Aldericus Ep. a. 811.
Modoinus Ep. a. 815. a. 825.

AURELIANENSIS E. *d'Elſin*, ſub M. Moguntino.

Guntherus erecto Epiſcopatu Aurelianenſi fit illius loci primus Ep. a. 812. Sedem Epiſcopalem transfert Hildeſiam, a. 814. Vide Epiſcopos Hildeſienſes.

AURELIANENSIS E. *d'Orleans*, ſub M. Senonenſi.

Bertinus Ep. a. 752.
Adalinus Ep. a. 766.
Nadatimus Ep. a. 770.
Deothimus Ep. a. 776.
Guibertus Ep.
Theodulphus. Ep. a. 786. obit, a. 821.
Jonas fit Ep. a. 821. De illo rurſum Tomo ſequenti.

AUSCIENSIS E. *d'Aux*, ſub M. Eluſano.

Teutonius Ep. obit eo quo Pippinus Rex elevatur anno 752.
Lupus fit Ep. a. 752. obit, a. 760.
Averius ſive Arnerius fit Ep. a. 760. obit, a. 767.
Ernaldus ſive Armaldus vel Brinaldus fit Ep. a. 767. obit, a. 782.
Aſtet ſive Aſtet fit Ep. a. 782. obit, a. 786.
Aſuarius fit Ep. a. 786. obit, a. 794.
Ravelius ſeu Revelius fit Ep. a. 794. obit, a. 809.
Salvinus ſeu Galvius vel Salvius fit Ep. a. 809. ſedet ann. 22.

AUSONENSIS E. *d'Auſona*, ſub M. Narbonenſi.

Auſona urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis venit in poteſtatem Francorum, a. 755. regnante Pippino. Auſonenſis Epiſcopatus provinciæ Narbonenſi tunc attribuitur, variáſque ſortes experitur ſub Pippino, Carolomanno, Carolo & Ludovico RR.

AUTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre*, ſub M. Senonenſi.

Haimarus Ep. a. 752. abdicat Epiſcopatum, a. 763.
Theodrannus fit Ep. a. 763. obit, a. 772.
Maurinus fit Ep. a. 772. obit, a. 800.
Aaron fit Ep. a. 800. obit, a. 812. } De duobus his Epiſcopis conſule Tom. 7. a. 818. n. 28.
Angelelmus fit Ep. a. 812. obit, a. 828.

B

BAJOCENSIS E. *de Bayeux*, ſub M. Rotomagenſi.

Leodeningus Ep. a. 765.
Thiorus Ep. a. 809. a. 811.

BALNEOREGIENSIS E. *de Bagnarea*, ſub M. Romano.

Balneum-Regium, exactis Longobardorum Regibus in Francorum poteſtatem venit, a. 774. deinde in poteſtatem Romani Pontificis, a. 787. ex liberalitate Caroli Francorum Regis. Mancus eſt autem per illud tempus Balneoregienſium Epiſcoporum Catalogus.

BARCINONENSIS E. *de Barcelonne*, ſub M. Narbonenſi.

Barcino venit in poteſtatem Francorum, a. 755. Barcinonenſis Epiſcopatus provinciæ Narbonenſi attribuitur regnante tum Pippino, várias experitur ſortes ſub eodem Pippino, ejúſque filiis Carolomanno & Carolo, ac nepote Ludovico.

Guillermus Ep. ſub RR. Pippino & Carolomanno, obit, a. 771.
Bernardus ſit Ep. a. 771. obit, a. 781.
Guillermus ſit Ep. a. 781. obit, a. 788.
Se ..... ſit Ep. a. 781. ſedet, a. 791.
Humbertus Ep. a. 798. a. 807.
Joannes Ep. a. 811. a. 820.
Adaulfus Ep. a. 815.
BASILEENSIS E. *de Baſle*, ſub M. Veſontionenſi.
Walanus Ep. a. 752. obit, a. 760.
Baldebertus ſit Ep. a. 760.
Heico Ep. a. 777.
Waldo Ep. a. 791. obit, a. 807.
Hetto ſive Heyto ſit Ep. a. 807. abdicat Epiſcopatum, a. 823.
Theodoricus ſit Ep. a. 823.
BELLICENSIS E. *de Belley*, ſub M. Veſontionenſi.
Agiſlus Ep. a. 752. obit, a. 755.
Hippolytus ſit Ep. a. 755. abdicat Epiſcopatum, a. 757.
Eulogius ſit Ep. a. 757.
Adorepertus ſive Adeonpertus Ep.
Ermunbertus Ep.
Rodogerius Ep.
Rithfredus Ep. a. 811.
BELLOVACENSIS E. *de Beauvais*, ſub M. Remenſi.
Deodatus Ep. a. 752.
Andreas Ep.
Audingus Ep.
Adalmanus Ep. a. 799.
Ragimbertus Ep. a. 811. obit, a. 821.
Hildemannus ſit Ep. a. 821. De illo rurſum Tomo ſequenti.
BELLUNENSIS E. *de Belluno*, ſub M. Foro-Julienſi.
Bellunum, ſubacto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.
Ayroldus Ep. a. 781.
BENARNENSIS E. *de Bearn*, ſub M. Eluſano.
BENEVENTANUS E. *de Benevent*. ſub M. Romano.
Beneventum & Sipontum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœperunt, a. 774.
David Ep. Beneventanus ac Sipontinus, a. 774. a. 820.
Urſus ſive Urſo Ep.
BERGOMENSIS E. *de Bergame*, ſub M. Mediolanenſi.
Bergomum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Aginus Ep. a. 774. obit, a. 810.
Tachipaldus ſit Ep. a. 810. De illo rurſum Tomo ſequenti.
BIGORRITANUS E. *de Bigorre*, ſub M. Eluſano.
BIRBURGENSIS E. *de Buraburg*, ſub M. Moguntino.
Witta Ep. a. 752. obit, a. 787.
Mengottus ſit Ep. a. 787. obit, a. circiter 795. & Epiſcopatus Birburgenſis unitur Padibornenſi.
BITERRENSIS E. *de Beziers*, ſub M. Narbonenſi.
Biterræ in Francorum poteſtatem venerunt, a. 755. Pippino Rege.
Vulfegarius Ep. a. 791.
BITURICENSIS E. M. *de Bourges*, in Aquitania I.
Bertellannus ſeu Berlannus Ep. M. a. 752. obit, a. 763.
Landrarius ſeu Landarius ſit Ep. M. a. 763. obit, a. 767.
Ermenarius ſive Herminardus ſit Ep. M. a. 767. obit, a. 774.
Deodatus ſit Ep. M. a. 774. obit, a. 783.
Ermembertus ſit Ep. M. a. 783. obit, a. 788.
Segolenus ſit Ep. M. a. 788. obit, a. 793.
David ſit Ep. M. a. 793. obit, a. 801.
Stephanus ſit Ep. M. a. 801. obit, a. 810.
Ebroinus ſit Ep. M. a. 810. obit, a. 815.
Aigulfus ſit Ep. M. a. 815. De illo iterum Tomo ſequenti.
BLERANUS ſeu BLEDANENSIS E. *de Bieda*, ſub M. Romano.
Blera ſeu Bledum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Inſigni Donatione Ludovici Pii R. Francorum venit in poteſtatem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.
BREMENSIS E. *de Bremen*, ſub M. Colonienſi.
Willehadus ſit primus Ep. Bremenſis, a. 787. obit, a. 789.
Willericus ſit Ep. a. 789. De illo iterum Tomo ſequenti.
BRIOCENSIS E. *de Saint Brieu*, ſub M. Turonenſi.
BRIXIENSIS E. *de Breſſe*, ſub M. Mediolanenſi.
Brixia ſubactis Longobardis in Francorum poteſtatem venit, a. 774.
Theodaldus Ep. a. 774.
Vitalis Ep. a. 781.
Benedictus Ep.
Anſoaldus ſive Antoaldus Ep.
Cunipertus Ep.
Amphridius ſive Amfridius aut Amphrigius vel Amfridus Ep. obit, a. 806.
Petrus ſit Ep. a. 806. obit, a. 814.
Rampertus ſit Ep. a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.
BURDIGALENSIS E. M. *de Bordeaux*, in Aquitania II.
Sicharius Ep. M. a. 817. De ſucceſſore agemus initio Tomi ſequentis.

Digitized by Google

C

CABELLIONENSIS E. *de Cavaillon*, ſub M. Arelatenſi.

Crammelinus Ep. omiſſus ſub exitum ſeptimi ſeculi, ſtirpe Meroveadarum nondum extinctâ.

Lupus Ep. a. 791.

CABILONENSIS E. *de Chalon ſur Saone*, ſub M. Lugdunenſi.

Hucbertus Ep. a. 779.

CADURCENSIS E. *de Cahors*, ſub M. Bituricenſi.

Ambroſius Ep. regnante Pippino.

Angarius Ep. a. 820.

CÆRENSIS E. *de Cerveterre*, ſub M. Romano.

Cære in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege factam venit in poteſtatem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

CALARITANUS E. M. *de Cagliari*, in Sardinia.

Calaris Metropolis Sardiniæ cum reliqua Inſula Ludovico Pio ſponte ſe ſubjecit, a. 815, & biennio pòſt ab eodem Ludovico per inſignem Donationem data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum tota Inſula. Quis illo biennio ſederit Archiepiſcopus Calaritanus, haud ſcitur.

CALATINUS E. *de Calazzo*, ſub M. Romano.

Calatia, everſo Longobardorum Regno, Francicis ditionibus acceſſit, a. 774.

Giſulphus Ep. a. 776.

CAMERACENSIS E. *de Cambray*, ſub M. Remenſi.

Vide Epiſcopos Atrebatenſes ſuprà.

CAMERINENSIS E. *de Camerino*, ſub M. Romano.

Camerinum, everſo Longobardum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Anſovinus ſit Ep. a. 822. ſedet ann. 18.

CAPUANUS E. *de Capoüe*, ſub M. Romano.

Capua, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774. deinde Romano Pontifici, a. 787, ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt autem per illud tempus Capuanorum Epiſcoporum Catalogus.

CARANTANUS E. *de Carinthie*, ſub M. Lauracenſi ſeu Patavienſi, deinde ſub Saliſburgenſi.

Carantanorum ſeu Sclavorum Regnum Francicis ditionibus acceſſit, a. 757. regnante tum Pippino.

Modeſtus ſit Ep. Carantanorum, a. 768: obit, a. circiter 770. Tunc Ep. Saliſburgenſis curam Carantanorum ſuſcipit.

Theodoricus ſit Epiſc. Carantanorum, a. 798. ſub M. Saliſburgenſi. Sedet, a. 811.

CARCASSONENSIS E. *de Carcaſſonne*, ſub M. Narbonenſi.

Carcaſſo in Francorum poteſtatem venit, a. 755. pulſis è Septimania Saracenis.

Huſcipio Ep. a. 791.

Rogerius Ep. a. 800.

CARNOTENSIS E. *de Chartres*, ſub M. Senonenſi.

Berthegrannus Ep. a. 752. obit, a. 754.

Haynius ſit Ep. a. 754. obit, a. 762.

Hado ſit Ep. a. 762. obit, a. 773.

Flavius ſit Ep. a. 773. obit, a. 788.

Godoſaldus ſit Ep. a. 788. obit, a. 807.

Hieronymus ſit Ep. a. 807. obit, a. 817.

Berninus ſit Ep. a. 817. De illo rurſum Tomo ſequenti.

CARPENTORACTENSIS E. *de Carpentras*, ſub M. Arelatenſi.

Hotifredus Ep. a. 752.

Agapitus Ep. a. 770.

Amatus Ep. a. 789 obit, a. 791.

Antonius ſit Ep. a. 791.

Joannes Ep. a. 813.

CATALAUNENSIS E. *de Chaalons ſur Marne*, ſub Metropolitano Remenſi.

Bladaldus Ep. a. 752.

Scaricus Ep. a. 761.

Racarius ſeu Ricoarius Ep. obit, a. 770.

Willebaldus ſeu Gilloboldus ſit Ep. a. 770. obit, a. 784.

Bovo ſeu Bono ſit Epiſc. a. 784. obit, a. 804.

Hildegrimus ſit Ep. a. 804. dimittit Epiſcopatum Catalaunenſem, ſitque primus Ep. Salingeſtadienſis, a. 810.

Adalelinus ſit Ep. Catalaunenſis, a. 810. De illo rurſum Tomo ſequenti.

CENETENSIS E. *de Ceneda*, ſub M. Foro-Julienſi.

Ceneta Francis a. 774 parere cœpit poſt everſum Longobardorum Regnum.

CENOMANNENSIS E. *du Mans*, ſub M. Turonenſi.

* Cenomannum laborat Interpontificio, a. 752.

Goſlenus ſeu Gaucilenus ſit Ep. a. 753. poſt Interpontificium decennale; deponitur, a. 755.

Herlemundus ſit Ep. a. 755. abdicat Epiſcopatum, a. 764.

Goſlenus recuperat Epiſcopatum, a. 764. utitur operâ quatuor ſucceſſivè Chorepiſcoporum, Suffredi, Deſiderati, Berthodi, & Meroli, obitque, a. 772.

Hodigus ſive Odigus vel Hodingus ſit Ep. a. 772. obit, a. 774.

Merolus ſit Ep. a. 774. obit, a. 784.

Joſephus fit Ep. a. 784. obit, a. 793.
Franco fit Ep. a. 793. obit, a. 816.
Franco II. fit Ep. a. 816. De illo rurſum Tomo ſequenti.

CENTUMCELLICUS
ſeu CENTUMCELLENSIS E.
ſub M. Romano.

Centumcellæ, hodie *Civitavecchia*, in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſerunt, séque Francis ſponte dediderunt, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum R. datæ ſunt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuerunt, mutilus eſt Epiſc. Catalogus.

CLUSINUS E. *de Cluſi*,
ſub M. Romano.

Cluſium poſt everſum Longobardorum Regnum Francis parere cœpit, a. 774.
Arcadius Ep. fortè pervenit ad a. 774.
Arialdus Ep. a. 801. ſuperſtes, a. 816.
Andreas Ep. a. 826.

COLONIENSIS E. *de Cologne*,
ſub M. Moguntino,
deinde E. M. per Germaniam II.

Hildegarius Ep. a. 752. obit, a. 753.
Hildebertus fit Ep. a. 753. obit, a. 761.
Bertholinus fit Ep. a. 761. obit, a. 771.
Ricolphus fit Ep. a. 771. eſt Ep. M. a. 777. obit, a. 793.
Hildebaldus ſive Hildeboldus fit Ep. M. a. 795. obit, a. 818.
Hadebaldus ſive Hagebaldus fit Ep. M. a. 818. De illo rurſum Tomo ſequenti.

COMENSIS E. *de Como*,
ſub M. Foro-Julienſi.

Comum Francis parere cœpit, a. 774. extinctâ Longobardorum dominatione in Italia.
Adelengus Ep. a. 774. obit, a. 776.
Petrus fit Ep. a. 776. obit, a. 818.
Leo fit Ep. a. 818. ſedet ann. 25.

CONCORDIENSIS E. *de Concordia*,
ſub M. Foro-Julienſi.

Concordia Francis parere cœpit, a. 774. extinctâ Longobardorum dominatione.

CONSORANENSIS E. *de Coſerans*,
ſub M. Eluſano.

Francolinus Ep. a. 791.

CONSTANTIENSIS E. *de Coutance*,
ſub M. Rotomagenſi.

Leo Ep. a. 752.
Angulo Ep. regnante Carolo Magno.
Hubertus Ep. a. 811.

CONSTANTIENSIS E. *de Conſtance*,
ſub M. Moguntino.

Sidonius Ep. a. 752. obit, a. 759.
Joannes fit Ep. a. 759. obit, a. 781.
Egino fit Ep. a. 781. obit, a. 813.
Wolfleoh, Wolfoleus, Wolfletus, fit Ep. a. 813. ſuperſtes, a. 818.

CONVENENSIS E. *de Comminge*,
ſub M. Eluſano.

Abraham Ep. a. 791.

CORENTINOPOLITANUS E.
de Kempercorentin,
ſub Metropolitano Turonenſi.

CREMONENSIS E. *de Cremone*,
ſub M. Mediolanenſi.

Extincto Longobardorum Regno Cremona Francis parere cœpit, a. 774.
* Cremona laborat Interpontificio, a. 774.
Stephanus poſt Interpontificium trienne fit Ep. a. 776. obit, a. 816.
Wulfoldus fit Ep. a. 816. obit, a. 819.
Atho fit Ep. a. 819.

CURIENSIS E. *de Coire*,
ſub M. Moguntino.

Baldebertus Ep. a. 752. obit, a. 754.
Paſchalis fit Ep. a. 754. obit, a. 756.
Victor fit Ep. a. 756. obit, a. 758.
Tello fit Ep. a. 758. obit, a. 766.
Vigilius fit Ep. a. 766. obit, a. 768.
Urſicinus fit Ep. a. 768. obit, a. 772.
Tello II. fit Ep. a. 772. obit, a. 784.
Conſtantinus ſeu Conſtantius fit Epiſc. a. 784. obit, a. 813.
Remedius ſeu Remigius fit Ep. a. 813. obit, a. 820.
Victor II. fit Ep. a. 820. obit, a. 825.
Verendarius fit Ep. a. 825. De illo rurſum Tomo ſequenti.

D

DARANTASIENSIS E. M.
de Tarantaiſe,
in provincia Alpium Graïarum
& Penninarum.

Bonimundus Ep. M. a. 752.
Eruſino ſive Ermino fit Ep. M. Pippino R. ſuperſtite.
Poſſeſſor Ep. M. regnante Carolo Magno.
Eodebertus ſeu Rodoabertus Ep. M. vivit ſuperſtes Carolo Magno.
Andreas fit Ep. M. Ludovico Pio Imperatore, ſedet, a. 818.

} Conſule Tom. 6. a. 789. n. 215.

DIENSIS E. *de Die*,
ſub M. Arelatenſi.

Aramandus Ep. a. 776. a. 788.
Deſideratus Ep. a. 789. a. 791.
Ulfinus Ep. a. 800. vivit ſuperſtes Carolo Magno.

DERTHONENSIS E. *de Tortone*,
ſub M. Mediolanenſi.

Derthona, victis Longobardis, Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.
Flavianus Ep. a. 774. obit, a. 786.
Hieronymus fit Ep. a. 786. obit, a. 793.
Deſiderius fit Ep. a. 793. obit, a. 799.
Robertus fit Ep. a. 799. obit, a. 808.
Valerius fit Ep. a. 808. obit, a. 818.

Digitized by Google

Joannes III. ſit Ep. a. 828.

DINIENSIS E. *de Digne*, ſub M. Ebredunenſi.

Raganbaldus ſit Ep. a. 791.

DOLENSIS E. *de Dol*, ſub M. Turonenſi.

E

EBREDUNENSIS E. M. *d'Ambrun*, per provinciam Alpium Maritimarum.

Waldebertus Ep. M. a. 789.

Agericus Ep. M. a. 828.

EBROÏCENSIS E. *d'Evreux*, ſub M. Rotomagenſi.

Maurinus Ep. a. 765.

Gervoldus ſit Epiſc. Carolo jam Rege, & Bertradâ Reginâ ejus matre ſuperſtite; dimittit Epiſcopatum, a. 788.

Gerbodus ſit Ep. a. 788. deponitur, a. 794.

ECOLISMENSIS E. *d'Angouleſme*, ſub M. Burdigalenſi.

Guillelmus Ep. a. 752.

Frodebertus Ep. regnante Pippino.

Landebertus Ep. a. 791.

Salvius Ep. Martyr, a. 801.

Sidranius ſit Ep. a. 801.

ELUSANUS E. M. *d'Eauſe*, in Novempopulania.

EPOREDIENSIS E. *d'Yvrée*, ſub M. Mediolanenſi.

Eporediæ, extincto Longobardorum Regno, venerunt in poteſtatem Francorum, a. 774.

Beſſus Ep. a. 774.

EQUILIENSIS E. *de Jeſol*, ſub M. Gradenſi.

Equilium venit in poteſtatem Francorum, a. 810. redditum eſt Venetis, a. 812. ignoratur nomen Epiſcopi, qui tunc ſedebat.

ERPHESFORDIENSIS E. *d'Erfort*, ſub M. Moguntino.

Adelarius Ep. a. 752. Martyr, a. 755. Tunc extinctus Epiſcopatus Erphesfordienſis unitúſque Moguntino.

EYSTETTENSIS E. *d'Aichſtat*, ſub M. Moguntino.

Willibaldus Ep. a. 752. obit, a. 787.

Gerochus ſit Ep. a. 787. obit, a. 806.

Agannus ſive Aganus ſit Ep. a. 806. obit, a. 822.

Adelungus ſit Ep. a. 822. De illo rurſum Tomo ſequenti.

F

FALERITANUS E. *de Falere*, ſub M. Romano.

Faleria in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica, & Sadinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

FAVIANENSIS ſeu VIENNENSIS E. *de Vienne*, ſub M. Laureacenſi.

Laureacum Metropolitanâ Dignitate donatur, a. 822.

Rathfredus Ep. Favianenſis, a. 824.

FAUSIANENSIS E. *de Fauſiana*, ſub M. Calaritano.

Fauſiana, civitas Sardiniæ, cum reliqua Inſula Ludovico Pio ſponte ſe ſubjecit, a. 815. & biennio pòſt ab eodem Ludovico per inſignem Donationem data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum tota Inſula. Quis illo biennio ſederit Epiſcopus Fauſianenſis, haud ſcitur.

FELTRENSIS E. *de Feltro*, ſub M. Foro-Julienſi.

Feltrum ſeu Feltria poſt extinctum Longobardorum Regnum Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

Endrigettus Ep. a. 774. obit, a. 781.

FERENTINAS E. *de Ferentino*, ſub M. Romano.

Ferentinum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo Francis paruit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

FERENTINUS E. *de Ferento*, ſub M. Romano.

Ferenti Caſtrum ſeu Ferentia vel Ferentium extincto Longobardorum Regno in Francorum poteſtatem tranſiit, a. 774. Romano Pontifici ceſſit ex liberalitate Caroli Magni, a. 787. Illo tempore mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

FESULANUS E. *de Fieſoli*, ſub M. Romano.

Feſulæ, extincto Longobardorum Regno, in Francorum poteſtatem venerunt, a. 774.

Grauſolphus Ep. a. 826.

FIRMANUS E. *de Firmo*, ſub M. Romano.

Firmum, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Gualterus Ep. a. 774.

Lupus Ep. a. 826.

FLORENTINUS E. *de Florence*, ſub M. Romano.

Florentia ſubactis Longobardis venit in Francorum poteſtatem, a. 774.

Thomas Ep. a. 774. a. 790.

Aliprandus Ep. a. 826.

FORO-JULIENSIS E. M. *de Friul*, in provincia Foro-Julienſi.
Forum-Julii, exactis Longobardis, Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.
Siginaldus ſeu Sigualdus Ep. M. vel Patriarcha Foro-Julienſis, a. 774. obit, a. 776.
Paulinus ſit Patriarcha, a. 776. obit, a. 804.
Urbanus ſit Patriarcha, a. 804. obit, a. 809.
Maxentius ſit Patriarcha, a. 809.
FORO-JULIENSIS E. *de Frejus*, ſub M. Aquenſi.
Jacobus Ep. — Bartholomæus Ep. — Berengarius Ep. — Romanus Ep. — Seculis octavo & nono deprehenduntur hi quatuor Epiſcopi Foro-Julienſes, ſuis tantùm nominibus noti, de quibus conſule Tom. 5. a. 739. n. 20. & Tom. 6. a. 791. n. 39.
FRISINGENSIS E. *de Friſingen*, ſub M. Patavienſi, deinde ſub M. Saliſburgienſi.
Erimbertus Ep. a. 752. obit, a. 767.
Joſephus ſit Ep. a. 767. obit, a. 770.
Aribo, qui Cyrinus & Hæres vocatur, ſit Ep. a. 770. obit, a. 785.
Atto ſit Ep. a. 783. obit, a. 812.
Hitto ſit Ep. a. 812. ſedit ann. 25 incompletos.
FRUSINONENSIS E. *de Fruſilone*, ſub M. Romano.
Fruſino in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem donationem Ludovici Pii Francorum Regis tranſiit in ditionem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus invenitur Epiſcoporum Catalogus.
FULGINATENSIS E. *de Foligno*, ſub M. Romano.
Fulginium ſeu Fulcinum, extincto Longobardorum Regno, venit in poteſtatem Francorum, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli R. datum eſt Sedi Apoſtolicæ, ſed effectum hæc Donatio non eſt ſortita. Mancus eſt autem Fulginatenſium Epiſcoporum Catalogus ab a. 760. ad a. 830.
FURCONIENSIS E. *de Forcone*, ſub M. Romano.
Furconium, extinctis Longobardis, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

G

GABALITANUS E. *de Javouls*, ſub M. Bituricenſi.
GALLESIANUS E. *de Galéſe*, ſub M. Romano.
Galleſia ſeu Galleſium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum venit in poteſtatem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.
GENAVENSIS E. *de Genéve*, ſub M. Viennenſi.
Renenbertus Ep. a. 752.
Lutherius Ep. obit, a. 764.
Poſtbertus ſit Ep. a. 764. obit, a. 780.
Walternus ſit Ep. a. 780. obit, a. 816.
Artaldus ſit Ep. a. 816.
GERUNDENSIS E. *de Girone*, ſub M. Narbonenſi.
Gerunda venit in poteſtatem Francorum, a. 755. Gerundenſis Epiſcopatus provinciæ Narbonenſi attribuitur regnante tum Pippino, ſed varias experitur ſortes ſub eodem Rege ejuſque filiis Carolomanno & Carolo ac nepote Ludovico.
Adaulphus Ep. a. 785, cùm Gerunda redit ad imperium Caroli; a. 791. cum celebratur Narbonenſe Concilium.
Walerius Ep.
Nifredus Ep. ſuperſtes a. 818.
Waymerus Ep. de quo rurſum Tomo ſeq.
GLANNATENSIS E. *de Glandéves*, ſub M. Ebredunenſi.
GRADENSIS E. M. *de Grado*, in Iſtria & marina Venetia.
Gradus venit in poteſtatem Francorum, a. 810.
Fortunatus Ep. M. vel Patriarcha Gradenſis, a. 810. obit, a. 815.
Venerius ſit Patriarcha, a. 815.
GRATIANOPOLITANUS E. *de Grenoble*, ſub M. Viennenſi.
Corbus Ep. a. 752. — Leopardus Ep. — Ardentius ſive Ardincus Ep. — Odolardus Ep. a. 789. — Radoldus ſive Adoldus Ep. a. 814. — Suipertus ſeu Suſpectus Ep. — Conſule Tom. 6. a. 789. n. 212.

H

HALBERSTADIENSIS E. *d'Halberſtat*, ſub M. Moguntino.
Hildegrimus Sedem Epiſcopalem Salingeſtadio transfert Halberſtadium, ſitque primus Epiſc. Halberſtadienſis a. 820. obit, a. 827.
Thiatgrimus ſit Ep. a. 827.
HELENENSIS E. *d'Elne*, ſub M. Narbonenſi.
Pulſis è Septimania Saracenis, Helena in Francorum poteſtatem venit, a. 755. regnante Pippino.
Winedarius, Wenedurius, Wenedarius Ep. a. 791.
Ramnus Ep. a. 813.

HERA-

HERACLIENSIS E. *d'Heraclée*, ſub M. Gradenſi.

Heraclia venit in poteſtatem Francorum, a. 810. reddita eſt Venetis, a. 812. Ignoratur nomen Epiſcopi, qui tunc ſedebat.

HILDESIENSIS E. *d'Hildesheym*, ſub M. Moguntino.

Guntherus Epiſcopalem Sedem Aulicâ transfert Hildeſiam, ſitque primus Ep. Hildeſianus ſive Hildesheymienſis, a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.

HORTANUS E. *d'Orti*, ſub M. Romano.

Horta ſive Hortanum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum venit in poteſtatem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

I

JANUENSIS E. *de Gênes*, ſub M. Mediolanenſi.

Janua poſt exactos Longobardos in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

Dionyſius Ep. a. 798.

INTERAMNENSIS E. *de Terni*, ſub M. Romano.

Interamna, deleto Longobardorum Regno, venit in poteſtatem Francorum, a. 774, eodémque anno ex liberalitate Caroli R. Apoſtolicæ Sedi data eſt, ſed effectum hæc Donatio non eſt ſortita. Tunc autem laborabat illa civitas interpontificio, laboravítque quandiu ſub poteſtate Francorum fuit.

JUSTINOPOLITANUS E. *de Juſtinople*, vulgò *Capo d'Iſtria*, ſub M. Foro-Julienſi, deinde ſub Gradenſi.

Juſtinopolis, ut à Græcis ad Francos, ſic à Gradenſi Patriarchatu ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789. reditque ad Gradenſem annuente Carolo Magno, a. 805.

Joannes ordinatus eſt Ep. a. 756. Utrùm ad a. 789 pervenerit, haud liquet. De proximis ſucceſſoribus nihil occurrit.

L

LABICANENSIS E. ſub M. Romano.

Labicum ſeu Lavicum, unde dicta via Lavicana, hodie pleriſque *de Valmontone*, in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo fuit ſub Francorum poteſtate, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

LACTORENSIS E. *de Lectoure*, ſub M. Eluſano.

LAUDENSIS E. *de Lodi*, ſub M. Mediolanenſi.

Laus Pompeia ſeu Lauda Pompeia venit in Francorum poteſtatem poſt exactos Longobardos, a. 774.

LAUDUNENSIS E. *de Laon*, ſub M. Remenſi.

Genebaudus Ep. a. 752. ſuperſtes, a. 765.

Bernico ſeu Bernito Ep.

Wanilo I. Ep.

Eybo, Erlo, Cilo, Cyolo, Ep.

Banifridus, Ranifridus, Rainifridus Ep.

Sigebaudus ſeu Sigebodus Ep.

Garifidus, Gariſidus, Garfridus, Gerfridus, Gurfridus, Gaufridus Ep. a. 798. a. 799.

Wanilo II Ep. amicitiâ conjunctus Hildeboldo Ep. M. Colonienſi.

Oſtroldus Ep. a. 814.

LAUREACENSIS E. *de Laurich* ſeu *Lorich*, hodie *Lorch*, Metropolitanus Bojoariæ, deinde Epiſcopus ſub M. Saliburgenſi, poſteà Metropolitanus Avariæ, Moraviæ, Pannoniæ, & Mœſiæ.

Sidonius Ep. Laureacenſis ac Patavienſis & M. Bojoariæ, a. 752. obit, a. 756.

Anthelmus fit Ep. M. a. 756. obit, a. 765.

wiſcarius ſeu wiſericus fit Ep. M. a. 765. obit, a. 774.

Waldericus fit Ep. M. a. 774. obit, a. 798. Poſt ejus mortem Metropolitana Bojoariæ dignitas Saliſburgenſi Sedi reſtituitur.

Hatto fit Ep. Laureacenſis ac Patavienſis, a. 798. obit, a. 817.

Urolphus fit Ep. Laureacenſis ac Patavienſis, a. 817. abit in Avariam & Moraviam, a. 818. abdicat Epiſcopatum Patavienſem ſitque Ep. M. Laureacenſis, a. 822. adit Eugenium II PP. a. 824. & jus Metropoliticum obtinet per Avariam, Moraviam, Pannoniam, & Mœſiam.

LAUSANNENSIS E. *de Lauſanne*, ſub M. Veſontionenſi.

Waldricus Ep. a. 774.

Fredaricus ſeu Fredarius Ep. a. 811. a. 815.

Paſchalis Ep. a. 817.

Heiminus Ep. a. 825. obit, a. 827.

David ſit Ep. a. 827. ſedet ann. 24 incompletos.

LEMOVICENSIS E. *de Limoges*, ſub M. Bituricenſi.

Ebulus Ep. a. 752. pervenit ad poſtrema Pippini Regis tempora.

Aſclepius Ep. a. 793.
Remigibertus ſeu Regimbertus Ep. a. 802. a. 817.

LEODIENSIS E. *de Liege*, ſub M. Moguntino, deinde ſub Colonienſi.

Fulcarius Ep. ſub M. Moguntino, a. 752. obit, a. 760.
Folcricus ſit Ep. ſub M. Moguntino, a. 760. obit, a. 768.
Agilfridus ſit Ep. ſub M. Moguntino, a. 768. obit ſub M. Colonienſi, a. 784.
Gerbaldus ſit Ep. ſub M. Colonienſi, a. 784. obit, a. 810.
Walcandus ſit Ep. ſub M. Colonienſi, a. 810. De illo rurſum Tomo ſequenti.

LEONENSIS E. *de Leon*, ſub M. Turonenſi.

Guyomarkus Ep. a. 752. obit, a. 783.
Leonorius ſit Ep. a. 784. obit, a. 813.
Liberalis ſit Ep. a. 813. De illo rurſum Tomo ſequenti.

LEXOBIENSIS E. *de Lexobie*, ſub M. Turonenſi.

Govarranus Epiſc. fortè ſuperſtes a. 752. Sunt qui dicunt illum ſediſſe ann. 70.

LEXOVIENSIS E. *de Liſieux*, ſub M. Rotomagenſi.

Freculfus Ep. a. 825. De illo rurſum Tomo ſequenti.

LINGONENSIS E. *de Langres*, ſub M. Lugdunenſi.

Chedroaldus Ep. a. 752.
Herulfus Ep. a. 769. dimittit Epiſcopatum, a. 775.
Arvulfus ſit Ep. a. 775. dimittit Epiſcopatum, a. 780.
Waldricus ſit Ep. a. 780. vivit, a. 783.
Betto, Beto, Berto, Bicto, Becto Ep. a. 791. a. 817. obit, a. circiter 820.
Albericus ſit Epiſc. a. circiter 820. De illo rurſum Tomo ſequenti.

LUCENSIS E. *de Luques*, ſub M. Romano.

Luca, exactis Longobardis, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.
Joannes ſit Ep. a. 781. obit, a. 800.
Jacobus ſit Ep. a. 800. obit, a. 818.
Petrus ſit Ep. a. 819. ſedet, a. 826.

LUCERINUS E. *de Lucera*, ſub M. Romano.

Luceria, exactis Longobardis, in Francorum poteſtatem venit. a. 774.
Liutardus Ep. a. 826.

LUGDUNENSIS E. M. *de Lyon*, in provincia Lugdunenſi I.

Lugdunum laborat interpontificio, a. 752.
Madalbertus ſeu Maldabertus ſit Ep. M. a. 754. poſt interpontificium aliquot annorum.
Addo Ep. M. a. 769. obit, a. 798.
Ildinus Addoni ſufficitur, a. 798. ſed Archiepiſcopum ſe non patitur ordinari.
Leidradus Ildino ſubrogatur, a. 798. ordinatur, a. 799. abdicat Archiepiſcopatum, a. 814.
Agobardus ſit Ep. M. a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.

LUNENSIS E. *de Luni*, ſub M. Romano.

Luna, deleto Longobardorum Regno, venit in poteſtatem Francorum, a. 774.
Petroaldus Ep. a. 826.

LUTEVENSIS E. *de Ledéve*, ſub M. Narbonenſi.

Pulſis è Septimania Saracenis, Luteva in Francorum poteſtatem redit, a. 755. regnante tum Pippino.
Michael ſit Ep. poſtremis temporibus Pippini R.
Nebridius Ep. a. 804.
Siſemundus Ep. a. 817. a. 824.

M

MAGALONENSIS E. *de Maguelonne*, ſub M. Narbonenſi.

Pulſis è Septimania Saracenis, Magalona in Francorum poteſtatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.
Joannes Ep. a. 791.
Ricuinus Ep.
Argemirus Ep. a. 819.
Stabellus ſeu Stabelus vel Stabulus aut Stabilis Ep. a. 821. a. 824.

MANTUANUS E. *de Mantoüe*, ſub M. Foro-Julienſi.

Gregorius ſit primus Ep. Mantuanus, a. 808. obit, a. 823.
Erfulfus ſit Ep. a. 823. De illo rurſum Tomo ſequenti.

MARIANENSIS E. *de Marana*, ſub M. Romano.

Mariana in Corſica, pulſis Mauris, Carolo Francorum Regi parere cœpit temporibus Hadriani P P. I. attributáque eſt provinciæ Romanæ. Per inſignem autem Donationem à Ludovico prædicti Caroli filio data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum tota Inſula Corſica, a. 817. Quandiu ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

MARSICANUS E. *de Celano*, ſub M. Romano.

Celanum Marſorum caput in Francorum poteſtatem venit, a. 774. poſt exactos ex Italia Reges Longobardorum.

MARTURANENSIS E. de *Marturano*, ſub M. Romano.

Marturanum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Ro-

Digitized by Google

mano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

MASSILIENSIS E. *de Marſeille*, ſub M. Arelatenſi.

Honoratus Ep. regnante Pippino, obit, a. 767.
Maurontus ſit Ep. a. 767. obit, a. 804.
Honoratus II ſit Ep. a. 804.
Theodebertus ſeu Teutpertus Ep. a. 813. De illo rurſum Tomo ſequenti.

MATISCONENSIS E. *de Maſcon*, ſub M. Lugdunenſi.

Domnolus Ep. a. 752.
Leduardus Ep. a. 789. obit a. circiter 802.
Wicardus ſeu Guichardus ſit Ep. a. circiter 802.
Gundulphus Ep.
Adalranus, Adalrannus, Adelranus, Alaranus, Andelinus Ep. a. 811.
Hildebaldus Ep. a. 625. De illo rurſum Tome ſequenti.

MAURIENNENSIS E. *de Maurienne*, ſub M. Darantaſienſi.

Witgarius Ep. obit, a. 770.
Walchunus ſit Ep. a. 770. vivit, a. 789.
Felinacius Ep. a. 813.

MEDIOLANENSIS E. M. *de Milan*, in provincia Mediolanenſi.

Mediolanum, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Thomas Ep. M. a. 774. obit, a. 783.
Petrus ſit Ep. M. a. 783. obit, a. circiter 804.
Odelpertus ſit Ep. M. a. circiter 804. obit, a. 814.
Anſelmus ſit Ep. M. a. 814. obit, a. 822.
Donus ſeu Bonus ſit Ep. M. a. 822. obit, a. 826.
Angilbertus ſit Ep. M. a. 826. obit eodem anno.
Angilbertus II ſit Ep. M. a. 827.

MELDENSIS E. *de Meaux*, ſub M. Senonenſi.

Romanus Ep. a. 752.
Wlfrannus Ep. a. 757. obit, a. circiter 770.
Brunerus ſeu Prunerus ſit Ep. a. circiter 770.
Hildricus ſive Hildericus Ep. a. 800. obit longævus, a. 823.
Hucbertus ſit Ep. a. 823. De illo rurſum Tomo ſequenti.

METAMAUCENSIS E. *de Malamocco*, ſub M. Gradenſi.

Metamaucus venit in poteſtatem Francorum, a. 810. rediit ad Venetos, a. 812. Ignoratur nomen Epiſcopi, qui tunc ſedebat.

METENSIS E. *de Metz*, ſub M. Trevirenſi.

Chrodegangus Ep. a. 752. obit, a. 766.
* Interpontificium bienne.
Angelramnus ſit Ep. a. 768. obit, a. 791. d. 26. Octobr.
* Interpontificium an. 27. menſ. 3.
Gundulfus ſit Ep. a. 819. obit, a. 825.
Drogo ſit Ep. a. 826. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

MIMIGARDEVORDENSIS E. *de Mimigerode*, ſub M. Colonienſi.

Ludgerus ſit primus Ep. Mimigardevordenſis ſubjicitúrque M. Colonienſi, a. 802. obit, a. 809.
Gerfridus ſit Ep. a. 809. ſedet ann. 30.

MINDENSIS E. *de Minden*, ſub M. Colonienſi.

Herimbertus ſit primus Ep. Mindenſis ſubjicitúrque M. Colonienſi, a. 786.
Hatwardus Ep.

MOGUNTIACENSIS E. M. *de Mayence*, in utraque Germania, deinde in ſola Germania I.

Bonifacius, Ep. M. utriuſque Germaniæ, dimittit Archiepiſcopatum, a. 752. Pippino jam Rege.
Lullus ſit Ep. utriuſque Germaniæ, a. 752. Metropolitanâ dignitate Eccleſiæ Colonienſi ante a. 777 reſtitutâ manet Ep. M. Germaniæ I. obit, a. 787.
Riculfus ſit Ep. M. Germaniæ I. a. 787. obit, a. 814.
Haiſtulphus ſit Ep. M. Germaniæ I. a. 814. obit, a. 826.
Otgarius ſit Ep. M. Germaniæ I. a. 826. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

MUTINENSIS E. *de Modène*, ſub M. Ravennate.

Mutina, poſt exactos Longobardorum Reges, Francis parere cœpit, a. 774.
Geminianus Ep. a. 774. a. 781.
Geiſo Ep. a. 795. obit, a. circiter 812.
Adeodatus ſeu Deuſdedit ſit Ep. a. circiter 812. vivit, a. 822.

N

NAMNETENSIS E. *de Nantes*, ſub M. Turonenſi.

Deomarus Ep. a. 752. a. 757.
Odilardus Ep. obit, a. 804.
Alanus ſive Almannus ſit Ep. a. 804. obit, a. 816.
Trutgarus ſit Ep. a. 816. obit, a. 825.
Atto ſit Ep. a. 825. ſedet, a. 828.

NARBONENSIS E. M. *de Narbonne*, in provincia Narbonenſi I.

Pulſis è Septimania Saracenis, Narbo in Francorum poteſtatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.
Nimbriſius Ep. M. Pippino Rege.
Daniel Ep. M. a. 769. a. 791.
Nefridius Ep. M. a. 798. a. 821. a. 822. De ſucceſſore agemus ſub initium Tomi ſequentis.

NEBIENSIS E. *de Nebbio*, ſub M. Romano.

Nebium in Corſica, pulſis Mauris, Carolo Francorum Regi parere cœpit temporibus Hadriani Papæ I. attributúmque eſt provinciæ Romanæ. Per inſignem autem Donationem à Ludovico prædicti Caroli filio datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum tota Inſula Corſica, a. 817. Quandiu ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

NEMAUSENSIS E. *de Niſmes*, ſub M. Narbonenſi.

Pulſis è Septimania Saracenis, Nemauſus in Francorum poteſtatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.

Witeringus Ep. a. 791.

Chriſtianus Ep. a. 811.

NEOBURGENSIS E. *de Neuburg*, ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi.

Manno ſit primus Ep. Neoburgenſis regnante tum Pippino, ſedet, a. 771. Poſt ejus mortem extinguitur Neoburgenſis Epiſcopatus, pars attribuitur Diœceſi Auguſtanæ, altera pars Eyſtettenſi.

NEPESINUS E. *de Nepi*, ſub M. Romano.

Nepet in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem Ludovici Pii R. Francorum, venit in poteſtatem Romani Pontificis cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

NICAENSIS E. *de Nice*, ſub M. Ebredunenſi.

Syagrius ſeu Siacrius ſit Ep. a. 777. obit, a. 787

Johannes ſit Ep. a. 787.

NITRAVENSIS E. *de Nitria*, ſub M. Laureacenſi.

Albinus ſive Alchuninus aut Alewinus Ep. a. 824.

NIVERNENSIS E. *de Nevers*, ſub M. Senonenſi.

Ridelenus Ep. a. 752.

Valdo ſeu Guido Ep. a. 757.

Evaricus ſive Evardus Ep.

Galdo Ep. a. 802.

Hieronymus Ep. a. 818.

Jonas Ep.

NOVARIENSIS E. *de Novare*, ſub M. Mediolanenſi.

Novaria poſt exactos Longobardorum Reges Francis parere cœpit, a. 774.

Benedictus Ep. a. 774.

Petrus Ep.

Sicardus Ep.

Titus Ep. obit, a. 792.

Atto ſit Ep. a. 792. obit, a. 821.

} De his quinque Epiſcopis conſule Tom. 7. a. 811. n. 33.

Adelgeſius ſit Ep. a. 821. De illo rurſum Tomo ſequenti.

NOVIOMENSIS E. *de Noyon*, ſub M. Remenſi.

Eliſæus Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 751. ſedet, a. 754.

Adalfridus Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 756. ſuperſtes, a. 765.

Dido ſeu Dodo Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 770.

Gilbertus Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, obit, a. 781.

Pleon ſit Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 781. ſedet, a. 799.

Wendilmarus Epiſc. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 811. a. 817.

Ragenarius Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis, a. 815. a. 818.

O

OLORONENSIS *E. d'Oloron*, ſub M. Eluſano.

OSNABURGENSIS E. *d'Oſnabrug*, ſub M. Colonienſi.

Wiho ſeu Witho ſit primus Ep. Oſnaburgenſis ſub M. Colonienſi, a. 788. obit, a. 804.

Mengardus ſeu Meingerus ſit Ep. a. 804. ſedet ann. 29.

OSTIENSIS E. *d'Oſtie*, ſub M. Romano.

Oſtia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, & Francis ſponte ſe dedidit, a. 796.

Petrus Ep. a. 796. a. 804. a. 805. a. 811.

Cæſarius Ep. a. 817. cùm Ludovicus Pius Francorum Rex Ducatum Romanum, ubi Oſtia, dat in perpetuum Romano Pontifici cum Inſulis Corſica & Sardinia.

OTRICULENSIS E. *d'Otricoli*, ſub M. Romano.

Otriculum ſive Ocriculum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

P

PADERBORNENSIS E. *de Paderborn*, ſub M. Moguntino.

Hadumarus ſit primus Ep. Paderbornenſis ſub M. Moguntino, a. 795. ſuperſtes, a. 815.

Baduradus Ep. a. 822. De illo rurſum Tomo ſequenti.

Digitized by Google

PAMPILONENSIS E. *de Pampelune*, ſub M. Eluſano.

Pampilonenſes a. 806. deditionem Ludovico Regi fecerunt.

Oppilo fit Ep. poſt a. 806. ſuperſtes, a. 818.

PAPIENSIS E. *de Pavie*, ſub M. Romano.

Papia Francis deditionem fecit, a. 774.

Theodorus Ep. a. 774. obit, a. 778.

Auguſtinus fit Epiſc. a. 778. obit eodem anno.

Petrus fit Ep. a. 778. obit, a. 783.

Hieronymus fit Ep. a. 783. obit, a. 791.

Ubaldus fit Ep. a. 791. obit, a. 795.

Petrus II. fit Ep. a. 795. obit, a. 800.

Joannes fit Ep. a. 801. obit, a. 813.

Sebaſtianus fit Ep. a. 814. obit, a. 816.

Deodatus fit Ep. a. 816. ſuperſtes, a. 818.

PARENTINUS E. *de Parenzo*, ſub M. Foro-Julienſi, deinde ſub Gradenſi.

Parentium, ut à Græcis ad Francos, ſic à Gradenſi Patriarchatu ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789. rediſtque ad Gradenſem annuente Carolo Magno, a. 805.

Dominicus Ep. a. 789. — Antoninus Ep. a. 811. — De Parentinis Epiſcopis conſule Tom. 6. a. 789. n. 166.

PARISIENSIS E. *de Paris*, ſub M. Senonenſi.

Ragnecaptus E. a. 851.

Deodefridus Ep. a. 757.

Erkanradus, Erchenradus, Erkanradus Ep. regnante Carolo.

Ermanfredus Ep.

Inchadus Ep. a. 811. a. 810. a. 821. De illo rurſum Tomo ſequenti.

PARMENSIS E. *de Parme*, ſub M. Ravennate.

Parma, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 874.

Hieronymus Ep. a. 775.

PATAVIENSIS E. *de Paſſau*, Metropolitanus Bojoariæ, deinde Epiſcopus ſub M. Saliſburgenſi.

Sidonius Ep. Patavienſis ac Laureacenſis & M. Bojoariæ, a. 752. obit, a. 756.

Anthelmus fit Ep. M. a. 756. obit, a. 765.

Wiſcarius ſeu Wiſericus fit Ep. M. a. 765. obit, a. 774

Waldericus fit Ep. M. a. 774. obit, a. 798. Poſt ejus mortem Metropolitana Bojoariæ dignitas Saliſburgenſi Sedi reſtituitur.

Hatto fit Ep. Patavienſis ac Laureacenſis, a. 798. obit, a. 817.

Urolphus fit Ep. Patavienſis ac Laureacenſis, a. 817. abit in Avariam & Moraviam, a. 818. abdicat Epiſcopatum Patavienſem ſitque Ep. M. Laureacenſis, a. 822.

Reginarius ordinatur Epiſc. Patavienſis, a. 822. De illo iterum Tomo ſequenti.

PATAVINUS E. *de Padoüe*, ſub M. Foro-Julienſi.

Patavium, extincto Longobardorum Regno, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

Joſeph Ep. a. 774. obit, a. 786.

Bodo fit Ep. a. 786. obit, a. 799.

Luitardus fit Ep. a. 799. obit, a. 814.

Dominicus fit Ep. a. 814. ſedet ann. 17.

PENNENSIS E. *de Penna*, ſub M. Romano.

Penna, extincto Longobardorum Regno, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

PERUSINUS E. *de Peruſe*, ſub M. Romano.

Peruſia, extincto Longobardorum Regno, in Francorum poteſtatem venit, a. 774.

Epiphanius Ep. fortè ſuperſtes, a. 774.

*

* a. 817. Ludovicus Pius Francorum Rex per inſignem Donationem Ducatum Romanum, cujus pars Peruſia, dedit in perpetuum Romano Pontifici cum Inſulis Corſica & Sardinia.

PETINENSIS E. *de Padina*, ſub M. foro-Julienſi, deinde ſub Gradenſi.

Petinum, ut a Græcis ad Francos, ſic à Gradenſi Patriarchatu ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789. rediſtque ad Gradenſem annuente Carolo Magno, a. 805. Toto tempore, quo Francis paruit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

PETROCORIENSIS E. *de Perigueux*, ſub M. Burdigalenſi.

Bertrandus Ep. a. 767. a. 778.

Raymundus Ep. a. 805. a. 811.

PICTAVIENSIS E. *de Poitiers*, ſub M. Burdigalenſi.

Godo Ep. a. 752. a. 756.

Magnibertus Ep. a. 762. — Bertaldus Ep. — Benedictus Ep. a. 778. — Joannes Ep. — De his conſule Tom. 5. a. 768. n. 14. & Tom. 6. a. 789. n. 230.

Bertrandus Ep. a. 789.

Sigibrannus Ep. de quo rurſum Tomo ſequenti.

PISANUS E. *de Piſe*, ſub M. Romano.

Piſæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœperunt, a. 774.

Joannes II. Ep. a. 804. ſuperſtes, a. 820.

Plato fit Ep. a. 821.

Joannes III. Ep. a. 826.

PISTORIENSIS E. *de Piſtoye*, ſub M. Romano.

Piſtorium, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Wiltretradus Ep. a. 801.

Lamprandus ſeu Lambardus ſedet Epiſcopus, a. 826.

PLACENTINUS E. *De Plaiſance*, ſub M. Ravennate.
Placentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Deſiderius Ep. a. 774. obit, a. 775.
Maurus fit Ep. a. 775. obit, a. 780.
Julianus fit Ep. a. 780. obit, a. 809.
Podus fit Ep. a. 809. ſuperſtes, a. 818.
POLENSIS E. *De Pola*, ſub M. Foro-Julienſi. deinde ſub Gradenſi.
Pola, ut a Græcis ad Francos, ſic a Gradenſi Patriarchatu ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789. rediitque ad Gradenſem annuente Carolo Magno, a. 805. Toto tempore, quo Francis paruit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.
POLIMARTIENSIS E. *de Bomarzo*, ſub M. Romano.
Polimartium ſeu Polymartium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum tranſiit in ditionem Romani Pontificis cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.
POPULONIENSIS E. *de Populonia*, ſub M. Romano.
Populonia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Ancaurus Ep. fortè ſuperſtes, a. 774.
* Anno 787, Carolus Francorum Rex Populoniam Romano Pontifici perpetuò poſſidendam ceſſit.
PORTUENSIS E. *de Porto*, ſub M. Romano.
Portus in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponſe dedidit, a. 796.
Joannes Ep. a. 807. a. 811. pervenire potuit ad a. 817. quo Ludovicus Pius Francorum Rex Ducatum Romanum, ubi Portus, Romano Pontifici dedit in perpetuum cum Inſulis Corſica & Sardinia.
PRÆNESTINUS E. *de Paleſtrine*, ſub M. Romano.
Prænefte in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.
PRIVERNAS E. *de Piperno*, ſub M. Romano.
Privernum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem a Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

R.

REATINUS E. *de Rieti*, ſub M. Romano.
Reate, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
REDONENSIS E. *de Rennes*, ſub M. Turonenſi.
Stephanus Ep. a. 752. obit, a. 762.
Auriſmundus fit Ep. a. 763 obit, a. 822.
Warinus ſeu Warnarius fit Ep. a. 823. ſedet, a. 828.
REGIENSIS E. *de Reggio*, ſub M. Ravennate.
Regium Lepidi, poſt exactos Longobardorum Reges, Francis parere cœpit, a. 774.
Apollinaris Ep. a. 774. obit, a. 789.
Adelmus fit Ep. a. 789.
Nordbertus Ep. a. 814.
Vitalis Ep. a. 818.
REGINOBURGENSIS E. *de Ratiſbonne*, ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, deinde ſub Saliſburgenſi.
Garibaldus Ep. ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, a. 752. obit, a. 761.
Sympertus fit Ep. ſub. M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, a. 761. obit, a. 791.
Adalwinus fit Ep. ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, a. 791. ſubeſt M. Saliſburgenſi poſt a. 798. obit, a. 811.
Bathuricus fit Ep. ſub M. Saliſburgenſi, a. 817. De illo iterum Tomo ſequenti.
REÏENSIS E. *de Riez*, ſub M. Aquenſi.
Anthimius Ep. ſynchronus Pippino Regi.
Riculphus Epiſc. ſynchronus Carolo Magno.
Roſtagnus Epiſc. ſynchronus Ludovico Pio.
} De tribus his Epiſcopis actum Tom. 5. ad a. 753. n. 19.
REMENSIS E. M. *de Reims*, in Belgica II.
Milo Epiſc. M. cùm Remenſis tum Trevirenſis, a. 752. obit, a. 753.
Tilpinus fit Ep. M. Remenſis, a. 753. obit, a. 800.
* Interpontificium bienne.
Vulfarius fit Epiſc. M. Remenſis, a. 801. obit, a. 816.
Ebo fit Ep. M. a. 816. De illo iterum Tomo ſequenti.
ROMANUS E. M. *de Rome*, in provincia Romana.
Roma cum Romano Ducatu dominatio-

Digitized by Google

nem Græcorum excuſſit, ſeque Francis ſponte dedidit, a. 796.
Leo III. Romanus Pontifex, a. 796. obit, a. 816.
Stephanus V. fit PP. a. 816. obit, a. 817.
Paſchalis fit PP. a. 817. eodémque anno Roma cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia tranſit in ditionem Romani Pontificis, inſigni Donatione Ludovici Pii R. Francorum.

ROTOMAGENSIS E. M. *de Roüen.* in provincia Lugdunenſi II.

Raginfridus Epiſc. M. a. 751. deponitur, a. 755.
Remigius fit Ep. M. a. 755. obit, a. 772.
Magenardus ſeu Mainardus fit Epiſc. M. a. 772. ſedet, a. 802.
Willebertus Ep. M. a. 811. a. 815. De ſucceſſore agemus initio Tomi ſequentis.

RUSSELLENSIS E. *de Roſelle,* ſub M. Romano.

Ruſſella, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. iiſque paruit ad annum uſque 787, quo tranſiit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt autem per illud tempus Ruſſellenſium Epiſcoporum Catalogus.

RUTENENSIS E. *de Rodez,* ſub M. Bituricenſi.

S

SABINENSIS E. *de Sabine,* ſub M. Romano.

Mallianum, ubi Sedes Epiſcopalis, in Francorum poteſtatem venit, a. 774. deleto Longobardorum Regno; deinde tranſiit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni, a. 781. Mancus eſt per illa tempora Sabinenſium Epiſcoporum Catalogus.

SABIONENSIS E. *de Siben,* ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, deinde ſub Saliſburgenſi.

Sabionenſis Epiſcopatus, qui priùs pars erat Regni Longobardici ſub Patriarcha Foro-Julienſi, Francicis ditionibus acceſſit, & Archiepiſcopo Laureacenſi ſeu Patavienſi, Metropolitæ Bojoariæ, ſubditus fuit regnante tum Pippino, deinde Saliſburgienſi ſubditus fuit, a. 798, Metropolitanâ dignitate Saliſburgo redditâ.
Alim ſive Alimus vel Almus Ep. regnantibus Pippino & Carolo, obit ante a. 798.
Heinricus fit Ep. ante a. 798, quo Metropolitana Dignitas Saliſburgo reſtituta eſt; ſedet, a. 807.

SAGIENSIS E. *de Seez,* ſub M. Rotomagenſi.

Lotharius Ep. a. 752. obit, a. 756.
Godegrandus fit Ep. a. 756. obit, a. 770.
Ragimfridus fit Ep. a. 770.
Reginaldus Ep. a. 811. De hoc conſule recognitionem Tomi ſeptimi.

SALERNITANUS E. *de Salerne,* ſub M. Romano.

Salernum, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.
Rodopertus Ep. a. 774. a. 787.
Nicolaus Ep. a. 801. obit, a. 818.
Rodoaltus fit Ep. a. 818. ſedet ann. 16.

SALINGESTADIENSIS E. *de Selingſtad,* ſub M. Moguntino.

Hildegrimus fit primus Epiſc. Salingeſtadienſis, a. 810. Epiſcopalem Sedem Salingeſtadio tranſfert Halberſtadium, a. 820. *Vide* Epiſcopos Halberſtadienſes.

SALISBURGIENSIS E. *de Salzbourg,* ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, deinde Metropolitanus Bojoariæ.

Joannes Ep. a. 752. obit, a. 759.
* Interpontificium.
Virgilius ordinatur Ep. a. 766. obit, a. 780.
Bertricus fit Ep. a. 780. obit, a. 781.
Arno fit Ep. a. 781. Metropolitanus Bojoariæ, a. 798. obit, a. 822.
Ammilonius fit Ep. M. a. 822. obit, a. 823.
Adalramus fit Ep. M. a. 823. De illo iterum Tomo ſequenti.

SANICIENSIS E. *de Senez,* ſub M. Ebredunenſi.

SANTONENSIS E. *de Saintes,* ſub M. Burdigalenſi.

SAVONENSIS E. *de Savone,* ſub M. Mediolanenſi.

Savona, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.

SEDUNENSIS E. *de Sion,* ſub M. Darantaſienſi.

Wilicarius Ep. a. 766.
Aloborgus Ep. a. 768. obit, a. circiter 788.
Altheus fit Ep. a. circiter 788.
Theodulus Ep. a. 802.
Adalongus Ep. a. 814.

SEGESTARICENSIS E. *de Siſteron,* ſub M. Aquenſi.

Bonus Ep. a. 752. ſedet ann. 55. obit, a. 805.
Joannes fit Ep. a. 805. ſedet ann. 47.

SENENSIS E. *de Siene,* ſub M. Romano.

Senæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, parere Francis cœperunt, a. 774.
Jordanus ep. a. 761. fortè & a. 774.
Rodobertus Ep. temporibus Adriani Papæ.
Haimo Epiſc. temporibus Adriani Papæ.
Joannes Ep. a. 791.
Andreas Ep. a. 795. a. 801.
Peritheus Ep. a. 816.
Thomas Ep.

} Dehis conſule Tom. 6. a. 801. nn. 5. 6. 7.

SENONENSIS E. M. *de Sens,* in provincia Lugdunenſi IV.

Ardobertus Ep. M. a. 752.

Auripertus Ep. M.
Arnulfus Ep. M. obit, a. 761.
Merulfus ſit Ep. M. a. 761. obit, a. 762.
Lupus ſit Ep. M. a. 762. obit, a. 766.
Wilicarius ſit Ep. M. a. 766. ſedet, a. 777.
Goteſcalcus Ep. M.
Petrus Ep. M. obit, a. 787.
Wilebaldus ſit Ep. M. a. 787. obit, a. 791.
Berardus ſeu Beontradus ſit Ep. M. a. 791. obit, a. 795.
Rambertus ſeu Raimbertus vel Raguibertus ſit Ep. M. a. 795. obit, a. 801.
Magno ſeu Magnus ſit Ep. M. a. 801. obit, a. 818.
Hieremias ſit Ep. M. a. 818. obit, a. 828.

SETINUS E. *de Setie*, ſub M. Romano.

Setia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

SIGNINUS E. *de Segni*, ſub M. Romano.

Signia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796 Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

SILVANECTENSIS E. *de Senlis*, ſub M. Romano.

Wlfredus Ep. a. 752. obit, a. 753.
Antalfridus ſit Ep. a. 753. obit, a. 763.
Bertolinus ſit Ep. a. 763. obit, a. 771.
Odonius ſit Ep. a. 771. obit, a. 779.
Adelbertus ſit Ep. a. 779. obit, a. 789.
Reginaldus ſit Ep. a. 789. obit, a. 807.
Ermeno ſive Herminius ſit Ep. a. 807. obit, a. 814.
Godefridus ſit Ep. a. 814. De illo iterum Tomo ſequenti.

SIPONTINUS E. *de Siponte*, ſub M. Romano.

Vide Epiſcopos Beneventanos. Iidem enim olim Epiſcopi Sipontini qui Beneventani.

SORANUS E. *de Sora*, ſub M. Romano.

Sora, extincto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. deinde in poteſtatem Romani Pontificis, a. 787. ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt autem per illud tempus Soranorum Epiſcoporum Catalogus.

SPECULUNENSIS E. hodie OLOMUCENSIS, *d'Olmutz*, ſub M. Laureacenſi.

Methodius Ep. a. 814.

SPIRENSIS E. *de Spire*, ſub M. Moguntino.

Baſilius Ep. a. 752. obit, a. 775.
Sigeninus ſeu Sigewinus, ſit Ep. a. 775. obit, a. 802.
Atho ſive Otho ſit Ep. a. 802. obit, a. 810.
Freydo ſeu Fraydo ſit Ep. a. 810. obit, a. 814.
Benedictus ſit Ep. a. 814. obit, a. 822.
Hertinus ſeu Bertinus ſit Ep. a. 822. De illo rurſum Tomo ſequenti.

SPOLETANUS E. *de Spolete*, ſub M. Romano.

Spoletum, extincto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli Magni datum eſt Sedi Apoſtolicæ, ſed effectum hæc Donatio non eſt ſortita. Mancus eſt autem Spoletanorum Epiſcoporum Catalogus ab a. 680 ad poſtrema uſque Caroli Magni tempora.
Sigualdus Ep. a. 814. obit, a. 827.
Luitardus ſit Ep. a. 827.

STRASBURGENSIS E. *de Straßbourg*, ſub M. Moguntino.

Heddus Ep. a. 752. ſuperſtes, a. 765.
Remedius ſit Chorepiſcopus ante a. 762. Heddoni ſuccedit in Epiſcopatum poſt a. 765. ſedet, a. 778. obit, a. 803.
Recho ſit Ep. a. 803. obit, a. 812.
Urho ſit Ep. a. 812. obit, a. 815.
Adalochus ſive Adelochus vel Adelothus ſit Ep. a. 815. obit, a. 825.
Bernaltus ſeu Bernaldus aut Bernoldus ſeu Beroldus ſit Ep. a. 825. ſedet ann. 17.

SUANENSIS E. *de Suana*. ſub M. Romano.

Suana, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.
P. Ep. a. 774. fortè & a. 787. quo Carolus Francorum Rex Suanam Romano Pontifici poſſidendam ceſſit.

SUESSANUS E. *de Seſſa*, ſub M. Romano.

Sueſſa, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.

SUESSIONENSIS E. *de Soiſſons*, ſub M. Remenſi.

Hubertus Ep. a. 752.
* Ep. a. 756.
Hildegaudus ſive Hildigungus Ep. a. 765.
Madalbertus Ep. a. 787.
Deodatus Ep. a. 801. a. 804.
Rotardus Ep. a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.

SUTRINUS E. *de Sutri*, ſub M. Romano.

Sutrium in Ducatu Romano dominationem

Digitized by Google

nem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

SYLVÆ CANDIDÆ E.
de la Foreſt Blanche,
ſub M. Romano.

Sylva Candida in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

T

TARRACINENSIS E. *de Terracine*,
ſub M. Romano.

Tarracina in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

TARUANNENSIS E.
de Teroueune,
ſub M. Remenſi.

Ætherius Ep. a. 752.
Radwaldus Ep. a. 766.
Athalfus Ep.
Wigbertus Ep.
} De his conſule Tom. 5. a. 766. n. 26. & Tom. 6. a. 799. n. 10.

Theodowinus Epiſcopus, a. 799. obit, a. 801.

Grimbaldus, corruptè Erimbaldus, fit Ep. a. 801. obit, a. 816.

Achardus fit Ep. a. 816. De illo conſule recognitionem Tomi ſeptimi.

TARVISINUS E. *de Trevigi*,
ſub M. Foro-Julienſi.

Tarviſium, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Fortunatus Ep. a. 780. a. 799.

TAURINENSIS E. *de Turin*,
ſub M. Mediolanenſi.

Taurinum, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

Claudius fit Ep. a. circiter 821. De illo rurſum Tomo ſequenti.

TEATINUS E. *de Teti* ſeu *de Chieti*,
ſub M. Romano.

Teate, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.

TERGESTINUS E. *de Trieſte*,
ſub M. Foro-Julienſi,
deinde ſub Gradenſi.

Tergeſtum, ut à Græcis ad Francos, ſic à Patriarchatu Gradenſi ad Foro-Julienſem tranſiit, a. 789, rediitque ad Gradenſem annuente Carolo Magno, a. 805. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

THEANENSIS E. *de Teano*,
ſub M. Romano.

Theanum, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. deinde in poteſtatem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni, a. 787. Per illud tempus, quo Theanum ſub dominatione Regis Francorum permanſit, mutilus invenitur Theanenſium Epiſcoporum Catalogus.

TIBURTINUS E. *de Tivoli*,
ſub M. Romano.

Tibur in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

TIPHERNAS E.
hodie *de Citta di Caſtello*,
ſub M. Romano.

Tifernum Tiberinum, hodie Civitas Caſtelli, *Citta di Caſtello*, in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub dominatione Francorum permanſit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

TOLONENSIS E. *de Toulon*,
ſub M. Arelatenſi.

TOLOSANUS E. *de Toulouſe*,
ſub M. Bituricenſi.

Articho Ep. a. 778. a. 791.

Mantio Ep. Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus.

TORNACENSIS E. *de Tournay*,
ſub M. Remenſi.

Vide Epiſcopos Noviomenſes ſuprà, iidem enim qui & Tornacenſes.

TRECENSIS E. *de Troyes*, ſub M. Senonenſi.

Bobinus Epiſc. a. 752. obit, a. circiter 766.
Amingus ſit Ep. a. circ. 766.
Adelgarius Ep. a. 789.
Bertulfus, qui & Oſulfus, Ep. a. 811.
Paulus ſit Ep. ſuperſtite Carolo Magno, obit Ludovico Pio Imp.
Helias Ep.

De quinque his Epiſcopis conſule Tomum 7. a. 811. n. 35.

TREVIRENSIS E. M. *de Treves*, in Belgica I.

Milo Ep. M. cùm Trevirenſis tum Remenſis, a. 752. obit, a. 753.
Weomadus ſit Ep. M. Trevirenſis, a. 753. obit, a. 776.
Richboldus ſit Ep. M. a. 776. obit, a. 804.
Wazzo ſit Ep. M. a. 804. obit, a. 810.
Amalharius ſit Ep. M. a. 810. obit, a. 814.
Hettius ſit Ep. M. a. 814. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

TRICASTINUS E. *de Trois Chaſteaux*, ſub M. Arelatenſi.

TRIDENTINUS E. *de Trente*, ſub M. Foro-Julienſi.

Tridentum, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Urſus Ep. a. 774.
Clementianus Ep.
Amator Ep. a. 795. obit, a. 802.

De his conſule Tom. 6. a. 774. n. 109.

Hildegarius ſit Ep. a. 802.

TRIVENTINUS E. *de Trivento*, ſub M. Romano.

Triventum, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

TRIUM TABERNARUM E. ſub M. Romano.

Tres Tabernæ in Ducatu Romano non procul ab hodierno vico *Ciſterna* dicto dominationem Græcorum excuſſerunt, séque Francis ſponte dediderunt, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datæ ſunt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo fuerunt ſub poteſtate Francorum, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

TUDERTINUS E. *de Todi*, ſub M. Romano.

Tudertum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, séque Francis ſponte dedidit, a. 796.
Theophylactus Epiſc. a. 796. Sedente hoc Epiſcopo, vel ejus ſucceſſore Joanne, Ludovicus Pius Francorum Rex per inſignem Donationem in perpetuum Romano Pontifici dedit Ducatum Romanum cum Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817.

TULLENSIS E. *de Toul*, ſub M. Trevirenſi.

Jacob Ep. a. 752. abdicat Epiſcopatum, a.....
Godo Ep. a. 765.
Poſſeſſor Ep. a. 775.
Garibaldus ſeu Gribaldus Ep.
Borno Ep.
Unanimicus Ep. obit, a. 813.

De tribus his Epiſcopis conſule Tom. 7. a. 805. n. 44.

Frotharius ſit Epiſc. a. 813. De illo iterum Tomo ſequenti.

TURONENSIS E. M. *de Tours*, in provincia Lugdunenſi III.

Rigambertus Ep. M. obit eodem quo Pippinus Rex elevatur anno 752.
Aubertus ſit Ep. M. a. 752. obit, a. 754.
Oſtaldus ſit Ep. M. a. 754.
Euſebius Ep. M. a. 765.
Gavienus Ep. M. a. 769.
Herlingus Ep. M. a. 791. obit, a. 792.
Joſephus ſit Ep. M. a. 792. ſedet, a. 813.
Landrannus Ep. M. a. 816. De illo rurſum Tomo ſequenti.

TURRITANUS E. *de Torre*, ſub M. Calaritano.

Turris Libiſſonis ſeu Turres, civitas Sardiniæ, cum reliqua Inſula Ludovico Pio ſponte ſe ſubjecit, a. 815. & biennio pòſt ab eodem Ludovico per inſignem Donationem data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum tota Inſula. Quis illo biennio ſederit Epiſcopus Turritanus, haud ſcitur.

TUSCANUS ſeu TUSCANELLENSIS E. *de Toſcanella*, ſub M. Romano.

Tuſcana ſeu Tuſcania vel Tuſcanella, extincto Longobardorum Regno, venit in poteſtatem Francorum, a. 774. Romano Pontifici ceſſit ex liberalitate Caroli R. Francorum, a. 787. Illo tempore mutilus eſt Tuſcanellenſium Epiſcoporum Catalogus.

TUSCULANUS E. ſub M. Romano.

Tuſculum, in cujus loco erecta Friſcata, vulgò *Freſcati*, dominationem Græcorum excuſſit cum reliquo Ducatu Romano, séque Francis ſponte dedidit, a. 796.
Petrus Ep. Carolo Magno Imperatore. Incertum an pervenerit ad a. 817. quo Ludovicus Pius Francorum Rex per inſignem Donationem in perpetuum Romano Pontifici dedit Ducatum Romanum cum Inſulis Corſica & Sardinia.

V

VALENTINUS E. *de Valence*, ſub M. Viennenſi.

* Valentia laborat interpontificio, a. 751.

Digitized by Google

Lupicinus Ep. Pippino, Carolomanno, & Carolo, RR.
Bonitus Ep. a. 791. ſedet, a. 798.
Waldus Ep.
Salvius II Ep. a. 811.
Lambertus Ep.
} De tribus his Epiſcopis actum ad a. 807. n. 9.

VALVENSIS E. *de Valva*, ſub M. Romano.

Valva, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.
Valpertus Ep. regnante Carolo Magno.
Ravennus Ep. a. 811. obit Ludovico Pio Imperatore.

VAPPINCENSIS E. *de Gap*, ſub M. Aquenſi.

Symphorianus Ep. Pippino, Carolomanno, & Carolo, RR.
Donadeus Ep. a. 789. a. 791.

VASATENSIS E. *de Baſas*, ſub M. Eluſano.

VASIONENSIS E. *de Vaiſon*, ſub M. Arelatenſi.

UCECIENSIS E. *d'Uſez*, ſub M. Narbonenſi.

Ucecia redit in poteſtatem Francorum, a. 755. regnante Pippino, manétque ſub M. Narbonenſi.
Sigibertus ſit Ep. a. 763.
Arimundus Ep. a. 791.
Elephantus Ep. a. 800. a. 811.
Geraldus Ep. Ludovico Pio Imperatore.

VELITRENSIS E. *de Velletri*, ſub M. Romano.

Velitræ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſerunt, ſéque Francis ſponte dediderunt, a 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datæ ſunt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo fuerunt ſub Francorum poteſtate, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

VENAFRANUS E. *de Venafro*, ſub M. Romano.

Venafrum, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.

VENETENSIS E. *de Vannes*, ſub M. Turonenſi.

Juſtokus Ep. a. 752. obit, a. 756.
Jacutus ſit Ep. a. 756. obit, a. 759.
Calgonus ſit Ep. a. 759. obit, a. 766.
Luchenardus ſit Ep. a. 766. obit, a. 783.
Bilius ſit Ep. a. 783. obit, a. 790.
Cunadanus ſive Enadanus ſit Ep. a. 790. obit, a. 794.
Blinlivetus ſit Ep. a. 794. obit, a. 796.
Auriſcandus ſit Ep. a. 796. obit, a. 799.
Ago ſit Ep. a. 799. obit, a. 810.
Iſaac ſit Ep. a. 810. obit, a. 814.
Kermaricus ſit Ep. a. 814.
Wihelochus Ep. a. 818. obit, a. 820.
Ragenarius ſit Ep. a. 820. De illo rurſum Tomo ſequenti.

VERCELLENSIS E. *de Verceil*, ſub M. Mediolanenſi.

Vercellæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, venerunt in Francorum poteſtatem, a. 774.
Arbio Ep. a. 774.
Chriſantus Ep.
Nottingus ſit Epiſc. ſuperſtite Carolo Magno, vivit a. 818.
} De tribus his Epiſcopis actum Tomo 6. a. 774. n. 46.

VERDENSIS E. *de Verden*, ſub M. Moguntino.

Swibertus in Saxonia conſtituitur Ep. a. 786. ſedet annos 21. partim in loco *Kenende* vel in civitate Bardevicenſi, partim Verdæ, quò Sedes Epiſcopalis è priore loco tranſlata eſt. Obit, a. 807.
Tanco ex Abb. Amarbaricenſi ſit Ep. a. 807. vivit a. 814.
Iſengerus Ep.
Heligandus Ep.
} De his conſule Tom. 7. a. 814. n. 67.

VERONENSIS E. *de Verone*, ſub M. Foro-Julienſi.

Verona, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774.
Anno Ep. a. 774. obit, a. circiter 780.
Lothertus ſit Ep. a. circiter 780.
Aldo Ep. a. 790.
Eginus Ep. a. 795. obit, a. 802.
Rotaldus ſit Ep. a. 802. ſedet, a. 817.

VERULANUS E. *de Veroli*, ſub M. Romano.

Verulæ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſerunt, ſéque Francis ſponte dediderunt, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datæ ſunt in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano Inſuliſque Corſica & Sardinia, a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuerunt, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

VESONTIONENSIS E. M. *de Beſançon*, in provincia Lugdunenſi V.

Herveus Ep. M. a. 752. a. 756.
Hatifeus Ep. M. a. 765.
Gedeon Ep. M. a. 790.
Bernuinus Ep. M. a. 811. ſuperſtes, a. 818.

VETUARENSIS E. *de Vetau*, ſub M. Laureacenſi

Anno Ep. a. 824.

VICENTINUS E. *de Vicence*, ſub M. Foro-Julienſi.

Vicentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

VICO-JULIENSIS E. *d'Ayre*, ſub M. Eluſano.

Aſinarius Ep. a. 791.

VIENNENSIS E. M. *de Vienne*, in provincia Viennenſi. I.

Proculus ſit Ep. M. a. 754. Wilicario an-

teceſſore Agaunum à multis annis profecto, obit, a. 767.
Bertericus ſit Ep. M. a. 767.
Urſio Ep. M. a. 794. obit, a. 801.
Volferius ſit Ep. a. 801. obit, a. 812.
Barnardus ſit Ep. M. a. 812. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

VINCIENSIS E. *de Vance*, ſub M. Ebredunenſi.

VIRODUNENSIS E. *de Verdun*, ſub M. Trevirenſi.

* Virodunum laborat interpontificio, a. 752.
Madelveus, poſt interpontificium aliquot annorum, ſit Ep. a. 753. obit, a. 776.
* Interpontificium annorum 11.
Petrus Epiſcopatum init, a. 788. obit, a. 813.
Auſtrannus ſit Ep. a. 813. obit, a. 818.
Herilandus ſit Ep. a. 818. obit, a. 822.
Hildinus ſit Ep. a. 822. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

VIVARIENSIS E. *de Viviers*, ſub M. Arelatenſi.

Thomas Ep. a. 811. a. 815.

ULTRAJECTINUS E. *d'Utrech*, ſub M. Moguntino, deinde ſub Colonienſi.

Dadanus Ep. obit, a. 752. Pippino jam Rege.
Bonifacius, abdicato Archipiſcopatu Moguntino, ſit Epiſc. Ultrajectinus, a. 752. obit, a. 755.
Gregorius poſt S. Bonifacii Martyrium ſuſcipit regimen Eccleſiæ Ultrajectinæ, a. 755. manet tamen in Preſbyterii gradu, obitque, a. 776.
Albricus Preſbyter ſuſcipit regimen Eccleſiæ Ultrajectinæ, a. 776. ordinatur Ep. à Metropolita Colonienſi, a. 777. obit, a. 784.
Theodardus ſit Ep. a. 784. obit, a. 790.
Harmokarus ſive Erwacherus ſit Ep. a. 790. obit, a. 807.
Rixfridus ſit Ep. a. 807. ſedet an. 814.

VOLATERRANUS E. *de Volterra*, ſub M. Romano.

Volaterræ, deleto Longobardorum in Italia Regno, venerunt in Francorum poteſtatem, a. 774.
Petrus Ep. a. 800. ſuperſtes, a. 816.

VORMACIENSIS E. *de Worms*, ſub M. Moguntino,

Wernharius Ep. a. 752. obit, a. 766.
Folcuvicus ſit Ep. a. 766.
Ehrenbrechtus Ep. obit, a. 798.
Bernharius ſit Ep. a. 798. ſedet a. 813.

De quatuor his Epiſcopis conſule Tomum 6. a. 798. nn. 51. 52. 53.

URBEVETANUS E. *d'Orviete*, ſub M. Romano.

Urbs vetus, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in Francorum poteſtatem, a. 774. deinde tranſiit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni, a. 787. Mancus eſt autem per illud tempus Urbevetanorum Epiſcoporum Catalogus.

URGELLENSIS E. *d'Urgel*, ſub M. Narbonenſi.

Urgella, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, venit in poteſtatem Francorum, a. 755. & Urgellenſis Epiſcopatus attributus eſt provinciæ Narbonenſi.
Stephanus Ep. Pippino, Carolomanno, & Carolo, RR.
Dotilla Ep. a. 773. a. 779.
Felix Ep. a. 791. damnatur ob hæreſim, a. 792. a. 794. reſipiſcit, a. 799. deponitur tamen propter frequentes iteratoſque lapſus, & apud Lugdunum in perpetuum relegatur exilium.
Siſebutus depoſito Felice ſit Ep. a. 800. de illo rurſum Tomo ſequenti.

WIRCEBURGENSIS E. *de Wirtzbourg*, ſub M. Moguntino.

Megingaudus Ep. a. 752. abdicat Epiſcopatum, a. 769. obit, a. 779.
Bernwelphus ſit Ep. a. 769. vivit poſt Megingaudi mortem ann. 7. obit, a. 786.
Luitrigus ſit Ep. a. 786. obit, a. 790.
Egilwardus ſit Ep. a. 790. obit, a. 796.
Wolfgerus ſit E. a. 796. obit, a. 818.
Humbertus ſit Ep. a. 818. ſuperſtes, a. 828.

Lege Tom. 7. a. 815. nn. 30. & ſeqq.

Digitized by Google

MONASTERIA

SUB CAROLINGIS REGIBUS

ab anno 752 quo Pippinus regnare cœpit, ad annum 828.

A

ACUTIANUM Mon. *de Farfa*, in E. Sabinenſi.

Acutianum Mon. in E. Sabinenſi, Tomo 6. a. 774. n. 14.

Probatus Abb. a. 774. cùm Franci Longobardiam ſubegerunt.

Raganbaldus Abb. a. 786.

Benedictus Abb. a. 803. obit, a. 816.

Ingoaldus ſit Abb. a. 816. vivit, a. 826.

S. ÆGIDII Mon. *S. Gilles*, in. E. Nemauſenſi.

S. Ægidii Mon. in E. Nemauſenſi, Tomo 5. a. 755. n. 101. Conditum à Wiſigothis, inſtauratum à Francis, poſtquàm è Septimania Saracenos expulerunt.

Chriſtianus Abb. & Ep. Nemauſenſis, a. 811.

S. ÆMILIANI Mon. *S. Emilion*, in E. M. Burdigalenſi.

S. Æmiliani Mon. in Archiep. Burdigalenſi, Tomo 5. a. 767. n. 24. Conditum à S. Æmiliano.

Æmilianus conditor ac primus Abb. regnante Pippino, obit, a. 767.

S. AGAPITI Mon. *S. Agapet*, Romæ.

S. Agapiti Mon. in Urbe prope Titulum Eudoxiæ, Tomo 6. a. 796. n. 54. Illo anno Roma excuſſâ Græcorum dominatione Francis ſponte ſe dedidit, & a. 817. à Francis ad Romanum Pontificem cum Ducatu Romano tranſiit ex liberalitate Ludovici Pii R. Francorum. Idque ſemel notaſſe ſufficiat, quia ceterorum Monaſteriorum in Ducatu Romano ſitorum par eſt ratio.

S. AGATHÆ Mon. *Sainte Agathe*, Romæ.

S. Agathæ Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 55. Conditum à S. Gregorio PP. II.

AGAUNUM Mon. in E. Octodorenſi ſeu Sedunenſi.

Agaunum, Mon. in E. Octodorenſi, Tomo 1. a. 536. nn. 147. *& ſeqq.* Conditur, a. 515. ſtante Burgundionum Regno. Hodie nomen gerit Sancti Mauricii, *Saint Maurice*, in E. Sedunenſi.

Auraſtus Abb. a. 751. a. 753.

Wilicarius Abb. a. 765.

Benedictus Abb. a. 768.

Altheus Abb. a. 786. ſit Ep. Sedunenſis, a. circiter 788.

Adelungus ſit Abb. a. circiter 788. ſit etiam Ep. Sedunenſis poſt a. 811. vivit, a. 814.

S. AGNETIS Mon. *Sainte Agnés*, prope Romam.

S. Agnetis Mon. extra Urbem prope portam Numentanam, Tomo 6. a. 796. n. 56.

S. ALBINI Mon. *S. Aubin*, in E. Andegavenſi.

S. Albini Mon. in E. Andegavenſi, Tomo 3. a. 654. n. 32.

Gontarus Abb. a. 769.

ALMANISCÆ, Mon. *Almeneſches*, in E. Sagienſi.

Almaniſcæ, Mon. puellare in E. Sagienſi, Tomo 5. a. 746. n. 46.

Nanthildis Abbatiſſa, a. 752. ſuperſtes, a. 770.

ALTAICHIUM INFERIUS, Mon. *Nider-Altaich*, in Diœceſi Patavienſi.

Altaichium Inferius, Mon. in Diœceſi Patavienſi, Tomo 5. a. 741. n. 53. Conditur ab Odilone Duce ſeu Præfecto Bojoariæ.

Eberſwindus Abb. a. 752. a. 765.

Wolfbertus Abb. a. 771. a. 789.

Urolphus Abb. a. 807. a. 812.

Teutpaldus Abb. a. 821.

Gozbaldus Abb. a. 823.

ALTAICHIUM SUPERIUS, Mon. *Ober-Altaich*, in E. Reginoburgenſi.

Altaichium Superius, Mon. in E. Reginoburgenſi, Tomo 5. a. 739. n. 43. Conditur ab Odilone Duce ſeu Præfecto Bojoariæ.

Erneſtus primus Abb. a. 739. a. 752. ſuperſtes, a. 771.

ALTONIS Mon. *Alten-Munſter*, in E. Auguſtano, deinde in Friſingenſi.

Altonis Mon. Tomo 4. a. 718. n. 18. A Sancto Altone inchoatur in Diœceſi Auguſtana, ſed Bojoariâ quatuor in Epiſcopatu; poſteà diviſâ Friſingenſi attribuitur,

Alto conditor ac primus Abb. obit regnante Pippino, a. circiter 755.
Marinus fit Abbas, a. circiter 755.
Etho Abbas ſub a. 780.
Gebzo Abb. incertum quo loco ponendus.

AMARBARICUM, Mon. in E. Verdenſi.

Amarbaricum, Mon. in E. Verdenſi, Tomo 7. a. 807. n. 37. Conditum ſub Pontificatu Swiberti primi Verdenſis Epiſcopi.
Patto primus Abbas.
Tanco Abb. fit Ep. Verdenſis, a. 807.
Nortyla fit Abb. a. 807. } De his conſule Tomum 7. a. 807. n. 37.
Cevilo Abb. }

AMBRONIACUM, Mon. *Ambronay*, in E. M. Lugdunenſi.

Ambroniacum, Monaſt. Tomo 6. a. 802. n. 118. Conditum in E. M. Lugdunenſi à S. Barnardo adhuc laico.
* Abb. a. 802. obit, a. 809.
Barnardus conditor fit Abbas, a. 809. Archiep. quoque Viennenſis, a. 811.

S. AMBROSII Mon. *S. Ambroiſe*, in E. M. Mediolanenſi.

S. Ambroſii Monaſt. in Archiep. Mediolanenſi, Tomo 6. a. 784. n. 26. Conditum à Petro Archiep. Mediolanenſi.
Benedictus primus Abbas, a. 784. a. 789.
Arigauſus Abb. a. 806.

AMERBACHIUM, Mon. *Amerbach*, in E. Wirceburgenſi.

Amerbachium Mon. in E. Wirceburgenſi, Tomo 5. a. 758. n. 47.

S. ANASTASII Mon. prope Romam.

S. Anaſtaſii, ſeu S. Vincentii, vel SS. Vincentii & Anaſtaſii Mon. extra Urbem ad Aquas Salvias ſive ad Tres fontes, Tomo 6. a. 796. n. 57.

S. ANDREÆ Mon. Romæ.

S. Andreæ Mon. in Urbe, in Clivo Scauri, Tomo 6. a 796. n. 58.

S. ANDREÆ Mon. Romæ.

S. Andreæ Mon. in Urbe juxta Baſilicam Apoſtolorum, Tomo 6. a. 796. n. 59.

S. ANDREÆ Apoſtoli Mon. Romæ.

S. Andreæ Apoſtoli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 60. Inſtauratum à S. Gregorio P P. II.

SS. ANDREÆ & BARTHOLOMÆI Mon. Romæ.

SS. Andreæ & Bartholomæi Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 61. Conditum ab Honorio P P.

S. ANIANI Mon. *S. Aignan*, in E. Aurelianenſi.

S. Aniani Mon. Aureliæ, Tomo 3. a. 654. nn. 22. 24. dictum anteà Mon. S. Petri, conditum à Dietpeto Ep. Aurelianenſi, medio quarto ſeculo.
Fulco Abb. ſuperſtes poſt a. 774.
Theodulfus Abbas & Ep. Aurelianenſis, a. 786. obit, a. 821.

ANIANUM, Mon. *Aniane*, in E. Magalonenſi.

Anianum, Mon. in E. Magalonenſi, Tomo 6. a. 797. n. 30. Conditum à S. Benedicto primo illius loci Abbate.
Benedictus conditor ac primus Abb. a. 797. dimittit curam Mon. a. 814. obit, a. 821.
Senegildus fit Abb. a. 814. obit ſuperſtite Benedicto.
Georgius Abb. a. 816. fit etiam Abb. Gellonenſis, obit, a. 822.
Tructeſindus fit Abb. Anianenſis & Gellonenſis, a. 822.
Hucerandus Abb. Anianenſis & Gellonenſis, a. 824.

ANISOLA Mon. *Anille*, in E. Cenomannenſi.

Aniſola, Mon. Tomo 1. a. 532. n. 11. ad Aniſolam fluvium conditur à S. Carilepho ex munificentia Childeberti R. in E. Cenomannenſi temporibus Innocentii Ep. hodie vocatur Mon. S. Catilephi, *Saint Calais*.
Sigobaldus Abb. regnante Pippino.
Ebroinus Abb. obit ineunte a. 800.

S. ANTHYMI Mon. *S. Antime*, in E. Senenſi.

S. Anthymi Mon. in E. Senenſi, Tomo 7. a. 826. n. 43. Conditum ſub Peritheo Ep. qui ſedebat illo anno.

S. APHRODISII Mon. *S. Aphroiſe*, in E. Biterrenſi.

S. Aphrodiſii Mon. in E. Biterrenſi, Tomo 5. a. 755. n. 98.

S. APRI Mon. *Saint Evre*, in E. Tullenſi.

S. Apri Mon. in E. Tullenſi, Tomo 2. a. 584. n. 14.
Frotharius Abb. a. 805. fit etiam Ep. Tullenſis, a. 813. De illo iterum Tomo ſequenti.

ASCHAUGIA, Mon. *Aſchaw*, in E. Straſburgenſi.

Aſchaugia, Mon. puellarum in E. Straſburgenſi, Tomo 6. a. 778. n. 43. Conditur à Remedio Ep. Straſburgenſi.
Attala fit prima Abbatiſſa, a. 778.

AUGIA DIVES, Mon. *Reichenow*, in E. Conſtantienſi ad Rhenum.

Augia cognomento Dives, Monaſt. in E. Conſtantienſi ad Rhenum, Tomo 4. a. 724. n. 33. Conditur à S. Pyrminio ex liberalitate Sintlacii illius Inſulæ Domini.
Sidonius Ep. Conſtantienſis & Abb. Augienſis, a. 752. fit etiam Abb. San-Gallenſis, a. 758. obit, a. 759.
Joannes fit E. Conſtantienſis, Abb. Augienſis & San-Gallenſis, a. 759. obit, a. 781.

Digitized by Google

Petrus ſit Abb. Augienſis, a. 781. obit, a. 786.
Walto ſit Abb. a. 786. abdicat ſe regimine, a. 806.
Heyto ſit Abb. a. 806. ſit etiam Ep. Baſileenſis, a. 807. abdicat regimen, a. 823.
Erlebaldus ſit Abb. a. 823. ſuperſtes, a. 828.

B

BALNEOLUM, Mon. *Banyoles*, in E. Gerundenſi.

Balneolum, Monaſt. in E. Gerundenſi, Tomo 6. a. 785. n. 7. Conditum à S. Amerio.
Amerius ſive Emeritus conditor ac primus Abb. a. 785.

BARBARENSE Mon. *l'Iſle Barbe*, in E. M. Lugdunenſi.

Barbarenſe ſive Inſulæ Barbaræ Mon. Tomo 1. a. 534. n. 23. Conditur in Arari fluvio prope Lugdunum quarto ſeculo, deletur à Saracenis octavo ſeculo, inſtauratur à Leidrado Archiep. Lugdunenſi ſub Carolo Magno.
Campio poſt inſtaurationem ſit primus Abb. ſuperſtite Carolo Magno, vivit a. 816. ſub Ludovico Pio.

S. BASOLI Mon. *S. Baſle*, in E. M. Remenſi.

S. Baſoli Mon. in E. M. Remenſi, Tomo 2. a. 625. n. 129. Tom. 3. a. 662. n. 9.
Benedictus Abb. } Temporibus Ebo-
Spernus Abb. ſuperioris frater. } nis Archiep. Remenſis.

BEANIA, Mon. *Baigne*, in E. Santonenſi.

Beania, Mon. in E. Santonenſi, Tomo 7. a. 814. n. 28. Conditum à Carolo Magno.

S. BENEDICTI Mon. *S. Benoiſt*, in E. Tiburtino.

S. Benedicti Mon in E. Tiburtino Ducatûs Romani, Tomo 6. a. 796. n. 101.

S. BENIGNI Mon. *S. Benigne*, in E. Lingonenſi.

S. Benigni Mon. Tomo 1. a. 534. n. 29. Conditur Divione in E. Lingonenſi, regnante apud Burgundiones Gundobado.
Tanothardus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Waldricus ſit Abb. regnante Pippino, ſit etiam Epiſc. Lingonenſis, a. 780. vivit, a. 785.
Aridius Abb. a. 791.
Hildebrannus Abb. a. 801.
Herlegaudus Abb. vivit ſuperſtes Carolo Magno.
Herlebertus Abb. a. 820.

BERCETUM, Mon. *Bercetо*, in E. Parmenſi.

Bercetum Mon. in E. Parmenſi, Tomo 6. a. 774. n. 51. Conditum à Liutprando R. Longobardorum.

BESUA, Mon. *Beſe*, in E. Lingonenſi.

Beſua, Mon. in E. Lingonenſi, Tomo 2. a. 616. nn. 5. 6. Conditum ab Amalgario Duce.
Syrannus Abb. a. 752. obit regnante Pippino. Diſperſi tum Monachi Beſuenſes, nec Monaſterio ſuus ſplendor reſtitutus ante obitum Caroli Magni.
Seraphim Abb. a. 816.

BISCHOFFSHEIMIUM, Mon. *Biſchoffsheim*, in Archiep. Moguntino.

Biſchoffsheimium, Mon. in Diœceſi Moguntina, Tomo 5. a. 749. n. 38.
Lioba Abbatiſſa, a. 752. obit, a. 779.

BLANDINIUM, Mon. *Blandinberch*, in E. Torvacenſi.

Blandinium, unum è Monaſteriis Gandenſibus in E. Tornacenſi, Tomo 2. a. 631. nn. 3. 4. Conditur à S. Amando, habet à prima inſtitutione Clericos quos idem Amandus erudit, deinde Monachos.
Scoranus à fratribus diſperſis Abb. eligitur, a. 765. obit, a. 812.
Folradus ſit Abb. a. 812. ſuperſtes, a. 815.

BLEISTADIUM, Mon. *Bliedenſtat*, in Archiep. Moguntino.

Bleiſtadium, Mon. in Archiep. Moguntino, Tomo 6. a. 777. n. 4. Conditum à S. Lullo Archiep. Moguntino.

BOBIUM, Mon. *Bobio*, in E. Placentino.

Bobium Mon. in E. Placentino, Tomo 6. a. 774. n. 50. Conditum à S. Columbano, florente tunc Longobardorum Regno.

BODANUM Mon. *Beuvons*, in E. Segeſtaricenſi.

Bodanum Mon. in E. Segeſtaricenſi, Tomo 1. a. 536. n. 168.
Wandalbertus Abb. a. 789.

BOETIANUM Mon. Romæ.

Boetianum Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 99.

BRANTOSMA, Mon. *Brantôme*, in E. Petrocoricenſi.

Brantoſma, Monaſt. in E. Petrocoricenſi, Tomo 7. a. 816. nn. 24. *& ſeqq.* Conditum à Pippino Aquitaniæ R.

BRUGNATUM, Mon. *Brugnetto*, in E. Lunenſi.

Brugnatum, Mon. in E. Lunenſi, Tomo 6. a. 774. n. 54. Conditum florente Longobardorum Regno.

BURA, Mon. *Beura*, in E. Friſingenſi.

Bura, Monaſt. in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 742. n. 27. Conditum cum ſeptem

aliis ab Illuſtribus Comitibus ac fratribus, Landfrido, Waldramo, & Elilando.
Landfridus Abb. a. 752. obit regnante Carolo Magno.

C

S. CÆSARII Mon. Romæ.
S. Cæſarii Mon. Romæ prope Baſilicam S. Pauli, Tomo 6. a. 796. n. 62. Inſtauratum à S. Gregorio PP. II.
CAMPIDONA, Mon. *Kempten*, in E. Auguſtano.
Campidona, Mon. in E. Auguſtano, Tomo 2. a. 618. n. 24.
Andegarius ſit Abb. Hildegarde tum Reginâ, obit, a. 796.
Agapitus ſit Abb. a. 796. obiit, a. 817.
Gothardus ſit Abb. a. 817. præeſt ann. 23.
S. CARAUNI Mon. *S. Cheron*, in E. Carnotenſi.
S. Carauni Mon. in E. Carnotenſi, Tomo 4. a. 685. n. 16. Conditum regnante Clotario III.
Dodo Abb. a. 752. obit, a. 772.
Odo ſit Abb. a. 772. obit, a. 788.
Matthæus ſit Abb. a. 788. obit, a. 799.
Dionyſius ſit Abb. a. 799. præeſt ann. 43.
CARROFUM, Mon. *Charoux*, in E. Pictavienſi.
Carrofum, Mon. in E. Pictavienſi, Tomo 6. a. 789. nn. 223. *& ſeqq* Conditum à Rotgerio Comite Lemovicenſi & ab Euſtaſia ejus uxore.
Dominicus primus Abb. a. 789.
David Abb. Carolo nondum Imperatore.
Juſtus Abb. a. 815. a. 817.
Gumbaldus Abb.
} De quatuor his antiquiſſimis Abbatibus conſule Tom. 6. a. 789. nn. 223. *& ſeqq.*
CASINENSE Mon. *Mont Caſſin*, in Diœceſi Caſinenſi.
Mons Caſinus Diœceſi Caſinenſi nomen fecit ſub M. Romano. Hæc Diœceſis modò habuit Epiſcopum, modò Abbatem qui ordinariam Epiſcopalem juriſdictionem exerceret. Lege Ughellum in Append. ad Tom. 2. Ital. Sacr. Mons autem Caſinus cum reliqua Longobardia venit in Francorum poteſtatem, a. 774. Monaſterii conditor ac primus Abb. fuit S. Benedictus ſtante Oſtrogothorum Regno.
Poto Abb. a. 774. obit, a. 777.
Theodemar ſit Abb. a. 777. obit, a. 796.
Giſulfus ſit Abb. a. 796. obit, a. 818.
Apollinaris ſit Abb. a. 818. De illo rurſum Tomo ſequenti.
S. CASSIANI Mon. prope Romam.
S. Caſſiani Monaſt. extra murum Urbis, Tomo 6. a. 796. n. 63.
CASTRA, Mon. *Caſtres*, in E. Albigenſi.
Caſtra, Monaſt. in E. Albigenſi, Tomo 3. a. 647. n. 14.
Alfonſus Abb. a. 752.
Grimoaldus Abb. a. 812. a. 815.
Adelmus Abb. a. 825.
CATZIA, Mon. *Catzé*, in E. Curienſi.
Catzia, Mon. puellarum in E. Curienſi, Tomo 5. a. 758. n. 46. a. 760. n. 11. à Paſchale Ep. Curienſi inchoatum, à Victore ejus ſucceſſore abſolutum.
Veſpula prima Abbatiſſa, filia Paſchalis ex legitimo toro & ſoror Victoris, a. 760.
CELLA, Mon. in E. Cameracenſi.
Cella, Mon. in E. Cameracenſi, Tomo 3. a. 651. n. 1. Conditur à S. Giſleno, cujus nomen hodie gerit, *S. Guilhain.*
Elephas Abb. a. 808. a. 818.
CELLA MONACHORUM, Mon. hodie *Ettenheim-Munſter*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.
Cella Monachorum, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 4. a. 687. n. 10. Conditum a Vicgerno Ep. Argentoratenſi, hodie ab oppido *Ettenheim* vocatur *Ettenheim-Munſter.*
Hildolfus Abb. a. 762. obit regnante Carolo Magno.
Littholdus Abb.
Reginoldus Abb.
} Incertum quo tempore hi præfuerint.
CELLA, Mon. *Lewarzell*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.
Cella ſeu Cella Leobardina vel Cella Leobardi, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 2. a. 586. n. 42. Conditur à S. Leobardo unde illi nomen *Lewarzell*; hodie Mauri Monaſterium, vulgò *Maur-Munſter* ab Abbate Mauro, qui florebat a. 725.
Celſus Abb. a. 828.
CENTULA, Mon. in E. Ambianenſi.
Centula Mon. in E. Ambianenſi, Tomo 3. a. 650. n. 6. Conditur à S. Richario, cujus nomen hodie gerit, *S. Riquier.*
Guitmarus Abb. a. 752. a. 765. vivit ſuperſtes Pippino R.
Aldricus Abb.
Symphorianus Abb. a. 796. obit, a. 798.
Angilbertus ſit Abb. a. 798. obit, a. 814.
Hericus ſit Abb. a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.
CHIEMENSE Mon. *Chiemſée*, in Diœceſi Saliſburgienſi.
Chiemenſe Monaſt. in Diœceſi Saliſburgienſi, Tomo 5. a. 771. n. 40. Conditum à Thaſſilone Duce Bojoariæ, dedicatur, a. 783.
CHIEMENSE Mon. *Frauenwerd*, in Diœceſi Saliſburgienſi.
Chiemenſe Mon. puellarum in Diœceſi Saliſburgienſi,

liſburgienſi, Tomo 6. a. 783. n. 25. Conditum à Thaſſilone Duce Bojoariæ.

CHREMBSENSE Mon.
Krembs-Munſter,
in Diœceſi Patavienſi.

Chrembſenſe Mon. in Diœceſi Patavienſi, Tomo 6. a. 777. n. 28. Conditum à Thaſſilone Duce Bojoariæ.

S. CHRISTINÆ Mon.
in E. Vercellenſi.

S. Chriſtinæ Mon. in E. Vercellenſi, Tomo 7. a. 822. n. 4. floruit ſub Longobardis, deinde ſub Francis ab a. 774.

Petrus Abb. a. 822.

S. CHRYSOGONI Mon.
Romæ.

S. Chryſogoni Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 64. Conditum à S. Gregorio PP. III.

CINGLENSE Mon.
in E. Capuano.

Cinglenſe Monaſt. puellarum in E. Capuano, Tomo 6. a. 774. n. 89. Conditum ſtante Longobardorum Regno.

S. CLODOALDI Mon. *S. Clou*,
in E. Pariſienſi.

S. Clodoaldi Mon. in E. Pariſienſi, Tomo 5. a. 765. n. 23.

Joannes Abb. a. 765.

S. COLUMBÆ Mon. *Sainte Colombe*,
in E. M. Senonenſi.

S. Columbæ Mon. prope Senonas peranticuum, Tomo 5. a. 752. n. 137.

Widradus Abb. a. 752. a. 765.

Remigius Abb. a. 818.

CONCHENSE Mon. *de Conques*,
in E. Rutenenſi.

Conchenſe ſeu Conchacenſe Mon. in E. Rutenenſi, Tomo 7. a. 812. n. 33.

Dado primus Abb. poſt reſtaurationem ſub Ludovico Pio R. Aquitaniæ.

Madraldus ſeu Medraldus Abb. a. 801. a. 819.

Geofredus Abb.

Anaſtaſius Abb. a. 823.

CONDATESCENSE Mon.
hodie *S. Claude*,
in E. M. Lugdunenſi.

Condateſcenſe Mon. in E. M. Lugdunenſi, Tomo 1. a. 534. n. 24. Erectum à S. Romano ante a. 444.

Hippolytus Abb. a. 752. obit, a. 783.

Ricbertus ſit Abb. a. 783. obit, a. 792.

Berthardus ſit Abb. a. 792. obit, a. 803.

Antelmus ſit Abb. a. 803. obit, a. 815.

Achinus ſit Abb. a. 815. Vide inferiùs Abbates S. Eugendi.

CORBEÏA GALLICANA, Mon. *Corbie*,
in E. Ambianenſi.

Corbeïa Gallicana, Mon. in E. Ambianenſi, Tomo 3. a. 657. n. 13. Conditur à S. Bathilde Regina.

Grimo Abb. a. 752.

Leodegarius Abb. a. 765.

Aldo Abb. obit a. 770.

Nordrannus ſit Abb. a. 770. Senio confectus abdicat munus Abbatiale, a. . . .

Adelhardus Abb. obit, a. 826.

Wala ſuperioris frater ſit Abb. a. 826. De illo rurſum Tomo ſequenti.

CORBEÏA SAXONICA, Mon. *Corvey*,
in E. Paderbornenſi.

Corbeïa Saxonica, Monaſt. in E. Paderbornenſi, Tomo 7. a. 822. n. 101.

Adelhardus Abb. Corbeïæ Gallicanæ, ſit etiam Abb. Corbeïæ Saxonicæ, a. 822. obit, a. 826.

Warinus ſit Abb. Corbeïæ Saxonicæ, a. 826. De illo rurſum Tomo ſequenti.

CORMARICUM, Mon. *Cormery*,
in E. M. Turonenſi.

Cormaricum, Mon. in Archiep. Turonenſi, Tomo 6. a. 791. nn. 49. *& ſeqq.* Conditum ab Itherio Abb. Sam-Martiniano.

Itherius Abb. Sam-Martinianus, conditor ac primus Abb. Cormaricenſis, a. 791. obit, a. 796.

Alcuinus ſit Abb. Sam-Martinianus & Cormaricenſis, a. 796. obit, a. 804.

Fredegiſus ſit Abb. Sam-Martinianus & Cormaricenſis, a. 804. abdicat regimen Monaſterii Cormaricenſis, a. 820.

Jacob ſit Abb. Cormaricenſis, a. 820. ſuperſtes a. 828.

DE CORSAS Mon.
Romæ.

Mon. *de Curſa* in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 66.

SS. COSMÆ & DAMIANI Mon.
Romæ.

SS. Coſmæ & Damiani Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 67.

S. CRUCIS Mon.
in E. Meldenſi.

S. Crucis Mon. in E. Meldenſi, Tomo 3. a. 642. n. 63. Conditum à S. Farone Ep. Meldenſi, cujus nomen hodie gerit, *S. Faron.*

Ingelmundus Abb. a. 752. obit, a. 762.

Milo ſit Abb. a. 762. obit, a. 780.

Adam ſit Abb. a. 780. obit, a. 800.

Grimoaldus ſit Abb. a. 800. obit, a. 823.

Rainerius ſit Abb. a. 823. præeſt ann. 10.

S. CRUCIS Mon.
in E. Pictavienſi.

Pictavienſe Mon. puellarum Tomo 1. a. 544. n. 99. Conſtructum à S. Radegunde Regina in civitate Pictavienſi. Vocatur Monaſt. S. Crucis à Pippino R. Aquitaniæ, a. 815. hodie *Sainte Croix de Poitiers.*

Gerberta Abbatiſſa, a. 825.

CRUX S. AUDOENI, Mon.
in E. Ebroicenſi.

Crux S. Audoeni, Mon. in E. Ebroicenſi, Tomo 4. a. 690. n. 12. Conditum à S.

Leufredo, cujus nomen hodie gerit. *La Croix Saint Leufroy.*
Agofredus Abb. a. 752.

D

DERVUM, Mon. *Mouſtier-en-Der*, in E. Catalaunenſi.
Dervenſe Monaſt. in E. Catalaunenſi, Tomo 3. a. 671. n. 10. Conditum à S. Bercharío ex munificentia Childerici II. R.
Haudo ſive Hauto Abb. a. 815. a. 817.
S. DIONYSII Mon. *S. Denys*, in E. Pariſienſi.
S. Dionyſii Mon. in E. Pariſienſi, in vico Catholacenſi, Tomo 1. a. 627. n. 10. Novum conditur à Dagoberto I. R. a. 630. nn. 8. *& ſeqq.*
Sigibertus, Sigebertus, Sygobertus, Singebertus Abb. a. 752.
Conſtramnus Abb. a. 757.
Fulradus Abb. a. 765. obit, a. 784.
Maginarius ſit Abb. a. 784. obit, a. 793.
Fardulfus ſit Abb. a. 793. obit, a. 806.
Walto ſit Abb. a. 806. obit, a. 814.
Hilduinus ſit Abb. a. 814. De illo rurſum Tomo ſequenti.
DISERTINA, Mon. *Diſentis*, in E. Curienſi.
Diſertina, Mon. in E. Curienſi, Tomo 5. a. 745. n. 120.
Urſicinus Abb. a. 752. ſit Ep. Curienſis, a. 768.
Adelbero ſit Abb. a. 768. ſuperſtes, a. 772.
Azo Abb. obit, a. 778.
Præſtans ſit Abb. a. 778.
Ogo Abb.
Prunico Abb. obit, a. 815.
Richardus ſit Abb. a. 815.
S. DONATI Mon. Romæ.
S. Donati Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 68.
DONONIUM, Mon. *Denain*, in E. Atrebatenſi.
Dononium, Mon. Puellarum in E. Atrebatenſi, Tomo 5. a. 764. nn. 16. *& ſeqq.* Conditum à SS. Aldeberto & Regina.
Regina fundatrix & prima Abbatiſſa, a. 764. obit regnante Carolo Magno.
Ragenfredis Abbatiſſa.
DUSERA Mon. *Denzere*, in E. Arauſicano.
Duſera, Monaſt. in territorio Arauſicano, Tomo 7. a. 812. n. 43. Conditum à Theodorico III. R. Francorum, ſubditumque Fontanellæ, diruitur à Saracenis a. 831. inſtauratur à Carolo Magno & Ludovico Pio, a. 812. nec amplius ſubjicitur Fontanellæ.
Norfidius primus Abb. obit Carolo Magno ſuperſtite.
Dexter Abb. a. 814. a. 817.

E

EBERSHEIMIUM, Mon. *Ebersheimb-Munſter*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.
Ebersheimium, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 4. a. 690. n. 63. Conditum ab Athico Duce Alemanniæ, patre S. Odiliæ.
Columbus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Benedictus ſit Abb. regnante Pippino.
Iſenhardus ſive Iſenbardus Abb.
Deipoldus Abb. ſuperſtes, a. 810.
Griemaldus ſeu Griemoldus Abb.
Sambarius Abb. a. 824.
Theobaldus Abb. a. 828.
ELNO, Monaſterium in E. Tornacenſi.
Elno, Mon. Tomo 3. a. 639. nn. 8. 9. in E. Tornacenſi ad confluentes Elnonis in Scarpum, ab Elnone nomen accepit, conſtructum eſt à S. Amando, cujus nomen hodie gerit. *S. Amand.*
Gilbertus Abb. a. 752. ſit etiam Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis Carolo jam Monarchâ, obit, a. 782.
Agilfridus Ep. Leodienſis, ſit etiam Abb. Elnonenſis, a. 781. obit, a. 784.
Arnonus ſit Abb. a. 784. ſuperſtes, a. 795.
Adalricus Abb.
Rotfridus Abb. a. 809. obit, a. 9. ſui regiminis.
Adaleodus Abb. a. 817. a. 822.
ELWACENSE Mon. *Elwangen*, in E. Auguſtano.
Elwacenſe ſive Elwangenſe vel Elefancenſe Mon. in E. Auguſtano, Tomo 5. a. 764. n. 19. Conditum ab Herulfo ſive Hariolpho Ep. Lingonenſi.
Herulfus ſive Hariolphus conditor ac primus Abb. a. 764. obit, a. circiter 780.
Vicbertus ſit Abb. a. circiter 780. obit. a. 792.
Grimoldus ſit Abb. a. 792. obit, a. 800.
Otbaldus ſive Othaldus ſit Abb. a. 800. obit, a. 810.
Adelgerus ſit Abb. a. 810. præeſt ann. 20.
S. EMMERAMMI Mon. in E. Reginoburgenſi.
S. Emmerammi Mon. Ratiſbonæ ad Danubium, Tomo 4. a. 694. n. 14. Conditum à Theodone IV. Duce Bojoariæ.
Alaboldus obit, a. 752. Pippino jam Rege, & Bojoariâ plures in Diœceſes ab a. 739 ſeparatâ, atque Monaſterio S. Emmerammi Diœceſi Reginoburgenſi attributo.
Babo ſit Abb. a. 752. obit, a. 778.
Sigiſmundus ſit Abbas, a. 778. obit, a. 798.
Richpaldus ſit Abb. a. 798. obit, a. 812.
Sigefridus ſit Abb. a. 812. præeſt ann. 8.

Digitized by Google

EPTERNACUM, Mon. *Eternac*, in E. M. Trevirenſi.

Epternacum, Mon. in E. M. Trevirenſi, Tomo 4. a. 698. nn. 3. 6. Conditum à S. Irmina Abbatiſſa Horreenſi, Dagoberti II. R. filia.

Albertus Abb. a. 752. obit, a. 770.

Beonradus, Berardus, Leonardus, ſit Abb. a. 770. deinde etiam Archiep. Senonenſis, a. 792. obit, a. 795.

Ado ſive Aldo ſit Abb. a. 795. obit, a. 817.

Sigoaldus Ep. Spoletanus ſit Abb. a. 817. obit, a. 817.

Theotgaudus ſit Abb. a. 827.

S. ERASMI Mon. Romæ.

S. Eraſmi Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 69. Conditum ab Adeodato PP. in Cœlio monte.

S. EUGENDI Mon. *S. Oyan*, in E. M. Lugdunenſi.

Condateſcenſe Mon. de quo ſuprà, mutato nomine dictum fuit Mon. S. Eugendi, *S. Oyan*, nec aliter vocatur in Conſtitutione Ludovici Pii, a. 817. n. 248.

Achinus Abb. S. Eugendi, a. 817. a. 818.

S. EUGENIÆ Mon. prope Romam.

S. Eugeniæ Mon. extra murum Urbis, Tomo 6. a. 796. n. 70.

S. EUGENII Mon. in E. Senenſi.

S. Eugenii Mon. de Iliceto in E. Senenſi, Tomo 6. a. 774. n. 61. Conditum à Wanfredo temporibus Liutprandi Regis Longobardorum.

S. EUPHEMIÆ Mon. in E. Spoletano.

S. Euphemiæ Mon. in E. Spoletano, Tomo 6. a. 774. n. 15.

SS. EUPHEMIÆ & ARCHANGELI Mon. Romæ.

SS. Euphemiæ & Archangeli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 71.

EYKA, Mon. *Eyke*, in E. Leodienſi.

Eyka, Monaſt. puellare in E. Leodienſi, Tomo 5. a. 742. n. 50. Conditum à parentibus SS. Herlindis & Reinilæ, Adalhardo & Grinuara.

Reinila Abbatiſſa, a. 752. pervenit ad ætatem decrepitam.

F

FABARIA Mon. *Pfeffert*, in E Curienſi.

Fabaria, Mon. in E. Curienſi, Tomo 5. a. 745. n. 118.

Lupicinus Abb. a. 752. obit, a. 761.

Vincentius ſit Abb. a. 761.

Athalbertus Abb. a. 765. obit, a. 772.

Martianus ſit Abb. a. 772. obit, a. 780.

Bertrantius ſit Abb. a. 780. obit, a. 785.

Criſpio ſit Abb. a. 785. obit, a. 787.

Cymbertus ſit Abb. a. 787. obit, a. 789.

Richardus ſit Abb. a. 789. obit, a. 795.

Bruninus ſeu Breuningus ſit Abb. a. 795. obit, a. 799.

Eberhardus ſit Abb. a. 799. obit, a. 803.

Wernherus ſit Abb. a. 803. obit, a. 811.

Guerdo ſit Abb. a. 811. obit, a. 814.

Gebenus ſit Abb. a. 814. obit, a. 816.

Guido ſit Abb. a. 816. obit, a. 817.

Vipertus ſit Abb. a. 817. obit, a. 819.

Victor ſit Abb. a. 819. ſit Epiſc. Curienſis, a. 820.

Gunibertus ſit Abb. a. 820. obit, a. 825.

Joannes ſit Abb. a. 825.

FANANUM, Mon. in E. Mutinenſi.

Fananum, Mon. in E. Mutinenſi, Tomo 6. a. 774. n. 48. Conditum à S. Anſelmo Duce Foro-Julienſi, regnante tum in Longobardia Aiſtulpho R.

Anſelmus conditor ac primus Abb. obit, a. 803.

FAUCES, Mon. *Fuſſin*, in E. Auguſtano.

Faucenſe Mon. in E. Auguſtano, Tomo 2. a. 629. n. 10.

Bertholdus Abb. a. 752.

Wilhelmus. Abb.

FAURINIACUM, Mon. *Favernay*, in E. M. Veſontionenſi.

Fauriniacum, Mon. puellare in Archiep. Veſontionenſi, Tomo 7. a. 817. n. 247.

SS. FAUSTINI & JOVITTÆ Mon. in E. Brixienſi.

SS. Fauſtini & Jovittæ Mon. Tomo 7. a. 810. n. 28. Conditur Brixiæ à Ramperto illius civitatis Ep. qui ſedere cœpit, a. 814.

Leutgarus primus Abb.

FERRARIÆ Mon. *Ferrieres*, in E. M. Senonenſi.

Ferrariæ, Mon in E. M. Senonenſi, Tomo 4. a. 713. n. 40. Conditum regnante Dagoberto I.

Gervaſius Abb. a. 752.

Garmundus Abb.

Ogerius Abb.

Conſtantius Abb. obit, a. 794.

Alcuinus ſit Abb. a. 794. obit, a. 804.

Sigulfus ſit Abb. a. 804. abdicat munus Abbatiale, a. 817.

Adelbertus ſit Abb. a. 817. obit, a. 821.

Aldricus ſit Abb. a. 821. præeſt, a. 828.

FLAVIACUM Mon. in E. Bellovacenſi.

Flaviacum, Mon. in E. Bellovacenſi, Tomo 3. a. 655. n. 2. Conditum à S. Geremaro, unde illi hodie nomen. *S. Germer de Flaix.*

Anſegiſus ſit Abb. Flaviacenſis, a. 815. deinde Luxovienſis, a. 817.

Adebrardus fit Abb. Flaviacenſis, a. 817. vivit, a. 828.

FLAVINIACUM, Mon. *Flavigny*, in E. Auguſtodunenſi.

Flaviniacum, Mon. in E. Auguſtodunenſi, Tomo 4. a. 722. n. 55. Conditum à Widerado.

Gayronius Epiſc. Auguſtodunenſis & Abb. Flaviniacenſis, a. 752. obit, a. 755.

Manaſſes fit Abb. a. 755. obit, a. 787.

Adalbertus fit Abb. a. 787. obit, a. 792.

Zacho fit Abb. a. 792. obit, a. 796.

Alduinus fit Abb. a. 796. obit, a. 803.

Appollinaris fit Abbas a. 803. obit, a. 825.

Vigilius fit Abb. a. 827.

FLORIACUM, Mon. *Fleury*, in E. Aurelianenſi.

Floriacum, Mon. in E. Aurelianenſi, Tomo 3. a. 656. n. 32. Conditum à Leodebodo Abb. S. Aniani ad muros Aurelianenſes.

Medo Abb. a. 752.

Deothimus fit Abb. ſuperſtite Pippino, deinde Ep. Aurelianenſis regnante Carolo.

Radulphus fit Abb. Deothimo ad Epiſcopatum promoto, obit, a. circiter 781.

Theoduphus fit Abb. a. circiter 781. deinde etiam Epiſc. Aurelianenſis ante a. 786.

Adacalcus fit Abb. Theodulfo Abbatiale munus abdicante, incertum quo anno.

Adalgaudus Abb. a. 817. a. 818. a. 821.

FONTANELLA, Mon. *Fontenelle*, in E. M. Rotomagenſi.

Fontanella, Mon. in E. M. Rotomagenſi, Tomo 3. a. 648. n. 28. Conditum à S. Wandregiſilo ex munificentia Erchinoaldi Majoris-Domûs ſub Clodoveo II. R. Vocatur hodie *Saint Vandrille*.

Auſtrulphus Abb. a. 752. obit, a. 753.

Wido, Widolaicus, Withlecus, fit Abb. a. 753. obit, a. 787.

Gervoldus fit Abb. a. 788. obit, a. 806.

Traſarus fit Abb. a. 806. abdicat munus Abbatiale, a. 820.

Eginhardus fit Abb. a. 820 abdicat munus Abbatiale a. 823.

Anſegiſus ſive Anſigiſus fit Abb. a. 823. ſuperſtes, a. 828.

FOSSATUM Mon. *Foſſez*, in E. Pariſienſi.

Foſſatenſe Mon. in E. Pariſienſi, Tomo 3. a. 638. n. 100. Conditum à Blidegiſilo Archidiacono Pariſienſi.

Elafredus Abb. a. 752.
Richardus Abb.
Henardus Abb. a. 768.
Raynaldus Abb.
Richarius Abb.
Optatus Abb.
} De illis Abbatibus conſule Tom. 5. a. 768. n. 16.

Ingelbertus Abb. a. 823. a. 824.

FRISTELLARIA, Mon. *Frideſlar*, in E. Birburgenſi, deinde in E. Paderbornenſi.

Friteſlaria, Mon. Tom. 4. a. 732. n. 18. in Haſſia conditum à S. Bonifacio Archiepiſcopo ſixam Sedem nondum obtinente, attributum poſteà Diœceſi Birburgenſi, a. 742.

Wigbertus Abb. a. 752. obit, a. 754. Epiſcopatus Birburgenſis nonus fuit Paderbornenſi, a. circiter 795. Abhinc Friteſlaria, cui nomen quoque S. Wigberti fuit inditum, pertinuit ad Diœceſim Paderbornenſem. Lege Tomum 7. a. 817. n. 261.

FULDA, Mon. *Fulde*, in E. Erphesfordienſi, deinde in Archiep. Moguntino.

Fulda, Mon. Tomo 5. a. 745. nn. 74. & *ſeqq.* Conditum à S. Sturmio in Diœceſi Bonifacii Archiepiſcopi ſixam Sedem nondum obtinentis, attributum poſteà Diœceſi Erphesfordienſi, a. 746.

Sturmius Abb. in E. Erphesfordienſi, poſt extinctum autem Epiſcopatum Erphesfordienſem, a. 755. in Archiep. Moguntino, obit, a. 779.

Baugolphus fit Abb. a. 779. injuſtè deponitur, a. 802.

Ratgarius fit Abb. a. 802. deponitur, a. 817.

Eigil fit Abb. a. 818. obit, a. 822.

Rabanus fit Abb. a. 822. vivit, a. 828.

FULRADOVILARE, Mon. in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.

Fulradovilare, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 5. a. 749. n. 67. Conditum à S. Fulrado, nomen S. Hippolyti pòſt accepit, vulgò *Saint Bilt*.

Fulradus Abb. a. 752. Unitur hoc Cœnobium Monaſterio San-Dionyſiano agri Pariſienſis, a. 777.

DUO FURNA, Mon. Romæ.

Duo Furna, Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 72.

S. FUSCÆ Mon. in E. Tarviſino.

S. Fuſcæ Mon. in E. Tarviſino, Tomo 6. a. 780. n. 31. Conditum à Gerardo Comite.

G

S. GALLI Mon. *S. Gal.* in E. Conſtantienſi ad Rhenum.

S. Galli Mon. in E. Conſtantienſi ad Rhenum, Tomo 2. a. 615. n. 1. gerit nomen conditoris.

Othmarus, reparatâ Cellâ Sancti Galli, fit Abb. illius loci, a. 753. obit, a. 758.

Sidonius Ep. Conſtantienſis & Abb. Augienſis, fit etiam Abb. San-Gallenſis, a. 758. obit, a. 759.

Digitized by Google

Joannes ſit Epiſcopus Conſtantienſis, Abb. San-Gallenſis & Augienſis, a. 759. obit, a. 781.

Rudpertus ſit Abb. San-Gallenſis, a. 781. obit, a. 782.

Walto ſit Abb. a. 782. expellitur ab Eginone Ep. Conſtantienſi, a. 784.

Werdo ſit Abb. a. 784. obit, a. 816.

Gotzbertus ſit Abb. a. 816. ſuperſtes, a. 828.

GANDA Mon. *Gand*, in E. Tornacenſi.

Ganda ſeu Gandenſe Mon. in E. Tornacenſi, Tomo 1. a. 631. nn. 5. 4. Conditur à S. Amando, habet à prima inſtitutione Clericos, quos idem erudit Amandus, deinde Monachos.

Hildebertus Abbas, a. 752. obit regnante Pippino.

Robertus Abb.

Wedericus Abb. ſuperſtes Pippino R.

Agilfridus Ep. Leodienſis ſit etiam Abb. Gandenſis Carolo & Carolomanno RR. obit, a. 784.

Eynoldus ſit Abb. a. 784. obit, a. 794.

Wenebaldus ſit Abb. a. 794. obit, a. 809.

Briddo ſit Abb. a. 809. obit, a. 816. Poſt ejus mortem diſperguntur Fratres Monaſterio igni conſumpto.

Eginhardus Abb. a. 719. inſtaurat Monaſterium, revocátque Monachos; vivit, a. 828.

GELONENSE Mon. hodie *Saint Guillaume du Deſert*, in E. Lutevenſi.

Monaſterium Gelonenſe ſive in Valle Gelonis, Tomo 7. a. 804. n. 107. Conditur in E. Lutevenſi à S. Willelmo tum Comite Toloſano, de cujus nomine nunc appellatur Cœnobium Sancti Guillelmi de Deſertis, *Saint Guillaume du Deſert*.

Benedictus Abb. Anianenſis, ſit etiam Abb. Gelonenſis, a. 804. curam utriuſque Monaſterii dimittit, a. 814.

Juliofredus ſit Abb. Gelonenſis, a. 814.

Georgius Abb. Anianenſis, ſit etiam Abb. Gelonenſis, obit, a. 812.

Truchefindus ſit Abb. Gelonenſis & Anianenſis, a. 812.

Hucerandus Abb. Gelonenſis & Anianenſis, a. 814.

GEMMETICUM, Mon. *Jumiége*, in E. M. Rotomagenſi.

Gemmeticum, Mon. in E. M. Rotomagenſi, Tomo 3. a. 662. nn. 16. 17. Conditum à S. Philiberto ex munificentia Clotarii III. R.

Drutgungus Abb. a. 752. a. 766.

Landricus Abb. a. 787.

Adamus Abb. a. 794.

Heliſagarus Abb. a. 800.
Angilbertus Abb.
Anſegiſus Abb.
} De tribus his Abbátibus conſule Tomum 6. a. 800. n. 101.

S. GEORGII Mon. in E. Conſtantienſi ad Rhenum.

S. Georgii Mon. in E. Conſtantienſi, Tomo 7. a. 824. n. 59.

Willelmus primus Abb. a. 824.

S. GEORGII Mon. in E. Reatino.

S. Georgii Mon. puellare prope muros Reatinos, Tomo 6. a. 774. n. 79.

S. GERMANI Mon. Pratenſe, *Saint Germain des Prez*, in E. Pariſienſi.

S. Germani Mon. in ſuburbio Pariſienſi. Tom. 1. a. 542. n. 32. Conditum eſt à Childeberto I. R. poſt a. 542. dictum primò Monaſterium S. Vincentii, deinde S. Germani.

Lantfridus Abb. a. 752. obit, a. 775.

Wichardus ſeu Guichardus ſit Abb. a. 775.

Robertus Abb. a. 778. a. 791.

Irmino Abb. a. 811. a. 817.

Hilduinus Abb. De illo iterum Tomo ſequenti.

S. GERMANI Mon. *Saint Germain d'Auxerre*, in E. Autiſſiodorenſi.

S. Germani Mon. Autiſſiodori, Tomo 2. a. 586. n. 38. Conditum à S. Germano Ep. Autiſſiodorenſi, priuſquàm illa civitas Francis dederetur.

Alegrerus Abb. a. 816.

Heribaldus Abb a. 820. vivit, a. 828.

GEROCOMIUM, Mon. Romæ.

Gerocomium, Mon. in Urbe, a. 796. n. 100. Conditum à S. Gregorio PP. II.

GLANNA, Mon. in E. Andegavenſi.

Glanna, Monaſt. in E. Andegavenſi, Tomo 4. a. 694. n. 12.

Albaldus Abb. regnantibus Pippino & Carolo.

Arnulphus Abb. regnante Carolo Magno.

Hilboldus ſit Abb. ſuperſtite Carolo Magno, obit ſub Ludovico Pio.

Frotbertus Abb. a. 824.

GORZIA, Mon. *Gorze*, in E. Metenſi.

Gorzia, Mon. in E. Metenſi, Tomo 5. a. 749. n. 68. Conditur à Chrodegango Ep. Metenſi.

Drocteganguſ Abb. a. 752. obit, a. 769.

Theutmarus ſit Abb. a. 769.

GRANDIS VALLIS, Mon. *Granfel*, in E. M. Veſontionenſi, deinde in E. Baſileenſi.

Grandis Vallis, Mon. in E. M. Veſontionenſi, Tomo 3. a. 647. n. 8. Conditum à Gundonio Viro Illuſtri, Baſileenſi Diœceſi nuper erectæ attribuitur, a. 748. n. 108. cum Monaſteriis S. Urſicini & Werdæ ſeu S. Pauli ad Inſulam ſimul unitis.

Gundoaldus Abb. a. 769.

GRASSA, Mon. *Graſſe*, in E. Carcaſſonenſi.
Graſſa, Mon. in E. Carcaſſonenſi, Tomo 5. a. 755. n. 100. Francicis ditionibus acceſſit, poſtquàm Pippinus è Septimania Saracenos expulit.
Infredus ſeu Songfredus Abb. a. 801. a. 806.
S. GREGORII Mon. *Munſter in S. Gregorienthal*, in E. Argentoratenſi, deinde in Baſileenſi.
S. Gregorii Monaſt. in E. Argentoratenſi, Tomo 3. a. 667. n. 35. Conditum à Childerico II. R. Baſileenſi Diœceſi recèns erectæ attribuitur, a. 748. n. 110. Adelrico tum Abbate.
Adelricus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Remigius ſit Abb. regnante Pippino, deinde Chorepiſcopus Straſburgenſis, poſtremò Straſburgenſis Ep. poſt a. 765.
Reſtuvinus ſit Abb. poſt a. 765. Remigio Ep. Straſburgenſi facto.
Urolphus Abb.
Recho Abb. ſit Ep. Straſburgenſis, a. 803.
Gotefridus ſit Abb. a. 803. vivit, a. 828.
S. GREGORII Mon. Romæ.
S. Gregorii Monaſt. in Urbe ad Clivum Scauri, Tomo 6. a. 796. n. 65.

H

S. HADRIANI Mon. Romæ.
S. Hadriani Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 75.
HASNONIUM, Mon. *Haſnon*, in E. Atrebatenſi.
Haſnonium, Monaſt. in E. Atrebatenſi, Tomo 4. a. 691. nn. 42. *& ſeqq.* Conditum à Joanne illius loci Domino.
Savericus Abb. a. 752. obit, a. 772.
Geroldus ſit Abb. a. 772. obit, a. 790.
Godefridus ſit Abb. a. 790.
HEERDEKA, Mon. *Heerdeke*, in E. M. Colonienſi.
Heerdeka, Monaſt. puellare in E. M. Colonienſi, Tomo 7. a. 819. n. 37. Conditum à Friderina Ludovici Pii conſanguinea.
HEIDENHEIMIUM, Mon. *Heidenheim*, in E. Eyſtettenſi.
Heidenheimium, Mon. in E. Eyſtettenſi, Tomo 5. a. 752. n. 90. Conditum à S. Wunibaldo.
Wunibaldus conditor ac primus Abb. a. 752. obit, a. 761.
HEIDENHEIMIUM, Mon. *Heidenheim*, in E. Eyſtettenſi.
Heidenheimium, Monaſt. puellarum in E. Eyſtettenſi, Tomo 5. a. 762. n. 7. Conditum à S. Walburge.
Walburgis fundatrix ac prima Abbatiſſa, a. 762. obit, a. 776.
HELMENSTADIUM, Mon. *Helmenſtadt*, in E. Salingeſtadienſi ſive Halberſtadienſi.
Helmenſtadium, Monaſt. in E. Salingeſtadienſi, Tomo 7. a. 805. n. 40. Conditum à S. Ludgero Ep. Mimigardevordenſi.
HERUS, Mon. *Noirmouſtier*, in E. Pictavienſi.
Herus, Mon. in E. Pictavienſi, Tomo 3. a. 674. n. 6. Tomo 4. a. 685. n. 3. Conditur ab Anſoaldo Ep. Pictavienſi.
Arnulfus Abb. a. 814. dimittit regimen, a. 815.
Hilbodus ſit Abb. a. 825.
HIERUSALEM, Mon. Romæ.
Hieruſalem, Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. nn. 64. 74.
S. HILARII Mon. in E. Carcaſſonenſi.
S. Hilarii Mon. in E. Carcaſſonenſi, Tomo 5. a. 755. n. 99. Conditum à S. Hilario Ep. Carcaſſonenſi; Francicis ditionibus acceſſit, poſtquàm pulſi ſunt è Septimania Saraceni.
Nampio Abb. ſub Carolo Magno.
Monnellus Abb. ſub Ludovico Pio.
S. HILARII Mon. in E. M. Senonenſi.
S. Hilarii Mon. puellare Senonis, Tomo 6. a. 799. n. 72.
S. HIPPOLYTI Mon. *S. Peltes*, in Diœceſi Patavienſi.
S. Hippolyti Mon. in Diœceſi Patavienſi, Tomo 5. a. 754. n. 84. Conditum ab Adalberto & Otgario fratribus, Optimatibus Bojoariis.
HOHENBURGUM, Mon. *Homburch*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.
Hohenburgum, Mon. puellarum in E. Argentoratenſi, Tomo 4. a. 690. n. 48. Conditum ab Athico Alemanniæ Duce, patre S. Odiliæ.
Odilia prima Abbatiſſa, a. 752. obit, a. circiter 765.
Eugenia ſit Abbatiſſa, a. circiter 765.
HORNBACHUM, Mon. *Hornbach*, in E. Metenſi.
Hornbachum, Mon. in E. Metenſi, Tomo 5. a. 742. n. 36. Conditum à Wernhero Viro Illuſtri.
Pyrminius Abb. obit, a. circiter 758.
Doto ſeu Dotonus Abb. poſt obitum Pyrminii Lullo tunc Archiep. Moguntino.
HORREUM, Mon. *Oëren*, in E. M. Trevirenſi.
Horreum, Mon. puellarum Trevitis, To-

Digitized by Google

mo 3. a. 678. n. 20. Conditum à S. Irmina Dagoberti I I. R. filia.
Baſiliſſa Abbatiſſa, a. 752. obit regnante Pippino.
Lucia ſit Abbatiſſa regnante Pippino.
Rothildis Abbatiſſa.
Severa Abbatiſſa.
Deda Abbatiſſa.
Ida Abbatiſſa.
} De his Abbatiſſis conſule Tomum 7. a. 804. n. 54.

S. HUBERTI Mon. *Saint Hubert*, in E. Leodienſi.

Andainum, Mon. in E. Trajectenſi, Tomo 4. a. 704. n. 41. Conditum à S. Beregiſo ex munificentia Pippini Herſtallii & Plectrudis uxoris. Sedes Epiſcopalis Trajecto Leodium tranſlata eſt à S. Huberto, a. 721. Corpus ejuſdem S. Huberti, a. 825, Leodio tranſlatum eſt ad Andainenſe Monaſterium quod abhinc vocari cœpit Monaſterium S. Huberti.
Alveus ſit primus Abb. Monachorum Clericis Andainenſibus ſubſtitutorum, a. 817. ſuſcipit Reliquias S. Huberti a. 825. obit, a. 828.
Tancradus Abb. Prumienſis, ſit etiam Abb. Hubertenſis, a. 828.

I

ILLMUNSTRENSE Mon. *Illmunſter*, in E. Friſingenſi.

Illmunſtrenſe Mon. in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 754. n. 90. Conditum ab Uthone Optimate Bojoariæ.
Uto ſive Utho conditor ac primus Abb. a. 771.

INDA, Mon. *Inde*, in E. M. Colonienſi.

Inda, Mon. in Archiep. Colonienſi, Tomo 7. a. 814. nn. 69. 71. Conditum à Ludovico Pio Imp.
Benedictus ſit primus Abb. a. 814. obit, a. 821.

INFERIUS Monaſterium, *Nider-Munſter*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.

Inferius Monaſterium in E. Argentoratenſi, Tomo 4. a. 700. n. 33. Conditum à S. Odilia.
Odilia fundatrix & prima Abbatiſſa, a. 752. obit, a. circiter 765.
Gunlindis ſit Abbatiſſa, a. circiter 765.

S. JOANNIS Mon. Romæ.

S. Joannis Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 75.

SS. JOANNIS & PAULI Mon. Romæ.

SS. Joannis & Pauli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. nn. 64. 74.

S. JOANNIS REOMAENSIS Mon. *Monſtier S. Jean.* in Epiſcopatu Lingonenſi.

Reomaus, *Réome*, Mon. in E. Lingonenſi, Tomo 1. a. 486. n. 23. Conditum à S. Joanne primo Abbate, cujus nomen hodie gerit. *Monſtier S. Jean.*
Waldo Abb. a. 752. ſuperſtes, a. 783.
Heirardus Abb a. 796.
Cammundus Abb.
Appollinaris Abb. Flaviniacenſis, ſit etiam Abb. Reomaenſis, obit, a. 825.
Vigilius ſit Abb. Reomaenſis & Flaviniacenſis, a. 817.

S. ISIDORI Mon. Romæ.

S. Iſidori Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 77.

S. JUDOCI Mon. *S. Joſſe*, in E. Ambianenſi.

S. Judoci Mon. in E. Ambianenſi, Tomo 3. a. 652. n. 4. Conditum à S. Judoco primo Abbate.
Alcuinus ſit Abb. a. 796. obit, a. 804.
Warembaldus ſit Abb. a. 804.

S. JULIÆ Mon. in E. Brixienſi.

S. Juliæ Mon. puellare in E. Brixienſi, Tomo 6. a. 774. n. 37. Conditum ab Anſa Regina Longobardorum, uxore Deſiderii R.
Antiperga, Anſæ Reginæ filia, Abbatiſſa, a. 774. cùm Longobardia venit in poteſtatem Francorum.
Radoara Abbatiſſa, a. 781.

JUNCELLUM, Mon. *Joncels*, in E. Biterrenſi.

Juncellum, Monaſt. in E. Biterrenſi, Tomo 5. a. 755. n. 97. In poteſtatem Pippini R. cum tota Septimania venit, Saracenis ultra Pyrenæum montem ſummotis.
Benedictus Abb. regnante Pippino.

K

KALA, Mon. *Chelles*, in E. Pariſienſi.

Kala, Mon. puellare in E. Pariſienſi, Tomo 1. a. 537. n. 2. Tomo 3. a. 656. n. 5. Conditum à Clotilde Regina, Clodovei Magni uxore, amplificatum à Bathilde uxore Clodovei I I.
Aſſelina Abbatiſſa, a. 752.
Sibylla Abbatiſſa.
Marſilia Abbatiſſa.
Giſla Abbatiſſa, Caroli Magni ſoror, obit, a. 810.

Hegilwich ſive Hegilvidis ſit Abbatiſſa, a. 825.

KITZINGUM, Mon. *Kitzingen*, in E. Wirceburgenſi.

Kitzingum, Mon. puellare, Tomo 4. a. 735. nn. 15. *& ſeqq.* in Archiepiſcopatu regionario S. Bonifacii. Deinde attribuitur Diœceſi wirceburgenſi, a. 742.

Hadeloga prima Abbatiſſa, a. 752. obit, a. 755.
Heilga ſit Abbatiſſa, a. 755.
Bertha Abbatiſſa. } De his Abbatiſſis conſule Tom. 6. a. 797. n. 36.
Sophia Abbatiſſa. }
Alberadis Abbatiſſa. }

L

LAUBACUM, Mon. *Lobes*, in E. Cameracenſi.
Laubacum, Mon. in E. Cameracenſi, Tomo 3. a. 654. n. 29. Conditum à S. Landelino primo Abbate.
Theodulphus Abb. a. 752. obit, a. 777.
Anſo ſit Abb. a. 777. obit, a. 801.
Hildricus ſit Abb. a. 801. vivit, a. 814.
Ramnericus Abb.
Fulradus Abb. S. Quintini in Viromanduis, ſit etiam Abb. Laubacenſis ante a. 813. obit a. 826.
Eggardus ſit Abb. a. 826.
S. LAURENTII Mon. Bituricis.
S. Laurentii Mon. puellare Bituricis, Tomo 6. a. 793. n. 22. Conditur à Carolo Magno.
Euſtaſia prima Abbatiſſa.
S. LAURENTII Mon. in E. Portuenſi.
S. Laurentii Mon. in E. Portuenſi, Tomo 6. a. 796. n. 102.
S. LAURENTII Mon. Romæ.
S. Laurentii Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 78. Inſtauratum ab Hadriano P P.
LAURESHAMENSE Mon. *Laureshem*, in E. Wormacienſi.
Laureshamenſe Mon. in E. Wormacienſi, Tomo 5. a. 763. nn. 4. *& ſeqq.* Conditum à Cancrone Comite ejuſque matre Williſwinda.
Chrodegangus Ep. Metenſis primus Abb. a. 763. obit, a. 766.
Gundelandus Abb. à Chrodegango fratre ſuperſtite conſtituitur, obit, a. 779.
Helmericus ſit Abb. a. 779. obit, a. 784.
Richbodo ſit Abb. a. 784. obit, a. 805.
Adalungus ſit Abb. a. 805. De illo rurſum Tomo ſequenti.
LEBERACUM, Mon. *Leberaw*, in E. Argentoratenſi ſeu Straſburgenſi.
Leberacum, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 5. a. 749. n. 67. Conditum à S. Fulrado.
Fulradus conditor ac primus Abb. vivit, a. 752. cùm Pippinus in Regem elevatur, & a. 777. cùm Leberacum unitur Monaſterio San-Dionyſiano agri Pariſienſis.
S. LEODEGARII ſeu CAPELLENSE Mon. in E. Lingonenſi.
S. Leodegarii ſeu Capellenſe Mon. in E. Lingonenſi, Tomo 7. a. 826. n. 53.
Theuto Abb. a. 826.
LERINUS, Mon. *Lerini*, in E. Antipolitano.
Lerinus, Mon. in E. Antipolitano, Tomo 1. a. 536. n. 169. Conditum à S. Honorato.
Leotmundus Abb. a. 828.
S. LUCIÆ Mon. Romæ.
S. Luciæ Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 80.
S. LUCII Mon. in E. Curienſi.
S. Lucii Mon. in E. Curienſi, Tomo 5. a. 745. nn. 117. 119.
AD LUNAM Mon. Romæ.
Mon. ad Lunam in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 98. Conditum à S. Hilaro P P.
S. LUPI Mon. *S. Loup*, in E. Trecenſi.
S. Lupi Mon. prope muros Trecarum, Tomo 2. a. 583. n. 44. a. 625. n. 14.
Alcuinus ſit Abb. a. 794. obit, a. 804.
LUTARA, Mon. Romæ.
Mon. de Lutara in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 79.
LUTOSA, Mon. *Lutze*, in E. Cameracenſi.
Lutoſa, Mon. Canonicorum in E. Cameracenſi, Tomo 6. a. 802. n. 111. Conditorem agnoſcit S. Amandum.
Liutgerus primus Abb. Werthinenſis, ſit etiam primus Ep. Mimigardevordenſis, a. 802. & paulò pòſt Abb. quoque Lutoſanus, obit, a. 809.
LUXOVIUM, Mon. *Luxeuil*, in E. M. Veſontionenſi.
Luxovium, Mon. in E. M. Veſontionenſi, Tomo 2. a. 590. n. 36. Conditum à S. Columbano primo Abbate.
Trudoaldus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Gayleubus ſit Abb. regnante Pippino.
Ayribrandus Abb.
Buoſo Abb. Gedeone Veſontionenſem Archiepiſcopatum jam adepto.
Grimoaldus Abb. ſub eodem Gedeone Archiep.
Andreas Abb. a. 785. a. 786. ſub eodem Gedeone Archiep.
Dotto Abb. a. 790. litem movet cum eodem Gedeone Archiep.
Sikelmus Abb.
Dadinus Abb.
Anſegiſus ſit Abb. a. 817.
LYSBORNENSE Mon. *Lysborn*, in E. Mimigardevordenſi.
Lyſbornenſe Monaſterium puellarum in E. Mimigardevordenſi, Tomo 7. a. 805. n. 40. Conditum ad Lippiam à Carolo Magno.
Roſchwindis ſit prima Abbatiſſa, a. 805.

M

S. MAGDALENÆ Mon. in E. Carnotenſi.

S. Magdalenæ Mon. apud Caſtrodunum in E. Carnotenſi, Tomo 7. a. 814. n. 28. Conditum à Carolo Magno.

MAGDUNUM, Mon. *Meun*, in E. Aurelianenſi.

Magdunum, Mon. in E. Aurelianenſi, Tomo 1. a. 549. n. 18. Conditum à S. Liphardo primo Abbate.

Theodulphus Abb. & Ep. Aurelianenſis, a. 786. obit, a. 821.

MAJUS MONASTERIUM, *Mairmoûtier*, in E. M. Turonenſi.

Majus Mon. in E. M. Turonenſi, Tom. 1. a. 508. n. 4. Conditum à S. Martino Ep. M. Turonenſi.

Hamricus Abb. a. 752.

Robertus Abb. a. 757.

Alexander. Abb.
Bertharius Abb.
Gandegiſilus Abb.
Radulphus Abb.
Michael Abb.
Iſmarus Abb.
Romanus Abb.
Godeſcalus Abb.
Bartholomæus Abb.
Leonius Abb.
Betarius Abb.
Leoderarus Abb.
Agilus Abb.
Jonas Abb.

} De his Abbatibus conſule Tom 5. a. 757. n. 95 & Tomum 6. a. 796. n. 135.

MALMUNDARIUM, Mon. *Malmedy*, in Diœceſi Colonienſi.

Malmundarium, Mon. in Diœceſi Colonienſi, Tomo 3. a. 648. n. 23. Conditum à S. Sigiberto III. R. *Vide* Stabuletum.

MANSEA, Mon. *Manſée*, in Diœceſi Saliſburgienſi.

Manſea, Mon. in Diœceſi Saliſburgienſi, Tomo 5. a. 739. n. 46. Conditum ab Odilone Duce Bojoariæ.

Opportunus primus Abb. a. 752. obit, a. 781.

Henricus ſit Abb. a. 781. vivit, a. 787.

Lambertus Abb. a. 817. a. 819.

S. MARCELLI Mon. S. *Marcel*, Cabilone.

S. Marcelli Monaſt. Cabilone, Tomo 2. a. 584. n. 22. Conditum à S. Guntchramno R.

Hucbertus Abb. Incertum, utrùm hic Abb. qui regnante Carolo Magno celeberrimus fuit, Monaſterii regimen adeptus ſit ſuperſtite Pippino; vivebat, a. 779.

S. MARIÆ Mon. Romæ.

S. Mariæ Mon in Urbe, quod appellatur Ambroſii, Tomo 6. a. 796. n. 81.

S. MARIÆ Mon. Romæ.

S. Mariæ Mon. in Urbe, quod appellatur Juliæ, Tomo 6. a. 796. n. 82.

S. MARIÆ Mon. *Noſtre-Dame*, Sueſſione.

S. Mariæ Mon. Sueſſione, Tomo 3. a. 661. n. 15. a. 674. n. 9. Conditum ab Ebroino Majore-domûs ejúſque uxore Leutrude ac filio Bovone.

Armentrudis Abbatiſſa ſynchrona Pippino R. ejuſque filiis RR.

Aſcelina Abbatiſſa regnante Carolo Magno.

Theodrada Abbatiſſa, a. 814. a. 817. De illa rurſum Tomo ſequenti.

S. MARIÆ in CARIATA, Mon. in E. M. Mediolanenſi.

S. Mariæ de Cariate Monaſt. in Archiep. Mediolanenſi, Tomo 6. a. 774. n. 53. Conditum à Monigunda, temporibus Liutprandi R. Longobardorum.

S. MARIÆ ad OLIVOLAM Mon. in E. Beneventano.

S. Mariæ ad Olivolam Mon. in E. Beneventano, Tomo 6. a. 774. n. 95.

S. MARIÆ ad ORGANUM, Mon. in E. Veronenſi.

S. Mariæ ad Organum Mon. in E. Veronenſi, Tomo 6. a. 774. n. 107. Conditum florente Longobardorum Regno.

S. MARIÆ in LOCO SANO Mon. in E. Marſicano.

S. Mariæ in Loco Sano Monaſt. puellare Epiſcopatûs Marſicani, Tomo 6. a. 774. n. 80. Conditum florente Longobardorum Regno.

Auſteda Abbatiſſa, a. 774.

S. MARTINI Mon. in E. Auguſtodunenſi.

S. Martini Mon. in ſuburbio Auguſtodunenſi, Tomo 2. a. 600. n. 6. Conditum à S. Siagrio Ep. Auguſtodunenſi.

Gauderannus Abb. a. 752.

S. MARTINI Mon. Romæ.

S. Martini Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 83.

S. MARTINI Mon. in E. M. Turonenſi.

S. Martini Mon. in E. M. Turonenſi, Tomo 1. a. 508. n. 4. Inchoatum à S. Perpetuo Ep. M. Turonenſi, a. 461. abſolutum, a. 472.

Wiſterbus Abb. a. 752. obit, a. 756.

Wulfardus ſit Abb. a. 756. obit, a. 781.

Itherius ſit Abb. a. 781. ſit etiam Abb. Cormaricenſis, a. 791. obit, a. 796.

Alcuinus ſit Abb. Sam-Martinianus & Cormaricenſis, a. 796. obit, a. 804.

Fredegiſus ſit Abb. Sam-Martinianus & Cormaricenſis, a. 804. abdicat regimen Monaſterii Cormaricenſis, a. 820. ſuperſtes. a. 828.

S. MARTINI Mon.
in E. Ultrajectino.
S. Martini Monaſt. Ultrajecti, Tomo 5. a. 749. n. 49.
Gregorius Abb. a. 752. ſuſcipit regimen Eccleſiæ Ultrajectinæ, a. 755. obit, a. 776.
Albricus ſit Abb. a. 776. ſit etiam Ep. Ultrajectinus, a. 777. obit, a. 784.
S. MAXENTII Mon. *S. Maixent*, in E. Pictavienſi.
S. Maxentii Mon. in E. Pictavienſi, Tomo 1. a. 507. n. 9.
Abbo Abb. a. 817. a. 823.
S. MAXIMINI MICIACENSIS Mon. *Saint Meſmin de Mici*, in E. Aurelianenſi.
Miciacum, Mon. in E. Aurelianenſi, Tomo 1. a. 498. n. 1. Conditum ex munificentia Clodovei I. R. poſtà nomen accepit Sancti Maximini, dictúmque eſt Mon. S. Maximini Miciacenſis. *S. Meſmin de Mici.*
Dutreſindus ſeu Druceſindus Abb. Mon. S. Maximini Miciacenſis, a. 814. a. 815.
S. MAXIMINI Mon.
Senonis.
S. Maximini Mon. puellare Senonis, Tomo 6. a. 799. n. 72. Conditur ab Aſpaſia matrona Senonenſi.
S. MAXIMINI Mon.
in Diœceſi Trevirenſi.
S. Maximini Mon. in Diœceſi Trevirenſi, Tomo 1. a. 498. n 5. Conditum florente in Galliis Romanorum Imperio.
Weomadus Abb. a. 752. ſit Archiep. Trevirenſis, a. 753.
Utilradus ſive Odilardus ſit Abb. a. 753. ſuperſtes, a. 766.
Wernolphus ſeu Werinolphus Abb, a. 772. a. 799.
Heberardus Abb. a. 809.
Heliſacar Abb. a. 821.
MEDA, Mon.
in E. M. Mediolanenſi.
Meda, puellare Mon. in Archiep. Mediolanenſi, Tomo 6. a. 776. n. 39. Conditum à SS. Haymone & Veremundo fratribus.
S. MEDARDI Mon. *S. Medard*, in E. Sueſſionenſi.
B. Mariæ V. & SS. Apoſtolorum Mon. Sueſſione, Tomo 1. a. 545. n. 10. Tomo 2. a. 562. n. 38. Inchoatum à Clotario I. R. abſolutum ab ejus filio Sigiberto I. R. poſteà nomen accepit Sancti Medardi. *S. Medard de Soiſſons.*
Hilduinus Abb. a. 817. a. 828.
MEDIANUM Mon. *Moyen-Mouſtier*, in E. Tullenſi.
Medianum Mon. in E. Tullenſi, Tomo 3. a. 676. n. 24. a. 679. n. 4. Conditum à S. Hildulfo Trevirenſi quondam Metropol.
Raimbertus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Sinidrabertus Abb. præeſt ultra ann. 20.
Wadaluninus Abb. obit, a. 806.
Fortunatus Patriarcha Gradenſis, ſit Abb. a. 806. præeſt ann. 20. incompletos, obit, a. 825.
Waldo ſit Abb. a. 825.
MEDIOLACUS, Mon. *Mithlach*, in E. M. Trevirenſi.
Mediolacus, Mon. in E. M. Trevirenſi, Tomo 4. a. 698. n. 5. Conditum à S. Leodowino, qui ex illius loci Monacho factus eſt poſtea Ep. M. Trevirenſis.
Richboldus Abb. ſit Ep. M. Trevirenſis, a. 776.
Wazzo ſit Abb. a. 776. Archiep. Trevirenſis, a. 804.
Hettius ſit Abb. a. 804. Archiep. Trevirenſis, a. 814.
METTENA, Mon. *Metten*, in Diœceſi Patavienſi.
Mettena, Mon. in Diœceſi Patavienſi, Tomo 6. a. 792. n. 38. Ab Uthone Preſbytero & Eremita conditur ex munificentia Caroli Magni.
Utho ſit primus Abb. a. 801. de illo rurſum Tomo ſequenti.
S. MICHAELIS Mon.
Romæ.
S. Michaelis Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 84.
S. MICHAELIS Mon.
in E. Straſburgenſi.
S. Michaelis Mon. in E. Straſburgenſi, Tomo 4. a. 711. n. 78. Conditum ab Adalberto Duce Alamanniæ, fratre S. Odiliæ.
Tubanus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.
Thomas ſit Abb. regnante Pippino, obit regnante Carolo.
Stephanus ſit Abb. regnante Carolo.
} De tribus illis Abbatibus actum Tom. 5. a. 752. n. 84.
Beatus Abb. a. 810.
S. MICHAELIS Mon.
in E. Vercellenſi.
S. Michaelis Mon. in E. Vercellenſi, Tomo 6. a. 774. n. 46. fundatum à Gauderio, temporibus Ariperti R. Longobardorum.
S. MICHAELIS Mon. *S. Mihel*, in E. Virodunenſi.
S. Michaelis Mon. ad Moſam in E. Virodunenſi, Tomo 4. a. 709. n. 4. Conditum à Wolfando Comite ſub Childeberto III. R.
* Abb. a. 752.
Hermangardus ſit Abb. regnante Pippino, obit regnante Carolo.
Smaragdus ſit Abb. regnante Carolo, obit ſub Ludovico Pio.
Hilduinus ſit Abb. ſub Ludovico Pio.

Digitized by Google

MILIZE, Mon.
in E. Eyſtettenſi.

Milize, Mon. puellare in E. Eyſtettenſi, Tomo 6. a. 784. n. 1. Conditum ab Einhilde prima Abbatiſſa.

Einhildis fundatrix ac prima Abbatiſſa, a. 784.

MONASTERIOLUM, Mon. *Monſtereul*, in E. Sagienſi.

Monaſteriolum, Mon. puellarum in E. Sagienſi, Tomo 5. a. 746. n. 45.

Opportuna Abbatiſſa, a. 752. obit, a. 771.

MONS-OLIVUS, Mon. *Montolieu*, in E. Carcaſſonenſi.

Mons-Olivus, Mon. in E. Carcaſſonenſi, Tomo 7. a. 814. n. 28. Conditur à Carolo Magno.

Olomundus primus Abb. ſub Carolo Magno, ſuperſtes, a. 815.

Wilafredus Abb. a. 828.

MURBACHIUM, Mon. *Mourbach*, in Epiſcopatu Argentoratenſi, deinde in Baſileenſi.

Murbachium, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 4. a. 731. nn. 18. *& ſeqq.* Conditum in alodio Eberhardi Comitis à S. Pyrminio primo Abbate. Diœceſi Baſileenſi recèns erectæ attribuitur, a. 748.

Baldobertus Abb. a. 752. obit, a. 762.

Haribertus ſit Abb. a. 762. obit, a. 774.

Amicho ſit Abb. a. 774.

Guntramus Abb. a. 814.

MURHARTUM, Mon. *Murhart*, in E. Wirceburgenſi.

Murhartum, Mon. in E. Wirceburgenſi, Tomo 7. a. 815. n. 35. Conditum à Ludovico Pio.

Walthericus primus Abb. a. 815.

S. MUSTIOLÆ Mon.
in E. Cluſino.

S. Muſtiolæ Monaſt. in E. Cluſino, Tomo 6. a. 774. n. 67. Conditum à Gregorio & Ariſebuto civibus Cluſinis, Liutprando Longobardorum tunc Rege.

N

NANTOLIUM Mon.
Nanteuil en Valée,
in Epiſcopatu Pictavienſi.

Nantolium, Mon. in E. Pictavienſi, Tomo 7. a. 814. n. 28. Conditum à Carolo Magno.

NANTUA, Mon. *Nantua*,
in E. M. Lugdunenſi.

Nantua Mon. in E. M. Lugdunenſi, Tomo 7. a. 817. n. 258.

Pontius Abb. ſub Merovea-
dis RR.
Siagrius Abb. a. 757.
Sodeſaldus Abb. regnante
Carolo Magno.
Petrus Abb. a. 817.
} De his Abbatibus conſule Tomum 7. a. 817. n. 258.

NEOSTADIUM, Mon. *Neuſtat*,
in E. Wirceburgenſi.

Neoſtadium, Mon. in E. Wirceburgenſi, Tomo 5. a. 769. n. 19. Tomo 6. a. 776. n. 20. Conditum poſt a. 769. à Megingando Wirceburgenſi antèà Epiſcopo.

Megingaudus conditor ac primus Abb. regnante jam Carolo, obit, a. 779.

Waltricus ſit Abb. a. 779.

NIGELLA ABSCONDITA, Mon.
Nelle la Répoſte,
in Epiſcopatu Trecenſi.

Nigella Abſcondita, Mon. in E. Trecenſi, Tomo 1. a. 503. n. 3. Conditur pro viris & fœminis ex liberalitate Clodovei R. & Clotildis Reginæ.

Geraus Abb. a. 752. a. 765.

NONANTULA, Mon.
in E. Mutinenſi.

Nonantula Mon. in E. Mutinenſi, Tomo 6. a. 774. n. 48. Conditum à S. Anſelmo Duce Foro-Julienſi, regnante tunc in Longobardia Aiſtulpho.

Anſelmus conditor ac primus Abb. obit, a. 803.

Petrus ſit Abb. a. 803. obit, a. 820.

Antfridus ſit Abb. a. 820. ſuperſtes, a 828.

NOVALISIUM, Mon. *Novaléze*,
in Epiſcopatu Mauriennenſi,
deinde in Taurinenſi.

Novaliſium, Mon. à Longobardis aliàs dirutum, in E. Mauriennenſi; inſtauratur Tomo 5. a. 756. n. 19. Diœceſi Taurinenſi poſt exactos Longobardorum Reges attribuitur, Tomo 6. a. 774. n. 45.

Godonus poſt inſtaurationem ſit primus Abb. a. 756.

Aſinarius Abb. a. 765. obit Pippino R.

Witgarius Epiſc. Mauriennenſis, ſit etiam Abb. regnante Pippino, obit, a. 770.

Joſephus ſit Abb. a. 770.
vivit, a. 773.
Guillelmus Abb.
Girardus Abb.
Abbo Abb. a. 789.
Frodoinus Abb. præſt ann. 43.
} De illis Abbatibus conſule Tomum 6. a. 789. n. 197.

O

OCHNOFURTUM, Mon. *Ochnofurt*,
in E. Virceburgenſi.

Ochnofurtum, Mon. puellare in E. Wirceburgenſi, Tomo 5. a. 749. n. 39.

Tecla prima Abbatiſſa, a. 752. obit regnante Pippino.

OTTENBURANUM Mon.
in E. Auguſtano.

Ottenburanum Monaſt. in E. Auguſtano, Tomo 6. a. 800. n. 98. Conditum à Syllacho Comite, a. 764.

Tuto Syllachi Conditoris filius, ſit primus Abb. a. 769. obit, a. 817.

Milo ſit Abb. a. 817. præſt ann. 47.

INDEX POSTERIOR

P

PALATIOLUM, Mon.
in E. Populonienſi.

Palatiolum, Monaſt. in E. Populonienſi, Tomo 6. a. 774. n. 63. Conditum à S. Walfrido, anno 4. Aiſtulphi R. Longobardorum.

Gimfredus S. Walfridi filius, Abb. a. 774. obit, a. 794. Populoniâ Sedi Apoſtolicæ jam traditâ ex munificentia Caroli Francorum R.

S. PANCRATII Mon.
Romæ.

S. Pancratii Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 85. Inſtauratum à S. Gregorio PP. III.

S. PETRI Mon,
Barcinone.

S. Petri Mon. puellare Barcinone, Tomo 7. a. 807. n. 4. Conditum à Ludovico Pio Aquitaniæ tum Rege.

S. PETRI Mon.
in E. Beneventano.

S. Petri Mon. puellare extra muros Beneventanos, Tomo 6. a. 774. n. 95. Conditum à Theoderata Romualdi Beneventani Ducis uxore.

S. PETRI Mon.
in E. Papienſi.

S. Petri Monaſt. prope muros Papienſes, Tomo 6. a. 774. n. 53. Conditum à Liutprando Longobardorum R.

S. PETRI Mon.
in E. Peruſino.

S. Petri Mon. de Peruſia, Tomo 6. a. 774. n. 69.

S. PETRI Mon.
in E. Sabionenſi.

S. Petri Mon. Bauzani in E. Sabionenſi, Tomo 5. a. 769. n. 21. Francicis ditionibus acceſſit Sabionenſis Epiſcopatus regnante Pippino.

Atto Abb. a. 769. a. 777.

S. PETRI Mon.
in Diœceſi Saliſburgienſi.

S. Petri Mon. Saliſburgii, Tomo 1. a. 580. n. 26. Conditum à S. Ruperto primo Antiſtite Saliſburgienſi, qui migravit ad Deum a. 623.

* Abb. a. 752.

Virgilius proficiſcitur in Bojoariam, a. 764. fit Abb. S. Petri, item Ep. Saliſburgienſis; abdicat munus Abbatiale, a. 773.

Bertricus fit Abb. a. 775. item Ep. Saliſburgienſis, a. 780. obit, a. 781.

Arno. fit Ep. & Abb. a. 781. Metropolitanus Bojoariæ, a. 798. poſteà regimen Monaſterii dimittit, incertum quo anno.

Ammilonius fit Abb. ſuperſtite Arnone, deinde & Archiep. Saliſburgienſis, a. 812. obit, a. 823.

Adalramus fit Abb. S. Petri & Archiep. Saliſburgienſis, a. 823. ſuperſtes, a. 828.

S. PETRI Mon. *Saint Pierre le Vif*,
in E. M. Senonenſi.

S. Petri Mon. in conſpectu civitatis Senonenſis, Tomo 1. a. 564. n. 36. Erectum à Theodechilde filia Theudorici I. R.

Bertemarius Abb. obit, a. 802.

Frodobertus fit Abb. a. 802. obit, a. 815.

Albertus fit Abb. a. 825.

S. PETRI de FLORENTILLO Mon.
in E. Spoletano.

Mon. S. Petri de Florentillo in E. Spoletano, Tomo 7. a. 817. n. 89. Unitum fuit Epiſcopali menſæ à Sigoaldo Ep. Spoletano, qui mortuus eſt, a. 817.

SS. PETRI & SULPITII,
deinde S. GLODESINDIS Mon.
Metis.

SS. Petri & Sulpitii Mon. puellare in civitate Metenſi, Tomo. 6. a. 779. n. 50. a. 794. n. 117. Conditur à S. Glodeſinde, cujus nomen hodie gerit. *Sainte Gloſine.*

Glodeſindis fundatrix & prima Abbatiſſa, a. 773. obit, a. 779.

POLLINGUM, Mon. *Polling*,
in E. Friſingenſi.

Pollingum, Mon puellare in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 741. n. 31. Conditum ab Illuſtribus Comitibus ac Fratribus, Lantfrido, Waldramo & Elilando.

Gelovinda prima Abbatiſſa, ſoror prædictorum Comitum, a. 752.

S. PONTII Mon. *S. Pons*,
in E. Nicienſi.

S. Pontii Mon. in E. Nicienſi, Tomo 6. a. 775. n. 36. Conditum à Carolo R.

Syagrius primus Abb. a. 775. fit Ep. Nicienſis, a. 777. obit, a. 787.

PRUMIA, Mon. *Prum*,
in E. M. Trevirenſi.

Prumia, Mon. in E. M. Trevirenſi, Tomo 5. a. 760. n. 15. Conditum à Pippino R.

Aſuerus fit primus Abb. a. 760. obit, a. 805.

Tancradus fit Abbas Prumienſis, a. 805. deinde etiam Abb. Hubertenſis, a. 818.

Q

S. QUINTINI Mon. Viromandenſe,
Saint Quentin,
in E. Noviomenſi.

S. Quintini Mon. Viromandenſe in E. Noviomenſi, Tomo 3. a. 652. n. 6.

Hieronymus Abb. Pippino & Carolo RR.

Fulradus Abb. a. 814. obit, a. 816.

Guithardus fit Abb. a. 816.

R

S. REMIGII Mon. *S. Remy de Reims*,
in E. M. Remenſi.

S. Remigii Mon. Remis, Tomo 1. a. 590. n. 14.

Digitized by Google

Tilpinus ſit Archiep. Remenſis, a. 753. In Monaſterio Remigiano Monachos inſtituit loco Canonicorum ſitque Abbas; obit, a. 800.

Wulfarius ſit Archiep. Remenſis & Abb. Remigianus, a. 802. obit, a. 816.

Ebo ſit Archiep. Remenſis & Abb. Remigianus, a. 816. De illo rurſum Tomo ſequenti.

S. REMIGII Mon. *S. Remy de Sens*, in E. M. Senonenſi.

S. Remigii Monaſt. in E. M. Senonenſi, Tomo 2. a. 614. n. 18.

Adhebertus Abbas a. 752. obit regnante Pippino.

Dacaparus II. ſit Abb. regnante Pippino.
Dodanus Abb.
Adhebertus II. Abb.
Badolenus Abb.
Atbertus Abb.
} De Abbatibus Remigianis conſule Tom. 5. a. 750. n. 3. Tom. 6. a. 802. n. 62.

RESBACUM, Mon. *Rebez*, in E. Meldenſi.

Reſbacum, Mon. in E. Meldenſi, Tomo 3. a. 634. nn. 11. 14. Conditum à S. Audoeno.

Godobertus Abb. a. 765.

RIPOLANUM Mon. *Ripoli*, in E. Florentino.

Ripolanum Mon. in E. Florentino, Tomo 6. a. 774. n. 58.

S

S. SABÆ Mon. Romæ.

S. Sabæ Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 86.

S. SALVATORIS, Mon. in E. Cluſino,

S. Salvatoris Monaſt. ab Ammiato monte Ammiaticum quoque dictum in E. Cluſino, Tomo 6. a. 774. n. 67. Conditum à Rachiſio R. Longobardorum.

Uſualdus Abb. a. 801.

Audoaldus Abb. a. 816.

S. SALVATORIS Mon. Lemovicis.

S. Salvatoris Mon. Lemovicis, Tomo 5. a. 752. n. 156. nomen poſteà S. Martialis accepit.

S. SALVATORIS de ILICETO Mon. in E. Senenſi.

S. Salvatoris Mon. de Iliceto in E. Senenſi, Tomo 6. a. 774. n. 61.

SARCHINIUM, Mon. *Sercin*, in E. Trajectenſi ſeu Leodienſi.

Sarchinium, Mon. in E. Trajectenſi, Tomo 3. a. 664. n. 1. Conſtructum à S. Trudone Preſbytero.

Reyraimus Abb. a. 752.
Hardebenus Abb.
Columbanus Abb.
Ingelrammus Abb.
} De illis Abbatibus conſule Tomum 5. a. 745. n. 105.

SARDAS, Mon. Romæ.

Mon. *de Sardas* in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 87.

SARLATUM, Mon. *Sarlat*, in E. Petrocoricenſi.

Sarlatenſe Mon. S. Salvatoris in E. Petrocoricenſi, Tomo 7. a. 816. n. 38.

Odo Abb.
Adacius Abb.
} De conditu & antiquiſſimis Abbatibus hujus Mon. conſule Tom. 7. a. 816. n. 38.

SAVIGNIACUM, Mon. *Savigny*, in E. M. Lugdunenſi.

Savigniacum Mon. in Archiep. Lugdunenſi, Tomo 7. a. 809. n. 93. a. 817. n. 279.

Adalbertus primus Abb. Carolo Magno cùm Rege tùm Imperatore.

Anaſtaſius Abb. Ludovico Imperatore.

S. SAVINI Mon. *Saint Savin*, in E. Pictavienſi.

S. Savini Mon. in E. Pictavienſi, Tomo 7. a. 812. n. 38. Juſſu Caroli Magni conſtructum à Ludovico Pio tunc Aquitanorum R.

S. SAVINI Mon. in E. Bigorritano.

S. Savini Monaſt. in E. Bigorritano, Tomo 7. a. 817. n. 330.

In SCHENNIS, Mon. in E. Curienſi.

In Schennis Mon. puellare in E. Curienſi, Tomo 7. a. 806. n. 8. Conditum ab Humberto Rhætiæ Comite.

SCHLECHDORFUM, Mon. *Schlechdorff*, in E. Friſingenſi.

Schlechdorfum, Mon. in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 742. n. 28. Conditum ab Illuſtribus Comitibus ac Fratribus Landfrido, Waldramo & Elilando.

Aribo Abb. ſit etiam Ep. Friſingenſis, a. 770. obit, a. 783.

Atto ſit Ep. Friſingenſis & Abb. Schlechdorfenſis, a. 783. obit, a. 812.

SCHWARZACHIUM, Mon. *Schwarzach*, in E. Straſburgenſi.

Schwarzachium, Mon. Alſatiæ in E. Straſburgenſi transfertur trans Rhenum, Tomo 7. a. 816. n. 70.

Wido Abb. a. 816.

SCHWARZACHIUM, Mon. in E. Wirceburgenſi.

Schwarzachium, Monaſt. in E. Wirceburgenſi, Tomo 7. a. 815. n. 36. Conditur à Megingando Comite & Ima ejus uxore.

Benedictus ſit primus Abb. a. 815. præeſt ann. 28.

SENONIÆ, Mon. in E. Tullenſi.

Senonienſe Mon. in E. Tullenſi, Tomo 3. a. 661. n. 5. Conditum à S. Gundelberto, qui Senonenſem Archiepiſcopatum priùs geſſerat.

Stephanus Abb. a. 752. ſuperſtes, a. 768.
Angelramnus fit Ep. Metenſis, a. 768. deinde & Abb. Senonienſis; obit, a. 791.
Norgandus fit Abb Senonienſis, Angelramno adhuc ſuperſtite.

S. SERGII Mon. *S. Serge*, in E. Andegavenſi.

S. Sergii Monaſt. in E. Andegavenſi, Tomo 3. a. 654. n. 31. Conditum à Clodoveo II. R. ſedente Andegavi Magnobodo Ep.
Witboldus fit Abb. a. 788.

S. SERGII Mon. Romæ.

S. Sergii Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 89.

S. SEVERI Mon. *S. Severe*, in E. Agathenſi.

S. Severi Mon. in E. Agathenſi, Tomo 5. a. 755. n. 102. Franciæ acceſſit cum reliqua Septimania ſub Pippino R.

S. SIGISMUNDI CELLA, Mon. in Epiſcopatu Argentoratenſi, deinde in Baſileenſi.

S. Sigiſmundi Cella, Mon. in E. Argentoratenſi, Tomo 3. a. 675. n. 29. Conditur à Dagoberto II. R. Baſileenſi Diœceſi recèns erectæ attribuitur, a. 748. n. 110.
Severinus fit Abb. a. 702.

*
*

Arbogaſtus Abb. obit, a. 800.
Nicolaus fit Abb. a. 800. vivit ſuperſtes Ludovico Pio.

S. SILVESTRI Mon. Romæ.

S. Silveſtri Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 90.

S. SILVESTRI & S. MARIÆ Mon. in E. Firmano

S. Silveſtri & S. Mariæ Mon. in E. Firmano, Tomo 6. a. 774. n. 71.

SITIVENSE Mon. *Sitiu*, in E. Taruannenſi.

Sitivenſe Mon. in E. Taruannenſi, Tomo 3. a. 648. nn. 30. *& ſeqq.* Conditum ab Adroaldo Neophyto.
Nantharius Abb. a. 752. obit, a. 754.
Datbertus ſeu Dalbertus fit Abb. a. 754. obit, a. 766.
Hardradus fit Abb. a. 766. obit, a. 795.
Odlandus fit Abb. a. 795. obit, a. 804.
Nantharius II. fit Abb. a. 804. obit, a. 818.
Fredegiſus Abb. San-Matinianus fit etiam Abb Sitivenſis, a. 820. De illorumſum Tomo ſequenti.

SOLEMNIACUM, Mon. *Solegnac*, in E Lemovicenſi.

Solemniacum, Mon. in E. Lemovicenſi, Tomo 2. a. 631. nn. 19. *& ſeqq.* Erectum à S. Eligio nondum Ep.
Ebulo ſive Ebulus Ep. Lemovicenſis & Abb. Solemniacenſis, a. 752.
Geraldus Abb. } Actum de duobus illis
Aymericus Abb. } Abbatibus Tomo 5. a. 761. n. 11.
Ductramnus Abb. a. 816. obit, a. 817.
Agiulfus fit Abb. a. 817.

S. SOPHIÆ Mon. Beneventi.

S. Sophiæ Mon. puellare Beneventi, Tomo 6. a. 774. n. 95. Conditum à Giſulfo & Arichiſio Ducibus Beneventanis.
Gorimberga, Arichiſii Ducis Beneventani ſoror, Abbatiſſa, a. 774.

STABULETUM, Mon. *Stavelo*, in E. Trajectenſi ſeu Leodienſi.

Stabuletum, Mon. in E. Trajectenſi, Tomo 3. a. 643. n. 23. Conditum à S. Sigiberto III. R.
Agilulfus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 752. obit, a. 770.
Albricus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 770. obit, a. 779.
Sichardus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 779. obit, a. 792.
Wirundus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 792. obit, a. 815.
Abſalon fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 815 obit, a. 817.
Ando fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 817. præeſt ann. 19.

STAFFELSEA, Mon. *Staffelſee*, in E. Friſingenſi.

Staffelſea, Mon. puellare in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 742. n. 33. Conditur ab Illuſtribus Comitibus ac Fratribus, Landfrido, Waldramo & Elilando.
Gelovinda, prima Abbatiſſa, ſoror prædictorum Comitum, a. 752.

S. STEPHANI Mon. Romæ.

S. Stephani Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 91.

S. STEPHANI Mon. Romæ.

S. Stephani Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 93. Inſtauratum à Leone P P. III.
Paſchalis Abbas ſub Leone III. P P. fit P P. a. 817. eodémque anno fit Dominus Urbis ex munificentia Ludovici Pii R. Francorum.

SS. STEPHANI & SILVESTRI Mon. Romæ.

SS. Stephani & Silveſtri Mon. in Urbe, Tomo 6 a. 796. n. 91. Conditum à S. Paulo P P. I.

SYLURNUM, Mon. *Schliers*, in E Friſingenſi.

Sylurnum, Monaſt in E. Friſingenſi, Tomo 6. a. 777. n. 26. Conditum ab Adalungo, Hyltiwaldo, Gerbaldo, Anthemo & Otachro, Fratribus; dicatur ab Aribone Ep. Friſingenſi.

Digitized by Google

Berchtoldus inſtituitur Magiſter Monaſterii, a. 777. fit Abb. a. 779.

T

TEGERNSEA, Mon. *Tegernſee*, in E. Friſingenſi.

Tegernſeenſe Mon. in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 754. n. 85. Conditum ab Adalberto & Otgario Fratribus, Optimatibus Bojoariis.

Adalbertus conditor ac primus Abb. a. 754.

Meginhardus Abb. a. 795. a. 807.

Bacho Abb.
Iskerus Abb.
Megilo Abb.
} De illis Abbatibus conſule Tom. 6. a. 807. n. 17.

TEMPULI Mon. Romæ.

Tempuli Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 94.

TEVENECENSE Mon. *Landt-Tevennec*, in E. Corentinopolitano.

Tevenecenſe Mon. in E. Corentinopolitano, Tomo 1. a. 529. n. 5.

Macmonicus ſeu Matinonocus Abb. a. 818.

THEOLOGIUM ſeu TABULEÏUM vel DOLEÏA, Mon. *Tholey*. in E. M. Trevirenſi.

Theologium ſeu Tabuleïum vel Doleïa, Monaſt. in E. M. Trevirenſi, Tomo 2. a. 625. n. 9. Conditus ſub initium Dagobertini Principatûs in Auſtraſia, Clotario II. R. in vivis ſuperſtite.

Frodonius Abb. a. 752.

Herbertus Abb.

Anodo Abb.

Fidenardus Abb.

Anno Abb.

THIERHAUPTUM, Mon. *Thierhaubten*. in E. Auguſtano.

Thierhauptum, Monaſt. in E. Auguſtano, Tomo 6. a. 777. n. 56. Conditum à Thaſſilone Duce Bojoariæ.

Ulinus primus Abb. a. 777.

Gulielmus Abb. proximus Ulini ſucceſſor.

S. TIBERII Mon. *S. Uberi*, in E. Agathenſi.

S. Tiberii Mon. in E. Agathenſi, Tomo 7. a. 817. n. 309.

Modarius Abb. a. 817. a. 821.

S. TRUDTPERTI Mon. *S. Trupt*, in E. Conſtantienſi ad Rhenum.

S. Trudtperti Monaſt. in E. Conſtantienſi ad Rhenum, Tom. 6. a. 777. n. 25.

V

S. VEDASTI Mon. *S. Waſt*, in E. Atrebatenſi.

S. Vedaſti Mon. in E. Atrebatenſi, Tomo 3. a. 666. n. 2. Conditum à S. Autberto Ep. Atrebatenſi.

Adalricus Abb. a. 752. obit, a. 768.

Sigibertus fit Abb. a. 768. obit, a. 783.

Radfridus fit Abb. a. 783. obit, a. 795.

Raddo fit Abb. a. 795. obit, a. 815.

Adalungus fit Abb. a. 815.

S. VICTORII Mon. Romæ.

S. Victorii Monaſt. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 95.

S. VICTORIS Mon. *S. Victor*, Maſſiliæ.

S. Victoris Mon. Maſſiliæ, Tomo 1. a. 536. n. 43.

Maurontus Abb. regnante Pippino, fit Ep. Maſſilienſis, a. 767.

Magnus Abb. a. 780.

Theodebertus ſeu Teutpertus fit Abb. deinde & Ep. Maſſilienſis, floret ſub Ludovico Pio, eique vivit ſuperſtes.

VILLARIENSE Mon. in E. Taurinenſi.

Villarienſe Monaſt. in E. Taurinenſi, Tomo 6. a. 774. n. 45. Conditum ab Ariperto R. Longobardorum.

S. VINCENTII Mon. in E. Venafrano.

S. Vincentii Mon. in E. Venafrano, Tomo 6. a. 774. n. 91. Conditum ſtante Longobardorum Regno.

Joannes Abb. a. 774. obit, a. 777.

Authpertus fit Abb. a. 777. obit, a. 778.

Hainradus fit Abb. a. 778. obit, a. 780.

Potho fit Abb. a. 780. obit, a. 785.

Paulus fit Abb. a. 785. obit, a. 792.

Joſue fit Abb. a. 792. vivit ſuperſtes, a. 816.

S. VITONI Mon. *S. Vanne*, in E. Virodunenſi.

S. Vitoni Mon. in E. Virodunenſi, Tomo 5. a. 749 n. 69.

Madelveus Abb. a. 752. fit etiam Ep. Virodunenſis, a. 758 obit, a. 776.

Fremodo fit Abb. a. 776. vivit ſuperſtes, a. 781.

S. VIVIANÆ Mon. Romæ.

S. Viviana Mon. in Urbe, Tomo 6. a. 796. n. 96

ULMETUM, Mon. in E. Cameracenſi.

Ulmetum Mon. Clericorum in E. Cameracenſi, Tomo 5. a. 756. n. 37. Conditum à S. Rumoldo.

Rumoldus præeſt Monaſterio à ſe condito ex munificentia Odonis Comitis. Martyrio coronatur a. 775.

Libertus Odonis Comitis filius Monaſterio præficitur à Rumoldo.

UTICUM, Mon. *Ouche*, in E. Lexovienſi.

Uticum, Mon. in E. Lexovienſi, Tomo 2. a. 572. n. 9. Conditum à S. Ebrulfo, cujus nomen hodie gerit. *S. Evroul.*

Ragingarius Abb. a. 765.

S. WALFRIDI Mon. in E. Lucenſi.
S. Walfridi Mon. puellare in E. Lucenſi, Tomo 6. a. 774. nn. 55. 63. Conditum à S. walfrido temporibus Aiſtulfi R. Longobardorum.
WEISSENBURGUM, Mon. *Weiſſembourg*, in E. Nemetenſi ſeu Spirenſi.
Weiſſenburgum, Mon. in E. Nemetenſi, Tomo 3. a. 642. n. 67. Conditum à Dagoberto I. R.
Charialdus Abb. a 752.
Folcuvicus Abb. deinde Ep. Wormacienſis, a. 766.
Ehrenbrechtus ſit Abb. a. 766. deinde Ep. wormacienſis.
Bernharius Abb. deinde Ep. Wormacienſis, a. 798.
Haiſtulphus ſit Abb. a. 798. deinde Archiep. Moguntinus, a. 814.
Otgarius ſit Abb. a. 814. deinde Archiepiſcopus Moguntinus a. 826.
Grimaldus ſit Abb. a. 826.
WELTENBURGUM, Mon. *Weltenburg*, in Diœceſi Saliſburgienſi.
Weltenburgum, Monaſt. in Diœceſi Saliſburgienſi, Tomo 2. a. 590. n. 8. Erectum à Thaſſilone Duce Bojoariæ, regnante Childeberto II.
Adalwartus Abb. a. 752.
Reginhardus Abb a. 760.
Wigmandus Abb. a. 777.
Dedalricus Abb. a. 789.
Erneſtus Abb. a. 796.
Dietericus Abb. a. 802.
Wieannus Abb. a. 815.
Peringerus Abb. a. 820.
WERTHINA, Mon. *Werden*, in E. M. Colonienſi.
Werthina, Mon. in Archiep. Colonienſi, Tomo 6. a. 796. nn. 153. & *ſeqq.* Conditum à S Luidgero tunc Preſbytero.
Luidgerus Preſbyter ac Conditor ſit primus Abb. a. 796. ſit etiam primus Ep. Mimigardevordenſis, a. 802. obit, a. 809.
Gerfridus Ep. Mimigardevordenſis & Hildegrimus Ep. Catalaunenſis, Procuratores Monaſterii werthinenſis, a. 809. De Gerfrido rurſum Tomo ſequenti. Hildegrimus ex Ep. Catalaunenſi ſit Ep. Salingeſtadienſis, a. 810, deinde Halberſtadienſis, a. 810. obit, a. 817.
Thiatgrimus ſit Ep. Halberſtadienſis, & Procuraror Monaſt. werthinenſis cum prædicto Gerfrido, a. 817. De utroque rurſum Tomo ſequenti.
WESSOBRUNNA, Mon. *Weſſebrunnen*, in E. Friſingenſi.
Mon. inter Amparam & Lycum fluvios in E. Friſingenſi, Tomo 5. a. 742. n. 31. a. 753. n. 74 ſub Childerico III. R. tenue, ſub Pippino R. plurimùm inclarere cœpit aſſumpto weſſobrunnæ nomine. Conditum eſt cum aliis ſeptem ab Illuſtribus Comitibus ac fratribus, Landfrido, waldramo & Elilando.
Ilſungus ſit primus Abb. a. 758. obit, a. 799.
Adelmarus ſit Abb. a. 799. præeſt ann. 32.
WILDESHUSIUM, Mon. *Wildeshauſen*, in E. Bremenſi.
Wildeshuſium, Mon. in E. Bremenſi, Tomo 7. a. 815. n. 67. Conditum à Wigberto widikindi filio.
WILDSBURGUM, Mon. *Wildſbourg*, in E. Eyſtettenſi.
Wildſburgum, Mon. in E. Eyſtettenſi, a. 814. n. 18. Conditum à Carolo Magno.

Z

S. ZENONIS Mon. *S. Zenon*, in E. Veronenſi.
S. Zenonis Mon. in E. Veronenſi, Tomo 6. a. 774. n. 107. Conditum florente Longobardorum Regno.
Auſterbertus Abb. a. 807. a. 816.

PARISIIS,
IN TYPOGRAPHIA REGIA,
CURANTE
SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
ejuſdem Typographiæ Directore.

M. DC. LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google